Migne, Jacques Paul

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS,

SEU

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM, SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANN. 1216) PRO LATINIS ET AD PHOTII TEMPORA (ANN. 891) PRO GRÆCIS FLORUERUNT:

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIMA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE, HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NEUNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.
EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES LATINA,

IN QUA PRODEUNT PATRES DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIA, AD INSTAR IPSIUS ECCLESIÆ, IN DUAS PARTES DIVIDITUR, ALIA NEMPE LATINA, ALIA GRÆCO-LATINA. LATINA, JAM PENITUS EXARATA, VIGINTI-QUINQUE ET DUCENTIS VOLUMINIBUS MOLE SUA STAT, MOXVE POST PERACTOS INDICES STABIT, AC QUINQUE-VIGINTI-CENTUM ET MILLE FRANCIS VENIT. GRÆCA DUPLICI EDITIONE TYPIS MANDATA EST. PRIOR GRÆCUM TEXTUM UNA CUM VERSIONE LATINA LATERALIS AMPLECTITUR, ET AD DUODECIM ET CENTUM VOLUMINA UNA CUM INDICIBUS PERVENIET; POSTERIOR AUTEM HANC VERSIONEM TANTUM EXHIBET, IDEOQUE INTRA OCTO ET QUINQUAGINTA VOLUMINA RETINEBITUR; UTRAQUE VIGESIMA QUARTA DIE DECEMBRIS 1860 OMNINO APPARUERAT, SED SINE INDICIBUS. UNUMQUODQUE VOLUMEN GRÆCO-LATINUM OCTO, UNUMQUODQUE MERE LATINUM QUINQUE FRANCIS SOLUMMODO EMITUR: UTROBIQUE VERO, UT PRETII HUJUS BENEFICIO FRUATUR EMPTOR, COLLECTIONEM INTEGRAM SIVE GRÆCAM SIVE LATINAM COMPARET NECESSE ERIT, SECUS ENIM CUJUSQUE VOLUMINIS AMPLITUDINEM NECNON ET DIFFICULTATES VARIA PRETIA ÆQUABUNT. ATTAMEN; SI QUIS EMAT INTEGRE ET SEORSIM COLLECTIONEM GRÆCO-LATINAM, VEL EAMDEM EX GRÆCO LATINE VERSAM, TUM QUODQUE VOLUMEN PRO NOVEM VEL PRO SEX FRANCIS OBTINEBIT.

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS LXI.

S. PAULINUS NOLANUS, CLAUDIUS MARIUS VICTOR, MEROBAUDES SCHOLASTICUS, S. ORIENTIUS, S. AUSPICIUS, PAULINUS PETRICORDIENSIS, AMŒNUS, SECUNDINUS, DREPANIUS FLORUS, AUCTOR INCERTUS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1861

SÆCULUM V. ANNI 426-500.

QUINTI SÆCULI

POETARUM

SERIES ABSOLVITUR,

NOVAQUE ET ACCURATISSIMA EDITIONE DONANTUR

S. PAULINI NOLANI,

S. ORIENTII, S. AUSPICII,

NECNON

CLAUDII MARII VICTORIS, MEROBAUDIS, PAULINI PETRICORDIENSIS, AMOENI, SECUNDINI, DREPANII FLORI, AUCTORIS INCERTI,

OPERA OMNIA,

JUXTA EDITIONES MEMORATISSIMAS MURATORII, GALLANDII, MARGARINIQUE DE LA BIGNE RECENSITA ET EXPRESSA;

ACCURANTE ET DENUO RECOGNOSCENTE J.-P. MIGNE,
BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,
SIVE
CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS UNICUS.

VENIT 7 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MOENIA PARISINA.

1861

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO LXI CONTINENTUR.

Parisiis. — Ex typis J.-P. MIGNE.

EPISTOLA DEDICATORIA.

Illustrissimo ac reverendissimo D. D. Francisco Antonio Corrario ex Capucinorum ordine, Venetiarum patriarchæ, Dalmatiæ primati, etc., Dionysius Ramanzini typographus S. P. D.

Consueverunt illi qui sibi gratiam a principibus viris quærunt, ea ipsis munera maxime offerre quæ eorum ingenio gratissima atque acceptissima futura esse arbitrantur; atque ideo mirum nobis videri non debet interdum legentibus aut videntibus, aliis numismata aut marmora, aliis etiam gemmas et pictas vestes, aut insignes equos, aut arma dono data fuisse. Scilicet indulgent homines illorum studiis quos admirantur atque verentur. Mihi vero, maxime præsul, tecum pro animi mei obsequio cupienti facere, nullum aliud munus in mentem venire poterat ut ad te mitterem quam hunc librum, in quo S. Paulini scripta continentur. Optima rerum (quantulæcunque sunt) mearum hic liber est, quem tibi etiam confido fore carissimum. Qui enim virtute omni præditus, pietatis maxime et religionis es amantissimus, in hisce scriptis tanti et tam antiqui præsulis virtutum omnium exempla, pietatis et religionis rectissimam normam cognosces. Probabunt interea legentes cæteri consilium meum, quod hæc opera nomini inscripserim tuo, illud animadvertentes, te quamdam S. Paulini earum auctoris referre speciem, si utriusque vitam, si studia, si laudes comparaverint. Romanæ reipublicæ senator ille et consul, humanarum et divinarum litterarum doctissimus, amplissimis honoribus posthabitis, ad sanctiorem vitam accedens, factus Nolanus episcopus Christianum orbem auxit scientia et exemplis. Tu non secus atque ille in Veneta republica, quæ cum Romana præclare certat, clarissima ex gente progenitus, inter cujus majores recensentur Gregorius pontifex ejus nominis XII; nec non Beriola egregia ac celebris illa femina laudati Gregorii soror eademque Eugenii IV mater et Pauli II avia, præter alios plures et cardinales eminentissimos et episcopos inclytos, aliosque belli togæque insignes imperatores, senatores, procuratores duces, quorum nomina in annalibus frequenter occurrunt: Tu, inquam, in tanta republica ex tam generosa stirpe progenitus, non secus ac Paulinus, immortalis ejusdem reipublicæ senator amplissimus, summus item armorum imperator, omnique præclarissimo munere terra mariqu functus, Patavina præfectura postremum egregie gesta, omnes tibi paratos honores contemnens, severissimum sanctioris vitæ institutum arripiens, te in Capucinorum ordinem recepisti. A quo tamen subinde eductus, ut Venetæ cathedræ præficereris, cui olim duo e tua familia percelebres insederant (nimirum Gregorius ipse XII cum Castellanus episcopus Venetiis præerat, ac Gregorius patriarcha qui laudato pontifici fuit fratris nepos), ita longe lateque tua virtutis lucem effundis, ut omnium animos rapias in admirationem tui. Non enim te a susceptæ disciplinæ sanctitate et rigore abduxit novus dignitatis honor, sed propositi tenax pro antiquo familiæ quam ingressus es more, parce ac duriter vitam agis. Eorum autem qui tuæ subjiciuntur curæ, invigilas moribus ac doctrinæ, ut nulla vitiorum labe, nullis errorum tenebris infirmentur. De pietate autem tua et caritate, qua egenorum necessitatibus promptissime subveniens, egregie sanctum Paulinum æmularis, quid multa dicam, cum palam sit omnibus quantum in his excellas et emices? Verum id non ago ut in te conferam laudes; non enim esset exigui operis. Sed pauca de judicio meo atque officio dicebam qui librum hunc tuo præclarissimo nomine ornatum voluerim, tibique dicaverim, ingenii tui humanitatem atque pietatem cognitam habens. Accipe igitur hilari vultu munusculum hoc nostrum, scriptoremque elegantissimum atque sanctissimum et ipse amare et aliis commendare velis. Vale felicitatem.

X cal. Jul. 1736, die festo S. Paulini.

PROLEGOMENA.

PRÆFATIO.

Sancti Pontii Meropii Paulini opera a nemine satis pro dignitate laudanda, qui in illo aut eloquentissimi scriptoris eruditionem et fidem, aut eximii vatis divinam mentem et intelligentiam suspiciat, ut lectoribus ego magnopere commendem, neque instituti mei ratio neque ipsa patitur sanctissimi auctoris præstantia : in quem præclarum illud elogium plurima jam diu sæcula, totque aliorum Patrum, et cumprimis Ambrosii, Hieronymi, Augustini testimonia consenserunt, summum in Ecclesia fuisse virum. At enim quod illa universa nunc primum collecta in publicum profero, si nihil aliud, hoc certe spero assecuturum me laudis, quod eorum hominum, quos sanctorum lectio Patrum delectat (quibus profecto omnis doctrina elegans, omnis antiquitatis memoria continetur) studiis consuluerim. Nam etsi haud multi faciendam sentio, quam in iis colligendis impendi operam, nec quod nonnulli nunc faciunt, ex pura putaque alienorum descriptione συνταγμάτων famam inter eruditos aucupor: video tamen quantum ex hac ipsa cura utilitatis et commodi ad rem Christianam sacrasque Litteras eveniat, quando eorum operum adornatur editio, quæ cum sui merito nullis ferme secunda sint, nondum tamen integra simulque numeris omnibus absoluta in vulgus prodierant, ut vetustiores omittam, deque una, quæ omnium postrema est, Parisiensi dicam, erat illa quidem celeberrimi presbyteri Joannis Baptistæ Le Brun studio sane perquam erudite ac diligenter concinnata, ad plurium manuscriptorum codicum exacta fidem, notis ac dissertationibus illustrata luculentissimis. Verum cum non una aut altera privata epistola, sed integra quatuor poemata, pars totius operis nobilissima, desiderarentur, quæ temporum infelicitate nondum in lucis conspectum venerant, aberat quoque illa a nativa sui integritate tantum, quantum illud ab humani corporis perfectione, cui ora manusve fuerint amputatæ ambæ. Contigit vero felicissimo veterum monimentorum indagatori atque interpreti cl. viro Ludovico Antonio Muratorio ipsa illa quatuor poemata ex Ambrosianæ, quæ Mediolani est, bibliothecæ mss. eruere, jacturamque illam eo graviorem, quod series natalium S. Felicis interciperetur, quæ singulari poemate celebrare Paulinus quotannis consueverat, resarcire. Cum tanti res esset, nec pati vir doctissimus posset, diutius monimenta illa tanto sacrarum ac politiorum litterarum impendio cum blatis conflictari, ac tineis, seorsim uno Anecdotorum tomo edidit. Ita demum, quod saltem hæc spectat Natalitia, salva res erat; verum quod hæc veluti disjecta membra ab reliquo corpore separarentur, in omnium votis erat, ut in unum coalescerent, essetque adeo ut aliorum Patrum, ita et Paulini operum absoluta editio. Et vero hæc est, ad quam contendimus utilitatem, hoc laboris nostri palmarium, studuisse ut et nova accederent recto quæque ordine, eorumque ipsa accessio altera donaretur prærogativa, ut novis curis ab ipso editore recognoscerentur. Quare convertimus nos ad cl. Muratorium, ipsumque enixe efflagitavimus, ut quas multis jam abhinc annis in ea poemata excuderat, dissertationes et notas recoleret, et si qua sibi vel uberius edisserenda, vel quoquo modo viderentur immutanda, edissereret, mutaretque, et in publicum, cujus maxime studiosus est, bonum conferret. Qui et benigne annuit ut est ad recta omnia et honesta studia promptissimus, suoque potissimum favore factum est, ut egregium hocce opus quanta licuit cura expolitum prodiret in publicum.

Jam qua id ratione sit præstitum, paucis commemorabo. Quæ tribus in quarto, ut vocant, tomis antea continebantur, hoc nos uno comprehendimus volumine; tribuimus autem in duas partes universa syntagmata, quarum altera quæ soluta oratione constant, altera quæ poeticis numeris, complexi sumus. His succedere jussimus appendicis loco post pauca quædam utriusque generis opuscula, quæ falso tamen Paulino ascribuntur, vetustiorum editorum notas, dissertationes et commentaria, quæ Parisiensis quam laudavimus postrema editio anni 1685 accuratissime repræsentat : curam nempe omnem, quam tres doctissimi e societate Jesu presbyteri, Andreas Schottus, Heribertus Rosweydus et Petrus Franciscus Chiffletius adhibuerunt, cum suam quisque spartam adornaret. Uno verbo eam ipsam editionem quæ auctore Brunio prodiit, perpetua ferme serie atque ordine sequi libuit, ad ejusque ingenium ea etiam quæ noviter accesserunt, digessimus. Quoniam vero id optare quispiam potuerat, ut quando hæc uno volumine complectebamur, quædam proposito magis accommodarentur, ne suo isto lector voto excideret, et frustratus videri posset, Vitam sancti auctoris scriptis ejus præposuimus, elenchos quoque, sive tabulas cum epistolarum, tum poematum, utrique parti præfiximus *, aliaque id genus præstitimus, ut nec minus elegantiæ satisfactum fuerit, nec aliquid utilitati detractum, aut legentium voluptati, dum omnia quæ ad scriptoris nostri commodiorem lectionem faciunt, uno tenore contextuque

* Nos omnes indices in unum corpus ad calcem hujus Patrologiæ tomi collegimus. Edit.

constant. Nihil enimvero in reliquis quanticunque studii licuit prætermissum, quod ad novam hanc editionem ex omnium votis ex animo cumulatissime instruendam ac numeris omnibus absolvendam pertineret, lectio ipsa magis quam verborum commendatio comprobabit. Magnum exinde fructum nobis A percepisse videbimur, si nostram industriam solidioris doctrinæ candidatis tum gratam cum utilem fuisse intellexerimus : pergemusque huc eniti ut quotannis aliquid ex labore nostro prodeat sacræ cum primis litteraturæ studiosis voluptatem cum utilitate conjunctam allaturum.

PRÆFATIO PARISIENSIS EDITIONIS.

Paulinum episcopum Nolanum et ipsius scripta quanti fecerint SS. Ecclesiæ Patres, multi norunt, omnes ex ipsorum elogiis infra describendis nosse possunt. Jam pridem viris doctis ægre erat tam depravata esse tanti viri opera, et ab aliquo medicam ipsis adhiberi manum vehementer optabant. Horum consiliis et auctoritatibus adducti ad ea primævo nitori restituenda animum adjecimus, corrogatis undequaque, tum ex Gallia tum ex vicinis regionibus, codicibus manuscriptis, quorum ope aucta et emendata sunt.

Prima eorum editio prodierat Lutetiæ Parisiorum anno 1516 typis Jodoci Badii Ascensii in multis lacera, in nonnullis mutila, ac etiam a censore ipso Badio depravata.

Secuta est editio secunda Henrici Gravii Dominicani, qui anno 1560 Coloniæ sub prelo Choliniano Paulini opera multis mendis repurgavit ex veteribus exemplaribus mss.

Inde tertia prodiit Basileæ an. 1569 inter orthodoxographos a Joanne Jacobo Grinæo collectos quæ videtur ex manuscriptis post priores editiones expressa.

Quartam cum ms. codice collatam intexuit Andreas Schottus Jesuita in Coloniensem Bibliothecæ Patrum editionem an. 1618, addito Epithalamio Juliani et Iæ nondum excuso.

Quintam et postremam editionem anno 1622 Antuerpiæ curavit, et typis Plantinianis commisit Heribertus Rosweydus soc. Jesu, vir pius et eruditus; sed tot occupationibus implicatus, ut, cum tempus non sufficeret, aliorum sæpe studiis uti cogeretur, et succedaneam duntaxat imponeret manum. Illam profecto editionem accuratam non existimavit ejusdem societatis Petrus Franciscus Chiffletius, qui ad novam S. Paulini operum editionem procurandam multa in medium protulit in suo *Paulino illustrato*, ex quo ut et ex recenti operum S. Augustini editione excerpsimus quæ ad rem nostram conducebant.

Ut autem intelligas, lector benevole, præstiti a nobis officii modum et rationes, pauca hic præfabor.

Ad castiganda Paulini opera complures manuscriptos codices per annos sex excussimus et accurate contulimus cum editis; ac viros eruditos, si quid obscurius et perplexius occurrebat, consuluimus; nec semper quod clarius esset aut elegantius prætulimus, sed quod germana Paulini dictio esse collatis aliis ejus operum locis videbatur.

Totum opus in duos tomos distinximus, quorum primus complectitur indubitata S. Paulini opera secundum ordinem temporum nunc primum disposita, B quem studio et consiliis doctissimi viri investigare sategimus. Nonnullas adjecimus epistolas, plures in duas divisimus secuti mss. codicum auctoritatem, ex duabus unam ex certis argumentis aliquando confecimus. Has inter ordine suo collocavimus unicum, qui nobis superest, S. Paulini sermonem de Gazophylacio.

Præterea rem gratam utilemque studiosis facturos nos arbitrati sumus, si his insereremus epistolas ad Paulinum vel scriptas vel rescriptas.

Deinde epistolarum argumenta male digesta et incomposita castigavimus, et sacræ Scripturæ loca Italico expressimus charactere.

Cæterum cum apud omnes constet SS. Patrum affectus et virtutes non alibi melius quam in epistolis C posse deprehendi, in Paulini litteris auctoris genium, eloquentiam, prudentiam, zelum, animi constantiam, veritatis ac pietatis amorem, Scripturæ sacræ studium, humanitatem, modestiam, humilitatem vere Christianam, caritatem maximam, nec non faciem et animum facile quivis intueri potest. In variis enim epistolis auctores sponte se ipsi produnt pinguntque nativis coloribus, quos natura, locus, occasio, argumenti genus, personæ, etiam a non cogitantibus exprimunt. Quod adeo verum, ut Paulinus, qui imaginem suam suo Severo postulanti denegaverat, se ipse tam egregie pinxerit in variis epistolarum suarum locis, ut facile nobis fuerit ex iis faciem ejus ad vivum repræsentare, epistolis scilicet 5, num. 4; 22, num. 2; 23, num. 10 et 23, et 40 num. 6, nonnihil etiam ad D picturam absolvendam juvante Uranio num. 5, 6 et 7, Fortunato lib. II de Vita S. Martini, et Rom. Subterr.

Epistolas excipiunt poemata innumeris mendis repurgata, versibus plurimis aucta, et argumentis illustrata. His plurima ecclesiasticæ disciplinæ, antiquitatis et historiæ monumenta continentur, nec non præcipua Evangelii præcepta et consilia.

Porro in omnibus Paulini operibus sectiones designavimus frequentes, affixis numericis notis, quo esset deinceps facilior Paulini usus, expeditiorque locorum inquisitio. Emendationum autem causas quibusdam notatiunculis in inferioribus marginibus exposuimus, in lateralibus voces nonnullas obscuriores; quæ vero addita sunt, duabus ansulis ( ) inclusimus.

In secundum tomum conjecta sunt opera tum du- A bia, tum suppositilia. His notas variorum subjecimus, in quarum fine cujusque auctoris nomen editum est, nostris vero hæc nota ¶ præfixa.

Sequuntur sanctissimi viri elogia ex variis scriptoribus ad mss. codices recognita, quæ locum parant Vitæ S. Paulini ex ipsius sancti et veterum scriptorum operibus recens concinnatæ.

Huic adjectæ sunt dissertationes septem, quarum prima epistolarum ordinem chronologicum astruit, secunda poematum. Tertia, quarta et quinta agunt de Sulpicio Severo, Alethio, Victricio et Apro, ad quos scripsit Paulinus; sexta de operibus S. Paulini amissis, dubiis et suppositiliis : septima vero de ejusdem sancti controversa captivitate fuse disserit.

Sequuntur variantes ex mss. et editis codicibus B lectiones, quas inter deprehendere est levioris momenti emendationes *.

Ne quid vero in postrema hac editione desideraretur, quindecim indices attexuimus. Primus novum huncce epistolarum ordinem cum hactenus vulgato comparatum exhibet. Secundus vulgatum prius ordinem continet, quatenus ad hunc novum reducitur. Tertius constat eorum nominibus alphabetico ordine digestis, ad quos Paulinus dedit epistolas, vel a quibus ipse vicissim accepit. Quartus vero exhibet epistolarum initia secundum alphabeti seriem disposita. Quatuor sequentes carmina eadem spectant ratione.

His octo adjecimus digestum ordine alphabetico syllabum et editorum et mss. Codicum, quorum ope Paulinum repurgavimus. Horum non mediocrem co- C piam humanissime pro more suo fecit nobis tum e sua insigni Bibliotheca, tum ex nonnullis aliis vir cl. Emericus Bigotius Rotomagensis, viris doctis satis notus. Apposuimus indices duos codicum ad quos singulæ epistolæ recognitæ sunt, et poemata quæque castigata.

Hos sequuntur alii indices duo locorum sacræ Scripturæ **, quæ explicantur, et singulari modo exprimuntur. His item accedit index vocum, quarum insolita significatio. Agmen claudet index rerum copiosissimus.

Tum ne quid difficultatis pariant variorum auctorum appositæ in marginibus citationes, te monitum volumus nos fuisse usos Ausonii editione Burdegalensi an. 1575 a Vineto procurata, S. Hieronymi Basileensi an. 1565, S. Augustini editione novissima, Sulpicii Severi Antuerpiana an. 1574, Gregorii Turonensis an. 1640 Parisiensi, S. Gregorii Magni item Paris. an. 1605, Conciliorum Binii et Annalium eccles. Baronii editione Coloniensi an. 1609.

In dictionibus e Græco derivatis Græcam usurpavimus orthographiam, in Latinis eam quam exhibent veteres mss. codices ***, dummodo in iis pronuntiandis nulla sit ab usu recepto dissonantia quæ aures offendat.

Nobis quidem fuisset in votis ut Pauliniana hæc opera manus elegantior retractasset, quo tanti viri dignitati ac meritis respondere potuisset laboris industria. Cum vero ad susceptum opus eruditorum virorum consiliis adducti simus, quibus non parere religio nobis fuisset, hoc unum nobis relinquitur, ut illud humanitati tuæ, lector carissime, commendemus et contendamus abs te supplicibus votis, ut si quæ ibi errata deprehenderis, non malæ menti, non incuriæ tribuas, sed infirmitatis humanæ vitio. Porro age nobiscum pariter, obsecro, ut huic operi benedictione cœlesti faveat Deus, illudque omnes quorum in manus pervenerit, digna Paulino veneratione tractent, et quam divinæ caritatis luce perfusum, præceptisque evangelicis et disciplina ecclesiastica refertum opus congrua pietate suscipiant.

* Has variantes quæ etiam ad Veronensis editionis calcem rejectæ fuerant, nos sub textum revocavimus. EDIT.

** His indicibus Scripturæ abstinebimus, ut qui postea in indice generali Scripturæ in universam Patrologiam exscribendi sint. EDIT.

*** Eam orthographiam nos quoque intactam servavimus. EDIT.

VITA SANCTI PAULINI

NOLANI EPISCOPI,

EX IPSIUS SCRIPTIS AC VETERUM MONUMENTIS CONCINNATA.

CAPUT PRIMUM.

S. Paulini ortus, familia et opes. De variis Paulinis.

1. Paulinus, qui et antiquis [a] Pontius, et mss. ac editis codicibus [b] Meropius, tot ac tantis laudibus in Ecclesia celebratus ex [c] illustrissima familia ortus est, ex [d] senatoribus scilicet tum paterno tum materno genere [e] Romanis. [f] Melaniæ seniori, cujus nobilitas D tam illustris Romæ habebatur, affinis erat; [g] Pneumatii quoque filio Celso, de cujus obitu suave et elegans Poema condidit.

2. Sub primis imperatoribus [h] plures exstitere Paulini; [i] Consules duo sub Constantino annis 325 et 334. Inter patricias familias, quæ primitus ab idolis ad Christum transierant, Paulinos recenset [j] Prudentius. Enim vero cum Paulini nostri fama jam

[a] Auson. ep. 23. [b] Paulin. ep. 40. [c] Ambros. ep. 30. [d] Uran. § 9. [e] Paulin. Chiffl. p. 131. [f] Paulin. ep. 29, n. 5. [g] Paulin. carm. 32, v. 622. [h] Auson. ep. 19. [i] Baron. an. 394, § 78. [j] Prud. Symm. p. 7.

per orbem esset vulgata, **2** [a] eum hoc familiæ elogio a Prudentio donatum merito adnotat cardinalis Baronius, qui ad Aniciam illustrem familiam Paulinum nostrum pertinere existimat; quia duobus [b] Paulinis sub Constantino consulibus fuit Anicii cognomen. Et quidem Paulinos Roma in Aquitaniam transmigrasse facile crediderim, cum S. *Paulinum* [c] *splendore generis in partibus Aquitaniæ nulli secundum* testetur Ambrosius. Etiamnum superest [d] Burdigalæ locus *Paulini Podium* dictus, qui hujusce familiæ domicilium olim fuisse creditur. Fuere præterea ex [e] Ausonii affinitate alii Paulini in Aquitania, inter quos fuit Ausonii nepos Paulinus, cujus poema quoddam 'Eucharisticon reperitur [f] : nec tamen Ausonius et Paulinus in litteris ad se invicem datis, ulla se dicunt affinitate devinctos. Nolæ [g] S. Paulino aderant ejusdem nominis alii duo, quorum unus presbyter, alter laicus, ut alias demonstrabitur. Eodem tempore vixit [h] Paulinus in inferiori Occitania [i] Biterrensis episcopus, **3** qui anno 419 scripsit epistolam quæ intercidit. Fuit insuper [j] Paulinus S. Ambrosii Mediolanensis episcopi discipulus, cujus vitam scripsit : ipso tunc diacono accusante, Cœlestius anno 411 in concilio Carthaginensi damnatus est. De alio item Paulino, qui scripsit quasdam homilias, meminit Gennadius : is, ex ordine Catalogi Gennadii, [k] videtur floruisse circa medium v seculi. Exeunte eodem seculo, vixit [l] Paulinus alter Petricordius, qui S. Martini Turonensis episcopi vitam carmine complexus est.

3. Paulinus noster [m] filius erat alterius Paulini, qui ad diuturnam ætatem vitam produxit, quem, verosimile est fuisse [n] Pontium Paulinum Burgi ad Garumnam conditorem, eumque Galliarum præfectum prætorio, qui posteritati liberos dimisit : quod Paulino nostro non convenit. Paulinus ille et sponsa Christianam religionem fuerant professi ; [o] siquidem Paulinus noster unum ex libertis suis Burdigalam misit, qui in domo Domini serviret, delegatis ad parentum memoriam obsequiis. S. Paulinus [p] sororem habuit, ad quam plures epistolas de contemtu mundi scripsit; et [q] fratrem, qui ante eum vita functus est liberos post se dimittens : a [r] Delphino Burdegalensi episcopo fuerat baptismo initiatus; verum non ea vixerat sanctitate, quam requirit Christiana religio, et præsentia, et caduca bona cœlestibus, et æternis præposuerat : quod in illius obitu Paulinum fratrem vehementer contristavit, qui ejus animam Delphini et Amandi precibus commendavit. Quidam Paulinum [s] Ebromagum patriam appellare autumant : quod non satis constat. Is igitur [t] Burdigalæ natus est anno Domini [u] 353 ex Chiffletii rationibus et argumentis, licet anno 354 eum natum fuisse dicat. [v] Patrimonium ei peramplum ingentiaque prædia fuere, tum *præsidio domorum*, tum servorum numero, tum eorum qui illum ut patronum colebant. Quæ fuerint ejus prædia ex Ausonii [x] verbis facile est conjicere, quia secessu Hispanico Paulinum revocans, ait :

> Ne raptum sparsamque domum, laceralaque centum
> Per dominos veteris Paulini regna fleamus.

4. In seculo agens Paulinus quoddam oppidum e dominio suo incolebat dictum [y] Ebromanum, seu [z] Ebromagum : quod unum est. Vinetus et Fronto Ducæus ex illa regione oriundi hunc locum [aa] infra Blaviam, quatuor leucis Vasconensibus distantem, infra Burgum proprium olim Paulinorum dominium, in ripa Garumnæ situm vicum nomine *Embrau*, seu *Brau*, veterem Ebromagum esse, suspicantur. At vox *Burgus*, qua donatus est locus ille, post annos quinquaginta cum ad Ebromagum nullo modo accedat, plane diversa mihi videtur civitas Burgus ab Ebromago. *Brau* enim, procul dubio, idem est oppidum, quod geographus [bb] Samso *Braux* in Votreziaco apud Santones vocat, et a Garumna leuca una dissitum scribit; cum Ebromagus olim navigio appelleretur, teste [cc] Ausonio : *Adusque vectus Ebromanum tuam*. Hac fultus ratione Samso Ebromagum non *Brau* sed *Burgum* esse contendit. Nihil tamen obstat quin fluvii alveus huic oppido vicinior olim fuerit. Regionem autem, quam incultam et ingratam dicit; nemo mirabitur, profusis procerum sumtibus, olim ornatam, a duodecim seculis neglectam, antiquum amisisse decorem. Veteres itinerarii [dd] Ebromagum circa Carcassonem collocant, quam ab Ebromago Paulini **4** plane diversam sentio. [ee] Alingonum quoque, de quo pluries in Paulini epistolis occurrit mentio, ex illius dominio fuisse videtur : hodie [ff] Lengonem vocant urbem ad Garumnam in pago Vasatensi sitam ; quamvis enim ad diœcesim Vasatensis episcopi pertineat, non autem Burdegalensis archiepiscopi, cujus tunc temporis fuisse videtur, ex dono S. Paulini ante annum 670 erat canonicorum ecclesiæ S. Severini Burdegalensis. [gg] Narbone in Galliis Paulinus possessiones habuisse videtur, sicut et [hh] Fundis in Latio, hodie in terra *di Laboro*.

CAPUT II.

De Paulini studiis et eruditione. De Ausonio illius præceptore.

1. Ex his quæ supersunt Paulini monumentis genium ejus cognoscere facile est. Hunc [ii] Ambrosius et [jj] Hieronymus summis laudibus attollunt. Libera-

[a] Baron. an. 394, § 79. [b] Ibid. [c] Ambr. ep. 30. [d] Auson. Not. Vinet., p. 465. [e] Ibid., p. 128, 129. [f] Vide Bellarm. lib. de Script. eccles. ad an. 420, observat. 3. [g] August. epist. 149, n. 34. [h] Idat. Chronic. [i] Gallice *de Beziers*. [j] Ambros. Vit., et August. epist. 175, et Mar. Mercat. Commonit., c. 1. Vide Baron. an. 418, n. 12 et seqq. [k] Gennad. Catal. c. 68. [l] Vide Dissert. 6 in oper. dub. [m] Auson. ep. 23 et 20. [n] Sidon. Apoll. carm. 22. [o] Paulin. ep. 12, n. 12. [p] Gennad. Cat. c. 48. [q] Auson. ep. 23. [r] Paulin. ep. 35 et 36, n. 2. [s] Sacchin. Vit. S. Paulin. et ep. 11, n. 14. [t] Uran. § 1. [u] Paulin. Chiffl. p. 130. Vide infra c. 23. [v] Greg. Tur. Confess. c. 107. Vit. Mart. 2, t. VIII. Sulp. Vit. Mart. c. 26. Aug. Civit. l. x. Eucher. ep. ad Valerian. [x] Auson. ep. 23. [y] Ibid., ep. 21 et 22. [z] Paulin. ep. 11, n. 14. [aa] Vide not. 30 in Paulin. [bb] Samso. B. p. 265. [cc] Auson. ep. 22. [dd] Vide not. 30 in Paulin. [ee] Paulin. ep. 20, n. 3, et 12, n. 12. [ff] Vide not. 65 in Paulin. Samso. A. p. 64. [gg] Paulin. ep. 5, n. 22. [hh] Ep. 32, n. 17. [ii] Ambros. ep. 30. [jj] Hieron. ep. 13.

lium [a] artium fuit summopere studiosus, omni eloquentia excultus, poetica et oratoria facundia excellens. [b] *Sapientiam mundi*, inquit ipse Paulinus, *hucusque miratus sum, et per inutiles litteras, reprobatamque prudentiam Deo stultus et mutus fui...* [c] *quondam in litteris humanarum fabularum loquax*.

2. Egregium in litteris [d] magistrum nactus est Decium Magnum Ausonium, poetica et oratoria facultate inclytum inter ejus ævi primos : cui, cum diu grammaticam et rhetoricam fuisset professus, imperator Gratianus instituendus regendusque traditus est, [e] a quo postea ad amplissimos dignitatum gradus evectus est Ausonius, præfectus Galliarum et Italiæ prætorio, et anno 379 creatus consul ordinarius. Ex carminibus Christianum fuisse Ausonium liquet omnino, et inter [f] villæ suæ commoda ecclesiæ proximitatem enuntiat. At pleraque ejus [g] carmina, quibus Paulinum nostrum a sancto vitæ proposito divertere conatus est, magis ethnico digna sunt quam Christiano. Is [h] veteris Paulini patris necessitudine et amore compulsus, ita erudiendum educandumque nobilem puerum suscepit, ut sedulitate industriaque præceptoris humanitate ac pietate patris docuerit formaritque; nec aliter eum postea, quam [i] filium consueverit appellare, seque parentem ejus et altorem dicere. Paulinus vero pro sua parte omnia Ausonio debere fatetur :

Tibi disciplinas, dignitatem, litteras,
Linguæ, togæ, famæ decus,
Provectus, altus, institutus debeo,
Patroue, præceptor, pater [j].

Sed et [k] omnia sua, bonos mores et studia, ex Ausonii fontibus orta alibi ultro confitetur.

3. Quamvis opera Paulini quæ præ manibus habemus ejus eruditionis sint præclara monumenta; illius tamen de Eleemosyna seu [l] de Gazophylacio homilia Paulininiani styli suavitatem magis arguit, quod compositio adstricta sit, et solitam in epistolis verborum copiam et rapiditatem coerceat. Eximiam illius [m] *eloquentiam, nobilitatem et indolem* summopere commendat S. Ambrosius. Idatius in Chronico eum *nobilissimum et eloquentissimum* dicit, et [n] S. Eucherius *uberrimum eloquentiæ fontem*. Sed instar omnium S. [o] Hieronymi elogium est; sic enim ad ipsum aliquandiu post Nolanum secessum scribit : *Librum tuum, quem pro Theodosio principe prudenter ornateque compositum transmisisti,* 5 *libenter legi, et præcipue mihi in eo subdivisio placuit. Cumque in primis partibus vincas alios, in penultimis teipsum superas; sed et ipsum genus eloquii pressum est et nitidum, et cum Tulliana luceat puritate, crebrum est in sententiis. Jacet enim, ut ait quidam, oratio in qua tantum verba laudantur. Præterea magna est rerum consequentia, et alterum pendet ex altero. Quidquid inde assumseris, vel finis superiorum, vel initium sequentium est. Felix Theodosius,*

A *qui a tali Christi oratore defenditur. Illustrasti purpuras ejus, et utilitatem legum futuris seculis consecrasti; macte virtute, qui talia habes rudimenta, qualis exercitatus miles eris!* In ipso nihil desiderari testatur si interior accedat divinarum scientia litterarum. [p] *Si haberes*, inquit, *hoc fundamentum, immo si quasi extrema manus operi tuo induceretur, nihil pulcrius, nihil doctius, nihil dulcius, nihilque Latinius tuis haberemus voluminibus.* Cumque enumerasset scriptorum Ecclesiæ Latinorum prima lumina, Tertullianum, Lactantium, Victorinum, Arnobium, Hilarium, Cyprianum, ostendissetque singulis ad perfectionem aliquid deesse, addit : *Ad te ipsum veniam, et precabor ne assentationem in necessitudine suspiceris; quin potius vel errare me existimato, vel amore labi, quam* B *amicum adulatione decipere. Magnum habes ingenium et infinitam sermonis supellectilem, et facile loqueris et pure, facilitasque ipsa et puritas prudentia mixta est : capite quippe sano omnes sensus vigent. Huic prudentiæ et eloquentiæ si accederet studium vel intelligentia Scripturarum, viderem te brevi arcem tenere nostrorum.* Etiam [q] alibi commendat ejus *eloquii venustatem* et in litteris seculi eruditionem. Paulinum [r] *Ciceronem Christianum* vocat Erasmus. In litteris Paulini [s] eruditionem laudat Ausonius; sed poeticam illius venam mirum in modum extollit, cum quoddam poema a Paulino [t] prædicat scriptum *tanta elegantia, ut solus videretur assecutus quod contra rerum naturam est, brevitas ut obscura non esset. Hæc tu quam perite,* inquit, *et concinne, quam modulate et dulciter! Jam* C *quid de eloquentia dicam? Liquido adjurare possum nullum tibi ad poeticam facundiam Romanæ juventutis æquari. Certe mihi ita videris. Si erro, pater sum... Verum cum pie diligam, sincere et severe judico.* Laudat præterea in carminibus illius *vegetam et sublimem alacritatem*, et dicit eum sic summa appetere, ut non decidat. Discipulum sibi palmam poeticam præripuisse [u] alibi fatetur. Alia vero epistola, scilicet 21, de alio poemate idem Ausonius [v] ait : *Illud de poematis jucunditate, de inventione et continuatione, juro omnia nulli unquam imitabile futurum, etsi fateantur imitandum.* Hæc poemata nulli imitabilia perierunt. Haud dubie [x] Paulini natura et vena lenior ac suavior, itemque magnificentior erat, cui, ut idem testis est Ausonius [y], *mellea quædam inerat modulatio*, etc. D Nec vero poetæ florentis facultas existimanda est ex his quæ exstant carminibus ex evangelica simplicitate conditis post [z] abdicatas Musas : sed cogitandum, hæc ipsa cum tamen talia sint, profecto dum ferveret ambitio, dum placendi studium et cupido famæ stimularent atque exacuerent curam, simulque hinc alti vigor ingenii dictionem attolleret, exstitisse aliquid valde perfectum, quod merito et doctis et multitudini placeret.

4. In seculo adhuc agens tres Suetonii libros, quos

[a] Paulin. ep. 8, n. 3, et carm. 10, v. 23. [b] Ep. 4, n. 2. [c] Ep. 40, n. 6. [d] Auson. ep. 21 et 24. [e] Vit. p. 1. [f] Auson. ep. 23. [g] Baron. an. 394, § 84, 85. [h] Auson. ep. 23 et 24. [i] Ep. 24. [j] Paulin. carm. 10, v. 93. [k] Ibid., v. 148. [l] Paulin. 34 inter epist. [m] Ambros. ep. 30. [n] Eucher. ep. ad Valerian. [o] Hieron. ep. 13. [p] Ibid. [q] Hieron. ep. 103 et 153. [r] Erasm. Not. in Hier., pag. 107. [s] Auson. ep. 19 et 21. [t] Aus. ep. 19. [u] Aus. ep. 20. [v] Aus. ep. 21. [x] Sacchin. Vit. Paulin. p. 656 edit. Rosw. [y] Auson. ep. 19. [z] Paulin, carm. 10, v. 19.

ille de regibus dedit, in [a] Epitomen redegit et jucundissimum poema composuit. Intercidit autem illud Suetonii Tranquilli 6 opus de regibus, unaque cum eo Paulini Epitome, si Pauliniani carminis paucos versus exceperis, quos Ausonius in epistola 19 ad eumdem laudat et mirifice extollit. Ausonio insuper miserat poema [b] aliud castigandum, quod se facturum recepit, *quamvis*, inquit, *per te manus summa contigerit*. Ausonius vicissim carmen arte sua compositum heroico metro ad eum misit.

5. Historiarum [c] parum studiosus fuit indagator Paulinus; etenim in tempore veteri quo videbatur legere non legenda, ab historicis scriptoribus peregrinatus est. [d] Geographiam ignorasse inde manifestum est, quod Nicetæ Nola Scupos in Dardaniam redeunti per Tomitanam urbem in Scythia iter dirigat. Si Hieronymo [e] credimus, Græcæ linguæ peritus fuit : verum econtra Paulinus [f] hunc sermonem sibi ignotum dicit. [g] Ibidem tamen fatetur S. Clementis opera a se fuisse in Latinum sermonem translata, sed non sine mendis : itaque eum in Græcis litteris mediocriter instructum fuisse dicamus.

CAPUT III.

Therasiam in matrimonium ducit Paulinus. Consulatu et amplissimis honoribus decoratur. Cum plurimis amicitiam constituit.

1. Paulinus [h] Therasiam similem sibi sortitus est conjugem, quæ ingentia ei contulit prædia. [i] Virtuti et studio ejus proxime accessit, neque a viri proposito de fugiendo seculo discrepans, transcriptis in aliorum jura suis prædiis, virum in Nolæ secessum fortiter secuta est; et exiguo illic contenta cespite, solabatur sese caritatis, simplicitatis et religionis obsequiis. Sicque conjux, non ut Eva quondam [j] dux ad mollitiem viro suo, sed ad fortitudinem redux in ossa viri sui, cordis et voluntatis unitate redacta et reddita, spiritualibus ei tanto firmioribus, quanto castioribus nexibus copulata, illius in Deum amoris sanctissimi facta est particeps; ita ut in uno matrimonio sexus uterque calcandæ superbiæ secularis, et non desperandæ Christianæ perfectionis exempla inveniret. Hieronymus [k] Therasiam *sanctam Paulini sororem* vocat, eo sane quod cum eo in solitudine continentem ageret vitam. Studiose admodum S. Hieronymi consiliis illa paruit, matronarum declinans consortia; et inter gemmas circumsedentium feminarum et sericas vestes, pauperes induisse cultus nusquam erubuit; tum quia nobilium feminarum contubernia fugiebat, tum quia alterum propositi pœnitentiam, alterum jactantiæ et superbiæ seminarium esse probe sciebat. Eapropter Paulinus [l] etiam ad episcopos scribens ejus nomen in epistolarum titulis inscribebat, et ex sua parte [m] episcopi rescri-

A bentes usque ad annum 408 aut 409 Therasiam et Paulinum salutabant. Jam vero ad virtutem, et a seculo ad Deum conversionem Paulino fuisse [n] adjumento Therasiam conjugem ex gloriosa Ausonii contumelia conjicere est; qui Paulinum carpens tamquam in amicitia parum constantem, causam in eam velut abducentem confert [o] *Tanaquilam* appellans, quæ 7 sapientia et religionum peritia sese præferret, imperitaretque viro, et eam ob rem timeretur a Paulino; sic enim latrat :

> Si prodi, Pauline, times, nostræque vereris
> Crimen amicitiæ : Tanaquil tua nesciat istud [p].

At Paulinus conjugem suam non *Tanaquilam*, sed *Lucretiam* esse [q] rescribit. Et sane divina illius matronæ sapientia et virilis constantia inde fit manifesta,
B quod in pauperem ac duram vitam viro alacriter consensit, et quidquid sive dotalium sive aliarum habuit facultatum vendidit, et in egentes pretium erogavit. Nomine Therasiæ ad Bassulam Severi socrum particulam de ligno divinæ crucis misit [r] Paulinus, quam Melania ab Hierusalem anno 402 attulerat. Quædam occasio Therasiam viro minus fidelem demonstravit, [s] si Gregorio Turonensi sit habenda fides, quia [t] Idatius, qui demortui Honorii anno 423 illam etiamnum vitam agere supponit, eam meritis et pietate a viro non discedere ibidem docet. [u] Anno 426 vita functam ex infra allatis patebit. Post [v] longa vota soboles tandem virilis illis in Hispania agentibus obtigit; sed vitalis non fuit, sub octavum enim ab ortu diem raptus puer vitam expedivit, et Compluti sepultus est.
C An alios filios procrearint non compertum.

2. Paulinus primo in [x] fori strepitu et secularibus rebus occupatus a primis annis amplissimos dignitatis et honoris gradus adeptus est. [y] Anno 372 Novæ Epiro seu Albaniæ præfectus fuit quidam Paulinus : si noster novemdecim, aut ad summum viginti annos erat natus. [z] Ante Ausonium eum consulem fuisse constat, id est ante annum 379. At cum illius consulatus in Fastis inscriptus non habeatur, [aa] eum Valenti anno 378 vita functo, aut cuipiam alteri consuli suffectum dicere necesse est, non autem ordinarium. Quod enim Ausonius [bb] nomen Paulini Fastorum titulo honoratum dixerit, nemo miretur : suffectos siquidem ordinariis consules in fastis scribi in usu fuit, cujus exempla supersunt : quod [cc] Baronium
D profecto movere non debuit, ut consulem ordinarium anno 375 eum assereret, cum ipsomet anno, Hieronymo [dd] teste, nullus creatus sit consul : idque Baronius [ee] ibidem asserit et negat. [ff] Anno 380 Paulinum Romæ præfectum legimus : [gg] quod de nostro interpretari pronum est. *Veterum* ejus *honorum largitorem* se dicit [hh] Ausonius, cujus apud imperatorem Gratia-

[a] Auson. ep. 19. [b] Ibid. [c] Paulin. ep. 28, n. 5. [d] Paulin. carm. 17, v. 193. [e] Hieron. ep. 153. [f] Paulin. ep. 46, n. 2. [g] Ibid. [h] Greg. Tur. de gl. Confes., c. 107. [i] Ambros. ep. 30. [j] August. ep. 27, n. 2. [k] Hieron. ep. 13. [l] Paulin. ep. 3, 4, 6, 7, 26, 39, 40, 43, 44, 45. [m] August. 31, 95. [n] Sach. Vit. Paulin., p. 662. [o] Auson. ep. 24. [p] Ibid. [q] Paulin. carm. 10, v. 192. [r] Ep. 31, n. 1. [s] *Vide* infra cap. 8, n. 2. [t] Idat. Chronic. [u] *Vide* cap. 52, n. 2. [v] Paulin. carm. 32, v. 600 et seqq. [x] Paulin. ep. 5, n. 4. [y] Cod. Theod. Gothofred. t. V, p. 365, 366. [z] Auson. ep. 20, 23, 25. [aa] Paulin. Chiffl. p. 131 et 136. [bb] Auson. ep. 20. [cc] Baron. an. 394, § 81. [dd] Hieron. Chron. [ee] Baron. an. 375, § 1. [ff] Cod. t. V, p. 365, 366. [gg] Baron. an. 394, § 82; et Chiffl. p. 131. [hh] Aus. ep. 21 et 24.

num magnam fuisse gratiam atque autoritatem ex eo A constat quod eum docuerit et educarit. Paulinus [a] vero honores et dignitates Ausonio se debere ultro fatetur; quem [b] et amasse, et coluisse, et colere, et cum quo se æterno fœdere junctum contestatur.

3. Nec solum cum Ausonio, sed et [c] cum plurimis in seculo amicitia conjunctus est, in quorum numero fuit imprimis Sulpicius Severus, de quo alibi fusius. In [d] infideli via fideliter et mutuo se dilexerant, et tam religiosus erat utriusque amor, ut ad eorum dilectionem nulla adjici posset affectio, nisi caritas Christi, quæ sola omnem sensum affectumque supereminet. In seculo etiam [e] Sanctum noverat Paulinus ac dilexerat; et ex tunc processerat ejus quæ cum Jovio et Apro intervenit necessitudo.

CAPUT IV.

Quomodo in seculo conversatus Paulinus. Variis laboribus et ærumnis, S. Felicis quoque et aliorum sanctorum precibus ad Deum convertitur.

8 1. Non mirum si vir adeo mirabilis, tam eruditus, tam dives, tot dignitatibus honoratus, tam egregia indole præditus, perindeque amabilis, tot ac tantis assectatorum turbis coleretur, tantum apud proceres existimationis, apud multitudinem favoris ac plausus haberet. Hæc enim [f] prudentia, hæc honestas morum, illa eloquii venustas, et amicitiæ fides in eo paulo post conversionem laudata, jam ante inerant. Inde [g] Ausonius animi illius celsitudinem laudat et liberalitatem, qua mallet amicis gratificari quam genio indulgere suo, et [h] inveteratæ ac mutuæ dilectionis suavitatem, et consummatæ amicitiæ spe- C cimen in eo commendat. Mitis [i] fuit et benignus, etiam cum in superbia seculi versaretur. Singularem hanc humanitatem suavissimosque mores spirant illius epistolæ. Se in seculo [j] bene moratum ab hominibus habitum innuere videtur. Et quidem si crimen aliquod in vita admisisset, sæpe sæpius lugens commemorasset in scriptis suis, in quibus tot exstant ejus humilitatis argumenta. Consumtam in peccatis ætatem, et in seculo se volutatum dolet, in quo inter inimicos, ut [k] ait, inveteraverat, ac sub [l] magno honore peccatorem etiamque veteranum se in numero peccatorum, in [m] fluctibus seculi se multa subiisse naufragia gemens fatetur, et Dei judicia tremens formidat; [n] in infideli via ambulasse, [o] mortis pabula vixisse, et stulta Deo sapuisse ingemit et ex his grandem D captat humilitatis materiam. *Veteranus* [p], inquit, *in numero peccatorum, sapientiam mundi miser hucusque miratus sum, et per inutiles litteras reprobatamque prudentiam Deo stultus et mutus fui.* At nihil sceleris nominatim designat. Itaque illum in seculo eam traduxisse vitam credere par est, qua vivunt tot mortales, qui irreprehensibiles sese existimantes, de salute quidem sua minime dubitant, quod eos sensibilia et graviora scelera non arguant nec deprimant. Sed ea quæ Paulino lux Dei affulgebat, qua tam humiliter de se sentiret, aliud revelabat. Seculum dilexerat, satis erat ei ut usque ad ultimum vitæ spiritum lugeret: quod soli Deo debitum tradiderat diabolo, cujus servitutem declinare ex seipso non valebat. Et [q] tanta fortunæ commoda et humanæ prosperitatis blandimenta, quo majora ac plura erant, eo fortioribus atque tenacioribus illum sibi devinctum catenis seculi vanitas detinebat. Hæc tamen vincula, Christo juvante, disrupit; et inde Christi gloria tanto illustrius triumphavit, ejusdemque vis gratiæ potentior apparuit, cum tantus senator universa illa quæ alii ut supremum spectabant bonum, pro detrimento duxit, et arbitratus est ut stercora, quo Christum lucrifa- B ceret.

2. Cum ærumnis sæpe Deus soleat gratiæ suæ efficaciam et virtutem obtegere, his mediis usus est, ut Paulinum ad se converteret. Is enim, ut ipse [r] testatur, in laboribus et **9** ærumnis fuit frequenter exercitus. Et forte, Gratiano vita functo, multas peregrinationes suscipiendi necessitas ei fuit, ut rerum inquietantium malitiam declinaret, quibus ut videtur, anno 387 ad Valentiniani aulam accedere compulsus est, cum Alypio fuerit eo tempore cognitus, quo [s] Mediolani baptismo initiatus est Alypius. Fundis [t] diu commoratus fuit Paulinus, quod oppidum sibi familiare et usitatius habuit. Curis seculi adhuc implicitus Viennæ [u] SS. episcopos Martinum Turonensem et Victricium Rotomagensem vidit. Labores multos [v] terra marique expertus, facilius [x] procliviusque ad contemtum mundi comitatumque Christi, subducto a secularibus turbis animo præceptisque cœlestibus accommodato, quasi de finitima huic proposito via demigravit. Præterea [y] corpus infirmius et decoctior caro obterebat studia voluptatum. Illius uxor, ut [z] superius diximus, ad pietatem eum hortabatur.

3. Ad hæc adfuit illi sanctorum, quorum consuetudine utebatur, ingens numerus: inter quos S. Ambrosius [aa], cujus dilectione ad fidem nutritus est et fotus, quem *suspiciendum patrem* et omnis boni sui meriti *autorem* appellat. Cum S. Delphino Burdegalensi episcopo, a quo Burdigalæ baptizatus est, et cum ipsius Delphini successore S. Amando, a quo salubribus religionis Christianæ disciplinis fuerat informatus, adhuc in seculo agens singulari amicitia junctus erat Paulinus, ut ex aliis patebit. S. Martinum [bb] *beatum patrem* nominat, et ubique de eo honorifice scripsit, et summos eidem detulit honores: a quo [cc] se amatum commemorat et lætatur. Et profecto Paulinum singulari veneratione eum prosequi par erat; cum enim [dd] oculo graviter doleret Paulinus, et jam pupillam ejus crassior nubes superducta texisset, oculum ei Martinus peniculo contigit, pristinamque

[a] Paulin. carm. 10, v. 9. [b] Carm. 11. [c] Paulin. ep. 11, n. 5 et n. 1. [d] Ibid., n. 5. [e] Ep. 40, n. 2. [f] Hieron. ep. 103. [g] Auson. ep. 21. [h] Auson. ep. 23. [i] Uran. § 5. [j] Paulin. carm. 10, v. 133. [k] Ep. 40, n. 6. [l] Ep. 4, n. 2, et ep. 27, n. 3. [m] Ep. 4, n. 4. [n] Ep. 11, n. 5. [o] Carm. 10, v. 135. [p] Ep. 4, n. 2. [q] Sachin. Vit. Paulin., p. 660. [r] Paulin. ep. 5, n. 4. [s] Ep. 3, n. 4. [t] Ep. 32, n. 17. [u] Ep. 18, n. 9. [v] Carm. 13, v. 10. [x] Ep. 5, n. 4. [y] Ibid. [z] Cap. 3, n. 1. [aa] Ep. 3, n. 4. [bb] Ep. 18, n. 9. [cc] Ep. 32, v. 33. [dd] Sulpic. Vit. Mart. c. 21.

illi sanitatem, sublato omni dolore, restituit. Evangelicæ paupertatis tam illustre exemplum nondum dederat Paulinus, quod cum rescivisset [a] Martinus tantopere commendavit. Ubi terrarum illud miraculum evenerit, non compertum est. Viennæ Martinum et Victricium vidisse Paulinum abunde constat, et [b] superius demonstravimus. Jam tunc ex gloriosissimo [c] Confessore episcopus fuerat effectus Victricius: quapropter gaudebat Paulinus quod hoc saltem gloriari sibi liceret, quia faciem illius in carne vidisset; aliunde vero lugebat infelicitatis suæ negligentiam, quod occasionem tanti boni ignarus amisisset, contenebrantibus eum, ut ait, illo tempore non solum peccatis quibus premebatur, sed et curis seculi: quanta tamen licuit copia eum veneratus est, et se ac suos in æternum precibus ejus commendavit.

4. At præcipuum habuit patronum S. Felicem Nolanæ Ecclesiæ presbyterum, qui temporibus Decii glorioso confessoris titulo illustris effectus, multo illustrior erat miraculis, quæ ad ejus tumulum creberrime fiebant, et cujus nomen in Ecclesia latissime celebrabatur: nec tamen hodie nisi ex ipsius S. Paulini scriptis innotescit. [d] Hujusce sancti servitio jam a primis annis se a Christo mancipatum dicit Paulinus: unde conjecturæ locus est illum extunc Christo nomen dedisse, id est ab infantia, si his vocibus, *primis ab annis*, id voluit designare. Quod profecto non a veritate alienum quis **10** suspicabitur, si ejus [e] parentes Christianos fuisse meminerit: quos in catechumenorum numero adscribi Paulinum curavisse, omnino probabile est. Posset tamen et ad illud referri quod dicit, nempe anno 394 [f] ante quindecim annos, id est circa vigesimum septimum ætatis annum, Christi autem 379, cum Nolam ad tumulum S. Felicis accessisset, se in omnibus terra marique toleratis laboribus, cor et vota dicavisse; at nusquam per id tempus [g] Paulino licuit illius sancti celebrare Nolæ festum diem 14 Januarii, et pia coram reddere vota: in agro enim [h] ad quingentos ab urbe Nola passus ossa beati Felicis quiescebant hodieque servantur. Hisce quindecim annis [i] diversas peregrinationes suscepit Paulinus, variis ærumnis confectus est, et vocatus in pericula multa.

CAPUT V.

In Hispaniam secedit Paulinus, ut mundo abrenuntiet. Quo tempore fuerit baptismo initiatus.

1. Tandem [j] *ut a calumniis et peregrinationibus requiem capere visus est, nec rebus publicis occupatus, et a fori strepitu remotus, ruris otium, et Ecclesiæ cultum, placita in secretis domesticis tranquillitate, celebravit: ut paulatim subducto a secularibus turbis animo præceptisque cœlestibus accommodato, proclivius ad contemtum mundi comitatumque Christi, jam quasi de finitima huic proposito via demigravit.* [k] Primus Pau-

A lini secessus in Hispania contigisse videtur, ubi quatuor saltem annos transegit [l] usque ad vernum tempus anni 394 sicque illuc accessisse anno 389 aut 390.

2. Hucusque de Paulini baptismo nullam fecimus mentionem, quia nihil de illius ætate constat. A Delphino [m] Burdegalensi episcopo baptismo initiatus est Burdigalæ; nec solummodo salutis sacramentum ab eo se recepisse insinuat [n] Paulinus, sed et *patris, et Petri*, et piscatoris munere functum Delphinum prædicat, [o] *qui miserit hamum, ut de profundis et amaris hujus seculi fluctibus ipsum extraheret, ut captura salutis efficeretur; et cui vivebat, naturæ moreretur, ut cui mortuus erat, viveret Domino*. Hæc quidem verba Paulinum cum sacramento Baptismi gratia et effectu donatum satis aperte indicant, et sub idem, quo renatus est,
B tempus eum seculo renuntiasse; sicque paulo ante secessum in Hispaniam per vitales undas renatum admodum probabile est. At si omnia peccata sua in Baptismo absorpta credidisset, cur in scriptis suis tam sæpe de peccatis et præterita in seculo vita sermonem haberet? Cum autem mutatorum in melius morum rationes Ausonio expendit, sanctioris vitæ institutum baptismo non tribuit. Idcirco [p] Chiffletius eum jam divina ablutione renovatum ponit anno 379 seu 380, cum S. Felici se totum dicavit. Nec quis objiciat hoc posito peccata a Baptismo suscepto admissa illum a presbyteratus seu episcopatus gradu reddidisse alienum, siquidem aliqua eum canonica culpa irretitum nullibi reperire est, et quadriennali secessu et honorum abdicatione profa-
C nam et secularem vitam eum piasse nemo negabit. Utut sit, Paulinum jam ante Baptismo initiatum, quam in Hispaniam recederet, perinde **11** constat, quod ibidem quatuor annos commoratus absens a patria, hoc quadriennio prædia vendidit, et bona pauperibus erogavit, atque evangelicam paupertatem professus est: quod in Hispania factum negabit nullus. Nec facile quis sibi suadebit hæc eum fecisse antequam spiritali lavacro fuerit innovatus: et quod asserit se a Delphino [q] *de amaris hujus seculi fluctibus extractum*, haud parum repugnat. Hoc quadriennio Barcinone ad Ausonium scripsit, et ibidem laicus, et postea [r] presbyter creatus ad Sulpicium Severum binas epistolas dedit. Prima intercidit: in altera admonet ne prophanis velit suscepti instituti rationem
D reddere, eum ad constantiam hortatur ad seque invitat. Nullus igitur conjecturæ locus eum, abdicatis bonis et dignitatibus, Burdegalam patriam suam accessisse, antequam presbyteratu fuerit initiatus. Paulini [s] frater a Delphino pariter baptizatus fuerat, ut et ipse Paulinus qui extunc sanctissimum episcopum Delphinum [t] *dominum et patrem* summa cum laude et reverentia nominat. In datis ad eum [u] epistolis filii erga parentem pietas et reverentia ita elucent,

[a] Sulpic. Vit. Mart. c. 26. [b] N. 2. [c] Paulin. ep. 8, n. 9. [d] Carm. 29, v. 5. [e] Vid. supra cap. 1, n. 3. [f] Paulin. mart. 13, v. 7. [g] Carm. 12, v. 13. [h] Sacch. Vit. Paulin. p. 681. [i] Paulin. carm. 13, v. 10. [j] Paulin. ep. 5, n. 4. [k] Sacch. Vit. Paulin. p. 167 et 677. [l] Chiffl. p. 163, n. 4. [m] Paulin. ep. 3, n. 4; et 10, n. 1. [n] Ep. 20, n. 6. [o] Ibid. [p] Chiffl. p. 140. [q] Ep. 20, n. 6. [r] Ep. 1, n. 10; Paulin. ep. 1, n. 10, et n. 2 et seqq. [s] Ep. 35. [t] Ep. 17, n. 3. [u] Ep. 19, n. 1.

ut nihil gratius, nihil modestius possit excogitari. De Amando et per Amandum [a] se in Christo natum recognoscit; illiusque opprobrium futurum, si tanto patre sit indignus; aut gaudium, si ex fructibus bonis ejus arboris ramus esse noscatur; illius [b] fidei interventu, per gratiæ baptismalis sacramentum, Dominum in naviculam cordis sui fuisse impositum, et se ejus in Christo plantationem dicit. Unde colligere est [c] Amandum tunc temporis fuisse Burdegalensis Ecclesiæ presbyterum, nec mediocrem ei deberi conversionis Paulini gratiam, cum eum Christianæ religionis elementis imbuerit, et forsan de sacro fonte levaverit.

CAPUT VI.

Quomodo statim post secessum in Hispaniam se gesserit Paulinus. De filio ejus mortuo.

1. Paulinus igitur ex aqua renatus et Spiritu, ac perfectæ virtutis amore succensus, ut [d] superius diximus, cogitare secessum in Hispaniam cœpit, ut acceptam in baptismo gratiam augeret, et se totum Deo dicaret. [e] Homini enim necessitatibus tam multis implicito, inter suos ita culto, cujus gratiam certatim omnes ambirent, omnino necessaria fuga erat. In locis [f] excultis et gratissimis non longe a mari et urbibus habitabat, vitam tamen solitariam jam amabat, et sanctos anachoretas maximo jam cultu et amore prosequebatur, qui ut ait,

> Spectantesque Deum, verique profunda
> Perspicere intenti de vanis libera curis
> Otia amant; strepitusque fori, rerumque tumultus,
> Cunctaque divinis inimica negotia donis,
> Et Christi imperiis et amore salutis, abhorrent.
> Speque fideque Deum sponsa mercede sequuntur [g]....
> Attamen hæc [h] sedisse illis sententia visa est,
> Tota quibus jam lux patuit verique bonique,
> Venturi æternum secli, et præsentis inane.
> At mihi non eadem (*nunc*) gloria [i].

2. Paulo post progressum ad vitam severiorem et Hispanicum secessum poemata quædam composuisse **12** videtur, quæ non eam sanctitatem spirant, quam in scriptis postea carminibus et epistolis reperire est. Hæc inter collocamus matutinam ad Deum precationem, in qua honestos mores secularis viri a Deo enixe postulat, ex quibus tamen [j] æternam eamque beatam sibi spondet vitam : in ea oratione [k] felicem sibi et suis deprecatur posteritatem, unde tunc sibi natos jam esse filios, aut saltem eos desiderasse conjicies. Ea [l] quæ sequitur, item matutina ad Deum precatio, circa idem tempus conscripta videtur; ibi tamen pietas major, profundior humilitas, et metus judiciorum Dei elucent. Tunc filios sibi procreatos in ea indicare videtur :

> Sim carus amicis,
> Et semper genitor sine vulnere nominis hujus [m].

In [n] carmine de S. Johanne Baptista, quod est paraphrasis evangelica, se non ita pridem ad attentiorem religionis cultum addixisse, et arctiorem instituisse vitam innuere videtur; cum ab historica simplicitate paululum digressus, ad narrationis ordinem revertitur, et addit :

> [o] Spero erit, ut possim firmato robore quondam
> Hoc quoque per spatium fortes agitare quadrigas.
> Nunc cœptum repetamus iter : mortalia dicat
> Pagina mortalis : Dominum divina loquantur.

Paraphrasis [p] primi psalmi ex hymnis opinor est, quos condidit etiamnum theologicorum arcanorum rudis. Itaque non mirum si videatur illic significari error eorum qui, prave intelligentes locum Apostoli I Cor. III, putabant Christianos omnes, quamvis malos, modo incolumem servassent fidem, salutem quamdam consecuturos, nec damnatorum pœnis cruciandos.

3. Cum Paulinus [q] nondum evangelicæ paupertatis viam inierit antequam in Hispaniam secederet, per id temporis natum Paulino filium facile crediderim, quem [r] Compluti sepeliri jussit juxta corpora SS. martyrum, id est, ut opinor, SS. infantium Justi et Pastoris martyrum, quorum memoria celebris est Compluti, quod Samso geographus Madritum vocat. Baptismo fuerat procul dubio initiatus ille puer, cum eum Paulinus [s] *posteritatem piam* vocet, quemque alterius baptizati pueri Celsi in gloria facit æternæ vitæ participem. Hanc sanguinis sui guttulam sibi ipsi peccatori adfuturam sperat, ut peccatis sibi condonatis aliquando detur eadem perfrui requie. Tumulum illius juxta SS. martyrum corpora composuerat, ut, [t] inquit, de vicino sanctorum sanguine et ordine novam duceret virtutem. Eo demortuo, nulla Paulino soboles remansit; nec alium habuisse unquam filium asserere audemus, cum ipse hunc mortuum [u] *exoptatam diu sobolem* dicat. Ex postrema [v] matutina precatione Paulini videtur filium habuisse tunc vivum cum eam composuit. Illud autem pro certo habendum, eum [x] filiis fuisse orbatum cum Nolam recessit; et hæc filiorum fecunditas ei defuit, ut de sterilitate corporum, fecunditas augeretur animorum, et meliorem recte factorum progeniem et minime caducam meritorum posteritatem desideraret. Sibi autem a Deo [y] ereptum filium dicit, quia sancta posteritate gaudere indignus esset.

4. Quidam [z] existimant in Hispanico secessu, ubi procul ab amicis et notis commoratus est (non in Nolano, ubi Nolanos quibus erat cognitus latere non potuit), tum evenisse **13** quod narrat [aa] Gregorius Turonensis in hæc verba : *Perrexit ergo cum conjuge quasi peregrinaturus in aliam regionem, nihil habens præter statum proprium. Post multum temporis cum ab incolis suæ regionis requireretur, nec posset penitus reperiri, negotiator de civitate illa ad hanc urbem adve-*

[a] Ep. 2, n. 4. [b] Ep. 9, n. 2 et 5. [c] Chifflet. p. 177. [d] Cap. 5, n. 2. [e] Sacchin. Vit. Paulin. p. 667. [f] Paulin. carm. 10, v. 182 et 216. [g] Ibid., v. 164. [h] Ibid., v. 178. [i] Id est, *placuisse*. [j] Carm. 4, v. 18. [k] Ibid., v. 17. [l] Carm. 5. [m] Ibid., v. 66. [n] Carm. 6. [o] Ibid., v. 175. [p] Carm. 7. [q] Carm. 32, v. 599. [r] Ibid., v. 605. [s] Ibid., v. 602. [t] Ibid., 606. [u] Ibid., v. 601. [v] Carm. 5, v. 67. [x] Ambros. ep. 30. [y] Paulin. carm. 32, v. 601. [z] Sacch. Vit. Paulin. p. 668. [aa] Greg. Tur. de gl. Confess., c. 107.

nit, in qua vir beatus cœlesti Domino serviebat; cumque vidisset eum statim projiciens se solo, et pedes sancti amplectens ait : HIC EST BEATUS PAULINUS TOTO VULGATUS ORBE, *qui multum a suis civibus quæsitus, prorsus non potuit inveniri; et narrante eo omnes actiones ejus, obstupuerunt hæc audientes.*

CAPUT VII.

Paulinus totum se Deo dicat et consecrat, ac monasticam vitam amplectitur.

1. Jam [a] superius Paulinum in Hispaniam secessisse observavimus, ut paulatim subducto a secularibus turbis animo, præceptisque cœlestibus accommodato, proclivius faciliusque ad contemtum mundi comitatumque Christi demigraret. Fidelis Deus quærentibus se, et qui eis ultro adest, eam quam famulo suo ipse inspiraverat bonam voluntatem benedixit et B coronavit. *Postquam*, [b] ait Paulinus, *inveteravi inter inimicos meos, et evanui in cogitationibus meis, levavi oculos meos in montes ad præcepta legis, et gratiæ dona suscipiens, unde mihi auxilium venit a Domino; qui non secundum iniquitates retribuens, illuminavit cæcum, solvit compeditum, humiliavit erectum male, ut erigeret humiliatum pie.* Vitam [c] priorem quam in seculo egerat omnino mutavit, in quo tamen perversus non habebatur : et [d] *hæc* vere *mutatio dexteræ Excelsi*, quam solus Deus operari poterat. Extremi et terribilis judicii metus cor illius pervaserat : quamobrem ad Ausonium scribens ait, Deum se timere judicem, supremæ illius tubæ cieri terrore; id providere ne imparatum mors opprimat, et ut hunc recognitionis diem securo sibi liceat animo exspectare.

C Hujus [e] in adventum trepidis mihi credula fibris
Corda tremunt, gestitque anima, id jam cauta futuri,
Præmetuens, ne vincta ægris pro corpore curis,
Ponderibusque gravis rerum, si forte reduso
Increpitet tuba vasta polo, non possit in auras
Regis ad occursum levibus se tollere pennis [f].....
Hic metus est, labor iste, dies ne me ultimus atris
Sopitum tenebris sterili deprendat in actu [g].

Sed et illud de gratia Christi totum immutante hominem ostendit, quam ipsum sibi Paulinum penitus vendicasset :

Hic ergo nostris ut suum præcordiis
Vibraverit cœlo jubar,
Abstergit ægrum corporis pigri situm,
Habitumque mentis innovat :
Exhaurit omne quod juvabat antea
Castæ voluptatis vice :
Totusque nostra jure Domini vendicat
Et corda, et ora, et tempora :
Se cogitari, intelligi, credi, legi,
Se vult timeri et diligi [h].

2. Eodem [i] tempore et vestem mutavit, et novum induit animum. Domui, [j] patriæ, cognationi quoque valedicere constanter statuit et a senatu migrare, quo impensius Deo serviret, [k] vitam monasticam profiteri, et [l] reliquum **14** vitæ spatium, subducto a secularibus turbis animo prope Nolam in solitudine transi-

A gere [m] abjectus et ultimus in domo Domini; ardenter [n] enim optabat jugo Christi colla subdere, ad tumulum S. Felicis Deo servire, fores ecclesiæ aperire, mane limina munditie curare, nocte eam sacris excubiis servare, et in isto munere vitam claudere : etenim saltem ab [o] æditui nomine et officio optabat sacram incipere servitutem. Statuit insuper [p] animam castitate et continentia firmare, quam etiam carnales athletæ diligenter tuentur : quam impensiore studio sibi servandam existimavit pro illa immarcescibili corona luctanti, cum etiam pro temporali et fragili corona decernentibus excolatur. Itaque Therasia [q] ex conjuge illius facta est soror. Paulinus vero [r] musis et poeticis fabulis nuntium omnino remisit; cum enim cor Christo dicasset, et uni Deo totus servire vellet, nequaquam vanis et fabulosis vacare litteris sibi licere putabat. Ita enim ad Ausonium scribit :

Quid abdicatas in meam curam, Pater,
Redire musas præcipis?
Negant Camœnis, nec patent Apollini
Dicata Christo pectora.....
Vacare vanis otio aut negotio,
Et fabulosis litteris,
Vetat (*Deus*), suis ut pareamus legibus,
Lucemque cernamus suam [s].

Et quidem post abdicatas musas carmina quæ scripsit, [t] et sine studio, et ex evangelica simplicitate et pietate condidit; poetarum adeo oblitus, ut ne eos quidem nominare auderet, et [u] veniam a Severo postulaverit, quod aliquid de poeta Virgilio assumserat a studio monachi alienum.

CAPUT VIII.

Prædia vendit, et pecuniam pauperibus erogat.

1. *Nihil est grande*, [v] inquit Hieronymus, *tristi et lurida facie vel simulare vel ostentare jejunia; possessionum reditibus abundare, et vile jactare palliolum. Crates ille Thebanus non putavit se simul posse et virtutes et divitias possidere : nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur, et sub prætextu eleemosynæ pristinis opibus incubamus.* In hoc vitium non incidit Paulinus; tunicam enim una cum animo mutavit : nec pleno marsupio gloriosas sordes appetiit, sed puris manibus et candido pectore pauperem se et spiritu et operibus gloriari poterat. Non exspectavit donec [x] turbulentissima miseriarum tempestas eum mitteret in portum paupertatis, ut quibusdam ejusdem nominis accidit; sed pelago tranquilliore per-D meavit, quia in ipsa tranquillitate periculum videbat. Audita [y] sententia Salvatoris : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, et sequere me;* [z] Evangelica verba vertit in opera. Hæc, inquam, verba promta efficacique fide in Paulini mentem penitus descendere, et cordis ejus aures assidue personarunt. Quod [aa] ex ore Domini cum tristitia dives audiit, hic

[a] Cap. 5, n. 1. [b] Paulin. ep. 4, n. 2. [c] Carm. 10, v. 132. [d] Ep. 9, n. 2; et Psal. LXXVI, 11. [e] Scilicet Christi. [f] Carm. 10, v. 304. [g] Ibid., v. 316. [h] Ibid., v. 57. [i] Hier. ep. 13. [j] Ambros. ep. 30. [k] Hieron. ep. 13. [l] Ambr. ep. 30. [m] Paulin. ep. 14. [n] Carm. 12, v. 32. [o] Ep. 1, n. 10. [p] Epist. 24, n. 9. [q] Idat. Chronic. [r] Paulin. carm. 10, v. 19. [s] Ibid., v. 20, etc. [t] Baron. an. 394, § 83. [u] Paulin. ep. 22, n. 3. [v] Hieron. ep. 13. [x] August. ep. 149, n. 34. [y] August. ep. 149, n. 34. [z] Hieron. ep. 13. [aa] Greg. Tur. et Aug. ep. 31, n. 5.

cum lætitia fecit : quod [a] sibi necessarium existimavit ut advenientis Christi justitiam præveniret.

15 Hic metus est, labor iste, dies ne me ultimus atris
Sopitum tenebris sterili deprendat in actu,
Tempora sub vacuis ducentem perdita curis.
Nam quid agam? lentis si dum conniveo votis,
Christus ab ætheria mihi proditus arce coruscet,
Et subitis Domini cœlo venientis aperto
Præstrictus radiis, obscura et tristia noctis
Subfugia illato confusus lumine quæram?
Quod mihi ne pareret vel diffidentia veri,
Vel præsentis amor vitæ, rerumque voluptas,
Curarumve labor, placuit prævertere casus
Proposito, et curas finire superstite vita :
Commissisque Deo ventura in sæcula rebus,
Exspectare trucem securo pectore mortem [b].

Et v. 67 :

Æstus inanes, quos movet vitæ labor
Præsentis ævi tramite,
Abolet futuræ cum Deo vitæ fides,
Quæ, quas videmur spernere,
Non ut profanas abjicit aut viles opes,
Sed ut magis caras monet
Cœlis reponi creditas Christo Deo,
Qui plura promisit datis :
Contemta præsens vel mage deposita sibi
Multo ut rependat fenore.
Sine fraude custos sucta creditoribus
Bonus æra reddet debitor :
Multaque spretam largior pecuniam
Restituet usura Deus.

Paupertatem divitiis prætulit,[c] securus de Christi sermone, quo quærentibus in veritate regnum Dei et justitiam ejus, victum, et vestitum insuper se adjecturum promisit. *An magis,* [d] *inquit, abundare credis illum qui terræ, quam qui Deo credit; et qui propria, quam qui divina pascitur cura? Quid ille miser habeat, qui se non habet? Non enim se habet, qui plus de se quam de Deo sperat; verendus est mortalis, qui* [e] *non vivere timet, si totum se Deo credat, Deoque permittat.*

2. *Venditis* [f] *igitur facultatibus tam suis quam etiam conjugalibus, ea in pauperes contulit quæ redegit in pecuniam.* [g] *Aperuit horrea sua pauperibus, apothecas suas advenientibus patefecit : nam parum ei erat proximos alere, nisi etiam undique evocaret quos pasceret atque vestiret. Quantos captivos redemit! quantos intricatores debiti a creditoribus suis, reddita pecunia liberavit! una scilicet pietatis negotiatione et planctus debitorum extersit, et creditorum gaudia reparavit. Quadam vero die,* inquit [h] Gregorius Turonensis, *venit ad eum qui stipem peteret, et ait conjugi : Vade, et da ei quod habet necessarium. Quæ respondit : Non est nobis amplius quam unus panis. Cui ille :* Vade, *inquit,* porrige eum; Dominus enim dabit nobis victum. *Sed illa quasi strenua, reservari cupiens ne aliquid deesset, porrigere noluit. Sed brevi illa didicit quanto esset locupletior Paulini fides, quam timida suæ curæ sollicitudo. Interea advenerunt quidam dicentes missos se a dominis suis* (forte Paulini bonorum conductoribus) *ut illi annonæ ac vini deferrent speciem, sed per hoc moratos, quod orta tempestas unam eis cum tritico abstulerit navem. Tunc vir Dei conversus ad mulierem, ait : Intellige te nunc pauperi unum panem fuisse furatam, et ideo hanc navem esse mersam.* [i] Paulinus igitur innumeris nummis et eleemosynis peccata sua redemit, et facultates in terra cum sparsisset, ad cœlos migravere; quin etiam in cœlum terras fecit ascendere, ut ibi æternam sibi pararet mansionem. Pro Christo sibi factus est pauper, et ipse fide ditior quam antea, [j] *Exoneratus a cunctis cupiditatibus Magistrum liber sequitur, per hæc se putans paradisi divitiis locupletari,* **16** *si videretur nihil de transitoriis possidere.* [k] *Ipse pauper ex divite factus est, ut tamquam deoneratus gravi sarcina Deo impensius serviret;* [l] *ut nudam crucem nudus sequens, expeditior et levior scanderet scalam Jacob.* [m] *Præstantissimumque horum temporum fuit illustris Paulini exemplum, qui summis opibus abjectis Christum secutus, solus pene his temporibus evangelica præcepta complesset,* [n] aliorum non utens exemplo qui attentiores ad sacrosanctam religionem videri erubescebant. [o] *Beatum fuit seculum quartum tantæ fidei virtutisque documento :* [p] *Paulino enim majestas divina tribuit, ut quod impossibile dixerat per Evangelium, hic possibiliter adimplere mereretur per actum.* [q] *Piscatores, vocante Domino, quod naviculas et retia dimiserunt, omnia se dimisisse, et Dominum secutos esse etiam commemorando lætati sunt. Et revera* OMNIA CONTEMNIT, *qui non solum quantum potuit, sed etiam quantum voluit habere, contempsit. Sed in eo quod cupiebatur, oculi Dei testes sunt, in eo quod habebatur, et hominum. Nescio quo autem modo, cum superflua et terrena diliguntur, arctius adepta quam concupita constringunt... Aliud est enim, nolle incorporare quæ desunt ; aliud, jam incorporata divellere. Illi velut cibi repudiantur, illa velut membra præciduntur.*

3. Paulinus [r] omnia bona uno eodemque momento non abdicavit, id enim impossibile erat, cum eam quam ex his venditis redegerat pecuniam pauperibus erogaret, et prædia paulatim et cum quadam cautela eum vendidisse credere par est, ut facilius pauperes aleret. Ex ejus [s] litteris ex Hispania missis illum jam partem bonorum in usus pauperum vendidisse constat antequam ex hac regione migraret et presbyteratu initiaretur. Inchoasse hoc anno ex eo probabiliter admodum conficitur, quod [t] in epistola quarta anno 394 exeunte data, ut alias videbimus, dicit secundum carnem sibi eam jam esse ætatem qua fuit ille ab apostolis in porta Speciosa verbi potestate sanatus, id est, quadraginta annorum et amplius [u]; in natalibus autem animæ, illius adhuc sibi esse tempus infantiæ, quæ inteutatis Christo vulneribus immolata, digno sanguine Agni victimam præcucurrit, et dominicam au-

[a] Paulin. carm. 10, v. 316. [b] Ibid. [c] Paulin. ep. 11, n. 13. [d] Ibid. [e] Quasi leg. *timet non vivere.* [f] Ambros. ep. 30. [g] Uran. § 5. [h] Greg. Tur. de gl. Confess. c. 107. [i] Fortunat. Vit. Mart. t. VIII, p. 761. [j] Greg. Tur. de Gl. Confess. c. 107. [k] Ambr. ep. 30. [l] Hier. ep. 13. [m] Sulpic. Vit. Mart. c. 21 et 26. [n] Ambr. ep. 30. [o] Sulp. Vit. Mart. c. 21 et 26. [p] Greg. Tur. de Gl. Confess. 107. [q] Aug. ep. 31, n. 5. [r] Hieron. 103. [s] Paulin. carm. 10, v. 81 et 328. Epist. 1, n. 7. [t] Ep. 4, n. 3. [u] Actor. IV, 22. *Dicitur annorum amplius quam quadraginta.*

spicata est passionem; [a] id est bimatum Innocentium: quod cum de ejus baptismo interpretari non possit, ad strictioris vitæ institutum et seculi fugam referri necesse est. Nam etsi Paulinum, illo exeunte anno, sacerdotium suscepisse poneremus, hæc dicta de sacerdotio intelligenda nemo, ut opinor, dixerit. In altera epistola, etiam anno 394 data, [b] ait: *Scias antiquissimum peccatorem, nec ita olim de tenebris et umbra mortis eductum, spiritum auræ vitalis hausisse, nec ita olim posuisse in aratro manum, et crucem Domini sustulisse.* Et alibi [c] se *adhuc infantem in verbo Dei, et spiritali ætate lactentem* Augustino educandum tradit humiliter.

CAPUT IX.

In bonorum abdicatione Paulini humilitas.

Tam [d] præclara et illustris ab origine virtus gloria Christi erat, Ecclesiæ gaudium et exemplum; at inani gloriæ valde subjecta, quæ omnia ejus merita labefactasset: *Utilius enim*, inquit [e] Augustinus, *terrena opulentia tenetur humiliter, quam superbe relinquitur.* Tantum opus non **17** suis viribus, sed divina virtute et misericordia fretus arripere ausus fuerat Paulinus; et ille in quo sperabat, potens erat perficere in eo opus perfectionis suæ, et quod fundare jam ac primis machinis erigere dignatus fuerat, suis struere mensuris et consummare fastigio. Humanam gloriam ut [f] inimicum cautissime intuebatur Paulinus, et cuncta agebat sicut discipulus Christi humilis ac mitis corde; et prudenter ac pie intelligebat istam non esse suam, hoc est humanam, sed in semetipso Domini gloriam. Illud enim testimonium ejus virtuti reddit Augustinus. At ipse Paulinus fidus est testis; ejus enim scripta caritatem et humilitatem omnino indicant. Hanc [g] humilitatis pietatem omnia spirant, qua a Deo gemitibus et suspiriis assidue flagitabat ne inferretur in tentationem. Sed in eo præcipue illius elucet humilitas cum de venditis facultatibus sermonem habet. [h] Confitetur hilariter misericordias Domini, et tantummodo gloriatur in laude ejus, quoniam si quid bonum in illo, ab ipso est; et si quid optimum, ab ipsius majestate est. Unde [i] illi jam leves fiebant angustiæ quando laudabatur: nihil enim sibi ipsi conscius erat de proprio bono, ut tamquam agnoscentis pudorem laudator perurgeret; quia non seipsum, sed divinæ bonitatis munera atque opera prædicari cognoscebat. Cum tamen hisce laudibus tentaretur, [j] amicos enixe rogat ut his abstineant, ne peccent de caritate in caritatem, peccatorum illius sarcinam pondere indebitæ laudis accumulantes. *Nam et inimicum cautissime intuebatur*, ut [k] Augustini verbis utar, et ad vanitatis obtutum tremebat. *Nisi certo statu* [l] inquit Paulinus, *dirigentes animi momenta libremus, de ipsa humilitate capiemus superbiam; et evanescet species pietatis, si per laudem paupertatis obrepat inflatio. Et quid proderit caruisse divitiis, si remanemus divites vitiis?* [m] Alibi miratur quod res magna putaretur, quia de re pereunte salutem mercatus fuisset æternam, et perpetuis caduca mutasset; quod terram vendidisset ut cœlum emeret, cum Deus imagine servi dejectus mortem crucis passus ipsum multo carius emisset. *O miseri homines*, inquit [n] alibi, *largiri nos aliquid credimus: negotiamur, et liberales habemur, qui avarissimi esse convincimur; et quidem tanto avariores cupidissimis terræ feneratoribus, quanto amplius est cœlestia de terrenis, et beata de miseris egenisque rebus emere, quam terrena terrenis, et labentibus lapsura mercari, et Dominum quam hominem fenerare.* Hoc sibi ad salutem necessarium fuisse dicit.

2. In publicis [o] inscriptionibus in exemplum reis et peccatoribus se supponit, qui fusis nummis crimina sua redimerent, dum [p] alii perfectum eum dicerent, cum ad [q] ingressum et januam solummodo se pervenisse, non ad metam, existimaret. *Temporalium*, inquit, [r] *quæ in hoc seculo habentur bonorum relictio sive distractio, non decursus stadii, sed ingressus; nec ut meta, sed janua est. Non enim athleta tum vincit cum exuitur, qui ideo nudatur ut incipiat dimicare, cum legitime certaverit coronandus. Et natator amnem interpositum superaturus exuitur; nec tamen hoc tantum apparatu quod se dispoliaverit transnatabit, nisi totius corporis nisu, et omnium scita mobilitate membrorum, propulsu pedum, et remigio brachiorum, et lateris illapsu torrentis impetum scindat, et laborem natationis exhauriat.* Eodem sensu [s] persequitur, allegorice exponens luctationem **18** Jacob de nocte cum angelo, torrente antea transmisso, et præmissis curarum suarum oneribus. Ad Augustinum scribens assimilat se homini, qui vestimentis onerantibus se exuit ut fluvium trajiciat. *Idcirco*, inquit [t], *ego levare me sarcinis, et vestimentis onerantibus exuere curavi, ut undosum hoc quod inter nos et Deum peccatis interlatrantibus separat, præsentis vitæ salum omni amictu carnis et cura diei sequentis, jubente et adjuvante Christo, expeditus enatem.* Alias præterea ejusdem generis subdit similitudines. *Hæc est illa*, inquit [u], *profligatis emenda patrimoniis margarita, sed non statim emitur cum ejus pretium præparatur, quia plurimæ interveniunt huic commercio difficultates, aut enim mare interjacet, aut prædo intercipit, aut cupidior prævenit, aut præfertur opulentior. Ideo ne existimes jam et comparasse nos gemmam, quia vides pretium præparasse, neque ædificasse jam domum, cui ædificandæ locum fecimus, cum visibiles divitias, supellectiles, pecuniam, patrimonia velut sordidos aggeres et importunum rudus egessimus, ut in corde purgato, quasi in terra viva, firmius stabilioris ædificii fundamenta jaceremus.* Vendendo igitur omnia et erogando pauperibus se solummodo primam præcepti evangelici partem adimplevisse putabat; et cum magnæ molis superesse verbum cerneret, *Veni, et sequere*

[a] Sacch. Vit. Paulin. p. 664. [b] Paulin. ep. 3, n. 5. [c] Ep. 4, n. 3. [d] August. ep. 31, n. 6. [e] Ibid. [f] Ibid. [g] Aug. ep. 186, n. 41. [h] Paulin. ep. 40, n. 10. [i] Ibid. [j] Ep. 24, n. 1. [k] Aug. ep. 31, n. 6. [l] Paulin. ep. 40, n. 11. [m] Carm. 24, v. 301. [n] Ep. 32, n. 19. [o] Ep. 32, n. 3 et 4. [p] Ep. 24, n. 2 et 3. [q] Ibid., n. 7. [r] Ibid. [s] Ibid., n. 8. [t] Ep. 4, n. 4. [u] Ep. 24, n. 20.

me (*Matth.* xix, 21), istam altiorem difficultatem attendens, verebatur ne secundam non posset perficere. *Cum videas*, inquit [a] ad eumdem Severum suum scribens, *quantæ molis verbum supersit, cum ipse Dominus majestatis adjiciat : Et veni, sequere me* (*Ibid.*) : *Istam potius difficultatem considera, et dilatato corde metire, tunc intelliges majores tibi causas pro nobis superesse sollicitudinis, quam esse gratulationis. Facile enim nobis bona vel onera apposita pallium remittentibus exciderunt : et quæ nobiscum non intuleramus in hunc mundum, nec poteramus efferre nobiscum, quasi mutuata reddidimus, nec ut cutem a carne distraximus, sed ut vestem a corpore deposuimus.*

3. Solerti humilitate exponit se nondum omnia vendidisse. *Non enim pecuniam tantum*, inquit [b], *et fundos, et extraneas facultates, sed etiam animi nostri* B *internas opes, quæ vere nostra substantia est, possidemus : hanc vendere, hoc est alienare a nobis, tanto major victoria, quanto altior difficultas est ingenita quam apposita separare, et intus infixa divellere, quam affixa extrinsecus rejicere.* Et alibi [c], *Nunc opus est ut quæ vere nostra sunt dependamus Deo, hoc est cor et animam et corpora nostra exhibentes in hostiam vivam, ut scriptum est* (*Rom.* xii, 1), *Domino, nosque ipsos ædificantes ei in templum sanctum. Orate solliciti*, inquit alibi [d] *ut tanto ore vel munere Dei dignum Deo cor accipiamus et qui accepimus contemtum patrimonii, accipiamus etiam nostri contemtum.* Sed et supra satis ex Hieronymo demonstravimus [e] hunc ferventissimæ fidei virum non solum divitias, sed et seipsum Domino obtulisse; qui contra diaboli tergi- C versationem nequaquam pellem pro pelle; sed carnes, cor et ossa, animam suam et membra omnia Deo consecravit. Etiam alibi docet [f] Paulinus : *Viam vitæ nobis* (Dominus) *perfectionemque virtutis non in vendendis tantum prædiis et pretiis erogandis, sed in sui sectatione proposuit, et quia dixerat : Cum exaltatus fuero,omnia ad me traham* (*Johan.* xii, 32), *ideo dicit : Veni, sequere me* (*Matth.* xix, 21). *Beatus qui tam proximo intervallo sequitur ut dicat : Adhæsit anima mea post te* (*Psal.* lxii, 9). *Quod illa tantum caritas dicere potest, quæ finis præcepti et plenitudo legis est* (*Rom.* xiii, 10); *id est de corde puro et bona conscientia, et fide non ficta* (*I Tim.* i, 5) *se ita inserit et affigit Deo, ut nihil extra Deum amans dicat : Et ego semper tecum* (*Psal.* lxxii, 23). **19** *Quare to-* D *tus labor et plenum opus nobis in observantia et in exspoliatione cordis nostri est, cujus tenebras, vel abstrusas in eo inimici latebras videre non possumus, nisi defæcato ab externarum rerum curis animo et intus ad semetipsum converso. Ædificaturus nos* (Deus) *eo itinere quo post se vocat, isto opere præparat quo, venditis rebus, absolvi prius suadet : quarum cura vel amor, quoniam mentis ipsius perstringit aciem, et animam ab interioribus suis abductam ad exteriora sollicitat, dicit etiam nobis per Prophetam : Vacate et vi-* A *dete quoniam ego sum Dominus* (*Psal.* xlv, 11). *Nonne et hic videtur dicere : Non potestis duobus dominis servire* (*Matth.* vi, 24)? *Non enim otium suadet hoc verbo, qui instanter orare et vigilare nos monet ne intremus in tentationem* (*Matth.* xxvi, 41); *sed vacare a seculo ut occupemur sibi, vacare ab his negotiis quibus implicati otiamur Deo. Itaque novitatem vitæ in nobis ædificantes necesse est, ut vetustatem destruamus* (*Rom.* vi, 6); *et quia nullum tenebris cum lumine et mammonæ cum Christo potest esse commercium* (*II Cor.* vi, 15), *oportet ut novis vetera mutemus; et occupationis pariter ac vacationis genere converso, implicemur, quibus vacavimus, et vicissim vacemus, quibus fuimus implicati : moriamur quibus viximus, et vivamus vicissim his operibus ac studiis quibus mortui fui-* B *mus : cum vivi, essemus mortui, et mortificantia gerentes, in mortuis viveremus.*

4. Tam humiliter de se sentiens Paulinus, in nihilo se aliis præponebat qui sua reservassent bona; [g] cogitabat enim divisiones esse gratiarum et mensuras donationum, quas ut in corporis sui membris unus atque idem dispensator operatur Dominus, diversa in suo corpore distinguens placitis membra muneribus; sed et corpus unum ex diversitate membrorum struens, ut hinc quoque gratia sacri corporis augeatur, si multiplex virtus in una compage numeretur. Sulpicius Severus, quem cum Paulino junctissima prioris vitæ amicitia signaverat, eodem quo Paulinus tempore se Deo dicavit; sed prædia sua conferens Ecclesiæ, jus utendi fruendique sibi reser- C vavit. Omnem ingenii sui solertiam et industriam adhibens Paulinus ei palmam adscribit, dicens [h] fortius esse manentibus quam alienatis rebus carere; et spernere quod habetur, quam non habere quod sit spernendum; itaque nullam in se esse perfectionem quæ laudetur, sed infirmitatem quæ excusatione tegatur. In laudibus sibi a Severo datis, variis modis etiam seipsum despicit. *Nisi forte*, inquit [i], *id quoque altiore pietatis consilio facias, ut dum aliena nobis bona verbis indulges, stimulum pudoris suggeras, ut legentes quod esse debemus,boni esse discamus, nitamurque nos juxta sermonem tuum promere; et forsitan possimus effici quod non sumus, dum erubescimus non esse quod dicimur. Interim tamen dum conscientia non agnoscit fidem sermonis tui, blandimentum asper-* D *natur verecundia.* Extra culpam non essent plerique, qui tantæ perfectionis institutum arriperent; si enim fortissima fides non vigeat, accedat autem quoddam incommodum, plurimi animis solent cadere, et erogatorum bonorum desiderio teneri. Sed in amore paupertatis et divitiarum contemtu semper parem, generosum et constantem se præbuit Paulinus. Cum Severus, quem jamdiu ad se invitabat Nolæ degens, ad eum scripsisset se credere ita eum futurum esse brevi pauperem, ut ulterius non auderet illum invitare : Paulinus respondet [j] hæc comitatis jocum

[a] Ep. 24, n. 5. [b] Ep. 40, n. 11. [c] Ep. 24, n. 6. [d] Ep. 40, n. 11. [e] Hieron. ep. 34. [f] Paulin. ep. 24, n. 9, 11 et 12. [g] Paulin. ep. 24, n. 2. [h] Ibid., n. 4. [i] Ibid., n. 1. [j] Epist. 11, n. 13.

esse; et fatetur nihil se præoptare tantæ libertatis bono, cum tam intima circumcisio plena esset perfectio. *Nihil habemus* **20** inquit [a], *nisi Christum; et vide si nihil habeamus, qui omnia habentem habemus... et propter quem si nihil habeamus, in ipso omnia possidemus* (*II Cor.* VI, 10). *Nunc in ista spinarum et laborum humo, ne in hortuli quidem glebula nos terræ limus tenet: sed utinam ita nullus a peccato nobis pulvis hæreret! In Dominum ipsum committis* [b], *si putas tum demum defuturam nobis vitæ mortalis alimonium, cum nobis cœperit Deus esse possessio* (*Psal.* XV, 5).

CAPUT X.

De Paulini conversione et paupertate SS. Ecclesiæ Patrum Elogia.

1. Toto [c] laudatum orbe Paulinum celebravit factum tam illustre et gloriosum. Præstantissimi quique Ecclesiæ viri qui tunc vivebant illud mirati sunt pene universi, et multis laudibus celebrarunt. Quod ubi cognovit [d] Ambrosius, Sabinum Placentiæ episcopum gaudii sui participem esse voluit, quem plurimi facturum tantum miraculum profecto sciebat. Conjugem a viri proposito non discedere testatur, et præcipue in eo versatur, ut generis splendore adeo nobilis viri animum et virtutem commendet, qui coram hominibus Christum tam constanter confiteretur, et sanctæ religionis ac severioris disciplinæ cultum aperte profiteretur. Hujusce egregii facinoris magnitudinem et meritum mirum in modum extollit Augustinus [e] quod *Christi gloriam* appellat, et caritatem mirabili gaudio eum verba Domini adimplentem conspicere dicit. *Gaudent*, inquit [f], *infatigabiliter et ineffabiliter fratres tam uberibus et tam excellentibus donis Dei, bonis tuis.* [g] *Fratres non solum qui nobiscum habitant, et qui ubilibet habitantes Deo pariter serviunt; sed prope omnes qui nos in Christo libenter noverunt, salutant, venerantur, desiderant, germanitatem, beatitudinem, humanitatem tuam.* [h] *Laudatur et benedicitur Deus, cujus gratia tu talis es. Ibi excitatur Christus, ut ventos et maria tibi placare dignetur tendenti ad stabilitatem suam. Videtur a legentibus ibi conjux non dux ad mollitiem viro suo sed ad fortitudinem redux in ossa viri sui... Ibi cedri Libani ad terram depositæ, et in arcæ fabricam compagine caritatis erectæ, mundi hujus fluctus imputribiliter secant. Ibi gloria ut acquiratur, contemnitur: et mundus ut obtineatur, relinquitur. Ibi parvuli, sive etiam grandiusculi filii Babylonis eliduntur ad petram, vitia scilicet confusionis superbiæque secularis.*

2. At ardens Augustini in Paulinum amor, quem in [i] prima sua ad eum anno 395 data epistola videre est, nullum potest incrementum recipere, et sibi carissimos extunc ei commendavit, sperans eum et sermonibus et precibus salutem illorum operaturum; illum rogat et flagitat ut in Africam venire dignetur, A ut sciat quantum ibi diligatur et desideretur. In secunda epistola eum ad se invitans obtestatur atque obsecrat in hunc modum: [j] *Non impudenter ego rogo vos, et postulo, et flagito ut in Africam, majore talium hominum siti quam siccitatis nobilitate,* **21** *laborantem venire dignemini. Scit Deus quia non solum propter desiderium meum, neque solum propter eos qui vel per nos vestrum propositum, vel undecumque, fama prædicante didicerunt; sed etiam propter ceteros qui partim non audiunt, partim audita non credunt, tamen possunt comperta diligere, vos istis terris etiam corporaliter adesse cupimus.* Tum ad Licentium suum scribens [k] ait: *Vade in Campaniam, disce Paulinum egregium et sanctum Dei servum, quam grandem fastum seculi hujus tanto generosiore, quanto humiliore cer-* B *vice incunctanter excusserit, ut eam subderet Christi jugo.* Et alibi commemorans [l] quam secure gauderet Paulinus quando Nolam Gothi vastaverunt, nihil habens quod amitteret, eum vocat, *ex opulentissimo divite, voluntate pauperrimum, et copiosissime sanctum.* [m] Hanc bonorum abdicationem miris et debitis laudibus extulit Hieronymus, et adhibuit plena prudentiæ consilia quibus caritatem illius moderaretur: jam quædam commemoravimus, de alio suo loco sermonem faciemus. [n] Juliano nobilissimo viro SS. Paulini et Pammachii exempla proponit, et cum dixisset illos exemplo et eloquio, id est opere et sermone, posse ad majora eum perducere, addit: *Nobilis es? et illi, sed in Christo nobiliores; Dives et honoratus? et illi: immo ex divitibus et honoratis pauperes et in-* C *glorii, et idcirco ditiores et magis inclyti, quia pro Christo pauperes et inhonorati.*

3. Hisce tribus Ecclesiæ Latinæ doctoribus subjungendus est mirificæ sanctitatis Turonensis antistes [o] Martinus, qui beatum existimabat seculum cui tale fidei et virtutis exemplum contigisset, illique videbatur Paulinus, summis opibus abjectis, Christum secutus, solus pene his temporibus evangelica præcepta complevisse. Eos qui se adirent, et præcipue Severum, autoritate atque admiratione Paulini semper lacessebat, illum sequendum, illum clamabat imitandum; ejusque exemplum ingerens, dicebat mundi hujus illecebras et seculi onera relinquenda, ut Jesum liberi expeditique sequerentur. Cum Nolam se recepisset [p] opus Dei in eo Campania tota venerata est. D Inter Hieronymi opera exstat epistola, quæ ipsi merito abjudicatur. Et quidem ea scripta est dum Paulinus illiusque uxor adhuc vitam agerent: hanc [q] Gennadius adscribit Eutropio presbytero quem in ordine Catalogi Paulino subjungit. [r] Autor ille cum dixisset duplex sepulcrum quod sibi providit Abraham, non solum præfigurasse sepulcrum in quo corpora mortuorum hominum sepelirentur, sed etiam signasse quietem quam sibi fide sua et opum contemtu com-

[a] Epist. 11, n. 14. [b] Al est, *peccas.* [c] Sulpic. dialog. 3, c. 20. [d] Ambros. ep. 30. [e] August. ep. 31, n. 6. [f] August. ep. 27, n. 2. [g] Ibid., n. 6. [h] Ibid., n. 2. [i] Aug. ep. 27. [j] Aug. ep. 31, n. 4 et 5. [k] Aug. ep. 26, n. 5. [l] Aug. lib. de Civit. Dei, c. 10. [m] Hieron. ep. 13. [n] Hieron. ep. 34. [o] Sulpic. Vit. Mart. c. 26. [p] Paulin. ep. 5, n. 13. [q] Gennad. Catal. 49. [r] Inter. ep. Hier. tom. IX, ep. 3 ad Geruntii filias.

paravisse, addit: [a] *Istud sibi sepulcrum et Paulinus noster nuper ipse divitiis cum sua matrefamilias comparavit, qui conversationi seculi morientes a mundialibus operibus jam quiescunt, dicente Apostolo: Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo* (*Col.* III, 3).... *Hoc est illud duplex sepulcrum exterioris hominis et interioris, quies una.... Hoc sepulcrum sibi duplex patresfamilias isti providerunt, qui senatum, honores, divitias relinquendo, mortui videbantur..... Ecce unum sepulcrum in quo conversatio veteris hominis cum crepundiis suæ nobilitatis absconditur.* Sanctus Eucherius [b] de quibusdam illustribus viris sermonem habens, qui contemtis opibus et dignitatibus omnia pro Christo reliquissent, ait: *Paulinus quoque, peculiare et beatum Galliæ nostræ ornamentum, ingenti quondam divitiarum censu; uberrimo eloquentiæ fonte ita in sententiam nostram propositumque migravit, ut etiam cunctas admodum mundi* **22** *partes eloquio operibusque resperserit.* Idatius in Chronico ad Annum 423 ait [c]: *Paulinus nobilissimus et eloquentissimus, dudum conversione in Deum nobilior factus.* Tyro Prosper de eodem Paulino testatur in hæc verba: [d] *Admirabili exemplo venditis omnibus, cum esset dominus innumerabilium prædiorum, religionem expeditus elegit.*

CAPUT XI.

Proceres et seculares viri Paulinum imprudentem dicunt. Ille reposita sibi ludibria constanter et fortiter sustinet.

1. At si ex una parte præstantissimis Ecclesiæ viris erat admirationi et gaudio Paulini conversio, ex altera proceribus et secularibus viris intoleranda videbatur. *Hæc ubi audierint proceres viri*, aiebat Ambrosius, [e] *quæ loquentur? Ex illa familia, illa prosapia, illa indole, tanta præditum eloquentia migrasse a senatu; interceptam familiæ nobilis successionem: ferri hoc non posse.* Paulinus dicit [f] in se congruisse illud Scripturæ: *Inimici hominis domestici ejus* (*Matth.* x, 36). Omnes enim divites, [g] fratres, amici, proximi, liberti, et servi, ab eo defecerunt et debita officia denegàrunt; multorum quoque, cum [h] quibus illi dulcissima et junctissima intercesserat necessitudo, per hoc Paulini propositum facta est divisio, et itinere mutato ab eo dissoluti sunt. Ex eo plane intellexit quam facile carnis et sanguinis vincula rumperentur. *Ubi enim*, inquit, [i] *nunc mihi consanguinea germanitas? ubi amicitia vetus? ubi pristina contubernia? Evanui coram illis omnibus, exter fratribus meis et peregrinus filiis matris meæ. Amici mei et proximi quondam mei nunc a longe steterunt* (*Psal.* LXVIII, 9; et XXXVII, 12, secundum Psalter. Rom.), *et sicut fluvius decurrens, et ut fluctus pertransiens sic transeunt me, et in me forsitan confunduntur, et erubescunt, ut scriptum est, venire ad me.* Frater [j] illius negligens erat. Viri seculares eum non modo despiciebant et deserebant; sed [k] prophana, ut ita dicam, vel stulta verba circumlatrabant. Pietatem stultitiam putabant. In operibus servi opus Dei lacessebant, quia eum in suis actibus spernebant; erant enim infideles, aut ex iis qui Christum nomine confitentes actu negabant.

2. Cum in solitudine Paulinus degeret minus hisce contradictionibus erat obnoxius. At Sulpicius Severus, qui in conversione eum secutus licet inferiori gradu, [l] de patria non migraverat, laborabat [m] multum ut pro suo ac Paulini facto rationem redderet. De his conqueritur in epistola ad Paulinum data, qui ei respondens ex sacris Litteris ostendit [n] quam grave sit eorum crimen, et insuper addit: *Obstrue frater et sepi aures tuas spinis* (*Eccli.* XXVIII, 28) *ad verba eorum quæ sunt spinæ et sagittæ zabuli, qui in eorum præcordiis latens insidiatur in occulto ut rapiat pauperem Christi....* [o] *Tu autem homo Dei fuge ab istis* (*I Tim.* VI, 11); *neque ut sapientioribus rationem reddere labores, cum scias penes te principium esse sapientiæ qui times Dominum* (*Psal.* C, 10). *Si stultum putant esse quod gerimus, gratulare conscius tibi quia opus Dei et præceptum Christi geris; et reminiscere quoniam stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientia* (*I Cor.* I, 27), *et quoniam quod stultum est Dei, sapientius* **23** *est hominibus. Talibus autem velle purgari, idem est quod posse Christum ipsum negare, qui erubescentes nomen suum coram hoc mundo, erubescet invicem coram Patre confiteri suos* (*Matth.* x, 33). *Tu igitur qui laboras, ut scribis, rationem pro meo ac tuo facto reddere, quid facies si non persuaseris hominibus, non ad ædificationem suam, sed ad destructionem tuam tecum de opere Dei disputantibus? Jam erubesces jamque pallebis ut causæ pejoris assertor, et motus gradu titubabis in via Domini, et de cœlo in terram relaberis si quæ ædificasti destruis. Multum interest quinam isti sint quibus* [p] *ratio reddenda sit. Si discendi studio venit et ignorantiam confitetur, sparge in eum semen fidei et præceptum pande divinum. Si capit verbum, lucratus es Ecclesiæ fratrem, et ovem Christo. Si vero non erit purum boni seminis germen, et a nocturno patrisfamilias cœlestis inimico zizania interserente frumentis* (*Matth.* XIII, 25), *nocens gramen.... suis interim crescit incendiis; refuge et repelle colloquio tuo atque conspectu, ut si tua fide sanari non potest, te sua infidelitate non vulneret;* [q] *Sit licet frater et amicus junctior tibi dextera tua, et carior lumine.... Nec metuenda est offensio talium, quæ quidem et optanda nobis est, quoniam de eorum opprobriis nascitur illa merces, quam copiosam Deus promisit in cœlis* (*Matth.* v, 12)... *Quo nobis gratiam mundi, quæ est odium Christi?* [r] *Displiceamus ergo his, et gratulemur iisdem nos displicere, quibus et Deus displicet...* [s] *Fruantur interim voluptatibus, dignitatibus, opibus suis, si tamen eorum sunt quas istic habere malunt ubi esse desinimus, quam illic ubi esse persistimus. Sibi habeant sapientiam, sibi feli-*

[a] Ep. 3 ad Geruntii filias. [b] Idat. Chron. an. 423. [c] Tyro Prosper. [d] Ambros. ep. 30. [e] Paulin. ep. 5, n. 21. [f] Paulin. ep. 11, n. 3 et 4. [g] Ibid., n. 5. [h] Ibid., n. 3. [i] Paulin. ep. 11, n. 4. [j] Ep. 1, n. 2 et 3, 6. [k] Ibid., n. 6 et 7. [l] Ibid., n. 10. [m] Ibid., n. 4 et 6. [n] Ibid., n. 2. [o] Ibid., n. 3. [p] Melius edit. Sch., *iste sit cui.* [q] Ibid., n. 5. [r] Ibid., n. 6. [s] Ibid., n. 7.

citatem suam, nobis inopiam nostram, ut putant, et stultitiam nostram relinquant. Sint prudentiores, dum non sint filii lucis. Sint in hac sua generatione sapientes, dum in illa regeneratione nostra inveniantur excordes. Sint nunc beati vel magis fortunati, per omnia prospera, blandiente seculo, defluentes, mollibus vestiantur, in domibus regum sint, dum in laboribus hominum non sint et cum hominibus non flagellentur. Sint divites seculo, quia sunt egentes Dei.... [a] *Utinam, mi frater, digni habeamur qui maledicamur, et notemur, et conteramur, atque etiam interficiamur in nomine Jesu Christi, dum non ipse occidatur Christus in nobis. Tum demum super aspidem et basiliscum ambularemus, et conculcaremus caput draconis antiqui* (*Psal.* xc, 13). *Sed adhuc amico, quod pejus est, seculo solvimur, et in Christo deliciamur, laudari tantum in nomine ipsius amantes; contristari et tribulari, quod est utilius, recusantes. Memento granum sinapis, de quo semine sumus, si conteratur, accendi magis, et tum demum in vim suum excitari. Quamobrem debemus quasi naturæ nostræ in hoc respondere, ut adversis sermonibus contriti inardescamus ad fidem; et eos ipsos qui nos ut minimos hominum, scilicet quasi granum sinapis, quod minimum est seminum, frangere conantur, uramus. Si vero ii qui deforis sunt rationem a te sancti operis inquirunt, et venenatas de corde viperino linguas in cor tuum vibrant; noli dare sanctum canibus, et margaritas tuas non projicias ante porcos* (*Matth.* vii, 6). Et in altera [b] ad eumdem Severum epistola : *Mundus nos non amat, sed amat Christus : homo negligit, sed Deus diligit. Inimici hominis domestici ejus, sed rursus amici hominis domestici Dei.* Quod hic Severo scribit, idipsum repetit scribens ad Aprum, qui in eadem persecutione positus omnia fortiter tolerabat. *Jam hanc gratiam*, inquit [c], *mereris a Domino ut te oderint omnes : quod non fieret nisi verus imitator Christi esse cœpisses : non enim odisset hic mundus nisi quod jam a se alienum et sibi videret adversum. Gaude et exsulta: jam in rudimentis tuis virtus perfectionis operatur. Perspicuum est quam fortiter credideris in Christo, cui jam donatum est pro Christo pati.... O beata injuria displicere cum* **24** *Christo! nobis magis timendus est amor talium quibus sine Christo placetur....* [d] *Vide ab initio unde ceciderimus, et intelliges quod divinæ sapientiæ pietatisque consilio reformemur ad vitam : in Adam quippe superbia ruimus, atque ideo humiliamur in Christo, ut peccatum sceleris antiqui contrariæ virtutis obsequio diluamus; et qui superbiendo offendimus, serviendo placemus.* [e] *Exsultemus itaque et gloriemur in ipso, qui nos et pugnam et victoriam suam fecit.... Nos igitur taceamus istis loquentes ad Dominum silentio humilitatis, et voce patientiæ : et nunc ipse qui invictus est pugnabit pro nobis, et vincet in nobis....* [f] *Inconfusibilem operatorem, sicut hilarem datorem, diligit Deus, proinde stabiles in fide veritatis et operatione justitiæ, talium vel odia vel convitia vivendo, melius quam loquendo, arguimus.*

CAPUT XII

Paulinum tamquam leviter immutatum incusat Ausonius, et expostulat cum eo de intermissione litterarum. Amorem et reverentiam ei contestatur Paulinus.

1. Cum in solitudine degeret Paulinus, seculi amicorum contradictionibus minus patebat; attamen in eum carmine scriptis epistolis oblatravit Ausonius, quem ut patrem Paulinus venerabatur : qui Ausonius [g] licet Christianus, erat carnalis adhuc homo, nesciens quæ sunt spiritus. Crebris antea [h] litteris se invicem salutabant Ausonius et Paulinus; at post Hispanicum secessum nihil scribens Paulinus noster, aut cum litteræ non redderentur, et jam [i] fama increbresceret eum abdicare seculum et patrimonia vendere constanter statuisse, et falso ex rumore crederetur [j] vastas quasdam inhabitare solitudines ab hominum societate remotissimas, ad eum grandem fecit epistolam [k], in qua suam queritur labefactari amicitiam ac dissolvi, et eum dicit impium. Tum illum obtestatur atque obsecrat ut illius criminis non fiat conscius, et queritur quod in Hispania tam remotus ageret. Quietem et delicias villæ suæ apud Santones describit in Novero, qui [l] Novalarius pagus esse creditur, Gallice *les Nouliers*, prope S. Johannem de Angeriaco. Inter hujusce villæ commoda ecclesiæ vicinitatem enuntiat, sed his omnibus amicûm suum præferre se asserit, quem votis precibusque vocat. Isthæc epistola [m] quartum jam annum in secessu Hispanico agenti Paulino reddita fuit : itaque cum nihil rescriberet Paulinus, aliam item ad eum misit epistolam [n] Ausonius in qua de illius silentio conquestus, iterum proditæ crimen amicitiæ objectat, varioque ostendit scribendi modos quibus uti posset si prodi timeret; at rogat ut ipsius [o] *Tanaquil* illud nesciat, sic enim Paulini uxorem malo nomine vocabat. Nescio an ad Therasiam respexerit Ausonius, an ad Eugenii turbas qui Hispaniam, ut credimus, nondum subjugaverat, cum Paulinum metuere dixit ne interciperentur litteræ. Tertiam [p] item scripsit epistolam quæ intercidit : in hac, ut puto, conquerebatur Ausonius quod jam triennio a patria abesset Paulinus, et ad musas reditum precabatur. Quartam **25** [q] insuper addidit, in qua pergit queri de fastu quo Paulinus rescribere dedignaretur : tum demum subjungit Hispaniæ pagos, ninguida Pyrenæi loca et Vasconum saltus mores Paulini dulcissimos vertisse : eumque mentis inopem, cœtus hominum vitantem, et atræ bilis morbo laborantem dicit, ac tandem Musas precatur ut Paulinum ad poesin revocent.

ANNO CHRISTI 393.

2. Ignoramus an alias ad S. Paulinum epistolas

[a] Paulin. ep. 1, n. 8. [b] Ep. 11, n. 4. [c] Ep. 8, n. 2. [d] Ibid., n. 3. [e] Ibid., n. 4. [f] Ibid., n. 5. [g] Baron. an. 394, § 85. [h] Auson. ep. 24. [i] Auson. ep. 23. [j] Auson. ep. 25. [k] Auson. ep. 23. [l] Vinet. Not. ad Auson. p. 485. [m] Paulin. carm. 10, v. 1. [n] Auson. ep. 24. [o] Ibid., v. 31. [p] Vid. Auson. ep. 25, v. 1, et Not. p. 568. [q] Auson. ep. 25.

scripserit Ausonius, ut a strictioris vitæ instituto eum revocaret: at quæ diversis annis carmina, seu potius incantamenta, fuerunt missa, fecit Deus ut sero admodum redderentur, [a] quarto scilicet anno ex quo nihil ab eo litterarum acceperat Paulinus, ut sane validior factus latitantis diaboli insidiis et tentationibus obsisteret. Tandem [b] quadriennio post tres simul recepit epistolas, eam nempe cujus initium est, [c] *Proxima quæ nostræ*, ut infra patebit, eam quoque quæ sic inchoatur, [d] *Quarta tibi hæc*, cum altera quæ intercidit. Hisce tribus epistolis etiam metrica epistola [e] respondit Paulinus, cujus initium elegia, est veluti quædam præfatio, quam sequuntur versus iambici trimetri et dimetri, in quibus ei reddit rationes cur musis renuntiaverit, et bona abdicarit. Tum ostendit quam gratia Christi totum immutans hominem ipsum sibi penitus vendicasset. Fatetur se Ausonio omnia debere, et protestatur se semper eum coluisse, colere, culturumque etiam pietate mansura post mortem: tandemque alias Ausonii querelas his confutat versibus [f]:

Huic [g] vacantem, vel studentem, et deditum,
In hoc reponentem omnia,
Ne quæso segnem, neve perversum putes...
Sed cur remotus tamdiu degam arguis,
Pioque motu irasceris:
Conducit istud, aut necesse est, aut placet:
Veniale quidquid horum erit.
Ignosce amanti, si geram quod expedit
Gratare, si vivam ut libet [h].

CAPUT XIII.

Ausonii querelas fortiter refutat Paulinus

1. Versus iambicos sequebantur [i] hexametri in quibus aspera Ausonii dicta fortiter refutat heroico [j] scilicet carmine, *Defore me patriis*, quo quartæ respondet Ausonii epistolæ, [k] *Quarta tibi hæc*, et tertiæ quæ excidit in qua Ausonius Paulinum jam [l] triennio absentem querebatur, nec non secundæ [m] *Proxima quæ nostræ*, in qua Therasiam Ausonius *Tanaquilam* vocabat. Cumque Paulinus [n] dicat Ausonium Hispaniæ oppidula nominare, tacitis urbium nominibus Cæsareæ Augustæ, Tarraconis et Barcinonis, quæ cum habeantur in epistola Ausonii [o] prima, hanc nondum Paulinum tunc recepisse inde manifestum est. Postquam igitur [p] primo conquestus est Paulinus quod Ausonius non Christum vitæ nostræ autorem, sed Musas deprecatus fuerat ut Paulinum ad poesin revocarent, ait conversionem suam esse vere mutationem Excelsi quam solus Deus operari poterat: et si quid in alumno **26** est quod Christus amet, lætari et ipsum oportere, ad quem ut ad magistrum pars laudis et præmii pertineret, ne maxima perdat præmia, detestando bona suis orta fontibus: se non incolere solitaria loca sanctis anachoretis usitata quorum virtuti minime accedebat, nec Bellerophonteo vitio laborare, neque uxorem

A Therasiam esse Tanaquilam, ut exprobraverat Ausonius, sed Lucretiam. Hinc dicit Paulinus [q]:

Utinam justus me carpere livor
Incipiat, Christi sub nomine probra placebunt.
Non patitur tenerum mens Numine firma pudorem
Et laus hic contempta redit mihi judice Christo.

Tunc locum [r] gratissimum non longe a mari incolebat Paulinus, et Barcinonem, ut videtur, ubi hoc et insequenti anno mansisse alias [s] demonstrabitur. Sed et si ninguidos Pyrenæos montes, et vastissimos (tunc in Hispania) Vasconum saltus habitasset, [t] barbaricos non induisset mores. Hos sibi jocos non placere, eosdemque sibi licitos fuisse scribit ad Ausonium:

Multa jocis pateant; liceat quoque ludere fictis.
Sed lingua mulcente gravem interlidere dentem,
B Ludere blanditiis urentibus, et male dulces
Fermentare jocos satiræ mordacis aceto,
Sæpe poetarum, nunquam decet esse parentum [u].

Uxoris [v] honorem defendit, et tandem conversionis suæ causas Ausonio exponit, dicens [x] se seculum fugere et bona abdicare velle, ut Christo judici securus possit occurrere. Quod si quis mentis errorem esse judicet sic juxta Christi leges vivere:

Juvat hoc, nec pœnitet hujus
Erroris: stultus diversa sequentibus esse
Nil moror, æterno mea dum sententia Regi
Sit sapiens [y].

Denique præclaram Christi confessionem ita claudit, et quasi trabali clavo figit:

Si placet hoc, gratare tui spe divite amici;
Si contra est, Christo tantum me linque probari [z].

C 2. Ausonio insuper respondit alio carmine [aa] *Continuata meæ*, in quo non jam suscepti instituti reddit rationes; sed protestatur se semper eum omnibus officiis excoluisse, colere, culturumque etiam pietate mansura post mortem, easdem in animis a corpore separatis affectiones mansuras existimans. Illud poema [bb] primæ Ausonii epistolæ respondet, et cuivis alteri in qua idem Ausonius Therasiam marito imperitare incusabat: aliquando post tres alias, duas hasce simul litteras forsan recepit Paulinus.

CAPUT XIV.

Junctissima Paulini cum Severo necessitudo.

1. Jam supra [cc] observavimus junctissimam Paulinum inter et Severum in seculo intercessisse amicitiam, quam postea neuter unquam dissolvit, quia [dd] ambo pariter ad Deum conversi, in Christo semper cohæserunt, pariter in caritatem ejus animati uno et tenore propositi et tempore conversionis; ita ut, cum Sulpicius Severus qui cum gaudio majorem in Paulino gratiæ copiam recognoscebat, ad Paulinum scripsisset [ee] ex duobus qui fuerant in agro unum assumptum, relictum alterum, Paulinus sic respondeat: *Cur in nos onerose, et de te falso loqueris.* [ff] *Eramus,*

[a] Paulin. carm. 10. [b] Ibid. [c] Auson. ep. 24. [d] Auson. ep. 25. [e] Paulin. carm. 10. [f] Ibid., v. 81. [g] Deo. [h] Ibid., v. 97. [i] Paulin. carm. 10, v. 14. [j] Ibid., v. 103. [k] Auson. ep. 25. [l] Paulin. carm. 10, v. 103. [m] Auson. ep. 24. [n] Paulin. carm. 10, v. 222 et seq. [o] Auson. ep. 23. [p] Paulin. carm. 10. [q] Ibid., v. 185. [r] Ibid., v. 232. [s] Cap. 14 et 15. [t] Paulin. c. 10, v. 201. [u] Paulin. carm. 10, v. 260. [v] Ibid., v. 190. [x] Ibid., v. 293. [y] Ibid., v. 285. [z] Ibid., v. 350. [aa] Paulin. carm. 11. [bb] Auson. ep. 23. [cc] Cap. 9. n. 4. [dd] Paulin. ep. 11, n. 6. [ee] Ibid. n. 6. [ff] Ibid., n. 5 et 6.

quidem, *et singillatim* **27** *duo, cum in nobis caro rebellis a spiritu dissideret... Duo fuimus, sed quando cum illis fratribus combinabamus; quorum a nobis per hoc propositum facta divisio est... Nunc vero propitio Christo, qui fecit utrumque unum, et duo unum sumus, quia unus spiritus in duobus... Quo impensiores debemus bono Domino gratias, quod respicere dignatus in humilitatem nostram, cum pariter in agro invenisset, pariter ut geminos ab utero carnis extraxit, et pariter assumpsit. Duo enim fuimus in agro, sed omnipotentia Dei, ausim dicere, ita de nobis unus assumptus est, quod neuter est relictus... Non simus ingrati Deo qui non unum ex nobis, sed unum assumpsit in nobis.*

2. Hæc amicitiæ [a] necessitudo omnibus vere Christianis communis est, sed in Paulino et Severo specialis erat et peculiaris. Multi spiritales viri, et sancti non pauci, ob Christi gratiam Paulinum diligebant, quorum affectus maximi pro patria, et parentibus, et patrimoniis ipsi erant, ea tamen quæ ab illis acceperat bona largius atque pretiosius in suo Severo compensata reputabat. *Illud in te*, inquit [b], *speciale nobis donum est, quod prædestinatos nos invicem nobis in caritate Christi junctissima prioris quoque vitæ amicitia signavit..... Nam in hanc qua modo interventu Dei nectimur copulam, per consuetudinem illius familiaritatis inolevimus....* [c] *In te uno, quæ accepimus bona si computemus, omnia nobis nostra in te largius atque pretiosius compensata reputabimus....*[d] *Pro parentibus, et fratribus, et amicis tu nobis factus a Domino es, qui et parentum cura anxius, et fraterna dilectione sollicitus, et tota non fictæ amicitiæ fide sedulus, omnibusque in nos pietatis visceribus effusus, assiduis nos litteris adeas, blandissimis solatiis mulceas :* [e] *Tuis erga humilitatem nostram officiis alios anteverteras, omnibus nostris, ut sæpe testati sumus, et amicis studiosior, et proximis religiosior, et fratribus diligentior.* Ideo eum maxime amabat. *Quid extorques*, inquit ad eumdem [f], *ut te plus amemus? crescere summa non recipit.... amoris tui cumulum facere non possumus. Si potest mare superfluere obices suos et quæcumque naturalem plenitudinem servant incrementum temporale sentire, potest et caritas in te nostra cumulari : quam suo fine complemus, cum te sicut nosmetipsos diligamus.* Idcirco [g] summum in eo jus animi se habere præsumebat Paulinus.

3. Paulino [h] et Severo fuerat commune votum sese Nolam recipiendi. Hocce anno 393 Severo scripsit Paulinus [i] epistolam quæ excidit, in qua dicebat se in Barcinonensi civitate consistere; ubi diu commoratus fuerit cum Sulpicius Severus ad eum [j] litteras rescripserit Elusone per hominem suum, qui octava die Barcinonem pervenit octoginta duas circiter leucas ab Elusone dissitam. Quam Elusonem in Gallia Narbonensi Itinerarium Burdegalense collocat a Tolosa duodecim fere leucas distantem, et tredecim saltem a Carcassona, circa urbem Podium ad Lertium, in finibus Tolosanæ diœcesis.

CAPUT XV.

Barcinone Paulinus presbyteratu initiatur invitus.

1. In votis habuerat Paulinus, ut superius observatum est [k], ultimum [l] in Ecclesia tenere locum, indignum se putans [m] inter sacerdotes **28** collocari, ut qui in domo Domini domesticus fieri ac benedicere solemniter Dominum non auderet recipere. Quod si tandem ad sacerdotium adigeretur, cum indignum se tam augusta muneris sanctitate duceret, per gradus paulatim evehi, perque longam servitutem se reddere digniorem volebat, et ad tumulum S Felicis Deo servire statuerat, [n] fores ecclesiæ aperire, mane limina munditiis curare, nocte sacris servare excubiis, et in munere isto claudere vitam : *Sed cui placuit segregare me*, inquit Paulinus [o], *ab utero matris meæ, et ab amicitia carnis et sanguinis ad gratiam suam trahere* (*Gal.* I, 15), *eidem placuit inopem me omnis boni meriti suscitare de terra, et de lacu miseriarum ac de luto fæcis educere, ut collocaret me cum principibus populi sui* (*Psal.* CXII, 8), *et partem meam in sacerdotum sorte poneret* : [p] *ut dum curro in odorem unguentorum ejus, fierem gutta ejus unguenti quod descendit in barbam Aaron* (*Psal.* CXXXII, 2). Cum igitur [q] in ecclesia Barcinonensi divinis interesset officiis *die Domini quo nasci carne dignatus est*, repentina vi inflammatæ plebis correptus est ut presbyter crearetur, sicut Hippone ante tres annos Augustino contigerat. Hæc populi contentio multum sane negotii molestiæque Paulino concivit, quia Nolam secedere statuerat, et illud tanquam novum insperatumque placitum divinæ voluntatis expavit [r]. Et quia si in Barcinonensi Ecclesia presbyteratu initiaretur, eidem Ecclesiæ juxta canones se alligari intelligebat, et quia monasticæ vitæ consilium fixum hærebat pectori, promotioni suæ consentire noluit; sed tandem illi concessum [s] est ejus quam optaret, Ecclesiæ servitio se mancipare. Itaque quamvis [t] cuperet calicem istum a se transire, nihilominus sciens Christum dixisse : *Non veni ministrari, sed ministrare* (*Matth.* XX, 28), necesse sibi fuisse judicavit dicere Domino : *Verum non mea voluntas, sed tua fiat* (*Luc.* XXII, 42); et tandem se consecrari [u] permisit ea lege ut diœcesi certæ non alligaretur, *in sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum Ecclesiæ dedicatus.* Ita Antiochiæ S. Hieronymus a Paulino ejusdem urbis episcopo presbyter fuit creatus circa annum 378. At [v] Paulinus noster anno 393 presbyter factus est, si Nolam (ut putamus) anno 394 se receperit; aut anno 392, si Nolam anno 393 secesserit, eo [x] scilicet anno quo se ad iter Nolanum

[a] Paulin. ep. 11, n. 5. [b] Ibid. [c] Ibid., n. 4. [d] Ibid., n. 3. [e] Epist. 23, n. 2. [f] Ibid., n. 1. [g] Epist. 5, n. 22. [h] Epist 1, n. 10. [i] Ibid. [j] Ibid., n. 11. [k] Cap. 7, n. 2. [l] Paulin. ep. 4, n. 4. [m] Epist. 2, n. 2. [n] Ep. 1, n. 10; et carm. 12, v. 36. [o] Ep. 4, n. 4. [p] Ep. 2, n. 2. [q] Epist. 1, n. 10; ep. 4, n. 4; et ep. 2, n. 2. [r] Epist. 1, n. 10. [s] Ibid. [t] Ep. 2, n. 2. [u] Ep. 1, n. 10. [v] Chiffl. p. 138. [x] Paulin. ep. 1, n. 10 et 11.

parabat sub proximum Pascha. Quod si [a] *dies Domini* quo presbyter creatus est diem dominicam designet, non festum diem Domino sacrum, dicemus eum anno 393 consecratum dominica die eaque Christi Nativitati sacra, cum eo Christi anno 393 esset littera dominicalis B, et incurreret in VIII calendas Januarias dominica dies. Initiatus ergo fuit sacerdotio a [b] Lampio Barcinonensi episcopo, qui,[c] ut videtur, suffectus fuerat S. Paciano sub Theodosio ante annum 392 vita functo.

2. Jam vero quo animi sensu, quanta submissione, quanta reverentia Christi jugo colla subdiderit, ipse persequitur : [d] *Data*, inquit, *cervice in jugum Christi video majora me meritis et sensibus opera tractare; jamque arcanis et penetralibus Dei summi receptum et insertum communicare cœlestia, et Deo propius admotum in spiritu ipso Christi, et corpore, et splendore versari. Vix adhuc intellectum sacræ molis capio mentis angustiis; et onus muneris mei conscius infirmitatis horresco : sed is qui sapientiam parvulis dedit* (*Psal.* XVIII, 8), *et ex ore infantium atque lactentium perficit laudem sibi, potens est in me opus suum perficere et munus ornare; ut se dignum faciat quem ab indigno vocavit.* Digna digno **29** et humili sacerdote verba! Quanta autem humilitate altari deserviret et tractaret mysteria pietatis, ex his quæ præcesserunt et proxime sequuntur colligere est. Sic enim scribit ad Amandum paulo post consecrationem suam : [e] *Præventi igitur a Domino, et apprehensi ab eo quem necdum apprehendimus, deservimus altario Dei, et mensis salutaribus ministramus, jam nomine officioque seniores, sensu autem adhuc parvuli, et sermone lactentes.* [f] *Quod ministerium ut bene ministrem, et gradum bonum mihi acquiram, et sciam qualiter oporteat me in domo Dei conversari et tractare mysterium pietatis, tu, domine venerabilis et frater, et domine in Christo nobis, ora Dominum in omni bono divitem, ut abundemus fide, et sermone, et scientia, et omni sollicitudine ... Præterea ipse epistolis tuis nos sæpe instrue necessariis supplementis; enutritus enim sermonibus fidei et bonæ doctrinæ, quam a puero in sacris Litteris subsecutus es, informa nos ad regulam directionis, pasce nos spiritali cibo, id est verbo Dei, qui est verus et vivens panis, et esca justorum qui ex fide vivunt.* [g] *Igitur quia facti sumus de ovibus pastores, et positi sumus in fundamento apostolorum et prophetarum, erudite et confirmate manus ad ædificandi scientiam, ut lapide qui factus est in caput anguli discam parietem utrumque connectere, et in templum sanctum atque in habitaculum Dei, corpora et corda fide mundata construere; per arma Apostoli potentia Deo omnem elationem extollentem se adversus scientiam Dei captivam ducere, omnem intellectum ad obediendum Christo perducere, evangelicam securim arborum radicibus admovere, et gladio spiritus, id est verbo Dei, interficere peccatores terræ, et scuto catholicæ fidei omnia jacula candentia nequissimi exstinguere et certamine decertato, cursuque decurso, fide servata, ministerio impleto, exspectare illud quod Dominus in illa die justus judex reddet omnibus qui diligunt adventum ejus* (*II Tim.* IV, 8). Paulini etiam humilitas in eo elucet quod Augustinum presbyter *fratrem* vix auderet appellare; ita enim ad eum scribit : [h] *Præsumptione igitur non mea, sed placito et ordinatione Domini, fraternitatis tuæ mihi fœdus usurpans, tanto indignus honore me dignor, quia te pro tua sanctitate certo scio non alta sapere, sed humilibus congruere.*

ANNO CHRISTI 394.

CAPUT XVI.

Sulpicium Severum ad Nolanum secessum invitat Paulinus. De sua ad sacerdotium promotione Amando scribit

1. Hoc [i] anno cum Paulinus Nolam secesserit, primum in laudem S. Felicis carmen natalitium ad anni Christi 394 mensem Januarium pertinere opinamur, [j] scriptumque fuisse in Hispania, unde Nolam post Pascha proximum profecturus sic patronum suum Felicem alloquitur [k] :

Jam desideriis immenso tempore fessis
Consule : jam vel sero memor miserere tuorum :
Perque orbem, magni qui nos procul æquore ponti
Disparat, obrutis quæ nos inimica retardant,
Pande vias faciles, et, si properantibus ad te
Invidus hostis obest, objecta repagula pelle
Fortior adversis, et amicos provehe cursus.
Seu placeat telluris iter, comes aggere tuto
30 Esto tuis : seu magna tui fiducia longo
Suadeat ire mari, da currere mollibus undis,
Et famulis famulos a puppi suggere ventos,
Ut Campana simul Christo duce littora vecti,
Ad tua mox alacri rapiamur culmina cursu,
Inque tuo placidus nobis sit limine portus.

Nec solum Paulino metuenda erant diaboli conamina, sed et pericula commissi Theodosium inter et Eugenium Occidentalis imperii usurpatorem [l] belli, quod nonnisi mense Septembri hujusce anni absolutum est. Ille est forsan hymnus [m] quem Alypius hoc eodem anno legerat. Vidimus supra [n] Sulpicium Severum Elusone anno præcedenti Paulino scripsisse, quod bona abdicare statuerat ac seculum fugere, et laborabat multum ut pro suo ac Paulini facto rationem redderet. Respondit [o] ei Paulinus paulo ante Pascha, et maximum illi gaudium testatus est de accepta ejus epistola, qua illius in pietate profectum cognosceret, eumque docet quomodo responderet iis qui ipsos despectui haberent, ut [p] supra retulimus. Scribit se ita consecratum presbyterum quod nulli Ecclesiæ sit alligatus, sicque voti communis sese Nolam recipiendi salvam esse rationem. Itaque eum hortatur ut Barcinonem veniat ante festum Pascha, qui dies anno 394 erat 2 Aprilis, si ipso sacerdote sacras ferias concelebrare vellet; aut saltem si jam in itinere Nolano vellet occurrere, statim post Pa-

[a] Paulin. ep. 1, n. 10. [b] Ep. 3, n. 4. [c] Hieron. Catal. c. 106. [d] Paulin. ep. 1, n. 10. [e] Ep. 2, n. 2. [f] Ibid. n. 3. [g] Ibid., n. 4. [h] Ep. 4, n. 5. [i] Chiffl. p. 145. [j] Paulin. carm. 12. [k] Ibid., v. 18. [l] Ruffin. lib. II, c. 33, et Ambros. de Fun. Theodos. [m] Paulin. ep. 3, n. 6. [n] Cap. 14, n. 3. [o] Paulin. ep. 1, n. 10. [p] Cap. 11, n. 2.

scha proficiscatur; statuerat enim Paulinus, elapsis feriis Paschalibus, Barcinone per Gallias in Italiam proficisci. Dicit se sperare quod Severum flagrantius desiderium ipsius inspirabit, ne ultra Pascha tempus differat; additque iter breve esse et facile, cum ipsius Severi puer de Elusone octava die Barcinonem pervenerit. *Verum quid de spatio agimus*, inquit [a], *si nos desideras, via brevis est: longa, si negligis.*

2. Sub idem tempus scripsit ad Amandum epistolam secundam in qua de consecratione sua multa scribit, quæ capite [b] superiori enarravimus. Quandoque tanquam [c] ad plures in ea sermonem facit, intelligens profecto aut clericos Burdegalensis Ecclesiæ, aut ipsum Delphinum episcopum. Cum Amando [d] commercia litterarum habuisse videtur Paulinus, unamque ab Amando accepisse diu desideratam epistolam. Hanc de Paulini episcopatu, non presbyteratu, interpretatur [e] Chiffletius. Nonnulla illius opinioni favent; nec mirum esset Paulinum eadem vi multitudinis coactum suscepisse episcopatum, qua sacerdotium. At satis aperte declarat [f] ipse Paulinus se ex ove pastorem factum, et laicum in apostolorum fundamento positum; seque presbyterum innuit [g] his verbis: *Jam nomine officioque seniores*

CAPUT XVII.

In Italiam venit Paulinus. A S. Ambrosio amanter ac honorifice excipitur, male a Siricio Romano pontifice.

1. Omnia conducunt ut credamus Paulinum statim post Pascha, sicut statuerat, per Gallias Nolam venisse; quidam [h] enim existimant illum in hanc remeasse regionem ut reliquorum bonorum suorum auctionem faciendam curaret. Vinum vetus Narbone sibi esse scribit [i] **31** ad Severum quem rogat ut Nolam pervehendum procuret. Narbone in Italiam parat iter mari, ubi quadam tempestate commotus patronum Felicem reclamavit, ut natalitio anni sequentis carmine patet [j]:

> Et maria intravi, duce te, quia cura pericli
> Cessit amore tui: nec te sine; nam tua sensi
> Præsidia, in Domino superans maris aspera Christo,
> Semper eo et terris te propter tutus et undis.

Italiam ingressus [k] S. Ambrosium vidit, cum in epistola [l] hoc eodem anno scripta dicat Paulinus se ab eo in fide innutritum et in sacerdotii ordine fotum, ac eum de suo clero censeri voluisse etsi diversis degeret locis. Hanc gratiam legibus Ecclesiæ non consentaneam, [m] Paulinum acceptam habuisse putat Baronius, additque eum fortasse in clerum Mediolanensem ideo cooptatum ab Ambrosio, ut post se haberet in sede successorem. Constat tamen [n] Ambrosium sibi successorem designasse S. Simplicianum. Post [o] Baronium, [p] Sacchinum et Chiffletium nonnulli

A Paulinum venisse Mediolanum censuerunt ut ibi Ambrosium videret; [q] melius dixissent Florentiam quo jam ab anno 393 se receperat Ambrosius ut tyrannum Eugenium fugeret, et per id tempus ut plurimum Florentiæ commoratus Ambrosius, nonnisi mense Augusto anni 394 [r] Mediolanum rediit.

2. Paulinus tandem Romam advenit, ubi pro suo merito et generis qualitate fuit honore ac veneratione ingenti exceptus a populo, et præcipue a S. Domnione Romanæ Ecclesiæ presbytero, quem [s] *sanctissimum parentem* vocat, a proceribus viris Romanis SS. Pammachio et Macario, [t] aliisque maximo numero Dei servis. At [u] quorumdam clericorum sensit invidiam, ipsiusque etiam *Urbici papæ*, ut vocat Paulinus, hoc est Siricii Romani pontificis, commotam,

B ut putat cardinalis [v] Baronius, quod Siricius repentinam Paulini consecrationem non probaret: vehementer enim incubuerat ut grassantem per ea tempora pravum morem elideret, quo laici homines aut etiam neophyti raptim in sacerdotes consecrabantur; et certa statuerat intervalla per quæ sensim ad sacræ militiæ ordines ascenderetur juxta ecclesiasticas regulas; et ideo forte dixerit [x] se Paulini consuetudinem nolle, aut forsan [y] inter presbyteros ei denegaverit in Ecclesia locum, ne scilicet repentinam ejus consecrationem probare, et latas a se leges ipsemet enervare videretur. Quamvis si qua fuisset in hac consecratione culpa, in Paulinum certe cadere non debuit, qui nihil per contumaciam commiserat, et quem [z] invitum ac inflammatæ plebis multitudine, et vi

C coactum fuisse presbyteratu initiatum omnes sciebant, legesque generales in hac singulari occasione cedere, ut in Ambrosio factum fuerat. Itaque [aa] in Siricio saltem inconsideratus zelus excusari non potest. At ex scripta Paulini ad Severum [bb] epistola 5 facile colligitur quorumdam clericorum ipsiusque Siricii invidiam ex eo commotam, quod adveniente Paulino Romam post tam longum temporis spatium omnium oculi in ipsum essent conversi, obstupescentium præ miraculo cum viderent senatorem, consularem virum, præfectum, jam presbyterum factum et monachum, qui gloriæ contemptu gloriam adipisceretur; indeque idem celebri concursu tum civium, tum exterorum, antistitum, clericorum, monachorum, atque laicorum frequentaretur officiis ac legationibus.

D Quamobrem ipse [cc] pacis filius, cum his **32** qui oderant pacem mente pacificus, sic male affectis livore animis non respondit contentionibus, sed silentio humilitatis, in corde habens illud Apostoli: *Si quis vult contentiosus esse, hoc nostra consuetudo non recipit* (*I Cor.* XI, 16); itaque nullo opportuniori remedio his occurrendum putavit, quam maturata ab Urbe

[a] Paulin. cap. 11, n. 11. [b] Cap. 15. [c] Paulin. ep. 2, n. 4. [d] Ibid., n. 1. [e] Chiffl. c. 23, p. 177. [f] Paulin. ep. 2, n. 4. [g] Ibid., n. 2. [h] Sacchin. Vit. Paulin. p. 679. [i] Paulin. ep. 5, n. 22. [j] Carm. 13, v. 14. [k] Sacchin. Vit. Paulin. p. 680. [l] Paulin. ep. 3, n. 4. [m] Baron. an. 394, § 89. [n] Vit. Ambros. 69, c. 11. [o] Ibid. [p] Sacch. Vit. Paulin. p. 680 et Chiffl. p. 142. [q] Vit. Ambros. lib. VIII, c. 11. [r] Baron. an. 394, § 89 et 92; et Sacch. p. 680. [s] Paulin. ep. 3, n. 3. [t] Ep. 5, n. 14; et ep. 13 et 49. [u] Ep. 5, n. 13 et 14. [v] Baron. an. 394, § 91. [x] Sacchin. Vit. Paulin. p. 680. [y] Baron., ibid. [z] Paulin. ep. 1, 2 et 3. [aa] Sacchin., ibid. [bb] Paulin. ep 5, n. 14; et Baron., ibid. [cc] Sacchin. p. 681, et Paulin. ep. 5, n. 13.

discessione. [a] Romam igitur relinquere properans in sui Felicis optatum sinum se abdidit, ut invidia quæ conspectu et præsentia sua alebatur, subducto fomite exstingueretur. *Denique a nobis*, inquit [b] aliquanto post, *Romæ zelotyporum incendia clericorum longinquitas urbis exstinguit, et omnis illic iniquitas obstruit os suum, quia per absentiam inde nostram, quasi subducto fomite, segnis odiorum flamma frigescit; nec in vocem audet erumpere licet dentibus frendeat invidia, dum iniquitatis suæ conscia ipsa se erubescit, nec in promptu habet ubi faces lividæ mentis accendat... Horum vix ad nos tenuis fama perlabitur, et ab auribus nostris spinarum sepe munitis, ut aura frigida vel importunum vacui culicis murmur excluditur.* Ad eamdem forte persecutionem spectaverit in eadem epistola illud quod sequitur : [c] *Etiam in causis vociferandis silere nos docuit ipse Dominus : ipsius ergo voluntatem et judicium taciti sustinemus, qui potens est et nunc in nobis tacere, et cum voluerit interpellare pro nobis.* Idipsum [d] in magnum divinæ gloriæ cedebat impedimentum, et Dominicæ gratiæ detrimentum faciebat, cum ab sequendis Paulini vestigiis non paucos rumor ille de alieno Romani pontificis animo retardaret. Hanc tamen Siricii zelotypiam paulo post fuisse sedatam [e] ex infra sequentibus patebit.

CAPUT XVIII.

Nolæ consistit Paulinus. Quam illic vitam instituerit.

1. Amœno [f] in agro ad quingentos ab urbe Nola passus ossa beati Felicis presbyteri et confessoris quiescebant, hodieque servantur. In eum veluti portum ubi Paulinus ab sæculi æstu fessam ratem invexit, dici non potest, ut respirarit, quibus gaudiis exundarit, ut amantissimo patrono se totum dicarit permiseritque, ac totum in omnem sanctitatis præstantiam effuderit. Urbs [g] Nola celebris est colonia in Campania, eaque maritima; octo leucas a Capua distans, seu [h] viginti mille passus, unum supra viginti juxta Antoninum in Itinerario; et ad unum supra centum sexaginta passuum millia ab urbe Roma, seu sexaginta quatuor leucas; quam tamen [i] centum et viginti mille passus solummodo a Roma dissitam dicit Paulinus. Hanc urbem maxime [j] commendabat S. Felicis tumulus, paululum [k] ab urbe remotus. Super tumulum erat [l] constructa basilica, et juxta eam ædificium [m] a terra suspensum cœnaculo, una porticu cellulis hospitalibus interposita, longius tendebatur. [n] E diverso habitationis ejusdem alterum erat domicilium in quo seculares viri aliquando hospitabantur : et hæc omnia [o] videbantur urbs altera. Illic [p] hortulus erat, quem S. Felicis [q] hortum vocabat Paulinus, cumque tam [r] angustum describit, ut vix unici caulis ferax et capax esset. Ex altera parte erat

A hortus [s] pomarius, ex quo privatus in S. Felicis basilicam aperiebatur ingressus. Cum Paulino habitabant **33** quidam servi Dei, inter quos [t] Proforus et Restitutus Hebræi. Domicilium suum Paulinus dicit [u] *monasterium*, et societatem suam vocat [v] *fraternitatem monacham*, quia omnes inhabitantes regulis monasticis addicti vitæ severiori incumbebant; ibi [x] adveniente luce matutinum officium celebrabant, vespertinum ad incensum lucernæ.

2. Facile colligitur eorum vivendi ratio ex quadam Paulini epistola [y], in qua cum dixisset sibi non placere homines seculares habere hospites, addit : [z] *Nos adeant et revisant conservuli et compallidi nostri, non vestibus pictis superbi, sed horrentibus ciliciis humiles; nec chlamide curtalini, sed sagulis palliati; nec*
B *baltheo, sed reste succincti; nec improba attonsi capitis fronte criniti, sed casta informitate capillum ad cutem cæsi, et inæqualiter semitonsi, et destituta fronte prærasi; et ornatu pudicitiæ inornati et decenter inculti sint et honorabiliter despicabiles, cum ingenitam quoque speciem corporis pro interiore cultu aspernantes, etiam studio deformantur, ut fiant pudenter inhonesti vultibus, dum perficiantur salutariter honesti mentibus... Quid nobis jure succenseant, si vicissim nobis fœteat odor vitæ eorum, quibus odor nostræ in mortem est? Ille jejunium meum horret, ego illius crapulam ferre non possum. Ille halitum monachi loquentis evitat, ego flatum Thrasonis ructantis effugio. Si illis displicet gutturis nostri siccitas, et nobis gulæ eorum cruditas. Si illos offendit frugalitatis ariditas, et*
C *nos ventrium offendit ingluvies. Videant ergo nos non mane ebrii, sed vespere jejuni ; nec hesterno inflati vino, sed hodierno abstemii; nec de crapula libidinis dementer instabiles, sed vigiliis honestatis integre saucii et sobrie temulenti, quos parcimonia faciat, non vorago, titubare.* Non solum singulis [aa] Quadragesimæ diebus ad vesperam usque differebat Paulinus cibum sumere, verum etiam [bb] Paschali tempore ante nonam nullus in familia edere præsumebat : toto anni curriculo [cc] ad vesperam edebant, et eorum cibi consueti herbæ et [dd] oluscula erant. Cum panem siligineum Paulinus [ee] pro eulogia mitteret ad Severum, dicit quod ei videbitur modum suæ humilitatis excedere : ex quo conficitur tam delicatum non fuisse panem cibarium quo vesceretur. Summa erat ejus in victu temperantia
D tum in ciborum tum in potus qualitate et copia, [ff] loquens enim de Cardamate tantæ sobrietatis insueto, dicit eum pene immutatum : *Nam assiduus*, inquit [gg], *mensulæ nostræ particeps, ita se ad mensuram nostri gutturis arctavit, ut nec oluscula, nec pocula nostra vitaverit quod poterit attenuatione sui corporis et oris pallore testari.* Et alibi, [hh] *Cum raris et minutis calicibus aspergeretur quibus labra summa vix tingeret, nihil*

[a] Paulin. ep. 29, n. 13; Baron. et Sacch., loc. supra cit. [b] Paulin. ep. 5, n. 13. [c] Ibid., n. 7. [d] Ibid., n. 14. [e] Cap. 22, n. 2. [f] Sacchin. Vit. Paulin. p. 681. [g] Lexic. Ferrar. [h] Paul. carm. 21, v. 404. [i] Carm. 14, v. 67. [j] Carm. 18, v. 166. [k] Carm. 24, v. 465. [l] Ep. 32, n. 10 et 13. [m] Ep. 29, n. 13; et carm. 23, v. 400. [n] Ibid. [o] Carm. 18. v. 169. [p] Ep. 11, n. 14. [q] Ep. 5, n. 14. [r] Ep. 39, n. 4. [s] Ep. 32, n. 12. [t] Ep. 5, n. 19. [u] Ibid., n. 15. [v] Ep. 23, n. 8. [x] Uran. n. 3. [y] Paulin. ep. 22, n. 1. [z] Ibid., n. 2. [aa] Ep. 15, n. 4. [bb] Ibid. [cc] Ep. 23, n. 8. [dd] Ep. 19, n. 4. [ee] Ep. 5, n. 21. [ff] Ep. 15, n. 4. [gg] Ep. 19, n. 4. [hh] Ep. 21, n. 6.

de vacui ventris aut sicci gutturis injuria querebatur. Modico tamen [a] vino usus fuisse videtur Paulinus etiam quadragesimali tempore, quod ab hujus ævi disciplina ecclesiastica prorsus alienum erat : nisi dixerimus eum infirmum et debilem, ut ipsemet testatur in epistola [b] ad Pammachium 13, potuisse uti Apostoli consilio. Tum de quibusdam [c] inventis hilariter loquitur, quibus Victor, de quo [d] alias fusius dicemus, eum instruxerat, ut parcius, simplicius et asperius viveret. Sua fercula [e] Paulinus dicebat esse aptissima quo senatoris poneretur fastidium : at [f] infirmo stomacho probabiliter fortiores fuere cibi quibus vesceretur. Divinas [g] laudes videtur de nocte celebrasse; gravi [h] sacco caprigenum tectum, ac setarum asperitate eum stimulatum et compunctum fuisse satis colligitur ex illius scriptis. **34** Cumque hujus generis [i] delicias Severus Paulino misisset, scilicet pallia camelorum pilis texta, ex his muneribus grandem captavit compunctionis et humilitatis materiam. Sane est quod miremur tantam austeritatem in tanto senatore, qui non solum naturaliter delicatus erat, sed et cujus [j] corpus semper infirmum. De [k] variis ejus morbis alias sermonem habebimus.

CAPUT XIX.

Quis fuerit paupertatis, voluntariæ corporis afflictationis, solitudinis et silentii amor in Paulino. De ejus litteris judicium S. Augustini.

1. Ab ejus austeritate non discrepabat externus apparatus. Omnia simplicia erant, vilia, spirantia humilitatem. Supellectilem argenteam a principio conversionis in ligneam mutavit ac fictilem, quam ideo amare se dicit [l], quia *vasa fictilia secundum Adam cognata illi essent, et Domini thesaurum in talibus vasis commissum haberet.* Scutellam [m] buxeam Severo misit tanquam spiritualis convivii munus, ut doceretur simili argento uti. Ad qualem paupertatis statum se redegerit Paulinus colligi potest ex [n] epistola 39, cum inopiæ necessitate se aliquando sale egere ponit. Ejus itaque [o] paupertatem admirabatur Severus, sed imitari se negabat posse. Et quidem nihil Paulinus [p] habebat nisi Christum, at omnia possidere se existimabat in eo qui omnia habentem haberet. In paupertate non fluctuabat aut diffidebat, nihil curans de crastino [q]; nec tamen amicos ad se invitare dubitabat : sciebat enim Deum sibi adfuturum qui se totum Deo crediderat et permiserat, neque tum defuturam illis vitæ mortalis alimoniam, quorum Deus cœperit esse possessio. Hanc paupertatem, voluntariam corporis afflictationem, humiliationem amabat, sperans se divitias, gloriam et gaudia æterna inde consecuturum.

Da mihi nunc lugere Deus fletuque salubri
  Præserere æternæ semina lætitiæ.
Hoc precor, hoc potius maneat mihi luctus in ævo,
  In quo quicquid adest per breve transit iter.
Ite procul, læti, fletum consortia malo,
  Ut brevibus lacrymis gaudia longa metam.
A Si modo lugentem gravis hirto tegmine saccus
  Caprigenum setis dum teget et stimulet.
Tunc Patre placato meriti reddentur honores,
  Annulus, et cinget me stola lætitiæ.
Tunc mihi jure Pater vitulum mactabis opimum,
  Si modo jejunus justitiam esuriam.
Malo famem panis quam sancti ducere verbi :
  Nolo domum vini, lucis aquam sitio.
Hic cruciet me dira fames, hic turpis egestas
  Contractum pannis tristibus obsideat.
Hic licet ante suas dives me transeat ædes
  Spernens vel micis me saturare suis.
Nolo mihi Tyrio modo serica murice vestis
  Ardeat, arsuri corporis invidia;
Ne post purpureos me flamma perennis amictus
  Ambiat, et pretium vestis in igne luam.
Hic potius miseri jaceamus in aggere fœdo
  Stercoris, et lambent ulcera nostra canes;
Ut placida tristem post vitam morte solutos
  Mitis ad occursus angelus excipiat [r].

35 2. Hilaritas illa et grata suavitas quam spirant B illius epistolæ, plane demonstrant quam maxime strictioris vitæ statu, quem elegerat, delectaretur. Itaque Augustinus paucis verbis vitam exponens quam in Campania Paulinus noster agebat, ait [s] : *Nunc Christo moderatore itineris sui quietus et modestus exsultat.* Neque enim ecclesiasticis rebus erat multum occupatus, licet tamen eodem tempore quo S. Augustinus [t] eum putabat sancto perfrui otio, illi essent [u] incredibiles occupationes; nec minus solitudini vacabat quam aliis pœnitentiæ operibus : quippe enim cum apud Pammachium se purgaret quod illius conjugis Paulinæ mortem serius cognovisset, ait [v] illi : *Neque videar de te negligentia mea serus audisse, cum ipsa me et loci remotio et propositi ratio defendat, quo secretus et tacitus agens neque videre nisi raros præ*C*tereuntium possum, neque interrogare de sanctis fratribus nisi caros volo.* Inde frequentes advenarum catervas qui ad S. Felicis tumulum veniebant nihil solitudinis ejus et silentii minuisse colligitur; remotus enim agebat, ut alibi [x] ipse testatur, et secretus silebat, eaque vivendi ratione [y] Romæ zelotyporum incendia clericorum exstinxit. Maxime autem in solitudinis tranquillitate et lætitia pacis coram Deo gratiarum actionibus vacabat, unde Augustinus ad Licentium suum scribens, ait : *Vade in Campaniam, disce Paulinum..., disce quibus opibus ingenii sacrificia laudis Christo offerat, refundens illi quidquid accepit ex illo, ne amittat omnia si non in eo reponat a quo hæc habet.* In observantia et [z] exspoliatione cordis sui totus erat, ut diaboli tela declinaret. Idcirco præ D dia vendiderat, et ab omnibus aliis se expedierat occupationibus, ut huic uni vacaret.

3. In [aa] scribendis litteris ejus humilitas fluentem styli venam ex una parte comprimebat, interdum abripi se caritatis æstu longius sinebat, cum loquendi necessitatem agnosceret : quanti autem faciendæ sint ex Augustino discamus, qui primis a Paulino acceptis litteris sic respondet [bb] : *Legi litteras tuas fluentes lac et mel, præferentes simplicitatem cordis tui, in qua*

[a] Ep. 15, n. 4. [b] Ep. 13, n. 2. [c] Ep. 23, n. 6 et 9. [d] Cap. 38, 39 et 47. [e] Ep. 23, n. 6. [f] Ibid., n. 9. [g] Ep. 29, n. 13. [h] Carm. 32, v. 451; et ep. 29, n. 1. [i] Ibid. [j] Ep. 13, n. 2. [k] Cap. 26, 35 et 53. [l] Paulin. ep. 5, n. 21. [m] Ibid. [n] Ep. 39, n. 4. [o] Ep. 11, n. 12. [p] Ibid., n. 14. [q] Ibid. [r] Carm. 34, v. 445. [s] August. ep. 26, n. 5. [t] Ep. 51, n. 4. [u] Ep. 95, n. 9. [v] Paulin. ep. 13, n. 2. Ep. 5, n. 7. [x] Ibid. et n. 14. [y] Aug. ep. 26, n. 5. [z] Paulin. ep. 24, n. 9, 13, et 14. [aa] Ep. 13, n. 1. [bb] Aug. ep. 27, n. 2.

quæris Dominum sentiens de illo in bonitate, et afferentes ei claritatem et honorem... Quotquot eas legerunt rapiunt, quia rapiuntur cum legunt. Quam suavis odor Christi, et quam fragrat ex eis dici non potest. Illæ litteræ cum te offerunt ut videaris, quantum nos excitant ut quæraris : nam et perspicabilem faciunt et desiderabilem; quanto enim præsentiam tuam nobis quodammodo exhibent, tanto absentiam nos ferre non sinunt. Amant te omnes in eis, et amari abs te cupiunt. Laudatur et benedicitur Deus cujus gratia tu talis es. [a] *Litteræ illæ, litteræ fidei non fictæ, litteræ spei bonæ, litteræ puræ caritatis, quomodo nobis anhelant sitim tuam, et desiderium defectumque animæ tuæ in atria Domini! Quid amoris sanctissimi spirant! quantam opulentiam sinceri cordis exæstuant! quas agunt gratias Deo! quas impetrant a Deo! Blandiores sunt, an ardentiores? luminosiores, an fecundiores? Quid enim est quod ita nos mulcent, ita accendunt, ita compluunt et ita serenæ sunt?*

CAPUT XX.

Importunas concupiscentis carnis molestias patitur Paulinus, Deum invocat, et seipsum despicit.

36 1. Augustinus sparsam ubique in Paulini scriptis [b] gemebundam observat pietatem, qua Paulinus Deum orabat et gemitibus flagitabat ne inferretur in tentationem. Omni [c] custodia servabat cor suum, et totus labor et plenum opus illi in observantia et exspoliatione cordis sui erat, ut defæcato ab externarum rerum curis animo, et intus ad semetipsum converso, abstrusas in corde suo inimici latebras videret, et quæ illic vitiorum virtus, ac carnis infirmitas, quam prona ejus esset ad pravitatem relapsio, et quæ Deum continuo exorandi necessitas incumberet; quamobrem ad Severum [d] scribit : *Credo jam expertus sis quam laboriosum nobis, et assiduum vel quotidianum cum hoc hoste certamen sit, et quantæ in eo versentur insidiæ, quæ illic vitiorum virtus et quanta virtutum infirmitas sit, quam prona ejus ad pravitatem relapsio, quam piger ad Deum nisus. Nunc mihi illa prius clausa intra me discordia diversæ legis aperitur : nunc sentio vim legis adversæ, quæ, velut injecta manu, captivum me trahere contendit in legem peccati : et recognosco quoniam beatus ille vir mea potius infelicitate uritur, et de mea affectione pro me dolens clamat : Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Sed idem Magister me recreat et reficit, ostendens mihi exitum salutarem, si tamen velle adjaceat mihi ut perfectionem merear invenire, gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, qui exorandus est ut prævalescat inimicis nostris, et tenebris superabundet : destruat in nobis aliena vel nostra, et ædificet sua.* [e] *Sicut exhaustione ruderum nudata humo sub immundis molibus multa aut nodamenta truncorum, aut residua spinarum, aut pleraque noxii generis animalia, et præcipue fetus aut cubilia viperarum deprehenduntur, sic remota* A *a nostro pectore temporalium rerum possessione et cura, jam nobis inspectione cordis nostri vacantes ab his quæ nos foras extrahebant, inveteratorum criminum nodos, et inimicorum spiritualium latebras in nostris sensibus invenimus. Nunc nobis apparere incipit interior domus, et illic reptilia quorum non est numerus. Nunc tota infelicitatis nostræ patescit obscuritas. Nunc demum quam longinqui a Deo sumus, et quam mortui in comparatione vivorum, videmus.* [f] *Intellige hæc, et cura nostri anxio corde suspira.* Cum aliquando postulasset Severus [g] Paulini imaginem, hinc abjiciendi sese atque despiciendi causam ille venatus est, et postulatum de homine interiore interpretans, ac hominis cœlestis imaginem in se ipso terrena corruptione inficiatam prætexens ingeniose elusit Paulinus. His B usus est verbis, quæ Augustinus epistola 186, n. 40, commemorat : [h] *Pauper ego et dolens qui adhuc terrenæ imaginis squalore concretus sum, et plus de primo quam de secundo Adam carneis sensibus et terrenis actibus refero; quomodo audebo me tibi pingere, cum cœlestis imaginem inficiari prober* **37** *corruptione terrena? Utrimque me concludit pudor : erubesco pingere quod sum, non audeo pingere quod non sum; odi quod sum, et non sum quod amo. Sed quid mihi misero proderit odisse iniquitatem et amare virtutem, cum id potius agam quod odi, nec elaborem piger id potius agere quod amo? Ipse discors mei intestino bello distrahor, dum spiritus adversus carnem et caro adversus spiritum dimicat, et lex corporis lege peccati legem mentis impugnat. Infelix ego qui venenatum inimicæ ar*C*boris gustum nec crucis ligno digessi; durat enim mihi illud ab Adam virus paternum, quo universitatem generis sui pater prævaricatus infecit.* Nihil pulcrius de originis vitio scribi potest, neque uberius et plenius agnosci naturam nostram per illum generis humani patrem vitiatam esse, nec mansisse ut condita est. [i] De humana miseria hic multa insuper connectit Paulinus ingemiscendo, exspectans redemptionem corporis sui, et nondum re, sed spe, salvum se esse cognoscens. Postquam hæc humiliter deploravit, [j] proficiendi ac recte vivendi adjutorium iis gemitibus postulat, [k] quibus omnes possint permoveri. In alia epistola ait : *Quis nos eripiet ab ira ventura? quis nos a nobis ipsis eruet, ut emundati a sensibus nostris, ab iræ cœlestis materia fide purgante vacuemur? In nobis* D *enim inesse sentimus causas pœnarum æternarum viventibus in corde nostro radicibus spinarum atque tribulorum.*

2. Hac ipsa humilitate, quæ in omnibus illius scriptis sparsa est, dicit [l] se mirari amicorum caritatem atque patientiam in perferendis scriptorum suorum, seu, ut vocat, ineptiarum suarum, molestiis. Ad Delphinum, a quo baptizatus fuerat, scribit [m] se timere ne illius animum bonæ de ipso spei præsumptione gaudentem, decepta exspectatione, contristet, quod ex illius documentis, exemplis, et ab eo collatis sibi sa-

[a] Aug. ep. 27, n. 3. [b] Aug. ep. 186, n. 41. [c] Paulin. ep. 24, n. 9. [d] Ibid., n. 10. [e] Ibid. n. 20. [f] Ibid., n. 21. [g] Paulin. ep. 30, n. 2 et 5. [h] Ibid., n. 2. [i] Aug. ep. 186, n. 40. [j] Paulin. ep. 30, n. 5. [k] Aug. ep. 186, n. 41. [l] Paulin. ep. 28, n. 4. [m] Ep. 10, n. 3.

erementis nullum fecisse in virtute progressum; itaque dicit illum adhuc habere quod pro ipso faciat imitatione illius qui sterilis ficulneæ commeatum a Domino vineæ deprecatus est. Cum Severo de pietate in familiam et servos fuisset gratulatus, ejus extollit felicitatem, et addit [a] : *Fatemur gemuisse nos ad infelicitatem nostram, quibus ab ejusmodi filiis sterilitatem graviora peccata fecissent; sed facti sumus quasi consolati, quia vicinum esse nobis tuæ felicitatis bonum judicamus.* [b] *Verum ne longiore intervallo nostra iniquitas inter nos et te separet, totum hunc, quo diebus et noctibus Deum mulces, sacræ pubis accinge delectum, ut adversum peccata nostra pro nobis aciem orationum dirigant, et exorent ut confirmet hoc Dominus quod operatus est nobis, id est ut caritate tua, in qua nunc acquiescimus et qua gloriamur, in illa die refrigeremur et gaudeamus.* Amandi precibus seipsum commendans ait [c] se indignum cujus nomen a sanctis viris divinis auribus ingeratur, ne forte labia eorum immunda fiant cum ipsum nominaverint. Item ad alium presbyterum scribit [d] : *Verum quia novissima hora est, et securis jam ad radices arborum posita, aridis et infelicibus lignis justum minatur excidium, quæso te ut indulgentiam mihi et laxamentum temporis depreceris, ut morte dilata forsitan succum feracitatis accipiam de caritatis tuæ diligentia et sollicitudinis meæ cultu, ut cor meum divinus timor fodiat et stirpem meam necessaria pœnitudo stercore humilitatis impinguet : deinde ego ad vigilantiam sollicitudinis excitatus omni hora paratus assistam, et Domino absente sim trepidus, ut adveniente securus sim.* Et alibi [e] : *Adventum ejus et diligimus miseri spe misericordiæ ejus, et horrescimus* **38** *peccatores timore justitiæ ejus.* Eamdem quam in epistolis servat in carminibus humilitatem; cum enim in quodam poemate de extremo judicio et Davidis pœnitentia egit, subdit [f] :

Quid facere heu! misero mihi competit? unde piabor?
 Unde satisfaciam? quanam ope salvus ero?
Pumiceum cor eget lacrymis, cinis horret ad escam,
 Deliciæque juvant esuriente anima.
Quis mihi suggeret ad lacrymarum flumina fontem,
 Quo mea deflerem facta meosque dies?
Nam mihi pro meritis actæ per crimina vitæ
 Ingentes plagas flumina flere opus est.
Rumpe mei lapidem cordis, salvator Iesu,
 Ut mollita pio viscera fonte fluant.
Tu, precor, o fons Christe, meis innascere fibris.
 Ut mihi viva tuæ vena resultet aquæ.

Cum [g] in titulo epistolæ Paulinum Severus *dominum* appellasset, et se illius *servum* adscripsisset, hanc laudem omnino exclusit Paulinus, nec in rescripto voluit eam Severo referre, *quia*, inquit [h], *tutius credidi vere scribere. Cave ergo posthac servus Christi in libertatem vocatus, hominis, et fratris, et conservi inferioris servum te scribere; quia peccatum adulationis est magis quam humilitatis justificatio, honorem uni Domino, uni Magistro super terram, uni Deo debitum, homini cuilibet, ne dicam miserrimo peccatori, deferre. Sufficit caritas de corde puro et fide* A *non ficta; quod autem abundantius est, a malo est.* In hac tamen laude admittenda facilem se præbebat, et eamdem tribuebat cum iis agens quibus minus familiariter utebatur, in re pene indifferenti morem et consuetudinem retinens, et servans honorem. Convivarum manibus [i] aquam ministrabat, ut in hac saltem minima humanitate S. Martino aliquatenus accederet; sed et ex eadem submissione, suique existimatione infima sibi vilior factus, immensis laudibus Victorem extollit unum e vulgo, qui sibi quædam ex caritate ministeria exhibuisset. *Audeo*, inquit [j], *rem oneris nostri fateri, dum tibi nihil de ejus bonis taceam quæ gaudium tuum esse certo scio, quoniam portio tua est bonum familiaris tui.* [k] *Servivit ergo mihi, servivit, inquam, et væ mihi misero, quod passus sum;* B *servivit et peccatori, qui non serviebat peccato, et ego indignus a servo justitiæ ministrabar. Sed hinc mihi levamen aliquod tanti ponderis spero, quod sancti fratris famulatum non superbia vendicari, sed contestandæ caritatis meæ, et fide capiendæ benedictionis admisi. Benedictio enim mihi erat sancta in nomine Dei famulatio, et in libertatis spiritu famula dilectio. Ob hoc voluntarium ejus bonum et pro ipsius utilitate suscepi, præsumens eo potentiorem exorandi pro me futurum, quo plus meriti de religionis operibus acquisisset. Aget profecto orationibus suis, ne meis oneribus accreverit, quod etiam ex me accessit fructibus suis. Dilexi enim, fateor, in ejus obsequio benedictionem, timens ne repudiata elongaretur a me.* Addit [l] quia et sibi pedes lavare voluit Victor, semel se tantum apostolico exem- C plo cessisse, quod in Victore Christum veneratus optaret *ut ad infirmitatis remedium melior se conservus aqua attingeret.* Quamvis eminens Paulini virtus in ejus admirationem omnium oculos et ora converteret, inter hos tamen plausus [m] nihil sibi de bonis operibus blandiens se servum inutilem asserebat. In virtute Dei et misericordia ejus spem suam omnem collocabat, a quo intellectum itineris sui petens, auxilium quo hanc curreret viam præstolabatur. Quin etiam in ipsis operibus bonis Dei judicia timebat. *Poterit nos*, inquiebat [n], *vel humilitas confessionis asserere* **39** *quasi modestos apud Dominum, quos commendare non poterit ut ignavos strenuæ servitutis utilitas.*

CAPUT XXI.

D *Se putat indignum qui sacram Scripturam exponat*

1. Paulinus semper latendi cupidus, nec se idoneum ducens qui Christianæ religionis sacramenta doctoris autoritate tractaret, opusculis levioris operæ contentus erat. Desiderio [o] presbytero qui explicationem postularat verborum quibus patriarcha Jacob filiis benedixit, humiliter respondet tantorum nominum et mysteriorum pondera se ne digito quidem ausum tangere. *De quo*, inquit [p], *mihi scripseras, aquam dulcem et copiosam in amaro et arente rivulo quærens, tuæ potius gratiæ explicandum refundo; nam*

[a] Paulin. ep. 27, n. 3. [b] Ibid., n. 4. [c] Ep. 12, n. 10. [d] Ep. 43, n. 6. [e] Ep. 19, n. 2. [f] Carm. 34, v. 415. [g] Epist. 5, n. 20. [h] Ibid. [i] Ep. 23, n. 4. [j] Epist. 23, n. 3. [k] Ibid., n. 4. [l] Ibid., n. 5. [m] Ep. 20, n. 4. [n] Ibid. [o] Paulin. ep. 43, n. 3. [p] Ibid.

me fateor tantorum nominum et mysteriorum pondera nec digito ausum tangere. Legi enim quia in malevolam animam non introibit sapientia (*Sap.* I, 4); *et ideo malitiæ meæ conscius non potui divinæ revelationis habere fiduciam, cum prudentiæ lucem tenebroso corde non caperem. Tu vero benedicte, vas mundum et aptum Deo, si accepisti intellectum benedictionis illius qua filios suos prophetico spiritu patriarcha in cæcitate corporis luminatus alloquitur, expone mihi rescripto mysteria regni*, etc. Ejusdem loci explicationem paulo post a Ruffino postulavit, *ut te magnæ gratiæ*, inquit ei, *ac laudis auctorem habeam, si his qui de me supra me opinantes consulendum me putaverunt, divina potius de tuo spiritu quam de meo sensu inepta, respondeam.* Cum in quodam carmine multa de Christi morte magnifico et sublimi stylo tractasset, se statim quasi [a] temeritatis et superbiæ conscium arguit, ac se [b] præsentiæ Nicetæ excusatione defendit, quæ insolitum sibi hunc incitavisset ardorem, et addit [c] :

> Sed reprimam tumidos flatus; nec magna super me
> Exiguus spirabo loqui, referarque relictæ
> Parvus humo, et plano modici pede carminis ibo.

Ad Augustinum scribit se nihil de beata Melania seniore sanctius aut melius posse prædicare quam ille in eam profatus fuerat, *ut quia*, inquit [d], *ego peccator immunda labia habens nihil dignum loqui potueram, ut longinquus a meritis fidei ejus animæque virtutibus; tu ille vir Christi, doctor in Ecclesia veritatis procurante in melius Dei gratia, parareris dignior tam virilis in Christo animæ prædicator, qui et mentem ejus divina virtute firmatam, ut dixi, spiritu propiore conspiceres, et mixtam cum virtute pietatem eloquio digniore laudares.*

2. Quanto erat vilior sui ipsius existimatio, tanto major erat apud alios illius fama qui eum in rebus obscurioribus consulebant, et præcipue apud Augustinum, qui Paulinum interrogavit, [e] quænam post resurrectionem carnis in illo seculo beatorum futura esset actio. Ad hæc ille respondit [f] : *At ego de præsenti vitæ meæ statu et magistrum et medicum spiritalem consulo, ut doceat me facere voluntatem Dei, tuis vestigiis ambulare post Christum, et morte ista Evangelica prius emori, qua carnalem resolutionem voluntario prævenimus excessu, non obitu, sed sententia recedentes ab hujus seculi vita quæ tota tentationum plena, vel, ut* [g] *tu aliquando ad me locutus es, tota tentatio est. Utinam ergo sic dirigantur viæ meæ post vestigia tua, ut exemplo tuo solvens calceamentum vetus a pedibus* **40** *meis disrumpam vincula mea, et liber exsultem ad currendam viam quo possim assequi mortem istam qua tu mortuus es huic seculo, ut vivas Deo in Christo vivente in te, cujus et mors et vita in corpore tuo et corde et ore cognoscitur, quia non sapit cor tuum terrena, nec os tuum loquitur opera hominum, sed verbum Christi abundat in pectore tuo, et spiritus veritatis effunditur in lingua tua superni luminis impetu lætificans civitatem Dei.* [h] *Quæ autem virtus hanc in nobis efficit mortem, nisi caritas quæ fortis est ut mors? Sic enim obliterat nobis et perimit hoc seculum, ut impleat mortis effectum per effectum Christi; in quem conversi, avertimur ab hoc mundo, et cui viventes morimur ab elementis hujus mundi. Nec tamquam viventes in eorum conspectu visuque decernimus, quia portio nostra mors Christi est, cujus a mortuis resurrectionem non apprehendimus in gloria, nisi mortem ejus in cruce mortificatis membris et sensibus carnis imitemur, ut jam non nostra voluntate vivamus, sed illius cujus voluntas sanctificatio nostra est.* S. Augustinus [i] ad sensum modestissimi viri se accommodavit. Ab Alethio consultus Paulinus respondit [j] in hunc modum : *In iis quæ mihi injungenda dives inopiæ æstimator putasti, sanctam quidem purissimæ caritatis fiduciam demonstrasti, fama tamen quantum intelligo, domestici operis persuadente inductus es ut secundum opus Domini, quo nobis curam redemptionis nostræ inspirare dignatus est, ingenii quoque et oris opes suppetere nobis arbitrareris, sed bonam concupiscentiam magna fide vacuis opinionibus spes illusa decepit. Unde enim mihi tantum aquæ, quantum sitis? Unde tale poculum, quod digne bibas? Unde tanti panes, quantos postulas? Sed ipse tibi auctor injuriæ tuæ eris diutius esurire qui evangelicos lucis et vitæ cibos in alta hujus seculi nocte desiderans, somnolenti et pauperis amici egenam penum pulsas, qui flumina aquæ vivæ sitiens, arentem venulam scalpis, et humorem de pumice conaris exprimere. Aut enim nullus mihi de inspirantiæ siccitate, aut amarus de malitiæ felle fons intus est, quem utinam orationes et litteræ tuæ sæpius impensæ mihi exundare ac dulcescere faciant fidei tuæ ligno et eloquii suavitate.* De duobus libellis a se compositis, cujus alter erat Panegyricus seu Apologia pro Theodosio imperatore, et cujus desiderium doctis viris intolerabilius reddit magnifica illa S. Hieronymi approbatio, ita ad Severum suum scribit [k] : *Ut aliquid de præceptis tuis facerem, misi ex his quæ metuo ne inertiæ potius vel imprudentiæ meæ testimonia sint quam supernæ ministrationis insignia, aut certe vel humanæ documenta sapientiæ : misi tamen tibi, id est commisi meo pectori meas nugas, non ut sensus tuos polluant tenebræ meæ, sed ut tuis sensibus diluantur. Nugas autem meas de verbis ac sententiis meis dixi : cæterum materia sancta, et tuo potius ingenio eloquioque digna etsi meis sermonibus velut atro habitu vestiatur, speciem tamen divini luminis, interni decoris, quanquam in egenæ supellectilis vilitate custodit.*

CAPUT XXII.

Paulini pietas erga sanctos, et præcipue in sanctissimum patronum Felicem. Quotannis ad sacra apostolorum corpora coram veneranda Romam petit.

1. Quam memor esset beneficiorum Dei, quas gratiarum actiones refunderet Deo, proclive intellectu est ex grato et fideli obsequio quo sanctissimo pa-

[a] Carm. 24, v. 307. [b] Ibid., v. 315. [c] Ibid., v. 320. [d] Ep. 45, n. 5. [e] Ibid., n. 4. [f] Ibid. [g] August. ep. 95, n. 2. [h] Ibid., n. 5. [i] Ibid., n. 2. [j] Paulin. ep. 33, n. 2. [k] Epist. 28, n. 6.

trono Felici famulabatur, **41** per quem Dei dona sibi concessa existimabat. Natalem illius festum omnibus exsultationis et lætitiæ diem esse dicit, sed sibi specialiter.

> Quod nos tibi Christus
> Esse dedit viles caro largitus amico :
> Non quia tu dignus famulis tam vilibus esses
> Æternis dignate Deo comes ire triumphis.
> Sed quia nos inopes justi indignosque salutis
> Sic voluit ditare Pater bonus, ut male dites
> Criminibus versa in melius vice divitiarum
> Pro cunctis opibus cunctisque affectibus, et pro
> Nobilibus titulis et honoribus omnia vanis,
> Felicem caperemus opes, patriamque, domumque.
> Tu Pater, et patria, et domus, et substantia nobis,
> In gremium translata tuum cunabula nostra,
> Et tuus est nobis nido sinus; hoc bene foti
> Crescimus, inque aliam mutantes corpora formam,
> Terrena exuimur stirpe, et subeuntibus alis
> Vertimur in volucres divini semine verbi.
> Te relevante jugum Christi leve noscimus : in te
> Blandus et indignis, et dulcis Christus amaris.
> Ista dies ergo et nobis solemnis habenda,
> Quæ tibi natalis; quia te mala nostra abolente
> Occidimus mundo, nascamur ut in bona Christo [a].

Nihil dubitabat Paulinus se amari a S. Felice, saltem ut dominus [b] catellum amare dignatur :

> Cum mihi vita, domus, res, gratia, gloria, panis,
> Sit Felix donante Deo [c].

Cum illius domus hujusce sancti basilicæ cohæreret, eum sæpe sæpius [d] *dominædium* suum, tanquam dominum ædium, appellat; [e] itemque domum suam et hortulum suum, S. Felicis ædes et hortum vocat. In [f] vigilia solemnitatis S. Felicis cum tota familia jejunare solebat, et libatis vespere sacris, solutoque cœtu, domum remeabat; et sumpta dape, exsultans Deo hymnis et psalmis noctem omnino aut ex parte producebat. Corpore [g] et spiritu quantum poterat cœlesti illi patrono quotidie famulabatur, sed solebat quotannis natalem hujusce sancti diem novo natalitio carmine honorare, lingua dulcissimum voluntariæ servitutis tributum pensitans, immolans Christo hostiam laudis, et reddens Altissimo vota sua. Supersunt quindecim illius de S. Felice natalitia carmina, ex quibus totam confessoris vitam, sacra certamina, et patrata ad sepulcrum ejus miracula habemus; ita ut, si Paulinus noster sanctissimo Felici suæ debet gloriam conversionis, vicissim S. Felix suam apud homines gloriam debeat Paulino, qui S. Felicis Nolani nomen tum basilicarum magnificentia, tum carminibus longe lateque per terras venerabile et inclitum fecit. In sequentibus [h] videbimus quomodo illius basilicam amplificaverit et ornaverit. Sed quantavis pietate coleret S. Felicem, et licet tam læto animo se Deo ad ejus tumulum pro toto vitæ suæ spatio devovisset, scribebat tamen ad Augustinum [i] ita se in illo quo feliciter utebatur, loco perseverare decrevisse, ut, si quid de se aliud Domino placuerit, ejus voluntatem suæ esset prælaturus. Item Sulpicio [j] scribit se limo terræ in hortuli sui, qui solus e tam multis prædiis sibi supererat, glebula se non teneri. Nec solummodo S. Felicem colebat, sed et alios sanctos, ut ex ejus scriptis constat, maxima venerabatur reverentia, ac præ cæteris S. Martinum Turonensem episcopum, ejusque discipulum Clarum.

2. Singulis [k] annis Romam ad natalem apostolorum se conferebat pro veneratione apostolorum et martyrum, ut ad eorum sacras **42** memorias vota sua offerret : quam ob causam dicit se eo proficisci solitum [l] *æstate labente*, quibus tamen verbis non videtur aliud denotare quam totam æstatem. Difficilius est conciliare quæ dicit in [m] epistola quadam idibus Maii data, nempe se ivisse Romam post Pascha Domini juxta solemnem suum morem pro apostolorum et martyrum veneratione. Neque enim dici potest eum bis singulis annis Romam venisse [n], cum ipse suum *iter annuum* vocet; itemque ad eum Augustinus [o] : *cum Romam toto anniversario pergitis*; quin et Paulini ad Delphinum [p] epistola vigesima ipsum quotannis semel tantum eo ivisse satis indicat. Nec etiam dici potest tam proximum Paschati fuisse Natalem apostolorum, cum ipse testetur hunc festum æstate fuisse celebratum; neque ullum videtur esse dubitandi fundamentum quin Natalis ille dies fuerit Petri et Pauli. Etenim cum perrexit Romam post Pascha, non dicit, ut alias, se adiisse Romam ad natalem apostolorum. Simile igitur vero videtur eum (cum necessitas illi incubuerit eo anno pergendi Romam paulo post Pascha, cumque eo se rursus ad natalem apostolorum non iturum judicaret), illud iter extra consuetum temporum ordinem susceptum pro ordinario habuisse, eumque Romam se contulisse ea mente, ut eam tum sanctis venerationem quam mense Junio solitus erat exhiberet. Hominum [q] turbis opprimebatur cum sic Romam veniebat. Tempus [r] ante meridiem in votis suis per apostolorum et martyrum sacras memorias consumebat; cumque deinde ad hospitium redierat, innumeris visitantium frequentationibus occupabatur, quas partim amicitia, partim religio contrahebat : ita ut vespera tantum solveret cœtus, Paulinique animum laxaret; et cum totos ibi [s] decem dies ageret, aliquando tamen epistolam scribendi, aut aliquid sine intermissione legendi facultas illi non erat. Ab ipsis temporibus Siricii hanc inierat consuetudinem, quandoquidem cum se Romam contulit primum sub [t] Anastasio papa anno trecentesimo nonagesimo nono, testatur se illud iter *solemni consuetudine* confecisse : atque ita probabile omnino videtur Siricium brevi eam, qua in Paulinum arserat, zelotypiam deposuisse [u].

CAPUT XXIII.

Paulinus amicitiam jungit cum Augustino et aliis in Africa sanctis.

3. Brevi admodum tempore sane postquam Nolam

[a] Paulin. carm. 15, v. 5. [b] Carm. 24, v. 602. [c] Ibid., v, 603. [d] Ep. 5, n. 15; 18, n. 3; 28, n. 6; 32, n. 10, et carm. 20, v. 109. [e] Ep. 5, n. 15 et 16. [f] Carm. 20. v. 111. [g] Ep. 28, n. 6. [h] Cap. 42 et 43. [i] Aug. ep. 80, n. 2. [j] Paulin. ep. 11, n. 14. [k] Paulin. ep. 17, n. 2; 20, n. 2; 43, n. 1; 45, n. 1; et Aug. 95, n. 6. [l] Ep. 17, n. 1. [m] Ep. 45, n. 7 et 1. [n] Ep. 43, n. 3. [o] Aug. ep. 95, n. 6. [p] Paulin. ep. 20, n. 2. [q] Ep. 45, n. 1. [r] Ep. 17, n. 2. [s] Ep. 45, n. 1. [t] Epist. 20, n. 2. [u] Vide cap. 17, n. 2.

se receperat Paulinus, per [a] Julianum suum hominem A de Carthagine revertentem ei redditæ sunt Alypii litteræ [b], quibus amicitiam cum eo jungeret; etiamque ab eo accepit Augustini librum de Vera Religione, et ejusdem alios quatuor adversus Manichæorum hæreses. Simul Paulinum rogabat Alypius ut sibi mitteret [c] Eusebii de cunctis temporibus historiam, quam Romæ apud Domnionem reperiret. Ex quibus apparet Alypium credidisse Paulinum non tunc in Hispania aut in Galliis degere, verum Nolæ, aut Romæ. [d] Aurelius Carthaginensis episcopus ad eum sub idem tempus scripsit, et quædam de Augustino commemoravit. [e] Gratissimæ Paulino fuerunt illæ litteræ, et istam Dei amicorum in ignoto orbe erga se benevolentiam reputavit [f] **43** gratiam retributoris Dei pro patrimoniis, patria et parentibus ejus causa derelictis. B Ex eo tempore [g] Augustinum et miratus est multum, et veneratus est peramanter. Accersivit [h] Roma Eusebii de cunctis temporibus historiam (unde fuit respondendi mora) quam misit Aurelio, qui eam redderet Alypio ad quem una dedit Paulinus litteras, quæ etiamnum exstant, in quibus Alypium rogat [i] ut omnem vitæ suæ historiam sibi referat. Ad eum etiam [j] misit panem, quem petit ut accipiat pro eulogia: quod fuit [k] in more positum apud Paulinum. Augustinus, apud quem is mos non obtinuerat, Paulino tamen [l] misit panem cum epistola, in cujus fine erat, *Panis quem misimus uberior benedictio fiet dilectione accipientis vestræ benignitatis.* Unde non immerito dixerimus panes illos fuisse benedictos, quod et *eulogiæ* verbum indicat. Cum Paulinus [m] panes quin- C que ad Romanianum mitteret, ad eumdem hæc scripsit. *Ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de buccellato Christianæ expeditionis, in cujus procinctu ad frugalitatis annonam militamus, panes tibi quinque pariter et filio nostro Licentio misimus: non enim potuimus a benedictione secernere, quem cupimus eadem nobis gratia penitus annectere.* Possumus igitur inde interpretari panes istos non ad quosvis indiscriminatim fuisse missos, sed ad fideles vulgo, nam [n] apparet Licentium baptismatis nondum aquis tunc fuisse renovatum: in quo pane Paulinus [o] dicit contentam fuisse Trinitatis soliditatem, forte quia [p] trifidus erat. Eusebium Cæsariensem [q] *venerabilem episcopum* vocat Paulinus: unde probatur, D quod ipse [r] fatetur, eum in Historia fuisse rudem.

2. Sub idem tempus ad Augustinum [s] misit litteras quibus conglutinaret caritatem, quam inter se a Spiritu Sancto per Alypium formatam esse confidebat. Ab eodem Augustino omnia quæ scripserat opera expostulavit. Has [t] litteras per unum e suis ad Augustinum aliosque Deo dilectos salutandos *ante hiemem* misit. Cumque ex Augustini historia id fieri non potuerit neque ante neque post annum trecentesimum nonagesimum quartum, inde necesse habemus dicere jam tum temporibus istis Nolam sese recepisse Paulinum. Merito etiam quis posset credere in illa urbe eum commoratum fuisse vel ipso anno trecentesimo nonagesimo tertio, presbyterumque fuisse ordinatum anno 392. Sed maluimus cum Baronio et Chiffletio id rejicere in annum sequentem, quia videtur Alypium voluisse cum eo jungere amicitiam ubi rescivit eum Nolam adventasse. Quod si sacrum presbyteratus ordinem die dominica suscepit vigesima quinta Decembris die, ea die incidit dominica anno trecentesimo nonagesimo tertio, non vero anno 392. Quin etiam series carminum quæ singulis annis in honorem S. Felicis scripsit Paulinus, facile eo modo cum historia temporum congruit. Dicit sibi fuisse tum [u] eam ætatem, qua fuit claudus ab apostolis Petro et Johanne in porta Speciosa sanatus, nempe quadragesimum et supra annum: unde conclusimus eum natum esse anno circiter trecentesimo quinquagesimo tertio; itàque anno uno erat superior Augustino die decima tertia Novembris anni trecentesimi quinquagesimi quarti nato. In natalibus vero animæ dicit [v] sibi tempus illud esse infantiæ, quæ, intentatis Christo vulneribus, immolata et dominicam auspicata est passionem; **44** quibus verbis [x] indicare videtur innocentium ætatem, nempe biennium, propter illa verba, *a bimatu*, etc. Unde et illud quod iniit facultates abdicandi consilium, sicuti et quod dicit de natali suo spiritali, retulimus ad annum trecentesimum nonagesimum secundum.

CAPUT XXIV.

Paulinus scribit ad Hieronymum, a quo responsum accipit. Theodosii panegyricum celebrat.

1. Cum eo anno [y] puerum suum ad sanctos in Africa salutandos miserit Paulinus, eodem forte et tempore et consilio in Palæstinam Ambrosium quemdam [z] misit et per eum litteras et munusculum ad Hieronymum, cui significabat se velle ab eo Scripturæ sacræ mysteria ediscere. Suavissimæ Hieronymo fuerunt illæ litteræ, quæ a principio amicitiarum (quod indicare videtur nullas prius utrinque missas fuisse epistolas) fidem probatæ jam et veteris amicitiæ præferebant, item Paulini prudentiam et eloquii venustatem. Adfuit [aa] etiam apud Hieronymum Eusebius quidam, Cremonensis forte, cui cum notissimus aliunde carissimusque esset Paulinus, eum amplius apud ipsum commendavit, referens honestatem morum illius, contemptum seculi, amicitiæ fidem, amorem Christi. Hieronymus igitur ad eum his de rebus epistolam centesimam tertiam misit, in qua [bb] illius studium et sciendi laudat ardorem; neque enim quemquam in sacris Scripturis sine prævio et monstrante semitam posse ingredi dicit; sese magistrum renuere, sed comitem spondere, simul quæsiturum, simul ve-

[a] Paulin. ep. 3, n. 1. [b] Ibid., n. 2. [c] Ibid., n. 3. [d] Ep. 6, n. 2. [e] Ep. 3, n. 1. [f] Ep. 11, n. 3. [g] Ep. 3, n. 2. [h] Ibid., n. 3 et 6. [i] Ibid., n. 3. [j] Ibid., n. 6. [k] Vide not. 8. [l] Aug. ep. 31, n. 9. [m] Paulin. c. 7, n. 3. [n] Aug. ep. 36. [o] Paulin. ep. 3, n. 6. [p] Vide not, 7. [q] Ep. 3, n. 3. [r] Ep. 28, n. 5. [s] Ep. 4, n. 1 et 5. [t] Ep. 6, n. 1. [u] Epist. 4, n. 3. [v] Ibid. [x] Sacchin. Vit. Paulin. p. 664, et Chiffl. part. 2, c. 5. [y] Paulin. ep. 6, n. 1. [z] Hieron. ep. 103, t. III. [aa] Ibid. [bb] Hieron. ep. 103.

titurum, simul pulsaturum. Deinde festinet, rogat, et ne recrastinet, diem de die trahens, caute et pedetentim possessiones suas vendere; eas potius projiciat, et hærentis in salo naviculæ funem magis præscindat quam solvat, Deo se totum dedat; Christum aliunde habere unde pauperes alat; Christo, non superstitibus sibi fortasse facultatibus, confidat. Qua exhortatione tam sancta indicat Hieronymus vereri se, ne si retinuerit pristinarum aliquid facultatum Paulinus, quibus sub prætextu eleemosynæ sapientius deinde pauperibus distribuendæ incubuerit, illis paulatim irretiatur rursus; neque etiam in tota epistolæ serie laudat tam egregium facinus, cujus exitum necdum plane perspectum habebat. Verum postea cum proculdubio audiit quam libens sua seseque ipse Deo obtulisset, non solum [a] miris eum et inauditis ornavit laudibus; sed et monuit potius ut sapienti discretione aliquid de zelo remitteret quo facultates erogabat, quam excitavit ut eum augeret. Baronius [b] existimavit illam epistolam fuisse scriptam ad alium quemdam Paulinum, non ad Nolanum; sed qui [c] post eum illud diligentius perscrutati sunt, credidere rationes quibus nititur eius opinio, postponendas esse iis quibus infringitur.

2. Sub idem tempus Paulinus Theodosii panegyricum celebravit, si assentiendum est [d] Gennadio asserenti hanc orationem fuisse a Paulino ipsi Theodosio dicatam, qui quidem princeps 17 Januarii die, anno trecentesimo nonagesimo quinto obiit. Argumentum [e] suppeditarunt victoriæ quas a tyrannis Maximo scilicet et Eugenio **45** retulit, qui Eugenius victus duntaxat fuit mense Septembri, anno 394. [f] Endelechius Paulini amicus, idemque Christianus, illi hujus operis auctor fuit. Creditur hic esse [g] sanctus Severus Endelechius cujus etiamnum exstant nonnulla carmina. Paulinus eo libentius hunc ab amico [h] laborem suscepit, quod in Theodosio non tam imperatorem quam Christi servum; non dominandi superbia, sed humilitate famulandi potentem; nec regno, sed viva et ardenti fide, principem prædicaret. Ostendit [i] etiam Theodosium vicisse potius fide et precibus, quam armis. [j] Legum item ab ipso latarum utilitatem ea in oratione commendat. *Felix Theodosius*, inquit Hieronymus scribens Paulino, *qui a tali Christi oratore defenditur. Illustrasti purpuras ejus, et utilitatem legum futuris temporibus demonstrasti.* Jam cætera retulimus quæ scripsit [k] Hieronymus in laudem illius orationis, quam verius [l] apologiam quam panegyricum dixeris. Ad [m] Endelechium eam misit Paulinus, quam non edidit; illius tamen exemplaria ad suos amicos [n] Sulpicium Severum scilicet, et [o] Hieronymum, misit. [p] Præscripserat libello suo pro themate epistolam, qua hujus opusculi sibi fuisse auctorem Endelechium dicebat. Eam

A orationem dubio procul legerat Augustinus: verum si est ille libellus [q] *Adversus Gentes*, quem ab eo petit anno trecentesimo nonagesimo sexto, quem nondum plane absolutum videtur supponere: eum vivo Theodosio non scripsit, neque eum ipsi dedicavit, ut Gennadio placèt. Augustinus [r] denotare videtur illum panegyricum his verbis: *Christiani quoque imperatores plenam gerentes fiduciam pietatis in Christo, de inimicis sacrilegis, qui spem suam in sacramentis idolorum dæmonumque posuerant, gloriosissimam victoriam perceperunt; cum apertissimis notissimisque documentis, de quibus nonnulli jam scriptum memoriæ commendarunt, illos fallerent vaticinia dæmoniorum, hos firmarent prædicta sanctorum.* Quibus verbis constat eum indicare cladem Eugenii et Arbogasti. Men-
B tionem etiam facit Cassiodorus [s] libri quem Paulinus de Theodosio scripserat, sed quæ de eo refert, ex Hieronymo excerpsisse videtur.

CAPUT XXV.

De Paulini necessitudine cum Sancto et Amando.

1. Non facile conjicitur an ille Sanctus Endelechius ad quem Paulinus misit Theodosii panegyricum, idem ille sit cui epistolam quadragesimam scripsit. Nomen *Sanctus* erat utrique commune. Cumque evidenter appareat Sanctum istum [t] hymnos Christianos composuisse, quorum aliquos ad Paulinum miserat, ea persuadere possunt unum et eumdem esse Sanctum: et constat Paulinum cœpisse [u] eum diligere vel nondum renatum. Aliunde vero quamvis etiam
C tum temporibus istis Romani multis insignirentur nominibus, videtur tamen in usu idem semper fuisse adhibitum. Itaque cum Paulinus alium vocet semper Endelechium, alterum semper Sanctum cum ter quaterve illius nomen repetit, non sine fundamento videtur posse concludi eos a se invicem esse diversos. Accedit eodem quod Paulinus [v] videtur innuere ex quo fuerat ad Christum conversus **46** unam se dumtaxat ad Sanctum misisse epistolam, a quo recepisset unam tantum eamque brevissimam, neque mentionem sui panegyrici facit, quem nec dicit Endelechium a se petiisse. Quis igitur fuerit ille Sanctus non plane apparet, nec liquido constat, nisi quod, cum loquitur [x] Paulinus de eo tempore quo corruptelæ mundi servierat, videtur de se simul et de Sancto
D habere sermonem.

2. Se jugiter dilexerant Paulinus et Sanctus [y] familiaritatis humanæ amicitia, et quæ radicem in cordibus non habebat, quia non ædificata erat in Christo. Eos sibi multas invicem misisse litteras apparet, quibus tamen anima Paulini non replebatur. Cum nuntium remisit mundo, Sancti [z] amicitiæ non item renuntiavit Paulinus, sed litterarum officium intermisit; [aa] semel solum ei scripsit, et recepta ab eo bre-

[a] Hieron. ep. 13. [b] Baron. an. 394, § 6. [c] Sacchin. Vit. Paulin. p. 634. [d] Gennad. Catal. c. 48. [e] Ibid. [f] Paulin. ep. 28, n. 6. [g] Vide not. 125. [h] Paulin. ep. 18, n. 6. [i] Gennad. Catal. c. 48. [j] Hieron. ep. 13. [k] Ibid. [l] Ibid. [m] Paulin. ep. 28, n. 6. [n] Ibid. [o] Hieron. ep. 13. [p] Paulin. ep. 28, n. 6. [q] Aug. ep. 31, n. 8. [r] Aug. in Faust. 22, c. 76. [s] Cassiodor. lib. Div. Institut., c. 21. [t] Paulin. ep. 41, n. 1. [u] Ep. 40, n. 2. [v] Ibid., n. 1. [x] Ibid. n. 4, 5 et 6. [y] Ibid., n. 2. [z] Ibid. [aa] Ibid., n. 4.

vissima epistola, credidit persolutum esse officii debitum; et diuturnæ satis taciturnitati sese iterum reddit, donec [a] spiculis caritatis Christi vulneratus Sanctus prævenit Paulinum in verbi Dei dulcedine per eloquia litterarum casta et fidelia, ut ipse testatur Paulinus; ita ut judicare possimus eum, sicut et Paulinum, novum vivendi instituisse modum; et sane Paulinus ait in eo habitare [b] caritatem de corde puro, et bona conscientia, et fide non ficta. Verbis [c] beatificantibus Sanctus in suis litteris Paulinum honorabat quod Christi verbum [d] complesset jubentis omnia vendere quæ possideret. Scribendi ad Paulinum Sanctus sibi [e] fecerat participem Amandum quemdam, alium porro ab episcopo Burdegalensi; quem apparet non plane fuisse Paulino notum. *Puerum Domini benedictum* vocat eum Paulinus, et ab eo [f] preces expostulat. Adnotarant Sanctus et Amandus [g] in tergo epistolæ suæ indicem epistolarum Paulini, quibus Sanctus nonnullos adjecit hymnos quos Paulinus desideraverat, et in quibus, ut videtur, decem virginum referebatur parabola. Maximo perfusus est [h] gaudio Paulinus, accepta ea epistola; et in hac, quam remisit ad utrumque, dicit se eam unam computare a Sancto sibi redditam, quia talem ab eo qua repleta esset anima ipsius adhuc semel acceperat, se ad Sancti litterarum desiderium excitari, modo [i] caveat eum onerare laudibus quibus se indignum omnino censebat. Deinde ad pietatem quasi seipsum hortatur egregia oratione, at proculdubio qua Sanctum informet, quem multis in locis alloquitur. De [j] seipso solita humilitate verba facit, et posset videri tunc reptantem ævi spiritalis infantiam adhuc agere, nisi [k] diuturnum silentium quo cum Sancto erat usus induceret ad credendum eum jam a multis annis Nolæ commorari. [l] At enim dicit, senectutem canis caput non spargere modo, sed et profundere. Possumus solum judicare eum scripsisse antequam ad episcopatum fuisset promotus, atque idcirco ante annum quadringentesimum octavum, cum [m] scribat una cum Therasia. Dicit [n] se aliquid accepisse a quodam sibi carissimo, qui multum fuerat peregrinatus. Ruffinum proculdubio intelligit qui in Occidentem reversus est anno duntaxat trecentesimo nonagesimo septimo.

3. Postquam epistolæ veluti clausulam apposuit Paulinus, aliud rursus [o] aggreditur argumentum, de hymnis scilicet quos a Sancto acceperat: quod eleganter spectari potest aut veluti epistolæ altera pars, unde et una typis olim excusæ sunt, aut veluti altera prorsus epistola, **47** et sane [p] in quibusdam manuscriptis codicibus separatim leguntur; sicque in duas divisimus. In hac postrema quadragesima prima dicit se ita prope omnium epistolarum suarum, quas in tergo epistolæ Sanctus et Amandus annotarant [q] A immemorem esse, ut suas esse non recognovisset, nisi ipsorum litteris credidisset.

ANNO CHRISTI 395.

CAPUT XXVI.

In morbum incidit Paulinus, et Sulpicio Severo per Vigilantium mittit responsum.

1. Carmen [r] quod in honorem S. Felicis scripsit Paulinus, cum primum ejus natalem Nolæ celebravit ex quo se eo recepit, ex intimo lætitiæ sensu prodiit: plenis in eo votis Deo grates refundit, qui ipsi annuisset quod ab eo precibus tamdiu exspostularat. Sub finem [s] petit a S. Felice Deum exoret ut sibi liceat semper in eo consistere portu, quem tot ac tantis laboribus superatis demum attigerat. Quinta illius epistola videtur scripta anno secundo ex quo se Nolam receperat; B quam etiam ob causam citra dubium eam rejicit [t] Chiffletius in annum trecentesimum nonagesimum quintum. Ex ea [u] cognoscimus ægrotasse Paulinum, et ut [v] videtur prima æstate. Dicit ea ægritudine [x] suorum in pœnam peccatorum se a Deo castigatum, cum [y] tota Campania opus Dei Salvatoris in eo veneraretur, assidua et sedula sollicitorum antistitum, clericorum, monachorum, atque etiam ipsorum sæpe secularium toto illius ægritudinis tempore illum celebrarunt officia. Nemo propemodum tota Campania episcoporum non visitare eum fas existimavit sibi, et quos infirmitas vel necessitas aliqua devinxerat, missis vice sua clericis et litteris adfuerunt; [z] Afri quoque episcopi ad eum revisendum prima æstate miserunt : quod convenire posset litteris quæ ei fuerunt ab Aurelio et C ab Alypio redditæ anno 394 si fuit Nolæ anno 393, quamquam verbum *revisere* parum convenit primo ipsorum officio, eique per suos exhibito, non vero per viros hac de causa a se missos. Probabilius igitur est quod supposuimus, eum venisse Nolam anno 394, ægrotasse anno 395, et tunc temporis Aurelium Carthaginensem episcopum, quem miserat visitandum Paulinus anno ipso 394, et fortasse nonnullos alios cum eo, ipsi quibusdam missis adfuisse. Augustinum eodem illo anno per Romanianum ad eum scripsisse videbimus, verum probabile non videtur illius litteras prima æstate Paulino fuisse redditas. De proborum virorum officiis [aa] gloriabatur, at in Domino tantum, cujus gratiæ hoc opus et munus esse reputabat. [bb] Dei gratiam in tenebris reluxisse, nec obscurum se per D nominis ipsius claritatem in solitudine egisse dicit.

2. Solatium [cc] ipsi magnum et dulce in ægritudine præbuerunt Severi litteræ. Statuerant, ut vidimus, se simul Nolam recipere, et Paulinus eum hortatus fuerat ut eam ob causam se conveniret Barcinonem, aut se ipsi in via adjungeret; verum [dd] geminas eo anno pertulit **48** ægritudines cum ad Paulinum venire voluit. Itaque coactus fuit se [ee] litteris apud ipsum

[a] Paulin. ep. 40, n. 2. [b] Ibid., n. . [c] Ibid., n. 5. [d] Ibid., n. 11. [e] Ibid., n. 3. [f] Ibid. [g] Epist. 41, n. 1. [h] Epist. 40, n. 1. [i] Ibid., n. 3. [j] Ibid., n. 6. [k] Ibid., n. 1 et 3. [l] Ibid., n. 6. [m] Ibid., in titulo. [n] Ibid., n. 6. [o] Ep. 41, n. 1. [p] Chiffl. part. 1, c. 21. [q] Paulin. ep. 41, n. 1. [r] Carm. 13. [s] Ibid., v. 31. [t] Chiffl. p. 168 et 219. [u] Paulin. ep. 5, n. 9 et 10. [v] Ibid., n. 14. [x] Ibid., n. 10. [y] Ibid. n. 14. [z] Ibid. [aa] Ibid. [bb] Ibid., n. 7. [cc] Ibid., n. 9. [dd] Ibid., n. 8. [ee] Ibid., n. 1.

excusare: Se [a] revaluisse scribebat, multosque [b] fratres spiritales secum ipsi adfuturos spondebat, maximis [c] præconiis virtutem et conversionem Paulini extollens. Hanc epistolam per [d] aliquos e suis virtute sibi connexos misit, per [e] Vigilantium scilicet et alium catechumenum. Vigilantius in Campania febre laboravit, etiam antequam ad Paulinum perveniret. De eo nihil refert Paulinus, [f] nisi quod fuerit baptizatus; itaque si ille ipse est qui presbyter reddidit Hieronymo Paulini litteras, et qui deinde falsis dogmatibus nomen suum infamavit, verisimile est eum ordinatum fuisse presbyterum statim post suum in Gallias e Campania reditum. Miratus est Paulinus quod ipse et Severus [g] iisdem incommodis simul fuissent affecti: id non sine Domini numine factum esse dicit, cujus injussu nihil in mundo accidit, qui eorum unitatis in- B ternæ operator, carnalem in ipsis substantiam discrepare non esset passus. Itaque solatium ipsis magnum et dulce præbebat ista conjunctio passionis; verum ut ipsis gratius concordiæ signum esset, eo ipso se refectum sensit Paulinus, quod Severus se revaluisse scripserat, ita ut Severi levamine aliquo modo respiraret, [h] æque ac sanctorum orationibus, atque ipsiusmet Sulpicii Severi, cui ignota erat Paulini ægritudo. Infirmus [i] diu remansit Paulinus, nec facile potuit corporis sui exhaustas morbo et austeritatibus vires reparare, et in ea infirmitate sicut Paulus gloriabatur, qua sperabat se potentem faciendum; et quo magis adversa valetudine frangeretur caro, eo minus virtutem spiritalem ab ea expugnandam confidebat. Ejus ægritudo [j] responsum ad Severum morata est. Vigi- C lantius quoque rursus vi febrium laboravit. Non ægrotavit ille catechumenus qui Vigilantium comitabatur. *Qui necdum nostri corporis erat membrum*, inquit Paulinus, [k] *vulnera nostra non sensit, et sanus fuit atque expers languorum nostrorum, quia non suæ compaginis dolorem caro adhuc aliena sentire non poterat.* Vigilantius [l] ut cœpit convalescere progredi volebat, verum Paulinus eum invitum retinuit, negatis litteris, donec satis recepisset virium ad illud iter suscipiendum, quod, ut videtur denotare verbum *progredi*, Vigilantius pedibus conficiebat. Tandem igitur dedit [m] ei Paulinus responsum ad Severum, cui maximas de illius caritate agit gratias, *pro qua tibi*, inquit [n], *retribuetur a Deo, quem in me diligis, eo uberius quod non habeo unde retribuam tibi.*

3. Severo scribit Paulinus [o] se pœnas debiturum, D cum honores accipiat immeritos, sibique eo magis exprobrari torporem ignaviæ. Deinde humiliter et ingeniose admodum conatur [p] ostendere majori miraculo Severum esse conversum, quam seipsum: postea [q] transit ad Severi promissum ad se veniendi, et rogat ut geminas ægritudines quas pertulerat censeat esse præmissas tentationes, quibus Deus voluerat pro-

A bare consilii constantiam, non vero damnare; dicitque [r] se non vereri, ne ad illius desiderii impedimentum caro infirma prævaleat, quam fide roboraret, etc. Postquam vero de ægritudine illius verba fecit, addit [s] amorem pacis eum debere de patria parumper sevocare, ut obstrueret os eorum qui occasionem de ipso male loquendi quærebant: de quibus sæpe queritur Severus. Tum narrat [t] quantum a pontifice Romano et a quibusdam **49** Romæ clericis scandalizetur. Eum denuo hortatur ut veniat, et jam sibi gaudia proponit quibus afficietur, cum illum excipiet comite electorum Dei cohorte venientem. *Locabo te*, inquit [u] Paulinus ad Severum, *in horto mei Felicis colonum, sed gratis;* denique cum eum uxoris suæ nomine quam [v] vocat *conservam in Domino suam*, et Bassulam etiam ejusdem Severi socrum salutavit, *cave*, inquit [x], *servum te scribere, et epistolam loquacem* excuses obsecro; *in dictando enim dum te cogito, et totus in te sum, quasi apud præsentem longo intervallo loquar, obliviscor impositum finire sermonem.* Eum [y] rogat ut panem quem mittit accipiat, itemque scutellam buxeam, etc., et ut ad ipsum [z] mittat vinum quod Narbone adhuc se habere credebat Paulinus, nec timeret damnum si ipsum faceret etiam pecuniæ debitorem. Illud ei mandat, summum illius animi se jus habere confidens, quia omnes ipsius servi ab eo defecerant. Qualiter se Nolæ haberet non refert, unde conjicere possumus Paulinum superiori anno ad Severum hac de re litteras scripsisse.

CAPUT XXVII.

Augustinus scribit ad Paulinum qui denuo illi mittit litteras. Paulini potestas in dæmones.

1. Paulinum circa finem superioris anni ad Augustinum scripsisse [aa] observavimus ut cum eo jungeret amicitiam, quam Augustinus cuivis facile concedebat, sed eam maxime debuit Paulino, cujus exstabant tot ac tanta in Augustinum benevolentiæ argumenta et sui in Christum amoris. Et quidem nihil carius, nihil ardentius Augustini [bb] litteris quas hocce anno ad Paulinum misit per Romanianum amicum sibi carissimum. Præter ea quæ de illo supra diximus, vehementi ejus videndi desiderio teneri se testatur. Et postquam susceptum de Paulini conversione gaudium abunde effudit, nescire se asserit quid pro ejus amore rependat, *nisi quia totus sum tuus*, inquit [cc] illi, *in eo cujus totus es tu. Si parum est, plus certe non habeo. Tu autem fecisti ut non mihi parum videatur qui me in illa epistola tantis laudibus honorare dignatus es, ut cum me tibi refundo, si parum hoc tibi putem, non credidisse convincar.* Narrat deinde quomodo concordarent Paulini, quibus efferebatur, præconia, et ipsamet delictorum suorum conscientia, pugnam hanc sic [dd] dirimit: *Non me credam talem qualem putas, quoniam non agnosco, et credam me abs te diligi*

[a] Paulin. ep. 5, n. 9. [b] Ibid., n. 15. [c] Ibid., n. 3. [d] Ibid., n. 1. [e] Ibid., n. 11. [f] Ibid. [g] Ibid., n. 9 et 10. [h] Ibid. n. 12. [i] Ibid. [j] Ibid., n. 11. [k] Ibid. [l] Ibid. [m] Ibid., n. 1. [n] Ibid., n. 2 et 3. [o] Ibid., n. 4. [p] Ibid., n. 5, 6 et 7. [q] Ibid., n. 8. [r] Ibid. [s] Ibid., n. 13. [t] Ibid., n. 14. [u] Ibid., n. 15. [v] Ibid., n. 19. [x] Ibid., n. 20. [y] Ibid., n. 21. [z] Ibid., n. 22. [aa] Cap. 23, n. 2. [bb] August. ep. 27. [cc] Ibid., n. 3. [dd] Ibid.

A *quoniam sentio et plane percipio : ita nec in me temerarius, nec in te ingratus exstitero.* Romanianum [a] amicum suum harum litterarum portitorem pollicetur facturum Paulino ipsius librorum copiam, de quibus summa animi demissione loquitur, et [b] petit si quæ Paulino displiceant velit emendare. Mittit insuper ad eum [c] carmen Licentii filii Romaniani, et petit ab eo ut præceptorum suorum opera patris et filii curam salutis suscipiat, et ad virtutem utrumque promovere studeat. Et [d] addit, *neque velim credas quæ pater de me forte laudans dixerit, ne si meliorem quam revera sim judices, pro me non ores quantum velim.* Responsum [e] etiam suum ad Licentii poema perferri ad eum curavit, in quo **50** [f] de Paulino nostro mirifice et præclare admodum loquebatur. Paulinum [g] demum orat et obsecrat ut si ab officiis ecclesiasticis sibi vacet, in Africam usque velit excurrere, ut videat quantum omnes eum sitiant. [h] Therasiæ denique salutem plurimam precatur. Romanianus quem propriæ lites in Italiam, ut videtur, pertraxerant, Augustini epistolam tam cito Paulino non reddidit, et solummodo sequenti anno Nolam advenit. Quem [i] puerum Paulinus in Africam anno superiore miserat, is nondum redierat : nec fuerat profecto Augustinus ex iis qui, ineunte æstate, ad eum invisendum miserant; ita ut cum de epistola ante tot menses perscripta nihil audiret Paulinus, [j] alteram rescripsit antequam promotum eum ad episcopatum accepisset : quod accidit sub finem anni 395, cum Augustinum *fratris* nomine [k] compellet. Per [l] Agilem et Romanum Augustino rescripsit Paulinus.

ANNO CHRISTI 396.

2. De historia nihil excerpimus ex [m] Paulini tertio in laudem S. Felicis natalitio carmine, quod hoc anno editum arbitramur. Insignia dumtaxat [n] miracula quæ hac die maxime in energumenos patrabantur, et [o] populi ad hanc solemnitatem concursum exponit qui S. Felicis [p] tumulum floribus, sertisque et coronis limina prætexerent, et nocte dieque circa altaria micare lumina describit. Vota [q] deinde ad S. Felicem fundit, et precatur ut longo ævo suum illi impendat servitium, et ad ejus tumulum vitam absolvat; animamque Felix ad Christum paterno vectare gremio non renuat, ut meritis ejus et precibus tandem laudatis agnis aggregari mereatur. Ad Paulinum pertinuisse [r] nonnulli existimant multa ex iis quæ ad S. Felicis sepulcrum gesta sunt miracula ; [s] Gennadius enim affirmat Paulinum non solum eruditione et sanctitate vitæ, sed et potentia adversum dæmones claruisse.

CAPUT XXVIII.

De Augustini ad episcopatum promotione ab ipso Augustino certior factus Paulinus suum singulare gaudium Romaniano testatur.

1. Romanianus, cujus opera usus fuerat [t] Augustinus ad perferendam anno superiore ad Paulinum epistolam, eum adiit cum jam sollicitus esset de sanctorum fratrum Romani et Agilis reditu. Advenerunt [u] tandem post discessum Romaniani, et ab iis [v] Augustini jam episcopi, aliorumque clarissimorum virorum, Aurelii scilicet Carthaginensis, Alypii, Profuturi Cirtensis. Severi Milevitani, omnium pariter episcoporum litteras recepit Paulinus, quarum sola [x] Augustini exstat quæ iterum de Licentio agebat : qua nimirum posteriori Paulini epistolæ responsum B expendere volebat, et testatur, ut in prioribus [y] litteris anno superiore datis, pari [z] se cum eo et studio et dilectione vinciri. Sancti, cui respondebat, [aa] verbis quibusdam usus est, idque de **51** industria ; erant enim ipsi suavissima, et [bb] quod vera essent et quod Paulini essent. Ei narrat [cc] quomodo factus sit Hipponensis episcopus, et quod hoc munere impediebatur ne eum Nolam adiret; itaque illum [dd] urget multo vehementius quam in prioribus litteris, ut in Africam ipse et uxor veniant ; [ee] ac eo rem adducit ut asserat credere se quidquam eos non minus Deo acceptum acturos si infusas sibi virtutes tanto studio notas omnibus faciant, quanto labore et ardore adepti fuerant : unde quivis facile perspexerit optime notam Augustino fuisse Paulini et Therasiæ C modestiam. Iisdem videtur principiis insistere Gregorius M. cum dicit [ff] : *Quisquis laudis concupiscentiam calcare jam sufficit, ædificationis fraudem perpetrat, si bona quæ agit occultat, et quasi jactato semine, germinandi radices subtrahit, qui opus quod imitandum est, non ostendit.* Idemque cum sibi objecisset quod tradidit Christus mandatum de occultandis bonis operibus, respondet [gg] : *Qui in publico bono opere non suam, sed superni Patris gloriam quærit, quod facit, abscondit, quia solum illum testem habuit cui placere curavit.*

2. Augustinus [hh] in epistola sua Paulino commendat quemdam nomine Vetustinum Nolam proficiscentem vel ut Deo cum illo militaret, vel ut S. Felicis precibus e quibusdam eriperetur malis quæ D lacrymas impiis excussissent, quæque inflicta a Deo verbera videbantur. Tres [ii] ad eum libros de Libero Arbitrio perferri jussit, necnon [jj] panem, ut conjicio, jam benedictum (*uberior benedictio fiet dilectione accipientis vestræ benignitatis*). Opus [kk] beatissimi papæ Ambrosii contra philosophos desiderare se testabatur Augustinus, cum minime dubitaret quin tanti viri scripta omnia haberet Paulinus. Citat frequen-

[a] Aug. ep. 27, n. 4. [b] Ibid. et n. 6. [c] Ibid., n. 6. [d] Ibid., n. 4. [e] Aug. ep. 26, et ep. 27, n. 6. [f] Aug. ep. 26, n. 5. [g] Aug. ep. 27, n. 6. [h] Ibid., n. 2. [i] Paulin. ep. 6, n. 1. [j] Ibid. [k] Ibid., n. 2. [l] Ibid., n. 3. [m] Paulin. carm. 14. [n] Ibid., v. 23 et seqq. [o] Ibid., v. 44. [p] Ibid. v. 98 et seqq. [q] Ibid. v. 116 et seqq. [r] Sacchin. Vit. Paulin. p. 730. [s] Gennad. Catal. c. 48. [t] Aug. ep. 27, n. 4 et 6. [u] Paulin. ep. 7, n. 1. [v] Ibid. [x] Aug. ep. 31, n. 7. [y] Aug. ep. 27. [z] Aug. ep. 31, n. 4 et 9. [aa] Ibid., n. 3. [bb] Ibid. [cc] Ibid., n. 4. [dd] Ibid., n. 4. [ee] Ibid., n. 5 et 6. [ff] Greg. M. Pastor. l. III, c. 36. [gg] Ibid. [hh] Aug. ep. 31, n. 7. [ii] Ibid. [jj] Ibid., n. 9. [kk] Ibid., n. 8.

ter hoc opus Augustinus in scriptis sequentibus, in eo etiam libro [a] qui de Doctrina Christiana inscriptus est, quem forte post duos aut tres annos conscripsit: quod opus a Paulino excepisse Augustinum vero simile est. Dicit præterea [b] Augustinus se audiisse a fratribus, Agili, ut videtur, et Romano, contra paganos scribere Paulinum : orat igitur eum ne sibi dubitet mittere quæ scripserat: *Nam pectus tuum*, inquit, [c] *tale Domini oraculum est, ut eo nobis tam placita et adversus loquacissimas quæstiones explicatissima dari responsa præsumamus.* Haud scio an hoc opus Theodosii panegyricon fuerit. Cum enim referat [d] Hieronymus Paulinum hujusce principis apologiam scripsisse, ibique de ejus legibus tractare, poterat hic tueri leges imprimis contra paganos sancitas, easque ab injuria vindicare, respondendo objectionibus ab ethnicis contra religionem Christianam allatis.

3. Quod [e] Augustinus episcopatum suscepisset, et hanc Dei curam meruissent Africanæ Ecclesiæ ut verba cœlestia ex ejus ore perciperent, id maximum Paulino gaudium contulit. Statim [f] post duos dies singularis lætitiæ causam Romaniano per litteras intimare properavit. [g] Panes quinque ipsi et filio Licentio misit [h] ad quem eodem tempore, et forte in eadem charta vel saltem in eodem fasciculo, rescripsit soluta et stricta oratione, quo impulsu [i] Augustini a seculi vanitatibus, hujusce juvenis animum abduceret, eumque hortaretur ut saluti suæ provideret.

CAPUT XXIX.

Per Vigilantium, qui male rem gerit, Hieronymo scribit Paulinus. Summa humilitate sacræ lectioni incumbit.

52 1. Dubium non est quin Severus et Paulinus hoc anno sibi invicem litteras dederint : quæ desiderantur. Quantum ex [j] aliis epistolis assequi possumus, significabat Severus sperare se non posse fore ut Nolam Paulinum conveniret, et hoc sibi superesse ut litterarum solatiis se mutuo recrearent. Paulinus [k] tamen eum invitare non destitit. Severi litteras Paulino reddidisse debuit Vigilantius, si in Palæstinam hic ipse profectus est, quod iter [l] post annum 396 suscepisse non potuit. Illuc [m] detulit litteras Paulini ad Hieronymum, qui [n] tanti viri tot annos Christi servitio addicti insignem pietatem doctrinamque summis prosequebatur laudibus. Ab eo quærebat Paulinus [o] quam in statu suo monachali deberet inire viam; et videbatur quodam teneri desiderio Hierusalem proficiscendi, loca sacra invisurus, ut fortasse S. Hieronymo propior iis præceptis imbueretur, quæ in priori epistola jam receperat Hieronymus de sacræ Scripturæ lectione se traditurum Paulino. Mittebat [p] quoque ad eum Paulinus

A librum suum pro Theodosio, et [q] apud eumdem plurimum commendabat Vigilantium qui idcirco [r] a divo Hieronymo honorifice ac peramanter exceptus est. Cum vero Hieronymum inter et Johannem Hierosolymitanum Ruffinumque exorta esset maxima dissensio, [s] in istam rixam et controversiam venit Vigilantius, et adversus Hieronymum locutus est : ab eo tamen supplex veniam petiit, apud eum invenit gratiam, deinde ex Palæstina discessum maturavit, et in Gallias reversus [t] librum edidit contra Hieronymum qui respondere coactus est. Insurrexit etiam postea Vigilantius adversus fidei catholicæ doctrinam, diversosque disseminavit errores quibus hæreticorum Galliæ principis nomen merito obtinuit. En miserrimum hominis statum qui divino beneficio, quo tot

B sanctis conjunctus erat, ad salutem non usus est : quorum tamen caritas non sine mercede, cum virtutem quam ejus animo inditam putabant venerati sunt, et ea benigne in illo excusaverunt vitia quæ tanto fore Ecclesiæ detrimento non arbitrabantur. An allatæ ab ipso Paulini epistolæ responsum per eumdem dederit [u] Hieronymus, incertum est. Nihil adversus eum dixit, et ejus reliquit arbitrio referre Paulino quomodo ille ab ipso exceptus fuerit : satis tamen indicat nescio quid molestum et grave inter eos accidisse; plurimumque laudat Paulinum.

2. In hisce [v] duabus epistolis Paulinum in sacris Litteris instituendum supponit Hieronymus : quod intelligere est de traditis a Græcis interpretationibus. Neminem enim fere reperias ex Patribus qui

C sacras litteras frequentius in scriptis adhibeat; illas ubique inserit, ubique ad eas alludit, et præclarissimas notiones detegit, quamvis obiter : idque **53** advertes a primis ejus epistolis, ita ut cuiquam dubium non sit quin iis legendis, evolvendis, meditandis, ab ipso Hispanico secessu totus incubuerit, et ardore pietatis et caritatis quibus earum intellectum assequimur magnos inde scientiæ fontes hauserit. Ipse etiam Hieronymus [x] post paucos annos eum divinarum perinde ac humanarum litterarum peritum esse agnovit. Cum vero alios erudire non intenderet, iis proculdubio ad propriam ædificationem vacabat simplici veritatis intuitu, non studiosa difficultatum inquisitione. Quamobrem hac de re consultus nulli unquam respondere præsumebat, [y] indignum se ratus

D qui divinæ revelationis haberet fiduciam. Summa humilitate in dubiis eos consulebat qui sapientiæ et scientiæ laude in Ecclesia illustres haberentur : quod postea observabimus erga Hieronymum, Ruffinum et Augustinum. Expositionem in quædam Scripturæ loca ab Augustino cum aliquando quæreret [z] ait : *Quæ si forte lucida sunt, et mihi videntur obscura, nemo prudentium filiorum qui forte de nostris in hora lectiunculæ hujus circa te steterint de insipientia*

[a] Lib. II, c. 28. [b] Aug. ep. 31, n. 8. [c] Ibid. [d] Hieron. ep. 13. [e] Paulin. ep. 7, n. 2. [f] Ibid., n. 1. [g] Ibid., n. 3. [h] Ep. 8. [i] Aug. ep. 27, n. 6. [j] Paulin. ep. 17, n. 1. [k] Ep. 11, n. 12. [l] Vide Hieron. Histor. [m] Vide Hieron. p. 75. [n] Hieron. ep. 13. [o] Ibid. [p] Ibid. [q] Ep. 75. [r] Ep. 13, [s] Vide Hieron. Histor., § 88, 89. [t] Ibid., § 144, et lib. Hieron. advers. Vigilant. [u] Hieron. ep. 13. [v] Hieron. ep. 13 et 75. [x] Ep. 153, t. III. [y] Paulin. ep. 43, n. 3. [z] Ep. 50, n. 1.

mea rideat, sed potius de benevolentia fraternæ caritatis faveat instruendo, ut efficiar videntium particeps, et ex doctrina tua illuminatis mentibus considerantium mirabilia de lege Domini. Videtur quæ non intelligebat inter legendum adnotasse, ut eorum intelligentiam ab aliis exquireret, difficultatem vero antequam proponeret ita discutiebat, ut ejus solutionem fere attingeret. Unde ad eum Augustinus [a]: *Multa quæsisti, et quærenda admonuisti, et quærendo docuisti..... cum enim interrogando disputas, et quæris acriter, et doces humiliter.*

CAPUT XXX.

SS. Delphino et Amando scribit Paulinus. Vitam S. Martini mittit ad eum Severus.

1. Epistolam nonam hoc, ut videtur, anno scripsit Paulinus ad Amandum, una cum decima ad Delphinum. Jam tum [b] in ipso Hispanico secessu Paulini et Amandi litterarum intercessisse commercium observavimus; [c] quod etiam Nolæ tenuit servavitque etiam cum Delphino: cujus litteræ spiritalia Paulino erant condimenta, quippe quæ [d] spiritali sapientiæ sale, quo ipse in baptismate fuerat perfusus, condirentur, ut illius saporem servaret. Paulinus [e] vero religiosa quadam erga eum observantia plena urbanitatis et humilitatis responsa dabat. Liberius [f] cum Amando agebat, et in charta familiarius inditos pietatis sensus exponebat, sermone quidem mellifluo, quem Paulinus alioqui vocat ineptum et temerarium. Cum vero [g] Amandus patris communis Delphini auribus litteras ejus insinuasset, sanctus ille vir a Paulino [h] petiit litteras spiritali sale conditas, in [i] quibus præter officii necessitatem sermonem de Scripturis adjiceret quo thesaurum cordis sui revelaret. Exinde piam sane et humilem, eamque decimam scripsit epistolam, in qua dicit [j] Delphinum hæc sane juste ab eo repetere, ut depositi sui debitum, et ut seminis germen exspectare, sed vereri se ne pro tritico tribulos **54** et pro uvis spinas edat. Conqueritur [k] deinde amice apud Amandum quod litteras suas Delphino exposuerit, et [l] de variis iisque piis apud eum sermonibus disserit, quibus [m] aliquid deesse creditur. Post mortem Theodosii, anno 395 vel 396, Mediolani [n] Ambrosius martyris Nazarii corpus reperit, [o] aliquas ad S. Paulinum reliquias perferri curavit, qui id muneris humillime recepit. Ab eodem forte quasdam reliquias SS. [p] Vitalis et Agricolæ, [q] Gervasii quoque et Protasii, martyrum habuerat.

ANNO CHRISTI 397.

2. In quarto natalitio in S. Felicis laudem [r] carmine, quod ad hunc annum referimus, sancti hujusce confessoris refert historiæ primordia, idque [s] non Musas precatus, sed divino invocato Christi numine, qui asinæ quondam ora solverat: citatque illud poema in eo quod [t] anno sequenti edidit. In hunc annum referimus epistolam undecimam ad Severum, qui non modo omnes [u] observabat occasiones ut ad eum litteras daret, sed mittebat quoque ex suis quosdam, de quibus postea Paulini sanctitate et exemplo ad pietatem conversis, ut de filiis sanctis et de benedicta in Domino prole gloriabatur ipse Paulinus. Sic [v] per puerum suum hoc anno ad eum misit Severus epistolam, in qua [x] ipsi se longe inferiorem reputans asserebat ambos in agro, hoc est in lata seculi via, inventos, alterum assumtum, relictum alterum. Fatebatur [y] insuper paupertatem ejus se demirari, sed horrere; quam velle se, nec posse assequi contendebat, ut habens victum et vestimentum hoc contentus esset, nihil ultra diem cogitans; cui imitando imparem omnino se censebat. Deinde [z] adjungit, profecto per jocum, se credere ita eum futurum brevi pauperem, ut ulterius eum invitare non auderet; eumque [aa] hortuli causa reliquisse Ebromagum. Videtur ad eum simul [bb] misisse vitam B. Martini, adhuc vivi, a se conscriptam. Responsum ex Severi [cc] pietate erga se exorsus est Paulinus, et de ea fusissimas illi gratias agit, virtutemque ejus [dd] multis deinde præconiis prædicat in quibus Martini historiam inserit. Illum [ee] serio increpare videtur quod de paupertate locutus infirmum se in fide et Christo diffidentem prodiderit; et [ff] profitetur se vel pauperrimum numquam invitare eum destituturum, et quam studiosissime hortaturum. Cumque nequaquam Severus polliceatur se venturum, idcirco epistolam decimam septimam nonnisi post duos annos collocamus. Quam Severus B. Martini vitam scripserat, jam eam observavimus missam ad Paulinum, qui [gg] illam primus Romam attulit, in eo sane itinere quod circa festum SS. Petri et Pauli solitus erat suscipere. Hunc librum omnes sitiere. Eum Paulinus [hh] per Italiam necnon per Illyriam disseminavit; nec pietas ejus erga S. Felicem gloriæ B. Martini quidquam invidebat, quin etiam infusas a Deo in animam sancti hujus episcopi virtutes præclaras religiose venerabatur et mirabatur.

CAPUT XXXI.

Vim cuidam sanctissimo presbytero illatam arcet Paulinus.

55 1. Hoc anno ponendam duximus epistolam duodecimam ob causam cujusdam presbyteri de qua [ii] sub finem agitur. Inscripta est Amando, quem [jj] epistolarum Paulini nusquam offendit prolixitas; immo novas et ampliores ille postulavit, cujus ut desiderio satisfaceret, hanc ei prolixiorem ceteris scripsit Pau-

[a] Aug. ep. 149, n. 2 et 34. [b] Cap. 16, n. 2. [c] Paulin. ep. 9 et 12, ep. 10 et 14. [d] Paulin. ep. 9, n. 1. [e] Ibid. et ep. 10, n. 1. [f] Ep. 9, n. 4. [g] Ibid. [h] Ibid. [i] Ep. 10, n. 1. [j] Ep. 10, n. 1 et 2. [k] Ep. 9, n. 1. [l] Ibid., n. 2 et 5. [m] Chiffl. p. 283; et Diss. 1, art. 10. [n] Vita Gall. Ambros. l. IX, c. 1. [o] Paulin. carm. 24, v. 436. [p] Ibid., v. 432. [q] Ep. 32, n. 17. [r] Carm. 15. [s] Ibid., v. 30. [t] Carm. 16, v. 17. [u] Ep. 11, n. 4. [v] Ibid. [x] Ibid., n. 6. [y] Ibid., n. 12. [z] Ibid., n. 13. [aa] Ibid., n. 41. [bb] Ibid., n. 11. [cc] Ibid., n. 1 et 4. [dd] Ibid., n. 5 et 11. [ee] Ibid., n. 11 et 13. [ff] Ibid., n. 13 et 14. [gg] Sever. dialog. 1, c. 16. [hh] Dial. 3, c. 20. [ii] Epist. 12, n. 11. [jj] Ibid., n. 1.

linus,[a] in qua eleganter exponit iniquam humilitatem, et sanctam superbiam a seculi vanitatibus liberam, et præceptis subjectam divinis. [b] Portitor hujus epistolæ fuit Sanemarius quem ex servo libertum fecerat Paulinus, ut sub Ecclesiæ Burdegalensis auctoritate in domo Domini serviret, delegatis ad parentum ipsius memoriam obsequiis. [c] Alteram scripsit una ad Delphinum, quæ periit. Agit apud Amandum ut sancti presbyteri Exsuperii opera in Ecclesiæ casa terrulam Sanemarius, qua victum suum procuret, accipiat. Forte a sancto Paulino ager ille concessus fuerat ecclesiæ in qua parentes humati erant, et cujus regimini præfectus erat Exsuperius, qui magnus ille vir [d] postea episcopus Tolosanus creditur a Baronio.

2. Agit quoque cum Amando Paulinus [e] de quodam sancto presbytero vita et ætate venerabili, qui injuriam gravem et alienarum ædium exsilium patiebatur. [f] Is profecto Basilius celeberrimus Capuanæ Ecclesiæ presbyter, de quo in litteris anno sequenti datis agit Paulinus. Is, inquam, erat [g] admirabili pietate senex, [h] cujus erat domus quæ per vim illi fuerat erepta a divitum quorumdam hominibus, qui [i] quidem divites in Campania prædia habebant, ita ut afflictus [j] senex in alienis ædibus veluti exsul agere coactus fuerit : nec deerant [k] perversi homines qui venerabilis senis dolori et malis gratularentur. Videtur hæc injuria a gestæ rei autoribus Christianis fuisse profecta, cum eos Paulinus [l] vocet suos *fratres* et [m] *filios*. Burdigalam [n] sæpius veniebant : itaque [o] Paulinus Delphini et Amandi opem implorandam duxit qua de sancti presbyteri negotio cura a se suscepta haberet patrocinium. [p] Ad Daducium igitur unum ex illis præcipuum Paulinus epistolam transmisit, [q] eamque apertam Amando ut ejus rei momentum et necessariam agendi celeritatem agnosceret, ac petiit ab eo ut ipsius et Delphini, cui profecto scribebat, commendatio litteris suis accederet; faceretque ut Delphinus, si Daducius in Galliis esset, sine dilatione per conservum fidelem et impigrum, vel clericum ex suis, vel unum ex Alingonensibus eas deferendas curaret : quod certe indicat Paulinum olim quoddam jus in hunc agrum habuisse, quem forte Ecclesiæ Burdigalensi dono dederat, [r] cujus Ecclesiæ quondam fuisse per multos annos comperimus. Paulini [s] litteræ cum Delphini et Amandi commendationibus conjunctæ optatum exitum habuerunt. Adjuvit [t] Deus pauperem hunc presbyterum de mendicitate, illuminavit et humiliavit alta **56** divitum corda, qui per exigui domicilii justam restitutionem æternum sibi in cœlesti tabernaculo pauperis sancti, a quo invicem recipientur, hospitium paraverunt. Sicque [u] non modo, cum possent transgredi, non sunt trangressi; verum etiam pro ipso bonæ voluntatis affectu maluerunt facere quod expediebat, quam quod licebat, et dictam domum sancto presbytero, etiamsi propriam non probaret, restitui tamen sine aliqua difficultate jusserunt, ut eam, si de suo jure non posset, de illorum tamen munere possideret. Lætum illud nuntium accepit Paulinus [v] ex litteris Delphini et Amandi, qui, ut verisimile est, mittebant ei pariter edictum Daducii. Ita et [x] planctus presbyteri in gaudium conversus est, et qui gratulabantur ejus malis confusione perfusi sunt; et vir iste sanctissimus [y] hujus liberalitatis gratiam perinde prædicabat ac si indebitum munus accepisset : neque ipse solus, sed [z] domus ejus tota gaudens consonis Capuanæ Ecclesiæ et urbis gratulationibus non cessabat Domino benedicere. Orat Paulinus Amandum [aa] ut hos proceres ultra solitum affectum diligat, et si forte ipsi Burdigalam venerint præsentibus gratias etiam de Paulini sensuum ac viscerum affectione reddat; vel si tarda fuerit eorum copia, dignetur eis gratulationem debitam et meritam benedictionem operis sui mittere, ut sciant et intelligant quam acceptum Deo sacrificium dederint hac obedientia fidei suæ, qua Paulini petitionem in Delphini et Amandi interventu exorabiles receperunt : quamvis proprio nomine [bb] litteras ad eos dare decrevisset ipse Paulinus cum quis ex ipsorum hominibus e Campania Burdigalam se conferret.

CAPUT XXXII.

Pammachium de morte uxoris consolatur Paulinus. Ex Delphini ægritudine captat humilitatis materiam. In ejus gratiam scribit Anastasius papa

1. Paulina, sanctæ Paulæ filia, et uxor Pammachii, diem supremum [cc] obiit circa finem anni 397. Paulinus [dd] nonnisi post multos menses mortem ejus cognovit et propter loci remotionem et nuntiorum raritatem, eamque accepit ex litteris cujusdam amici [ee], Olympii scilicet, idque [ff] in hieme; cujus tempestatis inclementia et solita valetudinis infirmitate prohibitus est ne Pammachium ipse adiret, ut in votis habebat : tulit enim [gg] gravissime amici dolorem. Cum eum igitur adire non posset, prolixam illi epistolam scripsit in qua primo pias ejus lacrymas in funere conjugis, tum deinde impensas pro defunctæ solatio egenis eleemosynas laudibus prosequitur : quæ ultima pars epistolam olim 33 fere integram occupabat, cujus erat ad Alethium inscriptio. Verum ostendit [hh] Chiffletius errorem esse manifestum, et totum hunc locum pertinere ad epistolam tredecimam (olim 37), quæ est ad Pammachium. Fuerat semper [ii] Pammachii memor Paulinus, et **57** tamen [jj] congrua humilitate silentium servaverat, donec urgente caritate opertum pectore affectum reclusit. [kk] Olympius, a quo

[a] Epist. 12, n. 7. [b] Ibid., n. 12. [c] Ibid. [d] Baron. an. 405, § 61. [e] Paulin., ep. 12, n. 12. [f] Ep. 14, n. 4. [g] Ep. 15, n. 2. [h] Ep. 14, n 4. [i] Ep. 15, n. 3. [j] Ep. 12, n. 2. [k] Ep. 15, n. 2. [l] Ibid., n. 3. [m] Ep. 12, n. 12. [n] Ep. 15, n. 3. [o] Ibid., n. 2; et ep. 14, n. 3. [p] Ep. 12, n. 12. [q] ibid. [r] Vinet. in notis ad Auson. [s] Paulin. ep. 15, n. 3. [t] Ep. 14, n. 4. [u] Ep. 15, n. 3. [v] Ibid., n. 2; et ep. 14, n. 3. [x] Ep. 15, n. 2. [y] Ibid., n. 3. [z] Ibid , n. 2; et ep. 14, n. 4. [aa] Ep. 15, n. 3. [bb] Ibid. [cc] Vide Hieron. Histor., § 107. [dd] Paulin. ep. 13, n. 2. [ee] Ibid., n. 1. [ff] Ibid., n. 2. [gg] Ibid., n. 3. [hh] Chiffl. p. 8 et 20. [ii] Paulin. ep. 13, n. 2. [jj] Ibid., n. 1 et 2. [kk] Ibid., n. 1.

mortem Paulinæ acceperat, et quem *fratrem* appellat, A in excusis codicibus vocatur *episcopus*. Ex quo colligit Chiffletius jam factum Nolæ episcopum Paulinum; ipse autem in quodam manuscripto codice, Regio scilicet, qui olim fuit Puteanorum fratrum, *episcopi* vocem deesse fatetur; quæ tamen si foret addenda, facilius fuerit credere Paulinum scribentem potenti domino, cum ipse talis esset et sacerdos, episcopum vocasse *fratrem* extra consuetum ordinem, quam ipsum Paulinum jam hoc tempore creatum episcopum; inde enim oriuntur difficultates ex quibus Chiffletius expedire se non valeret. Quod enim dicit Paulinus [a] sub initium hujus anni S. Felicis natalem sibi natali proprio esse cariorem, non video quid inde difficultatis oriatur si illud de die nativitatis ejus interpretemur, et si pariter hanc solemnitatem, quam commemorat, intelligamus S. Felicis festum diem, non Paulini, quod imprudenter credidit et admisit Chiffletius.

ANNO CHRISTI 398.

2. In quinto de S. Felice carmine [b] natalitio hujus sancti confessoris historiam absolvit Paulinus, quam in poemate [c] anni superioris fuerat exorsus. Sub initium hujus anni vel sub finem præcedentis ex Severi famulis Paulinus [d] epistolam accepit, ubi hoc ipso anno ad eum se venturum pollicetur; hanc enim se suscepturum peregrinationem [e] plus quam semel pollicitus est Severus. Dubium non est quin Paulini responsum acceperit, sed desideratur. Ejus pueros [f] ante æstatem et S. Petri festum remisit. Hoc anno etiam, [g] duobus scilicet annis ante conscriptam epistolam decimam nonam, advenisse [h] Cardamatem in diebus quadragesimæ ad Paulinum, et a [i] Delphino ac Amando litteras attulisse credimus. Faciebant eum certiorem [j] de negotio Basilii feliciter gesto, de quo satis anno superiore diximus; et præterea de diuturno [k] ac gravi morbo Delphini [l] febrium ardore et variis humoribus vexati: sed eodem indice [m] et ægritudinem et sanitatem cognovit. Ex hoc morbo grandem captavit Paulinus humilitatis materiam, Delphino dicens [n]: *Si vos vix citra verbera castigationis evaditis, nos iniqui et peccatores ubi parebimus?* [o] Brevissimas quidem Delphinus litteras, Paulino tamen gratissimas, misit. Utrique [p] post Pascha Domini fecit responsum, illudque citra dubium per Cardamatem, [q] quem ad id usque tempus retinuerat [r] qui ejus servus fuisse videtur, ab ipsoque traditus Delphino et Amando. Cardamatem olim mimum egisse, [s] eumque vino fuisse deditum conjicere licet; verum Amando magistro [t] omnino mutatus est, ita ut clericus factus fuerit, atque a Paulino ut talis affectu fraterno exceptus. [u] *Confamulum* eum vocat, et gloriatur quod [v] sibi quotidianus prope conviva esse non fugerit: quod præsertim dicit, ut appareat quam sobrius esset factus; addit tamen [x] eum post Pascha murmurasse, quod cibum non sumeret donec ad vesperum declinaret dies. Ad quem cleri gradum fuerit provectus non innotescit. In scriptis biennio post litteris [y] dicitur a Delphino factus exorcista. Jam [z] senex erat et canos habebat, sæpissime tamen
58 [aa] Nolam Burdigala se conferebat; cumque assereret [bb] mulierem suam debilem et ideo inutilem sibi esse, Paulinus cum de eo aliquantulum jocando in epistola ad Amandum verba fecit, serio petit ut ei aliquod mancipiolum, aut quædam ancillula præstetur. Primum Nicetæ episcopi Daciæ iter Nolam ad annum 398 vel 399 referendum est, cum in secundo [cc] post quadriennium ibi adfuerit [dd] ad natalem S. Felicis 14 Februarii diem anno 402. Sed fortasse B pluribus alias de illo Niceta erit dicendi locus: modo addam Paulinum arctissimam cum illo junxisse consuetudinem.

3. Eo [ee] anno vigesima sexta Novembris die Siricius papa obiit. Anastasius qui ei successit anno eodem [ff] ubi primum potestatem caritatis suæ Paulino offerendæ habere cœpit, eam illi ingerere piissima affectione properavit. Cum ad illum de hac promotione scripsisset [gg] Paulinus, gratissimum ei fuit hoc benevolentiæ argumentum, et brevi post ordinationem suam epistolas de nomine Paulini ad episcopos Campaniæ misit *plenas et religionis, et pietatis, et pacis, quibus et suum declararet affectum, et aliis benignitatis suæ præberet exemplum.*

C

ANNO CHRISTI 399.

CAPUT XXXIII.

De Theridio et Posthumiano Paulini amicis, et de Jovio ejus cognato.

1. Cum Paulinus [hh] duobus annis superioribus quidquid ad S. Felicis vitam pertinebat carminibus retulisset, in sexto natali [ii] exsequias ejus commemorat, facitque tumuli mentionem ipsi primum erecti, necnon magnifici templi quod deinde fuerat superædificatum. Ea etiam narrat [jj] generatim quæ ibi fiebant miracula; sed pluribus refert jucundam cujusdam [kk] rustici historiam cui a S. Felice restituti sunt boves a latronibus [ll] abducti. Eodem anno contigit ipsa D natalis S. Felicis nocte [mm] Theridii vulnus et miraculosa curatio, quam Paulinus anno sequenti versibus eleganter describit. Hic Theridius, quem [nn] *fratrem* suum vocat, [oo] e patria sua aliquanto ante exierat, et per maris et terræ pericula contemta venerat Nolam, ut S. Felici se dicaret cum aliis Dei famulis. Ille est dubio procul [pp] Theridius quem alibi Posthumiano adjungit, quos sanctos et religiosos viros vo-

[a] Carm. 15, v. 3. [b] Carm. 16. [c] Ibid., v. 17; et carm. 15. [d] Ep. 17, n. 1. [e] Ibid., n. 3. [f] Ibid., n. 1. [g] Ep. 19, n. 1. [h] Ep. 15, n. 4. [i] Ep. 14, n. 1. [j] Ibid., n. 3; et ep. 15, n. 2. [k] Ep. 14, n. 3; et ep. 15, n. 1. [l] Ep. 14, n. 3. [m] Ep. 1, n. 3; et ep. 15, n. 1. [n] Ep. 14, n. 3. [o] Ep. 17, n. 1. [p] Ep. 15, n. 4. [q] Ibid [r] Ibid. et ep. 21, n. 5. [s] Ep. 19, n. 4; et ep. 15, n. 4. [t] Ep. 15, n. 4. [u] Ep. 19, n. 1. [v] Ep. 15, n. 4; et ep. 21, n. 6. [x] Ep. 15, n. 4. [y] Ep. 19, n. 4. [z] Ep. 21, n. 9. [aa] Ibid., n. 5. [bb] Ep. 15, n. 4. [cc] Carm. 24, v. 333. [dd] Ibid., v. 178. [ee] Vide Bollin. in Vit. sanctor. ad 21 Febr. [ff] Paulin. ep. 20, n. 2. [gg] Ibid. [hh] Carm. 18, v. 72. [ii] Ibid., v. 155 et 93. [jj] Ibid., v. 190. [kk] Ibid., v. 220. [ll] Ibid. v. 451. [mm] Carm. 20, v. 107. [nn] Ibid., v. 106. [oo] Ibid., v. 242. [pp] Ep. 16, n. 1.

cat, qui e patria discesserant, Gallia scilicet ut probabile est, et in Campaniam ipsius causa venerant. Ita alibi loquitur de Theridio, quem *Theridium suum* vocat[a]:

> Vir, munus a Christo mihi,
> Vir pacis, et vir legis, et vir gratiæ,
> Requies, voluptas, mens mea.

Verum hic Romæ et in domo propria mansisse videtur. Credere non dubitamus illum Posthumianum, eum esse qui maxime celebratur in Sulpicii Severi Dialogis, in quibus apparet eum [b] ex Aquitania fuisse oriundum, eumque ante illud tempus iter in Orientem confecisse, illique Hieronymum Bethleem fuisse notum. Inopinato Dei munere erant allapsi Theridius et Posthumianus [c] ignoti Paulino, qui maximam in illis elucere virtutem comperit, et in ea qua se existimabat beatum gratia eos tantum increpavit quod se familiaritatis ac notitiæ Severi expertes faterentur; **59** neque quidquam studiosius mandavit proficiscentibus [d] e Campania in patriam suam, quam ad conspectum Sulpicii Severi complexumque properarent, [e] eumque cognoscere omnibus in patria rebus et curis suis anteponerent ut diutinum sibi damnum vel sero resarcirent.

2. Eis etiam dedit epistolam [f] ad Jovium virum in Galliis clarissimum, ejusque [g] affinem. Mihi non liquet utrum idem ille sit Jovius quem Zosimus [h] clarum dicit eruditione aliisque egregiis dotibus, cum refert Constantinum Galliarum imperatorem eum anno 409 misisse legatum ad Honorium, quique forte est ille Jovius Galliarum nobilissimus qui purpuram induit anno 411 ut imperator e vita migraret. Erat item tunc temporis alter [i] Jovius prætorio præfectus, imperante Honorio anno 409 iisque clarissimus in hujusce temporis perturbationibus. Quisquis tandem fuerit Jovius ille ad quem scripsit Paulinus [j] maximam prudentiam et ingenitam et eruditam habebat: [k] humanioribus litteris omnino deditus, poetarumque lectioni incumbens, oratores et philosophos perlegebat, et quidquid in illis egregium erat maxime id memoria tenebat. Græcam pariter et Latinam callebat linguam, facundiæ doctrinæque fecunditatem miram habebat, [l] magnum decus et nomen e poesi sibi comparaverat. A natura [m] præstanti sublimique ornatus erat ingenio: verum nimio plus [n] philosophos academicos sectabatur, qui in contentionibus de Divinitate assumpti semper eam quærebant, et numquam inveniebant, quia neque erant satis puri et intelligentes ut Deum viderent, neque satis humiles ut eum non visum crederent. Litteras [o] humanas sacris posthabendas esse ducebat Jovius, istis tamen minus quam illis erat deditus. Christum [p] veri luminis fontem agnoscebat, et Paulini amore Christiani nominis studiosum se [q] neque a monachis abhorrentem profitebatur: sed lumen sibi cognitum non sequebatur, pro excusatione prætendens imparem se adhuc, [r] *et ideo non capacem Dei, quia terrenis rebus et curis obsessus, ab altiore suspectu cœlestium quasi interpositis nubibus arceretur;* [s] Tributisque solvendis, a quibus non erant immunes vel potentissimi proceres, occupatum se esse dicebat. Cum eo [t] amicitiam junxerat Paulinus, nullamque ad eum scribendi prætermittebat occasionem.

CAPUT XXXIV.

Egregiam Jovio scribit Paulinus epistolam, qua eum excitet ad fidem pietatemque Christianam amplectendam.

1. Navis [u] aliquanto ante tempore magno pondere argenti onerata, gravi [v] jactata tempestate inter marinos tamen vortices servata fuerat, et in littus ejecta in quo familiare Paulino oppidum, et Jovio patrimonium erat; ita ut mortuo argenti custode, inter hibernos turbines et nautas avaros servatum tamen fuerit. De hoc argento Paulinus [x] tamquam suo unius, aut saltem sibi cum Jovio communi loquitur. Illud [y] vocat *argentum sancti commercii:* quibus verbis quis **60** forsan existimabit Paulinum indicavisse illud argentum fuisse pauperibus destinatum. Id satis a germano sensu alienum. Et præterea quomodo in partem illius venisset Jovius? Mirandam [z] illam jactatæ navis servatique argenti incolumitatem, in qua tot Dei circa homines providentiæ argumenta emicabant ex Jovii ipsius litteris comperit Paulinus: qua occasione uti voluit, ut Jovio servatam illam pecuniam gratulans simul eum hortaretur [aa] ne Dei munus adscriberet casibus, et Dei beneficium, vacuorum fati fortunæque numinum esse non agnosceret. Oblatam tam præclaram [bb] Deo gratias agendi occasionem non arripuit Jovius; immo ad Paulinum scripsit eum [cc] Deo facere injuriam qui illi adscribebat morbos, naufragia, tempestates, et alia id genus mala, quæ fatum et fortunam Deo æmulas potestates magis quam Deum ipsum decebant.

2. His litteris [dd] per Posthumianum et Theridium respondit Paulinus, qui noluit sane occasionem per eos ad illum scribendi prætermittere, ne videretur eum a viris religiosis abhorrentem judicare. [ee] Illi probat, cum mundus non nisi a Deo uno et creari et conservari potuerit, in dubium revocari non posse quin ad illius regimen omnes motus et cetera omnia quæ in eo fiunt debeant revocari; si qua [ff] autem sunt quorum rationes consequi et colligere non valeamus, tutius nobis esse altiores sensibus et cogitationibus nostris esse rationes, quam nullas, credere. Et revera [gg] quæ Dei bonitati convenire non posse videntur, illo esse dignissimas, cum per ea exerceatur aut probetur virtus, cum non nisi per labores et peri-

[a] Carm. 21, v. 381. [b] Sulp. dialog. 1, c. 20. [c] Paulin. ep. 27, n. 2. [d] Ep. 16, n. 1. [e] Ep. 27, n. 2. [f] Ep. 16, n. 1. [g] Carm. 19, v. 163. [h] Zos. V. 1, p. 824. [i] Cat. Godefr. t. VI, p. 368. [j] Ep. 16, n. 6. [k] Ibid. [l] Carm. 19, v. 10. [m] Ibid., v. 79. [n] Ep. 16, n. 11, [o] Ibid., n. 6. [p] Ibid. [q] Ibid., n. 1. [r] Ibid., n. 6. [s] Ibid. [t] Ibid., n. 1. [u] Ep. 16, n. 2. [v] Ibid., n. 6. [x] Ibid., n. 1. [y] Ibid. [z] Ibid., n. 2 et 6. [aa] Ibid., n. 1 et 2. [bb] Ibid., n. 6. [cc] Ibid., n. 2. [dd] Ibid., n. 1. [ee] Ibid., n. 2 et 3. [ff] Ibid., n. 3. [gg] Ibid., n. 5 et 6.

cula virtutes virorum in historia tam clarorum emicuerint; si [a] per fata intelligantur astrorum effectus, astra quidem esse minimas nostri istius mundi partes, quæ Dei voluntati parebunt; [b] extra hunc sensum Fata, Parcas et Fortunam cassa esse nomina, quæ, cum omni specie careant, nec quidquam producere valent; mirum item esse Platonem [c] ipsum adeo abusum esse humanis auribus inanis arrogantia facundiæ, ut ridiculam anilis fabulæ cantilenam non erubesceret scriptis suis inserere, in quibus de divina etiam natura disputare audebat. Postquam sic probavit [d] Deum esse et nostrum et omnium creatorem ac dominum, addit [e] : *Et quia quantus quantus est, bonitas, et sapientia, et origo rationis est, nihil nisi ratione constituit, et ad materiam suæ bonitatis creavit. Ipsi omne quod sumus impendamus, et quæ illi placita sunt, studeamus discere, et facere curemus. Tunc defæcata mente purius intuentes, videbimus hanc esse veritatem, ut a Deo sint cuncta quæ sunt; et hanc esse consequentiam, ut omnia Dei facta pulcherrima sint; et non sit malum, quod bonum habeat autorem, qui cuncta per mundum nostris usibus præparavit, et nostris utilitatibus agit; et ita istius universitatis opus condidit, ut alia ad serviendum, alia ad exercendum, alia ad dominandum creaverit.* Rursus urget eum gravius [f] ut veritati pareat, *non* ei *abesse aut vacationem aut facultatem;* occupationes et tributa impedimento non futura quominus Dei discat sapientiam, cum eum a studio oratorum philosophorumque Græcorum et Latinorum non arceant. *Vacat tibi*, inquit [g] Paulinus, *ut philosophus sis, non vacat ut Christianus sis. Verte potius sententiam, verte facundiam. Nam animi philosophiam non deponas licet, dum eam fide condias et religione; consertis utare sapientum, ut sis* **61** *Dei philosophus et Dei vates; non quærendo, sed imitando Deum sapiens; ut non tam lingua quam vita eruditus, tum disseras magna quam facias.* Utque aliquid solidæ [h] utilitatis e poetarum fabulis educat, perniciosam inanium litterarum dulcedinem, et omnes rerum temporalium species dicit esse similes vel radicibus Lotophagorum, vel Sirenarum cantibus. Præterea optat ut possit plane omnia [i] exuere, ut Deum unum induat Jovius, eique vel nudo ex istius mundi salo liceat evadere. Concedit tamen ei [j] ut dividat cum Deo; habeat sibi et suis cuncta quæ possidet, modo se, ingeniique facultates ac linguæ opes Deo dedicet. *Illico*, inquit [k], *ut ad superna penetralia aciem mentis intenderis, aperiet ad te faciem suam veritas, teque ipsum reserabit tibi*, quia [l] cum homo Deum intelligere noluit, dignus fuit qui sui ipsius ignoratione feriretur. Addit [m] hominem superiorem omnibus creaturis irrationabilibus, parem esse ceteris omnibus uni Deo subjectis: *Hac mediocritate*, inquit [n], *homo temperatus, neque a salutis sorte delabitur, neque a dignitate naturæ, fitque conscius veritatis, compos sapientiæ, servus justitiæ, liber erroris, dominus-* A *que vitiorum, quibus anima non Deo serviens servire damnatur: quæ deinde ut proprii status exsul, per omnes cogitationum suarum, aut alienarum opinionum devias vias spargitur, per philosophos vaga, ac per ariolos curiosa, superstitioni religiosa, religioni profana, spem inter ac metum semper ambiguis affectionibus pendens. Hinc omni vento cujuslibet doctrinæ circumlata, quia divini timoris vacua, sapientiæ caput non habet.* Finem facit [o] eum rursus hortando ut mittat errores philosophorum et ignorantiam, et sibi satis sit ab illis linguæ copiam et ornatum, *quasi quædam de hostilibus armis spolia cepisse, ut*, inquit, *eorum nudus erroribus, et vestitus eloquiis, fucum illum facundiæ, quo decipit vana sapientia, plenis rebus accommodes; ne vacuum figmentorum, sed medullatum* B *veritatis corpus exornans, non solis placitura auribus, sed et mentibus hominum profutura mediteris.*

3. Præter illam epistolam in qua Paulini ingenii acumen, ipsiusque scientia magis quam in aliis elucescunt, poema [p] etiam Jovio dicavit, idque forsan scripserit paulo ante, in quo eum hortatur [q] ut voveat studium et operam scribendis laudandisque Dei miraculis et potentia. Sic ait [r]:

> Incipe divinis tantum dare pectora rebus,
> Subrectosque Deo sensus attollere terra,
> Mox oculis cœlo nova lux orietur aperto,
> Intrabitque sacer tacito per operta meatu
> Spiritus, et læto qualiet tua viscera flatu....
> Quanto major ab his cedet tibi gloria cœptis,
> In quibus et linguam exercens, mentem quoque sanctam
> Erudies; laudemque simul, vitamque capesses?
> Dumque leges catus, et scribes miracula summi
> Vera Dei, propior disces, et carior ipsi
> Esse Deo: quem dum credens miraris, amare
> Incipies, et amando Deum redamabere Christo

C Addit insuper Paulinus eum edocendum [s] in libro Geneseos quæ sit vera mundi origo, apud Johannem quæ de Deo et Christo sit credendum, etc., in Rubri maris transitu et Jonæ historia Deum, non fortunam, mari dominari et tempestatibus; in Josue et Ezechia solem et astra illi obtemperare, nec fato vitæ nostræ curriculum regi cogniturum. Quid ista apud Jovium valuerint, non innotescit, constat saltem his Paulini excrevisse **62** caritatem. Illius ad Jovium poema nonnumquam S. Mamerti fratri Claudiano tribuitur: quod nullo fundamento stabilitum videtur

D

CAPUT XXXV.

Æger Paulinus Sulpicium Severum ad se multum invitat.

1. Paulinus [t] toto superiore anno a suorum puerorum discessu usque ad hiemem Sulpicium Severum exspectaverat, a quo cum non accepisset litteras, nec reliquo illius anni tempore, neque sequentis initio, credidit eum ideo non misisse litteras, quod ipse adfuturus esset, et idcirco singulis eum diebus exspectabat. Itaque Romam [u] ad venerabilem solemni-

[a] Ep. 16., n. 4. [b] Ibid. [c] Ibid. [d] Ibid., n. 5. [e] Ibid. [f] Ibid., n. 6. [g] Ibid. [h] Ibid. [i] Ibid., n. 8. [j] Ibid., n. 9. [k] Ibid. [l] Ibid. [m] Ibid. [n] Ibid., n. 10. [o] Ibid., n. 11. [p] Carm. 22. [q] Ibid., v. 148. [r] Ibid., v. 4. [s] Ibid., v. 39 et seqq. [t] Ep. 17, n. 1. [u] Ibid.

tatis apostolicæ diem adventantem [a] profectus est A solemni consuetudine,[b] præsumens illi amplectendum sibi carissimum Severum. Ab [c] Anastasio papa blande, peramanter ac honorifice exceptus est; at [d] Severi sui conspectu frui non valuit. Itaque litteris quæ ejus nomine ipsi redditæ sunt se consolatus est, in quibus [e] causatus infirmitatem suam Severus illi [f] spem præsentiæ suæ adimebat. Has litteras Paulinus accepit ab homine [g] cujus et vestis et facies minime sapiebant monachum, aut eos quos ipse et Sulpicius Severus ad tale commercium erant soliti adhibere. Etenim is servus erat unius ex amicis ipsius, nomine Sabini,qui Severo proxima erat affinitate conjunctus: quod cum ea in occasione Paulino innotuisset, cumulato tunc Sabinum amore complexus est. Ejus vero servus haud scio an sit ille Marracinus quem B Paulinus [h] alio in loco simili plane modo depingit, et quem dicit alias sibi Severi litteras attulisse. Ille tamen [i] Marracinus ad Severum pertinuisse videtur, qui illum jusserat *monachum fingere*, ut testatur Paulinus qui eum monachum inspiritalem vocat. Litteras ad Sulpicium Severum repetiit Sabinus a Paulino, sed nimium occupatus [j] totos decem dies quos Romæ egit, rescribere non potuit; multo minus domum regressus, eum enim [k] gravis oppressit ægritudo eaque diutina, sed Deus vita et resurrectio eorum qui illi serviunt, eum morti tradere noluit, et verberatum liberavit sperantem in misericordia ejus. Cum igitur revaluisset, ad Severum [l] scripsit, et questus est quod tamdiu eum frustra [m] exspectasset, C asserens [n] se de animo suo spem istam abjicere non posse, qua præsumebat eum videndum amplectendumque sibi, cum toties id esset pollicitus; ni veniret, eum statuendum [o] culpæ reum in S. Felicem, nec eum posse causari infirmitatem, cum tot alias frequentaret peregrinationes, et iteratis sæpe intra unam æstatem excursibus Turones Martinum visitaret, an vero vivum, aut mortuum, ex hac epistola non colliges. Per [p] Amachium S. Delphini subdiaconum Severoque notissimum scripsit. Verisimile est eum simul dedisse litteras ad Delphinum et Amandum. Ex omnibus tamen epistolis ad utrumque datis nulla exstat quæ hoc anno potius scripta quam altero adstrui possit.

CAPUT XXXVI.

Ad Victricium scribit Paulinus. Hieronymi et Ruffini amicitiam colit. D

63 1. Hoc eodem anno et tempore per Paschasium Paulinus epistolam decimam octavam in qua eamdem [q] suam ægritudinem commemorat, scripsit ad Victricium. Hujusce illustrissimi confessoris et episcopi Rotomagensis historiam describimus Dissertatione 4, in qua S. Paulini cum eo vide commercium. Cum ad Victricium litteras dedit Paulinus, vitam huius sanctissimi confessoris et præsulis novissime [r] cognoverat a Tychico, quem S. Victricii carissimum fratrem et fidelem in Domino ministrum appellat; et tunc [s] luxit negligentiam infelicitatis suæ quod Victricii sanctitatem non satis agnovisset et veneratus fuisset, cum olim Viennæ apud S. Martinum eum viderat, et illius cicatrices non lambisset. Ad eum scribendi [t] quærebat occasionem, nec dabatur, donec quod optanti aliquando non contigerat, id insperanti sibi provenit Romæ quo accesserat Paulinus; eodem enim tempore cum quodam catechumeno [u] Urso concurrit et Paschasius S. Victricii Rotomagensis diaconus, in cujus [v] humanitate et gratia quasi quasdam virtutum gratiarumque S. Victricii lineas, velut speculo reddente, se collegisse dicit Paulinus; Paschasium enim et institutionis Victricii discipulum et viæ comitem [x] modestia morum, cordis humilitas, mansuetudo spiritus, constantia in fide veritatis et sermo in omnibus sale conditus probabant. Itaque eum [y] præter gratiam fraterni in sacro diaconatus ministerio contubernii eo venerabilius amabiliusque suscepit Paulinus, quod is de Victricii clero, et corpore, et spiritu, esset. Nec illum ex Urbe ad Victricium redire cupientem passus est proficisci, sed quadam caritatis violentia eum perduxit Nolam, ut diutius per illius præsentiam quasi quadam S. Victricii gratiæ portione frueretur. Illius tamen [z] conversationis non mediocrem consolationem perdidit Paulinus, qui tunc temporis carnali ægritudine afflictus est, ut jam [aa] superius observavimus. Neque vero in infirmitate Paulini dumtaxat [bb] Paschasius contribulatus et compassus est, sed et in Ursi, quem indivulsum suæ peregrinationis comitem habuerat, gravissimo languore confectus est in quo Paulinus se perspexisse asserit fidem et caritatem in Domino plenam. Tandem labore ac fide Paschasii, quem Dominus experiri voluit potentiam apud se sancti confessoris sui Felicis, Ursus usque ad mortem infirmatus de periculo invenit salutem,et per [cc] Paschasii diaconi manus Christo genitus in lectulo baptizatus rediit, licet adesset Paulinus jam presbyter, et plures alii potuissent præsto esse presbyteri. Cum autem [dd] Ursus sana et robusta esset valetudine, et Paschasius ad Victricium reditum meditaretur, per ipsum decimam octavam epistolam suam ad Victricium direxit Paulinus, in qua cum [ee] Paschasium diutius apud se retentum excusasset, Victricium [ff] ad Morinos et Nervios in Belgio **64** Evangelium disseminasse commemorat, et quemadmodum [gg] Rotomagensem Ecclesiam instituerat et formaverat; denique cum martyrii seu [hh] confessionis texuit historiam, illius [ii] videndi summo se teneri desiderio significat, et coram in ore illius Christum admirari atque venerari velle; ac [jj] luget infelicitatem suam quod cum olim Viennæ fuisset, fructus iste non contigerit, cum tamen in manu fue-

[a] Ep. 20, n. 2. [b] Ep. 17, n. 1. [c] Ep. 20, n. 2. [d] Ep. 17, n. 1. [e] Ibid., n. 4. [f] Ibid., n. 1. [g] Ibid. [h] Ep. 22, n. 1 et 2. [i] Ibid. [j] Ep. 17, n. 2. [k] Ibid., n. 2. [l] Ibid., n. 3. [m] Ibid., n. 1. [n] Ibid., n. 3. [o] Ibid., n. 4. [p] Ibid., n. 3. [q] Paulin. ep. 18, n. 1; et 17, n. 2. [r] Ibid., n. 4. [s] Ibid., n. 8. [t] Ep. 18, n. 1. [u] Ibid., n. 3. [v] Ibid., n. 10. [x] Ibid., n. 1. [y] Ibid. [z] Ibid., n. 2. [aa] Cap. 35. [bb] Paulin. ep. 18, n. 3. [cc] Ibid. [dd] Ibid., et n. 1. [ee] Ibid., n. 1. [ff] Ibid., n. 4. [gg] Ibid., n. 5. [hh] Ibid., n. 7. [ii] Ibid., n. 8. [jj] Ibid.

rit. Nihil de Victricii ad Urbem accessione hic commemorat, quam anno 404 factam fuisse demonstrabimus. A

2. Hoc exeunte anno [a] Anastasius papa ad anniversariam consecrationis suæ commemorationem Paulinum invitavit : quem honorem suis tantum consacerdotibus deferre solebant summi pontifices. Fortasse hiemis difficultatem causatus Paulinus non accessit, sed invicem præsentiæ humillimas summo pontifici litteras scripsit, qui animo paterno eas recepit, nec offensus est illius excusatione. Jam [b] observavimus Paulinum Hieronymumque ab anno forsitan 394 junctissima amicitia fuisse devinctos; sequentibus annis in ea perseverarunt, licet eorum litteræ ad se invicem mutuo datæ pene omnes exciderint. Circa hoc tempus [c] conscripta etiamnum B superest epistola ex qua liquet Paulinum in prophetam Danielem Commentariorum libros postulasse ab Hieronymo, qui ejus petitioni acquievit; at justis quibusdam de causis nobis ignotis eos procrastinavit. Anno 398 opus aggredi tentavit, at iterum distulit ut Origenis libros Περὶ Ἀρχῶν interpretaretur. Ei iterum scripsit Paulinus ut ad scribendum eum provocaret, et conquestus est quod parvas et incomptas litterulas mitteret. Quocirca hancce ei epistolam rescripsit in qua seipsum excusat quod promissum adimplere non potuisset, dicitque ei se temporis penuria ab amplissimis litteris atque doctissimis perscribendis abstinere; præterquam quod cum eloquentia eum terreret Paulinus, et in epistolari stylo prope Tullium repræsentaret, verebatur ne verbosius ad C eum loquens plura reprehendenda transmitteret. Pro pileolo ab eo accepto gratias agit. De locis qui liberum arbitrium tollere videbantur, ac de sanctificatione filiis fidelium ab Apostolo adscripta quæstiones ei proponebat Paulinus. Ex Tertulliani sententia quæstioni posteriori respondit Hieronymus; quoad priorem ad Origenis libros Περὶ Ἀρχῶν eum remisit, quorum interpretationem nuper a se factam a Pammachio posset mutuari, licet illi Græca sufficerent exemplaria : eique obiter commemorat se cuncta Origenis non reprobare quæ scripsit, quod ejus adversarii in eum criminabantur, sed tantum prava dogmata repudiare. Hæc dicebat ob suam cum Ruffino controversiam, cujus in partem non venere Paulinus et Augustinus; constat enim Paulinum perpetuo di- D lexisse Ruffinum, qui, in Occidentem reversus exeunte anno 397, integrum fere annum Romæ commoratus est, unde sub finem anni Aquileiam se contulit, et inde Romam rediit. De illo Paulinus profecto loquitur [d] cum dicit se a sanctissimo et doctissimo viro sibique carissimo, qui non solum legendo, sed etiam peregrinando multa cognoverat, quædam de pellicano insignia audiisse.

ANNO CHRISTI 400.

CAPUT XXXVII.

Sancto Delphino Burdegalensi, Venerio Mediolanensi, et Severo, scribit Paulinus. Martiniani historiam et naufragium describit.

65 1. In septimo S. Felicis natalitio carmine [e] Paulinus hujusce sancti potentiam adversus dæmones demonstrat, et [f] dæmoniacum jam pridem obsessum singulariter connotat. Præcipuum hujus poematis argumentum est [g] Theridii historia, quæ jam elapso antea anno acciderat. Ante annos pene duos [h] litteras brevissimas a Delphino Cardamas attulerat ad Paulinum; ex quo tempore nullam receperat Delphini epistolam. Per totam æstatem irrita non venientis Uranii exspectatione fuerat suspensus Paulinus a quo litteras Delphini accepturus erat : [i] at officii sui negligens Uranius remansit ubi non debebat. Hujusce [j] hominis absentiam non moleste tulit, cujus accessio nihil ipsi conferre poterat boni : at non modico dolore Paulinus affectus est, quod Uranius [k] per prævaricationem suam longa ab oris Delphini panibus fame tabefecit Paulini animam. Cum [l] per æstatem nihil litterarum accepisset Paulinus, multo magis tempus hibernum in eodem silentio transigendum putabat; cum Deus, qui dat escam esurientibus, Paulino quidem insperanti, sed optanti, repentino iterum per Cardamatem tunc exorcistam superventu solatium et gaudium intulit, qui Cardamas [m] de Delphini valetudine eum certiorem fecit, et [n] illius ac Amandi epistolas ei reddidit. His respondit Paulinus. In tota ferme epistola vigesima prima [o] ad Amandum laudat Cardamatem quod velox esset et levis cursu; in altera [p] vero ad Delphinum rogat ut pro ipso deprecetur Deum, ne forte gratiam baptismalem ipsius Delphini ministerio acceptam maculet. Quamvis hæc epistola amplissima sit, tamen cum Paulino ad Delphinum scribendi occasio raro occurreret, [q] secundam apposuit epistolam certe quidem [r] conscriptam inter Anastasii electionis anniversarium, ac tempus quo Paulinus Romam se conferre consueverat, id est a fine anni 399 ad diem Junii vigesimum nonum anni 400. Hacce epocha quibusdam ad Delphinum et Amandum Paulini epistolis tempus præfiximus, licet tamen hoc certissimum omnino non asseramus. Cum Cardamati [s] de inquirenda Paulini valetudine mandatum dedisset Delphinus, in epistola secunda Delphino scribit se bona esse valetudine, non tamen robusta, et [t] Anastasii summi pontificis benevolentiam in se commemorat. Ad hæc addit cum Romæ erit [u] se a summo pontifice commendatitias litteras impetraturum quibus Delphino etiam commendaretur.

2. Venerius [v] Mediolanensis episcopus (Simpliciani successor) novissime ordinatus scripserat Paulino.

[a] Ep. 20, n. 2. [b] Cap. 24, n. 1. [c] Hieron. ep. 153. [d] Paulin., ep. 40, n. 6. [e] Paulin. carm. 10, v. 61. [f] Ibid., v. 84. [g] Ibid., v. 107; et cap. 33, n. 1. [h] Ep. 19, n. 1. [i] Ibid., n. 2. [j] Ibid. [k] Ibid. [l] Ibid., n. 1. [m] Ibid. [n] Ep. 21, n. 5 et 6. [o] Ep. 21, n. 6. [p] Ep. 19, n. 2 et 4. [q] Ep. 20, n. 1. [r] Ibid., n. 2. [s] Ibid., n. 1. [t] Ibid., n. 2. [u] Ibid. [v] Ibid., n. 3.

Delphinus Paulinum rogaverat ut ipsius vice ad Venerium scriberet : quod 66 fecit Paulinus, jussitque Cardamati ut recurrens transiret Mediolano ipsius epistolam delaturus, tandemque si is Delphino scribere vellet, sciret paratam esse opportunitatem. Delphinus certiorem Paulinum fecerat se [a] basilicam Alingone novissime constructam curavisse, jam dedicatam aut mox consecrandam : Paulinus [b] maximo gaudio exsultavit, et ex hujus epistolæ verbis videtur ipsius Paulini sumtibus exstructa illa basilica. Addiderat Delphinus [c] quosdam dentibus suis fremere et tabescere ob hanc ecclesiæ novæ fabricam : Paulinus respondit id quidem novum non esse, nec mirari quia in Domino confidit. Quocirca Delphinum [d] patrem suum spiritualem obsecrat, ut pro ipsius anima atque salutis progressu Deum precetur.

3. Nil obstat quominus vigesimam secundam ad Severum epistolam, quæ vigesimam septimam antecessisse debet, hoc anno collocemus. [e] Severus epistolam ad Paulinum dederat Marracino, cujus [f] supra meminimus; at Romam cum advenisset Marracinus Soriano epistolam tradidit gaudens quod usque Nolam se conferre et in Paulini conspectum venire non cogeretur : contra vero Sorianus monachus admodum pius et vir vere spiritualis, cum Severum de Paulino sæpius audisset loquentem, ac Paulini desiderio teneretur, gaudens optata occasione litteras in se recepit attulitque Paulino, cui se probavit. Quapropter Severo respondens [g] postquam optimi atque veri monachi imaginem adumbravit Paulinus, ponit eam esse Soriani qui probabiliter hanc epistolam erat delaturus. Paulinus hoc ipso anno [h] summa ædificia inchoavit quæ post tres annos fuere perfecta sub finem anni 402.

4. In carmine [i] quod anno sequenti composuit, commemorat plerosque homines se singulis diebus ante sancti Felicis altare offerre, ut ei gratias agerent quod Dei misericordia ejusdemque sancti auxilio, pereuntes e naufragiis evasissent incolumes. Nescio an ad historiam Martiniani non alludat, quam Cytherio describit in poemate, cujus epocham certissime omnino statuere non possumus. Cytherius [j] iste vir erat in seculo tum genere tum doctrina illustris, et clarus dignitatibus quas fuerat assecutus. At Deus, qui omnia ad se trahens seculi potentes nonnumquam eligere dignatur, eum humilem corde ditaverat ut æternam illi conferret altitudinem, et [k] ad amorem pauperum eum excitaverat. Alligatus [l] erat uxori quæ [m] in castitate filios suos educabat : unum ab ipso ortu consecraverat Deo [n], eumque Severo salutaribus disciplinis imbuendum educandumque tradiderat, ut aliquando [o] in Ecclesia inter clericos ministrare mereretur. Martinianus, de quo nobis sermo, A [p] ipsi carus erat, sed, ut videtur, egenus. Paulinus eum vocat [q] *fratrem spiritu et fide germanum*, [r] cujus pietas interior sermonibus emicabat. Is magno Paulini conveniendi [s] desiderio affectus est, quamvis ipsi [t] Paulino ignotus : eam ob rem Cytherius commendatitias [u] ei litteras tradidit ut Paulinum adiret. Primo [v] terra progredi voluit Martinianus, at tam longo itineri pedibus se committere non audens, ineunte [x] autumno Narbone in navim conscendit : unde patet eum æque ac Cytherium fuisse ex Galliis. [y] Secundus ei fuit ventus; sed navis quam ascenderat [z] absoluta media 67 nocte desedit, et omnes qui in ea erant submersi sunt [aa] præter eos qui in cymbam confugere. Martinianus autem, Christiani omnes, et quidam etiam infideles qui in eorum numero fuerunt, incolumes B evaserunt : nullus fidelis mersus est; sed contra Judæi et schismatici periere. Navarchus, qui et Novatianus, desperatione etiam demersus est, potuisset enim se ex periculo eripere. Pene [bb] nudus effugit Martinianus, qui, rebus suis relictis, in pavore nesciens sumserat secum Apostoli codicem Epistolarum : in extremo [cc] scaphæ profundo ac etiam in aqua positus est, et tamen ista incommoda, frigus, ceteraque tanti infortunii adjuncta a somno eum non excitarunt, donec cymba portum appelleret, quod humanitus fieri non poterat. Navim [dd] applicuit Massiliam, in qua civitate solitarii [ee] copiosa caritate pauperes nihil ei ultra calceos dare potuerunt; tandemque ne forte haberetur unus ex his monachis acephalis et [ff] impostoribus, seu avaris mendicabulis, ut vocat [gg] Paulinus, qui per terras et mare vagari solent, et se C naufragos casumque venditant, pelago se committere iterum coactus est. Secundis ventis [hh] Centumcellas appulit Martinianus, unde [ii] Romam usque pedibus se contulit. Receptus [jj] est in cujusdam Paulini et Theridii domo, qui S. Paulino erant pariter cari; et tunc temporis Nolæ cum Paulino nostro Theridius commorabatur. Hac in urbe Martinianus viros sibi notissimos et populares suos reperit, et Paulinus civis ille Romanus eum nudavit veste naufraga et cooperuit sua. Martinianus deinde [kk] pedibus iter versus Nolam perrexit. Capuæ, quæ leucis octo distat Nola, [ll] vacantem sarcina mulum redeuntem parvo ære locavit : at pigritiam non tulit impunitam; mulo enim D subducto in terram cecidit in ora lapsus, in saxa fusus et rubos; nec tamen læsus est : quod Paulinus noster [mm] S. Felicis protectioni tribuit. Denique in domum S. Paulini advenit; [nn] ignotus ante mox ut cognitus esse cœpit et Cytherii amicus, Paulino factus est carissimus, quamvis litteras commendatitias ei nullas dare potuerit, quia eas suaque omnia amiserat. Illud carmen Paulinus inscripsit ad Cytherium, cui postquam casum ac miracula commemoravit quibus

[a] Ep. 20, n. 3. [b] Ibid. [c] Ibid., n. 4. [d] Ibid. [e] Paulin. ep. 22, n. 1. [f] Cap. 35. [g] Paulin. ep. 22, n. 2 et 3. [h] Carm. 25, v. 266. [i] Carm. 25, v. 386. [j] Carm. 21, v. 441. [k] Ibid., v. 486. [l] Ibid., v. 689. [m] Ibid., v. 695. [n] Ibid., v. 715. [o] Ibid., v. 777. [p] Ibid., v. 445 et 453. [q] Ibid., v. 1. [r] Ibid., v. 437. [s] Ibid., v. 430. [t] Ibid., v. 435. [u] Ibid., v. 432 et v. 4. [v] Ibid., v. 22. [x] Ibid., v. 259. [y] Ibid., v. 43. [z] Ibid., v. 181. [aa] Ibid., v. 60, et 73 et seqq. [bb] Ibid., v. 253 et 272. [cc] Ibid., v. 247. [dd] Ibid., v. 305. [ee] Ibid., v. 313 et 319. [ff] Ibid., v. 335. [gg] Ibid., v. 329. [hh] Ibid., v. 364. [ii] Ibid., v. 370. [jj] Ibid., v. 371 et 385 et seqq. [kk] Ibid., v. 398. [ll] Ibid., v. 403 et seqq. [mm] Ibid., v. 414. [nn] Ibid., v. 435 et seqq.

e periculo Martinianum Deus eripuerat, [a] de filii institutione, quem sub Severo Cytherius Deo dicaverat, multa disserit. Circa idem tempus forsan scripsit Paulinus [b] Epithalamium Juliani, quem constat [c] ex Augustini epistola centesima prima fuisse diaconum anno 408.

CAPUT XXXVIII.

Per Victorem sancti Martini discipulum Sulpicio Severo plures epistolas scribit Paulinus.

1. Severus, [d] qui semel tantum quotannis Paulino scribere consueverat, hoc anno circa hiemem, ut videtur, iterum scripsit quo ei amorem suum magis testificaretur. In hisce litteris Paulinum [e] rogabat ut magis magisque eum redamaret : ipsius [f] virtutem **68** generalemque bonorum abdicationem egregiis laudibus extollebat, de se ipso humiliter sentiens. Certe quidem confitebatur se missas ab eo litteras pro virili parte divulgare, ad eumque [g] pallia mittebat. Suæ solitudinis [h] socium nomine Victorem gladio alias circumcinctum, sancti Martini spiritualem filium, sanctæque vitæ B. Clari consortem elegit, [i] qui hanc ad Paulinum deferret epistolam. Severus in hac sua epistola [j] eum dixerat hominem virtutibus ornatum : [k] intima itaque affectione et magna gratulatione illum suscepit Paulinus, affirmans se experimento recognovisse ipsum esse vere hominem Dei, humilem corde, non humilem gratia, *vas misericordiæ, et mansionem Altissimi, quem recipit et oblectat placido animæ trementis hospitio; quem ovem puram non solum* [l] *pelle* (vestem monasticam intelligit), *verum spiritus mansuetudinis, et expressa in verbo ejus atque silentio Christi modestia revelabat.* Humillimæ et abjectissimæ [m] servitutis obsequia Paulino exhibere studebat Victor *avarus dominationis internæ, et idcirco corporeæ servitutis impiger.* Paulinus ejus precibus [n] semel concessit ut pedes lavaret, oleoque corpus ipsius perungeret, existimans sibi non minimam benedictionem esse sanctam illius in nomine Dei famulationem, ut viro cujus pietatem venerabatur suum declararet affectum. Ut autem vicissim [o] minimam saltem guttulam de sacris sancti Martini actibus delibaret ex Severi libro, Victori licet invito aquam manibus ministravit. Victor insuper eum [p] docuit qua ratione simplices cibos et fercula minore sumtu et mollitie pararet : quocirca pro tota domo [q] coquinariam artem aliquandiu exercuit, uno tantum adjuvante sene rustico recens baptizato, Paulini domestico. Asserit Paulinus [r] Victorem in ipsum summe fuisse officiosum, et præcipue quod ipsius capillos totonderit, [s] quod Severi mandato faciebat, ut artem suam Paulino proderet. Ex illo tempore iste [t] Victor ex Galliis usque Nolam sæpissime se contulit, et quidem itinere A annuo : et idcirco Paulinus Severo suo scribens, Victorem [u] *solemne solatium suum* appellat : quod iter, ut videtur, pedibus conficiebat.

ANNO CHRISTI 401.

2. Si potuit, exeunte anno 400, sed potius anno 401 ineunte per eumdem Victorem Severo probabiliter respondit Paulinus. [v] Primum Severi amicitiam ac benevolentiam valde commendat, suamque mutuam ei denuntiat, et [x] deinde multa de Victore disserit : hæc recludit initium epistolæ vigesimæ tertiæ usque ad numerum 10, quod olim epistolam totam ad Severum III in vulgatis antea codicibus constituebat; quarta vero in iisdem excusis codicibus sic inchoabat [y] : *Venio nunc ad majorem fratris erga me* B *Victoris operam.* At quis non videat et ex his primis vocibus præcedentis epistolæ cohærentiam, unam eamdemque esse. Itaque unam constituimus epistolam vigesimam tertiam. In hac postrema parte postquam ostendit Paulinus nos Deum et proximum adamare teneri hoc fine concludit [z] : *Quo magis tua caritate gloriamur in Domino, quæ sola nos facit vel unum de magnis et innumeris debitis Deo solvere. In omnibus enim aliis bonis vix nos* **69** *tantum vel in paucis initiatos, in tua tantum dilectione profitemur esse perfectos.* Illius epistolæ [aa] fine commonitus de perfectionis videlicet et caritatis verbo ad Severum istius facit exordium epistolæ vigesimæ quartæ, quæ in antea editis secunda erat : ei nullum præfiximus titulum, quia in eodem fasciculo missa fuit cum epi- C stola vigesima tertia. Expostulat [bb] etiam cum Severo quod multa dilectione injustis laudibus eum cumularet; quas ut tandem recuset, Severi virtutem valde extollit; suamque totis viribus suis celare studens, in lucem eximie profert. Omnium ferme sanctissima et elegantissima mihi videtur hæc epistola. In ea scribit [cc] hæc Severo : *Noli interim dum in scammate sumus, dum foris pugnæ, intus timores, alta pro nobis sapere aut loqui, sed potius time, et laborantibus collabora spiritu, et cooperare orationibus; ut per nos quoque destruat inimicum et defensorem qui elegit infirma mundi ut confunderet fortia.* [dd] *Posce suppliciter ut intellectum det nobis in via hac qua nos vocat; infirmet in nobis virtutem peccati, ut confirmet virtutis suæ spiritum; nudemur criminibus, et virtutibus vestiamur,* D *ferat nobis opem contra voluntates nostras, nec tradat nos desideriis cordis nostri.*

CAPUT XXXIX

Paulinus hortatur militem ut seculo abrenuntiet. Sebastiano eremitæ de pietate gratulatur

1. Ex Victoris colloquiis epistolas vigesimam quintam et vigesimam sextam conscripsit Paulinus; quo

[a] Carm. 21, v. 496 et seqq. [b] Carm. 22. [c] Aug. ep. 101, n. 4. [d] Paulin. ep. 23, n. 2. [e] Ibid., n. 1. [f] Ibid., et n. 2. [g] Ep. 24, n. 1. [h] Ep. 23, n. 3. [i] Ibid. et ep. 25, n. 1 et 3. [j] Vide ep. Severi quæ præcedit. ep. 23. [k] Paulin. ep. 23, n. 3. [l] Vide not. 127. [m] Paulin. ep. 23, n. 4. [n] Ibid., n. 5. [o] Ibid., n. 4. [p] Ibid., n. 6, 8 et 9. [q] Ibid., n. 9. [r] Ibid., n. 10. [s] Ep. 30 et 33, n. 1. [t] Ep. 50, n. 1. [u] Ibid. [v] Ep. 23, n. 1. [x] Ibid., n. 2 et seqq. [y] Ibid., n. 10. [z] Ibid., n. 47. [aa] Ep. 24, n. 1. [bb] Ibid. et n. 23. Vid. ord. chronol. in ep. 24. [cc] Ibid., n. 22. [dd] Ibid., n. 23.

autem anno non omnino certum est. Vigesima quinta ignoto [a] cuidam viro nobili adscripta est, qui cinctus fuisse videtur miles, suæque [b] patriæ præfectus ac patronus, et qui [c] militarium stipendiorum exactiones curabat. In flore [d] juventæ erat, [e] uxoratus, sive nubilis. Apud eum [f] manserat Victor cum eamdem vivendi rationem teneret : per ipsum innotuit Paulino, qui sibi satis esse existimavit ut per Victorem illi litteras daret. Eum fortiter cohortatus est in epistola ut omnia terrena dimitteret desideria, ut soli Christo deinceps serviret. Ille nondum baptizatus fuisse conjicitur ex sequentibus [g], *cum conversus fueris legendo cognosces*, etc.

2. Sebastianus fidelis Dei servus, ad quem data est epistola vigesima sexta ad [h] quemdam torrentem secreto sedebat, ut in isto loco orationi et jejunio vacaret. Diaconus quidam nomine [i] Benedictus, qui de carne æque ac spiritu illius frater fuisse videtur, illuc eum sæpissime conveniebat, eique ad vitam necessaria suppeditabat. Cum [j] a Victore eos novisset Paulinus, unde illos in Aquitania habitasse colligitur, simul cum Therasia epistolam Sebastiano scripsit ut ei de pietate gratularetur, et utriusque precibus se commendavit. *Ob hoc enim*, inquit, [k] *misericors et miserator Dominus peccatoribus suis sanctorum notitiam caritatemque procurat et donat, ut etiam inexcusabiles reos præpotens advocatio meritis damnationis absolvat.* Benedicti [l] et Sebastiani pietatem plurimum extollit, dicitque alterum [m] imitari Johannem Baptistam in **70** deserto clamantem, alterum vero Christum in templo docentem, ita ut in Galliis tunc temporis ad populum sermonem habuisse videantur diaconi. Sebastianum appellat [n] *monachum*. Cum tamen in deserto semper recluderetur, asserere non audeo eum esse monachum Sebastianum, [o] qui anno 405 Sulpicium Severum adiit ut sacrorum sancti Martini actuum narrationem audiret. Sebastiano [p] cuidam monacho, sed abbati, pariter scripsit Augustinus.

CAPUT XL.

In Italia terrorem concitant Gothi. Per Posthumianum Severo scribit Paulinus.

1. Juxta eam quam hucusque præfiximus epocham octavum S. Felicis carmen [q] natalitium ad initium anni 401 referendum est : historiæ omnino congruit; illud enim in medio [r] belli tumultu et incursionum barbarorum, et nominatim [s] Gothorum metu conscriptum est. Sed et ex S. Prosperi [t] Chronico discimus Alaricum Gothorum ducem et Rhadaghaisum anno 400 Italiam pervagasse, necnon ab [u] Hieronymo accipimus eos anno 400 sive 401 Aquileiam obsedisse. In eo terrore alii [v] in legionibus confidebant, alteri vero in civitatum arcibus quarum expedite reædificati erant muri, cum Paulinus ad defensionem signum crucis et S. Felicis confessoris tutelam solum asciscebat : timentes enim Deum ab omnibus malorum seculi terroribus liberantur. Itaque [x] bellum quod omnes formidabant nihil Paulino obfuit quin solito more S. Felicis festum sicut pacis ac lætitiæ diem celebraret, tantummodo [y] orationi ferventius quam tranquillo tempore vacavit. Præterquam quod Deus confidentes in misericordia ejus solet e periculo eripere, præterea a S. Felice qui et dæmones terrebat, ac tot miracula quotidie patrabat, [z] barbaros repelli posse præsumebat. In illo carmine quædam commemorat de vicino rustico [aa] quem obsidens diabolus horrida necabat fame. Is paulo ante sanus fuerat factus, et incorrupta mentis et corporis sanitate, agrum suum tunc temporis colebat. Itidem affirmat S. Felicis virtute [bb] torrentem, qui in illius ecclesiam præceps irruere assolebat ac vicinas domos et suam in discrimen ducere, per novum alveum longinquo meatu insolitum duxisse cursum, atque [cc] incendium, quod totam ipsius domum absumere videbatur, cum stetisset ventus immotus, tectum dumtaxat mediocre perarsisse.

2. Hoc ipso anno Paulinus vigesimam septimam epistolam scripsit, qua [dd] pluribus Severi litteris respondet, saltem duabus, quarum priorem a [ee] Posthumiano Theridioque acceperat, posteriorem a [ff] Soriano et Virino. Vidimus [gg] jam Paulinum Posthumiano et Theridio in Gallias proficiscentibus mandavisse [hh] ut ad Severi conspectum complexumque properarent, eumque cognoscere omnibus in patria rebus et curis suis anteferrent : jussis paruere. Non mediocriter [ii] lætati sunt quod Paulini consiliis adhæsissent : nam a Severo **71** omnia summæ virtutis ac necessitudinis officia exceperunt, et etiam in eo plura quam præsumserant invenerunt bona. Severus autem [jj] eos ut religiosissimos probavit et carissimos. Et præterea ex Severi dialogis liquet quanta necessitudine et amicitia juncti essent Severus ipse et Posthumianus. Nescio an Paulinus, qui eos primus obtinuerat, eis significarit se illorum desiderio iterum teneri : constat illos [kk] secundo eum convenisse, et a Severo [ll] litteras ei attulisse, in quibus expostulabat cum Paulino quod ab ipso illos abduxisset, et ipsum solum reliquissent. Paucis post diebus [mm] Posthumiani et Theridii reditum consecutus est adventus aliorum fratrum Virini et Soriani, qui a Severo epistolas ei etiam dedere. In vigesima septima epistola his omnibus se responsurum pollicetur, sed nec omnibus Severi in priori epistola querelis satisfacit; itaque multa videntur desiderari in hac vigesima septima epistola. Non multo post in Gallias reversus est Posthumianus, quandoquidem ubi Severo valedixisset, Narbone [nn] navim conscendit ut hoc eodem anno, vel

[a] Ep. 25, n. 1. [b] Ibid., n. 8. [c] Ibid., n. 5. [d] Ibid. [e] Ibid., n. 7. [f] Ibid., n. 1. [g] Ibid., n. 5. [h] Ep. 26, n. 1. [i] Ibid., n. 1. [j] Ibid., n. 1. [k] Ibid., n. 5. [l] Ibid., n. 2 et 3. [m] Ibid., n. 4. [n] Ibid., n. 4. [o] Sulp. dial. 2, c. 1. [p] Aug. ep. 248, in not. ad titul. [q] Carm. 23. [r] Ibid., v. 75. [s] Ibid., v. 12. [t] Chron. Prosp. [u] Hieron. advers. Ruffinum 3, 6, t. II. [v] Carm. 23, v. 103. [x] Ibid., v. 17. [y] Ibid., v. 67. [z] Ibid., v. 102. [aa] Ibid., v. 308. [bb] Ibid., v. 415. [cc] Ibid., v. 400. [dd] Ep. 27, n. 2. [ee] Ibid., n. 4. [ff] Ibid. [gg] Cap. 33, n. 1. [hh] Ep. 27, n. 2. [ii] Ibid. [jj] Ibid., n. 2 et 3. [kk] Ibid., n. 1. [ll] Ibid., n. 2. [mm] Ibid., n. 1. [nn] Sulp. dial. 1, c. 3.

ut plurimum sequenti, versus Orientem contenderet. Et nos quidem ad hunc Posthumiani in Gallias reditum referimus quod ait Paulinus, [a] Posthumianum scilicet offendisse Narbone Victorem, quem ad ipsum Paulinum mittebat Severus ut apud eum hiemaret: idque factum puto circa autumnum. [b] Remissus fuit a Posthumiano ad Severum Victor, qui inde iterum Nolam profectus est cum ad Paulinum directus pervenire potuisset, hoc est tardissime, ineunte hieme, [c] qua exeunte pervenit. Itaque verius dixerimus Posthumianum anno 402 in Orientem iter fecisse.

ANNO CHRISTI 402.

CAPUT XLI.

A Niceta Dacorum episcopo, et a Melania invisitur Paulinus. A Severo de quibusdam historiæ locis difficilioribus consultus sententiam dicere humiliter recusat; necnon eidem imaginem ipsius postulanti negat.

1. Paulinus in nono S. Felicis carmine [d] Natalitio fuse disserit de Christianorum festis. Denotat imprimis [e] Christi nativitatem, Epiphaniam, Pascha et Pentecosten, quibus etiam adjungit suam [f] S. Felicis festivitatem, quam coluit ipse singulari gaudio, quippe qui ipsius, quem vocat [g] patrem et [h] magistrum, Nicetæ præsentia geminum sibi natalem hoc anno fuisse dicit. Jam [i] ante quatuor annos Nolam venerat Nicetas, ejusque iterum videndi non mediocri desiderio tenebatur Paulinus; sed suscepto ex S. Felicis festivitate gaudio [j] alteram ex Nicetæ conspectu lætitiam accessuram sperare non audebat, cujus quippe adventus [k] bello et metu Gothorum omnino præcludi videbatur. Quapropter plus solito animatus et incitatus in S. Felicis laudem poema edidit, idque prolixius et sublimius quam superioribus annis. Ibi ex verbis ejus vehementioribus **72** intueri licet quanto martyrii studio flagraret ipse Paulinus [l]:

Ligno mea vita pependit,
Ut staret mea vita Deo: quid, vita, rependam
Pro vita tibi, Christe, mea? nisi forte salutis
Accipiam calicem, quo te mea dextra propinet;
Ut sacro mortis pretiosæ proluar haustu.
Sed quid agam? neque si proprium dem corpus in ignes,
Vilescamque mihi, nec sanguine debita fuso
Justa tibi solvam, quia me reddam tibi pro me;
Et quidquid simili vice fecero, semper ero impar,
Christe, tibi: quia tu pro me mea, non tua, Christe,
Debita solvisti, pro servis passus iniquis.

Narrat quomodo S. Nicetam secum [m] duceret visurum confecta nondum ædificia quæ in ecclesia S. Felicis exstruebat, eaque deinde [n] longiori oratione describit, simulque cum eo [o] de S. Martini vita disseruit, cujus historiam a [p] Sulpicio Severo traditam perlegit evolvitque, quam illi proculdubio in priori itinere jam tum partim exposuerat, ejusque forte opera per totam Illyriam sanctissimi hujus viri historiam disseminavit. Cum ad ecclesiam suam reversus est Nicetas, carmen [q] decimum septimum conscripsit Paulinus, iter scilicet prosperum illi precaturus, et ut perpetuum immortalitatis ejus memoriæ monumentum. Sed quo pertineat illud poema, an ad primum, an ad secundum Nicetæ iter, incertum est: spectare potius videtur ad annum 398, quo nihil tum moveri apud barbaros animadvertimus, nisi hoc potissimum tempore quo semper sub armis stabant.

2. Sed et jucundissima quoque accidit Paulino hoc anno S. Melaniæ senioris [r] ab Hierusalem Romam peregrinatio, quem Neapoli Nolam redeuntem apud se humanissime excepit. Singulas hujus historiæ partes vide apud Paulinum epist. [s] vigesima nona. Particulam [t] de ligno divinæ crucis *munere Johannis Hierosolymitani episcopi* illustris hæc vidua ab Hierusalem attulit Paulino, ac dono dedit [u] tunicam de agnorum vellere, quam, ubi pro reverentia aliquandiu gestasset Paulinus, ad Severum misit, cui, illico ut accepit, destinaverat. Ad eos enim potissimum dies advenit Melania [v] quibus a Severo missum Victorem excepit, hoc est [x] exeunte hieme. Monebat eum per litteras Severus ne [y] se fatigatum putaret allatis per Victorem tot numero et copia voluminibus; quæ ad tres præcedentis itineris litteras easque amplissimas referuntur, quin immo illis miro quodam modo prorsus refectus postulabat ut pluribus, si posset, scriptis esset molestior: [z] magnis quoque laudibus priora scripta efferebat.

3. Paulinum præterea rogabat [aa] Severus ut quæ de annalibus non unius gentis, sed generis humani, ipsum fugerent, Paulinus peritior edoceret, quia iis inquirendis operam dabat, ac præsertim in conciliandа regum Juda et Israel chronologia non parum laborare se significabat, qua institutione indigebat ad universalem quam ad annum 400 produxit historiam conscribendam, quamque post hunc annum absolvisse potuit. Mittebat ad eum [bb] pallia camelorum pilis texta. Inscripserat hanc anno superiore epistolam Severus, et Victorem cum Paulino acturum hiemem sperabat, et postea statim reversurum. *Tu enim*, inquit [cc] Paulinus, *vere spiritu Dei fervens salubrius eum in tempore frigoris ignito fidei tuæ fovebis calore; at ego frigidus ad æstivam illi stationem aptior ero.* Victorem **73** vero [dd], abeunte hieme, susceptum necesse habuisse dicit Paulinus vernis mensibus detinere; et quia breve spatium videbatur, cum et infirmissimus per idem tempus fuisset Paulinus, ut ad rescribendi negotium non valeret, per mediam æstatem Victorem retinuit, nec abire passus est nisi sub finem æstatis, ut ad Severum autumno perveniret, et hiemem illi rursus impenderet. Eidem præbuit deferendam ad Severum epistolam vigesimam octavam, cui adjunctum habebat [ee] Theodosii Panegyricon

[a] Ep. 28, n. 3. [b] Ibid. [c] Ibid. [d] Carm. 24. [e] Ibid., v. 44 et seqq. [f] Ibid., v. 149. [g] Ibid., v. 180. [h] Ibid., v. 269. [i] Ibid., v. 333. [j] Ibid., v. 188. [k] Ibid., v. 339. [l] Ibid., v. 289. [m] Ibid., v. 349. [n] Ibid., v. 362. [o] Ep. 29, n. 14. [p] Sulp. dial. 3. [q] Carm. 17, v. 2. [r] Ep. 29, n. 6 et seqq. [s] Ep. 29, n. 6 et 8. [t] Ep. 31, n. 1. [u] Ep. 26, n. 5. [v] Ibid., n. 6. [x] Ep. 28, n. 3. [y] Ibid., n. 4. [z] Ep. 29, n. 1. [aa] Ep. 28, n. 5. [bb] Ep. 29, n. 1. [cc] Ep. 28, n. 3. [dd] Ibid. [ee] Ibid., n. 6.

nondum editam, cum quodam in S. Felicem carmine. A De conferendis autem præteritorum temporum rationibus, scribit huic se studio operam numquam dedisse; sed ad Ruffinum se misisse ejus libellum, qui quidem si has historiæ causas non ediderit, veretur ne apud alium in his regionibus frustra requirat; si vero aliquid super his rescripserit, se transmissurum pollicetur. [a] Contextam de agnorum vellere tunicam ad Severum misit Paulinus, quam sibi de Melaniæ benedictione pignus esse dicebat. Ex laudibus sibi a Severo datis [b] majus sumsit, quod responsum manifeste probat, humilitatis argumentum. Sed huic priori epistolæ addidit alteram, vigesimam nonam scilicet; in qua [c] ex palliis camelorum pilis contextis materiam captat se confitendi peccatorem qui pœnitentiæ habitu et labore indigeret, idque fuse satis B explicat. Reliqua [d] præconium conficiunt Melaniæ, [e] cui utpote Romæ commoranti timere se dicit. Hoc quoque anno, nec serius ad Severum trigesimam misit epistolam Paulinus, quam Augustinus [f] tractans de culpa originali citavit. de ea jam supra dictum est cap. 20, n. 1.

4. Rogaverat Severus, ut verisimile est, [g] Paulini et Therasiæ imagines, in quo eum insanire exprobrat Paulinus, multaque eum caritate pene delirum fieri; et ingeniose postulatum [h] de homine interiore interpretans eludit, ac solita venustate et sanctitate de eo disputat. Concludit denique dicens [i] quod si tantus amor illi est visibilia quoque captare solatia, poterit per magistras animi sui lineas vel imperitis aut ignorantibus Paulinum et Therasiam dictare picto- C ribus, memoriam illis in qua eos haberet pictos, velut imitanda de conspicuis assidentium vultibus ora proponens. *Sed si forte*, addit [j] idem Paulinus, *ad intellectum verbi tui inscitior manus artis* [k] *erraverit, dissimiles pinget aliis; tibi tamen* [l] *nos semper animo consideranti et complectenti, quoslibet vultus sub nostro nomine imperitia sua pinxerit, tamen tua conscientia nos erimus*. Idque Severus fecisse videtur, quandoquidem anno sequenti [m] Paulinum in æde sacra pingi curaverat: unde hoc anno scriptam fuisse colligimus hanc epistolam, quam nec multo ante conscribere potuit; qua enim spe Paulinum adeundi ducebatur Severus, ea sane dejectus est cum Paulini imaginem postulavit. Non apparet a quo reddita fuerit hæc epistola, nec ea ullum habet historiæ mo- D numentum.

CAPUT XLII.

Juxta S. Felicis tumulum novam basilicam construi jubet Paulinus. eamque variis ornat picturis.

74 1. Jam Paulinus, ut [n] supra diximus, adjunctas ad S. Felicis ecclesiam ædes anno 400 exstruere cœperat, quas [o] tertio post anno, scilicet 402, absolutas, et 14 Januarii die anno 403 [p] omnes, vel saltem aliquas, dicatas legimus. Mortuo Felici [q] erectus est tumulus qui sane non tanti viri meritis, sed oppressæ infidelium persecutionibus Ecclesiæ rebus afflictis respondebat. At insignis tanti viri virtus exiguo condita tumulo ita mirifice enituit, ut brevi [r] quinque basilicis adornatus fuerit, quarum fastigia longe aspectata urbis speciem præferebant. De his [s] quinque basilicis agit Paulinus in suis carminibus ab initio anni 399, inter quas forte capellam quamdam annumerabat, quæ licet basilica non fuerit, eo tamen nomine potuit nuncupari, quandoquidem cum [t] de nova basilica hoc anno absoluta loquitur, quatuor antiquis hanc additam esse asserit. Sed nec ad tumulum S. Felicis [u] affluenti populo sufficiebant (quatuor vel quinque) illæ basilicæ quas Nolam adveniens repererat Paulinus: [v] novam itaque exstrui jussit, quam apsis solo et parietibus marmorata necnon camera musivo illusa clarificabat, ubi Trinitas pleno coruscabat mysterio: Patrem quidem vox e nube tonans, Christum agnus, Spiritum columba designabat. Crucem præterea corona lucido cingebat globo, cui coronæ inerant apostoli in columbarum choro figurati: tum de petra quatuor meabant fontes quibus stabant evangelistæ quatuor viva Christi flumina; versus enim inscripti hæc omnia explicabant. Intra apsidem [x] trichorum videbatur altare in quo sacratæ apostolorum et martyrum reliquiæ reconditæ erant, necnon particula de ligno crucis quam Melania ab Hierusalem hoc ipso anno ad eum detulerat. Totum vero extra concham [y] basilicæ spatium alto et lacunato culmine geminis utrimque porticibus dilatabatur, quibus duplex per singulos arcus dirigebatur ordo columnarum. [z] Cubicula intra porticus quaterna, longis basilicæ lateribus inserta, secretis orantium vel in lege Domini meditantium, præterea memoriis religiosorum ac familiarium, *accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbebant*. Deinde cum [aa] duabus dextra lævaque conchulis intra spatiosum sui ambitum absis sinuata laxabatur: sinistra quidem orantes et legem sanctam meditantes recipiebat, dextra vero immolanti jubilationis hostias antistiti patebat, instar venerandæ penus qua condebantur et qua promebantur sacri ministerii vasa et ornamenta ad altare deferenda.

2. In hac [bb] nova basilica antiquam legem, hoc est [cc] Pentateuchi, Josue et Ruth historias, [dd] additis argumentis, depingi voluit Paulinus in gratiam eorum qui ad S. Felicis festum undique singulis annis illuc confluebant, qui quidem ferme omnes [ee] rustici erant, adeoque rudes et imperiti, ut aliquid maxime religiosum ducerent super tumulos sanctorum mensas 75 struere, et convivia sectantes in ipsis basilicis noctem in epulis crebrisque potationibus consumere.

[a] Ep. 29, n. 5. [b] Ibid., n. 1; et ep. 28, n. 4. [c] Ep. 29, n. 1 et 4. [d] Ibid., n. 6. [e] Ibid., n. 13. [f] Aug. ep. 186, n. 40 [g] Paulin. ep. 30, n. 2. [h] Ibid. [i] Ibid., n. 6. [j] Ibid. [k] Forte legendum *artificis*. [l] Forte legendum *autem*. [m] Ep. 32, n. 2. [n] Cap. 37, n. 3. [o] Carm. 25, v. 268 [p] Ibid., v. 2 et 187. [q] Carm. 18, v. 170. [r] Ibid., v. 170. [s] Ibid. [t] Ep. 32, n. 10. [u] Carm. 18, v. 182; et carm. 24, v. 491. [v] Ep. 32, n. 10; et not. 150. [x] Ibid. [y] Ibid., n. 12. [z] Ibid. [aa] Ibid., n. 13 et 16. [bb] Carm. 25, v. 173. [cc] Carm. 27, v. 547. [dd] Ibid., v. 584. [ee] Ibid., v. 547

Ergo probant obiti quod damnavere magistri?
Mensa Petri recipit quod Petri dogma refutat?

exclamat Paulinus [a].

Hic abusus in [b] Ecclesia jam multum invaluerat, fueratque [c] a S. Ambrosio Mediolani sublatus, aliisque compluribus in locis a propriis episcopis. Eumdem omni studio [d] ab Ecclesia Africana removit Augustinus, sed magis docendo quam jubendo, et monendo quam minando. Eamdem viam tenuit Paulinus eodem animo affectus: [e] totam basilicam variis ornavit picturis, ut rustici a suis compotationibus ad hæc nova contemplanda abducti ad vitam sanctiorem temperantiores facti converterentur. Hujusce temporis basilicæ, ipsius Paulini [f] testimonio, orientem plerumque spectabant; ab usu tamen communi recedens [g] Paulinus novam basilicam versus S. Felicis ecclesiam exstruxit. [h] Novam a veteri cujusdam monumenti, abside interposita, obstructus paries excludebat tribus januis patefactus a latere basilicæ S. Felicis: Paulinus totidem a fronte ingressus sui foribus novam reseravit, et paribus trinis arcubus, quibus tota hæc basilica in basilicam memorati confessoris perlucente transenna aperiebatur, quod diatritam veluti speciem ab utraque in utramque spectantibus lætissimo præbebat aspectu. [i] In ipsis basilicæ novæ ingressibus dextra lævaque crucem Paulinus minio depinxerat, quæ floriferæ coronæ orbe cingebatur, signo cœlesti superstantibus columbis. [j] Intra ipsam transennam qua breve illud, quod propinquas sibi basilicas potius discludebat, intervallum continuabatur, interfluebat fons in sacras ædes intrantium abluendis manibus oribusque lavandis, [k] qui fontes ex adversa fronte templi ea ætate frequentes erant, et etiamnum visuntur in cathedralium et præcipuarum ecclesiarum atriis, [l] hisque fontibus successit vas aquæ lustralis ad vestibulum templi apponi solitum. Præter ingressum qui erat a latere basilicæ S. Felicis, alter patebat aditus, [m] cujus januam superstabat crux coronata.

CAPUT XLIII.

Paulinus antiquam S. Felicis basilicam picturis adornat, et foris pluribus circumdat ædificiis.

1. Præter hanc novam ecclesiam, Paulinus [n] prædictam S. Felicis basilicam novis decoribus ornavit: [o] insculptum camera crispante lacunar ebur in ligno mentiebatur, tectoque superne pendentes lychni spiris ahenis retinebantur. Hæc steterat basilica [p] pilis deformibus vasto agmine, quibus in melius mutatis, quin etiam, ni fallor, [q] marmoreis fulcivit columnis, quo major fieret et spatii et luminis accessio. Exstant hodieque [r] in S. Felicis basilica haud dubie S. Paulini manu inscripti versus, qui et eam ampliorem et lucidiorem redditam fuisse declarant. Hanc etiam [s] depinxit Paulinus, [t] ita ut æque nova ac altera appareret: in ea [u] Novi Testamenti **76** historiam descripsit; et [v] sub altaris mensa cineres et reliquias SS. Johannis Baptistæ, Andreæ, Thomæ, Lucæ, Agricolæ, Vitalis, Proculi, Nazarii, et Euphemiæ, deposuit.

2. Tres [x] habebat hæc basilica aditus. E regione basilicæ novæ [y] tres erant aditus: [z] ostiolum erat ex altera parte qua de hortulo Paulini quasi privatus aperiebatur ingressus. Præterea [aa] majora duo patebant ostia ad præcipuum atrium in quo [bb] obscuro fuerat tecto porticus, quæ Paulini cura et studio crevit pigmentis atque culmine, [cc] eaque videtur non fuisse operta. Non procul abhinc vetus erat [dd] hortulus et ruderis agger, quem Paulinus purgari jussit, et eo loci [ee] novas exstruxit domos: insuper [ff] area quædam, quæ largo perfundebat lumine sacram ædem, quæ porticibus necnon [gg] duplici tegmine cellis per vestibulum coeuntibus cingebatur. Erat et altera [hh] minor area, sed cultu major, interior, et veluti tribus juncta basilicis, ex uno pandens diversos aditus ad omnes, circumjectis etiam ornata porticibus quæ fulciebantur columnis marmoreis, quibus imposita erant [ii] duplicato tegmine cœnacula sacris quasi tectis contignata, et de superis fenestris altare spectantia, in quibus [jj] hospitabantur qui ad sepulcrum S. Felicis Deum religiose precaturi accedebant. [kk] In area varii erant fontes ac multiplicis formæ, et maxime prælucens cantharus quem cancellato tegmine ænea tegebat turris. Complures [ll] adstruxerat Paulinus cisternas, quæ pluviales exciperent aquas et in hos fontes refunderent, cum [mm] procul urbs, et aquæductus prope nullus ab urbe exiguam illuc tenui limite guttam demitteret. [nn] Ad aliud latus porticus cernebatur mediis bipatente spatio fulta columnis, quæ culmine discretas aulas adito sibi copulabat. Spectabatur et [oo] ædes altera oblonga, per plura atria etiam discreta, prati seu campi spectaculum præbens, inclusi autem septo ne sacra tecta profanis oculis paterent. Notat insuper Paulinus [pp] arctissimas aliquot cellas quo per trina ostia pandebatur aditus: [qq] primam complebant Job et Tobiæ sacra gesta; secundam ornabant plurimorum utriusque sexus martyrum imagines; in tertia facta Judith et Esther penicillo erant eleganter expressa. In interiore [rr] majoris auræ seu ecclesiæ, sinu insita latebat cella procul stellato speciosa tholo et trino recessu; cujus in medio baptisterii fons enitebat in quo nondum quisquam baptizatus fuerat, nec deerat altare ad sacra mysteria

[a] Carm. 27, v. 568. I Petr. IV, 3. [b] Vide not. 313. [c] Vit. Gal. Amb. l. IX, c. 5. [d] Aug. ep. 22, et serm. 5 et 101 de div. [e] Paul. carm. 27 v. 580. [f] Ep. 32, n. 13. [g] Ibid. [h] Ibid. [i] Ibid., n. 14. [j] Ibid., n. 15. [k] Vide not. 41 et 169. [l] Vide not. 41. [m] Ep. 32, n. 12. [n] Carm. 24, v. 383. [o] Ibid., v. 385. [p] Ibid., v. 395; et carm. 25, v. 209. [q] Carm. 24, v. 394. [r] Vide not. 161. [s] Carm. 24, v. 386; et carm. 25, v 212. [t] Ibid., v. 210. [u] Ibid., v. 173. [v] Carm. 24, v. 403. [x] Ibid., v. 456. [y] Ep. 32, n. 13. [z] Ibid., n 12. [aa] Carm. 24, v. 374. [bb] Ibid., v. 362. [cc] Ibid., v. 366; et carm. 5, v. 8. [dd] Ibid., v. 367; et carm 25, v. 270. [ee] Ibid., v. 274. [ff] Carm. 24, v. 368. [gg] Carm. 25, v. 56. [hh] Ibid., v. 54. [ii] Carm. 24, v. 400. [jj] Ibid., v. 449. [kk] Carm. 25, v. 31 et seqq. [ll] Carm. 24, v. 470. [mm] Ibid., v. 465. [nn] Ibid., v. 480. [oo] Ibid., v. 484. [pp] Carm. 25, v. 15. [qq] Ibid., v. 24. [rr] Ibid., v. 180.

celebranda. Hic locus forte fuerat a Paulino solummodo ornatus, decoratus ac renovatus, cum fateatur [a] in eo se superatum a Severo quod baptisterium ille condidisset. Hæc fere omnia, quantum potuimus assequi, describit Paulinus noster de additionibus et ornamentis ab ipso factis in S. Felicis honorem, quem in patronum assumserat. Non deerunt perspicaciores oculi qui plura penetrent.

3. Hæc ædificia Deo accepta fuisse testatur Paulinus, [b] quod et miraculo quodam comprobatum est. In media enim area juxta ecclesiæ limina erant vetulæ domus duæ ligneæ quæ fœdo obice prospectum cæcabant et *decus omne operum perimebant.* Illas amoliri cupiebat Paulinus; at dominus cujus erant jurabat se potius mortem oppetiturum quam inde egressurum.

> **77** Temnenda quidem vox
> Ista videbatur: sed erat, fateor mihi idipsum
> Invidiæ, tædebat enim vel vincere rixa,

ait Paulinus [c].

At [d] quadam nocte ex improviso una cellarum incendio subito flagrante ita exarsit ignis, ut ecclesia ipsa et tota vicinia periclitarentur. Frustra ad arcendam flammam diu elaboratum est, donec ipse Paulinus S. Felicis templum ingressus supplices ad Deum preces fudit, et martyris fultus precibus, meritis quoque apostolorum quorum cineres et reliquiæ sub altari vicinæ ecclesiæ delitescebant, domum ipse postea reversus, sumtum de veræ crucis ligno fragmentum flammis opposuit, quæ statim impetum remoratæ convertere se in pristinum locum de quo insurrexerant, ubi deficiente pabulo brevi exstinctæ sunt. [e] Mane facto una dumtaxat reperta est domus ignis incendio absumta; sed ira excandescens dominus, cujus domus fuerat tam miserabili, ne dicam mirabili, casu eversa, alteram destruxit: itaque sine lite voti compos factus est Paulinus. Altera illa basilica, in qua orasse Paulinum et apostolos invocasse diximus, videtur fuisse nova illa quam construxerat; et quia jam altari suppositas reliquias legimus, manifeste apparet jam tum illam esse dedicatam. De [f] ligno enim veræ Crucis præter fragmentum quod sub eo altari reposuit, aliam [g] particulam ad Severum anno sequenti mittendam reservaverat: sed sive illa basilica hoc anno, vel sequenti fuerit dedicata, fuit certe [h] ab episcopo Paulo Ecclesiæ Nolanæ tunc præsule.

ANNO CHRISTI 403.

CAPUT XLIV.

Basilicam item Fundis exstrui jubet Paulinus, et pro Primuliacensi basilica ad Severum mittit carmina.

1. Ad solitam Paulino festivitatem accessit et altera [i] hoc anno solemnitas, dedicatio scilicet omnium

A operum quæ ad sacram S. Felicis ædem addita et recens absoluta pari undique cultu emicabant, vel certe [j] baptisterii ab episcopo (Paulo) ad baptismatis et sacrificii usum consecrati, ubi utrumque sacramentum eadem die administravit. In hæc nova ædificia et præteritum incendium decimum in S. Felicis laudem natalitium carmen [k] condidit Paulinus, quod integrum ad nos usque transmissum est: accedunt piæ cogitationes in spiritalem animæ Christianæ renovationem, et præclaro hoc carmine illud poema concludit [l].

> Non igitur simus veteres inter nova tecta....
> Vita prior pereat, pereat ne vita futura;
> Sponte relinquamus mundum, non sponte carendum,
> Sponte nisi fugimus; moriamur, ne moriamur.
> Letalem vitam vitali morte tegamus,
> B Terrena intereat, subeat cœlestis imago:
> Et Christo vertatur Adam, mutemur et istic,
> Ut mutemur ibi: qui nunc permanserit in se
> Idem, et in æternum non immutabitur a se.

Ecclesiam [m] quoque Paulinus construi jussit Fundis oppido, ubi possessiones olim habuerat et familiare domicilium: ita ad pignus quasi **78** civicæ caritatis basilicam dedit in ipso oppido, quoniam et ea indigebat, ruinosam et parvam habens. Hæc tamen posterior non videtur priori fuisse multo major, vocatur enim aliquando a Paulino [n] *basilicula.* Ejus titulus, quem Severo misit, docet quomodo apsidem [o] pinxerit, et fertur [p] non ita pridem aliquid ex hac pictura Romæ visum fuisse. Reliquias [q] SS. Andreæ, Lucæ, Nazarii, Protasii et Gervasii sub eo altari reposuit Paulinus; et cum hæc [r] basilica esset propemodum constructa,
C ac mox consecranda *in nomine Christi, sanctorum Sancti, martyrum Martyris, et dominorum Domini.*

2. Litteras trigesimam primam et trigesimam secundam hoc anno dedit Paulinus ad Severum [s] qui etiam ædificandis religiosis locis operam dabat. Imprimis Severus basilicæ [t] baptisterium, quod hinc S. Martini, illinc Paulini imaginibus decoravit, elaborandum curavit; [u] addidit et quædam carmina, quæ desiderantur, ubi de lumine et mellis favis verba faciebat. Cumque ad Paulinum scripsit per Victorem [v] qui apud Severum hiemare debuerat, [x] monuit se deleturum hæc carmina, si alia mitteret Paulinus. His addidit Victor [y] a Severo desiderari sanctorum reliquias quas in hac ecclesia reconderet: cui Paulinus [z] significavit nullas sibi superesse, præter eas
D quas mox dedicandæ Fundanæ basilicæ reservabat. At fragmentum de ligno veræ crucis, quod sibi supererat ex dono Melaniæ, [aa] tubello aureo conditum ad Sulpicii Severi socrum Bassulam misit Therasiæ sponsæ suæ nomine, quod perinde erat ac si Severo ipsi illud dono dedisset; ideo a se [bb] missum id fuisse Severo alibi testatur, eique suadet ut sub altari ecclesiæ inter alias reliquias reponat, [cc] nisi mallet ad quotidianam tutelam atque medicinam sibi reservare,

[a] Ep. 32, n. 1. [b] Carm. 25, v. 62 et seqq. [c] Carm. 25, v. 72. [d] Ibid., v. 75 et seqq. [e] Ibid., v. 139. [f] Ep. 32, n. 11. [g] Ep. 31, n. 1 et 2. [h] Ep. 32, n. 15. [i] Carm. 25, v. 2. [j] Ibid., v. 186. [k] Carm. 28. [l] Ibid., v. 314. [m] Ep. 32, n. 17. [n] Ibid. [o] Ibid. [p] Vide not. 174. [q] Ep. 32, n. 17. [r] Ibid. n. 17; et ep. 31, n. 1. [s] Ep. 32, n. 1 et 10. [t] Ibid., n. 1 et 2. [u] Ibid., n. 4. [v] Ep. 28, n. 3. [x] Ep. 32, n. 4. [y] Ep. 32, n. 1; et ep. 32, n. 7. [z] Ep. 31, n. 1. [aa] Ibid., n. 2. [bb] Ep. 52, n. 7. [cc] Ibid., n. 8.

docetque [a] quanta reverentia tractare debeat rem adeo pretiosam, et refert quemadmodum [b] ab Helena crux reperta sit. Cumque pateret pagina, [c] prolixam epistolam denuo inchoavit, in qua conqueritur [d] se a Severo vel majori honore vel injuria affectum, quippe qui ipsum cum S. Martino contulerit. Sed post de industria eo sermonem convertit, [e] quasi Severus in Martino formam justitiæ et summam virtutum, in Paulino vero conscientiæ iniquitatis obtritionem et confessionem declaraverit, ut et beatis Martinus exemplum pateret, et Paulinus miseris. [f] Duo ad illum epigrammata in hanc misit sententiam, et petiit ut si illa in baptisterio ponere vellet, servaret tamen sua. Hæc omnia [g] fecisse se declarat pro suo summo in eum studio, ita ut magis de non obtemperando, quam de multiloquio peccatum timeret : hac se ratione [h] adductum ut suadente Victore duarum Nolanæ et Fundanæ basilicarum versus mitteret, [i] et novos etiam conderet Severi basilicarum parietibus inscribendos, ipsique [j] tumulo S. martyris Clari qui in una harum requiescebat, quorum materiam Victor dictaverat enarratione operis. Ubi multa dixit Paulinus de ædificiis illis materialibus, [k] ad spiritualis rationem ædificii sermonem convertit, de quo suo more præclare disserit.

CAPUT XLV.

Ad Alethium, et Florentium Cadurcensem episcopum scribit Paulinus. Mors fratris ipsius

79 1. In hoc eodem forsan itinere Victor eorum communis tabellarius [l] Paulino litteras Alethii detulit, [m] qui ex suis elucubrationibus aliquid, ut arbitror, postulabat, quod [n] benevolentiæ argumentum tam dulce Paulino, quam insperatum fuit : sed ejus studio [o] Paulini humilitas restitit. Non est integra epistola trigesima tertia, qua Paulinus Alethio respondet, ejus enim continuatio in qua agitur de S. Paulæ filia spectat epistolam tredecimam ad Pammachium. Putat Chiffletius [p] Alethii votis cessisse Paulinum, et sermonem de Gazophylacio ad eum misisse, qui quidem in ms. codice Vaticano Alethio nominatim inscribitur. Sed cum [q] ad multos verba faciat Paulinus, concionem ad populum potius quam epistolam dixerim, inter quas tamen ei dedimus locum ut suo numero constaret. Et facile quivis judicaverit fuisse aliquando sollicitatum ab episcopo Nolano Paulinum ut populum doceret maxime eleemosynæ virtutem et meritum, cujus erat egregius concionator et magister: de ea enim hæc præcipue tractat oratio, quæ omnium Paulini operum elegantissima est et suavissima. Stylus longe purior quam in epistolis; cum enim illam studiose elaborare coactus fuerit, videtur magis adstricta compositio, in qua solitam in epistolis verborum copiam et rapiditatem coercuit. Inscripta est *de* A *Gazophylacio*, non aliam ob causam quam eo quod in ea primo de gazophylacio loquitur, quod post Tertullianum vocat mensam in ecclesia positam in qua recondebantur erogatæ pauperibus eleemosynæ. Alethius ille merito ac jure laudatur apud Hieronymum [r] anno 407, cum tantum sacerdotis esset charactere insignitus : factum enim eum Cadurcensem episcopum, mortuo fratre Florentio, apud omnes constat.

2. Ad hunc Florentium scripsit quoque Paulinus, quod hic observamus cum tempus conscriptæ epistolæ quadragesimæ secundæ non omnino certum sit : eam tamen circa annum 405 scriptam putamus. A Florentio [s] quem nondum noverat Paulinus epistolas accepit plenas officii et humanitatis perinde ac si antiqua B præcessisset inter eos necessitudo et familiaritas. Huic etiam Paulinus humaniter et liberalissime respondit, et ita lætatus [t] est ejus episcopi se adeptum esse amicitiam et caritate ditatum, ut de eo laudes Deo plurimas referat. De hoc Florentio nihil peculiare legimus. Magnifice [u] Paulinus ejus prædicat epistolam, cujus sermo apostolico sale conditus saporem gratiæ, quæ illi data esset, ita exprimeret; quemadmodum eloquii suavitas quam suavis in eo esset Dominus aperte ostendebat. Adjungit Paulinus [v] eum per mansuetudinem ovis et agni innocentiam meruisse pastorem fieri; et sublimem factam per humilitatem et mansuetudinem cordis animam illius in id singulis diebus incumbere, ut animas de amaris ac profundis hujus seculi fluctibus hamo verbi salutaris extraheret, C ad **80** quod opus in sortem apostolorum assumtus fuerat. Hunc [x] Florentium fecerunt quidam Tiburtinensem episcopum quia tunc temporis vivebat quidam eo nomine Tiburtinensis episcopus : sed huic levi conjecturæ præponenda est trium codicum manuscriptorum autoritas, in quibus inscribitur Cadurcensis episcopus.

3. Paulinus initio sequentis anni [y] Delphinum Burdegalensem episcopum in sanctorum numerum adscribit, cujus reliquiæ has terras commendabant; itaque serius quam præsenti huic anno non debemus adscribere epistolam ad Delphinum trigesimam quintam, [z] qua priori ejus epistolæ brevissimæ respondet, ex qua fortasse vel alio indicio mortem fratris circa idem tempus cognoverat : qua de causa non prolixam D ad Delphinum fecit epistolam. Dolorem dumtaxat exposuit non tam de fratris morte susceptum, quam de gestis ipsius, quæ ut pietati Christianæ ita nec votis suis congrua deflebat. Pro ejus anima et pro se preces Delphini postulat. Ad Amandum paulo prolixiorem [aa] eadem de causa dedit epistolam trigesimam sextam.

[a] Ep. 31, n. 2. [b] Ibid., n. 3. [c] Ep. 32, n. 1. [d] Ibid., n. 2. [e] Ibid., n. 2 et 3. [f] Ibid., n. 3. [g] Ibid., n. 4. [h] Ibid., n. 10. [i] Ibid. n. 5 et 7, 8. [j] Ibid., n. 6. [k] Ibid., n. 18 et 25. [l] Ep. 33, n. 1 et 2. [m] Ibid., n. 2. [n] Ibid., n. 1. [o] Ibid., n. 2. [p] Chiffl., p. 47. [q] Paulin. 34, n. 1. [r] Vide Dissert. 3, n. 2. [s] Paulin. ep. 42, n. 1. [t] Ibid. [u] Ibid., n. 1 et 2. [v] Ibid., n. 2 et 3. [x] Vide Chiffl p. 10 et 11. [y] Paulin. carm. 27, v. 76. [z] Ep. 35. [aa] Ep. 36, n. 2.

ANNO CHRISTI 404.

CAPUT XLVI.

Victricius, Aper et Augustinus Paulino scribunt; his ille respondet. Pelagius etiam scribit ad Paulinum.

1. Ex carmine [a] quod sub initium hujus anni in S. Felicis laudem edidit Paulinus pauca nobis supersunt fragmenta, in quibus agitur de sanctorum reliquiis quas Deus per orbem iis veluti expiandum dispersit. Si integrum exstitisset poema, ex eo innotuisset quantus Alarici nominis terror anno superiore Italiam invaserit, in quam descenderat, et unde post pugnam Pollentiæ discessit. Hoc anno ad Paulinum [b] scripsit Victricius Rotomagensis episcopus per Candidianum, cui respondit Paulinus epistola trigesima septima. Videat lector Dissertationem 4. Ad B Paulinum item [c] scripserat Aper de sua ad Christum conversione : eodem anno ei respondit Paulinus epistola trigesima octava. Quis ille fuerit Aper et quale Paulini cum eo commercium, vide Dissert. 5. Hoc, ut videtur, anno [d] maximi scandali causam præbuere Hippone Bonifacius presbyter et quidam laicus nomine Spes, quorum contentionem cum discutere aut saltem aliis explicare non posset Augustinus, jussit utrumque in locum quemdam miraculis clarum pergere, ut Deus alterutrius innocentiam aut culpam patefaceret. In [e] locum igitur ubi beati Felicis Nolani corpus conditum est eos misit, quia inde ipsi facilius fideliusque scribi poterat quidquid super ea re divinitus esset propalatum; quod citra dubium Paulini gratia dicebat, cum quo inceptum anno 395 C commercium probabile est eum fovisse semper, quamvis nulla illius exstet nota ab anno 396 ad hunc usque annum. Quis fuerit Bonifacii et Spei contentionis exitus non apparet. Hac fortasse in occasione has misit ad Paulinum litteras de quibus anno sequenti in epistola [f] mentionem facit, in quibus, ut videtur, ei proponebat quæstionem quamdam de obligatione nostra semper Dei voluntati parendi : de **81** qua Paulinus ad eum rescripsit [g] ita se illo quo feliciter utebatur loco perseverare decrevisse, ut si quid de se aliud Domino placuerit, ejus voluntatem præferret suæ. Augustinus [h] Paulinum Christiano plane intellectu et devotione in sua epistola locutum esse dicit, verum nimis cursim et breviter, et exoptare se ut idipsum aliquanto apertius explicuisset, quonam D modo voluntatem Dei, quæ nostræ præponenda est, noverimus. Neque Augustini litteras, neque Paulini responsum habemus, quod probabile est eum per [i] Celsum domesticum suum misisse.

ANNO CHRISTI 405.

2. Nobis nihil superest illius poematis quod Paulinus hoc anno in S. Felicis honorem scripsit. Vel A ipsis primis mensibus binas Paulino epistolas misit Augustinus, [j] aliam quæ periit, per Fortunatianum Thagastæ presbyterum Romam proficiscentem : alteram [k] per Celsum, qui cum festinaret Nolam reverti, pauca illico scripsit Augustinus, [l] cui plura, ut voluisset, scribendi facultatem non dedit Celsus. Paulinum rogat [m] ut ipsi rescribat quibus signis possit innotescere Dei voluntas in occasionibus vitæ humanæ, in quibus sæpe facile non potest discerni. Eum plurimi fecisse Paulinum ex iis litteris evidenter apparet. Dicit [n] se non potuisse, nec etiam debuisse Celsum retinere, cui cum Paulino melius quam secum esset. Africana Ecclesia sæpe cogebatur episcopos in Italiam multis de necessitatibus gravissimis mittere : [o] quos quidem episcopos fere omnes Nolam se contulisse apparet, ut ibi Paulinum salutarent. Solabatur illud Augustinum, quod assidue Paulinum amicorum oculis videret. Theasius et Evodius ambo deinde confessores, quorum ultimus erat Augustino conjunctissimus, legati fuerant a Carthaginensi concilio ut in Donatistarum effrenatam violentiam peterent leges : hoc ipso anno eas obtinuerunt mense Februario. Paulinum adierunt, Augustinus vero qui eos exspectabat, cum profectus est Celsus, dixit [p] Paulinum ad se in eorum episcoporum pectoribus et sermonibus esse venturum, cumque ex iis quæ referrent quantum posset eo satiatus fuerit, se ad eum prolixiorem, cujus se confitebatur debitorem, missurum epistolam pollicitus est. Neque ea nunc apparet, neque ulla earum quas ad se invicem ad annum usque 408 mittere potuerunt.

3. Pelagius qui, antequam vulgata esset ejus hæresis, multorum sanctorum virorum amicus erat, [q] tamquam Dei servus etiam a Paulino amabatur. Augustinus se hujusce hæresiarchæ [r] epistolas ad Paulinum misisse dicit, in quibus se satis gratiam agnoscere aiebat Pelagius, quod a Deo nobis insitam esse voluntatem liberumque arbitrium fateretur. Eadem est, ut videtur, epistola ad Paulinum longa 300 circiter lineas, ut numerat [s] ipse Augustinus, quam Pelagius afferebat anno 417 ut fidem suam probaret sinceram et orthodoxam. Augustinus non dicit in ea epistola aliquid absolute malum fuisse, at eum de gratia nonnisi remisso admodum vixque sustinendo modo in ea scripsisse contendit. Pelagius eam se epistolam [t] ante duodecim fere annos atque ideo circa annum 405 scripsisse testabatur. De Apri conversione fuse tractamus Dissertatione 5. De ejus ad Paulinum epistola, **82** deque Paulini ad ipsum responso diximus [u] anno superiore. Aper rursus ad eum [v] scripsit et questus est possessiones filiorum suorum causas sibi esse necessitatis qua terrena curaret, cum eas vendere debuisset. Paulini [x] paupertatem laudabat, et *lato potens ore* [y] describebat hortulum Nolanum. Pau-

[a] Carm. 27. [b] Ep. 37, n. 1. [c] Ep. 38, n. 1. [d] Vide ep. 78 Aug. et ord. chronol. [e] Aug. ep. 78, n. 3. [f] Aug. ep. 80, n. 2. [g] Ibid. Hæc Paulini epistola excidit. [h] Aug. ep. 80, n. 2. [i] Vide, intra, n. 2. [j] Aug. ep. 80, n. 1. [k] Ibid. [l] Ibid. [m] Ibid., n. 2. [n] Ibid., n. 1. [o] Ibid. et ep. 95, n. 1. [p] Ep. 80, n. 1. [q] Aug. ep. 186, n. 1. [r] Ibid., n. 1. [s] Aug. lib. de Gratia c. 35 [t] Ibid. [u] Cap. 46, n. 1. [v] Paul. ep. 39, n. 2. [x] Ibid., n. 3. [y] Ibid., n. 4.

linus [a] suo et Therasiæ nomine ad Aprum et ad Amandam rescripsit : eos hortabatur [b] ut tantum ad eruditionem animæ traherent quantum de jure possent, [c] sese Christi agrum esse cogitarent, et qualem agri sui, ut ferret fructus, speciem fieri postularent, talem cordis sui Deo Domino culturam redderent : deinde [d] seipsum deprimit Paulinus et de suis tentationibus loquitur. Circa hunc annum scripsit Paulinus ad Sanctum et Amandum epistolas quadragesimam et quadragesimam primam. Vide Vit. c. 25.

CAPUT XLVII.

Ad Severum et Desiderium scribit Paulinus. Severus Posthumianum hortatur ut invisat Paulinum.

1. Per [e] Victorem ad Paulinum eo, ut credimus, anno scripsit Sulpicius Severus. Quis litterarum tenor fuerit non palam nobis est, nisi quod a Paulino peteret quamprimum sibi remitti Victorem, ut ad vindemiæ dies remissus occurreret. [f] Desiderii presbyteri litteras simul ei Victor reddidit, qui ab eo petebat intelligentiam benedictionum quibus filios suos morti proximus Jacob donavit. Post [g] modicum adventus sui Nolam tempus Victor se ad iter relegendum præparavit, ita ut Paulinus breves ad Desiderium et Severum litteras fecerit, quæ binæ perierunt. Et forsan eodem tempore aut paulo post conscripta est ad Florentium Cadurcensem episcopum epistola quadragesima secunda, de qua fuse [h] supra diximus. At vero jamjam [i] profecturum Victorem subiti rerum obices retraxerunt, dum hiems navigationem et itinera metus clauderent, quibus impeditus necessitati longam Nolæ dilationem ad finem usque hiemis præstitit. Metus qui itinera clausit, ille proculdubio erat, ne ipsi Romanorum aut hostium exercitus in via occurrerent: quod referre fas est ad descensum Alarici [j] in Italiam anno 403, aut Rhadagaisi anno 405. Cum vero retulerimus ad annum 403 epistolam aliam Paulini ad Severum ipsi a Victore redditam, huncce metum rejicere oportet in descensum Rhadagaisi, qui multo majorem quam Alaricus in Italia concitavit terrorem. Rhadagaisi [k] exercitus nonnisi circa hiemem deletus fuisse dicitur, qui licet ante fuisset, Romani etiam exercitus milites, qui adhuc multis in locis dispersi esse poterant, quique ut plurimum barbari erant, metum viatoribus incutere potuerunt.

2. Eo, ut videtur, anno [l] Posthumianus ex Oriente, exacto ibidem toto triennio, reversus est. Trigesima luce [m] ex Ægypto Massiliam pervenit, decima vero ex urbe Massilia ad locum ubi Sulpicius Severus degebat. Materiam Dialogorum suppeditarunt Sulpicio Severo prima cum ipso colloquia, sub quorum finem [n], cum Posthumianus esset Orientem mox repetiturus, eum hortatur ut per Campaniam iter haberet, licet de via multum **83** hac de causa deflecteret. *Non tibi tanti sint*, inquit, *magnarum morarum dispendia, quin illic adeas illustrem virum ac toto laudatum orbe Paulinum. Illi, quæso te, primum sermonis nostri quod vel hesterno confecimus vel hodie diximus volumen evolve. Illi omnia referes, illi cuncta recitabis, ut mox per illum sacra viri laudes Roma cognoscat, sicut primum illum nostrum libellum non per Italiam tantum, sed per totum etiam diffudit Illyricum. Ille Martini non invidus gloriarum, sanctarumque in Christo virtutum piissimus æstimator, non abnuet præsulem nostrum cum suo Felice componere.* Cum [o] mortuus est Paulinus apud se habebat quemdam presbyterum nomine Posthumianum : an idem fuerit qui reversus ex Oriente Paulino adhæserit, non mihi constat.

ANNO CHRISTI 406.

3. Decimi tertii natalitii carminis [p] in honorem S. Felicis, quod juxta historiæ nostræ seriem ineunte hoc anno scriptum fuit, titulus est : *De Gothorum exercitus cum suo rege interitu :* quibus verbis aperte [q] Rhadagaisi clades indicatur ; quæ quidem clades tamquam manifestum illudque mirum Dei in imperium religionemque Christianam tutelæ indicium semper habita est ; et ea quæ supersunt pauca ex hoc poemate [r] carmina Paulinum Romæ et imperii martyribus hanc victoriam tribuisse probant. [s] Victorem anno superiore à Severo et Desiderio missum ad Paulinum vidimus, coactumque fuisse Nolæ exspectare donec adventasset verna tempestas ut in Gallias rediret. Sic [t] exspectantem eum invasit gravissimus morbus, quo in extremis positus est. Ejus tribulationem [u] compatiens sustinuit Paulinus, sed quamvis jam ab omnibus desperatus ægrotaret, [v] de Severi tamen fide ejusque meritis sanitatem speravit Paulinus. Revera [x] convaluit Victor : sed plus temporis in reficienda valetudine consumsit, quam ægritudine tolerata produxerat, et [y] vicino tantum apostolorum natali plane restitutus est. Tam cito dimittere eum noluit Paulinus ; sed retinuit donec secum Romam illum sui itineris annui socium duceret, ut illinc proficisceretur in Gallias reversurus, et ad vindemiæ dies Severo remissus occurreret, ipso scilicet tempore quod præscripserat Severus [z], verum sequenti tantum anno. Duas [aa] breves epistolas quas anno superiore, cum Victor proficisci vellet, ad Severum et Desiderium scripserat Paulinus, eidem Victori deferendas dedit ; sed duas prolixiores ad eosdem, *remissa atque laxata in otium mente* scriptas iis adjecit. Ea quæ ad Severum prolixior erat scripta, periit, nec etiam quid remanet earum quas ad illum deinde scribere potuit.

4. In [bb] Spicilegio Acheriano binas nomine Severi ad Paulinum inscriptas habemus epistolas, quarum prima sane est Severi ad Paulinum, quare et eam [cc]

[a] Ep. 39, in tit. [b] Ibid., n. 2. [c] Ibid., n. 3. [d] Ibid., n. 4. [e] Paul. ep. 43, n. 1 et 2. [f] Ibid., n. 3. [g] Ibid., n. 1 et 2. [h] Cap. 45, n. 2. [i] Ep. 43, n. 1. [j] Prosper. Chron. [k] Ibid. [l] Sulp. Dial. 1, c. 2. [m] Ibid. [n] Sulp. Sev. Dial. 3, c. 17. [o] Uran. de Obitu Paulini, n. 2. [p] Paul. carm. 28, in tit. [q] Vid. not. 329. [r] Carm. 28. [s] Cap. 47, n. 1. [t] Paulin. ep. 43, n. 1. [u] Ibid., n. 2. [v] Ibid. [x] Ibid., n. 1. [y] Ibid. [z] Ibid., n. 2. [aa] Ibid., n. 1 et 2. [bb] Spicil. t. V, p. 532, 534. [cc] Cap. 38, n. 1.

supra retulimus. Altera etiam potuisset mitti ad Paulinum, eaque esset præclarum pietatis ejus argumentum, cum sit gratiarum actio cujusdam nomine sui et aliorum, ut videtur, rusticorum, quod ipsius cohortationibus veritatem et Dei cultum fuissent edocti, minis non territi. Sed cum constet epistolam hanc non esse Severi, nos hac una nixi autoritate, Paulino, ea quæ ipsi forte non conveniunt, tribuere non audemus. Cum Paulinus in epistola ad Desiderium [a] ostendisset quid causæ fuerat cur Victor nonnisi post elapsum annum rediret, maxima se humilitate **84** excusat de opere quod petebat Desiderius, eumque rogat ut sibi duodecim patriarcharum Benedictiones ipse explicet.

CAPUT XLVIII.

Duodecim patriarcharum benedictionum explicationem a Ruffino Paulinus impetrat. Ad Aprum scribit; Melaniæque filium laudat.

1. Hanc rursus a Ruffino benedictionum explicationem postulavit [b] Paulinus, de qua se ab aliis consuli testatur [c] in sua ad Ruffinum epistola quadragesima septima. Hanc expositionem ipsi denegare non potuit Ruffinus. Cum enim ad Paulinum scripsisset [d] Ruffinus se quibusdam de negotiis venisse Romam, Paulinus [e] eum rogavit epistola quadragesima sexta ut capitulum quo Judas a Jacob benedicitur explanaret. Postea ad eum rursus scripsit [f] ab eoque petiit ut hanc benedictionem triplici interpretatione elucidaret, [g] historica nimirum, morali et mystica; ita ut Ruffinus excusatione primum allata [h] tandem obtemperaverit, ejusque votis paruerit. Accepta enim hujus benedictionis explicatione prima, petiit [i] a Ruffino Paulinus, ut per reliquos filios distributam dignaretur exponere. Paruit Ruffinus, illaque duo opera etiamnum supersunt cum litteris quas simul ad Paulinum misit. Quare ut Gennadii autoritatem taceamus, [j] Isidoro illud opus ipsi Paulino adjudicanti assentire non possumus. Se aliquid ejusmodi [k] *post tempus* a Ruffino expostulasse testatur Paulinus; Ruffinusque sibi ab ipso quædam de Scripturarum interpretatione tradita fuisse asserit : verum illa non exstant. Ex priore illius [l] ad Ruffinum epistola eum aliquid de S. Clemente (papa) transtulisse manifestum fit; quare cum gravius eum [m] admonuisset Ruffinus ut studium in Græcas litteras attentius sumeret, se implere non valere affirmat, nisi diutius Ruffini consortio fruatur, eoque præceptore utatur. Postremum per Cerealem epistolam quadragesimam septimam misit Ruffino qui [n] tunc in monasterio Pinetensi degebat, unde brevi erat Romam venturus ut in Orientem reverteretur; idque circa annum 409, ut demonstrabitur aliquando in historia S. Hieronymi et Ruffini.

2. Credimus illo eodem anno 406 Paulinum [o] misisse epistolam quadragesimam quartam ad Aprum et Amandam, a quibus unam acceperat quam multum laudat, [p] et cui dicit se nihil simile posse referre. Tandem statuit [q] epistolam in eorum sermonis retractatione contexere, et apud eos rursus illorum epistolam laudans [r] usus est ferme iisdem verbis quibus Augustinus ad ipsum scripserat anno 395. Reliquum epistolæ [s] adhibet in laudes Amandæ quæ seculi curas curabat, ut posset Aper totum se dare cœlestibus et ministerii sui operibus. Eos denique hortatur [t] ut filios diligenter et pie educent.

ANNO CHRISTI 407.

3. Decimi quarti natalitii carminis [u] in S. Felicem supersunt tantum fragmenta quædam. Illud carmen eo solum scripsisse videtur Paulinus, ut enumeraret Dei in se beneficia hujus sancti confessoris ope. Si integrum exstaret, ex **85** eo multa ad Paulini vitam spectantia colligeremus; sed et ex iis quæ habemus animadvertere possumus quam grato fuerit a Deo donatus animo Paulinus, qui et ejus generositati altæque humilitati merito tribui potest. Hoc etiam, ut credimus, anno Melania senior iter in Africam confecit, quæ fortasse ad Augustinum attulit epistolam [v] in qua Paulinus filii unici hujusce viduæ illustris circa idem tempus demortui laudes celebrabat.

ANNO CHRISTI 408.

CAPUT XLIX.

De Melania scribit Paulinus ad Augustinum, a quo per Possidium litteras accipit. Plurimos Galliæ episcopos laudat. De S. Venerando Claromontano.

1. Decimum quintum natalitium carmen [x], quantum conjicere possumus ex iis quæ supersunt, ad narranda S. Felicis miracula scripsit Paulinus. Illud de S. Felice ultimum a Paulino scriptum cognoscimus, sive perierint alia, sive de eo nihil amplius scripserit Paulinus; etenim constat turbas tribus annis sequentibus exortas ab hisce animi oblectationibus potuisse Paulinum avertere, qui, ubi episcopatum adeptus est, aliis sibi studiis pietatem colendam duxit. Saltem non illi erat satis otii festo die S. Felicis ut scribendis versibus animum adjungeret. Ab hoc ipso anno fuerunt [y] Paulino incredibiles occupationes, quibus illum expertem Augustinus credebat; et quibus jactatus Paulinus fortasse [z] solito citius Romam peregrinationem consuetam maturare compulsus est; illuc enim post Pascha se contulit, unde ante 15 Maii diem erat reversus. Ibi [aa] Quintus diaconus jam Romæ aliquandiu commoratus ab Augustino epistolam, cujus erat portitor, Paulino tradidit. At ipsi percupienti Augustini epistolam legere per tempus non licuit, [bb] donec interponendum ad itineris stativa diem, quem in oppido Formiano habuit, totum huic operi manciparet, et in ejus epistolæ lectione veluti

[a] Ep. 43, n. 4. [b] Ep. 46, n. 2. [c] Ep. 47, n. 2. [d] Ep. 46 Paulin., n. 1. [e] Ibid., n. 3. [f] Ep. 47, n. 2. [g] Gennad. Catal. c. 17. [h] Paul. ep. 47, n. 2. [i] Ibid. [j] Isid. Hispal. lib. Script. eccl. c. 4. [k] Paulin. ep. 46, n. 3. [l] Ibid., n. 2. [m] Ibid. [n] Vid. Hist. Hieron. § 166. [o] Paul. ep. 44, n. 1. [p] Ibid. [q] Ibid., n. 2. [r] Ibid. [s] Ibid., n. 4. [t] Ibid., n. 5. [u] Carm. 29. [v] Ep. 94, n. 3. [x] Carm. 30. [y] Aug. ep. 95, n. 9. [z] Vide cap. 22, n. 2. [aa] Paul. ep. 45, n. 8. [bb] Ibid., n. 1.

in deliciis spiritualibus ab omni curarum fæce liber epularetur. Scribebat ad eum Augustinus de constantia Melaniæ in morte unici filii sui. Ad Augustinum 15 Maii die rescripsit [a] Paulinus epistolam quadragesimam quintam, in qua ejusdem Melaniæ laudes prosequitur; idemque videtur credere [b] Deum ab hominibus in vita æterna laudandum vocibus humanis post ipsam resurrectionem, sed laudem hanc humanis sensibus et eloquiis fore longe altiorem.

2. Huic epistolæ respondit Augustinus sequenti hieme per epistolam quadragesimam quintam, cujus delator fuisse videtur [c] Possidius, qui acturus causam Ecclesiæ suæ Calamensis apud imperatorem, data occasione usus Paulinum lubens invisit. Circa idem tempus episcopo Memori [d] litteras dedit Augustinus, ubi de filio ejus [e] Juliano agit qui tum erat diaconus, et postea hæresiarcha factus est. Conjugatus fuerat cum Ia, et Paulinus [f] patris et filii unicus (perinde ac Augustinus) in Juliani et Iæ matrimonium scripserat epithalamium, quod ideo in annum 400 aut circiter [g] rejecimus.

3. Ad præsens tempus vel potius ad annum 409 referre possimus eam quam Gregorius [h] **86** Turonensis citat presbyteri Paulini epistolam, in qua ait ille autor, *Utcumque se habent seculi mala*, hoc viris piis relinqui solatium, quod clarissimis præsulibus Deoque dignissimis, qui et sapientissimi et fidelissimi erant fidei et religionis custodes, firmissimo tamquam præsidio fruerentur. *Videas*, [i] inquit, *Exsuperium Tolosæ, Simplicium Viennæ, Amandum Burdigalæ, Diogenianum Albigæ, Dinamium Engolismæ, Venerandum Arvernis, Alethium Cadurcis, et nunc Pegasium Petragoriis.* An presbyter ille hujus epistolæ autor fuerit Paulinus noster dubitat [j] Rosweydus. Hunc non esse Paulinum Nolanum contendit omnino Chiffletius [k], quia in eo quod distinguit autor ille Pegasium ab aliis, satis indicat alios jam tum e vivis excessisse, quibus Paulinus Nolanus non videtur fuisse superstes. Hæc Chiffletius; cui non assentior, cum epistolæ Paulini ad Amandum scriptæ ante annum 404 nequaquam prohibeant quin ipse Amandus et alii præsules ante annum 431 e vivis excesserint. Quod autem Gregorius Turonensis eum presbyterum vocet, eo ad credendum adducimur Paulinum illum a Gregorio talem, qualis erat, in titulo epistolæ fuisse designatum; ita ut si sit Paulini nostri hæc epistola, ut minime dubitamus, ante annum 410 scripta fuerit necesse est, quo anno jam tum fuisse episcopus videtur Paulinus. Et revera fieri non potest ut Amandus ante annum 410 obierit, si ante et post Severinum, ut communis fert opinio, Burdigalensem rexit Ecclesiam; et si epistolæ Zosimi supposititiæ non sunt, [l] Simplicius Viennæ vivebat etiam anno 417. At enim si textus ipse Paulini diligenter observetur, quivis perspexerit id sibi animo proposuisse Paulinum ut exponeret quo statu tum Ecclesia esset cum hæc scriberet; adeoque eum recensuisse episcopos vivos, non mortuos, idcirco non dicit *vidisti*, sed *videas*, quod ad mortuos referri non potest; quod autem his verbis usus fuerit, *nunc autem Pegasium*, innuisse videtur Pegasium tum fuisse recens episcopum. Itaque cum Alethium Cadurcensem episcopum hunc fuisse arbitremur quem Hieronymus solo presbyteri nomine designat in quadam epistola quæ videtur anno 407 scripta, isthæc epistola non videtur a Paulino fuisse conscripta nisi paulo ante episcopatum, circa annum 408 vel 409. Quid referat historia de Exsuperio, Simplicio et Amando, alius in lucem proferet: nihil de Diogeniano, Dinamio et Pegasio comperimus. De Alethio vide Dissert. 3, n. 2.

4. Paulo plura recenset Gregorius de Venerando: erat ille profecto [m] senator, et verisimiliter Claromontanus. S. Artemio successit, et septimus numeratur Claromontanus episcopus. Nihil certum habemus de ejus gestis præter ipsius Paulini testimonium. [n] In vigilia Natalis Domini hunc obiisse ferunt, cujus exsequiæ postridie exsolutæ instar solemnis hujus diei processionis habitæ sunt. Gregorius Turonensis [o] asserit ad ejus tumulum plurima patrata miracula. Sepultus est autem in quadam ecclesia quæ nomen ejus sortita est, ditata [p] multorum sanctorum corporibus, in iis maxime [q] S. Nepotiani, quinti episcopi Claromontani, et [r] S. Liminii martyris: quæ basilica etiamnum in hortis abbatiæ S. Allyrii visitur, [s] sed paucissimæ ibi relictæ sunt S. Venerandi reliquiæ, cum maxima pars 22 **87** Decembris die anno 1311 in proximam S. Allyrii ecclesiam translata fuerit, et [t] reliquiæ in ipsa S. Allyrii capsa fuerint separatim positæ. Arvernis [u] fit memoria hujus translationis 22 Decembris die, et [v] festivitas ejusdem sancti 18 Januarii recolitur. Huic [x] successit S. Rusticus. Circa annum 408 scripsit Ruffino Paulinus epistolam quadragesimam sextam de qua superius egimus cap. 48, n. 1.

ANNO CHRISTI 409.

CAPUT L.

Paulinus Nolæ creatur episcopus. Qua ratione se gesserit in episcopatu.

1. Augustinus sub finem anni 408 vel sub initium 409, ut jam diximus, [y] scripsit epistolam nonagesimam quintam. Ea [z] Paulino et Therasiæ item inscripta est cum epithetis sua erga utrumque caritate dignissimis, in qua Paulinum tum episcopali dignitate insignitum fuisse non apparet; cui alioquin ornatior titulus in epistola debitus atque ipsi ab Augustino adscribendus fuerat. Sententiæ nostræ favet Ruffinus,

[a] Paul. ep. 45, n. 8. [b] Ibid., n. 6. [c] Aug. ep. 95, n. 1, et adnot. in marg. [d] Aug. ep. 101. [e] Ibid., n. 4. [f] Paul. carm. 22. [g] Vid. cap. 37, n. 4. [h] Greg. Tur. Hist. Franc. lib. II, c. 13. [i] Paul. ep. 48. [j] Not. 176. [k] Chifll. p. 11. [l] Baron. an. 417, § 48, 51, in append. [m] Greg. Turon. Hist. Franc. lib. II, c. 13. [n] Ibid. [o] Ibid., c. 37. [p] Ibid., c. 35 et 36. [q] Ibid., c. 37. [r] Ibid., c. 36. [s] Bolland. 18 Januar., § 6, p. 191. [t] Ibid. [u] Ibid., § 7. [v] Ibid., § 1. [x] Greg. Tur. loco cit., c. 13. [y] Cap. 49, n. 2. [z] Aug. ep. 95, in tit.

qui Paulini epistolæ quadragesimæ septimæ anno 409 conscriptæ satisfaciens, in epistola nuncupatoria libri II de Benedictionibus patriarcharum, quem quadragesimali hujusce [a] anni tempore scripsit, non episcopum, sed *fratrem* ipsum appellat. Quantulacumque sit episcopi diœcesis, non videtur a negotiis vacuus episcopus, qualis Augustino visus est Paulinus anno 408. Nihilominus addit Augustinus sibi nuntiatas fuisse incredibiles ejus occupationes : quæ expressio potius denotat eas quæ insolito casu eveniunt, quam quæ episcopatui annexæ sunt. Quemadmodum autem Paulinum episcopali nondum dignitate fuisse insignitum initio anni 409, ita eum jam episcopum anno 413 fuisse constat, quandoquidem hoc nomine donetur ab Augustino [b] lib. I de Civitate Dei, idque referendo aliquid quod Paulinus anno 410 gesserat: unde probabiliter colligi potest jam anno 410 illum fuisse episcopum. Et præterea videtur Paulinus debuisse quopiam se recipere ut e Gothorum manibus se eriperet, ut [c] revera in eorum manus incidit, nisi fuisset addictus pascendo gregi, et nisi vinculis episcopalis muneris fuisset retentus, a quibus in sacerdotio constitutus erat omnino liber; singulis autem epistolis privatam egisse vitam videtur. Comperimus etiam Augustinum ab eo [d] *fratris* nomine compellari in epistola quam arbitramur scriptam circa annum 410. Augustinus [e] in epistolis suis ad Paulinum circa annum 413 datis et in posterioribus aliis operibus eum semper vocat *episcopum*, nulla de ejus uxore mentione facta, unde eam jam vita functam omnino probabile est. Contendit [f] Chiffletius Paulinum fuisse episcopum ab initio anni 397, sed ejus rationibus satisfecisse credimus. Potuisset quidem et merito duas ad Victricium epistolas objicere, quas anno 399 et 404 posuimus, siquidem Victricius episcopus ab eo [g] *frater* vocatur in trigesima septima epistola anni 404 ex editis et mss. codicibus, ac etiam in epistola decima octava anni 399 ex ms. Viennensi codice, cum aliis, *patris* nomen habeant. Sed hoc **88** argumentum non videtur magni ponderis, cum amanuenses hunc errorem facile admittant scribendo *fratri* pro *patri;* quamvis etiam Paulinus potuerit Victricium *fratrem* amice dumtaxat compellare, ut ipse [h] Paulinus et Therasia in epistola quadragesima quinta anno 408 15 Maii data Augustinum *patrem, fratrem* simul et *magistrum* vocant. Quod si iis quis nos cogat insistere et fateri duas ad Victricium epistolas ab episcopatu Paulini fuisse scriptas, post annum 409 facile collocabuntur; alteram enim ad annum 399 retulimus ex simplici dumtaxat cum epistola decima septima convenientia, et alteram ad annum 404 propter tempus inscriptæ epistolæ Innocentii quæ agit de itinere Victricii Romam, et quia Paulinus in epistola sua Romam etiam venisse Victricium asserit, quo duas peregrinationes potuit

A suscepisse. Adde quod cum tempus inscriptæ epistolæ Innocentii vel partim vel omnino rejicere nobis necesse sit ex anno 404 quo illam [i] apposuimus, quamvis non 15 Februarii die, eodem quidem mensis hujus die, sed altero anno collocanda est, et forte anno 410 cum Honorius Romæ annum 407 et partem anni 408 exegerit. Turbas tamen quæ in Galliis et in Italia exstitere cum illis a nobis assignatis Victricii peregrinationibus et hoc litterarum commercio aptissime convenire judicant doctissimi viri quos consuluimus; historia vero duas illas tantum ab Honorio Romam per pontificatum Innocentii susceptas peregrinationes observat : unde Innocentii et Paulini ad Victricium epistolas anno 404 adscribere coacti fuimus. Neque ex sola *fratris* appellatione judicandum B duximus illum tum fuisse episcopum, cum nobis suppetant validiora argumenta, quibus certo colligimus ante annum 409 illi non collatam fuisse episcopalem dignitatem, quam ut in hac una nominis difficultate hæreamus. Creatus fuit [j] Nolanus episcopus Paulinus noster ut nemo dubitat, videturque Paulo successisse, [k] qui annis 402 et 403 certissime hanc Ecclesiam regebat; quæ non videtur ingenti plebe fuisse numerosa, quandoquidem Paulinus [l] se vocat *exigui gregis pastorem*.

2. Jam vero qua ratione in episcopali munere se gesserit discamus ab oculato teste [m] : *Cum autem ad summum sacerdotii gradum provectus est, noluit se talem exhibere episcopum qui ab aliquo timeretur, sed talem se reddidit sacerdotem qui ab omnibus amaretur.* C *Numquam sic iratus est, ut non in ira misericordiæ memor esset : neque enim poterat vir ille irasci qui contumelias despiciebat, et odia vitabat. Numquam in judicio sine misericordia sedit, quia noverat misericordiam meliorem esse quam sacrificium* (Osee VI, 6); *misericordia vestiendum esse omne Christianorum judicium, dicente venerabili Scriptura : Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine* (Psal. c, 1). *Justitiam quoque votis benignioribus temperabat : sciens quoniam Spiritus sanctus quantum æquitati et justitiæ favet, tantum suis gratiam pietatis benignus indulget: et ideo tenebat rigorem in examinatione justitiæ, misericordiam autem in definitione sententiæ proferebat.* [n] *O admirabilem virum, atque omnium virtutum laude censendum! Hic etenim omnium patriarcharum exempla* D *secutus, fuit fidelis ut Abraham, credulus ut Isaac, benignus ut Jacob, munificus ut Melchisedech, providus ut Joseph, rapax ut Benjamin : rapuit enim divitibus, et pauperibus erogavit; et tamen plus divitibus quam pauperibus profuisse cognoscitur, quia pauperibus in hoc seculo profuit, divitibus autem in futuro providit.* Ipse etiam [o] moribundus asportatam a longe pecuniam, quam **89** eleemosynis impenderet, accepit. Fateor equidem autorem illi fuisse Hieronymum ut alienas eleemosynas distribuendas minime susci-

[a] Vid. cap. 48, n. 1. [b] Aug. l. I de Civ. Dei, c. 10. [c] Vid. cap. 51, n. 2. [d] Paulin. ep. 50, n. 18. [e] Aug. ep. 149, in tit. [f] Chiffl. p. 153. [g] Paul. ep. 37 et 18, in tit. [h] Ep. 45, in tit. [i] Dissert. 4, t. IV, n. 2. [j] Aug. l. I Civit. Dei, c. 10. [k] Vid. cap. 43, n. 3; 44, n. 1, etc. [l] Paul. ep. 49, n. 14. [m] Uran. de Obit. Paulin. n. 6. [n] Uran. n. 7. [o] Ibid., n. 4.

peret : sed aliud est quod prudentia homini privato qui divino se obsequio recens addicit et consecrat, aliud quod pietas episcopo in sola pietate longo virtutum exercitio jam constituto suggerit. Et revera nequaquam imprudens fuit Paulini pietas, [a] *Nam qui ingentia prædia quia fuerant sua vendita pauperibus erogaverat, is cum postea factus esset episcopus, non contemsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensavit. Quo facto satis ostendit et propria debere propter perfectionem contemni, et sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ quæ sunt profecto communia possideri*. S. Gregorius Turonensis [b] magnas Ecclesiæ Nolanæ fuisse divitias asserit, et Christum adimplevisse in Paulino, qui omnia propter ipsum dimiserat, quæ per Evangelium promittere dignatus est, quia qui propter ipsum reliquerit omnia, centuplum in hac vita accipiet : quod meo quidem judicio non facile probaverit; sic enim prosequitur Uranius [c] : *Ergo, ut dicere cœperam, fuit mansuetus ut Moyses, sacerdotalis ut Aaron, innocens ut Samuel, misericors ut David, sapiens ut Salomon, apostolicus ut Petrus, amabilis ut Johannes, cautus ut Thomas, doctor ut Paulus, videns ut Stephanus, fervens ut Apollo. De sollicitudine autem et cura Ecclesiarum, in fide et caritate omnes apostolos et episcopos imitatus est. Hæc omnia in se habuit, hæc in tempore conversationis suæ fideliter custodivit.* [d] *Et vere talis erat ut ab omnibus amaretur : vixit enim cunctis in exemplum acquirendæ salutis, et in refrigerium consolationis. Neque enim solius hæc mea vox est : testes sunt omnes provinciæ, testis est omnis terra quam Romanus orbis includit, testes etiam sunt barbaræ nationes ad quas fama domni Paulini pervenerat. Nec immerito ab omnibus amabatur, qui aderat omnibus. Quem enim jacentem non sua dextera erexit? quem interpellantem se non pia voce consolatus est? Erat enim pius, misericors, humilis et benignus; nullum spernens, nullum despiciens. Omnibus tribuebat, omnibus indulgebat : animabat trepidos, mitigabat violentos; hos verbis, illos ædificabat exemplo : alios epistolis, alios sumtibus adjuvabat. Nullas opes, nullas divitias, nisi quas sanctis suis Christus promiserat mirabatur. Aurum atque argentum, et cetera sic definiebat, ut ea sibi ad largiendum liberalitas, non ad retinendum cupiditas vindicaret. Et ut breviter dicam, omnia bona in se habuit quia Christum amavit : habuit enim fidem, mansuetudinem, curam proximorum, jugem pro miseris sollicitudinem, compassionem pro infirmis, nihil aliud respiciens nisi pacem et caritatem; solus namque mendicabat, ut omnibus abundaret. Denique quis locus est in orbe terrarum, quæ solitudo, quæ maria, quæ S. Paulini beneficia non senserunt? Omnes eum agnoscere cupiebant, omnes videre desiderabant. Quis ad illum non lætus advenit? aut quis ab illo non desideraturus abscessit? Nam qui corpore eum videre non poterant, saltem epistolas ejus contingere cupiebant. Erat enim suavis et blandus in litteris, dulcis et bene suavis in versibus. Quid plura? Vix quæcumque de illo dicuntur admitteret credulitas fidei, nisi propellerent sua facta mendacium.*

CAPUT LI.

Valgius, qui et Victor, solus in navi e naufragio servatur. Nola a Gothis capta. Paulinus alter apud S. Paulinum se recipit. Adversus Pelagianos epistolam S. Paulino scribit Augustinus.

90 1. Jam erat Paulinus [f] *exigui gregis pastor*, id est Nolanæ Ecclesiæ episcopus, cum accidit historia mirabilis servati e naufragio Valgii, qui post eum casum Victoris nomen sortitus est. Tempus hujusce casus fixum omnino statuere non possumus. Contextum historiæ narrat Paulinus in epistola quadragesima nona, quemadmodum ille a Christo S. Felicis patrocinio e naufragio servatus sit : quam ob causam forte Nolam [g] venire compulsus est Valgius, ubi dicit Paulinus [h] tam insignia Dei miracula se adeo admiratum fuisse, ut pene in ipsum senem crudelis fuerit, et partem auris servandam voluisset abscindere, nisi in illo vulneris res fuisset. Videtur [i] ipse Paulinus senem Valgium naufragio ereptum aquis lustralibus abluisse, illique [j] Victoris nomen in ipso baptismate indidisse. Navis [k] quæ erat cujusdam Christiani Secundiniani nomine, et in qua servatus fuit, sine ullo damno oneris [l] in Lucanorum et Brutiorum littore allapsa est, quo [m] Posthumiani senatoris Romani possessio adluitur. Posthumiani procurator navem illico occupavit, et captam vacuefecit, cui [n] præter onus publicum plura etiam de stipendiis et peculiis nauticis inerant. [o] Super hoc latrocinio apud provinciæ judicem depositæ jam sæpe fuerant querelæ, sed procurator primo vi rebellavit adversus provincialis judicis edicta ejusque ministros, postea Romam profugit, quo Secundinianus cum Victore se contulit. Rescribens Macario Paulinus, eum [p] precatus est ut Posthumianum ad jura pietatis et justitiæ leges adduceret, faceretque ut a procuratore ablata solummodo restituerentur ; quod enim spectat ad sumendas de eo pœnas, orat Paulinus Macarium ut ab iis abstineatur. Videtur ille fuisse Macarius qui, postquam vicarius præfectorum exstitit, Romæ fuit hoc tempore pietate maxime et scientia percelebris, et cui, ut docet Augustinus [q] prolixam Paulinus noster de morte uxoris consolatoriam dederat epistolam.

ANN. CHRISTI 410, 411, 412, 413.

2. Celebris est Romæ vastatione annus 410 [r] quo Alaricus Gothorum rex 24 Augusti die Urbem ingressus traditur, ex eaque vigesimo sexto ejusdem mensis egressus [s] Campaniam deinde populatus est. Referendum est [t] profecto ad illud tempus quod di-

[a] Jul. Pomer. de Vita contempl. l. II, c. 9. [b] Greg. Tur. de Glor. Confess. n. 107. [c] Uran. de Obitu Paulin, n. 7. [d] Ibid., n. 9. [f] Paulin. ep. 49, n. 14. [g] Ibid., n. 3. [h] Ibid., n. 14. [i] Ibid. [j] Ibid., n. 2. [k] Ibid., n. 1 et 15. [l] Ibid., n. 8 et 15. [m] Ibid., n. 15. [n] Ibid., n. 1. [o] Ibid., n. 13. [p] Ibid. [q] Aug. ep. 259, n. 1. [r] Theophan. et Oros. lib. II, c. 19; et lib. VII, c. 39. [s] Philostorg. lib. XII, c. 4. [t] Baron. an. 410, § 46.

cit Augustinus, [a] Nolam scilicet obsessam a barbaris, quo tempore hujusce urbis civibus visus est S. Felix, quibus jam tot pietatis suæ argumenta crebris miraculis præbuerat; quod Augustinus non ex opinione communi, sed ex certis testibus se comperisse fatetur. Hinc colligit [b] Baronius hacce occasione cives Nolanos evasisse incolumes quod non asserit Augustinus; **91** immo vero [c] hanc urbem captam fuisse et a barbaris vastatam alibi affirmat : quod ad hæc tempora [d] cum S. Felicis apparitionibus refert etiam Baronius. Tentus est et ipse [e] Paulinus; sed cum magnis, quibus antea abundabat, divitiis renuntiasset, nec alio amplius quam eximiæ virtutis thesauro ditaretur, hanc Paulinus calamitatem duram certe avaris et vitæ amantibus hominibus non parum temperavit, immo suavem sibi effecit bonorum operum memoria, quibus facultates suas per manus pauperum eo loci reposuerat quo attingere barbari non valebant. Hisce fidei et spei affectibus sic in corde suo, ut ab illo se accepisse testatur Augustinus [f] Dominum precabatur : *Domine, non excrucier propter aurum et argentum, ubi enim sint omnia mea tu scis.* Hujus vota profecto exaudita fuisse dubium non est, quandoquidem addit Augustinus se nescire quemquam eorum, qui opes suas propter Christum abjecerint, veluti pecuniæ possessorem a barbaris excruciatum. Hac barbarorum incursione et vastatione accensa fuit, non exstincta, Paulini caritas; quin immo, [g] quæcumque habere potuit ut episcopus, ad captivorum et pauperum solatium in eleemosynas erogavit.

3. Circa hoc idem tempus ad Augustinum epistolam 50 scripsit [h] Paulinus varias illi quæstiones proponens quibus statim responsum dedit Augustinus; quo amisso, eidem rescripsit iterum Paulinus, cui responsum alterum misit Augustinus quod et secundo amissum est. His tamen non permotus Paulinus tertiam de iisdem difficultatibus epistolam scripsit, pium quoddam opus meditans. Anno 413 magnum de Civitate Dei opus Augustinus exorsus est, cujus in primis capitibus illustre [i] Paulini virtuti testimonium reddit.

ANNO CHRISTI 414.

4. Ad quæstiones a Paulino propositas respondit Augustinus [j] epistola 149, quam Paulino redditam fuisse non dubium est, cum ad nos usque pervenerit : cujus sub finem [k] animadvertimus Paulinum nostrum tunc apud se habuisse alterum sui nominis presbyterum; tertium quoque ejusdem nominis, qui temporum calamitate fortunarum suarum jacturam passus ad Paulinum nostrum se receperat, et ex damnis suis sub tanto duce proficere conabatur. [l] Videtur ille aliquam ab Augustino institutionem postulasse, sed hunc paucis hortatus est, in epistola ad S. Paulinum data [m], ut de eo statu in quo Providentia divina fuerat constitutus Deo gratias ageret. *Non enim*, inquit Augustinus, *uberiore fructu legit, vel audit me docentem ac disserentem, vel quibuslibet exhortationibus accendentem, quam inspicit te viventem.* De Paulino episcopo Nolano nihil historiæ proditum est annis 415, 416.

ANNO CHRISTI 417.

5. Jam antea [n] observavimus Paulinum nostrum amicitia fuisse devinctum cum Pelagio antequam proderentur ejus errores, et cum Juliano in Campania episcopo, qui postea Pelagiani dogmatis fuit defensor acerrimus. In ipsa [o] Paulini familia (*apud vos*) vel saltem in civitate Nolana, magna pro errore Pelagiano quidam obstinatione nitebantur : eapropter Augustinus epistolam 186, alias 106, ad **92** Paulinum fecit et plurima [p] misit scripta in Pelagianos, ut præterquam quod [q] pro illis oraret ut corrigerentur, non solum ad vitandos illos cautus esset, verum etiam ad convincendos eos qui Pelagii errores mordicus defendendos suscepissent; quin etiam eos refellit Augustinus ex epistolis Paulini, ac præcipue ex trigesima [r] (alias octava) ad Severum. *Fragrant enim,* inquit [s] ad eum, *epistolæ tuæ odore sincerissimo Christi, ubi germanissimus, gratiæ ipsius dilector et confessor appares.* Nullus certe a dogmate Pelagiano magis abhorruit quam Paulinus; at a Semipelagianorum errore qui bonæ voluntatis initium hominis esse asserebant non satis alienum eum fuisse posset conjici ex quibusdam illius scriptorum locis, [t] cum hanc quæstionem nondum posuissent Massilienses presbyteri, necdum Augustinus enodasset et solvisset.

ANNO CHRISTI 418.

6. Fortasse partem habuit in iis quæ mense Aprili, anno 418 Romæ et Ravennæ adversus Pelagianos acta sunt, quibus peractis, Julianus episcopus ob hæresim Pelagianam sede sua pulsus est duobus imperatoris Honorii edictis : at historiæ de Paulino nihil hoc anno proditum est.

ANNO CHRISTI 419.

CAPUT LII.

Ad synodum Ravennam invitatur Paulinus ut Romanæ Ecclesiæ schisma componat. SS. Eucherius et Honoratus cum Paulino amicitiam instituunt.

1. Zosimo papa mortuo exeunte anno 418, schisma conflatum est et oborta in clero dissensio, cujus pars minor elegit Eulalium archidiaconum in summum pontificem, major vero Bonifacium presbyterum. Sub finem mensis Martii anno 419 Honorius imperator per litteras sanctissimos diversarum provinciarum episcopos ad synodum Ravennam convocavit, quo tantæ controversiæ finem facerent. Imprimis vero scripsit [u] ad S. Paulinum Nolanum episcopum; sed is propter corporis invaletudinem

[a] Aug. lib. de Cura pro mortuis, c. 16. [b] Baron. an. 410, § 46. [c] Aug. lib. I de Civ. Dei, c. 10. [d] Bar. an. 410, § 45, 46. [e] Aug., loco cit. [f] Aug., Ib. [g] Greg. M. dial. 3, c. 1. [h] Paulin. ep. 50. [i] Aug. lib. I de Civit. Dei, c. 10. [j] Aug. ep. 149. [k] Ibid., n. 4. [l] Ibid. [m] Aug. ep. 149, n. 34. [n] Cap. 46, n. 3; et c. 49, n. 2. [o] Aug. ep. 186, n. 29. [p] Ibid., n. 2. [q] Ibid., n. 37 et 38. [r] Ibid., n. 40; et Paulin. ep. 30, n. 2. [s] Aug. ep. 186, n. 39. [t] Paulin. ep. 10, n. 6; et carm. 11, v. 142 et seq. [u] Baron. an. 419, § 19.

minime accedere valuit. Cum autem indicta synodus, Eulalii temeritate, fuisset intermissa, nec ad effectum perducta [a], concilium translatum est Spoleti maximo numero habendum idibus Junii. Idem [b] Honorius imperator, seu potius illius germanus [c] Constantius Patricius, rebus imperii præfectus, Paulinum rogavit ut venire dignaretur, et idcirco ad eum [d] litteras reverentiæ plenas dedit, ex quibus quantæ apud eum æstimationis quantique meriti fuerit Paulinus colligi potest. Eum primo sanctum ac venerabilem patrem appellat, et deinde dilatum propterea dicit concilium, quod, absente illo propter invaletudinem, existimatum sit nihil posse definiri. Epistola autem sic se habet petita ex codice Vaticano ms. apud Baronium anno 419, § 20.

93 *Sancto ac venerabili Patri Paulino episcopo.*

Tantum fuit apud nos certa scientia (Al. *sententia*) *nihil ab his sacerdotibus qui ad synodum convenerant posse definiri, cum Beatitudo tua de corporis inæqualitate causata, itineris non potuit injuriam sustinere. Et propter absentiam sancti viri non quidem obtentura; interim tamen vitia gratulantur, cum prava et vetus ambitio et cum benedicto viro sanctæque vitæ diu velit habere certamen, ut contra hæc apostolicæ institutionis bona de præsumtis per vim parietibus existimet confidendum. O vere digna causa quam nonnisi coronæ tuæ beata vita designat! Dilatum itaque judicium nuntiamus, ut divina præcepta ex venerationis tuæ ore promantur, qui ea secutus implesti: nec potest alius eorum præceptorum lator exsistere, quam qui dignus apostolicis disciplinis est approbatus. Specialiter itaque, domine sancte, merito venerabilis pater, justus Dei famulus, divinum opus, contemto labore, tributum hoc nobis visitationis tuæ, si ita dicendum est, munus indulge: ut postpositis omnibus, quantum temperantia his et tranquillitas suffragantur, synodo profuturus, sine intermissione, etiam desideriis nostris et benedictioni quam cupimus, te præstare digneris.*

An Paulinus ad concilium pergere statuerit plane ignoramus: verum illud iter non suscepit, siquidem septimo idus Aprilis [e] totum negotium alio modo consumtum est.

ANNO CHRISTI 421 VEL 424.

2. Ab anno 319 de S. Paulino nihil historiæ proditum est usque ad annum 421, quo S. Augustinus [f] ad eum per presbyterum Candidianum misit librum *de Cura gerenda pro mortuis*. Eum prolixum fecit Augustinus amore diutius loquendi cum Paulino, illumque scripsit circa annum 421 vel non serius anno 424. Paulinum obsecrat Augustinus ut rescribere dignetur quomodo hunc librum acciperet. Ad hæc tempora convenit referre commercium quod Paulino cum Lerinensibus monachis et solitariis intercessit. Data est autem hæc epistola [g] a Paulino jam episcopo Nolano

A ad Eucherium nondum episcopum, cum adhuc Lerinensibus præesset S. Honoratus abbas, qui anno 426 ad Arelatensis Ecclesiæ episcopatum assumtus est. Nemo nescit S. Honoratum, abdicata seculi vanitate, in insulam Lerinum in ora Provinciæ maritima secessisse, ibique monasterium fundasse, quod deinde celeberrimum factum est. S. Eucherius, postea Lugdunensis antistes, [h] cum Paulinum in eodem vitæ instituto fuisset imitatus, cum Galla conjuge pariter in Lerum insulam recessit, quæ hodie *S. Margaritæ insulæ* vulgo nuncupatur Lerino proxime, brevi interjecta maris rupe. Hinc [i] quosdam ad Paulinum visitandum misit Eucherius, qui quidem cum divina gratia sibi invicem innotuissent, connexi sunt per viscera caritatis Christi. Per hosce viros ab Euche-
B rio missos locum habitationis illius simul et venerabilis Honorati agnovit Paulinus: unde conjici potest Honoratum in Ecclesia nondum celebrem tunc fuisse. Epistola quam haud dubie S. Paulinus tunc temporis ad Eucherium direxit, intercidit. An ad Honoratum tunc scripserit non compertum est. Verum Honoratus [j] anno insequenti S. Eucherii exemplo provocatus tres religiosos de sancto congregationis suæ numero ad Paulinum visitandum misit. Eorum profectionem ignoravit [k] Eucherius, **94** itaque per hanc opportunam occasionem Paulino non rescripsit. [l] Quomodo tamen is se haberet sollicite ab his sciscitatus est Paulinus, et per hanc Lerinensium monachorum opportunitatem [m] Eucherio plenas affectionis et amoris litteras misit, in quibus eum obsecrat ut si
C deinceps [n] opportunam et per hujusmodi tabellarios occasionem Deus donaverit, rescribere impigrum non habeat, ut solummodo pro gratia familiari se invicem consolentur, cum ceterum de animi illius piissima affectione minime dubitaret. Paucis abhinc annis Chiffletii cura ex duobus mss. codicibus in lucem prodiit hæc epistola, quam merum Paulinum sapere nemo non fatebitur qui genium ejus et ingenium norit: illam Paulinianis epistolis addidimus. Eam Eucherio et Gallæ ejus uxori inscribit Paulinus, et tamen nec in titulo nec in epistola usquam Therasiæ meminit: quod jam tunc eam vita fuisse functam non leve est argumentum; et decessisse Paulino Therasiam ex eo conficitur, quod S. Paulini ultimam ægritudinem atque obitum describens [o] Uranius, ni-
D hil de Therasia commemorat; cui certe, si tum adhuc illa vixisset, ex more bene precatus fuisset Paulinus, et aliquid carissimæ ex conjuge sorori superstiti in posterum commendasset.

ANNO CHRISTI 431.

CAPUT LIII.

Sancti Paulini extremus morbus et obitus.

1. Ad Paulini tandem obitum veniamus, cujus narrationem fecit oculatus testis. Jamdiu [p] Paulinus

[a] Baron. an. 419, § 20. [b] Ibid., § 24. [c] Ibid., § 19. [d] Ibid., § 20. [e] Ibid., § 36. [f] Aug. lib. de Cura ger. pro mortuis, c. 1 et 18. [g] Paulin. ep. 51. [h] Chifflet., p. 61. [i] Paulin. ep. 51, n. 2. [j] Ibid., n. 1. [k] Ibid., n. 3. [l] Ibid., n. 1. [m] Ibid., n. 2. [n] Ibid., n. 3. [o] Chiffl. p. 215, c. 34. [p] Uran. de Obitu S. Paulin., n. 4.

de hoc mundo ad cœleste habitaculum evolare cupiebat ut ibi cum sanctis haberet mansionem, cum [a] gravissimo lateris dolore gravatus, et in extremis positus, ex superfluo archiatrorum mandato ustionibus multo magis fatigatus est. Triduo ante illius obitum [b] duo ad eum episcopi visitandi studio convenerunt, S. Symmachus, et Benedictus Acindynus (ut Chiffletius [c] ingeniosa sane conjectura restituit ex lectione ms. codicis Medicæi, cum in vulgatis antea legeretur *Benedictus Hyacinthinus*. Cum autem [d] nec sancti Symmachi nec Benedicti Acindyni sedes expresserit Uranius, conjectura est eos e vicinia advenisse, ac fuisse fortassis sanctum Symmachum episcopum Capuanum, cujus nomine plures exstant ecclesiæ in civitate et provincia Capuana, et cujus solemnitas ad XI kalendas Novembris adscripta est in veteri kalendario Capuano; quo autem ille potissimum vixerit tempore penitus ignoramus. Duo isti præsules [e] Paulinum in extremis laborantem convenerunt, cum jam de salute ejus omnes desperassent. Ita [f] tamen in eorum adventu recreatus atque refectus est Paulinus, ut oblita omni carnali infirmitate, totum se eis spiritalem atque angelicum exhiberet. Jussit [g] sibi ante lectulum suum sacra vasa et ornamenta ecclesiastica exhiberi, et una cum sanctis episcopis obtulit Deo sacrificium; simulque et eos quos pro disciplina ecclesiastica a communione sacrorum mysteriorum extorres **95** esse præceperat, ad pacem pristinam revocavit. [h] Et cum hæc omnia sanctus episcopus læto atque perfecto ordine celebrasset, subito clara voce interrogare cœpit ubi essent fratres sui? Tunc unus ex circumstantibus, qui putavit quod episcopos qui tunc aderant quæreret, ait illi: *Ecce hic sunt fratres tui*. At ille: *Sed ego nunc fratres meos Januarium atque Martinum dico, qui modo mecum locuti sunt, et continuo ad me venturos se esse dixerunt*. Itaque animadverterunt circumstantes quod [i] qui tantum in virtute per multiplicata gratiarum spiritalium charismata respenduit, meruit ut in obitum suum priusquam spiritum redderet, hosce duos illustrissimos corporeis oculis contemplaretur episcopos; quorum prior erat [j] S. Januarius, Beneventi episcopus et martyr circa annum 305, qui Neapolitanæ urbis Ecclesiam tunc reliquiis suis illustrabat; alter vero S. Martinus tunc Turonensis antistes, vir per omnia apostolicus, Ecclesiæ Gallicanæ illustre decus et ornamentum. Deinde visum est quod Paulinus, licet ætate provectior, non minus in pauperes beneficus esset et liberalis. A presbytero enim [k] Posthumiano, qui forte ipse est Posthumianus, cujus semel et iterum meminimus, commonitus quod pro vestimentis quæ pauperibus erogata fuerant quadraginta solidi deberentur, leviter subridens ait ad Posthumianum: *Securus esto, fili, crede mihi quia non deerit qui debitum pauperum solvat*. Et ecce, non longa interposita mora, ingressus est quidam presbyter de Lucaniæ partibus veniens, missus a sancto episcopo Exsuperantio et a viro clarissimo fratre ejus Ursatio, qui ei per ipsum muneris gratia quinquaginta solidos miserunt: quibus acceptis, Paulinus gratias Deo egit quod non dereliquisset sperantem in misericordia ejus. De his autem quinquaginta solidis ipse presbytero, qui eos exhibuerat, manu sua duos dedit; reliquos vero negotiatoribus qui vestimenta pauperibus dederant, reddi mandavit. Cum autem jam [l] nox diei successisset, usque ad mediam noctem paululum quieti concessit, nec ultra potuit somnum capere, crudescente lateris dolore excitatus, et archiatrorum ustionibus fatigatus. Una antequam lucesceret hora vir sanctus, ut solebat, omnes excitavit et matutinum officium ex more et ordine celebravit. Facta autem die presbyteris et diaconis atque omnibus clericis pacem hereditariam exemplo Dominico prædicavit, dein tacitus usque ad vesperum perduravit. Tunc vero lucernariæ devotionis tempus agnoscens, extensis manibus, lenta licet voce dixit, *Paravi lucernam Christo meo*. Deinde facto aliquandiu silentio, [m] circa horam decimam aut undecimam in nocte, omnibus qui aderant sollicite vigilantibus, subito cellula ejus tam ingenti terræ motu concussa est, ut hi qui lectulo ejus assistebant exterriti atque turbati ad orationem se cuncti jactaverint, [n] nihil tamen scientibus his qui pro foribus consistebant: neque enim publicus ille in tota domo, sed privatus in cellula fuerat terræ motus, qui præsagiebat quanto dolore omnes in hujus sancti obitu essent afficiendi.

2. Ille vero Deo debitum [o] spiritum exhalavit angelicis susceptum manibus. Porro ubi ad beata cœli gaudia felix anima evolavit, [p] ita niveo candore vultus ejus et totum corpus affectum est, ut omnes qui aderant inter **96** singultus et lacrymas benedicerent Dominum. Ejus vitam ex merito mortis omnes agnovere, cujus et mortem de conversatione vitæ probaverunt. Ecce [q] quid tribuit eleemosyna; ecce qualem mortem concedit, et quales thesauros sanctis suis, qui eum in pauperibus diligunt, Deus indulget; non ita avaritiæ malo inhiantibus. Nolæ [r] in æde basilicæ S. Felicis 431 [s] decimo kalendas Julii glorioso fine defunctus est. Ad hanc diem in omnibus [t] Martyrologiis consignata est ejus memoria, et illius festivitatem ipsa die celebrat Ecclesia. In ejus obitu [u] totus pene orbis ingemuit, flevere fideles et infideles. [v] Denique non solum Christiani, sed et Judæi atque pagani ingenti fletu, scissis vestibus, ad ejus exsequias convenerunt, et ereptum sibi patronum, defensorem, tutorem, una omnes voce planxerunt. In [x] basilica S. Felicis sepultus est, cui Dei gratias et dona accepta ut mediatori ac patrono semper retulerat, et cujus

[a] Uran. de Obitu S. Paulin., n, 3. [b] Ibid., n. 1. [c] Chiffl. p. 192. [d] Ibid., p. 193. [e] Uran. n. 1. [f] Ibid. [g] Ibid. [h] Ibid., n. 2. [i] Greg. Turon. de Glor. Confess., c. 107. [j] Uran. n. 2. [k] Ibid. [l] Ibid., n. 3. [m] Ibid. [n] Ibid. [o] Ibid. [p] Ibid., n. 10. [q] Greg. Turon. de Glor. Confess., c. 107. [r] Uran., n. 1. [s] Ibid., n. 12. [t] Baron. Martyrol. 22 Jun. [u] Uran., n. 4. [v] Ibid. n. 8. [x] Ibid., n. 1.

laudes tanta lætitia et magnificentia celebravit scriptis suis.

CAPUT LIV.

A Paulino jam vita functo ad cœlos evocatur S. Johannes Neapolitanus episcopus. S. Paulini obitus historiam scribit Uranius.

1. Qui de Paulini obitu scripsit Uranius, [a] narrat apparitionem quæ anno Christi 432 post Paulini obitum proximo contigisse creditur. Tunc temporis [b] præerat Ecclesiæ Neapolitanæ episcopus nomine Johannes, qui de nocte ad quintam feriam in majori hebdomada somno sopitus vidit S. Paulinum, ut ipse Johannes retulit, angelica dignitate vestitum atque ornatum, favum mellis candidissimum in manu tenentem, ac dicentem sibi : *Frater Johannes, quid hic facis? solve vincula tædiorum tuorum, et jam ad nos veni : hæc enim esca, quam in manu teneo, apud nos abundat.* Hæc cum dixisset, Johannem episcopum complexus est, et immisit in os ejus partem favi illius; cujus dulcedinem atque odorem Johannes ita concupivit, ut si illi in ipsa revelatione potestas fuisset, S. Paulini pedes quos tenebat amplexos nullatenus dimisisset. Statim a somno excitatus est, et eadem die, id est quinta feria, sanus dominicæ cœnæ solemnitatem celebravit, et juxta consuetudinem suam clericis et pauperibus cœnam apposuit : sexta vero feria orationi vacavit. Sabbato autem secunda hora diei, id est circa septimam matutinam, ad Ecclesiam lætus processit, et ascenso tribunali ex more populum salutavit, pacem eis prænuntians; resalutatusque a populo, orationem dedit, et collecta oratione spiritum exhalavit. Hac tamen die et sequenti nocte solito more peractum est divinum officium. Postera autem, dominicæ Resurrectionis die, illuminatis lampadibus cum ingenti neophytorum pompa, prosequente etiam multitudine populorum usque ad sepulcrum, gloriosam atque laudabilem sepulturam adeptus est. Johannes [c] ille inter Neapolitanos episcopos decimus quartus sedisse fertur. De eo nihil legitur, nisi quod Marciano prope Puteolos [d] sublatum S. Januarii corpus Neapolim transferri jussit, quod in eo **97** oratorio manu sua condidisse fertur, in quo et ipse post mortem humatus est : quam tamen translationem certissimam asserere non audeo. Ex hac Ecclesia in aliam hujusce sancti corpus iterum translatum fuisse dicitur. Baronius [e] observat Neapoli plures ecclesias S. Johannis nomine Deo dicatas esse : quod autem harum nulla Johannis episcopi, sed omnes S. Johannis Baptistæ nomine nuncupentur, id injuria temporum factum putat et veterum monimentorum inopia, ut hujus ecclesiæ dictæ S. Johannis, sortitæ sint nomen S. Johannis Baptistæ : cujus quidem rei et aliis in locis alia invenimus exempla. Constat eum sabbati sancti die, [f] qui anno 432 erat secundus Aprilis, ex hac vita migrasse; cur autem in diem vigesimam secundam mensis Junii Paulino sacram translatus sit natalis ejus, ignorare se fatetur [g] Baronius.

2. S. Paulini [h] episcopi Nolani corpus Romæ in ecclesia S. Bartholomæi nunc asservari dicitur. Statim atque mortuus est S. Paulinus, [i] ejus vitam versibus illustrare instituit Pacatus : quod an fecerit incertum est, nullus enim hujusce operis meminit; imo S. Gregorius [j] Turonensis nihil de S. Paulini vita se legisse dicit. Pacatum vero, quem nobilitatis titulo ornat Uranius [k] vel huic laicum et genere nobilem, ex Gallia Christianum, et probatum illo ævo poetam fuisse colligi potest, qui originem duxit a Latino Pacato claro sane oratore, qui Theodosio imperatori anno 389 Romæ panegyricum dixit post Maximi tyranni interitum. De illo unum certo scimus, [l] eum scilicet rogasse **98** Uranium presbyterum ut sibi fideliter S. Paulini obitum referret, [m] cui interfuerat, ut ex sequentibus patet, *Vidimus quomodo tollitur justus, etc.*, [n] *omnes una nobiscum voce planxerunt.* Hanc igitur narrationem composuit Uranius, eamque Pacato inscripsit, quem [o] dominum illustrem, in Christo venerabilem, et [p] filium carissimum appellat. Eum adhortatur [q] ut præclari operis munus acceleret, ut quia navigare disponebat, hujus operis lectione perutili frueretur [r] antequam transfretaret. Cum narrationem suam ordiatur Uranius ab accessione duorum episcoporum qui ad Paulinum visitandum triduo ante illius obitum convenere, ex utriusvis clero, non Nolanæ Ecclesiæ fuisse videtur. Quidam [s] autumant eumdem ipsius esse Uranium a quo se tota æstate circa annum 400 Delphini litteras frustra exspectasse testatur Paulinus [t] epistola decima nona, ex quo tempore forte probabilem se exhibuit sancto viro qui, propter dilatam epistolam, de eo ad Delphinum [u] aspera verba fecerat. Scriptum illius a priscis Patribus fuit celebratum, cujus fragmentum [v] refert Gregorius M.; et de Paulini transitu magnam penes se lectionem habuisse indicat Gregorius [x] Turonensis, in qua de sanctorum Januarii et Martini apparitione fit mentio; Isidorus [y] vero de S. Paulini obitu historiam Uranii commemorat. De iis quæ huic Uranii narrationi aut adjicere, aut adimere, quibusdam placuit, egregie disputat Chiffletius in Paulino illustrato.

[a] Uran. n. 11, et Chiffl. p. 214, 215. [b] Uran. n. 11. [c] Paul. Chiffl. p. 198. [d] Gall. *Pouzzol.* [e] Baron. Martyrol. 22 Jun. [f] Chiffl. p. 215. [g] Baron. Martyrol. 22 Jun. [h] Baron. ibid. [i] Uran. in tit. et n. 12. [j] Greg. Tur. de Glor. Confess., cap. 107. [k] Uran. in tit. [l] Uran. in præfat. et n. 12. [m] Ibid., n. 4. [n] Ibid., n. 8. [o] Uran. in præf. [p] Ibid., n. 4. [q] Ibid., n. 12. [r] Chiffl. p. 192, et Baron. Martyrol. 22 Jun. [s] Paulin. ep. 19, n. 1. [t] Ibid., n. 2. [u] Greg. M. Dial. l. III, cap. 12. [v] Greg. Turon. de Gl. Confess., cap. 107. [x] Isid. Hispal. lib. de Scriptor. eccl., c. 4. [y] Chiffl. p. 179, 180, 197 et 200.

EPITOME VITÆ S. PAULINI.

99–100 Paulinus, qui et Pontius Meropius. Cap. 1, n. 1.

Ex senatoribus tum paterno tum materno genere Romanis. Ibid., n. 2.

Patre Paulino. Ibid., n. 3.

Burdigalæ in Aquitania natus. Anno Christi exeunte 353, aut ineunte 354. Ibid. et cap. 23.

Ab Ausonio rhetoricis et poeticis artibus institutus. Cap. 2, n. 2.

Consul suffectus est, non ordinarius. Cap. 3, n. 2.

Dives valde. Cap. 1, n. 3.

Therasiam piam et locupletem duxit uxorem. Cap. 3, n. 1.

Cujus hortationibus sanctorumque episcoporum et presbyterorum suffragiis, ad Christum conversus est ætatis anno 36. Anno exeunte 389. Cap. 4, n. 2 et 3; et cap. 5, n. 2.

A Delphino Burdegalensi episcopo baptizatus. Cap. 5, n. 2.

In Hispaniam cum piissima conjuge Therasia secessit. Incerto anno, certe ante 390. Ibid., n. 1.

Ibi quatuor completos annos commoratus ex ea suscepit filium qui sub octavum ab ortu diem defunctus Compluti sepultus est. Exeunte 389. Cap. 6, n. 3.

Paulinus se Deo dicat et consecrat, ac monasticam vitam amplectitur. Cap. 7, n. 2.

Prædia vendit, et pecuniam pauperibus erogat. Anno 392. Cap. 8, n. 1 et 2.

Barcinone facto multitudinis impetu a Lampio presbyter ordinatur invitus die dominica Nativitatis Christi, ætatis anno 40. Anno exeunte 393. Cap. 15, n. 1 et 2.

Ex Hispania in Italiam venit, et Florentiæ peramanter exceptus est ab Ambrosio, qui illum clero suo adscribere voluit, ut etsi diversis in locis degeret, tamen Mediolanensis Ecclesiæ presbyter censeretur. Anno Christi 394, post Pascha. Cap. 17, n. 1.

Hinc Romam se contulit, ubi dum honorifice exceptus est a populo et proceribus viris, Siricii papæ et quorumdam Romanæ Ecclesiæ clericorum sensit invidiam. Ibid, n. 2.

Quamobrem paucis post diebus Nolam se recipit, et ibi consistit una cum conjuge. Anno 395. Ibid.

In morbum incidit, et ab Africæ et Campaniæ episcopis, clericis ac monachis invisitur. Cap. 26, n. 1.

Sanctissimo Capuanæ Ecclesiæ presbytero Basilio magna vi ereptam domum restitui impetrat. Cap. 31, n. 1 et 2.

In Paulini gratiam scribit Anastasius papa ad episcopos Campaniæ. Anno 398. Cap. 32, n. 3.

Gravi et diutino morbo laborat Paulinus. Anno 399. Cap. 35.

A Niceta Dacorum episcopo et a Melania seniore invisitur. Anno 402. Cap. 41, n. 1 et 2.

Basilicas Nolæ ædificat. Cap. 42 et 43.

Item Fundis ecclesiam construi jubet. Anno 403. Cap. 44.

Ipsius frater moritur. Cap. 45, n. 3.

Paulinus Nolæ creatur episcopus, ætatis anno 56. Anno exeunte 408. Cap. 50, n. 1.

Nola a Gothis capta, nihil mali Paulino illatum est. Anno 410. Cap. 51, n. 2.

Apud eum se recipiunt Paulini duo, unus presbyter, alter laicus. Ibid., n. 4.

Ad Synodum Ravennam ab imperatore invitatur, ut Romanæ Ecclesiæ schisma componat. Anno 419. Cap. 52, n. 1.

Gravissimo laterum dolore correptus a duobus episcopis invisitur triduo ante obitum. Anno 431, mense Jun. Cap. 53, n. 1.

Cum quibus ante lectulum suum offert Deo sacrificium. Ibid., n. 1.

Ad Ecclesiæ communionem revocat a sacris mysteriis extorres. Ibid.

Postridie cum suis matutinum persolvit officium. Ibid.

Et data pace omnibus Ecclesiæ suæ clericis. Ibid.

Circa horam decimam in nocte cubiculum in quo jacebat terræ motu contremuit. Ibid.

Ac paulo post animam Deo reddidit, ætatis anno 78. Anno 431, 22 Jun. Ibid., n 2.

Niveo candore vultus ejus et totum corpus resplenduit. Ibid.

Pagani ac Judæi ingenti fletu et scissis vestibus ad ejus exsequias una cum Christianis convenerunt. Ibid.

Nolæ in basilica S. Felicis sepultus est. Ibid.

Ad cœlos ab eo evocatur S. Joannes Neapolitanus episcopus. Anno 432. Cap. 54, n. 1.

S. PAULINI ELOGIA
EX VARIIS SCRIPTORIBUS AD MSS. CODICES RECOGNITA

101 AUSONIUS, EPIST. 20 AD PAULINUM.

(Illud fragmentum recognitum ad ms. Mariang. et edd. Grav. Lugd. Poelm. Toll. et Vinet.)

Paulino Ausonius. Metrum sic suasit, ut esses
Tu prior, et nomen prægrederere meum.
Quamquam et Fastorum titulo prior, et tua Romæ
Præcessit nostrum sella curulis ebur.
Et quæ jamdudum tibi palma poetica pollet,
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret:
Longævæ tantum superamus honore senectæ.
Quid refert? cornix non ideo ante cycnum.
Nec quia mille annos vivit Gangeticus ales,

Vincit centum oculos regie [a] pavo tuos.
Cedimus ingenio quantum præcedimus ævo.
Assurgit Musæ nostra Camœna tuæ.
Vive, vale, et totidem venturos [b] congere Janos,
Quot tuus aut noster conseruere patres.

AUSONIUS, EPIST. 21 AD PAULINUM.

(Hæc fragmenta collata ad eosdem codices.)

Iambe Parthis, et Cydonum spiculis,
Iambe pinnis alitum velocior,
Padi ruentis impetu torrentior,
Magna sonoræ grandinis vi densior,
Flammis corusci fulminis vibratior;
Jam nunc per auras, Persei talaribus,
Petasoque ditis Arcados vectus vola...
Paulini adusque mœnia, Ebromagum loquor.
Et protinus jam si resumtis viribus,
Alacri refecti corporis motu viget,
Salvere jussum mox reposce mutuum...
Dic et, valere; dic, avere te jubet
Amicus, et vicinus, et fautor tuus,
Honoris auctor, altor ingenii tui;
Dic et magister, dic Parens, dic omnia
Blanda atque sancta caritatis nomina.
Aveque dicto, dic vale, et actutum redi...
Aliquid reportans interim munusculi
De largitate musici promptarii.

AUSONIUS, EPIST. 23 AD PAULINUM.

(Recensita sunt hæc fragmenta ad mss. codices Lugd., Poelm., Reg. et edd. Bad., Grav., Lud., Poelm., Schot., Toll. et Vinet.)

Discutimus, Pauline, jugum quod certa fovebat
Temperies : leve quod positum, et tolerabile junctis,
Tractabat paribus concordia mitis habenis...
Cedebat Pylades : Phrygii quoque gloria Nisi
102 Jam minor, et promissa obiens vadimonia [Damon...
Paulinum Ausoniumque viros, quos sacra Quirini
Purpura, et auratus trabeæ velavit amictus,
Non decet insidiis peregrinæ cedere Divæ.
Quid queror, Eoique insector crimina monstri?
Occidui me ripa Tagi, me Punica lædit
Barcino, me bimaris juga ninguida Pyrenæi...
Agnoscisne [*] tuam Ponti dulcissime culpam?...
Ne sparsam, raptamque domum, laceratаque centum
Per dominos veteris Paulini regna fleamus :
Teque vagum toto quam longa Hispania tractu,
Immemorem veterum peregrinis fidere amicis.
Accurre o nostrum decus, o mea maxima cura :
Votis, ominibusque bonis, precibusque vocatus
Adpropera.

AUSONIUS, EPIST. 24 AD PAULINUM.

(Collata sunt hæc fragmenta cum codicibus supra notatis, et præterea cum ms. Voss.)

Proxima quæ nostræ fuerat querimonia chartæ,
A Credideram quod te, Pauline, inflectere posset,
Eliceretque [c] tuam blanda objurgatio vocem.
Sed tu, juratis velut alta silentia sacris
Devotus teneas, perstas in lege tacendi.
Non licet? anne pudet?...
Si prodi, Pauline, times, nostræque vereris
Crimen amicitiæ, Tanaquil tua nesciat istud.
Tu contemne alios, nec dedignare parentem
Adfari verbis. Ego sum tuus altor, et ille
Præceptor primus, [d] primus largitor honorum,
Primus in Aonidum qui te collegia duxi.

AUSONIUS, EPIST. 25 AD PAULINUM.

(Recognita sunt hæc fragmenta ad mss. codices Lugd., Mariang., Reg. et ad 7 edd. supra notatos.)

Quarta tibi hæc notos detexit epistola questus,
B Pauline, et blando residem sermone lacessit;
Officium sed nulla pium mihi pagina reddit...
Vertisti, Pauline, tuos dulcissime mores...
Ergo meum, patriæque decus, columenque [e] senatus,
Bilbilis, aut hærens scopulis [f] Calagurris habebit?
Aut quæ delectis juga per scruposa ruinis
Arida, torrentem Sicorim despectat Ilerda.
Hic trabeam, Pauline, tuam, Latiamque curulem
Constituis, patriosque istic sepelibis honores?

PRUDENTIUS, LIB. I CONTRA SYMMACHUM.

Non Paulinorum, non Bassorum, dubitavit
Prompta fides dare se Christo, stirpemque superbam
Gentis patriciæ venturo attollere seclo.

103 HIERONYMUS, EPIST. 13 AD PAULINUM.

C (Collata cum ms. codice Victorino et editione Moguntina an. 1470.)

Bonus homo de bono thesauro cordis profert ea quæ bona sunt, et ex fructibus arbor cognoscitur. Metiris nos virtutibus tuis, et parvos magnus extollis; ultimamque partem convivii occupas, ut patrisfamilias judicio proveharis. Quid enim in nobis, aut quantulum est, ut doctæ vocis mereamur præconium; ut illo ore quo religiosissimus princeps defenditur, humiles nos modicique laudemur? Noli igitur, frater carissime, annorum nos æstimare numero : nec sapientiam canos repotes, sed canos sapientiam : Salomone testante, *Cani hominis, prudentia ejus*, etc. Denique et tu audita sententia Salvatoris : *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me*, verba vertis in opera, et D nudam crucem nudus sequens, expeditior et levior [g] scandis scalam Jacob. Tunicam mutas cum animo : nec pleno marsupio gloriosas sordes appetis; sed puris manibus et candido pectore, pauperem te et spiritu et operibus gloriaris... Librum tuum, quem pro Theodosio principe prudenter ornateque compositum transmisisti, libenter legi, et præcipue mihi in illo subdivisio placuit : cumque in primis partibus

[a] Quidam codices, *pave*.
[b] Codd. quidam, *consere*.
[c] Edd. quidam codd., *tuas... musas*.
[d] Ita ms. Reg. et edd. codd. Bad., Lugd., Toll. et Vinet. alii, *veterum*.
[e] Ms. Mariang., *senati*.
[f] Sic mss. Lugd. et Reg. cum edd. Poelm. Edd. 4, *Calagorris*.
[g] Ms. Vict. cod. cum ed. Mogunt. an. 1470, *ascendis*.
[*] Sic mss. codices. Editi, *Agnoscesne*.

vincas alios, in penultimis te ipsum superas. Sed et ipsum genus eloquii pressum est, et nitidum; et cum Tulliana [a] luceat puritate, crebrum est in sententiis. Jacet enim, ut quidam ait, oratio, in qua tantum verba laudantur. Præterea magna est rerum consequentia, et alterum pendet ex altero. Quidquid assumpseris, vel finis superiorum, vel initium sequentium est. Felix Theodosius, qui a tali Christi oratore defenditur. Illustrasti purpuras ejus, et utilitatem legum futuris seculis consecrasti. Macte virtute : qui talia habes rudimenta, qualis exercitatus miles eris? O si mihi liceret istiusmodi ingenium, non per Aonios montes et Heliconis vertices, ut poetæ canunt, sed per Sion et Ithabirium, et Sina excelsa [b] ducere; si contingeret docere quæ didici, et quasi per manus mysteria tradere Scripturarum, nasceretur nobis aliquid quod docta Græcia non haberet.... Si haberes hoc fundamentum (*divinas nempe Scripturas*); immo si quasi extrema manus [c] operi tuo induceretur, nihil pulchrius, nihil doctius, nihil dulcius, nihilque latinius tuis haberemus voluminibus. Tertullianus creber est in sententiis, sed difficilis in loquendo. Beatus Cyprianus, instar fontis purissimi, dulcis incedit, et placidus est; et cum totus sit in [d] exhortatione virtutum, occupatus [e] persecutionum angustiis, de Scripturis divinis nequaquam disseruit. Inclito Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit eloqui non potest. Lactantius quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra [f] confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit. Arnobius **104** inæqualis et nimius est, et absque operis sui partitione confusus. Sanctus Hilarius Gallicano cothurno attollitur; et cum Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, et a lectione [g] simpliciorum fratrum procul abest. Taceo de ceteris vel defunctis, vel etiam adhuc viventibus, super quibus in utramque partem post nos alii judicabunt. Ad teipsum veniam, symmystem, sodalem meum et amicum; amicum, inquam, meum, antequam notum : et precabor ne assentationem in necessitudine suspiceris : quin potius vel errare me existimato, vel amore labi, quam amicum adulatione decipere. Magnum habes ingenium, et infinitam sermonis suppellectilem : et facile loqueris, et pure; facilitasque ipsa et puritas, mixta prudentiæ est, capite quippe sano omnes sensus vigent. Huic prudentiæ et eloquentiæ si accederet vel studium, vel intelligentia Scripturarum, viderem te brevi arcem tenere nostrorum; [h] et ascendentem cum Jacob tecta Sion canere in domatibus quod in cubilibus cognovisses. Accingere, quæso te, accingere. Nihil sine magno labore vita dedit mortalibus (*Horat. Sat. pr. lib.* I). Nobilem te Ecclesia habeat, ut prius senatus habuit. Præpara tibi divitias, quas quotidie eroges, et numquam deficiant; dum viget ætas, dum [i] nondum canis [j] spargitur caput, antequam *subeant morbi, tristisque senectus; et labor, et* [k] *diræ* rapiat *inclementia mortis* (*Virgil.*). Nihil in te mediocre esse contentus sum, totum summum, totum perfectum desidero.

HIERONYMUS, EPIST. 34 AD JULIANUM.

Nec est quod excuses nobilitatem et divitiarum pondera. Respice sanctum virum Pammachium, et ferventissimæ fidei Paulinum presbyterum; qui non solum divitias, sed seipsos Domino obtulerunt : qui contra diaboli tergiversationem, nequaquam pellem pro pelle, sed carnes, et ossa, et animas suas Domino consecrarunt : qui te et exemplo et eloquio, id est, et opere et lingua possunt ad majora perducere. Nobilis es? et illi; sed in Christo nobiliores : dives et honoratus? et illi; immo ex divitibus et honoratis pauperes et inglorii; et idcirco ditiores, et magis inclyti, quia pro Christo pauperes et inhonorati.

HIERONYMUS, EPIST. 103 AD PAULINUM.

(Hæc fragmenta recognita sunt ad ms. codicem Vict.)

Frater Ambrosius tua mihi munuscula perferens, detulit et suavissimas litteras, quæ a principio amicitiarum fidem probatæ jam fidei et veteris amicitiæ præferebant. Vera enim illa necessitudo est, et Christi glutino copulata quam non utilitas rei familiaris, non præsentia tantum corporum, non subdola et palpans adulatio, sed Dei timor, et divinarum Scripturarum studia conciliant. Habes hic amantissimum tui fratrem Eusebium, qui litterarum tuarum mihi gratiam duplicavit; referens **105** honestatem morum tuorum, contemtum seculi, fidem amicitiæ, amorem Christi : nam prudentiam et eloquii venustatem, etiam absque illo ipsa epistola præferebat.

AMBROSIUS, EPIST. 30 (ALIAS 36) AD SABINUM.

(Collata ad mss. codices Gemeticensem 500 annor., Pratell. 900, Vindocin. 700, S. Michael. in Monte Tumbæ 400, et Misericord. Dei 600 annor.)

Paulinum splendore generis in [l] partibus Aquitaniæ nulli secundum, venditis facultatibus, tam suis quam etiam conjugalibus, in hos sese induisse cultus ad fidem comperi, ut ea in pauperes conferat quæ redegit in pecuniam; et ipse pauper ex divite factus, tamquam deoneratus gravi sarcina, domui, patriæ, cognationi quoque valedicat, quo impensius Deo serviat. Elegisse [m] autem secretum affirmatur Nolanæ urbis, ubi tumultum fugitans, ævum exigat. Matrona quoque virtuti et studio ejus proxime accedit, neque

[a] Ms. Vict., *eluceat*.
[b] Ms. codex Vict. cum ed. Mog., *ducerem Scripturarum*.
[c] Iidem codices, *in tuo opere duceretur*.
[d] Sic emendavimus ex ms. codice Vict. et ed. Mogunt. Ante erat, *exercitatione*.
[e] Ms. Vict. et ed. Mog., *persecutionis*.
[f] Ms. Vict., *firmare*.
[g] Ms. codex Vict., *simplicium*.
[h] Addita particula *et* ex ms. codice Vict. et edit Mogunt.
[i] Ms. Vict. et ed. Mog., *dum adhuc non*.
[j] Ms. codex Vict., *aspergitur*.
[k] Ms. Vict. et ed. Mog., *duræ*.
[l] Ita mss. codices Pratellensis, Gemeticensis, Vindocinensis, Michaelinus in monte Tumba, et Mis-Dei; nec ullus præfert lectionem Baronii in Annalibus. Ante erat, *in Aquitania*.
[m] Addita particula *autem* ex mss. codicibus quatuor.

a proposito viri discrepat : denique transcriptis in aliorum jura suis prædiis virum sequitur; et exiguo illic conjugis contenta cespite, [a] solatur sese religionis et [b] caritatis divitiis. Soboles eis nulla, et ideo meritorum posteritas desiderata. Hæc ubi audierint Proceres viri, [c] quæ loquentur? Ex illa familia, illa prosapia, illa indole, tanta præditum eloquentia migrasse a senatu; interceptam familiæ nobilis successionem; ferri hoc non posse. Et cum ipsi capita et supercilia sua radant siquando Isidis suscipiunt sacra; si forte Christianus vir attentior sacrosanctæ religioni, vestem mutaverit, indignum facinus [d] clamant. Equidem doleo tantam esse in mendacio observantiam, in veritate negligentiam, ut confundantur plerique attentiores ad sacrosanctam religionem videri, non considerantes vocem dicentis : *Qui me confusus fuerit coram hominibus*, [e] *confundar et ego eum coram Patre meo qui est in cœlis.*

AUGUSTINUS, EPIST. 26 (AL. 39) AD LICENTIUM.

(Recognitum est hoc fragmentum cum ed. Bened. ad 23 mss. codices et edd. quatuor.)

Vade in Campaniam, disce Paulinum, egregium et sanctum Dei servum, quam grandem fastum seculi hujus, tanto generosiore, quanto humiliore cervice incunctanter excusserit; ut eam subderet Christi jugo, sicut subdidit : et nunc, illo moderatore itineris sui, quietus et modestus exsultat. Vade, disce quibus opibus ingenii, sacrificia laudis ei offerat, refundens illi quidquid boni accepit ex illo; ne amittat omnia, si non in eo reponat a quo hæc habet.

AUGUSTINUS, EPIST. 27 (AL. 32) AD PAULINUM.

(Hujus epistolæ fragmenta collata sunt cum edit. Bened. ad 24 mss. cod. et edd. 4.)

O bone vir et bone frater, latebas animam meam : et ei dico ut toleret quod adhuc lates oculos meos; et vix obtemperat, immo non obtemperat.... Ne reprehendas, quæso, **106** sanctiore gravitate qua prævales, et dicas non recte me dolere quod adhuc te non noverim, cum animum mihi tuum, hoc est, te ipsum interiorem aspiciendum patefeceris. Quid enim si uspiam te vel in terrena tua civitate didicissem fratrem et dilectorem meum, et tantum in Domino ac talem virum, nullumne me dolorem sensurum fuisse arbitrareris, si non sinerer nosse domum tuam? Quomodo ergo non doleam quod nondum faciem tuam novi, hoc est, domum animæ tuæ, quam sicut meam novi? Legi enim litteras tuas fluentes lac et mel, præferentes simplicitatem cordis tui, in qua quæris Dominum sentiens de illo in bonitate, [f] et afferentes ei claritatem et honorem. Legerunt fratres, et gaudent infatigabiliter et ineffabiliter tam uberibus et tam ex-

A cellentibus donis Dei, bonis tuis. Quotquot eas legerunt, rapiunt, quia rapiuntur cum legunt. Quam suavis odor Christi, et quam fragrat ex eis, dici non potest. Illæ litteræ cum te offerunt ut videaris, quantum nos excitant ut quæraris : nam et perspicabilem faciunt, et desiderabilem. Quanto enim præsentiam tuam nobis quodam modo exhibent, tanto absentiam nos ferre non sinunt. Amant te omnes in eis, et amari abs te cupiunt. Laudatur et benedicitur Deus, cujus gratia tu talis es. Ibi excitatur Christus, ut ventos et maria tibi placare dignetur tendenti ad stabilitatem suam. [g] Videtur a legentibus ibi conjux, non dux ad mollitiem viro suo, sed ad fortitudinem redux in ossa viri sui : quam in tuam unitatem redactam et redditam, et spiritalibus tibi tanto firmioribus,
B quanto castioribus nexibus copulatam, officiis vestræ sanctitati debitis, in te uno resalutamus. [h] Ibi cedri Libani ad terram depositæ, et in areæ fabricam compagine caritatis erectæ, mundi hujus fluctus imputribiliter secant. Ibi gloria, ut acquiratur, contemnitur; et mundus, ut obtineatur, relinquitur. Ibi parvuli, sive etiam grandiusculi filii Babylonis eliduntur ad petram, vitia scilicet confusionis superbiæque secularis. Hæc atque hujusmodi suavissima et sacratissima spectacula litteræ tuæ præbent legentibus, litteræ illæ, litteræ fidei non fictæ, litteræ spei bonæ, litteræ puræ caritatis. Quomodo nobis anhelant sitim tuam, et desiderium defectumque animæ tuæ in atria Domini? quid amoris sanctissimi spirant? quantam opulentiam sinceri cordis exæstuant? quas agunt gratias
C Deo? quas impetrant a Deo? Blandiores sunt, an ardentiores? luminosiores, an fecundiores? Quid enim est quod ita nos mulcent, ita accendunt, ita compluunt, et ita serenæ sunt? Quid est, quæso te, aut quid tibi pro eis rependam, nisi quia totus sum tuus in eo, cujus totus es? Si parum est, plus certe non habeo.... Fratres, non solum qui nobiscum habitant, et qui ubilibet habitantes Deo pariter serviunt, sed prope omnes qui nos in Christo libenter noverunt, salutant, venerantur, desiderant germanitatem, beatitudinem, humanitatem tuam. Non audeo petere; sed si tibi ab ecclesiasticis muneribus vacat, [i] vides quid mecum sitiat Africa.

107 AUGUSTINUS, EPIST. 31 (ALIAS 34) AD PAULINUM ET THERASIAM.

D (Hujus epistolæ fragmenta recensita sunt ad ed. Bened. ad 25 mss. et edit. codices 4.)

Sanctos fratres Romanum et Agilem, aliam epistolam vestram, audientem voces atque reddentem, et suavissimam partem vestræ præsentiæ, sed qua vobis

[a] Sic emendavimus ex ms. Vindocinensi codice. Alii, *solabitur se.*

[b] Editio Parisiensis, *simplicitatis.*

[c] Ms. codex Vindoc. in margine per correctionem, *audierunt... querelantur.*

[d] Ita repositum ex tribus mss. codicibus Gemet. Pratell. et Mich. Alias, *appellant.*

[e] Mss. codices Vindoc. Mis-Dei, et Mich., *confundam.*

[f] Editi codices, *et afferens.* At mss. sexdecim, *et afferentes.*

[g] Sic 21 mss. At vulgati habent, *ad stabilitatem suam dignetur. Ibi conjunx excitatur, non dux*, etc.

[h] Ita in mss. Vaticanis tribus et in sexdecim Gallicanis. In ms. uno Vaticano, *una mente resalutamus.* In prius editis, *uno ore salutamus.*

[i] Editi, *venias et videas quid mecum sentiat Africa.* At mss. codices carent his verbis, *venias et*, habentque, *vides quid*, etc., ac demum ex iis tres, *quid mecum sitiat :* quo verbo pulcre alludit Augustinus ad siccitatem Africæ, ut facit rursum in epist. 31 et 42.

visendis inhiaremus avidius, cum magna in Domino jocunditate suscepimus. Unde, aut quando, aut quomodo vel vos præstare, vel nos possemus exigere, ut nos de vobis tanta scribendo doceretis, quanta eorum ore didicimus? Aderat etiam, quod nulli chartæ adesse potest, tantum in narrantibus gaudium, ut per ipsum etiam vultum oculosque loquentium, vos in cordibus eorum scriptos cum ineffabili lætitia legeremus.... Sed quamquam jugum Christi per seipsum lene sit, et sarcina levis : tamen propter nostram asperitatem, atque infirmitatem, si quid me mordet hoc vinculum atque urget hoc onus, ineffabiliter mihi aliquanto vestræ præsentiæ solatio tolerabilius et portabilius redderetur, quos audio curis ejusmodi expeditiores liberioresque vivere. Quare non impudenter ego rogo vos, et postulo, et flagito, ut in B Africam majore talium hominum siti, quam siccitatis nobilitate laborantem venire dignemini. Scit Deus, quia non solum propter desiderium meum, neque solum propter eos qui vel per nos vestrum propositum, vel undecumque fama prædicante didicerunt; sed etiam propter ceteros, qui partim non audiunt, partim audita non credunt, tamen possunt comperta diligere, vos istis terris etiam corporaliter adesse cupimus.... Aliud est enim, nolle incorporare quæ desunt, aliud, jam incorporata divellere. Illa velut cibi repudiantur, illa velut membra præciduntur. Hanc ergo Christi gloriam etiam oculis nostrorum hominum cupimus admoveri, in uno conjugio proposita utrique sexui calcandæ superbiæ, non desperandæ perfectionis exempla.... Adversus paganos te scribere didici ex fratribus : si quid de tuo pectore meremur, indifferenter mitte ut legamus : nam pectus tuum tale Domini oraculum est, ut ex eo nobis tam placita, et adversus loquacissimas quæstiones explicatissima dari responsa præsumamus. Beatissimus frater Severus Milevitanæ antistes Ecclesiæ debito nobiscum officio sanctitatem vestram salutat. Fratres quoque omnes nobiscum Domino servientes, tam id faciunt, quam vos desiderant; tam vos desiderant, quam vos diligunt; et tam diligunt, quam estis boni.

AUGUSTINUS, EPIST. 80 (ALIAS 65) AD PAULINUM ET THERASIAM.

(Illud epistolæ fragmentum recognitum est cum edit. Bened. ad mss. 21 et edd. codd. 4.)

Nunc ergo quod soleo rogo, ut quod soletis faciatis. Oretis pro nobis, ut videat Deus humilitatem nostram, et laborem nostrum, et dimittat omnia peccata nostra. Colloqui autem vobiscum talia cupio, si dignemini, litteris, qualia colloqui possemus, si coram vestris sensibus adessemus. Ecce, illam quæstiunculam, quam nuper proposueram, tamquam si præsens **108** præsenti inter dulces loquelas [a] obderem, plane Christiano intellectu et devotione solvisti [b]; sed nimis cursim et breviter : posset quippe ibi aliquanto diutius et uberius habitare gratia oris A tui; si cum dixisses ita te in illo, quo feliciter uteris, loco perseverare decrevisse, ut si quid de te aliud Domino placuerit, ejus voluntatem præferas tuæ, idipsum aliquanto apertius explicares. Quonam modo voluntatem Dei, quæ nostræ voluntati præponenda est, noverimus.

AUGUSTINUS, EPIST. 95 (ALIAS 250) AD PAULINUM ET THERASIAM.

(Hoc fragmentum collatum est cum edit. Bened. ad Vaticanum exemplar et ad edit. Lovan.)

Quæsivi abs te prioribus litteris, qualisnam tibi videatur futura æterna vita Sanctorum. Sed bene mihi respondisti, etiam de præsentis vitæ statu adhuc esse utique consulendum.

AUGUSTINUS, EPIST. 149 (ALIAS 59) AD PAULINUM.

(Collata sunt hæc fragmenta cum edit. Bened. ad mss. codices 23 et edit. 4.)

Ut potui, non defui interrogationibus tuis, adjutus orationibus tuis, et ipsis, quas misisti, disputationibus tuis. Cum enim interrogando disputas, et quæris acriter, et doces humiliter.... Non enim uberiore fructu legit vel audit me docentem ac disserentem, vel quibuslibet exhortationibus accendentem, quam inspicit te viventem.

AUGUSTINUS, EPIST. 186 (ALIAS 106) CONTRA PELAGIANOS AD PAULINUM.

(Fragmentum illud collatum est cum edit. Bened. ad mss. 6 et edit. 4.)

Oremus ergo pro illis, sancte Frater. Cernis quippe nobiscum quam malo errore teneantur. Fragrant enim epistolæ tuæ odore sincerissimo Christi, ubi C germanissimus gratiæ ipsius dilector et confessor appares. Sed quod diu tecum ex hac re loquendum putavimus, primo quia jocundissimum est, fecimus. Quid enim debet esse jocundius, vel infirmis gratia qua sanantur, vel pigris gratia qua excitantur, vel volentibus gratia qua juvantur; deinde ut si quid nostra dispositione Deo adjuvante possemus, tua non fides, sed fidei contra tales adminiculetur assertio; sicut nos quoque in hanc facultatem tuæ germanitatis litteris adjuvamur. Quid enim uberius et veracissima confessione plenius, quam illud est in quadam epistola tua, ubi naturam nostram non mansisse ut condita est, sed vitiatam esse per illum generis humani patrem, humiliter deplorasti, dicens : *Pauper ego et dolens, qui adhuc terrenæ imaginis squalore* D *concretus sum, et plus de primo quam de secundo Adam carneis sensibus et terrenis actibus refero, quomodo tibi audebo me pingere, cum cœlestis imaginis inficiator prober corruptione terrena? Utrimque me concludit pudor. Erubesco pingere quod sum, non audeo pingere quod non sum : odi quod sum, et non sum quod amo.* **109** *Sed quid misero mihi proderit odisse iniquitatem, et amare virtutem; cum id potius agam quod odi, nec elaborem piger id potius agere quod amo? Ipse discors mei et intestino bello distrahor, dum spiritus adversus carnem, caro adversus spiritum dimicat, et lex corporis lege peccati legem mentis impugnat? In-*

[a] Edit. quidam codices, *objicerem*. At mss plerique. *obderem*.

[b] Hæc epistola non exstat.

felix ego, qui in me venenatum inimicæ arboris gustum nec Crucis ligno digessi. Durat enim mihi illud [a] *per Adam virus paternum, quo universitatem generis sui pater prævaricatus infecit?* (*Ex epist. Paulini ad Severum* 30, *al.* 8). Et cetera, quæ de hac miseria multa [b] contexis ingemiscendo, exspectans redemtionem corporis tui; et nondum re, sed spe salvum te esse cognoscens. Sed fortassis tu alium in te transfigurasti, cum hæc diceres; nec aliquas de carne concupiscente adversus spiritum, quamvis ei non consentias, molestias importunas pateris, et odiosas... De orando autem, et gemitibus flagitando proficiendi ac recte vivendi adjutorio, [c] quæ tua non fervet epistola? Quid est tui quantumcumque sermonis, ubi non sit sparsum gemebunda pietate, quod in oratione dicimus? *Ne nos inferas in tentationem?* Invicem itaque nos et consolemur in his omnibus, et exhortemur, et quantum dat Dominus adjuvemus.

AUGUSTINUS, LIB. DE CURA PRO MORTUIS GERENDA AD PAULINUM.

(Recognita sunt illa fragmenta ad mss. codices Vatic. duos.)

Diu sanctitati tuæ, coepiscope venerande Pauline, rescriptorum debitor fui, ex quo mihi scripsisti [d] per homines filiæ nostræ religiosissimæ Floræ, quærens a me utrum prosit [e] cuique post mortem quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepelitur. Hoc enim abs te vidua memorata petiverat pro defuncto in eis partibus filio suo : et rescripseras consolans eam, idque etiam nuntians de cadavere fidelis juvenis Cynegii, quod materno et pio affectu desideravit, esse completum, ut scilicet in beatissimi Felicis confessoris basilica poneretur... Habes ad ea quæ a me putasti esse quærenda, qualem potui reddere, responsionem meam : quæ si ultra quam [f] satis est, prolixa est, da veniam : id enim factum est amore diutius loquendi tecum. Hunc ergo librum quemadmodum acceperit venerabilis dilectio tua, peto rescriptis tuis noverim, quem tibi perlator ejus faciet sine dubio gratiorem, frater scilicet et compresbyter noster Candidianus, quem per tuas litteras cognitum toto corde suscepi, invitusque dimisi.

AUGUSTINUS, LIB. I DE CIVITATE DEI, CAP. 10.

(Hoc fragmentum collatum est cum editione Venetica an. 1475.)

Unde Paulinus noster, Nolensis episcopus, ex opulentissimo divite voluntate pauperrimus, et copiosissime sanctus, quando et ipsam Nolam barbari vastaverunt, cum ab eis teneretur, sic in corde suo, ut ab eo postea cognovimus, precabatur : *Domine, non excrucier* **110** *propter aurum et argentum : ubi enim sint omnia mea, tu scis.* Ibi enim habebat omnia sua, ubi eum condere et thesaurizare ille monuerat, qui hæc mala mundo ventura prædixerat.

SULPICIUS SEVERUS AD FINEM DIALOGORUM.

(Fragmentum illud recognitum est ad mss. codices tres Germ. 800, 700, 500 annor., duos Jol. 800, Vic. 600, et Big. 500.)

Sed dum recurris, diversasque regiones, loca, portus, insulas, urbesque prælerlegis, Martini nomen et gloriam sparge per populos. Inprimis memento non præterire Campaniam ; et si maxime cursus in devio sit, non tamen tibi tanti sint vel magnarum morarum ulla dispendia, quin illic adeas illustrem virum, ac toto [g] laudatum orbe Paulinum : illi, quæso te, primum sermonis nostri, [h] quod vel hesterno confecimus, vel hodie diximus, volumen evolve. Illi omnia referes, illi cuncta recitabis; ut mox per illum sacras viri laudes Roma cognoscat : sicut primum illum nostrum libellum non per Italiam tantum, sed per totum etiam diffudit Illyricum. Ille Martini non invidus gloriarum, sanctarumque [i] in Christo virtutum piissimus æstimator, non abnuet præsulem nostrum cum suo Felice componere.

SULP. SEVERUS DE VITA S. MARTINI, CAP. 21.

(Illud fragmentum recensitum est ad mss. codices Germ. et Jol. 800 annor.)

Paulinus vero, vir magni postmodum futurus exempli, cum oculum graviter dolere cœpisset, et jam pupillam ejus crassior nubes superducta texisset, oculum [j] ejus Martinus [k] peniculo contigit, pristinamque ei sanitatem sublato omni dolore restituit.

MARTINUS APUD SULP. SEVERUM IN EJUS VITA. CAP. 26.

(Hoc fragmentum collatum est ad 4 mss. Germ. 900, 800, 500, 400 annor., Jol. 800, Vict. 600, et Big. 500.)

Sermo autem illius non alius apud nos fuit, quam mundi hujus illecebras et seculi onera relinquenda, ut Dominum Jesum liberi expeditique sequeremur : præstantissimumque nobis præsentium temporum, illustris viri Paulini, cujus supra mentionem fecimus, exemplum ingerebat, qui summis opibus abjectis Christum secutus, solus pene his temporibus evangelica præcepta complesset : illum nobis sequendum, illum clamabat imitandum : beatumque esse [l] præsens sæculum, tantæ fidei virtutisque documento : cum secundum sententiam Domini, dives et possidens multa, vendendo omnia, [m] et dando pauperibus, quod erat [n] factu impossibile, possibile [o] fecisset exemplo. Jam vero in verbis et confabulatione ejus quanta gravitas,

[a] Apud Paulinum legitur, *ab Adam*.

[b] Ita mss. tres. At tres alii, et editi 4, *connectis*.

[c] Editi, *quem tua non feriret epistola?* Sed melius mss., *quæ tua non fervet?* id est, quæ ex tuis epistolis, etc. RR. PP. Benedict.

[d] Non exstat hæc epistola.

[e] Ita duo mss. codices Vaticani. Editi, *alicui*.

[f] Sic duo mss. Vat. Al., *sat*.

[g] Sic restitutum ex mss. codicibus tribus Germ., duobus Jol., Victorino et Bigotiano. In quibusdam editis, *laudandum*.

[h] Ita emendavimus ex septem mss. codicibus supradictis.

[i] Abest *in Christo* a ms. codice uno Jol. In Germanensi uno additum est alia manu.

[j] Ita ms. codex Jolianus. Alias *ei*.

[k] Ms. codex 1 Germ., *penicillo*.

[l] Mss. duo codices Germ., *præsentis seculi... documentum*, male.

[m] Ms 1 Germanensis codex, *donando*.

[n] Ita ms. unus Germ. codex cum editis. At mss. sex, *facto*.

[o] Ms. unus Germ. codex, *fecit*.

quanta dignitas erat; quam alacer, quam efficax, quam in exsolvendis Scripturarum quæstionibus promptus et facilis.

111 HONORIUS IMPERATOR, IN RESCRIPTO QUO AD SYNODUM PAULINUM INVITAT.

(Ex ms. codice Vaticano, apud Baronium anno Christi 419, num. 20.)

Sancto ac venerabili Patri Paulino episcopo.

Tantum fuit apud nos certa scientia, nihil ab his sacerdotibus qui ad synodum convenerant, posse definiri, cum beatitudo tua de corporis inæqualitate causata, itineris non potuit injuriam sustinere. Et propter absentiam sancti viri, non quidem obtentura; interim tamen vitia gratulantur (*forte* grassantur), cum prava et vetus ambitio et cum benedicto viro, sanctæque vitæ, diu velit habere certamen; ut contra hæc apostolicæ institutionis bona, de præsumtis per vim parietibus existimet confidendum. O vere digna causa!, quam non nisi coronæ tuæ beata vita designat! Dilatum itaque judicium nuntiamus, ut divina præcepta ex venerationis tuæ ore promantur, qui ea secutus implesti: nec potest alius eorum præceptorum lator existere, quam qui dignus apostolicis disciplinis est approbatus. Specialiter itaque, domine sancte, merito venerabilis Pater, justus Dei famulus, divinum opus, contemto labore, tributum hoc nobis visitationis tuæ, si ita dicendum est, munus indulge: ut, postpositis omnibus, quantum temperantia his et tranquillitas suffragantur, synodo profuturus, sine intermissione, etiam desideriis nostris, et benedictioni quam cupimus, te præstare digneris.

EUCHERIUS, IN PARÆNETICA EPISTOLA AD VALERIANUM.

Paulinus quoque Nolanus episcopus, peculiare et beatum Galliæ nostræ exemplum, ingenti quondam divitiarum censu, uberrimo eloquentiæ fonte, ita in sententiam nostram propositumque migravit, ut etiam cunctas admodum mundi partes eloquio operibusque resperserit.

PROSPER, IN CHRONICO, AD ANNUM ARCADII ET HONORII IV.

Paulinus, Nolanus postmodum episcopus, admirabili exemplo venditis omnibus, cum esset dominus innumerabilium prædiorum, religionem expeditus elegit.

IDATIUS, IN CHRONICO, AD ANNUM HONORII XXX.

Paulinus nobilissimus et eloquentissimus, dudum conversione in Deum nobilior factus, vir apostolicus, Nola Campaniæ episcopus habetur insignis: cui Therasia de conjuge facta soror, testimonio vitæ beatæ æquatur et merito. Exstant operis ipsius egregii studia prædicanda.

SIDONIUS APOLLINARIS LIB. IV, EPIST. 3.

Paulinus provocat.

SIDONIUS APOLLINARIS, CARM. 9.

Sed ne tu mihi comparare tentes,
Quos multo minor ipse plus adoro;
112 Paulinum, Ampeliumque, Symmachumque,
Messalam ingenii satis profundi,
Et nulli modo Martium secundum.

GENNADIUS, LIB. DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS, CAP. 48.

(Id recognitum est ad ms. codicem Germ. 1000 annor.)

Paulinus Nolæ Campaniæ episcopus [a] scripsit versu brevia, sed multa: et ad Celsum quemdam, epitaphii vice consolatorium libellum super morte Christiani et baptizati infantis, spe Christiana munitum: et ad Severum plures epistolas; et ad Theodosium imperatorem, ante episcopatum prosa panegyricum super victoria tyrannorum; eo maxime quod fide et oratione plus quam armis vicerit. Fecit et Sacramentarium et Hymnarium. Ad sororem quoque epistolas multas de contemtu mundi dedit: et de diversis causis diversa disputatione tractatus [b] edidit. Præcipuus tamen omnium opusculorum ejus est liber de Pœnitentia et de Laude generali omnium martyrum. Claruit temporibus [c] Honorii et Valentiniani non solum eruditione et sanctitate [d] vitæ, sed et potentia adversum dæmones.

AUTOR ANTIQUUS INTER OPERA S. HIERONYMI TOMO IX EPIST. 3 AD GERUNTII FILIAS.

Istud sibi sepulcrum et Paulinus noster nuper ipse divitiis cum sua matrefamilias comparavit, qui conversatione (conversationi) seculi morientes, a mundialibus operibus jam quiescunt..... Hoc sepulcrum sibi duplex, patresfamilias isti de quibus locuti sumus, providerunt; qui senatum, honores, divitias relinquendo, mortui illis videbantur, quibus nati esse videntur, etiam dum vivunt mortui. Ecce unum sepulcrum, in quo conversatio veteris hominis cum crepundiis suæ nobilitatis absconditur: illud erit aliud, cum ipsum corpus quod naturæ lege caducum est, dissolutum revertetur in terram; de quo scriptum est: *Terra es, et in terram ibis* (*Gen.* III, 19); anima tamen in refrigerio quiescente.

CASSIODORUS DE INSTITUTIONE DIVINARUM SCRIPTURARUM LIB. I, CAP. 21.

(Ex ms. codice Fontanetensi, Chiffletii cura.)

Is (*nempe Hieronymus*) epistolam suam ad Paulinum ex senatore presbyterum mirificam destinavit, docens quemadmodum Scripturas divinas, adhibita cautela, perlegeret... Ille enim scripsit ad divinæ legis novum lectorem, qui tantum erat litteris secularibus eruditus, ut etiam librum de Theodosio principe prudenter ornateque confecerit.

PAULINUS PETRICORDIAS LIB. II DE VITA S. MARTINI.

(Fragmentum illud recensitum est ad ms. Germ. 800 annor.)

Quin et Paulino similis medicina salutem
Reddidit, insignis fidei quem gloria late
113 Extulit, obducta cujus tum nube latebat

[a] Sic repositum ex ms. codice Germanensi 1000 annor. Ante erat in editis, *composuit*.
[b] Abest hoc verbum a ms. codice Germ.
[c] Ms. Germ. codex, *Theodosii*.
[d] In eodem ms. codice deest *vitæ*; sed hanc vocem retinendam confirmant verba Usuardi in Martyrologio desumta ex ipso Gennadio.

Visus, et infusis caligo extenta tenebris
Arcebat cunctam macularum tegmine lucem :
Quam levis et tenui tactu suspensa fugavit
Spongia, vicino benedictæ munere dextræ
Mox admota oculo : didicit jam reddita lucem
Ferre acies, lumenque novum mirata recepit.
Atque utinam nostri tenebras contingere cordis
Tali luce velit sancti medicina patroni ;
Reddat ut antiqui rursum mysteria facti
Nomen idem, medicusque idem, par causa [a] medelæ.

VENANTIUS FORTUNATUS, LIB. II DE VITA S. MARTINI.

Paulinique oculum tetra caligine mersum,
Impositis manibus radius penetravit acutus :
Atque serena dies detersa nube refulsit :
Lumen et emicuit facies non lusca gemellum,
Martini digitis oleo manante lucernæ,
Cuncta salutifero superans collyria tactu.

MARTINUS, APUD FORTUNATUM IN IPSIUS VITA LIB. II.

Qui Pater illustris Paulini gesta beabat,
Floruit Italiæ quo post antistite Nola,
Qua regio Campana sedet, rectore supremo :
Dives agris, opulens famulis, locuples et acervis ;
Vir censu vastus, lare celsus, et ore rotundus ;
Ditior ipse fide, pro Christo fit sibi pauper,
Et dedit innumeros redimentes crimina nummos :
Cujus sparsa solo migravit ad astra facultas,
Fecit et in cœlum pigras ascendere terras
Una stando [b] loco, et dant bruta ad sidera saltum.
Ergo evangelicum Paulino implente relatum,
Martinus monitat cunctis talem esse sequendum,
Tramite difficili potuit qui pergere dives,
Depositoque onere ascendit qui liber in arcem,
Exemploque monens vocat altius ire sequaces.

GREGORIUS TURONENSIS EPISCOPUS, LIB. II DE GLORIA CONFESSORUM, CAP. 107.

Fuit vir vitæ venerabilis Paulinus, Nolanæ urbis, ex nobili stirpe ortus. Therasiam similem sibi sortitus est conjugem, habens divitias multas, et tam in fundorum possessione, quam in præsidio domorum valde dives erat ac locuples. Sed cum primum aures ejus Evangeliorum lectio illa penetravit, in qua Dominus adolescentem pro divitiis arguit, dicens : *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem introire in regnum Dei ;* statim venditis omnibus quæ habebat, pauperibus erogavit. Exoneratus a cunctis cupiditatibus Magistrum liber sequitur, per hæc se putans paradisi divitiis locupletari, si videretur nihil de transitoriis possidere. Cui majestas divina tribuit, ut quod impossibile dixerat per Evangelium, hic possibiliter adimplere mereretur per actum. Quadam vero die venit ad eum qui stipem peteret, et ait conjugi : *Vade, et da ei quod habet necessarium.* Quæ respondit : *Non est nobis amplius quam unus panis.* Cui ille, *Vade, inquit, porrige eum ; Dominus enim dabit nobis*

A *victum :* sed illa, quasi strenua, reservari cupiens, ne aliquid deesset, porrigere noluit. Interea advenerunt quidam, **114** dicentes missos se a dominis suis, ut illi annonæ ac vini deferrent speciem ; sed per hoc se moratos, quod orta tempestas unam eis cum tritico abstulerit navem. Tunc vir Dei conversus ad mulierem, ait : *Intellige te nunc pauperi unum panem fuisse furatam ; et ideo hanc navem esse mersam.* Perrexit ergo cum conjuge, quasi peregrinaturus in aliam regionem, nihil habens præter statum proprium. Post multum vero temporis, cum ab incolis regionis suæ requireretur, nec posset penitus reperiri, negotiator de civitate illa ad hanc urbem advenit, in qua vir beatus cœlesti Domino serviebat. Cumque vidisset eum statim projiciens se solo, et pedes sancti am-
B plectens, ait : *Hic est beatus Paulinus toto vulgatus orbe, qui multum a suis civibus quæsitus, prorsus non potuit inveniri ;* et narrante eo omnes actiones ejus, obstupuerunt hæc audientes. Nec mora, decedente sacerdote apud Nolanam urbem, ipse in locum episcopi subrogatur. Habebat autem Ecclesia illa multas divitias ; implevitque in eum Dominus quæ per Evangelium promittere est dignatus ; quia *qui reliquerit omnia propter me, centuplum in hoc seculo accipiet, in futuro autem vitam æternam possidebit.* Verum assumto episcopatu semper se humilem proferebat, quia sciebat se apud Deum excelsum futurum, si humilitatem sectatus fuisset. Pecunia vero de redditibus Ecclesiæ, quæ manus ejus attingebat, confestim pauperibus erogabatur. Castissima enim
C conjux ejus non discedebat ab eo. Erat autem vir sanctus miræ prudentiæ, et rhetoricis litteris eruditus. Qui tantum in virtute per multiplicata gratiarum spiritalium charismata resplenduit, ut in obitum suum, ipsum Martinum, Januariumque Italicum, priusquam spiritum redderet, corporeis oculis contemplaretur : prius enim ab eo de hoc mundo migraverant. Et quia de hujus beati vita nihil legeramus, idcirco ea quæ per relationem fidelium cognovimus, dum de eleemosynis proloqui voluimus, memoravimus. De transitu autem ejus est apud nos magna lectio ; ideo eum ex ordine prosecuti non sumus. Ecce quid tribuit eleemosyna. Ecce quales thesauros sanctis suis, qui se in pauperibus diligunt, Deus indulget. E contrario, avaritiæ malo inhiantibus,
D quæ nequiter concupiscunt aufert, juxta illud Evangelii sancti oraculum, quia *qui habet, dabitur ei, et abundabit ; qui autem non habet, quod videtur habere auferetur ab eo* (*Matth.* xxv, 29).

GREGORIUS M., LIB. III DIALOG., CAP. 1.

(Hæc collata cum mss. codicibus Big. 600 annor., Jol. duobus et novissima edit.)

Cum [c] sævientium Wandalorum tempore fuisset Italia in Campaniæ partibus depopulata, multique essent de hac terra in Africanam regionem transducti, vir Domini Paulinus cuncta quæ [d] de episcopio

[a] Sic emendatum ex veteri ms. codice Germ. Ante erat *medela.*
[b] Al. *Imo danda.*

[c] Tres mss. codices, *Dum.*
[d] Sic reposuimus ex ms. codice Joliano uno. Alter, *in episcopii usum.* Ms. Big., *ad.* Edd., *ad episcopi usum.*

suo habere potuit, captivis indigentibusque largitus est. Cumque jam nihil [a] omnino superesset quod petentibus dare potuisset, quodam die quædam vidua advenit, quæ a regis Wandalorum genero suum filium in captivitatem fuisse ductum perhibuit, atque a viro Dei ejus pretium postulavit; si forte illius dominus hoc dignaretur **115** accipere, et hunc concederet ad propria remeare. Sed vir Dei magnopere petenti feminæ quid dare potuisset inquirens, nihil apud se aliud nisi se invenit: petentique feminæ respondit, dicens: *Mulier, quod possim dare non habeo; sed memetipsum tolle; meque servum juris tui esse profitere; atque ut filium tuum recipias, me vice illius in servitium trade.* Quod illa ex ore tanti viri audiens, irrisionem potius credidit quam compassionem. At ille, ut erat vir eloquentissimus, atque apprime exterioribus quoque studiis eruditus, dubitanti feminæ citius persuasit ut audita crederet, et pro receptione filii sui in servitium [b] episcopum tradere non dubitaret. [c] Perrexere igitur uterque in Africam. [d] Procedenti autem regis genero, qui ejus filium habebat, vidua rogatura se obtulit; ac prius petiit ut [e] ei filium donare debuisset. Quod cum barbarus vir typho superbiæ [f] turgidus, gaudio transitoriæ prosperitatis inflatus, non solum facere, sed etiam audire despiceret, vidua subjunxit, dicens: *Ecce hunc hominem pro eo vicarium præbeo; solummodo pietatem in me exhibe, mihique unicum filium* [g] *redde.* Cumque ille [h] venusti vultus hominem conspexisset, quam artem nosset inquisivit. Cui vir Dei Paulinus respondit, dicens: *Artem quidem aliquam nescio, sed hortum bene excolere scio.* Quod vir gentilis valde libenter accepit, cum in nutriendis oleribus quia peritus esset audivit. Suscepit itaque servum, et roganti viduæ reddidit filium. Quo accepto vidua ab Africana regione discessit; Paulinus vero excolendi horti curam suscepit.

Cumque idem regis gener crebro ingrederetur hortum, suumque hortulanum quædam requireret, et sapientem valde [i] esse hominem videret, amicos cœpit familiares deserere, et sæpius cum suo hortulano colloqui, atque ejus sermonibus delectari: cui Paulinus quotidie ad mensam olera [j] virentesque herbas deferre consueverat, et accepto pane ad curam horti remeare. Cumque hoc diutius [k] ageretur, quadam die suo domino secum secretius loquenti ait: *Vide quid agas, et Wandalorum regnum qualiter disponi debeat provide, quia rex citius, et sub omni celeritate est moriturus.* Quod ille audiens, quia ab eodem rege præ ceteris diligebatur, ei minime tacuit; sed quid a suo hortulano, sapiente scilicet viro, agnovisset indicavit. Quod dum rex audisset, illico respondit: *Ego vellem hunc, de quo loqueris, hominem videre.* Cui gener ejus, venerabilis Paulini temporalis dominus, respondit, dicens: *Virentes herbas mihi ad prandium deferre consuevit: has itaque ad mensam* [l] *eum deportare faciam, ut quis sit qui mihi hæc locutus est, agnoscas.* Factumque est. Et dum rex ad [m] prandendum discubuit, Paulinus ex suo opere [n] olera quæque et virentia delaturus advenit. Cumque hunc rex conspexisset, subito intremuit; atque [o] accersito ejus domino sibi per filiam propinquo, ei secretum quod prius absconderat indicavit, dicens: **116** *Verum est quod audisti; nam nocte hac* [p] *in somnio sedentes in tribunalibus contra me judices vidi, inter quos iste etiam simul sedebat; et flagellum quod aliquando acceperam, eorum mihi judicio tollebatur. Sed percunctare quisnam sit: nam ego hunc tanti meriti virum, popularem, ut conspicitur, esse non suspicor.*

Tunc regis gener secreto Paulinum tulit, et quisnam esset inquisivit. Cui vir Domini respondit: *Servus tuus sum, quem pro filio viduæ vicarium suscepisti.* Cumque instanter ille requireret, ut non quis nunc esset, sed quis in terra sua fuisset, indicaret, atque hoc ab eo [q] frequenti inquisitione exigeret; vir Domini constrictus magnis conjurationibus, jam non valens negare quis esset, episcopum se fuisse testatus est. Quod possessor ejus audiens, valde pertimuit, atque humiliter obtulit, dicens: *Pete quod vis, quatenus ad terram tuam a me cum magno munere revertaris.* Cui vir Domini Paulinus ait: *Unum est quod mihi impendere beneficium potes, ut omnes civitatis meæ captivos relaxes.* Qui cuncti protinus in Africana regione requisiti, cum onustis frumento navibus, pro venerandi viri Paulini satisfactione, in ejus comitatu laxati sunt.

Post non multos vero dies Wandalorum rex occubuit, et flagellum, quod ad suam perniciem, dispensante Deo, pro fidelium disciplina [r] tenuerat, amisit. Sicque factum est, ut omnipotentis Dei famulus Paulinus vera prædiceret; et qui se in servitium solum tradiderat, cum multis a servitio ad libertatem rediret: illum videlicet imitatus, qui formam servi

[a] Ms. 1 Jol., *omnium;* alter, *omnimodo.*
[b] Ex mss. codice Bigotiano et nova editione reposuimus *episcopum.* Ante erat, *sei sum*, incongrua lectio; nec forte ideo minus Gregoriana.
[c] Mss. duo Jol., *Perrexerunt.*
[d] Sic emendavimus ex mss. codicibus duobus Jol. et editione novissima. Ante erat, *Procedente.*
[e] Edd., *ejus.* Reposuimus *ei* ex mss. duobus Jol. a quibus abest vox *filium*, et in quorum uno legitur *donari.*
[f] Ms. 1 Jol., *tumidus.*
[g] Ms. codex Bigotianus addit *meum.*
[h] Mss. Big. et Jol. 1, *venusto vultu.*
[i] Ex mss. Jol. duobus et Big. addidimus, *esse.*
[j] Nova editio in marg.: Al. *odoriferas.*
[k] Ita tres mss. codices Jol. et Big. cum editione novissima. Ante erat *ageret.*
[l] Ms. codex 1 Jol. cum editione nova, *hunc deportare facio.*
[m] Mss. duo Jol., *ad prandium.*
[n] Ms. 1 Jol., *odora . . . . venit.*
[o] Mss. duo codices Jol., *accito.*
[p] Ms. 1 Jol., *in somnis.*
[q] Ita repositum ex mss. codicibus Jol. et Big. Alias, *iteratione frequentis inquisitionis.*
[r] Ms. 1 Jol., *acceperat*, et mox *sequutus* pro *sequens.*

assumsit, ne nos essemus servi peccati : cujus sequens vestigia Paulinus, ad tempus voluntarie servus factus est solus, ut esset postmodum liber cum multis. . . . De cujus etiam morte, apud ejus Ecclesiam scriptum est, quia cum dolore esset lateris tactus, ad extrema perductus est. Dumque ejus omnis domus in sua soliditate persisteret, cubiculum in quo jacebat æger, facto terræ motu, contremuit, omnesque qui illic aderant, nimio terrore concussit : sicque sancta illa anima carne soluta est. Factumque est ut magnus pavor invaderet eos qui Paulini mortem videre potuissent.

JULIANUS POMERIUS, DE VITA CONTEMPLATIVA LIB. II, CAP. 9.

(Illud fragmentum recognitum est ad mss. codices Big. 800, Germ. 800, et Jol. 600 annor.)

Denique sanctus Paulinus, ut ipsi melius nostis, ingentia prædia, quia fuerunt sua, vendita pauperibus erogavit : sed cum postea factus esset episcopus, non contemsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensavit. Quo facto satis ostendit et propria debere propter perfectionem contemni, et sine impedimento perfectionis posse Ecclesiæ quæ sunt profecto communia possideri.

117 USUARDUS, IN MARTYROLOGIO 22 JUN.

(Ex ms. codice Bigotiano 600 annor.)

Decimo kalendas Julii.

Apud Nolam Campaniæ natalis beati Paulini episcopi et confessoris, cujus meminit sanctus Gregorius in libro Dialogorum : claruit autem non solum eruditione et copiosa vitæ sanctitate, sed etiam potentia adversum dæmones.

DUNGALUS, LIB. RESPONSIONUM ADVERSUS CLAUDIUM TAURINENSEM EPISCOPUM.

Paulinus episcopus, vir eruditissimus et sanctissimus, sicut et multi de eo testati sunt, nobilem librum 15 carminibus distinctum, in honore et laude sancti Felicis martyris edidit; in quo quanta miracula et virtutes per ipsius merita et intercessiones, divina largiente clementia, ad suum fieri quotidie tumulum, et maxime die natalis ejus anniversario, disseruit, non facile a quoquam excerpi aut deflorari potest; quia cuncta, flores, aromata, rosæ, lilia suaveolentia ac melliflua sunt.... Hinc beatum Paulinum, sanctitate et sapientia præditum, quasi quamdam pharum lucidissimam, et turrim inexpugnabilem imprimis prætendimus, qui plurima de hac ratione, luculentissimo atque fecundissimo sermone disseruit.

JOHANNES DIACONUS, IN PROŒMIO VITÆ S. GREGORII M. AD JOHANNEM VIII PAPAM.

(Coll. ad ms. Big. 600 annor.)

Nuper ad vigilias [a] beati Gregorii Romani pontificis, Anglorum gentis apostoli, lectione de Paulino civitatis Nolanæ præsule consuetudinaliter personante, visus es a venerabilibus episcopis divino quodam instinctu commotus requirere, cur tantus pontifex, qui multorum sanctorum Vitas texuerat, gestis propriis in propria dumtaxat Ecclesia caruisset : præsertim cum et apud Saxones et apud Longobardorum A sibi prorsus infensissimam gentem, gestis propriis ubique polleret.

ANONYMUS, IN PROLOGO OPERUM S. PAULINI.

(Ex codice Cluniacensi pervetusto, F. Chiffletii cura.)

Paulinus sanctus, Nolanæ civitatis episcopus, genere Aquitanus, dignitate vero generis, urbis Romæ senator clarissimus, exemplo maxime et prædicatione beati Martini Turonensis episcopi, et Delphini Burdegalensis, una cum Severo Sulpicio æque nobili et litterato viro, ex laica et conjugali vita ad perfectionis Christianæ pauperiem ditissimam animatus, omnem pompam et luxum seculi calcans, quæcumque in hoc mundo possidebat, juxta Domini præceptum (*Matth.* XIX, 21) vendidit et pauperibus erogavit. Deinde juxta Nolam Campaniæ civitatem monaste- B rium instituens et sanctam vitam exercens, ejusdem civitatis episcopus factus est. Itaque verbo et exemplo, necnon et **118** miraculis gloriosus, beatorum Patrum Ambrosii, Augustini, Hieronymi, aliorumque sui temporis notus ac familiarissimus, quorum dulces epistolæ vel ad ipsum, vel de ipso leguntur, post multos feliciter pro Christo decertatos agones, sancta longævitate confectus, apud præfatam urbem requievit in Domino. Est autem credibile hunc eumdem esse Paulinum, de quo beatus papa Gregorius in Dialogorum libro tertio rem singularem atque admirabilis virtutis historiam refert. Nam et verba ejusdem beati Gregorii, quibus eum et Nolanum episcopum, et Patrem antiquum, et exterioribus studiis eruditum fuisse ibidem inter alia memorat; et conve- C nientia temporum hoc satis videntur asserere. Cum et circa illa tempora barbari ab Africanis partibus erumpentes, non solum ipsam Campaniam, sed et totam pene Italiam everterent; deficientibus, proh dolor! Romani imperii viribus.

JOHANNES TRITHEMIUS, LIB. DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS.

Paulinus, presbyter, discipulus sancti Augustini Hipponensis, et postea episcopus Nolæ Campaniæ, ad quem Augustini et Hieronymi multæ feruntur epistolæ, variique tractatus, vir in Scripturis sanctis eruditissimus, et in secularibus litteris nulli suo tempore secundus, non minus sanctitate quam eruditione clarus effulsit : de quo beatus Gregorius papa in ter- D tio libro Dialogorum scribit, quod tantæ pietatis et miserationis fuerit, ut postea quam omnia sua in pauperum usus et captivorum liberationem expenderat, etiam seipsum in servitutem pro filio cujusdam viduæ tradiderit; a qua tandem cum multis captivis ob vitæ meritum dimissus fuit. Scripsit tam metro quam prosa multa volumina, de quibus ista feruntur : De Sacramentis lib. I; Panegyricum Theodosii lib. I; De Contemtu mundi lib. I; De Benedictionibus patriarcharum lib. I; Ad Severum Sulpicium epistolas 14; Vitam S. Felicis Nolani episcopi lib. I; De Morte baptizati infantis lib. I; Hymnorum diverso carmine lib. I; De Pœnitentia lib. I; De Laude martyrum lib. I;

[a] Ms. codex Big., *beati Gregorii pontificis, Anglorum scilicet gentis apostoli.*

Epistolarum ad diversos lib. I. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Honorio et Valentiniano principibus anno Domini 420.

BAPTISTA MANTUANUS, POETA CARMELITANUS, IN APOLOGETICO.

Quid de Paulino Nolanæ urbis episcopo, Hieronymi contemporaneo et familiari? quid dicam? Nonne pulcherrima quæ adhuc exstant, et semper exstabunt, excudit poemata? Cum adhuc adolescentulus essem, et a studiis ecclesiasticis illius ætatis more abhorrerem, forte in ea poemata incidi, et carminis suavitate delectatus animum ad res divinas paulatim appuli, et ex illo tempore litterarum sacrarum studiosior fui.

AMBROSIUS LEO, LIB. II DE NOLA, CAP. 13.

Sacellum vero divi Paulini ubinam sit, clarum est, ædes sola est absque cella. **119** Hæret illi magna domus, quæ nobis pueris hospitium mendicorum solummodo adventantium erat; *hospitale* eam ob rem appellatum, et ab ipso tota vicinia cognominis facta est : nunc vero in cœnobium mutata est, in quo divi Augustini sacerdotes inhabitant. In eo vero sacello quotannis cærimoniæ atque nundinæ aguntur, cum pompis, spectaculis, atque magistro nundinarum, ut inferius amplius dicetur, quod divus is servitute solutus, atque ab Africa rediens Nolam, secum omnes etiam Nolanos nomine ejus liberatos transvexit, qui capti serviebant in Africa. Nam cum illic cujusdam principis olitor foret Paulinus, etc. Redeuntem ergo tantum Nolanæ civitatis Patrem, tantumque de Nolanis bene merentem, omni pompa lætitiaque excepere Nolani; atque deinde eumdem diem statis pompis, festis spectaculisque venerati sunt, atque usque ad nostram tempestatem venerationes sunt factitatæ, idque a XVI kalendas Julias usque X easdem.

PETRUS CRINITUS, DE POETIS LATINIS.

(Ex editione Bad. Paris. an. 1516.)

Pontius Paulinus nobili genere natus inter eos poetas refertur qui sub imperio Cæs. Gratiani floruerunt, ut Faustus, Tetradius et Ausonius. Burdegalensis fuit, ac in poetica facultate magnopere excelluit. Quidam putarunt fuisse nepotem Ausonii, quod eum grata ac benevola quadam appellatione filium nominet; sed hoc non satis constat in tam varia et ancipiti rerum obscuritate. Inter alia opera scriptum est a Paulino poema hexametris versibus de regibus ex Suetonio Tranquillo collectis, in quo maximam laudem adeptus est, ut ab Ausonio refertur his verbis : *Coegisti in epitomen tres libros Suetonii de regibus tanta elegantia, solus ut videare consecutus quod contra rerum naturam est, brevitas ut obscura non esset.* Leguntur adhuc quædam ipsius Paulini carmina, in quibus mirifica eruditio et incredibilis elegantia apparet. Idem Paulinus præclaris atque honestissimis dignitatibus perfunctus est, et inter principes viros atque nobilissimos habitus.

A JODOCUS BADIUS ASCENSIUS, IN PRÆFATIONE AD S. PAULINI OPERA.

Sanctus Paulinus, qui cum ethnicorum litteris esset instructissimus, sic tamen divitiis usus est, ut in ejus labiis et Pytho illa et Suadæ medulla sessitasse merito prædicentur; docet enim et movet, afficitque legentem; imo quo vult impellit supra modum... Ut paucis explicem vitam beati Paulini, ut ex ejus aliorumque scriptis excerpere potui breviter commemorabo.

Claris natalibus ortus, et in splendida re educatus, miroque ingenio præditus, cultioribus litteris operam dedit sub Decio Ausonio Burdegalensi poeta amœnissimo, cui propter amicitiam et commercia patrum utriusque singulari devinctus erat amicitia; et quantum ex Ausonii versibus colligere datur, aut una, aut
B vicissim summos Romæ gesserunt honores. Unde illud Ausonii ad Paulinum epist. 25.

Paulinum Ausoniumque viros, quos sacra Quirini
Purpura et auratus trabeæ velavit amictus.

120 Eruditus itaque interioribus et cultioribus litteris fecundo suo ingenio admiranda fecit poematia, inter quæ de Cæsaribus ex Suetonio nonnulla : postmodum, inspirante Deo, ad Christianam pietatem penitus conversus, Ambrosio et Augustino usus præceptoribus, ne generis aut honorum splendore a Christiana modestia averteretur, Barcinonem ab eis missus est : ubi et sacris initiatus omnem mundi pompam rejecit; venamque fluentem ac pene lascivientem, gravem et stabilem fecit, anxieque omnem
C gentilem ritum vitavit usque adeo, ut ne Virgilium quidem postmodum nominare fuerit ausus, magno documento, alium stylum decere sacris initiatum virum, alium prophanis adhuc deditum; unde ipse in principio epistolæ responsivæ ad Ausonium :

Quid abdicatas in meam curam pater
Redire Musas præcipis?
Negant Camœnis, nec patent Apollini
Dicata Christo pectora.

In carmine tamen eam retinuit gratiam, ut facile in eo et divitem veniam et multam eruditionem agnoscas.

HENRICUS GRAVIUS IN PRÆFATIONE AD S. PAULINI OPERA.

(Ex editione Colon. 1560.)

Beatus Paulinus, ut erat longe doctissimus ac ve-
D nustissimus, ita multorum inscitia ac temeritate mirum in modum depravatus exiit. Atque id profecto, cum indignum sit in omnibus eruditis, tum longe indignissimum erat in Paulino, qui vel unus merebatur ut incorruptissimus servaretur ob sermonis puritatem aliasque dotes eximias. Quid enim eo purius? quid nitidius? quid gravius, aut ardentius? Si vitæ pietatem spectes, quis Christum spirat vividius? quis eum vita magis expressit? Siquidem præclarum admodum id, quod de eo refert Paulus Aquileiensis diaconus : *Hoc tempore*, inquit (*Lib.* III *Dial.*, *c.* 1), *quo scilicet Wandali cum Mauris capta Roma totum Campaniæ tractum popularentur, Nolamque misera ruina diruerent, Paulinus episcopus Nolanæ Ecclesiæ, vir sanctissimus et, sicuti scri-*

bit Gregorius, eloquentissimus, prophanaque eruditione imprimis doctus, nec prophetici spiritus expers, cum redimendis Christianis captivis censum omnem consumsisset, videretque viduam captivum filium efflictim lugentem et lamentantem, tamque immodicas lacrymas pietati admixtas, multo magis pius ipse ferre non posset, cum vidua in Africam, ubi captivus erat filius, trajecit, ibi vicarius filius redemtum filium matri reddidit. Paulinus vero, cum ejus sanctitas etiam barbarissimis esset hominibus venerabilis, jussus est in patriam cum suis omnibus civibus dono acceptis redire. Illud etiam silentio minime prætereundum est; quod quidam hunc Nolanum episcopum alium a Pontio Paulino autumant viro Prætorio, qui tres libros Suetonii de Regibus tanta elegantia in epitomen redegit, ut teste Ausonio, *solus videatur assecutus quod contra naturam est brevitas ut obscura non esset;* seducti, ni fallor, quod hic noster Paulinus ab alio vitæ professione et scribendi stylo aliquantulum distulerit. Verum hos τῇ πάσῃ ὁδῷ ἀφαμαρτάνεσθαι juxta proverbium paucis explicabo. Claris siquidem Paulinus ortus natalibus, et splendida in re educatus, miroque ingenio præditus cultioribus litteris operam dedit **121** sub Decio Ausonio Burdegalensi poeta amœnissimo, quocum aut una, aut vicissim, summos honores Romæ gessit, ut liquet ex his ad eumdem Ausonii versibus :

> Quamquam et Fastorum titulo prior, et tua Romæ
> Præcessit nostrum sella curulis ebur.

Idem :

> Paulinum Ausoniumque viros, quos sacra Quirini
> Purpura et auratus trabeæ velavit amictus.

Factus autem inspirante Deo Christianus, Ambrosio et Augustino usus est præceptoribus, a quibus ne generis aut honoris splendore a Christiana modestia averteretur, missus Barcinonem sacris est initiatus. Proditum est illum post conversionem omnem mundi pompam rejecisse, venamque fluentem ac pene lascivientem gravem et stabilem fecisse : gentiles poetas non modo non legisse, sed ne nominare quidem solitum. Unde de seipso ad eumdem Ausonium canit :

> Quid abdicatas in meam curam pater
> Redire Musas præcipis?
> Negant Camœnis, nec patent Apollini
> Dicata Christo pectora.

Hunc sane virum cum eruditi quique multis in locis vel scribarum vel typographorum oscitantia depravatum dolerent ; operæ pretium me facturum existimavi, si studio et labore ita castigatum, ut jam commodius legi et rectius intelligi possit, in publicum proferrem.

GREGORIUS FABRITIUS DE S. PAULINO NOLANO.

(Ex tomo I Orthodoxographorum, Basileæ an. 1569, pag. 75.)

Pontius [a] Eutropius Paulinus, natione Burdegalensis, patre senatore natus : patrimonium Fundis in Campania amplum possedit, sed id pro Christo negligens paupertatem divitiis potiorem duxit. Fratres habuit claros homines, uxorem Therasiam valde nobilem, amicos et propinquos bonos ac magnos. In Tarraconensi provincia Hispaniæ a Lampio episcopo Barcinonensi sacros ordines accepit. Initio muneris sui ægrotantem episcopi Campaniæ fere omnes, sed et nonnulli ex Africa, eum inviserunt observantiæ causa. Nolæ presbyter fuit duorum episcoporum Maximi et Quinti, quibus tandem consensu illius Ecclesiæ et summorum hominum successit. Nolanam et Fundanam basilicas exstruxit, easque non tam ornavit structuris, quam ingenio : nam varias locis singulis inscriptiones addidit. Ipse domunculam humilem possedit juxta divi Felicis templum, in qua fuit elevatum suspensumque a terra cœnaculum, et propinqua porticus, prope quam cellulæ hospitibus destinatæ erant. Non autem se saginavit optima siligine, aut panibus Picentibus, ut olim Romæ sacerdotes Vestæ : neque sartagines aut phasianos sibi curavit apponi, ut ibidem sacerdotes Cybeles : sed moderati seculi moribus vixit parce et tenuiter, usus victu paupere et parabili, nempe pultibus non e siligine, sed e farina et milio coctis in oleo modico et aqua copiosa : fabam item intrivit panicio : unde idem Marracinum monachum epulonem detestatur. Calices fuerunt rari et minuti, quos poculorum stillicidia ipse nominat : cujus frugalitatis testes adducit hospites suos [b] sacerdotes optimos Victorem et Cardamatem. Inter munera quæ collegis episcopis **122** externis misit, fuerunt lignea aut fictilia pocula, et imprimis panis Nolanus, qui, ut scribit Leo Ambrosius, laudatissimus fuit, et pulpa, candore, sapore, lenitate antecellens. Poscit quodam in loco vinum vetus Narbonense a Sulpicio suo, sacerdote Primuliacensi, quod non cullulis hausit, aut elephantibus, notis olim sacerdotum poculis, sed caliculis, aut cratere, aut gutto. Corpore non valido fuit, et valetudine adversa sæpe laboravit ; nec solum domi, sed etiam in peregrinationibus. In scriptis suis reprehendit philosophos fati et fortunæ defensores, ut in epistola ad Jovium : item monachos vagos, qui non minus rubent armilausa, ut ipse vocat, veste sua, quam facie ebria, ut in epistola 7 ad Severum. In religione fuit constans, et pro ea sustinuit certamina gravia. ([c] Ab Arianis actus in exilium quod illorum ὁμοιούσιον improbavit, pie sentientium ὁμοούσιον defendit. In carcerem conjectus, angeli Dei beneficio se servatum ipse de se scribit. Gothicis temporibus ut viduæ filium redimeret se vendi passus est, et admiratione virtutis ab hoste immani dimissus.) Anastasius pontifex Romanus Campaniæ episcopis eum suis litteris commendavit. Scripsit Natales divi Felicis librorum decem, Carmen panegyricum de Obitu Celsi. Item ad Cytherium, et Nicetam, et epistolarum libros quinque. Item Theodosio imperatori Panegyricum. Historica etiam tractat argumenta in epistolis, de Melania ad Severum, de Valgii naufragio ad Macarium, in quibus

[a] Meropius.

[b] Non erant sacerdotes.

[c] Hæc non constant.

suavitudo narrantis admodum delectat. Venit ad senectutem grandem, mortuus, imperante Marciano, circa annum 458 [a].

ELIAS VINETUS, IN NOTIS AD AUSONII OPERA DE S. PAULINO.

(Ex edit. Burdigal. an. 1575.)

Consul Romanus ante Ausonium fuit, ut cognosces ex epistola 20 Ausonii, hoc est ante annum Christi 382; sed extraordinarius, ut dicemus, eumque magistratum Ausonii opera videtur adeptus... Ubi sit mortuus nescio, nisi forte Nolæ suæ, unde Romam translatum corpus ejus, et in æde Bartholomæi collocatum scribit Raphael Volaterranus.

ANDREAS SCHOTTUS DE VITA B. PAULINI.

(Ex tomo V Bibliothecæ Patrum, edit. Colon. an. 1618.)

Paulini parens cos. Romæ cum Juliano, opinor, fuit anno U. C. CIƆLXXVII, Christi 325, quo anno Nicæna synodus prima 318 Patrum haberi cœpit, ut in Fastis Onuphrius docet. Paulinus vero filius natus est Constantio Aug. IX, Gallo et Juliano Cæs. II coss. anno Christi 357, vel, ut Victor Giselinus in prolegom. Severi Sulpicii numerat, anno Christi 348, quo et Prudentius poeta sacer sit natus, et decimo post anno Severus Sulpicius; Urbis conditæ MCX, cum Ariminensis et Seleuciana sit habita synodus. Natus itaque Paulinus consulari familia Ebromagi urbe non longe dissita a Tarbellorum finibus, et Burdigala seu potius Garumna flumine, qua ille a Tarbellis venientes proxime Burdigalam ducit, quo in loco prædia a majoribus relicta, Lucaniaco Ausonii non minora possedit : et Ausonio usus præceptore una cum fratribus educatus est ; neque **123** dubito quin ibidem maximam ætatis partem habitarit, donec mutato vitæ instituto in Hispaniam se ad Lampium contulit ac commigravit. Hic igitur Paulinus cum tota epist. 5 gratulari sibi non desinit amicitiam a primis annis cum Severo suavissime cultam, eamque ipsam deinde ex seculari in spiritalem commutatam, planissime iisdem verbis innuit Sulpicium eo tempore non longe admodum ab Ebromago vixisse, in solo ut verisimile est patrio : id vero vel Tolosam fuisse, vel locum Tolosæ vicinum non difficilis est conjectura, partim ex epistola Paulini 11 et 12 (nunc 31 et 32), quæ secundæ Severi basilicæ apud Primuliacum Paulini conditæ mentionem faciunt, partim ex 3 epistola ad Bassulam socrum. Consulem juvenem etiamnum, sed ut puto extraordinarium, factum scribit Ausonius epist. 20. Nomen enim in consularibus Fastis non reperias. Baronius conjicit ex B. Hieronymi Chronico anno Christi 375 consulem fuisse. At vix annos 25 natus fuisset. Ausonium quarto post anno cos. factum una cum Olybrio reperio in Baronio, anno Christi 379. Stylum Christianis jam sacris initiatus et rite baptizatus mutavit, verborum jam lenocinia fugiens : et sacras litteras pietatemque adamasse piæ ipsius ad Severum Sulpicium, aliosque, epistolæ missæ declarant, clarumque epist. 6 (nunc 1) ad Severum, in fine. Quin et Ausonio ad poeticum serio revocanti sic respondet : *Quid abdicatas*, etc.

Ausonius illi, ut Virgilii quondam lectori et imitatori, sed ut pio repudianti zelo ducto inscripsit Centonem nuptialem e Marone. Fuit autem, Severi Sulpicii exemplo (qui uxore mortua seculo renuntiarat, seque S. Martino adjunxerat), a Delphino Burdegalensi episcopo baptizatus. Conjux illi Therasia pia matrona, qua assentiente Paulinus venditis plurimis prædiis, et fundis, quod scribit epist. 11 (nunc 31) seculum relinquere statuit. De quo Ambrosius lib. VI epist., et Augustinus de Civitate cap. 10. Severus in Vita S. Martini. Viennam Galliæ primum profectus, B. Martinum cum Sulpicio invisit, ibi ex oculis laborans a Martino curatur, et cum Victricio, qui postea Rotomag. episcopus fuit, amicitiam contraxit. Hinc Mediolanum profectus, ubi B. Ambrosio familiariter est usus. Romæ etiam vixit : tunc et Nolam secessit, ut Ambrosius epist. ad Sabinum lib. VI meminit, et ipse Paulinus Natali 2 in sanctum Felicem. Dehinc in Hispaniam iter instituit. Peragrata deinceps Hispania Complutum venit, ibique ex Therasia uxore primogenitum diu desideratum mors sustulit. At octavo die mortuo infante, ibidem ad martyres sepelitur. Prudentio etiam Cæsaraugustano tunc innotuisse putant. Barcinone presbyter a Lampio episcopo ordinatur, ea tamen lege ne ulli Ecclesiæ alligaretur, ut epist. ad Severum 6 ostendit. Ausonius jam in Gallias retrahere, desiderium ejus non ferens, satagebat epistolis datis 21, 23, 24 et 25, accusans tamquam uxori nimis deditum, quam Tanaquilem appellat. Respondit ille pervenuste :

Nec Tanaquil mihi, sed Lucretia conjux.

Ea tempestate Maximus tyrannus Gratianum occidit, hunc Theodosius superavit. Cui victori Panegyricum Paulinus ad Endelechium scripsit, sed intercidit. Fama jam Paulinus toto orbe celebratus, [b] absens renuntiatur Nolanus episcopus Christi anno [c] 395, ætatis suæ 38. Nolæ Natales S. Felicis pertexuit a secundo **124** usque ad decimum. Primum enim in Hispania inchoarat : unde in Italiam trajecit, et Natalem 8 condens carmine, anno opinor Christi 402, quo Gothi et Alani Hispaniam occuparant. Hosce natales versibus pie conscriptos prosa vertisse Beda venerabilis memoratur. Sub Innocentio, papa anno Domini 404 creato, Pelagii dogma exoritur anno 415, cujus et suspectum insimularant Paulinum æmuli, sed recte sensisse vel unus hic locus in Natali 10 probare videatur.

Conformemque Deo conregnaturus honorem
Accipiet Christo similis, sed munere Christi.

Et epist. ad Severum 2, itemque 11.

De Paulino autem se vicarium dante pro redemtione filii viduæ, quia controverti video, disputantem suadeo legas Baronium ad annum Christi 431, quo etiam reducem ex Africa exstinctum plerique opinamur.

[a] Obiit anno 431.

[b] Non aberat Nola.

[c] Id non constat.

Nunc de Severo Sulpicio, ad quem pleræque Paulini epistolæ sunt, pauca dicamus.

Plures fuisse Sulpicios ut et Paulinos ex annalibus notum : nunc de Paulini familiari agamus. Errant enim qui hunc Bituricensem episcopum fuisse opinantur, vixitque ad annum Domini 587. Sed Paulini familiaris hic presbyter fuit Primuliacensis (non autem episcopus) et S. Martini discipulus, cujus etiam Vitam elegantissime descripsit, et circa annum Christi 400 floruit. Primuliaci basilicam exstruxit, ut epist. 12 refert Paulinus. Cetera ex Gennadio colligas, et Victore Giselino prolegomenis ad Severi Sulpicii opera, et denique ex Baronio Ecclesiast. Annal. tom. V.

CASPAR BARTHIUS, ADVERSAR. COMMENTAR. LIB. XIII, CAP. 14.

(Ex edit. Francofurt. an. 1648.)

Christianorum litteris poeticis clarorum neminem Paulino præponere possis. Profunda eruditio secularium litterarum phrasin ipsi fecit, quam diviuis mysteriis sine fuco tractandis egregie et amabiliter miscet. Quod si ipsos Dei præcones apostolos Latinis numeris laudes Domini pangere voluisse diceres, talibus utique usuros fuisse confitereris. Dici non potest quam contemtim vulgo tam divina opera habeantur; quotus enim quisque et vel eruditorum nihil non pervagantium alioquin, qui horum bis aut ter meminerit? Unde longe etiam majorem illustrantis diligentiam requirunt, quam putatum hactenus est. Dedimus nos his libellis specimina aliquot; dabimus et hoc capite ad Panegyricum Celsi, suavi, docto, numeroso carmine summa mysteria Christianæ religionis contingentem.

JO. FREDERICUS GRONOVIUS LIB. OBSERVAT. IN SCRIPTORIBUS ECCLES., CAP. 10.

Nola habet seriorem quidem, sed et sanctiorem Virgilio, officii sui testem, quem vivum habuit et sacrorum magistrum, et ædis sacræ molitorem. Magna sedis adamatæ monumenta : quid, quas inde ad lectissimos viros feminasque piæ facundiæ et officii plenas dedit epistolas? quid, quibus illum secessum et Natales Dominædii sui Felicis dedicavit, ingentis spiritus carmina? Illud meritum loci est : his ubique terrarum noscitur, legitur, videtur.

125 CARDINALIS PERRONIUS, IN PLESSÆUM DE MISSA FOL. 403. DE S. PAULINO.

Ces délices de l'ancienne piété chrétienne; cet excellent et religieux esprit, tant chéri et célébré par S. Ambroise, par S. Jérôme et par le plus florissant siècle de l'Eglise; ce rejeton et diminutif de S. Paul; ce second vaisseau d'élection, que S. Augustin (*Ep.* 34) nomme *la poitrine, l'oracle du Seigneur*; que S. Grégoire (*Lib.* III *Dial.*, *cap.* 1) appelle *homme de Dieu*, que Gennadius (*Lib. de Scriptor. ecclesiastic.*) témoigne avoir été *illustre non-seulement en doctrine et sainteté de vie, mais aussi en puissance sur les diables*; et duquel les Centuriateurs d'Allemagne (*Cent.* 5, *c.* 10) mêmes sont contraints de prononcer : *Scripta ejus hominibus piis et doctis vehementer probata sunt.*

PHILIPPUS LABBEUS, DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS TOM. II.

PAULINUS, Nolanus episcopus, quem integra appellatione dictum fuisse volunt Meropium (Eutropium alii aut Neropum) Pontium Anicium Paulinum, natus in Aquitania secunda circa annum Christi 353, aut Burdigalæ, aut non procul ab ipsa in oppido Ebromago, inter Burgum et Blaviam, discipulus Ausonii poetæ, consulatum Romæ gessisse dicitur anno 375. Tum baptizatus Burdigalæ a sancto Delphino urbis illius episcopo, secessit cum Therasia conjuge sanctissima in deserta Pyrenæorum montium et Barcinonenses campos : deinde presbyter ab Eulampio [*lege* Lampio] Barcinonensi præsule ordinatus 126 ipso Natali Christi Domini, seu, ut loquitur epist. 6 ad Severum, *die quo Deus nasci carne dignatus est*, exeunte anno Christi 393, ea tamen lege, ut nulli manciparetur Ecclesiæ. Quare Hispania relicta Italiam petiit, ac Mediolano, ubi a sancto Ambrosio benignissime exceptus Romam ingressus est Siricio Romano pontifice, unde paulo post Nolam venit ad optatum Ecclesiæ sancti Felicis portum, in cujus honorem plurimos versus fudit. Quo anno factus sit Nolæ episcopus non constat, quove ductus sit in Africam, et ad quem Wandalorum principem. Hoc certum, inde reversum Nolæ obiisse ætatis anno 78, Christi 431 die 22 Junii. De eo SS. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, atque Gregorius, Ausonius, Severus Sulpicius, Eucherius, Prosper, Idatius, Cassiodorus, Gennadius cap. 48 Catalogi, Sigebertus cap. 14, qui duo asserit, quorum saltem alterum falsum est, nimirum ad sanctum Augustinum scripsisse Vitam sancti Ambrosii Mediolanensis episcopi. Quod vero addit de Vita sancti Felicis Nolani versifice scripta, id de Natalibus accipi potest; Honorius Augustodunensis, et alii; quique ei morienti adfuit Uranius, licet non tam Vitam ille scripserit, quam felicem ad superos transitum.

ISIDORUS HISPAL., LIB. DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS, CAP. 4.

Obitum Paulini Uranius edidit.

URANIUS PRESBYTER, EPIST. AD PACATUM DE OBITU S. PAULINI EPISCOPI NOLANI.

(Hæc epistola Uranii exstat Patrologiæ nostræ tomo LIII, col. 859, ubi videsis.)

OPERUM (*)

SANCTI PAULINI

PARS PRIOR.

EPISTOLÆ.

EPISTOLA ** PRIMA.

1 *Paulinus Sulpicium Severum Primuliacensem in Aquitania presbyterum hortatur ne ob pravorum hominum obtrectationem institutum perfectionis dimittat; et illum ad se invitans, quomodo ipse Barcinone in Hispania repentina vi multitudinis correptus presbyteratu initiatus sit invitus, exponit, majestatem simul muneris illius magnifice describens.*

PAULINUS servus Christi Jesu (*V.* not. 1), SEVERO carissimo fratri secundum communem fidem in Deo Patre, et Christo Jesu salutari nostro, salutem.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel et favum ori meo [a]. Sensi plane quasi delibutis melle sermonis tui præcordiis sanctæ Scripturæ fidem, qua dictum est : *Impinguant ossa sermones boni* [b]; non utique hæc ossa quorum structura nos in corporis habilitate compaginat, sed quibus interioris hominis firmitas continetur; spem scilicet, et fidem [1], et caritatem; quæ sunt et viscera 2 misericordiæ, et ossa patientiæ, et totius membra virtutis. Hæc tu ossa, et membra, et viscera, sanctis et spei, et fidei, et caritatis alloquiis opimasti, quibus et fidei tuæ spem in Domino intentam et spei fidem in Domino [2] constantem, et plenitudinem caritatis in Christo, sicut ipsius erga nos Dei dilectionem manere docuisti, cum sollicito et optanti mihi, neque aliter de te, immo de Deo credenti, qui et in infirmis virtutem suam operatur ac perficit, indicasti augmentum patrimonii in cœlestibus, quod salubriter præsentium onerum decoctione fecisti, fragi- A lis substantiæ 3 pretio cœlum Christumque mercatus, vere *intelligens super egenum et pauperem* [c], quem in Christo esse, et in quo Christum, ut ipse docuit, tegi, pasci, fenerari credidisti.

2. Sit hic *odor mortis in mortem iis qui pereunt* [d], quibus caro et crux Dei vivi stultitia vel scandalum est [e]; quia ipsis caro et sanguis, cui serviunt, Christum Jesum Dei esse Filium non revelat [f]; nobis autem carnis et mortis divinæ fides odor vitæ efficiatur ad vitam. Nec moveantur, frater dilectissime, pedes nostri a viis Domini [g], et tramite itineris angusti [h], si nos interdum profana vel stulta quorumdam secularium verba circumlatrent : instructi enim satis per sacras Litteras et de ipsis et de nobis sumus. De his enim beatus Apostolus nobis ait, quia *in hoc laboramus,* B *et maledicimur, quoniam speramus in Deum vivum, qui est salus omnium hominum, maxime* [3] *fidelium* [i] : qui istorum quibus rationem vis reddere, etiam suo [4] in Evangeliis ore, et venena in colloquiis, et merita prædixit in pœnis : *Væ iis* [5] *qui scandalizaverint unum ex modicis istis in me credentibus! Expedit homini illi ut suspendatur mola asinaria collo ejus, et præcipitetur in profundum maris* [j]. Nobis vero ait: *Beati estis cum vobis maledicent homines, et dicent omne malum adversum vos, et exprobrabunt nomen meum tanquam malum; gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis* [k]. Hæc, mi frater, Domini verba retinentes et in nostram fidem confirmem cum nostra conferamus.

(*) MONITUM EDITORIS. De nostræ Paulini operum editionis dispositione atque habitu typographico non C nulla præfari operæ pretium est, ut in hac perlegenda fidelissimam Muratorianæ quisque sibi veluti suscitare possit imaginem, cum noverit in quibus illustrissimi Viri vestigiis hæserimus, in quibus alium inierimus ordinem, maximæ lectorum utilitati necnon commoditati consulentes. Quæ ergo sequuntur diligentissime advertenda sunt.

In editione Muratoriana quatuor adnotationum series habentur, nempe 1° *Citationes variantesque* ad utramque paginarum oram e regione textus continenter descriptæ : quarum aliæ, sed perpaucæ, asteriscis signantur; aliæ, litterulis distinctæ pene infinitæ numero sunt. 2° *Notæ variantesque* textui subjacentes. 3° *Notæ et observationes variorum* ad calcem operum in unum corpus digestæ. 4° *Variantes lectiones ex mss. et editis codd.*, quæ inter *indices* et *notas* supra laudatas locum obtinuere. Age nunc illam ordinationem cum nostra conferamus.

Lectorem igitur semel monitum volumus : 1° Quidquid ad primam adnotationum seriem pertinet, partim in textu inter uncinos, partim sub textum cum litterulis, ut vocant, *superioribus*, vel asteriscis præfixis a nobis fuisse exscriptum; 2° notas secundæ seriei textui pariter suppositas, litteris intra parentheses inclusis præsignari; 3° *Notas et observationes variorum* eamdem apud nos quam apud Muratorium ad calcem operum sedem occupare; 4° Ultimam seriem, ad quam ciffris superioribus lector revocatur, ita a nobis partitam fuisse, ut variantes quæ ad epistolas cum genuinas tum dubias pertinent ad utrarumque calcem exscriptæ sint. Similis in variantibus poematum disponendis ordo servatus est.

[a] Psal. CXVIII, 103. [b] Prov. XV, 30. [c] Psal. XL, 2; Matth. XXV, 40. [d] II Cor. II, 16. [e] I Cor. I, 23. [f] Matth. XVI, 17. [g] Psal. XVI, 5. [h] Matth. VII, 14. [i] I Tim. IV, 10. [j] Matth. XVIII, 6; Luc. XVII, 2. [k] Matth. V, 11.

** Alias 6; quæ autem 1 erat, nunc 5. Scripta ineunte anno 394 in exordio presbyteratus, paulo ante Pascha.

memur, et opprobria vel odia infidelium negligamus : *In tenebris* enim *ambulant* [a], quia (*a*) *sol justitiæ non ortus est eis* [b]. *Venenum aspidum* est *sub labiis eorum* [c], quod inficit mentem, et animam interficit, si receptum auribus in corda pervaserit. *Cor eorum*, inquit Scriptura divina, *vanum est, et sepulcrum patens est guttur eorum* [d]. Caveamus a fermento eorum, ne totam massam corrumpat [e]. Scriptum est enim : *Non habitabit juxta te malignus* [f]. Et iterum : *Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris* [6] [g]. Et : *Discedat ab iniquitate qui nominat nomen Domini* [h]. Obstrue, frater, et *sepi aures tuas spinis* [i] ad verba eorum, quæ sunt spinæ et sagittæ zabuli, qui in eorum præcordiis latens *insidiatur in occulto ut rapiat pauperem* [j] Christi, et venatur animam Christiani. Sed *in caput eorum*, sicut scriptum est, *iniquitas ipsorum convertetur, et incident* [7] *in foveam quam operantur* [k].

3. *Tu autem, homo Dei, fuge ab istis* [l]; neque ut sapientioribus rationem reddere labores, cum scias penes te principium esse **4** sapientiæ, qui times Dominum [m]. Si stultum putant esse quod gerimus, gratulare conscius tibi quia opus Dei et præceptum Christi geris ; et reminiscere quoniam *stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientia* [n] : et quoniam *quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* [o]. Talibus autem velle purgari, idem est quod posse Christum ipsum negare, qui erubescentes nomen suum coram hoc mundo, erubescet invicem coram Patre confiteri suos [p].

4. Tu igitur qui laboras, ut scribis, rationem pro meo ac tuo facto reddere, quid facies, si non persuaseris hominibus non ad ædificationem suam, sed ad destructionem tuam tecum de opere Dei disputantibus? Jam erubesces, jamque pallebis, ut causæ pejoris assertor; et motus gradu [8] titubabis in via Domini, et de cœlo in terram relaberis, si quæ ædificasti destruis. Multum interest, quinam (*b*) isti sint quibus ratio reddenda sit. Si discendi studio venit, et ignorantiam confitetur; sparge in eum semen fidei, et præceptum pande divinum. Si capit verbum, *lucratus es* Ecclesiæ *fratrem* [q], et ovem Christo. Si vero non erit purum boni seminis germen, et a nocturno patrisfamilias cœlestis inimico zizania interserente frumentis [r], nocens gramen et infelix seges a frugibus bonis messis tempore segreganda; nec horreis debita, sed caminis, pabulo ignis æterni arsura materies, suis interim crescit incendiis, refuge, et repelle colloquio tuo atque conspectu; ut si tua fide sanari non potest, te sua infidelitate non vulneret.

A

5. Sit licet frater et amicus junctior tibi dextera tua, et carior lumine; si alienus est et inimicus in Christo, *sit tibi ut extraneus et ut publicanus* [s]. (*c*) Abscidatur ut inutilis dextera a corpore tuo [t], qui tibi in Christi corpore non cohæret; et ut nocens oculus eruatur, qui corpus tuum totum sua macula vel cæcitate contenebrat. *Melius est enim unum membrum perire* pro totius corporis salute, *quam* unius membri vitiosi amore, *totum corpus*, ut ait Dominus, *ire in gehennam* [u]. Nec metuenda est offensio talium, quæ quidem et optanda nobis est, quoniam de horum [9] opprobriis atque maledictis nascitur illa merces, quam copiosam Deus promisit in cœlis [v].

B

Non est, inquit, *discipulus supra magistrum, nec servus supra dominum suum* [x]. Et, *si patremfamilias Beelzebub* (*d*) *vocaverunt, quanto magis domesticos ejus* [y]! Si Dominum et [10] Deum, quem sequimur, amaverunt, et nos amabunt ; *si illum persecuti sunt, et nos persequentur*. Quo **5** nobis (*e*) gratiam mundi, quæ est odium Christi? *Si de mundo*, inquit, *essetis, amaret mundus quod esset suum* [z].

6. Tu ergo, qui rationem quæris reddere hominibus, et his infidelibus, vide quid desideres; gratiam sine dubio hominum, id est mundi, cui placere non potes, nisi Christo malueris displicere. *Si enim*, inquit (*f*) Apostolus, *hominibus placerem*, *Christi servus non essem* [aa]. Displiceamus ergo his, et gratulemur iisdem nos displicere, quibus et Deus displicet.

C

Non enim nostrum, ut scis, sed Domini nostri [11] Jesu Christi, id est omnipotentis Dei opus in nobis lacessunt; quem in suis actibus spernunt, in nostris operibus oderunt, sero dicturi : *Domine, quando te vidimus nudum, et non vestivimus? esurientem, et non cibavimus? infirmum, et non visitavimus* [bb]*?* Et tunc audituri : *Ite in ignem æternum, quem præparavit Deus patri vestro et angelis ejus* [cc]; quoniam quæ indigentibus non faciunt, Christo negant; qui *cum dives esset, pauper factus est, ut nos sua paupertate ditaret* [dd].

7. Fruantur interim voluptatibus, dignitatibus, opibus suis, si tamen eorum sunt [ee], quas istic habere malunt ubi esse desinimus, quam illic ubi esse persistimus. Sibi habeant sapientiam, sibi felicitatem suam : nobis inopiam nostram, ut putant, et stultitiam nostram relinquant.

D

De ipsius etiam, quem, etsi *nomine confitentur*, *tamen actu negant*, *habentes*

[a] Psal. LXXXI, 5. [b] Sap. V, 6; Mal. IV, 2. [c] Psal. XIII, 3, et CXXXIX, 4. [d] Psal. V, 10, et XIII, 3. [e] Galat. V, IX; I Cor. V, 6. [f] Psal. V, 6. [g] Psal. XVII, 26. [h] II Tim. II, 19. [i] Eccli. XXVIII, 28. [j] Psal. IX, 9, sec. LXX juxta Hebræos X, 9. [k] Psal. VII, 16 et 17. [l] I Tim. VI, 11. [m] Psal. CX, 10; Prov. I, 7, et IX, 10. [n] I Cor. I, 27. [o] Ibid., 25. [p] Matth. X, 33; Luc. IX, 26; Marc. VIII, 38. [q] Matth. XVIII, 15. [r] Matth. XIII, 25. [s] Matth. XVIII, 17. [t] Ibid. 8. [u] Matth. V, 29, 30. [v] Matth. V, 12; Luc. VI, 23. [x] Matth. X, 24; Johan. XIII, 16. [y] Matth. X, 25. [z] Johan. XV, 19. [aa] Gal. I, 10. [bb] Matth. XXV, 44, et ex v. 37 et 38. [cc] Ibid. 41. [dd] II Cor. VIII, 9. [ee] Sap. II, 6.

(*a*) Ita in multis libris legi asserit Nobilius in scholiis ad versionem LXX. Sic legitur apud Augustinum in Speculo de lib. Malachiæ. In Vulgata, *sol intelligentiæ*.

(*b*) Ed. Schot., *iste sit cui*. Quæ lectio concinnior videtur.

(*c*) Ita mss. codices et edd. Rosv. Alii edd. *Abscindatur*. Vide adnotationem nostram ad epist. 23, n. 12. et epist. 11, n. 7.

(*d*) Sic mss. codices Reg. et Vien. Editi, *vocavere*.

(*e*) Ms. codex Vien., *gratia*.

(*f*) *Apostolus*. Hanc vocem, quæ maxime desiderabatur, ex ms. Viennensi codice supplevimus.

speciem pietatis, *virtutem ejus abnegantes* [a]; de ipsius, inquam, Dei nostri verbis prudentiam sibi, si placet, arrogent, et stultitiam nobis exprobrent. Ait enim Dominus : *Filii hujus seculi sapientiores sunt filiis lucis* [b]; sed adjecit : *In hac generatione.* Sint prudentiores, dum non sint filii lucis. Sint *in hac sua* [12] *generatione sapientes*, dum in illa regeneratione nostra inveniantur excordes. Sint nunc beati vel magis fortunati, per omnia prospera, (*a*) blandiente seculo, defluentes; mollibus vestiantur, in domibus regum sint [c]; dum in *laboribus hominum non sint*, *et cum hominibus non flagellentur* [d]. Sint divites seculo, quia sunt egentes Dei; de quibus scriptum est : *Divites eguerunt et esurierunt* [e]; sicut de nobis illico subjectum : *Inquirentes autem Dominum non* (*b*) *deficientur omni bono* [f].

8. Utinam, mi frater, digni habeamur qui maledicamur, et notemur, et conteramur, atque etiam interficiamur in nomine Jesu Christi [g], dum non ipse occidatur Christus in nobis. Tum demum *super aspidem et basiliscum ambularemus*, *et conculcaremus caput draconis* [h] (*V.* not. 59) antiqui. Sed adhuc amico, quod pejus est, seculo solvimur, et in Christo deliciamur : **6** laudari tantum in nomine ipsius amantes, contristari et tribulari, quod est utilius, recusantes. Memento granum sinapis, de quo semine sumus, si conteratur, accendi magis, et tum demum in vim suam excitari. Quamobrem debemus quasi naturæ nostræ in hoc respondere, ut adversis sermonibus contriti, inardescamus ad fidem : et eos ipsos, qui nos ut minimos hominum, scilicet quasi *granum sinapis, quod minimum est seminum* [i], frangere conantur, (*c*) uramus. Si vero ii qui deforis sunt, rationem a te sancti operis inquirunt, et venenatas de corde viperino linguas in cor tuum vibrant; *noli dare sanctum canibus*, *et margaritas* tuas *non projicias ante porcos* [j]. *Quæ enim pars fideli cum infideli? quæ societas luci ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial* [k]?

9. Tu vero miles Christi armatus ab Apostolo *galea salutis, et lorica justitiæ*, *et scuto fidei, et gladio veritatis, et virtute Spiritus sancti* [l], sta in armis cœlestibus constans, et *tela inimici candentia* fonte sapientiæ et flumine aquæ in te viventis *exstingue*. *Depositum custodi, fidem serva, justitiam sectare, caritatem* Christi tene, *patientiam* æmulare, *exerce te ipsum ad pietatem quæ ad omnia utilis est : sobrius esto*, *in omnibus labora*, *certamen bonum certa* [13], *cursum consumma*, ut apprehendas, in quo apprehensus es : *de cetero reponetur tibi corona justitiæ*, *quam reddet Dominus in illa die justus Judex iis qui diligunt adventum ejus*. *Eos autem devita* [14] *qui sanam doctrinam non sustinent*, *voluptatum amatores magis quam Dei* [m], in pejus semper proficientes; seducentes et seductos; homines mente corruptos, et a veritate alienos, et ob hoc ipsum traditos in concupiscentias cordis sui, [15] in laqueum et desideria multa, quæ a fide naufragos mergunt in interitum et perditionem [n] : quia creaturam prætulerunt Creatori [o], id est, *simulacra gentium*, *aurum et argentum* [p] Deo carius habentes, servantes animas suas in hoc mundo, perdentes in Christo [q] : Discede ab hujusmodi [r], et prophanas vocum novitates devita, ne circa quæstiones aniles et vanas, aut impias [16] verborum contentiones, incipias ægrotare, et pericliteris a falsis fratribus, aut a perditis reprobatisque sapientibus [s]; et omnes [17] qui videbunt, insultante (*V.* not. 2) zabulo, dicant : *Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare* [t]. Quod absit a nobis, qui non nostris operibus aut viribus, sed divina virtute et misericordia freti, opus perfectionis arripere ausi sumus. Potens est ipse, qui est omnipotens, perficere in nobis opus perfectionis suæ, et quod fundare jam ac primis machinis erigere dignatus est, suis struere **7** mensuris, et consummare fastigio : quia ipse turbatis ad [18] operis istius molem etiam apostolis suis dignatus est dicere apud homines impossibile hoc esse, sed non apud Deum, in quo credentibus nihil impossibile est [u].

10. Verum, ut invicem in verbis Domini consolemur, et operibus proficiamus, *exi de terra* (*d*) *tua et de cognatione tua* [v], ut Abraham fideli imitatus excessu [19], beato Abrahæ sinu dignus sis [x]. Festina venire ad nos, in commune compendium accepturus et daturus fidei supplementa. Hoc enim acceptum coram Deo : quia et (*e*) *frater fratrem adjuvans exaltabitur* [y]. Nos modo in Barcinonensi, ut ante scripseram (*Excidit hæc epistola*), civitate consistimus. Post illas litteras quibus rescripsisti, die Domini, quo nasci carne dignatus est, repentina, ut ipse testis est, vi multitudinis (*V.* ep. 2, n. 2, et ep. 3, n. 4), sed credo ipsius ordinatione, correptus, et presbyteratu initiatus sum, fateor, invitus, non fastidio loci (nam testor ipsum, quia et ab æditui nomine et officio

[a] Tit. I, 16; II Tim. III, 5. [b] Luc. XVI, 8. [c] Matth. XI, 8; Luc. VII, 25. [d] Psal. LXXII, 5. [e] Psal. XXXIII, 11. [f] Sec. Psalt. Rom. [g] Act. V, 41. [h] Psal. XC, 13. [i] Matth. XIII, 31; Marc. IV, 31; Luc. XIII, 19. [j] Matth. VII, 6. [k] II Cor. VI, 14. [l] Eph. VI, 14; I Thes. V, 8; Rom. XV, 13. [m] I Tim. VI, 20; II Tim. I, 14; ibid., II, 22; I Tim. IV, 8; II Tim. IV, 5; ibid., 8; ibid., III, 4. [n] I Tim. VI, 9. [o] Rom. I, 25. [p] Psal. CXIII 4. [q] Johan. XII, 25. [r] I Tim. VI, 11. [s] II Tim. II, 23, I Tim. I, 4, et IV, 7; Tit. III, 9. [t] Luc. XIV, 30. [u] Matth. XIX, 26. [v] Gen. XII, 1, sec. LXX; Act. VII, 3. [x] Luc. XVI, 22. [y] Prov. XVIII, 19.

(*a*) Ms. Vien., *blandientis seculi*.
(*b*) Edit. Grin. et Psalterium Rom., *deficient*. In ceteris psalteriis, in Vulgata, in vers. lat. LXX, et apud S. Augustinum, *minuentur*.
(*c*) Ms. Vien. et edit. Grin., *curemus*.
(*d*) Sic mss. Reg. et Vien. Abest *tua* ab editis.
(*e*) Ita legit Paulinus noster in epist. 6, n. 3, ep. 3, n. 5, et ep. 40, n. 3, ac S. Cyprianus lib. IV, epist. 2, circa med.

optavi sacram incipere servitutem), sed ut alio destinatus, alibi, ut scis mente compositus et fixus, novum insperatumque placitum divinæ voluntatis expavi. Data igitur cervice in jugum Christi video majora me meritis et sensibus opera tractare : jamque arcanis et penetralibus Dei summi receptum et insertum communicare cœlestia, et Deo propius admotum in spiritu ipso Christi et corpore et splendore versari. Vix adhuc intellectum sacræ molis capio mentis angustiis, et onus muneris mei conscius infirmitatis horresco; sed is qui *sapientiam parvulis dedit, et ex ore infantium atque lactentium* [10] *perficit laudem sibi* [a], potens est in me etiam opus suum perficere et munus ornare, ut se dignum faciat, quem ab indigno vocavit. Scito tamen voti communis, eodem Domino præstante, salvam esse rationem : nam B ea conditione in Barcinonensi [11] Ecclesia consecrari adductus sum, ut ipsi ecclesiæ non alligarer, in (*V.* not. 3) sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum ecclesiæ dedicatus.

11. Veni igitur, si placet, ante Pascha, quod nobis optatius est, ut sacras ferias me sacerdote concelebres : quod si jam ad itineris ingressum propitio Deo vis occurrere, post Pascha in nomine Christi proficiscere. Sed credimus in Domino nostro, quia tibi in desiderium nostri flagrantius inspirabit, ne ultra Pascha tempora ad nos tua proferre sustineas. Iter quantum sit et puer unanimitatis tuæ renuntiabit, qui ad nos de (*V.* not. 4) Elusone (*a*), octava, ut asseruit, luce pervenit : tam brevis enim et facilis via est, **8** ut nec in Pyrenæo ardua sit, qui Narbo- C nensi ad Hispanias agger [12], nomen magis quam jugum horrendus, interjacet. Verum quid de spatio agimus [13]? si nos desideras, via brevis est; longa, si negligis.

EPISTOLA * II.

Nuntiat Amando presbytero, qui postea in Burdegalensi episcopatu successit S. Delphino, se invitum sacerdotem creatum : et sacerdotalis muneris partes perstringens, opem ejus et Delphini, per quos Deo natus erat, ad eas explendas implorat.

Domino fratri dilectissimo Amando, Paulinus.

Post tempus accepimus [1] litteras dilectionis vestræ; sed quo diutius desideratæ, hoc avidius a nobis susceptæ sunt : nam et *aqua frigida sitienti* dulcior, *et nuntius bonus de terra longinqua* [b] jucundior est; ita et sermonis vestri suavitas impinguavit ossa D nostra [c], et *animam esurientem satiavit bonis* [d]. Quid nos talibus dignum reddemus eloquiis, ingenio te- A nues, corde crassi, ore jejuni, et, sicut scriptum est, *ventres pigri* [e]? Verum etsi omnibus rebus inferiores, tamen caritas sola nos vobis præstat æquales. Dilectioni enim quam in nos habetis, pari mente certamus : quæ quidem visceribus nostris insita, et affixa præcordiis, et animæ ipsi permixta est spiritu Domini, *qui habitare facit unius moris in domo* [f], qui innumera credentium millia uno corde connectit, quia unus *omnia in omnibus* (*b*) *adimpletur* [g].

2. Nunc huic Domino placuit in vase fictili ponere thesaurum suum [h], (*c*) *qui me vocavit per gratiam suam* [i], *suscitans de terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocaret cum principibus populi sui* [j], et inter sacerdotes indueret salutare [k] [2] : ut dum curro in odorem unguentorum ejus [l], fierem B gutta ejus unguenti *quod descendit in barbam Aaron* [m]. In cujus domo domesticus fieri [n], et *benedicere Dominum de fontibus Israel* [o], cum pro meritorum meorum conscientia recusarem, vel potius non auderem recipere, *ego vermis, et non homo* [p]; vi subita (*V.* ep. 1, n. 10), invitus, quod fateor, adstrictus, et multitudine strangulante compulsus, quamvis cuperem calicem ipsum a me transire, tamen necesse habui dicere Domino : *Verum non mea voluntas, sed tua fiat* [q]; cum præsertim ipsum de se Dominum dixisse legerem : *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* [r]. Præventi **9** igitur a Domino, et apprehensi ab eo quem necdum apprehendimus, deservimus altario [3] Dei, et mensis salutaribus ministramus jam nomine officioque (*V.* not. 5) seniores, C sensu autem adhuc parvuli, et sermone lactentes [s] [4].

3. Quod ministerium ut bene ministrem, et gradum bonum mihi acquiram, et sciam qualiter oporteat me in domo Dei conversari, et tractare mysterium pietatis, tu Domine venerabilis, et frater, (*d*) et Domine in Christo nobis, ora Dominum in omni bono divitem [t] ut *abundemus fide, et sermone, et scientia, et omni sollicitudine, et* [u] *insuper vestra in nos caritate, ut et in hac gratia abundetis* [u]. Præterea ipse epistolis tuis nos sæpe instrue necessariis supplementis : *enutritus* enim *sermonibus fidei et bonæ doctrinæ, quam* a puero in sacris Litteris *subsecutus es* [v], informa nos ad regulam directionis, pasce nos spiritali cibo [x], id est verbo Dei, qui est verus et vivens panis [y], et in quo magis quam in pane vivitur [z] : quoniam ipse est D esca justorum qui ex fide vivunt [aa]. Nec hinc negligentior sis circa sollicitudinem institutionis meæ, quod loco Ecclesiæ, non tamen corpore separamur;

[a] Psal. xviii, 8, et viii, 3. [b] Prov. xxv, 25. [c] Prov. xv, 30. [d] Psal. cvi, 9. [e] Tit. i, 12. [f] Psal. lxvii, 7. [g] Eph. i, 23. [h] II Cor. iv, 7. [i] Gal. i, 15. [j] Psal. cxii, 7. [k] Psal. cxxxi, 16. [l] Cant. i, 3. [m] Ps. cxxxii, 2. [n] Eph. ii, 19. [o] Ps. lxvii, 27. [p] Psal. xxi, 7. [q] Matth. xxvi, 42; Mar. xiv, 36; Luc. xxii, 42. [r] Matth. xx, 28. [s] I Cor. xiv, 20; I Tim. iii, 13. [t] Rom. x, 12. [u] II Cor. viii, 7. [v] I Tim. iv, 6. [x] Deut. viii, 3. [y] Matth. iv, 4. [z] Luc. iv, 4. [aa] Rom. i, 17.

* Alias 23; quæ autem 2 erat, nunc 24. Scripta anno 394 in exordio presbyteratus, circiter Pascha.

(*a*) Ms. Vien., *Clusione*, mendose, pro *Elusione*, ut in Itinerario Burdegalensi.

(*b*) Ita Vulgata et mss. Reg. et Vien., a quibus abest particula *Ut* initio numeri sequentis. Editi codd., *adimplet*; et num. seq., *Ut nunc*.

(*c*) Sic mss. codices. Editi, *sanctum*.

(*d*) Ita mss. Reg. et Vien. et edit. Bad., Grav. et Schot. Deest *et Domine* in ms. Vien. et ed. Grin. Delerem, inquit Sacchinus, nisi tolerandum videatur quod repetitio fiat novo sensu, et prius referatur ad viri dignitatem.

unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum [a], A qui est Ecclesiæ caput: in qua cum omnes unum simus [6], tamquam in una domo vivimus. Nec possumus dicere nos esse sine vobis cum unius [7] spiritus simus, et in uno, qui est unus [8], habitemus. Ideo *servantes unitatem spiritus in conjunctione pacis*, ut *unum corpus et unus spiritus* [b], ut sociali invicem membro [9] nobis (*a*) collaboremus, ut crescamus in illius corporis ædificationem [c], cujus caput Christus est.

4. Igitur quia facti sumus de hostibus (*forte* hospitibus) cives, de longinquis proximi [d], de ovibus pastores, et positi sumus in fundamento [10] apostolorum et prophetarum, erudite et confirma te manus [e] ad ædificandi scientiam, ut (*b*) *lapide*, qui *factus est in caput anguli* [f], discam parietem utrumque connectere, B et in templum sanctum atque in habitaculum Dei, corpora et corda fide mundata construere [g]; per arma Apostoli potentia Deo omnem elationem extollentem se adversus scientiam Dei captivam ducere, omnem intellectum ad obediendum Christo perducere [h], evangelicam securim arborum radicibus admovere [i]; et gladio spiritus [j], id est, verbo [11] Dei interficere peccatores terræ [k]; et scuto Catholicæ fidei omnia jacula candentia nequissimi exstinguere; et certamine decertato, cursuque decurso, fide servata [l], ministerio impleto, exspectare illud quod *Dominus in illa die justus judex reddet omnibus qui diligunt adventum ejus* [m]. Ergo ut tuum ac tecum manentem spiritaliter videns **10** ac tenens, instrue, juva, hortare, confirma. De vobis enim, et per vos C Deo natus in Christo vestra potissimum cura esse debeo, quia vestrum [12] opprobrium si indignus, aut vestrum gaudium ero, si ex fructibus bonis vestræ arboris ramus esse cognoscar.

EPISTOLA * III.

Alypio episcopo scribit de libris Augustini quos receperat, excusans quod serius miserit ad illum Eusebii Chronica. Cupit edoceri de genere et vita Alypii: ipse vicissim de se nonnulla aperiens. Panem unum dono mittit.

Domino merito honorabili et beatissimo patri ALYPIO, PAULINUS et THERASIA peccatores.

1. Hæc est vera caritas, hæc perfecta dilectio, quam tibi circa humilitatem nostram inesse docuisti, domine vere sancte, et merito beatissime, ac desi- D derabilis. Accepimus enim per hominem nostrum Julianum de Carthagine revertentem litteras, tantam A nobis sanctitatis tuæ lucem afferentes, ut nobis caritatem tuam non agnoscere, sed recognoscere videremur. Quia videlicet ex illo, qui nos ab origine mundi prædestinavit sibi [n], caritas ista manavit, in quo facti sumus antequam nati; *quia ipse fecit nos, et non ipsi nos* [o], qui fecit quæ futura sunt. Hujus igitur præscientia et opere formati in similitudinem voluntatum, et unitatem fidei, vel unitatis fidem, præveniente notitiam caritate connexi sumus, ut nos invicem ante corporales conspectus revelante Spiritu nosceremus. Gratulamur itaque et gloriamur in Domino, qui unus atque idem ubique terrarum operatur in suis dilectionem suam Spiritu sancto, quem super omnem carnem effudit [p], fluminis impetu lætificans civitatem suam [q], in cujus te civibus (*c*) principalem B cum principibus populi sui (*d*) sede apostolica merito collocavit [r]: nosque etiam, quos erexit elisos [s], et de terra inopes suscitavit, in vestra voluit sorte numerari. Sed magis gratulamur in eo Domini munere, quo nos in pectoris tui habitatione constituit; quoque ita visceribus tuis insinuare dignatus est, ut peculiarem nobis caritatis tuæ fiduciam vendicemus, his officiis atque muneribus provocati [t], ut nos diffidenter aut leviter te amare non liceat.

2. Accepimus enim insigne (*e*) præcipuum dilectionis et sollicitudinis tuæ, opus sancti et perfecti in Domino Christo viri fratris nostri Augustini libris quinque confectum; quod ita miramur atque (*f*) suspicimus, ut dictata **11** divinitus verba credamus. Itaque fiducia [a] suscipiendæ nobis unanimitatis tuæ et C ad ipsum scribere ausi sumus, dum nos illi per te et de imperitia excusandos, et ad caritatem commendandos præsumimus, sicut et omnibus sanctis, quorum nos et absentium officiis sospitare dignatus es; pari procul dubio curaturus affectu, ut per sanctitatem tuam nostris invicem salutentur obsequiis, et in clero sanctitatis tuæ comites, et in monasteriis fidei ac virtutis tuæ æmulatores. Nam etsi in populis ac super populum agas, oves pascuæ Domini [t] regens sollicitis vigil pastor excubiis, tamen abdicatione seculi, et repulsa carnis ac sanguinis, desertum tibi ipse fecisti, secretus a multis, vocatus in paucis.

3. Sane vicario aliquatenus munere, licet per omnia tibi impar, ut jusseras, providi illam Eusebii venerabilis episcopi (*g*) Cæsariensis de cunctis tem- D poribus historiam. Sed in hoc fuit obtemperandi mora, quod instructu tuo, quia ipse non haberem hunc codicem, Romæ reperi apud parentem nostrum

[a] I Tim. II, 5. [b] Ephes. IV, 3. [c] Eph. IV, 12. [d] Eph. II, 17. [e] Isai. XXXV, 3. [f] Psal. CXVII, 22; Matt. XXI, 42. [g] Eph. II, 21. [h] II Cor. X, 5. [i] Matth. III, 10. [j] Eph. VI, 17. [k] Psal. C, 8. [l] II Tim. IV, 7. [m] Ibid., 8. [n] Eph. I, 4; I Pet. I, 2. [o] Psal. XCIX, 3. [p] Joel. II, 28. [q] Psal. XLV, 5. [r] Psal. CXII, 8. [s] Psal. CXLV, 8, et CXII, 7. [t] Psal. XCIX, 3.

* Alias 44; quæ autem 3 erat, nunc 23. Scripta anno 394 in autumno.

(*a*) Mss. Reg. et Vien. et edit. Grin., *conlaboremus*, quod semel observasse sufficiat.

(*b*) Ita ms. Vien. Ceteri codices, *ut ad lapidem*.

(*c*) Ms. Big. 1, *principem*.

(*d*) Hunc titulum, quo solus hodie gaudet Pontifex Romanus, omnibus olim episcopis communem fuisse ante Gregorium VII, an. 1073, ex veterum scriptis notum est, et præcipue ex Paulini nostri epistolis ad Augustinum, Delfinum, Alypium, Victricium et Florentium.

(*e*) Mss. 4 Vaticani addunt particulam, *et*.

(*f*) Iidem mss. codices 4 Vaticani, *suscipimus*.

(*g*) Sic mss. et editi codices, præter 2 Big. et edit Bened., in quibus mendose legitur *Constantinopolitani*, cum Eusebium Cæsariensem episcopum hujus Chronici autorem fuisse constet.

vere sanctissimum Domnionem, qui procuidubio (a) A promtus mihi paruit in hoc beneficio, quod tibi deferendum (b) indicavi. Verumtamen quia et loca tua mihi significare dignatus es, ut ipse monuisti, ad venerabilem socium (*V.* not. 6) coronæ tuæ, patrem nostrum Aurelium ita scripsimus, ut si nunc Hipponeregio degeres, illo tibi litteras nostras et transcriptam Carthagine membranam mittere dignaretur. Quod et sanctos viros, quos (c) indice caritatis ipsorum tuo sermone cognovimus, Comitem et Evodium rogavimus ut (d) exscribere ipsi curarent, ne vel parenti Domnioni diutius codex suus deforet, et tibi transmissus sine necessitate redhibendi maneret.

4. Specialiter autem hoc a te peto, quoniam me immerentem et inopinantem magno tui amore complesti, ut pro hac historia temporum referas mihi B omnem tuæ sanctitatis historiam, ut (*Virgil. Æneid.* VIII) qui genus, unde sis domo; tanto vocatus a Domino, quibus exordiis segregatus ab utero matris tuæ, ad matrem filiorum Dei prole lætantem, abjurata carnis et sanguinis stirpe transieris, et in genus regale et sacerdotale sis translatus, edisseras [a]. Quod enim indicasti, jam de humilitatis nostræ nomine apud Mediolanum te didicisse, cum illic initiareris, fateor curiosius me velle condiscere, ut omni parte te noverim, quo magis gratuler, si a suspiciendo mihi patre nostro Ambrosio, vel ad fidem invitatus es, vel ad sacerdotium consecratus, ut eumdem ambo videamur habere autorem. Nam ego, etsi a Delphino Burdegalæ baptizatus, **12** a Lampio apud Barcilonem [a] in Hispania per vim (*V.* ep. 1, n. 10) inflammatæ C subito plebis sacratus sim; tamen Ambrosii semper et dilectione ad fidem innutritus sum, et nunc in sacerdotii ordine confoveor. Denique suo me clero vindicare [b] voluit, ut, etsi diversis locis degam, ipsius presbyter censear.

5. Sed de me ne quid ignores, scias antiquissimum peccatorem non ita olim de tenebris et umbra mortis eductum [b], spiritum auræ vitalis hausisse; nec ita olim posuisse in aratro manum, et crucem Domini sustulisse [c]; quam ut in finem perferre valeamus, orationibus tuis adjuvemur. Accumulabitur hæc meritis tuis merces, si interventu tuo onera nostra relevaveris. Sanctus enim laborantem *adjuvans*, quia *fratrem* non audemus dicere, *exaltabitur sicut civitas magna* [d]. Et tu quidem super montem civitas ædificata D es, vel accensa super candelabrum lucerna in septiformi claritate [e] colluces [f]; nos sub modio peccatorum delitescimus: visita litteris tuis, et profer in lucem in qua ipse versaris, super aurea candelabra conspicuus. Eloquia tua lumen semitis [f] nostris erunt, et oleo lucernæ tuæ impinguabitur caput nostrum [g]. Et accendetur fides, cum spiritu oris tui cibum mentis et lumen animæ sumserimus.

6. Pax et gratia Dei tecum, et corona justitiæ tibi maneat in die illo, domine, pater merito dilectissime, et venerabilis, et exoptatissime. Benedictos sanctitatis tuæ comites et æmulatores in Domino, fratres, si dignantur, nostros tam in ecclesiis quam in monasteriis, Carthagini, Thagastæ [*], Hipponeregio et totis parochiis tuis, atque omnibus cognitis tibi per Africam locis Domino catholice servientes, multo affectu et obsequio salutari rogamus. Si ipsam membranam sancti Domnionis acceperis, transcriptam nobis remittere dignaberis. Et hoc rogo scribas mihi, quem hymnum meum (e) cognoveris. Panem unum sanctitati tuæ unitatis gratia misimus, in quo etiam Trinitatis soliditas continetur. Hunc panem eulogiam esse tu facies dignatione sumendi.

EPISTOLA [*] IV.

13 *Augustino scribit, exquisitis eum laudibus exornans pro quinque ejus adversus Manichæos libris, quos ab Alypio acceperat. Panem ipsi dono mittit.*

Domino fratri unanimo et venerabili AUGUSTINO, PAULINUS et THERASIA peccatores.

1. Caritas *Christi* quæ *urget nos* [h], et absentes licet per unitatem fidei alligat, ipsa fiduciam ad te scribendi pudore depulso præstitit, teque per litteras tuas visceribus meis intimavit, quas et de scholasticis facultatibus affluentes, et de cœlestibus favis dulces, ut animæ meæ medicas, et altrices, in quinque libris interim teneo, quos munere benedicti et venerabilis nobis episcopi nostri Alypii, non pro nostra instructione tantum, sed etiam pro Ecclesiæ [1] multarum urbium utilitate suscepimus. Hos igitur nunc libros (f) lectioni habeo, in his me oblecto, de his cibum capio, non illum qui perit, sed qui operatur vitæ æternæ substantiam per fidem nostram [i], qua adcorporamur in Christo Jesu Domino nostro; cum fides nostra, quæ visibilium negligens invisibilibus inhiat [j], per caritatem omnia secundum veritatem omnipotentis Dei credentem, litteris et exemplis fidelium roboretur [k]. O vere sal terræ, quo præcordia nostra, ne possint seculi errore vanescere, condiuntur [l]! O lucerna digne supra candelabrum Ecclesiæ posita [m], quæ late catholicis urbibus de septiformi lychno pastum oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, et lucem veritatis a confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas.

2. Vides, frater unanime, admirabilis in Christo

[a] I Pet. II, 9. [b] Psal. CVI, 14. [c] Luc. IX, 62. [d] Prov. XVIII, 19. [e] Apoc. I, 13. [f] Psal. CXVIII, 105. [g] Matth. VI, 17. [h] II Cor. V, 14. [i] Johan. VI, 27. [j] II Cor. IV, 18. [k] I Cor. XIII, 7 [l] Matth. V, 13. [m] Matth. V, 15; Marc. IV, 21.

[*] Alias 41; quæ autem 4 erat, nunc 25. Scripta cum superiore, anno 394 in autumno.

(a) Ita mss. duo Big. Alii codices, *promptius.*
(b) Sic mss. 13 Gallicani et 2 Vat. Alii duo Vaticani, *judicavi.*
(c) Mss. 2 Big. et ed. Bened. et Grav., *indices.*
(d) Iidem codices, *hæc scribere.*
(e) Mss. duo Big., *agnoveris.*
(f) Ms. Big., *in lectione.*

Domino, et suscipiende, quam familiariter agnoverim te, quanto admirer stupore, quam magno amore complectar, qui quotidie colloquio litterarum tuarum fruor et oris tui spiritu vescor. Os enim tuum fistulam aquæ vivæ et venam fontis æterni merito dixerim, quia *fons* (*a*) in te *aquæ salientis in vitam æternam* [a] Christus effectus est. Cujus desiderio sitivit in te anima mea, et ubertate tui fluminis inebriari terra mea concupivit. Ideoque cum hoc (*b*) Pentateucho tuo contra Manichæos me satis armaveris, si qua in alios quoque hostes catholicæ fidei munimina comparasti, **14** quia hostis noster, *cui mille nocendi artes* (*Virgil.* VII *Æneid.*, *v.* 334), tam variis expugnandus est telis, quam oppugnat insidiis; quæso promere mihi de armamentario tuo, et conferre non abnuas arma justitiæ. Sum enim laboriosus, etiam nunc sub magno (*c*) honore peccator; veteranus in numero peccatorum, sed æterno Regi novus incorporeæ tyro militiæ. Sapientiam mundi miser hucusque miratus sum, et per inutiles litteras reprobatamque prudentiam Deo stultus et mutus fui [b]. Postquam *inveteravi inter inimicos meos* [c], et evanui in cogitationibus meis, [d] *levavi oculos meos in montes* [e], ad præcepta Legis, et gratiæ dona suspiciens, *unde mihi auxilium venit a Domino*, qui non secundum iniquitates retribuens [f], illuminavit cæcum [g], solvit compeditum, humiliavit erectum male, ut erigeret humiliatum pie.

3. Sequor igitur non æquis adhuc passibus magna justorum vestigia, si possim orationibus vestris apprehendere, in quo Dei miserationibus apprehensus sum. Rege ergo parvulum in terra reptantem, et tuis gressibus ingredi doce. Nolo enim (*d*) me corporalis ortus magis quam spiritalis exortus ætate consideres: quippe ætas mihi secundum carnem ea jam est, qua fuit ille ab apostolis in porta Speciosa verbi potestate sanatus [h]; in natalibus autem animæ, illius adhuc mihi tempus infantiæ est, quæ intentatis Christo vulneribus immolata, digno sanguine Agni (*e*) victimam præcucurrit, et Dominicam auspicata est passionem. Atque ideo ut infantem adhuc verbo Dei et spiritali ætate lactentem educa, verbis tuis, uberibus fidei, (*f*) sapientiæ (*forte* spei), caritatis, inhiantem. Si officium commune consideras, frater es: si maturitatem ingenii tui et sensuum, pater mihi es: etsi forte sis ævo junior, quia te ad maturitatem meriti et (*g*) honorem seniorum provexit et juvenem cana prudentia. Fove igitur et corrobora me in sacris litteris et spiritalibus studiis, tempore, ut dixi, recentem; et ob hoc post longa discrimina, post multa naufragia, usu rudem, vixdum a fluctibus seculi emergentem, tu, qui jam solido littore constitisti, * tuto * excipe sinu, ut in portu * salutis, si dignum putas, pariter navigemus. Interea me de periculis vitæ istius et profundo peccatorum evadere nitentem, **15** orationibus tuis tanquam tabula sustine; ut de hoc mundo quasi de naufragio nudus evadam.

4. Idcirco enim levare * me sarcinis, et vestimentis onerantibus exuere curavi, ut undosum hoc, quod inter nos et Deum peccatis interlatrantibus separat, præsentis vitæ salum, omni amictu carnis, et cura diei sequentis [i], jubente et (*h*) juvante Christo, expeditus enatem. Neque id perfecisse me glorior: quod etsi gloriari possem, in Domino gloriarer [j], cujus est perficere, quod nobis adjacet velle [k]. Sed concupiscit adhuc anima mea desiderare judicia Domini [l]. Vide quando assequatur (*i*) effectu Dei voluntatem, qui adhuc ipsum desiderare desiderat. Quod in me tamen est, dilexi decorem domus sanctæ; et quantum in me fuit, elegeram abjectus esse in domo Domini [m]. Sed *cui placuit segregare me ab utero matris meæ* [n], et ab amicitia carnis et sanguinis ad gratiam suam trahere, eidem placuit inopem me omnis boni meriti suscitare de terra, et de lacu miseriarum, ac de luto fæcis educere, ut collocaret me cum principibus populi sui [o], et partem meam in tua sorte poneret, ut te præstante meritis, officio sociatus æquarer.

5. Præsumtione igitur non mea, sed placito et ordinatione Domini, fraternitatis tuæ mihi fœdus usurpans, tanto indignus honore me dignor, quia te pro tua sanctitate certo scio, nam veritate (*j*) sapis, non alta sapere, sed humilibus congruere [p]. Ideoque promte et intime recepturum spero caritatem humilitatis nostræ: quam quidem jam recepisse te per beatissimum sacerdotem Alypium, quia dignatur,

[a] Joan. IV, 14. [b] Rom. I, 22. [c] Psal. VI, 8. [d] Rom. I, 21. [e] Psal. CXX. 1. [f] Psal. CII, 10. [g] Psal. CXLV, 8. [h] Act. IV, 22, dicitur annorum amplius quam 40. [i] Matth. VI, 34. [j] II Cor. X, 17. [k] Rom. VII, 18. [l] Psal. CXVIII, 10. [m] Psal. XXV, 8; Ps. LXXXIII, 11. [n] Gal. I, 15. [o] Psal. CXII, 8. [p] Rom. XII, 16.

(*a*) Sic mss. 12 et edit. Bened. At editi cum mss. 2 Big., *vitæ*.

(*b*) Per hanc vocem Paulinus designat quinque libros S. Augustini contra Manichæos: quod patet ex ejusdem epist. n. 1, ex epist. 6. n. 2, et epist. 3 ad Alypium, n. 2.

(*c*) Ita mss. septem et edit. Bened. et Rosv. At mss. codices quatuor et tres editi, *onere*. Et quadrat, inquit Sacchinus, cum sententia Evangelii, *Qui laboratis et onerati estis*. Tamen et libri et sententiæ venustas suadet magis *honore*, quia se infra n. 5 presbyterum profitetur, et addit, *tanto indignus honore*.

(*d*) Sic mss., codices Vaticani, Big. duo, et edit. Bened. Editi, *in me ætatem*.

(*e*) Mss. 4 Vaticani, *victima*. Non displiceat, si et *digna* legatur.

(*f*) Ita in editis et mss. omnibus. Pronum fuit cum Sacchino emendare, *spei*, quod legendum ostendit tum res, tum epistola 27 S. Augustini, qua huic respondens, eademque verba usurpans n. 3, *spei* scribit.

(*g*) Sic mss. duo Vaticani et Bigotianus unus cum edit. Bened. At mss. novem, *honore seniorum*.

(*h*) Sic tres mss. codices Big. Editi, *adjuvante*.

(*i*) Ante erat in editis, *effectum Dei voluntatum*. Mss. duo, *effectum Dei voluntate*. Alii duo, *effectum Dei voluntatem*. Unus e Vaticanis, *effectu Dei voluntatem*. Hunc sequimur.

(*j*) Sic emendavimus ex mss. tribus Bigotianis et edit. Bened. Ante erat in editis, *veritatem*.

patrem nostrum, consilio. Is enim sine dubio de se tibi exemplum præbuit nos ante notitiam et supra meritum diligendi, qui incognitos sibi nos, et longinqua soli vel sali [a] intercapedine disparatos, spiritu veræ [7] dilectionis, qui ubique et penetrat, et effunditur, et videre diligendo potuit, et alloquendo pertingere. Hic nobis prima affectus sui documenta, et caritatis tuæ pignora in supradicto (*a*) digno munere librorum dedit. Et quanto studuit impendio, ut sanctitatem tuam non ipsius tantum verbis, sed plenius eloquentia et fide tua cognitam non possemus amare mediocriter, tantopere curasse eumdem credimus, ut nos vicissim ipsius imitatione plurimum diligas. Gratia Dei tecum, ut est, in æternum maneat, optamus, frater in Christo Domino unanime, venerabilis, desiderantissime. Totam **16** domum, et omnem comitem, et æmulatorem in Domino sanctitatis tuæ, plurimo fraternitatis unanimæ salutamus affectu. (*V.* not. 8) Panem unum, quem unanimitatis indicio misimus caritati tuæ, rogamus accipiendo benedicas.

EPISTOLA XXVII (Al. XXXII)

AUGUSTINI AD PAULINUM.

Augustinus Paulino, amplectens illius benevolentiam, et mutuum declarans amorem; nonnulla de Romaniano et Alypio, necnon de Licentio, cujus ætati metuebat, ne vergeret ad ea quæ sunt mundi.

(Vide hanc epistolam inter Augustinianas sub numero 27, tomo XXXIII nostræ Patrologiæ, col. 107.)

EPISTOLA * V.

20 ***Paulinus Severum laudat, et majore miraculo conversum ad Deum ostendit. Deinde hortatur ut ad se veniat, mittitque panem ac buxeam scutellam, mutuum amicitiæ symbolum.***

SEVERO fratri PAULINUS (*b*).

1. Et excusandum putasti, frater dilectissime, quod ad nos non ipse venisses, secundum sponsionem tuam, exspectationemque nostram? Tu vero potiore tui parte (*c*) quam manseris, solo corpore domi residens, voluntate ad nos, et spiritu et sermone, venisti: quamquam ne corporaliter quidem penitus abfueris, quando in pueris tuis sancta in Domino tibi servitute connexis, corporis ad nos tui membra venerunt. Quamobrem, frater vere sancte, merito dilectissime, et in Christo nobis unanime, *tibi reposita jam in cœlis est corona* pietatis, *quam justus Judex reddet in illa die* [a] tibi, et omnibus juxta te, caritate

A perfecta proximum in Christo, vel Christum in proximo diligentibus. Spiritualia [1] enim carnalibus intuentes, facile colligimus ex dilectione perspicua, quam fratri, quem vides, exhibes, cœlestem illam, fidelem, atque perfectam, qua Deum, quem non vides, diligis. Quod probamus obedientia fidei, si scilicet invicem diligendo [b], probemus nos, sicut tu probas, illius magistri esse discipulos, qui *usque ad finem dilexit suos, et animam suam* [2] *pro amicis suis posuit* [c] potestate eadem qua et sumsit.

2. Ergo tibi, frater vere sanctissime, et merito benedicte, in regione vivorum supra reginam Austri locus et merces erit [d]. Illa enim peccatrix, utpote adhuc invisitatarum (*d*) a Deo gentium socia, jam tamen visitandarum prævia, non habens legem lit-
B teræ, *sed* habens fidem legis *in tabulis cordis carnalibus* spiritu consilii et pietatis incisam, utilitatis suæ causa, et magni ac salutaris lucri studio, tantis ab intervallis ultimi orbis excita, divinam audire sapientiam concupivit; ut, quod non habebat, acciperet, et lucem scientiæ, qua carebat, hauriret. Jam tunc scilicet sponsum suum ventura de gentibus regina desiderans, in odorem spirantis late a Propheta suo Christi *circumamicta varietate in vestitu deaurato*, et populi et paternæ domus oblita, currebat: barbara natione, non animo; et in aperto peregrina, sed in occulto Judæa, sanctorum fieri civis optabat. Unde non solum **21** cœlesti præmio resurrectionis beatæ, sed etiam potestate apostolorum de Judæis adulteris judicandi, ipsius ore Judicis digna censetur: quia
C Christum in (*e*) Solomone mirata [e], verum reginæ cœlestis affectum in imagine mystica Ecclesiæ providentis impleverat. Ergo si illam in futuro divina remuneratio manet, cum tamen et ipsa istic illo quoque tempore magna ex parte receperit mercedem suam (*f*) compotita desideratum sapientiæ cœlestis auditum; quæ tandem præmia rependentur tibi, qui me pari gratia, et majore opera, quia minore utilitatis ad præsens tuæ spe, desiderasti? Quid enim, quæso, in me desiderandum habuisti? Quid, quod non haberes, a me sumendum sperasti? Quod bonum tibi de colloquio imperiti? quæ utilitas in aspectu peccatoris foret? quid ab insipiente sapiens, rectus a pravo, beatus a misero, ab infirmo fortis, ab (*g*) inope dives in Domino capere potuisti?

D 3. Vere tu non quæ tua sunt quæris, sed quæ Christi [f]: quia non meritum, nec emolumentum ex me tuum, sed solam illam, quæ plenitudo est Evan-

[a] II Tim. IV, 8. [b] I Petr. I, 8. [c] Johan. XIII, 1, et X, 15. [d] III Reg. X, 1; II Par. IX, 1; Matth. XII, 42; Luc. XI, 31. [e] Matth. XII, 42. [f] Philip. II, 4.

* Alias 1; quæ autem erat 5, nunc 11. Scripta anno 395.

(*a*) Hanc vocem addidimus ex mss. duobus Big. et edit. Bened.

(*b*) Ms. Vien. addit. et *Therasia peccatores.*

(*c*) Ms. Vien., *qua manseris.* Fortasse melius, *quam qua manseris.*

(*d*) Abest a ms. Reg. et edit. Bad. et Schot., *a Deo.*

(*e*) *Solomone.* Ita ms. Reg. et edit. Bad., Grav., Grin. et Schot. et alibi. Sic etiam legitur in textu Græco Σολομών, et ubique ita locutus est Paulinus; similiter et Prudentius Hamartigen. vers. 576 et 579, Psychomach. vers. 809, in Diptycho, n. 2 et 46; Gregorius Nazianzenus in carminibus non semel, et Drepanius Florus carm. ad Moduinum.

(*f*) Ms. Reg., *cum potita.* Edit. Schot. in margine, *cum potita est desiderare.*

(*g*) Ita ms. Vien. Ante erat, *inopi.*

gelii [a], caritatem, vel in tuæ peregrinationis cogitatu, vel in vexatione tuorum causam habuisti. *Beatus es, quod non habeo unde retribuam tibi: retribuetur autem tibi in resurrectione justorum* [b] ab eo, qui et in minimis suis se diligi testatur et recipi [c]. Unde et illud ait (pro quolibet nominis sui vel falso aut inutili servo, verbis suis debitorem se faciens): *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.* Mihi scilicet non decessura ob hoc sarcina mea, licet a justo honorem justi peccator accipiam: tibi vero (*a*) in remunerationem boni accepto ferenda ipsa opinionis tuæ justitia; quia sancto errore, sed vero pietatis affectu, bonum Dominum honoraveris et in malo servo.

4. Quid igitur miseri faciemus, hinc etiam rationem et pœnam debituri, quod honores accipiamus B immeritos: et qui auditores tantum legis sumus, a factoribus prædicemur [d]? Quo magis scilicet exprobretur nobis condemnandæ torpor ignaviæ, sterilium jejunitas animarum, et in operibus bonis aridæ manus [e]; cum audiendo per sermonem tuum vera dignis, ut tu es, Christi servis, atque ideo nobis falsa præconia, **22** quanto debito constringamur agnoscimus: quando judicium tuum nostris actibus conferentes, quæ de nobis audimus, non inveniamus in nobis. Quid enim simile gloriari possumus? etsi in Domino gloriandum sit, quia nihil nisi ejus munere acceptum habemus: attamen mihi ætas provectior, et a primis jam annis honorata persona potuit maturare gravitatem, præterea corpus (*b*) infirmius, et decoctior caro obterere studia voluptatum, (*c*) ad hoc C vita ipsa mortalis in laboribus et ærumnis frequenter exercita, odium rerum inquietantium parere, et de spei necessitate ac dubiorum metu, cultum religionis augere. (*d*) Postea denique ut a calumniis et peregrinationibus requiem capere visus sum, nec rebus publicis occupatus, et a fori strepitu remotus, ruris otium, et Ecclesiæ cultum placita in secretis domesticis tranquillitate celebravi: ut paulatim subducto a secularibus turbis animo, præceptisque cœlestibus accommodato, proclivius ad contemtum mundi, comitatumque Christi, jam quasi de finitima huic proposito via (*e*) demigraverim.

5. Tu frater dilectissime, ad Dominum miraculo majore conversus es, quia ætate florentior, laudibus abundantior, oneribus patrimonii levior, substantia D

A facultatum non egentior, et in ipso adhuc mundi theatro, id est, fori celebritate diversans, et facundi nominis palmam tenens; repentino impetu discussisti servile peccati jugum, et letalia carnis et sanguinis (*f*) vincla rupisti [f]. Neque te divitiæ de matrimonio familiæ consularis aggestæ, neque post conjugium peccandi licentia, et cælebs (*g*) juventas ab angusto salutis introitu, et arduo itinere virtutis in mollem illam et spatiosam multorum viam revocare potuerunt [g]. *Beatus, qui refugisti de consilio* [a] *impiorum, et in via peccatorum persistere noluisti, et sedere in cathedra pestilentiæ* dedignatus es, ut humilitate præcelsa pedibus Crucifixi accubares.

6. Tu (*h*) ergo verus factor legis, et Evangelii non surdus auditor [h], qui corpus et mundum configens cruci, delicias juventutis, et vitæ præsentis mala gaudia pro venenis et luctibus aversatus es, respuens patrimoniorum onera ceu stercorum: merito **23** socrum (*V.* not. 9. Intelligit Bassulam) sanctam omni liberaliorem parente in matrem sortitus æternam, quia cœlestem Patrem anteverteras terreno parenti; exemplo apostolorum, (*i*) relicto patre in navicula fluctuante, scilicet in hujus vitæ incerto cum retibus rerum suarum, et implicatione patrimonii derelicto, Christum secutus [i]. Nec minoris domesticis opibus ingenii facultatis laudem ab hominibus non accipiens, et inanis gloriæ (*j*) sublimiter negligens, piscatorum prædicationes Tullianis omnibus e tuis litteris prætulisti. Confugisti ad pietatis silentium, ut evaderes iniquitatis tumultum. Mutescere voluisti mortalibus, ut ore puro divina loquereris; et pollutam canina facundia linguam, Christi laudibus, et commemoratione ipsa pii nominis expiares.

7. O vere (*V.* not. 10) Israelita, qui Deum Jacob tam fida mente vidisti [j]: et tamquam (*k*) ipsius Domini colluctatione firmatus [k], prævaluisti *adversus principem hujus mundi, et spiritalia nequitiæ in cœlestibus* [l] debellasti scuto fidei, armisque justitiæ: præoptans Christo placere, quam hominibus [m]: hominibus stultus esse, quam Deo: omni facundiæ, omnique sapientiæ hujus mundi prætulisti scandalum crucis; ut quod *pereuntibus stultitia est* [n], tu in partem salutis adscitus, ut omnibus *salvis* futuris patescit, *virtutem et sapientiam Dei esse* cognosceres. *Beatus es*, frater, *quia non caro et sanguis revelavit tibi hæc, sed Pater qui in cœlis est* [o], per Dominum

[a] Rom. XIII, 10. [b] Luc. XIV, 14. [c] Matth. XXV, 40. [d] Rom. II, 13; Jac. I, 22. [e] Luc. VI, 6. [f] Ps. CXV, 17. [g] Matth. VII, 13. [h] Jac. I, 22. [i] Matth. IV, 22; Marc. I, 20; Luc. V, 11. [j] Johan. I, 47. [k] Genes. XXXII, 24. [l] Eph. VI, 2. [m] Gal. I, 10. [n] I Cor. I, 18. [o] Matth. XVI, 17.

(*a*) Ms. Vien., *in remuneratione boni accepta.*
(*b*) Ms. Vien., *infirmum.*
(*c*) Ita mss. Reg. et Vien. et editi 4. Edit. Rosv. *ad hæc.*
(*d*) Sic ms. Reg. et edit. Bad. et Grav. Ante erat, *potest. Denique.*
(*e*) Ms. Reg., *demicaverim.* Editi tres, *dimicaverim.*
(*f*) Ita mss. codices. Editi, *vincula.*
(*g*) Sic *juventas* pro *juventus* dixit Prudentius lib. 2 contra Symmachum vers. 1082. . . . *quibus est famulata juventas.* De qua voce vide N. Heinsium ad Maronem et Claudianum. Ms. Vien. et edit. Grin. et Schot., *juventa.*
(*h*) Ms. Vien., *Tu vere verus.*
(*i*) Deest *relicto* in edit. Schot.
(*j*) Ms. Vien. addit *cupiditatem*, sed perperam; sic enim loqui amat Paulinus in epistola 38 ad Aprum, n. 11, *tui diligentem*; in epist. 39, n. 1, *nostri diligentior*, et n. 3, *sui deligens.*
(*k*) Sic mss. Reg. et Vien. et editi Grin. et Schot. Alii, *vir.*

nostrum Jesum Christum, qui convertit *sapientiam eorum, et stultam fecit; et elegit infirma ac stulta mundi, ut* mundum istum his ipsis, propter quæ Deum dedignatur (*a*) nosse, *confundat* [a]. Memento ergo tu nostri magis [*], qui locupletioribus meritis ad exorandi potentiam niteris. Nos enim licet jam accensa in lumine Christi lucerna, tamen adhuc sub modio peccatorum latentes, vestra, qui tam fidei et gratiæ, quam operum luce conspicui per (*V.* not. 11) septena Domini candelabra fulgetis [b], (*b*) educi manu, vestroque oleo impinguari caput cupimus; ut non fumigante (*V.* not. 2) lino, quod nec ipsum tamen misericors Dominus exstinguit, obscuri ardeamus, sed puro, et ceteris etiam præferendo fidelis exempli lumine luceamus [c]: quamquam Domini gratia de * tenebris relucente, non obscuri per nominis ipsius claritatem [d], etsi remoti, ut audistis, agamus. In cœnaculo enim nostro secreti silemus, quia *bonum est viro*, ut propheta **24** (*c*) ait, *sedere singulariter, et tacere* [e]. Unde etiam in causis vociferandis silere nos docuit ipse Dominus, qui *sicut agnus coram tondente se * non aperuit os suum* [f]; qui tamen dixit; (*d*) *Tacui, numquid semper tacebo* [g]? Ipsius ergo voluntatem et judicium taciti sustinemus, qui potens est et nunc in nobis tacere, et cum voluerit, interpellare pro nobis [h].

8. Verum interim in hoc nobis nostra nocuisse peccata persensimus, quod nec meruimus te videre: et insuper hoc ad mala nostra cumulatum putamus quod et tentationum tibi causa fuerimus; quibus [*] geminas, ut indicasti, ægritudines pertulisti, (*e*) toties verberatus, quoties ad nos venire conatus es. Sed quia sæpe Dominus ipse, ut scriptum est, *Deus noster tentat nos, ut caritatem nostram probet* [i], qua nos in ipsius pace diligimus; de tua potius fide, quam de nostra speramus; ut si præmissa tentatio probationem in te operata est [j], non ultra valeat probata in Deo (*f*) caritatis vota frustrari. Ita enim tibi promptum inesse spiritum scimus, ut non vereamur, ne ad impedimentum communis desiderii caro semper infirma prævaleat, quam fide roborans, animo subjugabis: ut quod ex se non potest, in Christo posse cogatur. Si dicas ei: Ne pugnes adversus spiritum, *esto consentiens adversario tuo in via* [k], *et erit pax ossibus tuis*, et cum *exsultaverit cor meum in Deum vivum*, tunc etiam *caro mea requiescet in spe* [l].

9. *Tene* ergo, frater, *quod tenes, ne coronam tuam* A *accipiat alter* [m]. Cui simile est, ut quod volueras, velle non desinas, et immutabilem ad nos veniendi sententiam teneas. Religiosa conamina ipse ad voti fructum pervehet, in cujus potestate est ac favore, ut possimus prospere, quod pie volumus. Scimus enim, quia desideranti bonum, omnia procedunt in bonum [n] (*V.* ep. 47, n. 1). Verum et nos, quod quidem nobis gratissimum signum concordiæ in omnibus nostræ fuit, infirmitatum tuarum indices litteras ægrotantes accepimus; probavimusque in nobis secundum Apostoli dictum et affectum, compati sibi unius corporis membra [o]. Nam et eo ipso nos refectos sensimus, quod revaluisse te scripseras; ut in diversis licet terris positi, operantis in nobis spiritus unitatem tacita in corporibus separatis connexione, B paribus aut incommodis, aut remediis congruentes experiremur.

25 10. Pone (*id est* Depone. *V.* carm. 14, v. 81) igitur et tu, frater unanime, meliorque in Christo nostri portio, si quam ex nostræ castigationis indicio tristitiam pia mente duxeris: *Quia castigans castigavit nos Dominus, et morti non tradidit nos* [p]. Visitati enim medica Omnipotentis manu, in spem sanitatis a præsenti ægritudine fovebamur: flagella invicem nostra mutuis consolationibus mollientes. Nam solatium nobis magnum et dulce præbebat ipsa conjunctio passionis; quod non sine Domini numine, cujus injussu nec passeris casus in terram est [q], concurrisse in nobis ipsa unitas verberum videbatur. Sic et commoditas cœperat ambobus una procedere: seu quod C alter alterius levamine respirabat, sive quod Dominus unitatis operator, individuo spiritu omnes suos nectens, neque * carnalem in nobis substantiam discrepare pateretur.

11. Non hæc tamen tantum causa pueros nostros morata est. Nam Vigilantius quoque noster in Campania, et antequam ad nos perveniret, et posteaquam pervenit, vi febrium laboravit: et ægritudini nostræ, quia et ipse sociale membrum erat, (*g*) socio labore compassus est. Denique ille catechumenus, qui necdum nostri corporis erat membrum, vulnera nostra non sensit, et sanus fuit, atque expers languorum nostrorum, quia non suæ compaginis dolorem caro adhuc aliena sentire non poterat. Ergo ut cœpit Vigilantius noster progredi posse, tum demum censui D scripta esse reddenda. Fatemur enim, ambos multo ante properasse: sed cum ante virium receptionem

[a] I Cor. I, 27. [b] Apoc. I, 20. [c] Matth. VI, 22. [d] Isai. XLII, 3. [e] Thren. III, 28, juxta LXX. [f] Isa. LIII, 7. [g] Isai. XLII, 14, sec. LXX. [h] Rom. VIII, 34. [i] Deut. XIII, 3. [j] Rom. V, 4. [k] Matth. V, 25. [l] Psal. XXXVII, 4, et LXXXIII, 3, et XV, 9. [m] Apoc. III, 11. [n] Rom. VIII, 28. [o] I Cor. XII, 26. [p] Psal. CXVII, 18. [q] Matth. X, 29.

(*a*) Ita iidem mss. et editi codices. Ceteri, *noscere*.
(*b*) Sic mss. Editi, *deduci*.
(*c*) Ita ms. Vien. et edit. Schot. Alii, *tacens*, nullo sensu.
(*d*) Sic LXX interpretes, Tertullianus lib. de Pudicitia paulo post initium, Cyprianus lib. II Testimon., cap. 27 et Paulinus noster epist. 38 ad Aprum, n. 4.
(*e*) Mss. et editi vetustiores constanter habent *totiens*, *quotiens*: quod semel observasse sufficiat.
(*f*) Ita ms. Vat. et edit. Grin. Alii, *ideo*.
(*g*) Sic ms. codex Vatic., ed. Schot. et edit. Grin. in marg. ms. Reg. proxime accedit, *solacio*. Alii *solativo*, minus bene. Lectio hic restituta confirmatur ex sequentibus, *post ægritudinem communi labore toleratam*, n. 12, et ex epist. 2 ad Amandum, n. 3, *ut sociali invicem membro nobis collaboremus*; et ep. 13, n. 3, *socialia membra, et commune membrum*.

temere festinaret, qui non poterat; (*a*) impie, qui valebat (*V.* not. 13); ambos, quia non poteramus volentes consilio, retinuimus invitos silentio.

12. Itaque, ut supra scripsimus, post ægritudinem communi labore toleratam, orationibus sanctorum atque carorum, parte etiam, ut credimus, maxima tuis, respiciente clementius Domino, recreati, adhuc tamen exhaustis corporibus [9] infirmi. In quo quidem nos gloriari Apostolus docet, quem potentem, ut prædicat, faciebat infirmitas [a]; quia scilicet caro [b], quæ adversus spiritum militat, cum adversa valetudine frangitur, pariter, infractis viribus, spiritalem non valeat expugnare virtutem. Carne igitur infirmi ad profectum spiritus, qui damno **26** carnis exsultat, et tamquam inimicæ materiæ tribulatione lætatur, atque infirmatione domiti corporis convalescit, sana et valida caritate, quam erga te per Dominum Jesum magnam habemus, dedimus has litteras in solatium tui, ut nos interim teneamus tuas : donec te ipsum, ut spopondisti, et quod numquam desinimus a Domino sperare, videamus.

13. Multa sunt, quæ ad nos invitare te, et de patria parumper debeant sevocare; præ ceteris amor pacis, et zeli fuga, qui maxime conspectu aut vicinia æmulæ conversationis accenditur. Denique a nobis Romæ (*V.* not. 14) zelotyporum incendia clericorum longinquitas Urbis exstinguit, et omnis illic iniquitas obstruit os suum [c] : quia per absentiam inde nostram quasi subducto fomite, segnis odiorum flamma frigescit; nec in vocem audet erumpere, licet dentibus (*b*) frendat invidia, dum iniquitatis suæ conscia ipsa se erubescit, nec in promptu habet ubi faces lividæ mentis accendat. *Pax* tamen *Dei, quæ præcellit omnem sensum, abundat in cordibus* [d] plurimorum, et opus Dei Salvatoris in nobis Campania tota veneratur. Romæ quoque pauci etiam in clero ipso, a quo solo videmur scandalizari, morsu invidiæ commoventur. Sed Domino gratias, qui et mihi miserrimo peccatori suo dedit dicere : *Quoniam oderunt me gratis* [e]. Quod [10] tamen ad me pertinet, *cum ipsis* quoque, *qui oderunt pacem* (*c*) meam [11], mente *pacificus sum* [f]. *Si quis enim vult contentiosus esse, hoc nostra consuetudo non recipit* [g]. Horum tamen ipsorum, qui nos odisse, et a consortio sanctitatis suæ segregare dicuntur, vix ad nos tenuis fama perlabitur, et ab auribus nostris spinarum sepe munitis [h], ut aura frigida, vel importunum vacui culicis murmur excluditur.

14. Sed plenius indicare poterunt conservi nostri, A pueri tui, quantum nobis gratiæ dominicæ detrimentum faciat (*d*) Urbici papæ superba discretio : qui paucis ipsis diebus, quibus interfuere, viderunt quam assidua nos, quam sedula sollicitorum fratrum monachorum, antistitum, clericorum, atque etiam ipsorum sæpe secularium officia, toto illo (*e*) nostræ ægritudinis tempore celebraverint. Quod apud unanimitatem tuam, de dominica tamen gratia, cujus hoc quoque opus et munus est, gloria licet, **27** nemo propemodum tota Campania episcoporum non visitare nos fas existimavit sibi. Et quos infirmitas vel necessitas aliqua devinxerat, missis vice sua [12] clericis et litteris adfuerunt (*V.* not. 15). Afri quoque ad nos episcopi revisendos prima æstate miserunt. Quod cum ita sit, vides quantopere ad humilitatem nostram fe- B stinare debeas, ut et paululum occasionem auferas quærentibus occasionem, et pro gratiæ vel caritatis augmento (*f*) peregrineris a patria dum adhuc hospes corporis peregrinaris a Christo [i], quia Veritas ipsa testatur *neminem prophetam acceptum esse in patria sua* [j].

15. Fateor autem, licet mihi nihil præsentia tua gratius dari possit, accensum esse desiderium meum flagrantius in præsentiam tuam, quod multos fratres spiritales tecum nobis adfore spopondisti. Eritne quæso tempus illud, et illucescet ille aliquando dies, quo fraternitatem tuam comite electorum Dei cohorte venientem, in gremio jam communis (*V.* not. 16 et 17) patroni [13] Dominædii mei Felicis excipiam; et, quod nunc ipsius orationibus impetrari rogo [14], id C impetratum coram, apud ipsum pariter in Domino gratulemur? cum ego vos simul et vicissim complexus omnes, merito dicam concinentibus vobis : *Hæc* plane *dies, quam fecit Dominus; exsultemus et lætemur in ea* [k] : quia *bonum et* (*g*) *jucundum habitare fratres in unum* [l]. Tum ego te non in monasterio tantum vicini Martyris inquilinum, sed etiam in horto ejusdem colonum locabo, sed gratis; quia jam a patrefamilias accepisti denarium tuum [m] : præter illos, quos idem Dominus (*h*) jam pro vulneribus tuis largus stabulario dedit [n], ut curatus oleo misericordiæ, et vino gratiæ, utilius ad dominicam vineam integrato corpore locareris.

16. Videre ergo jam mihi videor hortulum meum adventantibus tecum Domini mercenariis, et coope- D rantibus cultiorem. Neque enim difficile existimari [15], quam facile (*V.* ep. 49. n. 2) depleturi [16] sint levioris culturæ laborem, quos in vineam suam Christus ele-

[a] II Cor. XII, 10. [b] Gal. V, 17. [c] Psal. CVI, 42. [d] Philip. IV, 7. [e] Psal. XXXIV, 19. [f] Psal. CXIX, 7. [g] I Cor. XI, 16. [h] Eccli. XXVIII, 28. [i] II Cor. V, 6. [j] Luc. IV, 24. [k] Psal. CXVII, 24. [l] Psal. CXXXII, 1. [m] Matth. XX, 9. [n] Luc. X, 35.

(*a*) Ita mss. Belgic. et Reg. Vide not. 13.

(*b*) Sic mss. Reg. et Vien. et editi 4. Sic *frendit* apud Prudentium lib. Peristephanωn, hymno 5 de S. Vincentio martyre, vers. 393. Eadem quoque voce usus est Plautus. Edit. Rosv., *frendeat*.

(*c*) Deest *meam*, in ms. Vien.

(*d*) Cognomen est inditum ab urbe Roma. Hinc Zephyrinus *Urbicus papa* dicitur ab Optato lib. I; uti et in concilio Arelat. de diaconis *Urbicis* agitur, id est Romanis.

(*e*) Ita ms. Vien. Alii codices, *nostro*.

(*f*) Ms. Vatic., *peregrinari*, sublata particula *et*, quæ etiam abest a ms. Reg. et edd. Bad. et Schot., quod commodum sensum reddit.

(*g*) Mss. codices et vetustiores editi constanter habent *jocundum*.

(*h*) Sic mss. Reg. et Vien. Alii codices, *tam*.

git [a]; et otiosos Deo, in vano hujus seculi foro stare non passus est. Jam et domestica mihi post osculum sanctum gaudia mente et cogitatione propono, cum inebriante spiritu caritatis sobriam misceamus per pocula casta lætitiam; *nec in fermento nequitiæ, sed in* **28** *azymis sinceritatis* [b] pia festa celebremus, *psallentes Domino in hymnis et canticis spiritualibus, cantantes linguis et cordibus Deo*, omne *quodcumque agimus in verbo vel in facto, in nomine Jesu Christi, gratias agentes Deo Patri, per ipsum*. [c] *Qui facit unius moris habitare in domo* [d], ut spero, nos faciet inter nos in semetipso habitare. *Qui fecit* (*a*) *utrumque unum* [e], et exaltatus omnia traxit ad se [f], qui humiliatus ipse pacificaverat omnia [g], reconcilians mundum Deo, cum repleverit gaudio os nostrum præsentia vestræ unanimitatis, dicemus: *Magnificavit Dominus facere nobiscum* [h]: et in abundantia lætitiæ nostræ *benedicemus vos de domo Domini*, quia *benedicti vos Domino, qui venistis in nomine Domini. Calicem salutaris accipiatis* [i], *et edatis panem beatorum in regno Dei* [j]; vos enim estis coram Domino Jesu satietas nostra et gaudium.

17. Aude igitur erumpere non tuis opibus et viribus, sed fretus et nixus [17] in Christo: quia *virga ejus et baculus ipsius nos consolatur* [k], et sustinet, et gubernat. Qui portat ægrimonias nostras, et infirmitates nostras suscepit [18] [l], dat lasso virtutem, confortat genua debilia [m], ipse *statuet et immaculatam* et inoffensam *viam tuam; præcinget te virtute, et perficiet pedes tuos tamquam* (*b*) *cervi, ut exsultes sicut gigas ad currendam viam* [n], ne [19] impedire te possit trepidæ carnis infirmitas: qui non (*c*) in carne, sed in spiritu incedis. Servientes enim Christo corporis servitio [o], animi imperio magis utimur. Atque ideo voluntatem nostram Christo autore directam caro jussa comitatur, trahitque corpus ab animi fortitudine firmitatem: et ad domini habitum famulus componit obsequium. Atque ita *virtus in infirmitate perficitur* [p], dum anima consensu carnis edomitæ Deo serviens, per infirmitatis ministerium implet officia virtutis.

18. *Intende* igitur, et *prospere procede, et deducet te mirabiliter dextera Dei. Misericordia ejus* et gratia *præibunt faciem tuam* [q]: et si infirmus domo prodeas, robur acquires eundo. *Sperantes enim in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ* [r].

A Si ergo habeas cor ardens in via [s], *renovabitur sicut aquilæ juventus tua* [t]. *Curres, et non* (*d*) *lassabis: ambulabis, et non deficies* [u]: non te virga, non pera, non sacculus prægravabit: **29** non calciamenta, nec duplex vestis impediet [v]; sed exuto carnalibus vinculis, ut in terra sancta liceat [20] stare, vestigio, [21] lumbisque præcinctis [x], nullo ære, gravi zona, festinanter, ut Pascha Domini, et opus Christi in tempore collecto gerendum est, viam tuam curres: *prosperum iter faciet Deus salutarium nostrorum* [y]: *omnis* tibi *vallis* (*e*) *implebitur, et omnis collis humiliabitur: ut fiant aspera* iniquitatum *in vias planas* [z], *ne usquam* itineris *offendas pedem tuum* [aa]: *quia angelis suis mandavit* [22], *ut custodiant te in omnibus viis tuis* [bb]: et ipse *Dominus protectio tua* scuto pacis suæ circumibit [23]

B te, præluceus tibi in lumine vultus sui [cc], et prætendens in umbra alarum suarum [dd]: ut *per diem sol non urat te, neque luna per noctem* [ee]. Ubique loci [24] custodiet atque benedicet introitus et exitus tuos, ut in omni loco filium pacis invenias, et super omnem hospitem pax tua veniat [ff].

19. Quod si forte proficiscens, cogitata carorum hominum, vel assuetorum locorum divulsione lacrymaveris, temporalis tristitia tua in æternam lætitiam convertetur. *Euntes*, inquit, *ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum* [25] *exsultatione portantes manipulos suos* [gg]. Ita tu, etsi veniendo fleveris, redeundo gaudebis, et in gaudio metes, quæ in lacrymis seminaveris. *Gratia Domini Jesu* [26] *Christi, et caritas Dei Patris, et communicatio Spiritus sancti* [hh]

C cum tota domo tua non manufacta: quia *vos estis templum Dei vivum, ædificatum in fundamentis apostolorum in Christo* [ii] Deo, mihi unanime, venerabilis, dilectissime, et desiderantissime. Sanctam (Bassulam innuit) parentem nostram, matrem in Christo coheredem tuam veneratione, qua digna est, salutari peto. Conserva in Domino (Therasiam dicit) mea fraternitatem tuam, quo veneratur affectu, salutat. Et vos a nobis omnem sanctam fraternitatem, qualem agere vobiscum certi sumus, multo obsequio salutate. Salutant vos omnes, qui in Domino nobiscum sunt: ut ex Hebræis Proforus, et Restitutus amans Dominum, et te in Christo compertum diligens, et multum desiderans.

D 20. In epistolæ titulo imitari præstantem in omni-

[a] Matth. xx, 4. [b] I Cor. v, 8. [c] Eph. v, 19; Col. III, 16, 17; I Cor. x, 31. [d] Psal. LXVII, 7. [e] Eph. II, 14. [f] Joan. XII, 32. [g] Col. I, 20. [h] Psal. CXXV, 3. [i] Psal. CXVII, 26 et CXV, 13, 15. [j] Luc. XIV, 15. [k] Psal. XXII, 4. [l] Isai. LIII, 4. [m] Isai. XXXV, 3. [n] Psal. XVII, 33, et XVIII, 6. [o] Rom. VIII, 9. [p] II Cor. XII, 9. [q] Psal. XLIV, 5, et LXXXVIII, 15. [r] Isai. XL, 31. [s] Luc. XXIV, 32. [t] Psal. CII, 5. [u] Isai. XL, 31. [v] Matth. X, 10. [x] Exod. XII, 11. [y] Psal. LXVII, 20. [z] Isa., XL, 4; Luc. III, 4. [aa] Psal. XC, 11 et 12. [bb] Psal. CXX, 5. [cc] Psal. LXXXVIII, 16. [dd] Psal. XVI, 8. [ee] Psal. CXX, 6. [ff] Luc. X, 6. [gg] Psal. CXXV, 6. [hh] II Cor. XIII, 13. [ii] I Cor. III, 16, et VI, 19; Eph. II, 20.

(*a*) Ita et alibi Paulinus. Vulgata, *utraque*

(*b*) Eodem modo Paulinus in epistola 13 ad Pammachium, n. 23. Sic libri Græci, LXX interpretes, Augustinus in commentario super psalmos; Psalteria vetus et Romanum.

(*c*) Ita ms. Vatic. Alii codd. carent præpositione *in*, quam ideo restituimus, quia reperitur apud Paulum: et præterea consimili locutione hæc lectio confirmatur ex mss. duobus Bigotianis in epist. 50 Paulini ad Augustinum, n. 3, ubi legitur *quia non in carne, sed in spiritu ambulat*.

(*d*) Sic ms. Regius. Alii codices, *lassaberis*. Verum lectio hic restituta confirmatur ex carm. 32, vers. 118.

(*e*) Ita LXX interpretes. Vulgata *exaltabitur*.

bus mihi fraternitatem tuam timui : quia tutius credidi vere scribere. Cave ergo posthac servus Christi in libertatem vocatus, hominis et fratris et conservi inferioris servum te scribere : quia peccatum adulationis est magis, quam humilitatis justificatio, honorem uni Domino, uni magistro super terram, uni Deo debitum, homini cuilibet, ne dicam miserrimo peccatori, deferre. Sufficit *caritas* **30** *de corde puro, et fide non ficta* [a] *: quod autem abundantius est, a malo est* [b]. Obsecro te frater per Dominum, ut præsumtionem de te meam spiritu revelationis (*forte* relevationis) inspicias; alioquin et offensam tuam possum vereri de epistola tam loquaci : sed apud caritatem, quæ *omnia sustinet* [c], ex eo ipso gratia debet augeri, quo fastidium comparari solet, ubi nulla caritas tædium temperat. In dictando enim dum te cogito, et totus in te sum, quasi apud præsentem longo intervallo loquar [27], obliviscor impositum finire sermonem.

21. Panem Campanum de cellula (*V.* not. 18) nostra tibi pro [28] eulogia misimus, tantum meritis in Domino tuis freti, ut plena ad te perferendum sui gratia crederemus : tu licet uberioribus micis a Domini mensa jam saturatus sis, dignare et a peccatoribus acceptum in nomine Domini panem in eulogiam vertere. Ac ne panis siligineus tibi modum nostræ humilitatis excedere videretur, misimus testimonialem [29] divitiarum nostrarum scutellam buxeam; ut (*a*) apophoretum (*V.* not. 19) voti spiritalis accipies [30], habiturus exemplo, si necdum simili argento uteris. Quod si nigellatum (*V.* not. 20) habes, mitte nobis per ea vascula, quæ pueris (*b*) tuis, filiis nostris, demandavimus. Amamus enim vasa fictilia, quia et secundum Adam cognata nobis sunt, et Domini thesaurum in talibus vasis commissum habemus [d].

22. Præterea peto, quia summum animi tui jus habere me confido; ut si necesse fuerit, deficientibus a me et libertis, et servis, et fratribus, tuam curam impendas, et ordinare digneris [31], qualiter ad nos vinum vetus, quod Narbone adhuc nos habere credimus, pervehatur. Ne timeas, frater sancte, damnum, si nos feceris etiam pecuniæ debitores. *Omnes* enim nostri a nobis *declinaverunt, simul impii facti sunt* [e], *et inimici hominis domestici ejus* [f].

EPISTOLA [*] VI.

Augustino, non accepto ab eo responso, denuo per alios scribit Paulinus.

Domino sancto fratri et unanimo AUGUSTINO, PAULINUS et THERASIA peccatores.

1. Jamdudum frater in Christo Domino, mi unanime, ut te in sanctis et piis laboribus tuis nescientem agnovi, absentemque vidi, tota mente complexus, alloquio quoque familiari atque fraterno per litteras (*c*) adire properavi. Et credo **31** in manu et in gratia Domini sermonem meum ad te fuisse perlatum : sed morante adhuc puero, quem ad te aliosque dilectos æque Deo salutandos ante hiemem (*Sub finem anni* 394) miseramus, non potuimus ultra et officium nostrum suspendere, et desiderium sermonis tui cupidissimum temperare. Scripsimus itaque iterato nunc si priores ad te litteræ nostræ pervenire meruerunt; aut primo, si illis in manus tuas perveniendi felicitas non fuit.

2. Sed tu, frater (*d*), *spiritalis omnia judicans* [g] amorem in te nostrum ne pendas officio solo, aut tempore litterarum. Dominus enim testis est, qui *unus atque idem operatur* [h] in suis ubique caritatem suam, jam abinde nobis, ex quo te beneficio venerabilium episcoporum Aurelii et Alypii, per tua in Manichæos opera cognovimus, ita inditam dilectionem tuam, ut nobis non novam aliquam amicitiam [1] sumere, sed quasi veterem caritatem resumere videremur. Denique nunc etsi sermone, non tamen tamquam et affectu rudes scribimus, teque vicissim spiritu per interiorem hominem quasi recognoscimus. Nec mirum si et absentes adsumus nobis, et ignoti nosmet novimus, cum unius corporis membra simus [i], unum habeamus caput, una perfundamur gratia, uno (*V.* not. 21) pane vivamus, una incedamus via, eadem habitemus domo. Denique in omne quod sumus, tota spe, ac fide qua stamus in præsenti, nitimur in futurum : tam in spiritu quam in corpore Domini unum sumus, ne simus nihil, si ab uno excidamus.

3. Quantulum ergo est, quod absentia corporalis nobis invidet nostri, nisi sane fructum istum, quo pascuntur oculi temporalium (*e*) exspectatores? Quamvis nec corporalis quidem gratia temporalis in spiritalibus dici debeat, quibus etiam corporum æternitatem resurrectio largietur; ut audemus in virtute Christi et (*f*) bonitate Dei Patris vel indigni præsumere. Quare utinam hoc quoque nobis munus an-

[a] I Tim. I, 5. [b] Matth. V, 37. [c] I Cor. XIII, 7. [d] II Cor. IV, 7. [e] Psal. XIII, 3, et LII, 4. [f] Matth. X, 36. [g] I Cor. II, 15. [h] I Cor. XII, 11. [i] Rom. XII, 5; I Cor. XII, 12; I Cor. X, 17.

[*] Alias 42; quæ autem erat 6, nunc 1, Scripta an. 395.

(*a*) Mss. duo et ed. Bad., *apophoritam*, mendose. Vide not. 19.
(*b*) Ms. Vien. addit *tuis*. Ita sæpe Paulinus. Vide n. 1 hujusce epist. et carm. 32, vers. 599.
(*c*) Ita ms. Bigotianus unus. Optima lectio, quæ confirmatur ex epist. 13 ad Pammachium, n. 2, *ut te spiritali aditu visitarem*, et epist. 11 ad Sever., n. 3, *nos litteris adeas*. Ceteri codices, *audire*.
(*d*) Sic mss. codices. At editi, *spiritaliter*.
(*e*) Ita mss. duo Big. et edit. Bened. et Grav. Vide epist. 31, n. 5. Similiter juxta mss. codices, *exspectare* pro *spectare*, et *exspectator* pro *spectator*, sæpe sæpius apud Augustinum tom. IV. Item in veteri versione Latina Passionis SS. Martyrum Tarachi, Probi et Andronici, pag. 261 et 268 edit. Bigot. Ante erat *spectatores*.
(*f*) Mss. 14, inter quos duo Big., *bonitatis*.

nueret gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum, ut etiam in carne faciem tuam videremus. Non solum desideriis nostris magnum conferretur gaudium, sed etiam mentibus lumen accresceret, et ex tua copia locupletaretur inopia nostra. Quod quidem et absentibus largiri potes, hac præsertim occasione, qua filii nostri unanimes, et carissimi nobis in Domino, Romanus et Agilis, quos ut nos (*a*) alteros tibi commendamus, in nomine Domini revertentur, opere caritatis impleto; in quo tuæ caritatis affectu specialiter utantur, rogamus. **32** Nosti enim quam celsa promittat Altissimus fratri fratrem adjuvanti [a]. Per hos, si quo me gratiæ quæ tibi data est, dono remunerari voles, tuto facies. Sunt enim, velim credas, unum cor et una nobiscum in Domino anima [b]. Gratia Dei tecum, ut est, in æternum maneat, frater in Christo Domino unanime, venerabilis, dilectissime, et desiderabilis. Omnes in Christo sanctos, quales tibi cohærere non dubium est, a nobis saluta. Commenda nos omnibus sanctis, ut tecum pro nobis orare dignentur.

EPISTOLA XXXI (*Al.* XXXIV)

AUGUSTINI AD PAULINUM ET THERASIAM.

Augustinus Paulino pro secundis litteris ab eo receptis grati animi obsequium exhibet, seque Valerio coepiscopum Hipponensem ordinatum esse renuntians, exoptat ut in Africam trajicere ipse velit, magno cum sibi solatio, tum ceteris Christianis exemplo futurus.

(Hanc epistolam, si placet, legesis inter opera S. Augustini, nostræ Patrologiæ tomo XXXIII, col. 121-125.)

EPISTOLA * VII.

36 *Ad Romanianum scribens, gratulatur Ecclesiæ Hipponensi quod Augustinum meruit Episcopi collegam.*

Domino merito prædicabili, et honorando fratri ROMANIANO, PAULINUS et THERASIA.

1. Pridie quam has daremus, reversis ex Africa fratribus nostris quorum exspectatione nos pendere vidisti, optatissime sanctorum et carissimorum virorum, inde epistolas receperamus, id est Aurelii, Alypii, Augustini, (*b*) Profuturi (*V.* not. 22), (*c*) Severi (*V.* not. 23), jam omnium pariter episcoporum. Ergo tot sanctorum talium recentissimis sermonibus gratulantes, properavimus ad te nostram referre lætitiam, ut tibi quoque exspectatum in peregrinatione sollicita gaudium festivissimis conferremus indiciis.

A Si forte eadem de venerabilibus et amantissimis viris per aliarum adventus navium comperisti, per nos etiam repetita accipe, et quasi renovata hilaritate rursus exsulta. Quod si primus hic a nobis tibi nuntius venit, gratulare tantam nobis in tua patria caritatem, Christo donante, (*d*) partam, ut quidquid illic divina providentia gerat, *mirabilis* semper, ut scriptum est, *in sanctis suis* [c], vel primi, vel cum primis sciamus.

2. Non autem tantum hoc scribimus gratulandum, quod episcopatum Augustinus acceperit; sed quod hanc Dei curam meruerint Africanæ Ecclesiæ, ut verba cœlestia Augustini ore perciperent; qui ad majorem dominici muneris gratiam novo more provectus, ita consecratus est, ut non succederet in cathe-
B dra episcopo, sed accederet. Nam incolumi Valerio Hipponensis Ecclesiæ (*e*) coepiscopus (*V.* not. 24) Augustinus est. Et ille beatus senex, cui purissimam mentem nulla unquam liventis invidiæ macula suffudit, dignos sui cordis pace nunc ab Altissimo fructus capit, ut, quem successorem sacerdotii sui (*f*) simpliciter optabat, hunc (*g*) mereatur tenere collegam. Credine hoc potuit, antequam fieret? Sed in hoc quoque Omnipotentis opere dici evangelicum illud **37** potest: *Hominibus hæc ardua, apud Deum autem omnia possibilia* [d]. Exsultemus itaque et lætemur in eo *qui facit mirabilia solus* [e], et *qui facit unanimes habitare in domo* [f], quoniam ipse respexit humilitatem nostram, et visitavit in bono plebem suam, qui *erexit cornu in domo David pueri sui* [g], et nunc exaltavit
C cornu Ecclesiæ suæ in electis suis, ut cornua peccatorum, sicut per prophetam spondet, hoc est, Donatistarum Manichæorumque confringat [h].

3. Utinam hæc nunc Domini tuba, qua per Augustinum intonat, filii nostri Licentii pulset auditus; sed ut illa audiat aure, qua Christus ingreditur, de qua non rapit Dei semen inimicus [i]. Tunc vere sibi summus Christi pontifex Augustinus videbitur, quia tunc se et exauditum sentiet ab Excelso, si quem tibi dignum genuit in litteris, hunc et sibi digne filium pariat in Christo. Nam et nunc, velim credas, flagrantissima de ipso nobis sollicitudine scripsit. Credimus in omnipotentem Christum, quod adolescentis nostri votis carnalibus spiritalia vota Augustini prævaleant. Vincetur vel invitus, mihi crede, vincetur piissimi
D parentis fide, ne mala victoria vincat, si maluerit in

[a] Prov. XVIII, 19. [b] Act. IV, 32. [c] Psal. LXVII, 36. [d] Matth. XIX, 26; Marc. X, 27; Luc. XVIII, 27. [e] Psal. LXXI, 18. [f] Psal. LXVII, 7, sec. Psalt. Rom. [g] Luc. I, 69. [h] Psal. LXXIV, 11. [i] Matth. XIII, 4; Marc. IV, 4; Luc. VIII, 5.

* Alias 46, pars 1; quæ autem 7 erat, nunc 22. Scripta anno 396.

(*a*) Mss. duo Big., *Alios*.

(*b*) *Profuturus* is esse videtur qui in libro S. Augustini de Unico Baptismo contra Petil., c. 16, laudatur Cirtensis episcopus, et ad quem directa est ejusdem Augustini epistola 38 (al. 149). Evodius demum in epistola 158, n. 9 (al. 258), inter epistolas Augustini, Profuturum quem olim in monasterio noverat, apparuisse sibi per somnium, et futurum aliquid prænuntiasse, refert. Vid. not. 22.

(*c*) *Severi* Milevitani antistitis, de quo Augustinus epist. 31, n. 9 (al. epist. 34). Vid. not. 23.

(*d*) Mss. duo Bigotiani, *paratam*.

(*e*) Editi addebant, *episcopo*. Hanc vocem, quæ abest a duobus mss. Big. Vatic. 4, edit. Bened. expunximus.

(*f*) Sic mss. codd. Vatic. 4 et Big. 2, consentiente edit. Bened. In aliis edit., *suppliciter*.

(*g*) Ita mss. Vatic. 4 et edit. Bened. Ceteri codices, *mereretur*.

perniciem suam vincere, quam pro salute superari. A Ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de (*a*) buccellato Christianæ expeditionis, in cujus procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi pariter et filio nostro Licentio misimus; non enim potuimus a benedictione secernere, quem cupimus eadem nobis gratia penitus annectere. Paucis tamen et ad ipsum loquamur, ne neget sibi scriptum, quod de se tibi scriptum est; *Æschino enim dicitur, quod audit Mitio* (*Terent. in Adelphis. V.* not. 25). Sed quid de alienis loquar, cum de proprio cuncta possimus? et aliena loqui, non soleat esse sani capitis, quo [1] Dei gratia sano et salvo sumus, quibus caput est Christus? Incolumem te ætate quamplurima, et beatum semper cum tota domo tua, ut cupimus, habeamus in Christo, domine B frater merito honorandissime et desiderantissime.

EPISTOLA * VIII.

AD LICENTIUM.

Licentium Romaniani filium, pro quo scripserat Augustinus ejus olim magister, hortatur Paulinus et prosa et carmine, ut contemto aulæ fastu se dedicet Christo.

1. Audi ergo fili legem patris tui [a], id est, fidem Augustini; et noli repellere consilia matris tuæ, quod æque nomen in te Augustini pietas jure sibi vindicat; qui te tantillum sinu gestavit suo, et a parvulis primo lacte sapientiæ secularis **38** imbutum, nunc etiam spiritalibus lactare et enutrire Domino gestit C uberibus. Quoniam te adultum ætate corporea, in spiritalibus adhuc cunabulis vagientem videt, adhuc infantem verbo Dei, vix dum in Christo primis passibus et vestigio titubante repentem; si tamen Augustini doctrina, tamquam manus matris et ulna nutricis, instabilem regat parvulum. Quem si audias et sequaris, ut rursum te sermone Salomonis alliciam : *Fili, coronam accipies gratiarum tuo vertici* [b]. Et tunc vere eris ille non phantasmate somniatus, sed ab ipsa veritate formatus consul et pontifex, vacuas imagines falsi operis, implente Christo, solidis suæ operationis effectibus. Vere enim pontifex, et vere consul, (*b*) Licentius erit, si Augustini vestigiis, propheticis et apostolicis disciplinis, ut sacrato beatus Elisæus Eliæ [c], ut illustri apostolo Timotheus adolescens adhæreat, D indivulso per itinera divina comitatu; ut et sacerdotium corde perfecto discat mereri, et populis ad salutem (*c*) magistro ore consulere.

2. Sat hoc monitis et hortatui. Modico enim sermone et labore te arbitror, mi Licenti, ad Christum posse incitari, jam a pueris ad studia [1] veritatis et sapientiæ, quod utrumque vere est Christus, et omnis boni summum (*d*) bonum venerabilis Augustini spiritu et ore flammatum. Qui si parum apud te pro te valuit, quid ego tanto intervallo posterior, et omnium illius opum pauper, efficiam? Sed quia et illius facultatis potentia, et tui ingenii humanitate confisus, pleniora atque majora in te spero elaborata, quam elaboranda, ausus sum hiscere duplici gratia, ut et illi viro (*e*) debita caritate compararer in sollicitudine tui; et inter eos qui salutem tuam diligunt, vel contestato numerarer affectu. Nam (*f*) effectus in tui perfectione palmam Augustino potissimum destinatam scio.

3. Vereor, fili, ne aures tuas asperitate temerarii sermonis offenderim, et per aures animo etiam tuo tædii mei vulnus intulerim. Sed in mentem venit epistola tua (Carmen Licentii contentum epist. 26 S. August. [*al.* 39]), qua te musicis familiarem modis intellexi. A quo studio ego ævi quondam tui non abhorrui. Itaque mihi ad tuam mentem, si in aliquo exulcerassem, deliniendam remedium litteras tuas recordatus reperi, ut te ad Dominum harmoniæ omniformis artificem modulamine carminis evocarem. Quæso te ut aure audias; neque causam salutis tuæ in verbis meis spernas, sed piam curam et mentem paternam etiam in despiciendis sermonibus libenter accipias; quibus insitum Christi *nomen quod est super* [2] *omne nomen* [d], hanc deberi venerationem facit, ut non possit a credente contemni.

39-40 Quare age, rumpe moras, et vincla tenacia [secli :
 Nec metuas placidi mite jugum Domini.
Pulcra quidem, sed mira vagis præsentia rerum
 Mentibus, at sapiens non stupet ista animus.
Nunc te sollicitat variis malesuada figuris,
 Heu ! validos etiam vertere Roma potens.
Sed tibi, nate, precor, semper pater Augustinus
 Occurset, cunctas Urbis ad illecebras.
Illum tanta inter fragilis discrimina vitæ
 Aspiciens, et habens pectore, tutus eris.
Hoc tamen et repetens, iterumque iterumque monebo
 Ut fugias duræ lubrica militiæ.
Blandum nomen honos, mala servitus, exitus æger,
 Quem nunc velle juvat, mox voluisse piget.
Scandere celsa juvat; tremor est descendere celsis.

[a] Prov. I, 8. [b] Prov. I, 9, sec. LXX. [c] IV Reg. II, I. [d] Phil. II, 9.

* Alias 46, pars 2; quæ autem erat 8, nunc 30. Scripta et missa cum superiore anno 396.

(*a*) Mss. codices, *buccillato*. *Buccillatum* vocabatur militaris panis ad buccellæ fere modum confectus, ut ad usus diuturnitatem facilius excoqueretur, de quo Ammianus lib. XVII; RR. PP. Benedictini ad S. August. epistolas, pag. 59.

(*b*) Sic mss. codices Vatic. 4 et Bigotiani duo : quod videtur acrius quam quod est in editis, *Licenti eris*. Iidemque mss. infra, *adhæreat.... discat.*

(*c*) Ita sex iidem mss. cum edit. Bened. Alii codd *magistri*.

(*d*) Hanc vocem addidimus ex mss. Vaticanis quatuor, 1 Big. et edit. Bened.

(*e*) Sic mss. sex, ex quibus duo Big. et ed. Ben. At mss. octo, *de vita, et caritate*, Edd., *devincta*.

(*f*) Ita edit. Bened. Grav. et Rosv. At mss. 12, *affectus*.

Si titubes, summa pejus ab arce (a) cades.
Nunc tibi falsa placent bona, nunc rapit [a] omnibus auris
Ambitus, et vitreo fert cava fama sinu?
Ast ubi te magno (b) damno succinxerit emto
Balteus, et sterilis fregerit inde labor,
Serus, et incassum spes accusabis inanes
Et modo quæ nectis, rumpere vincla voles.
Tunc reminisceris frustra patris Augustini,
Contemsisse dolens veridicos monitus.
Quare si sapiens, et si pius es, puer, audi;
Et cape verba patrum, consiliumque senum.
« Quid retrahis fera colla jugo? Mea (c) sarcina lenis,
Suave jugum [b]. » Christi est vox pia : crede Deo,
Et caput adde jugis, da mollibus ora capistris.
Demissosque levi subde humeros oneri.
Nunc potes hoc, dum liber agis, dum nulla retentant
Vincula, nulla tori cura, nec altus honor.
Hæc bona libertas, Christo servire, et in ipso
Omnibus esse supra. Non dominis hominum,
Non vitiis servit, non regibus ille superbis,
Tantum qui Christo se dederit Domino.
Nec tibi nobilitas videatur libera, quam nunc
Sublimem attonita conspicis Urbe vehi.
Quam cernis tanta sibi libertate videri,
Ut dedignetur flectere colla Deo.
Multis ille miser mortalibus, et quoque servis
Servit; et ancillas, ut dominentur [a], emit.
Norunt eunuchos et magna palatia passi,
Et quisquis Romam, sponte miser, patitur;
Quanto sudoris pretio, damnoque decoris [b]
Constet ibi chlamydis, hic honor officii.
Nec tamen ipse potens, qui celsior omnibus esse
Emerit, ut nulli serviat, assequitur.
Cum bene se tota dominum jactaverit Urbe,
Servit dæmoniis, si simulacra [a] colit.
Proh dolor! hos propter remoraris in Urbe, Licenti?
Et regnum Christi spernis, ut his placeas?
Hos vocitas dominos, curva et cervice salutas,
Quos ligni servos conspicis et lapidis?
Nomine divino argentum venerantur et aurum
Relligio est, quod amat morbus avaritiæ.
41-42 Imprecor hos ut amet, qui non amat Augustinum;
Non colat et Christum, cui placet hos colere.
Inde ait ipse Deus, dominis non posse duobus
Serviri [c], quoniam mens placet una Deo.
Una fides, Deus unus, et unicus e Patre Christus [d],
Haud duplex uni servitus est domino.
A Quanta etenim cœlo ac terris distantia, tanta est
Cæsaris et Christi rebus et imperiis.
Tollere humo, sed nunc dum spiritus hos regit artus,
Mente polum penetra, nil mora carnis obest.
Corporeis jam nunc morere actibus; et bona vitæ
Cœlestis liquido præmeditare animo.
Spiritus es, quamquam tenearis corpore, si nunc
Mente pia victor carnis opus perimas.
Hæc tibi, care puer, (d) fido compulsus amore
Scripsi; si recipis, suscipiere Deo.
Crede Augustinum tibi nunc in me geminatum:
Sume duos una cum pietate patres.
Spernimur? Abstraheris majore dolore duobus.
Audimur? [e] Pignus dulce duobus eris.
In te læta patrum sudavit cura duorum,
B Et tibi magnus honos, lætificasse duos.
Sed me Augustino cum copulo, non meritorum
Jacto parem, solo comparo amore tui.
Nam quid ego effundam [e] rorans tibi paupere rivo?
Me præter gemino flumine prolueris:
Frater Alypius est, Augustinusque magister,
Sanguinis hic consors, hic sator ingenii.
Tanto fratre vales, et præceptore, Licenti,
Et dubitas pennis talibus astra sequi?
Quidquid agas; nam te nec speret mundus amicum,
Non daberis terræ debita Christo anima.
Tu thalamos licet et celsos mediteris honores
Nunc, olim Domino restituere tuo.
Credo unum vincent justi duo peccatorem,
Et tua fraternæ vota preces abigent.
C Ergo redi, qua voce parens, qua sanguine frater,
Ambo sacerdotes te remeare jubent.
Ad tua te retrahunt, nam nunc aliena (e) petescis;
Hæc mage, quæ retinent regna tui, tua sunt.
Hæc repete, his inhia; externis ne contere tempus
Si tua nolueris, quisquam aliena dabit?
Non eris ipse tuus; missusque per extera longe
Sensibus, heu! proprii pectoris exsul ages.
Sollicitum satis hæc nato cecinisse parentem,
Dum tibi, quæ mihimet, vel volo, vel metuo.
Hæc tibi; si recipis, feret olim pagina vitam:
Si renuis, eadem hæc pagina testis erit.
Incolumem mibi te, fili carissime, Christus
Annuat, et servum det sibi perpetuo.
Vive precor, sed vive Deo: nam vivere mundo
D Mortis opus, vera est vivere vita Deo.

[a] Ex Virgilio. [b] Matth. XI, 30. [c] Matth. VI, 24. [d] Ephes. IV, 5. [e] Id est *filius*. *V.* carm. 18, vers. 226.

(a) Mss. 2 Big., *cadis*.
(b) Ita in potioribus mss. et in edit. Bened. At in excusis, *damnosus cinxerit æstu*.
(c) Mss. duo Big. et edit. Grav., *sarcina levis*. Sic legerem si lex metri servaretur : Vulgata enim habet Matth. XI, vers. ult., *et onus meum leve*. Præterea legitur apud Augustinum epist. 31 ad Paulinum (al. 34): *Quamquam jugum Christi per seipsum lene sit, et sarcina levis*; et in epist. 26 (al. 39) Augustini ad eumdem Licentium, unde hæc desumsit Paulinus : *Jugum enim ejus lene est, et sarcina ejus levis est*, et in carmine de S. Johanne Baptista, *pondus leve*, vers. 291.
(d) Sic mss. quindecim et edit. Bened. ceteri codd., *fidei*. Vide carm. 19, vers. 128, et not. 334.
(e) Ita mss. plerique cum edit. Bened. ms. 1 Big., *petissis*. Ms. alter Big., *petisti*. Ed. Rosv., *petissis*.

EPISTOLA * IX.

43 *Delphinus ab Amando impulsus fuerat ut a Paulino aliquid salutaris doctrinæ peteret. Ea de re queritur ad Amandum scribens Paulinus, excusans imperitiam suam, et opem ipsorum implorans : multa iterum ad vietatis institutionem sapienter inspergit.*

Sancto et vere unanimo, et merito dilectissimo AMANDO PAULINUS.

1. Quantum intelligo, quod tibi in aurem loquor, tu supra tectum prædicas [a] : quandoquidem dum me nimium diligis, et nimium tibi de fratre inepto places, etiam sancti ac venerabilis nobis communis patris auribus insinuare non dubitas et insipientiæ meæ temeritatem, qua te magis audeo quam illum in verbis meis contemnere. Nam unde me idoneum putaret ille, a quo aliquid spiritu suo dignum in litteris desideraret, nisi tu illi persuasisses, affectu magis quam judicio ita sentiens, meum quoque os a Domino inter ora mutorum et infantium [b], de quibus laudem suam perficit Omnipotens, fuisse reseratum ? Jubet ergo me sibi sermonem spiritali, hoc est, suo sale conditum promere [c] : meminit enim quod me verbi sui sale asperserit. Neque cessat id facere : nam omnes mihi litteræ illius spiritalia condimenta sunt. Est enim et ipse *sal terræ* [d], vividum referens [1] apostolicæ doctrinæ saporem ; sed vereor ne salem ejus insulso corde non duxerim ; nec (*a*) sentiat in quo condiatur [e], ut Domini suavitatem sapiat, sensus meus, si in eo Delphini sapor evanescere, et vigor potuit hebetari (*b*).

2. Quis me dicentem excitavit, *Leo est in viis, in plateis autem homicidæ* [f] ? Non apis mysticæ studio, non formicæ [g] solertis exemplo ad providentiam vitæ et utilitatis operam suscitamur ; sed modicum dormimus, modicum vero dormitamus, modicum autem manibus complectimur pectus [h] ; et interea nobis inopia tamquam bonus cursor occurrit; et *ille dives qui pauper factus est, ut nos vere egenos sua paupertate ditaret* [i], videns nos in nostra egestate durantes, merito (*c*) proclamavit : *Quæ utilitas in sanguine meo, dum* **44** *descendo in corruptionem* [j] ? Sed utinam vel dum hæc loquimur, ipso conscientiæ no- A stræ judicio, et proprii sermonis querimonia excitaremur, ut vel sero (*d*) possemus dicere : *Nunc cœpimus, hæc mutatio dexteræ Excelsi* [k] : Sed *ventres pigri* [l] sumus, et idcirco *adhæret pavimento anima nostra* [m] quamvis jamdudum ei dixeritis : (*e*) *Erige te a mortuis, ut attingas Christum* [n]. Quem quidem Dominum interventu fidei vestræ, per gratiæ sacramentum imposuistis in naviculam cordis nostri (*V.* not. 26) [o]. Sed quia somno inertiæ nostræ obdormivit in nobis, opus est ut eum excitetis, ut assurgat in excitationem animæ nostræ ; imperet silentium turbidis cogitationum terrestrium flatibus, et sensuum nostrorum fluctus verbi sui pace componat, ut fiat in corde nostro casta tranquillitas ; et spiritu veritatis gubernatore, ac Dei verbo remige, dirigamur ad por- B tum voluntatis nostræ [p].

3. Nam *quæ est exspectatio nostra, nisi Dominus* [q] Jesus, *qui potens est salvos facere nos* (*f*) *a pusillo animo et tempestate* [r] ? et annuere [1] orationibus vestris, *ne fiat fuga nostra hieme aut sabbato* [s], hoc est, in otio spiritalium negotiorum, et bonorum operum sterilitate. Sabbatum enim otiosum est, et hiems nuda nascentium. Itaque si non carnali observantia, sed spiritali, abstinentes [2] nos ab omni opere servili, quod est vita [4] *peccati ;* cui deditus vere *servus est, et in domo non manet* [t], agimus sabbatum [u], non illud quod non sustinet anima Domini, sed illud, in quo Dei requies est ; qui in humili trementium famulorum corde requiescit [v], nec hiberna tempestas fugam nostram opprimet ; et quasi frigore pigros pedes ab evadendi libertate retinebit, si *spe gaudentes,* C *et spiritu ferventes* [x], non contractis avaritiæ gelu manibus, sed apertis refrigerio misericordiæ, furtivus ille nos horæ novissimæ superventus [y] inveniat opertos atque vestitos salutaribus operum fidelium tegumentis [z], ut possimus (*g*) *sustinere ante faciem frigoris ejus* [aa] ; qui nos ideo nunc in timore præcepti sui vult effici præparatos, ut in die iræ inveniat absolvendos.

4. Favete nunc igitur, et orate, ut apprehendamus, in quo apprehensi sumus [bb], et extendentes nos ad bravium supernæ vocationis, obliviscamur quæ

[a] Matth. x, 27 ; Luc. xii, 3. [b] Sap. x, 21 ; Psal. viii, 3. [c] Col. iv, 6. [d] Matth. v, 13; Marc. ix, 49. [e] Luc. xiv, 34. [f] Prov. xxii, 13, et xxvi, 13, sec. LXX. [g] Prov. vi, 6, et xxx, 25. [h] Prov. vi, 10, 11. et xxiv, 33, juxta LXX. [i] II Cor. viii, 9. [j] Psal. xxix, 10. [k] Psal. LXXVI, 11. [l] Tit. i, 12. [m] Psal., cxviii, 25. [n] Eph. v, 14. [o] Matth. viii, 23. [p] Psal. cvi, 30. [q] Psal. xxxviii, 8. [r] Ps. liv, 9. [s] Matth. xxiv, 20; Marc. xiii, 18. [t] Joan. viii, 35. [u] Isai. i, 13. [v] Isai. LXVI, 2. [x] Rom. xii, 11. [y] Luc. xxi, 34. [z] II Cor. v, 3. [aa] Psal. CXLVII, 17, sec. LXX. [bb] Philip. iii, 12.

* Alias 22 ; quæ autem erat 9, nunc 28. Scripta anno 396.

(*a*) Legendum forte, *sit jam*. Sacchin.

(*b*) Post *hebetari* ad notam * in margine ms. Vien. legitur : *Hic videtur deesse de epistola multum, quia continuatio pene nulla est*. Nihil tamen amplius habent mss. Reg. et Vat. et editi codices quinque.

(*c*) Ms. Reg. et editi tres, *præclamavit*.

(*d*) Ita ms. Vien. Ceteri codices, *possimus*.

(*e*) Sic mss. tres, et totidem editi. In duobus editis, *Erigere*. Utraque lectio bona. Vide epist. 32, not. 29.

D (*f*) Ita in Psalteriis veteri et Rom. et apud S. Augustinum in commentario super psalmos. Apud LXX, et S. Hilarium, *a pusillanimitate*. In Vulgata *a pusillanimitate spiritus :* quod inde additum esse innuit S. Hieronymus ad Suniam, quod pro ὀλιγοψυχία, Aquila, Symmachus et Theodotio interpretati sunt ἀπὸ πνεύματος, *a spiritu*.

(*g*) Hanc lectionem admittunt Psalterium vetus, et S. Augustinus in commentario super psalmos, ubi legitur, *quis subsistet*.

retro sunt : positaque in aratro crucis manu mentis[a], **45** non sulcata (*a*) respiciam, sed sulcanda provideam ; donec perveniamus *ad montes*, in quos *levavimus oculos nostros*, ut *inde nobis a Domino veniat auxilium* [b], qui est *mirabilis in sanctis suis* [c] ; qui sunt montes Dei, in quos bona fidelis animæ operatione provehemur. Si enim in via veritatis, quæ est impolluta [d], digne ambulemus, tunc ipse Dominus, qui est *via et veritas*, [e] *perficiet pedes nostros sicut* (*b*) *cervi ; et super excelsa* (*c*) *statuet nos* [f]. *Montes* enim, inquit, *excelsi cervis, et petra refugium herinaceis* [g] : quia si super iniquitatem alacritate cervorum fugiamus (*d*) Nebroth venatorem, *qui*, ut Scriptura designat, (*e*) *contra Dominum venator fuit* [h] ; et cooperante Christo piis actibus ascendamus excelsa virtutum per doctrinas prophetarum et apostolorum, qui sunt montes Dei, montes illi uberes ; tunc velut de rupe præcelsa despicientes vanas prætereuntis mundi figuras, in exsultationis voce cantabimus : *Exaltabo te, Domine, quoniam ab insurgentibus in me exaltasti me, et super inimicos meos despexit oculus meus* [i]. Ex hac autem celsitudine montium informati ad humilitatem cordis, et salubribus disciplinis velut spinis nostra undique membra muniti, efficiemur ut herinacei, qui parva corpuscula aspero tegmine armati, naturalibus jaculis adversum hostiles aut canum morsus, aut manus hominum, muniuntur. Humiliatis autem timore divino, et gratia ipsius humilitatis armatis, *petra refugium* est, id est, Christus, cujus verba nobis contra diabolum vel septimenta vel spicula sunt [j]. His enim et aures nostras sepimus adversum linguam nequam, et in corde nostro vitia adversa configimus. Ita per observantiam spiritalem et directam fidem, et herinacei pariter erimus, et cervi, si secundum has minores bestiolas angustati et humiles abscondamur in Christo, ut in refugii petra ; et verbo ac spiritu veritatis muniti, et diabolo et mundi hujus illecebris asperi resistamus.

5. Majores vero illas feras pedibus alacres, et sublimes cornibus ita æmulabimur, si habeamus pedes

A firmos ad consistendum in via Domini [k] ; nec moveantur ab ejus itinere **46** vestigia nostra [l] ; iisdemque pedibus utamur ad fugienda peccata, et hujus seculi perniciosa contagia; caput salutis nostræ, quod est fides catholica, bonis operibus velut cornibus ornatum pariter et armatum gerentes; ut vel repugnemus inimicis venatoribus, vel actibus Deo placitis coronati, vestrum potissimum gaudium, et corona simus [m] : quorum in Christo plantatio, apud Christum labor quotidianus sumus. Non enim ambigimus quotidie deprecari vos, ut perficiatur in nobis beata *illa mutatio dexteræ Excelsi* [n] ; ut vere possimus dicere : *Defecit cor meum, et caro mea, Deus cordis mei, et pars mea Deus in secula* [o]. Quia tunc Deus esse dignabitur cordis nostri Deus, cum cor nostrum, quod est car-

B nale, defecerit spiritali ædificatione destructum. Tunc audebimus et vestram nos dicere *portionem in terra viventium* [p], cum et ipsi Domino renovati sensu mentis nostræ [q], secundum Christum ad cœlestem imaginem, (*f*) potuerimus dicere : *Deus cordis nostri, et pars nostra Deus in secula* [r].

EPISTOLA * X.

Delphino Burdegalensi episcopo, a quo baptizatus fuerat, summa pietate excusat se minus idoneum ad tractandos in epistolis sacræ Scripturæ locos : quod ille postularat. Hic Delphinus Ecclesiæ fastis reperitur insertus die nono ante kalendas Januarias.

Beatissimo et peculiariter domino, semper in Domino Christo nobis patri Delphino, Paulinus.

1. Accepimus litteras sanctæ affectionis tuæ, qui-

C bus jubes nos in epistolis quas ad te facimus, aliquem (*g*) præter officii necessitatem, de Scripturis adjicere sermonem, qui tibi thesaurum nostri cordis revelet. Sed parentes potius filiis thesaurizare, et ordo pietatis postulat, et magister Apostolus docet [s]. Quamvis [t] tu nobis a Domino et in Domino pater factus semper thesaurizaveris bona, et thesaurizare non desinas : præter illud gratiæ salutaris **47** talentum, quod te consignante suscepimus non in terra abscondendum, neque in sudario involvendum, sed appo-

[a] Luc. IX, 62. [b] Psal. CXX, 1. [c] Psal. LXVII, 36. [d] Psal. XVII, 31. [e] Johan. XIV, 6. [f] Psal. XVII, 34, sec. LXX. [g] Psal. CIII, 18. [h] Gen. X, 9, juxta LXX. [i] Psal. LXVII, 16; XXIX, 2; XVII, 49; LIII, 9. [j] Eccli. XXVIII, 28. [k] Psal. XVII, 34. [l] Psal. XVI, 5. [m] Philip. IV, 1. [n] Psal. LXXVI, 11. [o] Psal. LXXII, 26. [p] Psal. CXLI, 6. [q] Ephes. IV, 23. [r] Psal. LXXII, 26. [s] II Cor. XII, 14.

* Alias 15; quæ autem 10 erat, nunc 29. Scripta et missa cum superiore, anno 396.

(*a*) Ms. Vien. et edit. Schot., *respiciamus... provideamus*.

(*b*) Ita LXX interpretes, libri Græci, Psalteria vetus et Rom. et S. Augustinus in commentario super psalmos.

(*c*) Sic Psalterium vetus et S. Augustinus in psalmos. Aquila, *statues*.

(*d*) Ita ms. Reg. et edit. Bad. Grav. et Schot. Ita et mss. vetustiores apud Prudentium, Hamartigen. vers. 143. Græcis Νεβρώδ et apud LXX interpretes. Sic et in epistola 38 ad Aprum, n. 9. Paulinus noster juxta eosdem codices dicit *Nebroth*; aliaque complura ex nominibus Veteris Testamenti Græcum in morem extulit : unde potest colligi eum usum fuisse S. Scripturæ non Latina Vulgata, sed versione Græca, aut ex Græcis expressa. Sic dixit juxta Græcum textum *Solomon*, non *Salomon*, ut observavimus ad epist. 5, n. 2.

(*e*) Vulgata *coram Domino*. S. Augustinus in lib. I Locutionum de Genesi : *Incertum est utrum possit*

D *accipi*, coram Domino Deo, *quia et sic solet intelligi, quod Græce dicitur* ἐναντίον. De hac re etiam disputat lib. XVI de Civitate Dei, cap. 4. At S. Paulinus hanc vocem *contra* per *adversum* exponit, ut ex sequentibus patet, non per *coram*, sive *in conspectu*. Dicit enim circa hujusce epistolæ finem, *ut vel repugnemus inimicis venatoribus*.

(*f*) Sic mss. Reg. et Vien. et recte siquidem mox præcessit *defecerit*. Ante erat in editis *poterimus*.

(*g*) Ms. Vien., *præter officium, de Scripturis*. Abest etiam *necessitatem*, a ms. Reg., in quo mendose leges *officii*.

nendum nummulariis [a], a quibus uberi multiplicaretur usura; vel iis distribuendum in tempore opportuno, qui ad præparandas in adventum sponsi faces, venditant oleum sapientibus comparandum [b]. Thesaurizas vero nobis et alio modo semper, qui de thesauris Domini ad gratiam, quæ per te data est nobis, apponi rogas. Atque utinam tantum capere possimus, quantum tu, ut accipiamus, potes impetrare. Nam profecto de hac pro nobis postulationum tuarum conscientia atque fiducia petis a nobis, vel magis repetis, ut aliquid spiritale ad te loquamur, quod semine in nobis dignum tuo sit; quia secundum fidem tuam exorasse te credens, quæ nobis orasti et oras dari, effectum sollicitudinis et deprecationis tuæ de nostri * cordis et oris fetibus per documenta verborum capere desideras: quoniam *ex abundantia cordis os loquitur* [c], et sapor mentis in sermone gustatur.

2. Juste itaque sanctitas tua depositi sui debitum repetit, et seminis sui germen exspectat. Sed quid faciam ager sterilis? qua tibi fruge respondeam, qui pro tritico tribulos, vel pro uvis edidi spinas [d]? Et ideo conscius malæ segetis aut infructuosæ arboris, ut vel pietati debitæ satisfaciam, sola in litteris meis officii verba prætendo, et sensum a corde tuo * degenerem pudore inertiæ confusus occulto; dum nimiæ circa me dilectionis tuæ conscius timeo, ne animum tuum bonæ de nobis spei præsumtione gaudentem decepta exspectatione contristem, et cogaris dicere vel scribere mihi: *Ego te plantavi vitem fructuosam, tu vero conversus es in amaritudinem vitis alienæ* (LXX, *aliena*) [e]. *Exspectavi ut faceres uvam, et tu fecisti spinas* [f]; atque utinam vel illas utiles, quæ contra linguam nequam sepimentum piis auribus præstant, et fidem in corde cauto, velut frugem in agro circumcluso tuentur [g]. Sed tu illas, ut sentio, inutiles et nocentes, quæ verbum suffocant et convertunt in ærumnam, dum carnalibus adhuc cogitationibus corda configunt, quasi (a) rhamnus (*V.* not. 27) asper produxisti [h].

3. Quæris ergo, piissime pater, quid facias adhuc quod non feceris nobis? cum et **48** *plantaveris nos in*

A *domo Domini* [i], et plantati maceriam signaculi salutaris, qua ab incursu silvestris apri, et (b) depastione ferocis onagri muniremur [j], adstruxeris et torcular foderis, quo per conversationem piam quasi quamdam tibi dulcem de tua vite vindemiam funderemus. Habes adhuc, quod facias imitatione illius, qui sterilis ficulneæ (c) commeatum a Domino vineæ deprecatus est [k], et imminentem inutili ligno excisionem distulit sponsione. Sic igitur et pro nobis pietatis tuæ cura interveniat, et positam ad radices arborum jejunarum securem vel annua Domini indulgentis exspectatione suspendi (d) postulet [l]. Sponde patrifamilias diligentiam pro nobis sollicitudinis tuæ, et assiduas orationes, tamquam illum apostolicum evangelici stercoris cophinum pollicere [m], quo cordis nostri terra pin-
B guescat, et sationis tuæ seges nutriatur, vel plantationis tuæ arbor succum tuæ fecunditatis accipiat; ut in die recognitionis (*Id est* judicii. *V.* epist. 19, n. 3), quo pariter sator messorque gaudebunt, nos quoque paterno sinu afferens inter manipulos tuos, repetas ab eo culturæ tuæ fructum; cum illi qui sata irrigantium nutrit, et colentium labores (e) fructificat, id in nobis, quod non ad ignem jubeat abscidi (*V.* epist. 11, n. 7), sed ad horreum metere dignetur [n], obtuleris.

EPISTOLA * XI.

C *Quanta sit caritatis Christianæ supra humanas necessitudines præstantia, ostendit, in se deque se ipso sacrificium Deo immolandum, veteribus sacrificiis allegorice explicatis: item Severum laudat quod S. Martini vitam scripserit, ac postremo ad se invitans de evangelicæ paupertatis præstantia pulcherrime admonet.*

Severo fratri unanimo Paulinus.

1. In Domino (f) Deo Jesu Christo sentio, et in te potissimum munere et verbo Dei lætus experior, quia *amico fideli nulla est comparatio, et lingua gratiæ in bono homine abundat* [o]. Nam quasi medicamentum vitæ nobis consolatio caritatis tuæ, ut *favi mellis sermones tui; ut aqua frigida sitientibus, ita* nobis *nuntius* de te *bonus a terra longinqua* [p]. Qui cum et sa-

[a] Luc. XIX, 13. [b] Matth. XXV, 9. [c] Matth. XII, 34; Luc. VI, 45. [d] Matth. VII, 16. [e] Jer. II, 21. [f] Isai. V, 4, sec. LXX. [g] Eccli. XXVIII, 28, et XXXVI, 27; Matth. XIII, 7. [h] Psal. LVII, 10. [i] Psal. XCI, 14. [j] Psal. LXXIX, 14. [k] Luc. XIII, 8. [l] Matth. III, 10; Luc. III, 9. [m] Luc. XIII. 8. [n] Matth. XIII, 30. [o] Eccli. VI, 15. [p] Prov. XVI, 24, et XXV, 25, sec. LXX.

* Alias 5; quæ autem 11 erat, nunc 3. Scripta anno 397.

(a) Simili locutione usi sunt SS. Hilarius, Hieronymus et Augustinus in commentar. super psalmos, ubi sic legitur: *Priusquam producat spinas vestras rhamnus.* Sic et Psalterium vetus. Ad hanc lectionem alludit Psalterium Romanum in quo legitur, *priusquam producat spinas vester rhamnus*; ubi legerem, *vestra rhamnus* juxta Græcum textum, nisi Paulinus dixisset, *rhamnus asper*. Aliter Arnobius, *priusquam producant spinæ vestræ rhamnos*; Eucherius... *rhamnum*. Symmachus, *priusquam auctæ sint spinæ vestræ, ita ut fiant rhamnus*. Vide not. 27.

(b) LXX et Vulgata, *singularis ferus depastus est eam*. Hic vero Paulinus speciem pro genere posuit, hunc etenim versum Hieronymus ex Hebræo transtulit, *omnes bestiæ agri depastæ sunt eam*. Sed et pro quibusvis bestiis feracibus *onager* usurpatur, ut psal. CIII, 11: *Exspectabunt onagri in siti sua*. Quidam tamen interpretes volunt illic esse nomen ignotæ volucris, ceu gryphis, aut alius cujuspiam sic se habentis ad reliquas volucres, ut cetus ad reliquos pisces.

D (c) Sic mss. tres Reg. Vat. et Vien. cum edit. Rosv. In quibusdam editis, *comminatum*, mendose. Legendum profecto *commeatum*, quod est spatium ac tempus ad culturam. Vide not. 64.

(d) Ms. Vatic., *postula, et sponde*.

(e) *Fructificat*. Ne hoc verbum sit suspectum active, utuntur Patres, S. Ambrosius in psalmo XXXVI, *illa terra bona Domini sine ullo labore fructificat;* quamquam hic sensus Paulini est, *fructuosos facit labores*. Sacchin.

(f) Ita tres mss. cod. Reg. Vat. et Vien. In edit. deest *Deo*.

nostrum Jesum Christum, qui convertit *sapientiam eorum, et stultam fecit; et elegit infirma ac stulta mundi, ut* mundum istum his ipsis, propter quæ Deum dedignatur (*a*) nosse, *confundat* [a]. Memento ergo tu nostri magis *, qui locupletioribus meritis ad exorandi potentiam niteris. Nos enim licet jam accensa in lumine Christi lucerna, tamen adhuc sub modio peccatorum latentes, vestra, qui tam fidei et gratiæ, quam operum luce conspicui per (*V.* not. 11) septena Domini candelabra fulgetis [b], (*b*) educi manu, vestroque oleo impinguari caput cupimus; ut non fumigante (*V.* not. 2) lino, quod nec ipsum tamen misericors Dominus exstinguit, obscuri ardeamus, sed puro, et ceteris etiam præferendo fidelis exempli lumine luceamus [c]: quamquam Domini gratia de
* tenebris relucente, non obscuri per nominis ipsius B claritatem [d], etsi remoti, ut audistis, agamus. In cœnaculo enim nostro secreti silemus, quia *bonum est viro*, ut propheta **24** (*c*) ait, *sedere singulariter, et tacere* [e]. Unde etiam in causis vociferandis silere nos docuit ipse Dominus, qui *sicut agnus coram tondente se * non aperuit os suum* [f]; qui tamen dixit; (*d*) *Tacui, numquid semper tacebo* [g]? Ipsius ergo voluntatem et judicium taciti sustinemus, qui potens est et nunc in nobis tacere, et cum voluerit, interpellare pro nobis [h].

8. Verum interim in hoc nobis nostra nocuisse peccata persensimus, quod nec meruimus te videre: et insuper hoc ad mala nostra cumulatum putamus quod et tentationum tibi causa fuerimus; quibus * geminas, ut indicasti, ægritudines pertulisti, (*e*) toties C verberatus, quoties ad nos venire conatus es. Sed quia sæpe Dominus ipse, ut scriptum est, *Deus noster tentat nos, ut caritatem nostram probet* [i], qua nos in ipsius pace diligimus; de tua potius fide, quam de nostra speramus; ut si præmissa tentatio probationem in te operata est [j], non ultra valeat probata in Deo (*f*) caritatis vota frustrari. Ita enim tibi promptum inesse spiritum scimus, ut non vereamur, ne ad impedimentum communis desiderii caro semper infirma prævaleat, quam fide roborans, animo subjugabis: ut quod ex se non potest, in Christo posse cogatur. Si dicas ei: Ne pugnes adversus spiritum, *esto consentiens adversario tuo in via* [k], *et erit pax ossibus tuis*, et cum *exsultaverit cor meum in Deum vivum*, tunc etiam *caro mea requiescet in spe* [l]. D

9. *Tene* ergo, frater, *quod tenes, ne coronam tuam*

A *accipiat alter* [m]. Cui simile est, ut quod volueras, velle non desinas, et immutabilem ad nos veniendi sententiam teneas. Religiosa conamina ipse ad voti fructum pervehet, in cujus potestate est ac favore, ut possimus prospere, quod pie volumus. Scimus enim, quia desideranti bonum, omnia procedunt in bonum [n] (*V.* ep. 47, n. 1). Verum et nos, quod quidem nobis gratissimum signum concordiæ in omnibus nostræ fuit, infirmitatum tuarum indices litteras ægrotantes accepimus; probavimusque in nobis secundum Apostoli dictum et affectum, compati sibi unius corporis membra [o]. Nam et eo ipso nos refectos sensimus, quod revaluisse te scripseras; ut in diversis licet terris positi, operantis in nobis spiritus unitatem tacita in corporibus separatis connexione, paribus aut incommodis, aut remediis congruentes experiremur.

25 10. Pone (*id est* Depone. *V.* carm. 14, v. 81) igitur et tu, frater unanime, meliorque in Christo nostri portio, si quam ex nostræ castigationis indicio tristitiam pia mente duxeris: *Quia castigans castigavit nos Dominus, et morti non tradidit nos* [p]. Visitati enim medica Omnipotentis manu, in spem sanitatis a præsenti ægritudine fovebamur: flagella invicem nostra mutuis consolationibus mollientes. Nam solatium nobis magnum et dulce præbebat ipsa conjunctio passionis; quod non sine Domini numine, cujus injussu nec passeris casus in terram est [q], concurrisse in nobis ipsa unitas verberum videbatur. Sic et commoditas cœperat ambobus una procedere: seu quod alter alterius levamine respirabat, sive quod Dominus unitatis operator, individuo spiritu omnes suos nectens, neque * carnalem in nobis substantiam discrepare pateretur.

11. Non hæc tamen tantum causa pueros nostros morata est. Nam Vigilantius quoque noster in Campania, et antequam ad nos perveniret, et posteaquam pervenit, vi febrium laboravit: et ægritudini nostræ, quia et ipse sociale membrum erat, (*g*) socio labore compassus est. Denique ille catechumenus, qui necdum nostri corporis erat membrum, vulnera nostra non sensit, et sanus fuit, atque expers languorum nostrorum, quia non suæ compaginis dolorem caro adhuc aliena sentire non poterat. Ergo ut cœpit Vigilantius noster progredi posse, tum demum censui scripta esse reddenda. Fatemur enim, ambos multo ante properasse: sed cum ante virium receptionem

[a] I Cor. I, 27. [b] Apoc. I, 20. [c] Matth. VI, 22. [d] Isai. XLII, 3. [e] Thren. III, 28, juxta LXX. [f] Isa. LIII, 7. [g] Isai. XLII, 14, sec. LXX. [h] Rom. VIII, 34. [i] Deut. XIII, 3. [j] Rom. V, 4. [k] Matth. V, 25. [l] Psal. XXXVII, 4, et LXXXIII, 3, et XV, 9. [m] Apoc. III, 11. [n] Rom. VIII, 28. [o] I Cor. XII, 26. [p] Psal. CXVII, 18. [q] Matth. X, 29.

(*a*) Ita iidem mss. et editi codices. Ceteri, *noscere.*

(*b*) Sic mss. Editi, *deduci.*

(*c*) Ita ms. Vien. et edit. Schot. Alii, *tacens*, nullo sensu.

(*d*) Sic LXX interpretes, Tertullianus lib. de Pudicitia paulo post initium, Cyprianus lib. II Testimon., cap. 27 et Paulinus noster epist. 38 ad Aprum, n. 4.

(*e*) Mss. et editi vetustiores constanter habent *totiens, quotiens:* quod semel observasse sufficiat.

(*f*) Ita ms. Vat. et edit. Grin. Alii, *ideo.*

(*g*) Sic ms. codex Vatic., ed. Schot. et edit. Grin. in marg. ms. Reg. proxime accedit, *solacio.* Alii *solativo*, minus bene. Lectio hic restituta confirmatur ex sequentibus, *post ægritudinem communi labore toleratam*, n. 12, et ex epist. 2 ad Amandum, n. 3, *ut sociali invicem membro nobis collaboremus*; et ep. 13, n. 3, *socialia membra, et commune membrum.*

temere festinaret, qui non poterat; (*a*) impie, qui valebat (*V.* not. 13); ambos, quia non poteramus volentes consilio, retinuimus invitos silentio.

12. Itaque, ut supra scripsimus, post ægritudinem communi labore toleratam, orationibus sanctorum atque carorum, parte etiam, ut credimus, maxima tuis, respiciente clementius Domino, recreati, adhuc tamen exhaustis corporibus [a] infirmi. In quo quidem nos gloriari Apostolus docet, quem potentem, ut prædicat, faciebat infirmitas [a]; quia scilicet caro [b], quæ adversus spiritum militat, cum adversa valetudine frangitur, pariter, infractis viribus, spiritalem non valeat expugnare virtutem. Carne igitur infirmi ad profectum spiritus, qui damno **26** carnis exsultat, et tamquam inimicæ materiæ tribulatione lætatur, atque infirmatione domiti corporis convalescit, sana et valida caritate, quam erga te per Dominum Jesum magnam habemus, dedimus has litteras in solatium tui, ut nos interim teneamus tuas : donec te ipsum, ut spopondisti, et quod numquam desinimus a Domino sperare, videamus.

13. Multa sunt, quæ ad nos invitare te, et de patria parumper debeant sevocare; præ ceteris amor pacis, et zeli fuga, qui maxime conspectu aut vicinia æmulæ conversationis accenditur. Denique a nobis Romæ (*V.* not. 14) zelotyporum incendia clericorum longinquitas Urbis exstinguit, et omnis illic iniquitas obstruit os suum [c] : quia per absentiam inde nostram quasi subducto fomite, segnis odiorum flamma frigescit; nec in vocem audet erumpere, licet dentibus (*b*) frendat invidia, dum iniquitatis suæ conscia ipsa se erubescit, nec in promptu habet ubi faces lividæ mentis accendat. *Pax* tamen *Dei, quæ præcellit omnem sensum, abundat in cordibus* [d] plurimorum, et opus Dei Salvatoris in nobis Campania tota veneratur. Romæ quoque pauci etiam in clero ipso, a quo solo videmur scandalizari, morsu invidiæ commoventur. Sed Domino gratias, qui et mihi miserrimo peccatori suo dedit dicere : *Quoniam oderunt me gratis* [e]. Quod [10] tamen ad me pertinet, *cum ipsis* quoque, *qui oderunt pacem* (*c*) meam [11], mente *pacificus sum* [f]. *Si quis enim vult contentiosus esse, hoc nostra consuetudo non recipit* [g]. Horum tamen ipsorum, qui nos odisse, et a consortio sanctitatis suæ segregare dicuntur, vix ad nos tenuis fama perlabitur, et ab auribus nostris spinarum sepe munitis [h], ut aura frigida, vel importunum vacui culicis murmur excluditur.

14. Sed plenius indicare poterunt conservi nostri, A pueri tui, quantum nobis gratiæ dominicæ detrimentum faciat (*d*) Urbici papæ superba discretio: qui paucis ipsis diebus, quibus interfuere, viderunt quam assidua nos, quam sedula sollicitorum fratrum monachorum, antistitum, clericorum, atque etiam ipsorum sæpe secularium officia, toto illo (*e*) nostræ ægritudinis tempore celebraverint. Quod apud unanimitatem tuam, de dominica tamen gratia, cujus hoc quoque opus et munus est, gloria licet, **27** nemo propemodum tota Campania episcoporum non visitare nos fas existimavit sibi. Et quos infirmitas vel necessitas aliqua devinxerat, missis vice sua [12] clericis et litteris adfuerunt (*V.* not. 15). Afri quoque ad nos episcopi revisendos prima æstate miserunt. Quod cum ita sit, vides quantopere ad humilitatem nostram fe-B stinare debeas, ut et paululum occasionem auferas quærentibus occasionem, et pro gratiæ vel caritatis augmento (*f*) peregrineris a patria dum adhuc hospes corporis peregrinaris a Christo [i], quia Veritas ipsa testatur *neminem prophetam acceptum esse in patria sua* [j].

15. Fateor autem, licet mihi nihil præsentia tua gratius dari possit, accensum esse desiderium meum flagrantius in præsentiam tuam, quod multos fratres spiritales tecum nobis adfore spopondisti. Eritne quæso tempus illud, et illucescet ille aliquando dies, quo fraternitatem tuam comite electorum Dei cohorte venientem, in gremio jam communis (*V.* not. 16 et 17) patroni [13] Dominædii mei Felicis excipiam; et, quod nunc ipsius orationibus impetrari rogo [14], id C impetratum coram, apud ipsum pariter in Domino gratulemur? cum ego vos simul et vicissim complexus omnes, merito dicam concinentibus vobis: *Hæc* plane *dies, quam fecit Dominus; exsultemus et lætemur in ea* [k] : quia *bonum et* (*g*) *jucundum habitare fratres in unum* [l]. Tum ego te non in monasterio tantum vicini Martyris inquilinum, sed etiam in horto ejusdem colonum locabo, sed gratis; quia jam a patrefamilias accepisti denarium tuum [m] : præter illos, quos idem Dominus (*h*) jam pro vulneribus tuis largus stabulario dedit [n], ut curatus oleo misericordiæ, et vino gratiæ, utilius ad dominicam vineam integrato corpore locareris.

16. Videre ergo jam mihi videor hortulum meum adventantibus tecum Domini mercenariis, et coope-D rantibus cultiorem. Neque enim difficile existimari [15], quam facile (*V.* ep. 49. n. 2) depleturi [16] sint levioris culturæ laborem, quos in vineam suam Christus ele-

[a] II Cor. xii, 10. [b] Gal. v, 17. [c] Psal. cvi, 42. [d] Philip. iv, 7. [e] Psal. xxxiv, 19. [f] Psal. cxix, 7. [g] I Cor. xi, 16. [h] Eccli. xxviii, 28. [i] II Cor. v, 6. [j] Luc. iv, 24. [k] Psal. cxvii, 24. [l] Psal. cxxxii, 1. [m] Matth. xx, 9. [n] Luc. x, 35.

(*a*) Ita mss. Belgic. et Reg. Vide not. 13.

(*b*) Sic mss. Reg. et Vien. et editi 4. Sic *frendit* apud Prudentium lib. Peristephanωn, hymno 5 de S. Vincentio martyre, vers. 393. Eadem quoque voce usus est Plautus. Edit. Rosv., *frendeat.*

(*c*) Deest *meam*, in ms. Vien.

(*d*) Cognomen est inditum ab urbe Roma. Hinc Zephyrinus *Urbicus papa* dicitur ab Optato lib. i; uti et in concilio Arelat. de diaconis *Urbicis* agitur, id est Romanis.

(*e*) Ita ms. Vien. Alii codices, *nostro.*

(*f*) Ms. Vatic., *peregrinari*, sublata particula *et*, quæ etiam abest a ms. Reg. et edd. Bad. et Schot., quod commodum sensum reddit.

(*g*) Mss. codices et vetustiores editi constanter habent *jocundum.*

(*h*) Sic mss. Reg. et Vien. Alii codices, *tam.*

git [a]; et otiosos Deo, in vano hujus seculi foro stare A non passus est. Jam et domestica mihi post osculum sanctum gaudia mente et cogitatione propono, cum inebriante spiritu caritatis sobriam misceamus per pocula casta lætitiam; *nec in fermento nequitiæ, sed in* **28** *azymis sinceritatis* [b] pia festa celebremus, *psallentes Domino in hymnis et canticis spiritualibus, cantantes linguis et cordibus Deo*, omne *quodcumque agimus in verbo vel in facto, in nomine Jesu Christi, gratias agentes Deo Patri, per ipsum.* [c] *Qui facit unius moris habitare in domo* [d], ut spero, nos faciet inter nos in semetipso habitare. *Qui fecit* (*a*) *utrumque unum* [e], et exaltatus omnia traxit ad se [f], qui humiliatus ipse pacificaverat omnia [g], reconcilians mundum Deo, cum repleverit gaudio os nostrum præsentia vestræ unanimitatis, dicemus: *Magnificavit Dominus facere nobiscum* [h]: B et in abundantia lætitiæ nostræ *benedicemus vos de domo Domini*, quia *benedicti vos Domino, qui venistis in nomine Domini. Calicem salutaris accipiatis* [i], *et edatis panem beatorum in regno Dei* [j]; vos enim estis coram Domino Jesu satietas nostra et gaudium.

17. Aude igitur erumpere non tuis opibus et viribus, sed fretus et nixus [17] in Christo: quia *virga ejus et baculus ipsius nos consolatur* [k], et sustinet, et gubernat. Qui portat ægrimonias nostras, et infirmitates nostras suscepit [18] [l], dat lasso virtutem, confortat genua debilia [m], ipse *statuet et immaculatam* et inoffensam *viam tuam; præcinget te virtute, et perficiet pedes tuos tamquam* (*b*) *cervi, ut exsultes sicut gigas ad currendam viam* [n], C ne [19] impedire te possit trepidæ carnis infirmitas: qui non (*c*) in carne, sed in spiritu incedis. Servientes enim Christo corporis servitio [o], animi imperio magis utimur. Atque ideo voluntatem nostram Christo autore directam caro jussa comitatur, trahitque corpus ab animi fortitudine firmitatem: et ad domini habitum famulus componit obsequium. Atque ita *virtus in infirmitate perficitur* [p], dum anima consensu carnis edomitæ Deo serviens, per infirmitatis ministerium implet officia virtutis.

18. *Intende* igitur, et *prospere procede, et deducet te mirabiliter dextera Dei. Misericordia ejus* et gratia *præibunt faciem tuam* [q]: et si infirmus domo prodeas, robur acquires eundo. *Sperantes enim in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ* [r]. D Si ergo habeas cor ardens in via [s], *renovabitur sicut aquilæ juventus tua* [t]. *Curres, et non* (*d*) *lassabis: ambulabis, et non deficies* [u]: non te virga, non pera, non sacculus prægravabit: **29** non calciamenta, nec duplex vestis impediet [v]; sed exuto carnalibus vinculis, ut in terra sancta liceat [20] stare, vestigio, [21] lumbisque præcinctis [x], nullo ære, gravi zona, festinanter, ut Pascha Domini, et opus Christi in tempore collecto gerendum est, viam tuam curres: *prosperum iter faciet Deus salutarium nostrorum* [y]. *omnis* tibi *vallis* (*e*) *implebitur, et omnis collis humiliabitur: ut fiant aspera* iniquitatum *in vias planas* [z], *ne usquam itineris offendas pedem tuum* [aa]: *quia angelis suis mandavit* [22], *ut custodiant te in omnibus viis tuis* [bb]: et ipse *Dominus protectio tua* scuto pacis suæ circumibit [23] te, præluceus tibi in lumine vultus sui [cc], et prætendens in umbra alarum suarum [dd]: ut *per diem sol non urat te, neque luna per noctem* [ee]. Ubique loci [24] custodiet atque benedicet introitus et exitus tuos, ut in omni loco filium pacis invenias, et super omnem hospitem pax tua veniat [ff].

19. Quod si forte proficiscens, cogitata carorum hominum, vel assuetorum locorum divulsione lacrymaveris, temporalis tristitia tua in æternam lætitiam convertetur. *Euntes*, inquit, *ibant et flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum* [25] *exsultatione portantes manipulos suos* [gg]. Ita tu, et si veniendo fleveris, redeundo gaudebis, et in gaudio metes, quæ in lacrymis seminaveris. *Gratia Domini Jesu* [26] *Christi, et caritas Dei Patris, et communicatio Spiritus sancti* [hh] cum tota domo tua non manufacta: quia *vos estis templum Dei vivum, ædificatum in fundamentis apostolorum in Christo* [ii] Deo, mihi unanime, venerabilis, dilectissime, et desiderantissime. Sanctam (Bassulam innuit) parentem nostram, matrem in Christo coheredem tuam veneratione, qua digna est, salutari peto. Conserva in Domino (Therasiam dicit) mea fraternitatem tuam, quo veneratur affectu, salutat. Et vos a nobis omnem sanctam fraternitatem, qualem agere vobiscum certi sumus, multo obsequio salutate. Salutant vos omnes, qui in Domino nobiscum sunt: ut ex Hebræis Proforus, et Restitutus amans Dominum, et te in Christo compertum diligens, et multum desiderans.

20. In epistolæ titulo imitari præstantem in omni-

[a] Matth. xx, 4. [b] I Cor. v, 8. [c] Eph. v, 19; Col. III, 16, 17; I Cor. x, 31. [d] Psal. LXVII, 7. [e] Eph. II, 14. [f] Joan. XII, 32. [g] Col. I, 20. [h] Psal. CXXV, 3. [i] Psal. CXVII, 26 et CXV, 13, 15. [j] Luc. XIV, 15. [k] Psal. XXII, 4. [l] Isai. LIII, 4. [m] Isai. XXXV, 3. [n] Psal. XVII, 33, et XVIII, 6. [o] Rom. VIII, 9. [p] II Cor. XII, 9. [q] Psal. XLIV, 5, et LXXXVIII, 15. [r] Isai. XL, 31. [s] Luc. XXIV, 32. [t] Psal. CII, 5. [u] Isai. XL, 31. [v] Matth. X, 10. [x] Exod. XII, 11. [y] Psal. LXVII, 20. [z] Isa., XL, 4; Luc. III, 4. [aa] Psal. XC, 11 et 12. [bb] Psal. CXX, 5. [cc] Psal. LXXXVIII, 16. [dd] Psal. XVI, 8. [ee] Psal. CXX, 6. [ff] Luc. X, 6. [gg] Psal. CXXV, 6. [hh] II Cor. XIII, 13. [ii] I Cor. III, 16, et VI, 19; Eph. II, 20.

(*a*) Ita et alibi Paulinus. Vulgata, *utraque*

(*b*) Eodem modo Paulinus in epistola 13 ad Pammachium, n. 23. Sic libri Græci, LXX interpretes, Augustinus in commentario super psalmos; Psalteria vetus et Romanum.

(*c*) Ita ms. Vatic. Alii codd. carent præpositione *in*, quam ideo restituimus, quia reperitur apud Paulum: et præterea consimili locutione hæc lectio confirmatur ex mss. duobus Bigotianis in epist. 50 Paulini ad Augustinum, n. 3, ubi legitur *quia non in carne, sed in spiritu ambulat.*

(*d*) Sic ms. Regius. Alii codices, *lassaberis*. Verum lectio hic restituta confirmatur ex carm. 32, vers. 118.

(*e*) Ita LXX interpretes. Vulgata *exaltabitur*.

bus mihi fraternitatem tuam timui : quia tutius credidi vere scribere. Cave ergo posthac servus Christi in libertatem vocatus, hominis et fratris et conservi inferioris servum te scribere : quia peccatum adulationis est magis, quam humilitatis justificatio, honorem uni Domino, uni magistro super terram, uni Deo debitum, homini cuilibet, ne dicam miserrimo peccatori, deferre. Sufficit *caritas* **30** *de corde puro, et fide non ficta* [a] *: quod autem abundantius est, a malo est* [b]. Obsecro te frater per Dominum, ut præsumtionem de te meam spiritu revelationis (*forte* relevationis) inspicias; alioquin et offensam tuam possum vereri de epistola tam loquaci : sed apud caritatem, quæ *omnia sustinet* [c], ex eo ipso gratia debet augeri, quo fastidium comparari solet, ubi nulla caritas tædium temperat. In dictando enim dum te cogito, et totus in te sum, quasi apud præsentem longo intervallo loquar [27], obliviscor impositum finire sermonem.

21. Panem Campanum de cellula (*V.* not. 18) nostra tibi pro [28] eulogia misimus, tantum meritis in Domino tuis freti, ut plena ad te perferendum sui gratia crederemus : tu licet uberioribus micis a Domini mensa jam saturatus sis, dignare et a peccatoribus acceptum in nomine Domini panem in eulogiam vertere. Ac ne panis siligineus tibi modum nostræ humilitatis excedere videretur, misimus testimonialem [29] divitiarum nostrarum scutellam buxeam; ut (*a*) apophoretum (*V.* not. 19) voti spiritalis accipies [30], habiturus exemplo, si necdum simili argento uteris. Quod si nigellatum (*V.* not. 20) habes, mitte nobis per ea vascula, quæ pueris (*b*) tuis, filiis nostris, demandavimus. Amamus enim vasa fictilia, quia et secundum Adam cognata nobis sunt, et Domini thesaurum in talibus vasis commissum habemus [d].

22. Præterea peto, quia summum animi tui jus habere me confido; ut si necesse fuerit, deficientibus a me et libertis, et servis, et fratribus, tuam curam impendas, et ordinare digneris [31], qualiter ad nos vinum vetus, quod Narbone adhuc nos habere credimus, pervehatur. Ne timeas, frater sancte, damnum, si nos feceris etiam pecuniæ debitores. *Omnes* enim nostri a nobis *declinaverunt, simul impii facti sunt* [e], *et inimici hominis domestici ejus* [f].

A

EPISTOLA * VI.

Augustino, non accepto ab eo responso, denuo per alios scribit Paulinus.

Domino sancto fratri et unanimo AUGUSTINO, PAULINUS et THERASIA peccatores.

1. Jamdudum frater in Christo Domino, mi unanime, ut te in sanctis et piis laboribus tuis nescientem agnovi, absentemque vidi, tota mente complexus, alloquio quoque familiari atque fraterno per litteras (*c*) adire properavi. Et credo **31** in manu et in gratia Domini sermonem meum ad te fuisse perlatum : sed morante adhuc puero, quem ad te aliosque dilectos æque Deo salutandos ante hiemem (*Sub finem anni* 394) miseramus, non potuimus ultra et officium nostrum suspendere, et desiderium sermonis tui cupidissimum
B
temperare. Scripsimus itaque iterato nunc si priores ad te litteræ nostræ pervenire meruerunt; aut primo, si illis in manus tuas perveniendi felicitas non fuit.

2. Sed tu, frater (*d*), *spiritalis omnia judicans* [g] amorem in te nostrum ne pendas officio solo, aut tempore litterarum. Dominus enim testis est, qui *unus atque idem operatur* [h] in suis ubique caritatem suam, jam abinde nobis, ex quo te beneficio venerabilium episcoporum Aurelii et Alypii, per tua in Manichæos opera cognovimus, ita inditam dilectionem tuam, ut nobis non novam aliquam amicitiam [1] sumere, sed quasi veterem caritatem resumere videremur. Denique nunc etsi sermone, non tamen tamquam et affectu rudes scribimus, teque vicissim spiritu per inte-
C
riorem hominem quasi recognoscimus. Nec mirum si et absentes adsumus nobis, et ignoti nosmet novimus, cum unius corporis membra simus [i], unum habeamus caput, una perfundamur gratia, uno (*V.* not. 21) pane vivamus, una incedamus via, eadem habitemus domo. Denique in omne quod sumus, tota spe, ac fide qua stamus in præsenti, nitimur in futurum : tam in spiritu quam in corpore Domini unum sumus, ne simus nihil, si ab uno excidamus.

3. Quantulum ergo est, quod absentia corporalis nobis invidet nostri, nisi sane fructum istum, quo pascuntur oculi temporalium (*e*) exspectatores? Quamvis nec corporalis quidem gratia temporalis in spiritalibus dici debeat, quibus etiam corporum æternitatem resurrectio largietur; ut audemus in virtute
D
Christi et (*f*) bonitate Dei Patris vel indigni præsumere. Quare utinam hoc quoque nobis munus an-

[a] I Tim. I, 5. [b] Matth. V, 37. [c] I Cor. XIII, 7. [d] II Cor. IV, 7. [e] Psal. XIII, 3, et LII, 4. [f] Matth. X, 36.
[g] I Cor. II, 15. [h] I Cor. XII, 1. [i] Rom. XII, 5; I Cor. XII, 12; I Cor. X, 17.

* Alias 42; quæ autem erat 6, nunc 1, Scripta an. 395.

(*a*) Mss. duo et ed. Bad., *apophoritam*, mendose. Vide not. 19.

(*b*) Ms. Vien. addit *tuis*. Ita sæpe Paulinus. Vide n. 1 hujusce epist. et carm. 32, vers. 599.

(*c*) Ita ms. Bigotianus unus. Optima lectio, quæ confirmatur ex epist. 13 ad Pammachium, n. 2, *ut te spiritali aditu visitarem*, et epist. 11 ad Sever., n. 3, *nos litteris adeas*. Ceteri codices, *audire*.

(*d*) Sic mss. codices. At editi, *spiritaliter*.

(*e*) Ita mss. duo Big. et edit. Bened. et Grav. Vide epist. 31, n. 5. Similiter juxta mss. codices, *exspectare* pro *spectare*, et *exspectator* pro *spectator*, sæpe sæpius apud Augustinum tom. IV. Item in veteri versione Latina Passionis SS. Martyrum Tarachi, Probi et Andronici, pag. 261 et 268 edit. Bigot. Ante erat *spectatores*.

(*f*) Mss. 14, inter quos duo Big., *bonitatis*.

nueret gratia Dei per Dominum nostrum Jesum Christum, ut etiam in carne faciem tuam videremus. Non solum desideriis nostris magnum conferretur gaudium, sed etiam mentibus lumen accresceret, et ex tua copia locupletaretur inopia nostra. Quod quidem et absentibus largiri potes, hac præsertim occasione, qua filii nostri unanimes, et carissimi nobis in Domino, Romanus et Agilis, quos ut nos (*a*) alteros tibi commendamus, in nomine Domini revertentur, opere caritatis impleto ; in quo tuæ caritatis affectu specialiter utantur, rogamus. **32** Nosti enim quam celsa promittat Altissimus fratri fratrem adjuvanti [a]. Per hos, si quo me gratiæ quæ tibi data est, dono remunerari voles, tuto facies. Sunt enim, velim credas, unum cor et una nobiscum in Domino anima [b]. Gratia Dei tecum, ut est, in æternum maneat, frater in Christo Domino unanime, venerabilis, dilectissime, et desiderabilis. Omnes in Christo sanctos, quales tibi cohærere non dubium est, a nobis saluta. Commenda nos omnibus sanctis, ut tecum pro nobis orare dignentur.

EPISTOLA XXXI (*Al.* XXXIV)

AUGUSTINI AD PAULINUM ET THERASIAM.

Augustinus Paulino pro secundis litteris ab eo receptis grati animi obsequium exhibet, seque Valerio coepiscopum Hipponensem ordinatum esse renuntians, exoptat ut in Africam trajicere ipse velit, magno cum sibi solatio, tum ceteris Christianis exemplo futurus.

(Hanc epistolam, si placet, legesis inter opera S. Augustini, nostræ Patrologiæ tomo XXXIII, col. 121-125.)

EPISTOLA * VII.

36 *Ad Romanianum scribens, gratulatur Ecclesiæ Hipponensi quod Augustinum meruit Episcopi collegam.*

Domino merito prædicabili, et honorando fratri ROMANIANO, PAULINUS et THERASIA.

1. Pridie quam has daremus, reversis ex Africa fratribus nostris quorum exspectatione nos pendere vidisti, optatissime sanctorum et carissimorum virorum, inde epistolas receperamus, id est Aurelii, Alypii, Augustini, (*b*) Profuturi (*V.* not. 22), (*c*) Severi (*V.* not. 23), jam omnium pariter episcoporum. Ergo tot sanctorum talium recentissimis sermonibus gratulantes, properavimus ad te nostram referre lætitiam, ut tibi quoque exspectatum in peregrinatione sollicita gaudium festivissimis conferremus indiciis. Si forte eadem de venerabilibus et amantissimis viris per aliarum adventus navium comperisti, per nos etiam repetita accipe, et quasi renovata hilaritate rursus exsulta. Quod si primus hic a nobis tibi nuntius venit, gratulare tantam nobis in tua patria caritatem, Christo donante, (*d*) partam, ut quidquid illic divina providentia gerat, *mirabilis* semper, ut scriptum est, *in sanctis suis* [c], vel primi, vel cum primis sciamus.

2. Non autem tantum hoc scribimus gratulandum, quod episcopatum Augustinus acceperit; sed quod hanc Dei curam meruerint Africanæ Ecclesiæ, ut verba cœlestia Augustini ore perciperent; qui ad majorem dominici muneris gratiam novo more provectus, ita consecratus est, ut non succederet in cathedra episcopo, sed accederet. Nam incolumi Valerio Hipponensis Ecclesiæ (*e*) coepiscopus (*V.* not. 24) Augustinus est. Et ille beatus senex, cui purissimam mentem nulla unquam liventis invidiæ macula suffudit, dignos sui cordis pace nunc ab Altissimo fructus capit, ut, quem successorem sacerdotii sui (*f*) simpliciter optabat, hunc (*g*) mereatur tenere collegam. Credine hoc potuit, antequam fieret? Sed in hoc quoque Omnipotentis opere dici evangelicum illud **37** potest : *Hominibus hæc ardua, apud Deum autem omnia possibilia* [d]. Exsultemus itaque et lætemur in eo *qui facit mirabilia solus* [e], et *qui facit unanimes habitare in domo* [f], quoniam ipse respexit humilitatem nostram, et visitavit in bono plebem suam, qui *erexit cornu in domo David pueri sui* [g], et nunc exaltavit cornu Ecclesiæ suæ in electis suis, ut cornua peccatorum, sicut per prophetam spondet, hoc est, Donatistarum Manichæorumque confringat [h].

3. Utinam hæc nunc Domini tuba, qua per Augustinum intonat, filii nostri Licentii pulset auditus; sed ut illa audiat aure, qua Christus ingreditur, de qua non rapit Dei semen inimicus [i]. Tunc vere sibi summus Christi pontifex Augustinus videbitur, quia tunc se et exauditum sentiet ab Excelso, si quem tibi dignum genuit in litteris, hunc et sibi digne filium pariat in Christo. Nam et nunc, velim credas, flagrantissima de ipso nobis sollicitudine scripsit. Credimus in omnipotentem Christum, quod adolescentis nostri votis carnalibus spiritalia vota Augustini prævaleant. Vincetur vel invitus, mihi crede, vincetur piissimi parentis fide, ne mala victoria vincat, si maluerit in

[a] Prov. XVIII, 19. [b] Act. IV, 32. [c] Psal. LXVII, 36. [d] Matth. XIX, 26; Marc. X, 27; Luc. XVIII, 27. [e] Psal. LXXI, 18. [f] Psal. LXVII, 7, sec. Psalt. Rom. [g] Luc. I, 69. [h] Psal. LXXIV, 11. [i] Matth. XIII, 4; Marc. IV, 4; Luc. VIII, 5.

* Alias 46, pars 1; quæ autem 7 erat, nunc 22. Scripta anno 396.

(*a*) Mss. duo Big., *Alios*.

(*b*) *Profuturus* is esse videtur qui in libro S. Augustini de Unico Baptismo contra Petil., c. 16, laudatur Cirtensis episcopus, et ad quem directa est ejusdem Augustini epistola 38 (al. 149). Evodius demum in epistola 158, n. 9 (al. 258), inter epistolas Augustini, Profuturum quem olim in monasterio noverat, apparuisse sibi per somnium, et futurum aliquid prænuntiasse, refert. Vid. not. 22.

(*c*) *Severi* Milevitani antistitis, de quo Augustinus epist. 31, n. 9 (al. epist. 34). Vid. not. 23.

(*d*) Mss. duo Bigotiani, *paratam*.

(*e*) Editi addebant, *episcopo*. Hanc vocem, quæ abest a duobus mss. Big. Vatic. 4, edit. Bened. expunximus.

(*f*) Sic mss. codd. Vatic. 4 et Big. 2, consentiente edit. Bened. In aliis edit., *suppliciter*.

(*g*) Ita mss. Vatic. 4 et edit. Bened. Ceteri codices, *mereretur*.

perniciem suam vincere, quam pro salute superari. A Ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de (*a*) buccellato Christianæ expeditionis, in cujus procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi pariter et filio nostro Licentio misimus; non enim potuimus a benedictione secernere, quem cupimus eadem nobis gratia penitus annectere. Paucis tamen et ad ipsum loquamur, ne neget sibi scriptum, quod de se tibi scriptum est; *Æschino enim dicitur, quod audit Mitio* (*Terent. in Adelphis. V.* not. 25). Sed quid de alienis loquar, cum de proprio cuncta possimus? et aliena loqui, non soleat esse sani capitis, quo [1] Dei gratia sano et salvo sumus, quibus caput est Christus? Incolumem te ætate quamplurima, et beatum semper cum tota domo tua, ut cupimus, habeamus in Christo, domine B frater merito honorandissime et desiderantissime.

EPISTOLA * VIII.

AD LICENTIUM.

Licentum Romaniani filium, pro quo scripserat Augustinus ejus olim magister, hortatur Paulinus et prosa et carmine, ut contemto aulæ fastu se dedicet Christo.

1. Audi ergo fili legem patris tui [a], id est, fidem Augustini; et noli repellere consilia matris tuæ, quod æque nomen in te Augustini pietas jure sibi vindicat; qui te tantillum sinu gestavit suo, et a parvulis primo lacte sapientiæ secularis **38** imbutum, nunc etiam spiritalibus lactare et enutrire Domino gestit C uberibus. Quoniam te adultum ætate corporea, in spiritalibus adhuc cunabulis vagientem videt, adhuc infantem verbo Dei, vix dum in Christo primis passibus et vestigio titubante repentem; si tamen Augustini doctrina, tamquam manus matris et ulna nutricis, instabilem regat parvulum. Quem si audias et sequaris, ut rursum te sermone Salomonis alliciam: *Fili, coronam accipies gratiarum tuo vertici* [b]. Et tunc vere eris ille non phantasmate somniatus, sed ab ipsa veritate formatus consul et pontifex, vacuas imagines falsi operis, implente Christo, solidis suæ operationis effectibus. Vere enim pontifex, et vere consul, (*b*) Licentius erit, si Augustini vestigiis, propheticis et apostolicis disciplinis, ut sacrato beatus Elisæus Eliæ [c], ut illustri apostolo Timotheus adolescens adhæreat, D indivulso per itinera divina comitatu; ut et sacerdotium corde perfecto discat mereri, et populis ad salutem (*c*) magistro ore consulere.

2. Sat hoc monitis et hortatui. Modico enim sermone et labore te arbitror, mi Licenti, ad Christum posse incitari, jam a pueris ad studia [1] veritatis et sapientiæ, quod utrumque vere est Christus, et omnis boni summum (*d*) bonum venerabilis Augustini spiritu et ore flammatum. Qui si parum apud te pro te valuit, quid ego tanto intervallo posterior, et omnium illius opum pauper, efficiam? Sed quia et illius facultatis potentia, et tui ingenii humanitate confisus, pleniora atque majora in te spero elaborata, quam elaboranda, ausus sum hiscere duplici gratia, ut et illi viro (*e*) debita caritate compararer in sollicitudine tui; et inter eos qui salutem tuam diligunt, vel contestato numerarer affectu. Nam (*f*) effectus in tui perfectione palmam Augustino potissimum destinatam scio.

3. Vereor, fili, ne aures tuas asperitate temerarii sermonis offenderim, et per aures animo etiam tuo tædii mei vulnus intulerim. Sed in mentem venit epistola tua (Carmen Licentii contentum epist. 26 S. August. [*al.* 39]), qua te musicis familiarem modis intellexi. A quo studio ego ævi quondam tui non abhorrui. Itaque mihi ad tuam mentem, si in aliquo exulcerassem, deliniendam remedium litteras tuas recordatus reperi, ut te ad Dominum harmoniæ omniformis artificem modulamine carminis evocarem. Quæso te ut aure audias; neque causam salutis tuæ in verbis meis spernas, sed piam curam et mentem paternam etiam in despiciendis sermonibus libenter accipias; quibus insitum Christi *nomen quod est super* [1] *omne nomen* [d], hanc deberi venerationem facit, ut non possit a credente contemni.

39-40 Quare age, rumpe moras, et vincla tenacia [secli:
Nec metuas placidi mite jugum Domini.
Pulcra quidem, sed mira vagis præsentia rerum
Mentibus, at sapiens non stupet ista animus.
Nunc te sollicitat variis malesuada figuris,
Heu! validos etiam vertere Roma potens.
Sed tibi, nate, precor, semper pater Augustinus
Occurset, cunctas Urbis ad illecebras.
Illum tanta inter fragilis discrimina vitæ
Aspiciens, et habens pectore, tutus eris.
Hoc tamen et repetens, iterumque iterumque monebo
Ut fugias duræ lubrica militiæ.
Blandum nomen honos, mala servitus, exitus æger,
Quem nunc velle juvat, mox voluisse piget.
Scandere celsa juvat; tremor est descendere celsis.

[a] Prov. I, 8. [b] Prov. I, 9, sec. LXX. [c] IV Reg. II, I. [d] Phil. II, 9.

* Alias 46, pars 2; quæ autem erat 8, nunc 30. Scripta et missa cum superiore anno 396.

(*a*) Mss. codices, *buccillato*. *Buccillatum* vocabatur militaris panis ad buccellæ fere modum confectus, ut ad usus diuturnitatem facilius excoqueretur, de quo Ammianus lib. XVII; RR. PP. Benedictini ad S. August. epistolas, pag. 59.

(*b*) Sic mss. codices Vatic. 4 et Bigotiani duo: quod videtur acrius quam quod est in editis, *Licenti eris*. Iidemque mss. infra, *adhæreat.... discat*.

(*c*) Ita sex iidem mss. cum edit. Bened. Alii codd *magistri*.

(*d*) Hanc vocem addidimus ex mss. Vaticanis quatuor, 1 Big. et edit. Bened.

(*e*) Sic mss. sex, ex quibus duo Big. et ed. Ben. At mss. octo, *de vita, et caritate*, Edd., *devincta*.

(*f*) Ita edit. Bened. Grav. et Rosv. At mss. 12, *affectus*.

Si titubes, summa pejus ab arce (*a*) cades.
Nunc tibi falsa placent bona, nunc rapit [a] omnibus auris
Ambitus, et vitreo fert cava fama sinu?
Ast ubi te magno (*b*) damno succinxerit emto
Balteus, et sterilis fregerit inde labor,
Serus, et incassum spes accusabis inanes
Et modo quæ nectis, rumpere vincla voles.
Tunc reminisceris frustra patris Augustini,
Contemsisse dolens veridicos monitus.
Quare si sapiens, et si pius es, puer, audi;
Et cape verba patrum, consiliumque senum.
« Quid retrahis fera colla jugo? Mea (*c*) sarcina lenis,
Suave jugum [b]. » Christi est vox pia : crede Deo,
Et caput adde jugis, da mollibus ora capistris.
Demissosque levi subde humeros oneri.
Nunc potes hoc, dum liber agis, dum nulla retentant
Vincula, nulla tori cura, nec altus honor.
Hæc bona libertas, Christo servire, et in ipso
Omnibus esse supra. Non dominis hominum,
Non vitiis servit, non regibus ille superbis,
Tantum qui Christo se dederit Domino.
Nec tibi nobilitas videatur libera, quam nunc
Sublimem attonita conspicis Urbe vehi.
Quam cernis tanta sibi libertate videri,
Ut dedignetur flectere colla Deo.
Multis ille miser mortalibus, et quoque servis
Servit; et ancillas, ut dominentur [a], emit.
Norunt eunuchos et magna palatia passi,
Et quisquis Romam, sponte miser, patitur;
Quanto sudoris pretio, damnoque decoris [b]
Constet ibi chlamydis, hic honor officii.
Nec tamen ipse potens, qui celsior omnibus esse
Emerit, ut nulli serviat, assequitur.
Cum bene se tota dominum jactaverit Urbe,
Servit dæmoniis, si simulacra [a] colit.
Proh dolor! hos propter remoraris in Urbe, Licenti?
Et regnum Christi spernis, ut his placeas?
Hos vocitas dominos, curva et cervice salutas,
Quos ligni servos conspicis et lapidis?
Nomine divino argentum venerantur et aurum
Relligio est, quod amat morbus avaritiæ.
41-42 Imprecor hos ut amet, qui non amat Augustinum;
Non colat et Christum, cui placet hos colere.
Inde ait ipse Deus, dominis non posse duobus
Serviri [c], quoniam mens placet una Deo.
Una fides, Deus unus, et unicus e Patre Christus [d],
Haud duplex uni servitus est domino.

A Quanta etenim cœlo ac terris distantia, tanta est
Cæsaris et Christi rebus et imperiis.
Tollere humo, sed nunc dum spiritus hos regit artus,
Mente polum penetra, nil mora carnis obest.
Corporeis jam nunc morere actibus; et bona vitæ
Cœlestis liquido præmeditare animo.
Spiritus es, quamquam tenearis corpore, si nunc
Mente pia victor carnis opus perimas.
Hæc tibi, care puer, (*d*) fido compulsus amore
Scripsi; si recipis, suscipiere Deo.
Crede Augustinum tibi nunc in me geminatum:
Sume duos una cum pietate patres.
Spernimur? Abstraheris majore dolore duobus.
Audimur? [e] Pignus dulce duobus eris.
In te læta patrum sudavit cura duorum,
B Et tibi magnus honos, lætificasse duos.
Sed me Augustino cum copulo, non meritorum
Jacto parem, solo comparo amore tui.
Nam quid ego effundam [e] rorans tibi paupere rivo?
Me præter gemino flumine prolueris:
Frater Alypius est, Augustinusque magister,
Sanguinis hic consors, hic sator ingenii.
Tanto fratre vales, et præceptore, Licenti,
Et dubitas pennis talibus astra sequi?
Quidquid agas; nam te nec speret mundus amicum,
Non daberis terræ debita Christo anima.
Tu thalamos licet et celsos mediteris honores
Nunc, olim Domino restituere tuo.
Credo unum vincent justi duo peccatorem,
Et tua fraternæ vota preces abigent.
C Ergo redi, qua voce parens, qua sanguine frater,
Ambo sacerdotes te remeare jubent.
Ad tua te retrahunt, nam nunc aliena (*e*) petescis;
Hæc mage, quæ retinent regna tui, tua sunt.
Hæc repete, his inhia; externis ne contere tempus
Si tua nolueris, quisquam aliena dabit?
Non eris ipse tuus; missusque per extera longe
Sensibus, heu! proprii pectoris exsul ages.
Sollicitum satis hæc nato cecinisse parentem,
Dum tibi, quæ mihimet, vel volo, vel metuo.
Hæc tibi; si recipis, feret olim pagina vitam:
Si renuis, eadem hæc pagina testis erit.
Incolumem mihi te, fili carissime, Christus
Annuat, et servum det sibi perpetuo.
Vive precor, sed vive Deo: nam vivere mundo
D Mortis opus, vera est vivere vita Deo.

[a] Ex Virgilio. [b] Matth. XI, 30. [c] Matth. VI, 24. [d] Ephes. IV, 5. [e] Id est *filius*. V. carm. 18, vers. 226.

(*a*) Mss. 2 Big., *cadis*.

(*b*) Ita in potioribus mss. et in edit. Bened. At in excusis, *damnosus cinxerit æstu*.

(*c*) Mss. duo Big. et edit. Grav., *sarcina levis*. Sic legerem si lex metri servaretur : Vulgata enim habet Matth. XI, vers. ult., *et onus meum leve*. Præterea legitur apud Augustinum epist. 31 ad Paulinum (al. 34): *Quamquam jugum Christi per seipsum lene sit, et sarcina levis*; et in epist. 26 (al. 39) Augustini ad eumdem Licentium, unde hæc desumsit Paulinus : *Jugum enim ejus lene est, et sarcina ejus levis est*, et in carmine de S. Johanne Baptista, *pondus leve*, vers. 291.

(*d*) Sic mss. quindecim et edit. Bened. ceteri codd., *fidei*. Vide carm. 19, vers. 128, et not. 334.

(*e*) Ita mss. plerique cum edit. Bened. ms. 1 Big., *petissis*. Ms. alter Big., *petisti*. Ed. Rosv., *petissis*.

EPISTOLA * IX.

43 *Delphinus ab Amando impulsus fuerat ut a Paulino aliquid salutaris doctrinæ peteret. Ea de re queritur ad Amandum scribens Paulinus, excusans imperitiam suam, et opem ipsorum implorans : multa iterum ad pietatis institutionem sapienter inspergit.*

Sancto et vere unanimo, et merito dilectissimo AMANDO PAULINUS.

1. Quantum intelligo, quod tibi in aurem loquor, tu supra tectum prædicas [a] : quandoquidem dum me nimium diligis, et nimium tibi de fratre inepto places, etiam sancti ac venerabilis nobis communis patris auribus insinuare non dubitas et insipientiæ meæ temeritatem, qua te magis audeo quam illum in verbis meis contemnere. Nam unde me idoneum putaret ille, a quo aliquid spiritu suo dignum in litteris desideraret, nisi tu illi persuasisses, affectu magis quam judicio ita sentiens, meum quoque os a Domino inter ora mutorum et infantium [b], de quibus laudem suam perficit Omnipotens, fuisse reseratum? Jubet ergo me sibi sermonem spiritali, hoc est, suo sale conditum promere [c] : meminit enim quod me verbi sui sale asperserit. Neque cessat id facere : nam omnes mihi litteræ illius spiritalia condimenta sunt. Est enim et ipse *sal terræ* [d], vividum referens [1] apostolicæ doctrinæ saporem; sed vereor ne salem ejus insulso corde non duxerim; nec (*a*) sentiat in quo condiatur [e], ut Domini suavitatem sapiat, sensus meus, si in eo Delphini sapor evanescere, et vigor potuit hebetari (*b*).

2. Quis me dicentem excitavit, *Leo est in viis, in plateis autem homicidæ* [f]? Non apis mysticæ studio, non formicæ [g] solertis exemplo ad providentiam vitæ et utilitatis operam suscitamur; sed modicum dormimus, modicum vero dormitamus, modicum autem manibus complectimur pectus [h]; et interea nobis inopia tamquam bonus cursor occurrit; et *ille dives qui pauper factus est, ut nos vere egenos sua paupertate ditaret* [i], videns nos in nostra egestate durantes, merito (*c*) proclamavit: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum* 44 *descendo in corruptionem* [j]? Sed utinam vel dum hæc loquimur, ipso conscientiæ nostræ judicio, et proprii sermonis querimonia excitaremur, ut vel sero (*d*) possemus dicere : *Nunc cœpimus, hæc mutatio dexteræ Excelsi* [k] : Sed *ventres pigri* [l] sumus, et idcirco *adhæret pavimento anima nostra* [m] quamvis jamdudum ei dixeritis: (*e*) *Erige te a mortuis, ut attingas Christum* [n]. Quem quidem Dominum interventu fidei vestræ, per gratiæ sacramentum imposuistis in naviculam cordis nostri (*V.* not. 26) [o]. Sed quia somno inertiæ nostræ obdormivit in nobis, opus est ut eum excitetis, ut assurgat in excitationem animæ nostræ; imperet silentium turbidis cogitationum terrestrium flatibus, et sensuum nostrorum fluctus verbi sui pace componat, ut fiat in corde nostro casta tranquillitas; et spiritu veritatis gubernatore, ac Dei verbo remige, dirigamur ad portum voluntatis nostræ [p].

3. Nam *quæ est exspectatio nostra, nisi Dominus* [q] Jesus, *qui potens est salvos facere nos* (*f*) *a pusillo animo et tempestate* [r]? et annuere [2] orationibus vestris, *ne fiat fuga nostra hieme aut sabbato* [s], hoc est, in otio spiritalium negotiorum, et bonorum operum sterilitate. Sabbatum enim otiosum est, et hiems nuda nascentium. Itaque si non carnali observantia, sed spiritali, abstinentes [3] nos ab omni opere servili, quod est vita [4] *peccati;* cui deditus vere *servus est, et in domo non manet* [t], agimus sabbatum [u], non illud quod non sustinet anima Domini, sed illud, in quo Dei requies est; qui in humili trementium famulorum corde requiescit [v], nec hiberna tempestas fugam nostram opprimet; et quasi frigore pigros pedes ab evadendi libertate retinebit, si *spe gaudentes*, et *spiritu ferventes* [x], non contractis avaritiæ gelu manibus, sed apertis refrigerio misericordiæ, furtivus ille nos horæ novissimæ superventus [y] inveniat opertos atque vestitos salutaribus operum fidelium tegumentis [z], ut possimus (*g*) *sustinere ante faciem frigoris ejus* [aa]; qui nos ideo nunc in timore præcepti sui vult effici præparatos, ut in die iræ inveniat absolvendos.

4. Favete nunc igitur, et orate, ut apprehendamus, in quo apprehensi sumus [bb], et extendentes nos ad bravium supernæ vocationis, obliviscamur quæ

[a] Matth. x, 27; Luc. xii, 3. [b] Sap. x, 21; Psal. viii, 3. [c] Col. iv, 6. [d] Matth. v, 13; Marc. ix, 49. [e] Luc. xiv, 34. [f] Prov. xxii, 13, et xxvi, 13, sec. LXX. [g] Prov. vi, 6, et xxx, 25. [h] Prov. vi, 10, 11. et xxiv, 33, juxta LXX. [i] II Cor. viii, 9. [j] Psal. xxix, 10. [k] Psal. lxxvi, 11. [l] Tit. i, 12. [m] Psal., cxviii, 25. [n] Eph. v, 14. [o] Matth. viii, 23. [p] Psal. cvi, 30. [q] Psal. xxxviii, 8. [r] Ps. liv, 9. [s] Matth. xxiv, 20; Marc. xiii, 18. [t] Joan. viii, 35. [u] Isai. i, 13. [v] Isai. lxvi, 2. [x] Rom. xii, 11. [y] Luc. xxi, 34. [z] II Cor. v, 3. [aa] Psal. cxlvii, 17, sec. LXX. [bb] Philip. iii, 12.

* Alias 22; quæ autem erat 9, nunc 28. Scripta anno 396.

(*a*) Legendum forte, *sit jam.* Sacchin.

(*b*) Post *hebetari* ad notam * in margine ms. Vien. legitur : *Hic videtur deesse de epistola multum, quia continuatio pene nulla est.* Nihil tamen amplius habent mss. Reg. et Vat. et editi codices quinque.

(*c*) Ms. Reg. et editi tres, *præclamavit.*

(*d*) Ita ms. Vien. Ceteri codices, *possimus.*

(*e*) Sic mss. tres, et totidem editi. In duobus editis, *Erigere.* Utraque lectio bona. Vide epist. 32, not. 29).

(*f*) Ita in Psalteriis veteri et Rom. et apud S. Augustinum in commentario super psalmos. Apud LXX, et S. Hilarium, *a pusillanimitate.* In Vulgata *a pusillanimitate spiritus :* quod inde additum esse innuit S. Hieronymus ad Suniam, quod pro ὀλιγοψυχία, Aquila, Symmachus et Theodotio interpretati sunt ἀπὸ πνεύματος, *a spiritu.*

(*g*) Hanc lectionem admittunt Psalterium vetus, et S. Augustinus in commentario super psalmos, ubi legitur, *quis subsistet.*

retro sunt: positaque in aratro crucis manu mentis[a], 45 non sulcata (*a*) respiciam, sed sulcanda provideam; donec perveniamus *ad montes*, in quos *levavimus oculos nostros*, ut *inde nobis a Domino veniat auxilium* [b], qui est *mirabilis in sanctis suis* [c]; qui sunt montes Dei, in quos bona fidelis animæ operatione provehemur. Si enim in via veritatis, quæ est impolluta [d], digne ambulemus, tunc ipse Dominus, qui est *via et veritas*, [e] *perficiet pedes nostros sicut* (*b*) *cervi; et super excelsa* (*c*) *statuet nos* [f]. *Montes* enim, inquit, *excelsi cervis, et petra refugium herinaceis* [g]: quia si super iniquitatem alacritate cervorum fugiamus (*d*) Nebroth venatorem, *qui*, ut Scriptura designat, (*e*) *contra Dominum venator fuit* [h]; et cooperante Christo piis actibus ascendamus excelsa virtutum per doctrinas prophetarum et apostolorum, qui sunt montes Dei, montes illi uberes; tunc velut de rupe præcelsa despicientes vanas prætereuntis mundi figuras, in exsultationis voce cantabimus: *Exaltabo te, Domine, quoniam ab insurgentibus in me exaltasti me, et super inimicos meos despexit oculus meus* [i]. Ex hac autem celsitudine montium informati ad humilitatem cordis, et salubribus disciplinis velut spinis nostra undique membra muniti, efficiemur ut herinacei, qui parva corpuscula aspero tegmine armati, naturalibus jaculis adversum hostiles aut canum morsus, aut manus hominum, muniuntur. Humiliatis autem timore divino, et gratia ipsius humilitatis armatis, *petra refugium* est, id est, Christus, cujus verba nobis contra diabolum vel septimenta vel spicula sunt [j]. His enim et aures nostras sepimus adversum linguam nequam, et in corde nostro vitia adversa configimus. Ita per observantiam spiritalem et directam fidem, et herinacei pariter erimus, et cervi, si secundum has minores bestiolas angustati et humiles abscondamur in Christo, ut in refugii petra; et verbo ac spiritu veritatis muniti, et diabolo et mundi hujus illecebris asperi resistamus.

5. Majores vero illas feras pedibus alacres, et sublimes cornibus ita æmulabimur, si habeamus pedes firmos ad consistendum in via Domini [k]; nec moveantur ab ejus itinere 46 vestigia nostra [l]; iisdemque pedibus utamur ad fugienda peccata, et hujus seculi perniciosa contagia; caput salutis nostræ, quod est fides catholica, bonis operibus velut cornibus ornatum pariter et armatum gerentes; ut vel repugnemus inimicis venatoribus, vel actibus Deo placitis coronati, vestrum potissimum gaudium, et corona simus [m]: quorum in Christo plantatio, apud Christum labor quotidianus sumus. Non enim ambigimus quotidie deprecari vos, ut perficiatur in nobis beata *illa mutatio dexteræ Excelsi* [n]; ut vere possimus dicere: *Defecit cor meum, et caro mea, Deus cordis mei, et pars mea Deus in secula* [o]. Quia tunc Deus esse dignabitur cordis nostri Deus, cum cor nostrum, quod est carnale, defecerit spiritali ædificatione destructum. Tunc audebimus et vestram nos dicere *portionem in terra viventium* [p], cum et ipsi Domino renovati sensu mentis nostræ [q], secundum Christum ad cœlestem imaginem, (*f*) potuerimus dicere: *Deus cordis nostri, et pars nostra Deus in secula* [r].

EPISTOLA * X.

Delphino Burdegalensi episcopo, a quo baptizatus fuerat, summa pietate excusat se minus idoneum ad tractandos in epistolis sacræ Scripturæ locos: quod ille postularat. Hic Delphinus Ecclesiæ fastis reperitur insertus die nono ante kalendas Januarias.

Beatissimo et peculiariter domino, semper in Domino Christo nobis patri DELPHINO, PAULINUS.

1. Accepimus litteras sanctæ affectionis tuæ, quibus jubes nos in epistolis quas ad te facimus, aliquem (*g*) præter officii necessitatem, de Scripturis adjicere sermonem, qui tibi thesaurum nostri cordis revelet. Sed parentes potius filiis thesaurizare, et ordo pietatis postulat, et magister Apostolus docet [s]. Quamvis [t] tu nobis a Domino et in Domino pater factus semper thesaurizaveris bona, et thesaurizare non desinas: præter illud gratiæ salutaris 47 talentum, quod te consignante suscepimus non in terra abscondendum, neque in sudario involvendum, sed appo-

[a] Luc. IX, 62. [b] Psal. CXX, 1. [c] Psal. LXVII, 36. [d] Psal. XVII, 31. [e] Johan. XIV, 6. [f] Psal. XVII, 34, sec. LXX. [g] Psal. CIII, 18. [h] Gen. X, 9, juxta LXX. [i] Psal. LXVII, 16; XXIX, 2; XVII, 49; LIII, 9. [j] Eccli. XXVIII, 28. [k] Psal. XVII, 34. [l] Psal. XVI, 5. [m] Philip. IV, 1. [n] Psal. LXXVI, 11. [o] Psal. LXXII, 26. [p] Psal. CXLI, 6. [q] Ephes. IV, 23. [r] Psal. LXXII, 26. [s] II Cor. XII, 14.

* Alias 15; quæ autem 10 erat, nunc 29. Scripta et missa cum superiore, anno 396.

(*a*) Ms. Vien. et edit. Schot., *respiciamus... provideamus*.

(*b*) Ita LXX interpretes, libri Græci, Psalteria vetus et Rom. et S. Augustinus in commentario super psalmos.

(*c*) Sic Psalterium vetus et S. Augustinus in psalmos. Aquila, *statues*.

(*d*) Ita ms. Reg. et edit. Bad. Grav. et Schot. Ita et mss. vetustiores apud Prudentium, Hamartigen. vers. 143. Græcis Νεϐρὼδ et apud LXX interpretes. Sic et in epistola 38 ad Aprum, n. 9. Paulinus noster juxta eosdem codices dicit *Nebroth*; aliaque complura ex nominibus Veteris Testamenti Græcum in morem extulit: unde potest colligi eum usum fuisse S. Scripturæ non Latina Vulgata, sed versione Græca, aut ex Græcis expressa. Sic dixit juxta Græcum textum *Solomon*, non *Salomon*, ut observavimus ad epist. 5, n. 2.

(*e*) Vulgata *coram Domino*. S. Augustinus in lib. I Locutionum de Genesi: *Incertum est utrum possit accipi*, coram Domino Deo, *quia et sic solet intelligi, quod Græce dicitur ἐναντίον*. De hac re etiam disputat lib. XVI de Civitate Dei, cap. 4. At S. Paulinus hanc vocem *contra* per *adversum* exponit, ut ex sequentibus patet, non per *coram*, sive *in conspectu*. Dicit enim circa hujusce epistolæ finem, *ut vel repugnemus inimicis venatoribus*.

(*f*) Sic mss. Reg. et Vien. et recte siquidem mox præcessit *defecerit*. Ante erat in editis *poterimus*.

(*g*) Ms. Vien., *præter officium, de Scripturis*. Abest etiam *necessitatem*, a ms. Reg., in quo mendose leges *officii*.

nendum nummulariis [a], a quibus uberi multiplicetur usura; vel iis distribuendum in tempore opportuno, qui ad præparandas in adventum sponsi faces venditant oleum sapientibus comparandum [b]. Thesaurizas vero nobis et alio modo semper, qui de thesauris Domini ad gratiam, quæ per te data est nobis, apponi rogas. Atque utinam tantum capere possimus, quantum tu, ut accipiamus, potes impetrare. Nam profecto de hac pro nobis postulationum tuarum conscientia atque fiducia petis a nobis, vel magis repetis, ut aliquid spiritale ad te loquamur, quod semine in nobis dignum tuo sit; quia secundum fidem tuam exorasse te credens, quæ nobis orasti et oras dari, effectum sollicitudinis et deprecationis tuæ de nostri cordis et oris fetibus per documenta verborum capere desideras: quoniam *ex abundantia cordis os loquitur* [c], et sapor mentis in sermone gustatur.

2. Juste itaque sanctitas tua depositi sui debitum repetit, et seminis sui germen exspectat. Sed quid faciam ager sterilis? qua tibi fruge respondeam, qui pro tritico tribulos, vel pro uvis edidi spinas [d]? Et ideo conscius malæ segetis aut infructuosæ arboris, ut vel pietati debitæ satisfaciam, sola in litteris meis officii verba prætendo, et sensum a corde tuo degenerem pudore inertiæ confusus occulto; dum nimiæ circa me dilectionis tuæ conscius timeo, ne animum tuum bonæ de nobis spei præsumtione gaudentem decepta exspectatione contristem, et cogaris dicere vel scribere mihi: *Ego te plantavi vitem fructuosam, tu vero conversus es in amaritudinem vitis alienæ* (LXX, *alienа*) [e]. *Exspectavi ut faceres uvam, et tu fecisti spinas* [f]; atque utinam vel illas utiles, quæ contra linguam nequam sepimentum piis auribus præstant, et fidem in corde cauto, velut frugem in agro circumcluso tuentur [g]. Sed tu illas, ut sentio, inutiles et nocentes, quæ verbum suffocant et convertunt in ærumnam, dum carnalibus adhuc cogitationibus corda configunt, quasi (a) rhamnus (*V.* not. 27) asper produxisti [h].

3. Quæris ergo, piissime pater, quid facias adhuc quod non feceris nobis? cum et **48** *plantaveris nos in*

A *domo Domini* [i], et plantati maceriam signaculi salutaris, qua ab incursu silvestris apri, et (b) depastione ferocis onagri muniremur [j], adstruxeris et torcular foderis, quo per conversationem piam quasi quamdam tibi dulcem de tua vite vindemiam funderemus. Habes adhuc, quod facias imitatione illius, qui sterilis ficulneæ (c) commeatum a Domino vineæ deprecatus est [k], et imminentem inutili ligno excisionem distulit sponsione. Sic igitur et pro nobis pietatis tuæ cura interveniat, et positam ad radices arborum jejunarum securem vel annua Domini indulgentis exspectatione suspendi (d) postulet [l]. Sponde patrifamilias diligentiam pro nobis sollicitudinis tuæ, et assiduas orationes, tamquam illum apostolicum evangelici stercoris cophinum pollicere [m], quo cordis nostri terra pin-

B guescat, et sationis tuæ seges nutriatur, vel plantationis tuæ arbor succum tuæ fecunditatis accipiat; ut in die recognitionis (*Id est* judicii. *V.* epist. 19, n. 3), quo pariter sator messorque gaudebunt, nos quoque paterno sinu afferens inter manipulos tuos, repetas ab eo culturæ tuæ fructum; cum illi qui sata irrigantium nutrit, et colentium labores (e) fructificat, id in nobis, quod non ad ignem jubeat abscidi (*V.* epist. 11, n. 7), sed ad horreum metere dignetur [n], obtuleris.

EPISTOLA * XI.

Quanta sit caritatis Christianæ supra humanas necessitudines præstantia, ostendit, in se deque se ipso sacrificium Deo immolandum, veteribus sacrificiis allegorice explicatis: item Severum laudat quod S.

C *Martini vitam scripserit, ac postremo ad se invitans de evangelicæ paupertatis præstantia pulcherrime admonet.*

SEVERO fratri unanimo PAULINUS.

1. In Domino (f) Deo Jesu Christo sentio, et in te potissimum munere et verbo Dei lætus experior, quia *amico fideli nulla est comparatio, et lingua gratiæ in bono homine abundat* [o]. Nam quasi medicamentum vitæ nobis consolatio caritatis tuæ, ut *favi mellis sermones tui; ut aqua frigida sitientibus, ita* nobis *nuntius* de te *bonus a terra longinqua* [p]. Qui cum et sa-

[a] Luc. XIX, 13. [b] Matth. XXV, 9. [c] Matth. XII, 34; Luc. VI, 45. [d] Matth. VII, 16. [e] Jer. II, 21. [f] Isai. V, 4, sec. LXX. [g] Eccli. XXVIII, 28, et XXXVI, 27; Matth. XIII, 7. [h] Psal. LVII, 10. [i] Psal. XCI, 14. [j] Psal. LXXIX, 14. [k] Luc. XIII, 8. [l] Matth. III, 10; Luc. III, 9. [m] Luc. XIII. 8. [n] Matth. XIII, 30. [o] Eccli. VI, 15. [p] Prov. XVI, 24, et XXV, 25, sec. LXX.

* Alias 5; quæ autem 11 erat, nunc 3. Scripta anno 397.

(a) Simili locutione usi sunt SS. Hilarius, Hieronymus et Augustinus in commentar. super psalmos, ubi sic legitur: *Priusquam producat spinas vestras rhamnus.* Sic et Psalterium vetus. Ad hanc lectionem alludit Psalterium Romanum in quo legitur, *priusquam producat spinas vester rhamnus;* ubi legerem, *vestra rhamnus* juxta Græcum textum, nisi Paulinus dixisset, *rhamnus asper.* Aliter Arnobius, *priusquam producant spinæ vestræ rhamnos;* Eucherius... *rhamnum.* Symmachus, *priusquam auctæ sint spinæ vestræ, ita ut fiant rhamnus.* Vide not. 27.

(b) LXX et Vulgata, *singularis ferus depastus est eam.* Hic vero Paulinus speciem pro genere posuit, hunc etenim versum Hieronymus ex Hebræo transtulit, *omnes bestiæ agri depastæ sunt eam.* Sed et pro quibusvis bestiis feracibus *onager* usurpatur, ut psal. CIII, 11: *Exspectabunt onagri in siti sua.* Quidam tamen interpretes volunt illic esse nomen ignotæ volucris, ceu gryphis, aut alius cujuspiam sic se habentis ad reliquas volucres, ut cetus ad reliquos pisces.

D (c) Sic mss. tres Reg. Vat. et Vien. cum edit. Rosv. In quibusdam editis, *comminatum,* mendose. Legendum profecto *commeatum,* quod est spatium ac tempus ad culturam. Vide not. 64.

(d) Ms. Vatic., *postula, et sponde.*

(e) *Fructificat.* Ne hoc verbum sit suspectum active, utuntur Patres, S. Ambrosius in psalmo XXXVI, *illa terra bona Domini sine ullo labore fructificat;* quamquam hic sensus Paulini est, *fructuosos facit labores.* Sacchin.

(f) Ita tres mss. cod. Reg. Vat. et Vien. In edit. deest *Deo.*

tutis tuæ indicio, et caritatis eloquio impinguet (a) ossa nostra [a], magnum lætitiæ et jucunditatis [1] cumulum hinc habet, **49** quod per nostros filios in Domino tuos pueros affertur [2], et promitur; ut non solum litteris, sed quadam tui lateris parte potiamur. *Quid retribuemus Domino nostro, præter omnia quæ retribuit nobis* [b], pro hac etiam gratia, qua te nobis et in seculari prius amicitia dilectissimum, in suis quoque rebus, quod incomparabilis pretii ducimus, individuum comitem atque consortem spiritali germanitate connexuit?

Quæ est, inquit, *mater mea*, *aut qui sunt fratres mei* [c]? *non* hi videlicet, *qui de voluntate carnis*, et convenientia somni; *sed* qui *ex Deo nati sunt* [d] per sapientiam Dei Christum: qui in se manens innovat omnia, *et dat potestatem filios Dei fieri* [e], coheredes regni sui; propter idipsum conformatus corpori humilitatis nostræ, ut nos conformet corpori gloriæ suæ; et non [2] solum a terra nostra sed etiam a cognatione divulsos in sortem et generationem suam transferat. Quo munere nos sibi (b) creare, et in suæ caritatis vinculo copulare dignatus est, a familiaritate carnali, in qua jam nunc intelligimus, huic nos fœderi præparaverat, in æternam necessitudinem affectu potiore mutavit. Siquidem *caritas* Christi ista sit, quæ *numquam excidit* [f], quia ex Deo defluit, et in Deo permanet; omnemque, in quo (c) maneat, hominem sua perennitate perpetuat. Hæc est inflari nescia, expers doli, pura livoris, æmula Deo, non elatione spiritus, sed spiritu mansuetudinis, et æmulatione pietatis. Dominus enim noster, ut ipse testatus est, et experimur, dulcis et *mitis est*, *et humilis corde* [g].

3. De quo tu mihi genitus frater non solum ad præsens adjutorium, sed et ad perenne consortium (d) tanto superas omnem circa me corporalium necessitudinum affectionem, quanto potiore mihi parente germanus es, quam illi quos caro tantum et sanguis mihi sociat. Ubi enim mihi nunc consanguinea germanitas? ubi amicitia vetus? ubi pristina contubernia? Evanui coram illis omnibus, *exter*, ut dictum est, *fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ. Amici mei et proximi* quondam *mei*, nunc *a longe steterunt* [h]; et, sicut fluvius decurrens, et ut fluctus pertransiens, sic transeunt me, et in me forsitan confunduntur et erubescunt, ut scriptum est, venire ad me: facti sunt mihi, qui prope, longe; et qui longe, prope [i]. *Pro patribus*, inquit, *nati sunt tibi filii* [j]. Ita pro parentibus, et fratribus et amicis, tu nobis factus a Domino es, qui et parentum cura anxius et fraterna dilectione sollicitus, et **50** tota non fictæ amicitiæ

A fide sedulus, omnibusque in nos pietatis visceribus effusus, assiduis nos litteris adeas, blandissimis solatiis mulceas.

4. Neque sat habes [b] occasionibus cunctis revisere, nisi et pueros tuos mittas. Nec solum de famulis, sed et de filiis sanctis, quorum benedicta in Domino prole lætaris, eligis tabellarios; quorum oculis nos videas, et ore contingas. *Speciosi* nobis *pedes* illorum tamquam *evangelizantium bona* [k]. Nuntiant enim nobis, et afferunt ea quæ ad pacem sunt de te; cum (e) proferunt opera Domini, quæ aut operaris in verbo Dei, aut scribis in spiritu Verbi. Quæ nobis divitiæ tam pretiosa munera, quæ necessitudines tam dulcia possint præstare solatia? ut eorum reputatio differatur, quæ in æternum largitas divina promittit [l]; B quanto potiora posthabitis rebus sint; quæ jam et in isto seculo rependuntur, considerare promptum est. Quod enim, quæso, mihi damnum pietatis et gratiæ parens inhumanus, aut frater negligens, aut amicus immemor faciunt, cum omnes horum mihi nominum, vel pignorum, aut fœderum caritates, vel de te uno largiter rependantur? ut taceam vel in nostro, vel etiam in ignoto orbe, non paucos et in Deum et erga nos tui similes: quorum nobis affectus maximos pro patria, et parentibus, et patrimoniis gratia retributoris indulget, in te uno, quæ accepimus bona, si computemus, omnia nobis nostra in te largius atque pretiosius compensata (f) reputabimus. *Frater non redimit*, inquit, *redimit homo* [m]. Similiter nobis licet dicere: Mundus nos non amat, sed amat Christus. C Homo negligit, sed Deus diligit. *Inimici hominis domestici ejus* [n], sed rursum amici hominis domestici Dei. Fuerint nobis fratres, et amici, et proximi boni et magni; sed non fuit placitum circa nos in eis Domino, qui te elegit donare nobis in fratrem inseparabilem, et in proximum dilectissimum; quem merito sicut nosmetipsos diligamus, quia cor unum et unam animam tecum in Christo habemus [o].

5. Itaque quod supra breviter posuimus de caritate multorum æque spiritalium [2], nequaquam apte et digne diximus; in nullius enim (g) persona congruere nobis eadem, quam in te habemus, gratia potest. Ut enim æque diligere dignentur (h) in humilitate nostra gratiam Domini; tamen illud in te speciale nobis do- D num est, quod prædestinatos nos invicem nobis in caritate Christi junctissima prioris quoque vitæ amicitia signavit, adhuc **51** eorum, quæ nunc per Christum avertimur, amatores. Sed tamen in hanc, qua modo interventu Dei nectimur copulam, per consuetudinem illius familiaritatis inolevimus; ut diligendo

[a] Prov. xv, 30. [b] Psal. cxv, 12. [c] Matth. xii, 48. [d] Johan. i, 13. [e] Ibid. 12. [f] I Cor. xiii, 8. [g] Matth. xi, 29. [h] Psal. lxviii, 9, et xxxvii, 12, sec. Psalt. Rom. [i] Psal. xxxvii, 12, et cvii, 10; Eph. ii, 13. [j] Psal. xliv, 17. [k] Isai. lii, 7; Rom. x, 15. [l] Matth. xix, 29. [m] Psal. xlviii, 8. [n] Matth. x, 36. [o] Act. iv, 32.

(a) Ms. Vien., *impinguant*.
(b) Sic mss. Reg. et Vien. et editi 4. Edit. Rosv., *creari*.
(c) Ms. Vien., *manet*.
(d) Ita mss. Reg. Vien. et edit. Schot. Ceteri codices, *tantum*.
(e) Sic ms. Vien. et edit. Grin. edit. Rosv., *perferunt*. Ms. Reg. cum tribus editis, *præferunt*.
(f) Ms. Vatic., *putabimus*.
(g) Ita mss. codices. Editi, *personam*.
(h) Ms. Vien. *humilitatem nostram gratia Domini*.

nos et in infideli via fideliter, diligere etiam spiritaliter disceremus. Quia tam religiose nos semper uterque dileximus, ut ad nostram inter nos dilectionem nulla adjici posset affectio, nisi caritas Christi, quæ sola omnem sensum affectumque supereminet. Quo impensiores debemus bono Domino gratias, quod respicere dignatus in humilitatem nostram, cum pariter in agro invenisset, pariter ut geminos ab utero carnis extraxit, et pariter assumsit[a]. *Duo* enim vere, ut scripsisti, *fuimus in agro*, sed bonitate et omnipotentia Dei, ausim dicere, ita de nobis *unus assumtus est* [a], quod neuter est relictus. Eramus enim et singillatim [7] duo, cum in nobis caro rebellis a spiritu dissideret; neque nostro homini pax esset, cum interiori repugnaret exterior. Nunc vero propitio ipso, *qui fecit utrumque unum* [b], et duo unum sumus, quia unus spiritus in duobus; et nulla discretio, quorum corpus unum. Sed hoc, ut dixi, commune (*a*) nobiscum omnibus in Christo fratribus, unum in te peculiariter nobis gratum atque gratandum est, in cujus amicitia beatissimum Dei munus accepimus, ut nec itinere mutato dissolveremur a nobis : quod damnum de multis, ut recognoscis, dulcissimis aliquando (*b*) nostris pariter experimur.

6. Vere ergo tu nobis et parens, et frater, et proximus es, qui (*c*) faciens in nobis voluntatem Dei, ac plenitudinem legis [c], diligis nos tamquam te, amicus nobis in caritate Christi, et in Dei regeneratione germanus. Quod cum videas, et recognoscas, cur in nos onerose, et de te falso loqueris, ut dicas : *Duo fuimus in agro, et unus assumtus est* [d] ? Non simus ingrati Deo, qui non unum ex nobis, sed unum assumsit in nobis. Duo fuimus, sed quando cum illis fratribus (*d*) combinabamus, quorum a nobis per hoc propositum facta divisio est : quia unum [8] non de singulari corpore, sed de multorum quoque unanimitate dici satis eadem Scriptura declarat [e], cum has personas non in duobus hominibus, sed populis, fide gentium, et remansione Judæorum id ostendente, proponit. Nam et illæ molentes **52** duæ, de quibus similiter una assumitur [f], ut arbitror, Synagogæ et Ecclesiæ formam gerunt. Quia non est alia persona quæ in omni sacrarum Litterarum ratione tractetur, nisi aut in universitate generis humani, credentium infideliumque populorum distinctio; aut in natura omnis hominis geminæ creatura substantiæ : et ideo, mi frater, quia semper (*e*) cohæsimus in corde uno, sicut nunc cohæremus in Christo, aut pariter assumti, aut pariter relicti sumus. Assumti autem, non nostro merito, sed gratia Dei, cujus *dona et vocationes sine pœnitentia sunt* [g]; neque ex operum prærogativa, sed ex fide bonæ voluntatis, qua pariter in caritatem ejus animati, ut uno et tenore propositi, et tempore (*f*) conversionis nostræ apparuit, simul oportet gloriemur, et exsultemus in eo qui justificat impium per fidem, et *dat escam omni carni* [h]; (*g*) escam non istam quæ perit, sed illam quæ conficitur in æternum victum, qualem vel anima in Dei rebus operosa, vel catholica Ecclesia coquit. Corpus est enim veri *panis qui de cœlo descendit* [i], et dat escam vivificantem esurientibus justitiam. Non enim carnem farcit, sed cor hominis firmat. Hic panis et fons est, qui quo amplius editur, plus esuritur : et quo magis bibitur, plus sititur [j]. Hunc panem ut edamus in æternum, molamus in hujus mundi pistrino triticum bonum, quod est obedientiæ fidelis operatio, et *caritas in corde puro et fide non ficta* [k].

7. Qua gratia et virtute cum plenus sis, bonam Deo frugem molis, teque ipsum in azymis sinceritatis et veritatis epulandum Deo exhibes: cujus esca est, quisquis (*h*) voluntatem ejus efficiens, in corporis ipsius membra convertitur, dicente (*i*) Apostolo, quia (*j*) *qui se jungit Deo, spiritus unus efficitur* [l]. Quod assequimur, si *portemus imaginem cœlestis* ea cura et diligentia, qua *portavimus imaginem* [9] *terreni* [m]. Imitando enim imitatorem Christi perveniemus ad imitationem Dei; cui *bonus odor sumus in Christo* [n], si exhibeamus hostiam vivam [10] obsequio rationabili [o], ut illi puram similaginem mola mundi cordis excretam ab interioris nostri penetralibus offeramus, et in pectore nostro castum altare ponentes illa per legem jussa sacrificiis animalia mactemus in vitiis, immolantes hircum peremtione [11] peccati [p], in **53** quo odor mortis est; cædentes taurum, si deponamus superbiam ; sacrificantes ovem [q], si mollitudinem et ignaviam, in caritate non tepidi, et spiritu ferventes ejiciamus : offerentes in nobis et agnum, si immaculati vivamus, et vitulum, si efficiamur malitia parvuli, ut

[a] Matth. XXIV, 40. [b] Ephes. II, 14. [c] Rom. XIII, 10. [d] Matth. XXIV, 40. [e] Rom. XI, 7. [f] Matth. XXIV, 41; Luc. XVII, 35. [g] Rom. XI, 29. [h] Psal. CXXXV, 25. [i] Johan. VI, 33. [j] Eccli. XXIV, 29. [k] I Tim. I, 5. [l] I Cor. VI, 17. [m] I Cor. XV, 49. [n] II Cor. II, 15. [o] Rom. XII, 1. [p] Lev. X, 16. [q] Levit. III, 6.

(*a*) Ms. Vien., *nobis cum.*

(*b*) Sic mss. codices cum editis quatuor. Edit. Rosv., *nunc.*

(*c*) Ita ms. Vien. Alii, *qui facis et in nobis voluntatem Dei ac plenitudinem legis. Diligis*, etc.

(*d*) Ante erat in edit. Rosv., *combinabamur*, in ed. Schot., *convivebamus*. Emendavimus ex ms. Reg. et edit. Bad., Grav. et Grin., *combinabamus*. Hæc lectio restituta confirmatur nova operum S. Augustini editione, quæ Confessionum lib. V, cap. 10, n. 18, sic habet : *Et ideo adhuc combinabam cum electis eorum.* Sequitur hic Paulinus lectionem quamdam LXX, quæ habet συνδυάσω, *combinabo*, sicut et Augustinus in psal. CXL, n. 12, tom. IV, p. 1570. Itaque cum in antiquioribus operum S. Augustini mss. codicibus legatur *combinabam* et *combinabo*, cum nostris pariter scribimus *combinabamus.*

(*e*) Ms. Reg. addit *nobis.*

(*f*) Ms. Reg. et edit. Bad., Grav., Grin., *conversationis.*

(*g*) Hæc vox abest a ms. Vien. codice.

(*h*) Mss. codices Reg. et Vien., *voluntatum ejus effectus*. At editi quinque *voluntatem ejus efficiens*. Ms. Vien. infra, *convertit.*

(*i*) Hanc vocem substituimus ex ms. Vien. cum in aliis codicibus legatur *ipso.*

(*j*) Addidimus *quia* ex mss. duobus, et editis quatuor.

unius purum pudicitia, alterius stultum simplicitate referamus; quale te sacrificium Deo exhibere video in templo tui corporis, in sacrario tui cordis, in immolatione tuæ carnis, in oblatione tuæ animæ. Immolas taurum, cum pia humilitate depositus cervicem altam percussisti timore divino. Immolas hædum, cum omnia sinistræ partis opera, justitiæ sectator, interficis. Ovem jugulas, cum diligens operarius, studiosusque meditator divinæ voluntatis et legis, inertiam (*a*) in te et ignaviam quasi pecus molle prosternis, et a te vitæ istius impedimenta, quasi vellera, tondenti utilia, onerosa gestanti, forcipe verbi cœlestis (*b*) abscidis : qua nos duobus Testamentis apprehensos tenet Christus; et vel sarcinis secularibus quasi lanis exuit : vel rursum, ut vellera a corporalibus vitiis tamquam a morbidis et mollibus ovium corporibus (*c*) abscidens, in vestimentum sui corporis, quod operatione credentium tegit, siquidem vicissim (*d*) cum Christum induimus [a], induamur a Christo, in Ecclesiæ pensa deducit, et fimbriis suæ vestis intexit.

8. Totondit te hic pastor jam; ut arbitror, et posuit in area sua, et cœlesti rore perfudit vellus tuum. Nam et gratia quæ infusa est ori tuo, et per os tuum quasi rivus a fontibus Israel, vel (*e*) διώρυξ, ut scriptum est [b], a paradiso abundans fluit, docet nos, quia *descendit* in te Dominus *sicut pluvia in vellus* [c], et dedit tibi aquam de puteo Jacob [d], quia tu quoque de filiis Israel Domino (*f*) propinquatus exstiteras. Si ergo pertonsus es, duplex beneficium recepisse te sentis, quia et in æstu seculi levis, pascua verbi matutinæ lætitiæ (*g*) roris sparsa decerpis; nec meridiani dæmonii [e] ardore torreris, quia sub umbra alarum Domini [f] conquiescis. Paratur tibi interim tunica de tuis lanis, qua in illa die hiemis vestiaris, ut ante faciem frigoris ejus valeas subsistere, si dispoliatus **54** (*h*) a corpore, non inveniaris nudus ab opere. Tum vicissim præbebit se tibi ovem Christus, et *agnus*, ille qui *pro nobis ad interfectionem ductus est, et coram tondente se non aperuit os suum* [g], vellera sua, id est, carnis exuvias abstrahi sibi passus. Ipse enim pro

A nobis et animam et carnem suam posuit, et recepit [h]; qui et sacerdos et hostia, et agnus et pastor est, qui pro ovibus suis pastor, et pro pastoribus suis agnus occisus est. Ipse enim Dominus hostia omnium sacerdotum est [i], qui semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima sacerdotii sui, et sacerdos suæ victimæ fuit : cuique nunc ut uni omnium Domino omnis nova creatura sacrificium, ipsique sunt hostiæ sacerdotes. Si nunc ei nos tondendos in silentio humilitatis atque patientiæ, qua se ipse pro nobis præbuit, præbeamus, suscipiet in se onera velleris nostri; nec dedignabitur ovium suarum lanas portare, qui ipsam ovem, quam ab errore (*i*) revocaverit, humeris (*V.* not. 29) suis ad ovilia reportare dignatur [j].

B 9. Et quoniam *bonorum nostrorum ipse non indiget* [k], nos vero omnium illius indigemus, nostro tantum bono nobis bonus, capit nostra quæ sua sunt, et tamen ea juris sui non vult; ut quasi nostra nobis accepto ferat, cum nihil habeamus nisi acceperimus [l]; et ne ipsi quidem sine nutu ipsius esse possimus [m]. Ergo nihil in hunc mundum inferentibus [n], substantiam rerum temporalium quasi tonsile vellus apponit, non ut sarcina impediat, quos expeditos nasci jubet, sed ut materiam nobis virtutis ad merita parienda proponat; et sit unde documentum nostræ in Deum, id est verum Patrem ac Dominum, fidei atque pietatis edamus, si suppetant nobis cara vel dulcia, quæ, præferentes Deum, magno præmio negligamus [o] : et quæ per immensam ejus bonitatem, cum nec illata

C nobiscum sint in hunc mundum [p], neque istinc (*j*) efferenda nobiscum, tamen si pareamus præceptis illius, ita ordinantur, ut mutentur in melius, et de temporalibus æterna reddantur. Nam quæ sicut non intulimus, ita nec auferre possumus per naturam nostram et prætereuntem **55** hujus mundi figuram [q], ea per omnipotentis Dei opus, beato mercimonii genere vertentes, non modo nobiscum efferimus, sed ante nos etiam in sinum Domini (*k*) seminata præmittimus [r].

10. Unde præscriptum arbitror, ut piger operarius

[a] Rom. XIII, 14. [b] Eccli. XXIV, 41. [c] Psal. LXXI, 6. [d] Johan. IV, 6. [e] Psal. XC, 6. [f] Psal. XVI, 8. [g] Isai. LIII, 7. [h] Johan. X, 17 et 18. [i] Heb. V, 10. [j] Luc. XV, 5. [k] Psal. XV, 2. [l] I Cor. IV, 7. [m] Act. XVII, 28. [n] I Tim. VI, 7. [o] Matth. XIX, 29. [p] I Tim. VI, 7. [q] I Cor. VII, 31. [r] Gal. VI, 8.

(*a*) Ita mss. codices. At editi, *vitæ*.

(*b*) Sic ms. Vien. Alii codices, *accidis*. Verum hic restituta lectio confirmatur ex sequentibus.

(*c*) Ita mss. codices et editi duo. Sic ad Prudentii Apotheosin, vers. 954, *abscidere quidquam*, vetustiores omnes codices : iidem hymn. 4 Peristeph., vers. 123, *abscisa papilla*; hymno S. Romani Martyris, vers. 975, *Nervos absciderel*; et hymn. 11, vers. 65, *Huic abscide caput*. Sed et mss. nostri codices ad epistolam 1 Paulini ad Severum, n. 5, habent *abscidatur*, non *abscindatur*; et omnes tum mss. tum editi codices ad epist. 10, n. 3. *jubeat abscidi*, non *abscindi*.

(*d*) Ms. Vatic. et ed. Grin., *sicut*.

(*e*) Emendavimus διώρυξ, quæ est fossa de flumine, ex ms. Vien., in quo *dorix*. Ms. Reg. Dioraχi. Ante erat διωρυχή. Vide not. 28.

(*f*) Ms. Vien., *propinquans*.

D (*g*) Ita ms. Reg. et edit. Bad., Grav. et Schot. Verissima lectio. Sic quoque Paulinus epist. 23 ad eumdem, n. 38, scribit *vulnerata caritatis*. et Natali 6 S. Felic., carm. 18, vers. 123, *pietatis circumfusus*, Græca phrasi mss. Vatic., Vien. et edit. Grim., *rore respersa*. Edit. Rosv., *rore sparsa*. Sacchino placet ut legatur *matutini lætitia roris*.

(*h*) Particulam *a* addidimus ex mss. Reg. et Vien. et editis quatuor.

(*i*) Ms. Vien., *revocaverat*.

(*j*) Ita mss. codices. Editi, *auferenda*. Manuscriptorum codicum lectio confirmatur ex sequentibus, *non modo nobiscum efferimus*; editorum vero ex epist. 16 ad Jovium, n. 8.

(*k*) Abest hoc verbum a ms. codice Vaticano.

non edat panem [a], non videlicet istum percuntis cibi A panem, sed illum quo vivitur in veram vitam : quia unusquisque, sicut scriptum est [b], de fructibus suis manducabit, et in operibus suis vivet : ac proinde suum cuique opus panis est : et panis verus ac vivus Christus est [c] : quem non potest manducare piger operarius, quia idem est pascha nostrum, quod expediti atque præcincti, et firmiter calceati, nec depositis a manu baculis [d], id est operibus, quibus nitimur, numquam remissis, cum omni festinantia edere præcipimur : quia *tempus breve est*, et expedit nobis *sine cura esse*, sicut Apostolus suadet, *propter instantem necessitatem* [e], ut inveniamur parati, et pulsanti Domino non timeamus aperire [f], de conscientia somni aut negligentiæ digna metuentes. Quod quidem nobis nihil proderit nihilominus extrahendis, et ad B mortem quidem post mortem, ut justas negligentiæ atque impietatis pœnas luamus, si alieno potius quam nostro domino deservientes, deprehendamur seculi magis quam Christi negotiis occupati, pulsantique Domino non aperiamus, et ad Patrem ducamur inviti. Propterea prædicitur nobis, ut pro hac. id est anima, laboremus et oremus *in tempore opportuno* [g], hoc est præsenti; in cujus spatium ideo inducimur, ut veram vitam ista brevi [12] et transeunte quæramus [h]. Hujus vitæ campus et *ager mundus* iste *est* [i], vel homo ipse qui in hunc mundum mittitur. Deo quo *unus assumitur* [j] cum, ut supra diximus, carne spiritui subjugata, duo unum fecerit : quia et in unoquoque nostrum, secundum Apostolum [k], duæ mentes et duæ leges sunt : quibus intra nos molentibus, aut accepta- C bilis Deo aut refutabilis similago conficitur.

11. Te vero, victa lege membrorum [l], et exteriore (a) corrupto, puram conspersionem (b) parare, et sine fermento azymum Christo (c) confici [m], eloquia tua tam (d) facunda quam casta testantur. Neque enim tibi donatum fuisset (V. ep. 29, n. 14) enarrare Martinum, nisi dignum os tuum sacris laudibus mundo corde fecisses. Benedictus igitur tu homo Domino, qui tanti sacerdotis et manifestissimi Confessoris historiam, tam digno sermone quam justo affectu percensuisti. Beatus et ille pro meritis, qui dignum fide et vita sua meruit **56** historicum; qui et ad divinam gloriam suis meritis, et ad humanam memoriam tuis litteris consecratur. Hæc quoque verba tua, D vellera sunt, et Dominum Jesum gratissimo tegmine cooperiunt (e), cujus supellectili pulcra ambiunt, et ingenii tui floribus comunt. Vestiet ille te vicissim Agnus de suo vellere in retributionis die, mortale tuum de sua immortalitate superinduens [n].

12. Tu tantum nostri memento, et nos respice, non retro spectans [o], sed amici memor. Certum est enim, quia agricola solertior fructus habeas largiores, et pernicior cursor tarditatem nostram *ad bravium supernæ vocationis* [p] antevoles. Infirmior etenim mente quam corpore, longo te intervallo sequor, spatio tamen tantum a te non itinere (f) separatus; et eamdem molam ægra et impari manu verto, pistrino socius, fruge deterior, quia tritico mixta zizania molo [q] : quæ ut tota vertantur in frugem, orationibus tuis egeo; quibus spero evadere et divitias, et paupertatem meam, quia utrumque mihi in malum est, cum sim justitiæ pauper, et peccati dives. Nam vere me divitem boni crederem, si ita jam pauper essem, ut putas. In quo tamen de verbis tuis te paulisper excutiam, quibus a te ipse discordas. Etsi non meas virtutes in me prædicaveris; tamen qui alienas licet mihi verbis tuis donandas putasti, quomodo convenit, ut idem tu paupertatem, quam te admirari profiteris, horrere fatearis? Si credas hanc mihi donatam esse virtutem, quam te [13] velle nec posse assequi confiteris, ut *habens victum et vestimentum, hoc contentus sim* [r], nihil ultra diem cogitem [s]; cur vel me inopiæ necessitate superandum putas, ut te, quem non desiderare non possum, invitare desistam : aut te tam infirmum diffidentemque Christo prodis, ut timeas ad hujusmodi, qualem prædicas, amicum venire, si in veritate sequeris illum qui dixit : *Tolle crucem tuam, et veni, sequere me* [t]? Quomodo aliter putas Christum sequendum, nisi lege qua docuit (g), et forma quam prætulit? qui cum in sua venisset, reclinandi tamen capitis locum inter sua (h) non habuit [u].

13. Imitare imitatorem Christi, ut mortuus vivas crucifigens te mundo, et tibi mundum; quotidie moriens per fidem verbi, et vivens in verbo fidei. *Non* enim *in pane solo vivit homo* [v], præsertim Christianus; de quo proprie scriptum est : *Quia ex fide vivit* [x]; numquid dixit, *Ex pane?* Quid igitur **57** a me famem metuis, si fidem habes? Panis tuus tecum est. Si verbo Dei pasceris, non desiderabis *escam ventris; Deus enim et hunc et illam destruet* [y], dum se ædificat in nobis, si nos in ipsius caritate fundati, consistamus [z], neque domum nostram in diffidentiæ (i) flu-

[a] II Thess. 3, 10. [b] Psal. cxxvii, 2, juxta LXX. [c] Johan. vi, 35. [d] Exod. xii, 11. [e] I Cor. vii, 26, 29 et 32. [f] Luc. xii, 36. [g] Psal. xxxi, 6. [h] I Tim. vi, 19. [i] Matth. xiii, 38. [j] Matth. xxiv, 40. [k] Gal. v, 17. [l] Rom. vii, 23. [m] I Cor. v, 7. [n] I Cor. xv, 54. [o] Luc. ix, 62. [p] Philip. iii, 14. [q] Matth. xiii, 25. [r] I Tim. vi, 8. [s] Matth. vi, 34. [t] Luc. ix, 23; Matth. xix, 21. [u] Matth. viii, 20. [v] Deut. viii, 3; Matth. iv, 4. [x] Gal. iii, 12. [y] I Cor. vi, 13. [z] Ephes. iii, 17.

(a) Ms. Vien., *corrupta*.
(b) Sic mss. codices. Reg. et Vien. et editi quatuor. Ed. Rosv., *parari*.
(c) Ita iidem mss. et editi codices. Ed. Rosv., *fieri*.
(d) Sic ms. Reg. et editi 4. Al., *fecunda*. Utraque vox recepta. Vide *eloquii facundiam*, ep. 16 ad Jovium, n. 11.
(e) Ex conjectura Rosveydus addiderat *membra*. Quam vocem in nullo codice repertam expunximus.
(f) Sic mss. Reg. et Vien. et edd. Bad. et Grin. Alii, *superatus*.
(g) Ms. Vien., *voluit*.
(h) Ms. Reg. addit *jura*.
(i) Ita ms. Vien. et edit. Schot. Alii, *fluctuantes*.

ctuantis arena locemus [a]. Nonne illi credidimus, et A in illum ambo juravimus, qui dixit : *Nolite cogitare in crastinum; sufficit enim diei malitia sua ; quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia apponentur vobis* [b]? Huic si credis, quid de ejus fratris inopia famem metuis, quem scis hujus verbi securitate paupertatem divitiis prætulisse? An magis abundare credis illum qui terræ, quam qui Deo credit? et qui propria, quam qui divina pascitur cura? Quid ille miser habeat, qui se [14] non habet? non enim se habet, qui plus de se quam de Deo sperat : vereque est mortuus, qui non vivere timet (*quasi leg.* timet non vivere), si totum se Deo credat, Deoque permittat. Opto igitur ut tuæ potius comitatis hic jocus, quam infirmitatis fides fuerit, quod scripsisti credere te ita me futurum brevi pauperem, ut ulte- B rius non auderem invitare te. Fateor nihil me præoptare tantæ libertatis bono : siquidem tam intima circumcisio, plena perfectio sit [15]. Sed tamen si tibi vera in Christo fides, vera virtutum in homine cœlestium admiratio, et hominis in Deo viventis æmulatio (*a*) est; quomodo non eo magis me expeteres, quo perfectiorem esse audires, nisi si aperte, non credere corde quod ore profiteris, confitereris [c]? Sed in me peccatorem fugere, non pauperem, Martini beatissimi frequentator argueris; quem certe numquam desiderasses, si cibis corporis esurire timuisses

14. Ego certe, quia necesse est in operis spiritalis profectu caritas maxime, quæ *plenitudo legis est* [d], proficiat, sicut desiderare te, ita et invitare non desi- C nam. Veni ad nos : et si potes, advola. Nihil habemus nisi Christum; et vide si nihil habeamus [16], qui omnia habentem habemus. Ebromagum (*V.* not. 30) enim non hortuli causa, ut scribis, reliquimus; sed paradisi (*b*) hortum prætulimus et patrimonio, et patriæ; quia illic magis domus vera, ubi æterna : ibi verius patria, ubi originalis terra, et principalis habitatio. Nam si credis propitio Christo, propter quem si nil [17] habeamus, in ipso omnia possidemus [e]; nunc in ista spinarum et laborum humo, ne in hortuli quidem glebula nos terræ limus tenet : sed utinam ita nullus a peccato nobis pulvis hæreret! Tu si hoc bonum ita credis, ut prædicas; et **58** in eo me esse credis, ut te credere scribis; et segnius me desideras; jam non in me peccatorem semper, et semper D indignum conspectu tuo, sed in Dominum [18] ipsum committis (*id est* peccas), si putas tum demum defuturam nobis vitæ mortalis alimoniam, cum nobis cœperit Deus esse possessio [f].

EPISTOLA * XII.

Postularat Amandus prolixiores Paulini epistolas : ergo hanc de gratia Dei non minus piam quam elegantem scribit, commemorans Dei benignitatem, et altitudinem divini consilii super salute generis humani. Docet et humilitatem quamdam malam, et superbiam quamdam bonam esse.

Sancto, et merito venerabili, ac dilectissimo AMANDO, PAULINUS.

1. Fateor mirari me sanctam caritatis tuæ benignitatem et patientiam, ut de epistolis, quas ad te loquacissimas, et pleniores molestiæ quam gratiæ facere soleo, tu tamen desiderium sermonis mei potius quam tædium capias; quandoquidem ad assiduas et prolixiores litteras me lacessis et excitas gratia scriptorum tuorum, in quibus *caritas de corde puro et fide non ficta* [g] *in azymis veritatis* [h] sincerum loquitur affectum, ac vicissim meum ab intima mente sollicitat. Quid igitur faciam? obtemperabo tibi copia litterarum? sed *bonorum meorum non indiges* [i]; et me æquius est a te locupletari, quia dives pauperi conferre debet, *ut fiat æqualitas* [j]. An vero magis consulam utilitati meæ, et *ponam ori custodiam* [k] : ut periculum peccati, quod de multiloquio paratur effugiam [l]? Sed metuo [2] rursus, ne inobedientiæ reus statuar; et forte gravius offendam si in te deliquero non obtemperans, quam si pro me timuero non scribens.

2. Det igitur mihi Dominus a Domino oris adapertionem ad te [m], et prætendat pedibus meis lucernam verbi sui [n], ut nox insipientiæ meæ sicut dies illuminetur [o]. Solvat linguam meam in verbum bonum, qui et asinæ os [p] in sermonem laxavit humanum. Sum enim et ego unus de lapidibus vel jumentis illis, quorum præfiguratione asina tunc locuta est, mutam gentilis duritiæ stoliditatisque naturam, solutis Deo linguis, significans locuturam [q]. Ac, si placet, de hac ipsa Dei gratia textum epistolæ porrigamus, quia omnis nostra (*c*) narratio in præceptis **59** et laudibus Altissimi occupata esse debet, illi omne quod loquimur, omne quod vivimus, cum perpetua gratiarum actione dependi, cujus opere [3] ac munere loquimur et vivimus. *Ipse enim fecit nos, et non ipsi nos* [r]. *Ipse*, inquam, *Dominus fecit nos*, qui etiam refecit jam ab initio per omnia quæ operatus est et locutus in Sanctis suis, salutis nostræ, id est, reparationis humanæ sacramenta molitus. Nam justum Abelem illico reparavit sancta generatio in Seth [s], qui ore consimili formatum ad imaginem Dei retulit patrem. Inde per ceteros a primo fonte decurrens permanavit vena justitiæ : et quamvis interveniente di-

[a] Matth. VII, 26 ; Luc. VI, 49. [b] Matth. VI, 34, 33; Luc. XII, 31. [c] Rom. X, 10. [d] Rom. XIII, 10. [e] II Cor. VI, 10. [f] Psal. XV, 5. [g] I Tim. I, 5. [h] I Cor. V, 8. [i] Psal. XV, 2. [j] II Cor. VIII, 14. [k] Psal. XXXVIII, 2. [l] Prov. X, 19. [m] Ephes. VI, 19. [n] Psal. CXVIII, 105. [o] Psal. CXXXVIII, 12. [p] Num. XXII, 28. [q] Luc. XIX, 40 [r] Psal. XCIX, 3. [s] Gen. IV, 25.

* Alias 21; quæ autem 12 erat, nunc 32. Scripta anno 397.

(*a*) Addidimus verbum *est* ex mss. Reg. et Vien.

(*b*) Ita ms. Vien. Alii addunt *illum*. Utraque lectio bona.

(*c*) Sic mss. Reg. et Vien. Editi 4, *ratio*. Ed. Grin. *oratio*.

luvio, in uno quidem, attamen justo, universitatis peremptæ seminarium stetit, jam tunc operante mysterio unici Redemtoris, ut per unum reconciliatio proveniret, quia per multos offensa venisset [a]. Sed iterum generis humani processu relabente justitia, et crescentibus simul gentibus atque criminibus, ne rursus iniquitas hominum generis mereretur interitum, rursus electus est qui pater fidei vocaretur, a quo et promissio regni et Regis æterni semen emergeret. Quod multiplicatum fide gentium Christus implevit, qui patriarchis visus, per legem præformatus, per prophetas prælocutus, et ipse adfuit, ut adimpleret legem et prophetas, et quam lex operibus non valuerat conferre medicinam, gratia daret [b].

3. Jam enim corpus omne, id est, universum genus (*a*) hominum ita pervaserat peccatum, ut neque malagma debilibus et sauciis, neque ligatura prodesset [c] : corroborata etenim vitiorum valetudine, omnem humanæ opis medelam fortior remediis morbus excluserat, et ideo venit qui et venturus est, conformatus corpori humilitatis nostræ, ut nos conformaret corpori gloriæ suæ [d]. Quia nemo, nisi artifex, operis sui potens est, et figulo tantum in argillam suam jus est [e]. Ita Dominus omnium, qui omnes fecerat, dignatus est ad nostra descendere, nosque suscipere in corpore suo, ut reficeret eadem arte vel (*pro* et) potestate qua fecerat. Venit autem non in sublimitate Domini, quod erat, sed in forma servi, quod non erat [f]. *Factus est ut homo sine adjutorio* [g], qui est Dei virtus, et Dominus exercituum, adjutor et protector omnium. Pro liberandis est mortuus, qui erat *inter mortuos liber. Inter iniquos deputatus est*, qui justificat impium per fidem. *Sicut ovis ad interfectionem ductus est agnus ille, qui tollit peccata mundi* [h]. Passus est mortem, qui donat æternitatem.

4. Sed in causa tanti hujus consilii et muneris, animadvertere ipsius lumen est, *qui nos* **60** *illuminat a montibus æternis* [i] : in quos oculis allevatis videamus, iisdem nos, quibus perieramus, itineribus inventos, rursus ex arbore, rursus ex virgine; sed non rursus superbia præcipitandi, verum e contrario humilitate redituri. Nam idcirco Rex gloriæ et Dominus majestatis *exinanivit se, formam servi accipiens* [j], et invisibilem magnitudinem suam visibili abjectione contexit, ut nos veteri illo malæ conceptæ arrogantiæ morbo, foris altos, intus obtritos, in formam sublimitatis suæ per formulam nostræ in se humilitatis attolleret. In hoc enim operatus est et operatur quo-

A tidie bonus Dominus, ut divinæ conformationis gloriam consequamur, si nostræ in Christo conformationis exemplum sequamur, cognoscentes in Altissimi moderamine temperatum naturæ nostræ modum, ut supra nos ipsius gratia provehamur, si juxta nos nostri memores ambulemus. Ad quam nos mensuram propheticus ille de Numeris sermo componit, quo dicitur : *Non declinabimus dextera neque sinistra, sed regali via ibimus* [k]. Quod nobis Christus est, mediator Dei et hominum, inter divina et humana nos temperans, et ad regnum suum regali via ducens; ut corde humiles, opere sublimes, a sinistris, id est, peccatis quæ in mortem trahunt, allevemur; et a dextris nimiis, id est, præsumtione superba, humilitatis lege revocati, teneamus salubrem mediocritatem, ne aut
B oculos nostros declinantes in terram [l], comparemur jumentis *quibus non est intellectus* [m], aut altiora nobis scrutantes [n], evanescamus in cogitationibus nostris. Itaque *non alta sapientes, sed humilibus consentientes* [o]; *in mensura qua* (*forte* quam) *mensuravit nobis Dominus* [p], nosmetipsos metiamur, ut angustemur in nobis, et in Domino dilatemur [q]. Non ut illi sapientes hujus seculi, quorum sapientiam Dominus reprobavit ac perdidit, et per stultitiam prædicationis (*b*) exclusit [r s] : (*c*) *Disputaverunt* enim, inquit, *ut absconderent laqueos* [s] : quia videlicet in hoc omnis ars philosophorum laborat, ut assertione fictorum lucem veritatis obscuret, et inanium contentionum laqueis sollicitatas a vero mentes implicet, et ingenii fraude decipiat, et fuco sermonis inducat.

C 5. Sed postquam *exortum est lumen in tenebris, misericors et miserator, et justus Dominus* [t], frustra *posuerunt in cœlum os suum* [u], qui etiam terrenarum rerum suæque naturæ nescii (*d*) scrutantur cœli plagas, et Deum [t] sine Deo quærunt. Ideo *defecerunt scrutantes scrutinio, et sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum* [v] : quia corripiens sapientes in astutia sua Dominus [x], per infantium atque lactentium **61** ora confudit, nec in sermone regnum suum, sed in virtute constituit. Unde ego quoque minimus omnium minimorum Domini, exiguorumque tenuissimus, et infantium infantissimus, audeo in vocem laudis (*e*) erumpere, gratias agens Domino altissimo, quoniam mysterium pietatis excelsæ, quod in thesauris sapientiæ suæ habebat repositum, parvulis suis prom-
D serit, et sapientibus mundi absconderit [y], ne glorietur hic mundus in suorum vanitate sapientium, per quam obfusa sibi caligine non agnoverat sapientiam

[a] Gen. VI, 8 et VII, 1; II Pet. II, 5. [b] Gen. XV, 13; Rom. IV, 11; Gal. III, 7; Jac. II, 21; Matth. V, 17; Johan. I, 17. [c] Sap. XVI, 12. [d] Apoc. I, 4. Phil. III, 21. [e] Sap. XV, 7; Eccli. XXXIII, 13; Jerem. XVIII, 6; Rom. IX, 21. [f] Philip. II, 7. [g] Psal. LXXXVII, 5. [h] Isai. LIII, 7, 12; I Pet. II, 24; Johan. I, 29. [i] Psal. LXXV, 5. [j] Philip. II, 7. [k] Num. XXI, 22; Deut. II, 27. [l] Psal. XVI, 11. [m] Psal. XXXI, 9. [n] Eccli. III, 22. [o] Rom. XII, 16. [p] II Cor. X, 13. [q] II Cor. VI, 11. [r] I Cor. I, 21. [s] Psal. LXIII, 6. [t] Psal. CXI, 4. [u] Psal. LXXII, 9, [v] Psal. LXIII, 7, 8. [x] I Cor. III, 20. [y] Matth. XI, 25.

(*a*) Ita ms. Reg. et edil. quatuor. Ed. Rosv., *genus humanum*. Verissima lectio quam restituimus, ut cuivis attendenti præcedentia et subsequentia patebit.

(*b*) Ms. Reg. et edit. Bad., Grav. et Schot., *exhausit*.

(*c*) Ita Psalterium Romanum, et S. Hilarius in Psalmos.

(*d*) Sic ms. Vatic. et Latin. Ceteri codices, *inscrutantur*.

(*e*) Deest *ejus* in editis.

Dei. Pax autem nostra Jesus, qui venit ut utraque A unum faceret [a], et omnia æqualitate componeret, *destruxit fortia, et elegit infirma :* sprevit sapientia, et assumsit stulta, ut fieret æqualitas [b], nemine sibi quidquam proprium vindicante, cum omnem (*a*) hominem non nisi divino munere salutis ac sapientiæ compotem necesse esset in Domino gloriari [c]. Itaque exsultemus cum tremore in Domino Deo nostro [d], qui est humilis corde, et majestate sublimis [e], idem sentientes in nobis, quod in Christo [f], qui, ut supra dixi, idcirco nobis salutis gratiam per humilitatis formulam contulit, ut qui exaltationis spiritu cadere merueramus, (*b*) cordis humilitate resurgere disceremus.

6. Quod autem bonus Dominus crucifixus est, et resurrexit, non solum ad destructionem mortis nostræ, B et ad reparationem æternitatis operatus est, sed etiam ad præsentis vitæ informationem, qua meritum acquirimus, quo vitæ illius in æternum beatæ possessio præparatur [g]. Cruci ergo fixus est Dominus : quo mysterio pietatis atque consilio, Apostolus docet [h] : ut solveret, inquit, parietem valli, interficeretque inimicitias, et omnem hujus mundi ambitum dispoliaret, ac de universa inimici potestate, captivans ipsam captivitatem [i], triumpharet, *in sua carne suscipiens*, inquit, *similitudinem carnis peccati* [j] : non utique similitudinem carnis, quia omnibus Deus veritas : et ideo vere et corporaliter *Verbum caro factum est* [k], *sed in similitudinem peccati carnis* [l]; ut *qui peccatum non fecit* per suam inviolabilem impassibilemque naturam, *propter nos* tamen, ut scriptum C est, *peccatum* (*c*) *factus*, id est, peccatorem susceptum in forma servi gerens. *Factus enim est pro nobis maledictum, ut nos maledicto legis absolveret* [m]*: de peccato damnavit peccatum* [n], id est, peccati materiam, quæ adhuc in illa Adæ carne vivebat, in ipsa, quam suscipere dignatus est, Adæ carne vacuavit; **62** ac sic parietem valli, hoc est, peccatum, quod inter nos et Deum separabat, destruens, *fecit utraque unum* [o]; non solum ut Judæorum et gentium fides in Christo coiret, sed ut in unoquoque nostrum qui crederemus, natura sibi nostra congrueret; et discordia quæ prius versabatur in nobis, cum spiritali affectui carnalis anima repugnaret, pace fidei solveretur. Nunc enim bellum illud antiquum, quo lex peccati repugnabat legi Dei, aboletur in Christo [p], D cum spiritus Deo serviens subactam sibi animam fide temperat, et vicissim animam Deo servientem in omne obsequium caro ministra comitatur.

7. Quam ob rem Domini passione et resurrectione non solum ad spem ac fidem resurrectionis instruimur; (*d*) sed ut non sola resolutione carnali, sed et voluntaria ab hoc seculo recessione mori noverimus; et moriendo per fidem huic mundo, vivificemur Deo. Vita enim hujus mundi amica, mors animæ est. Ob hoc nobis Apostolus dicit : *Mortificate in terra membra vestra* [q]. Quotidie se ipse testatur mori, *lividum faciens corpus suum, et obliviscens quæ retro sunt, atque in priora se porrigens* [r]. In quo humilitatem pariter et sublimitatem docet : quia conteri corpus sine humilitatis spiritu non potest, nec anima in cœlestia surgere, nisi mortificatione membrorum. Attamen et ipsius nobis humilitatis servanda mensura est, ut non nisi timore divino humiliemur uni Domino : *Dominum enim Deum tuum adorabis, et ipsi soli servies* [s]; cui servire, libertas est. Nemini enim subjectus est, qui se soli Deo subjecit [t]. (*e*) Ut contra omnibus infimis, vel spiritibus, vel aliis creaturis, vel suis vitiis et cupiditatibus servit, qui vult liber esse justitiæ. Est autem et sancta superbia, et humilitas iniqua : nam et justificatur superbia quæ huic mundo superbit, et contemnit hoc seculum, omnibusque magnis ejus et dulcibus ac speciosis abutitur (*id est* uti recusat. *V*. not. 31), intenta cœlestibus rebus, et præceptis subjecta divinis. Contra autem illa humilitas condemnatur, quæ non ex fide, sed ex ignavia mentis hominibus adducitur, et humanam gratiam magis quam suam salutem curat; mendacii famula, veritatis inimica, libertatis expers, iniquitati obnoxia, miscens (*f*) aqua vinum [u], id est, veritatis merum (*g*) aquoso adulationis enervans. In hujusmodi humilitatem specialiter mihi videtur vox illa contendi, quæ denuntiat, *væ dicentibus* (*h*) *malo* **63** *bonum, et dulce amaris* [v], et injustis justitiam prædicantibus : quos et per Salomonem, sicut nosti, veritas exsecratur.

8. Bene autem nos brevi psalmo, sed pleno magisterio, beatus Psalmista conformat ad nostri moderaminis temperamentum, cum precibus suis prætendit meritum humilitatis [x], dicens : *Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei. Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me* [y]. Et deinde qui se (*i*) pro cordis humilitate re-

[a] Eph. II, 14. [b] II Cor. VIII, 14. [c] I Cor. I, 31. [d] Psal. II, 11. [e] Matth. XI, 29. [f] Philip. II, 5. [g] Rom. VI, 4; I Cor. VI, 14; II Cor. V, 15; Col. III, 1. [h] Ephes. II, 14. [i] Psal. LXVII, 19; Ephes. IV, 8. [j] Rom. VIII, 3. [k] Johan. I, 14. [l] Rom. VIII, 3. [m] Gal. III, 13. [n] Rom. VIII, 3. [o] Eph. II, 14. [p] Rom. VII, 21. [q] Col. III, 5. [r] I Cor. IX, 27; Phil. III, 13. [s] Deut. VI, 13, et X, 20; Matth. IV, 7; Luc. IV, 8. [t] Rom. VIII, 20. [u] Isai, I, 22. [v] Isai. V, 20. [x] Eccli. XIX, 23. [y] Psal. CXXX, 1.

(*a*) Hanc vocem addidimus ex mss. Vatic. et Vien. et edit. Grin.

(*b*) Sic ms. Vaticanus. Ceteri, *corde humilitatis*. Lectio quam restituimus ex ms. Vaticano, semel et iterum confirmatur n. 8.

(*c*) Ita edit. Schot. et Sacchin.; alii codices, *faciens*. Hic restituta lectio confirmatur ex epist. 37, n. 2.

(*d*) Abest *sed* a ms. Reg. et editis 4.

(*e*) Sic ms. Vaticanus codex. In aliis, *At*.

(*f*) Mss. Vien. Reg., *aquam vino*. Latin., *aquæ vinum adulationis*.

(*g*) Ita ms. Vatic. et edit. Rosv. At ms. Reg. cum editis 4, *aquis adulationis*.

(*h*) Sic mss. Reg. et Vien. cum editis 4. At ms. Vatic. et edit. Grin. faventibus Vulgata et versione LXX, *malum bonum, dulce amarum, et injustitiam justitiam prædicantibus*.

(*i*) Ita ms. Regius. Ceteri codd., *præ*.

spici depoposcerat, dicit: *Si non humiliter sentiebam, sed exaltari animam meam: Sicut ablactatum* (*a*) *super matrem suam, ita* (*b*) *retribues in animam meam* [a]. Ideo retributionem postulat, quia non humiliter senserit, sed animam suam exaltaverit. Nonne videbitur discordare sibi Prophetæ sententia, nisi ita hæc discernamus intellectu, sicut in ipsius spiritu et corde, ita ut sibi congruerent, fuere distincta? Convenienter enim et humiliter dictum est timore divino, qui *sacrificium Deo*, ut ipse testatur, *spiritum contribulatum et cor humiliatum* [b] offerebat. Salva tamen humilitate cordis, idem exaltabat animam suam non humiliter sentiens: quia non terrena sapiens, Deo mentem habebat affixam, unicum *bonum* ducens *Deo adhærere, et ponere in Deo spem suam* [c]. Unde et Apostolus, qui nos humilitatem docet (*c*), ut ea potissimum imitatores Christi esse studeamus: *Hoc enim*, inquit, *sentite in vobis, quod et in Christo, qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanivit se, formam servi accipiens* [d]; idem tamen ad exaltandam animam in superna et divina nos provocat, cum dicit: *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera et gloria Dei Patris* [e].

9. Quamobrem tenentes hanc et humilitatis et exaltationis regulam, utrumque hoc (quod in perversitate, quam supra dixi, peccatum habet; in directione, qua [5] docemur, gratiam obtinet) suis ordinibus mensurisque teneamus pietate, et humiliantes cor Deo, et exaltantes animam ad Dominum [6] nostrum, nihil nisi illum timeamus, nihil supra illum diligamus. Jugo tantum ipsius quod est suave, et oneri illius quod est leve, colla subdamus [f]; ut supra omne potestatis inimicæ jugum liberi, in cœlestia subvehamur. Nam et ob hoc Domini nostri jugum suave, et onus leve est, quia e terrenis nos et inferis (*d*) elevat, et in excelsa regni **64** cœlestis attollit. Levitas enim omnis altipeta [7] est, et sursum versus vigore subtilitatis effertur.

10. Huic autem gratiæ contraria peccati pondera deprimunt, et in inferna deducunt; quæ quanti sint oneris, Propheta testatur cum gemens clamat: *Superposuerunt iniquitates* (*e*) *meæ caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me* [g]. Sed gratiæ Domino Jesu Deo nostro, qui potens est *liberare nos de corpore mortis hujus* [h], *per multitudinem miserationum suarum* [i], *et divitias bonitatis suæ* [j], quibus su-

A perabundat abundantiæ peccatorum nostrorum, et *salvos facit sperantes in se* [k]. Apud quem credimus, quia et orationum tuarum pro nobis agantur excubiæ. Scimus enim quia a pueritia ipsi (*f*) militans, et sacris litteris enutritus, nulla conversationis terrenæ et (*g*) carneæ labe pollutus, invenisti gratiam in conspectu Altissimi, et pro nobis de silva hujus seculi ad gregem vel ad currum Domini sero captis, quoniam *multiplicatæ sunt iniquitates nostræ super capillos capitis nostri* [l], et indigni sumus, quorum nomina divinis auribus ingerantur, ne forte et labia tua immunda fiant cum nos nominaveris [m], et necesse sit os tuum igneo carbone perstringi (*An pertingi?*), potes tamen vel humilitate vel fiducia vatis antiqui dicere: *Domine, dimitte illis, aut dele me de*

B *libro tuo* [n]. Quod ille divini colloquii particeps, non salutis suæ negligens, nec insolens Domino, profundi arte consilii ausus est dicere; ut Domino [8] justo debitum peccatori populo interitum comminanti, oblationem suæ potius abolitionis opponeret, divinæ videlicet pietatis justitiæque securus, ut parceret et injustis misericordia Domini, dum justum non potest delere justitia.

11. Hac et pro nobis Dominum altissimum conditione constringe, ut dum eximere te libro suo non potest, per obtentum justi sui recipiat injustos. Nam *quia major est, qui in nobis est, quam qui in hoc mundo* [o]; ideo fortior est justitia pro peccatoribus defendendis, quam iniquitas adversus patrocinia Sanctorum. Vellem quantum in me est adhuc prorogare

C [9] sermonem, nisi et charta deficiens, et metus fatigationis tuæ cogeret verbis modum poni, et epistolam terminari. Tu in omnibus indulge temeritati meæ, et responde mihi, ut consoler et instruar litteris tuis.

12. Nunc (*h*) Sanemarium portitorem hujus **65** epistolæ commendamus specialiter unanimitati tuæ; ut, sicut rogavimus sanctum episcopum et patrem nostrum, ita ordinetur a vobis. Conservum enim eum, data in Domino libertate, reddidimus: sed vobis in domo Domini serviat delegatis ad parentum nostrorum memoriam obsequiis, ut per religiosam servitutem obtinere firmam libertatem sub vestra defensione mereatur. Age et apud sanctum presbyterum fratrem

D Exsuperium [10], ut in casa Ecclesiæ terrulam, qua victum suum procuret, accipiat. Præterea rogo, ut

[a] Psal. CXXX, 2, sec. LXX. [b] Psal. L, 19. [c] Psal. LXXII, 28. [d] Philip. II, 5. [e] Col. III, 1. [f] Matth. XI, 29. [g] Psal. XXXVII, 5, juxta Psalter. Rom. [h] Rom. VII, 24. [i] Psal. L, 3. [j] Rom. II, 4. [k] Psal. XVI, 7. [l] Psal. XXXIX, 13. [m] Isai. VI, 5. [n] Exod. XXXII, 32. [o] I Johan. IV, 4.

(*a*) Sic LXX, Psalterium vetus Græc. et Rom., S. Hilarius et S. Augustinus in commentario super Psalmos, et omnes excusi et mss. codices, præter Vien., in quo *super matre sua, ita retributio*, ut in Vulgata.

(*b*) Ita Psalterium Romanum, LXX, S. Hilarius, nec multo aliter Ambrosius.

(*c*) Expunximus verbum *dicent*, quod abest a ms. Vaticano, nec male.

(*d*) Ita mss. Reg. et Vatic. Alii, *levat*.

(*e*) Ita Psalterium Romanum, S. Ambrosius, et Paulinus, epist. 40, n. 4.

(*f*) Pronum fuit emendare juxta ms. Vatic. *ministrans*; videtur enim respexisse Paulinus ad locum Apostoli I Timoth. IV, *bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei*.

(*g*) Ita mss. Reg. et Vien. cum editis tribus. Alii, *carnis*.

(*h*) Sic emendavimus ex mss. codicibus. Ante erat *sane Marium*.

epistolam meam ad filium nostrum Daducium etiam, si in Galliis agit, sine ulla dilatione facias ab episcopo transmitti per conservum fidelem et impigrum. Si clericum forte noluerit occupari, unum de Alingonensibus dignemini [11] mittere cum epistolis vestris, quibus litteræ nostræ juventur : dignam enim interventu vestro causam ex epistola mea, quam ad eum feci, cognoscetis. Imprimis autem celeritate agendi opus est, ut sanctissimus presbyter, qui et vita et ætate venerabilis vim, qualem exposui, sustinet, quamprimum ab alienarum ædium exsilio liberetur.

EPISTOLA * XIII.

Nupserat Paulina sanctæ Paulæ filia Pammachio viro proconsulari, ut ait Palladius in Lausiac. c. 122, immo secundum Hieronymum epist. 26, consulum pronepoti. Hanc in flore adhuc juventæ defunctam Pammachius multis prosecutus lacrymis, etiam largissimis in pauperes eleemosynis refovebat. Utroque eum nomine et consolatur et commendat Paulinus, mortuæ laudibus subinde inspersis.

Dilectissimo (*a*) fratri, merito prædicabili et venerantissimo PAMMACHIO (*V*. not. 32), PAULINUS.

1. Ut hactenus tacendi tempus [a] congrua humilitate servavi, ita nunc debita caritate loquendi tempus agnovi, frater in Christo Domino venerabilis et dilectissime. Scriptis enim sancti viri fratris nostri (*b*) Olympii [4], communis unanimi, nuper accepi tam inopinatum mihi quam inoptatum tui mœroris indicium; in quo meæ tibi tristitiæ consortium et vocis officium (*c*) dein defore, ut sileant privati amoris affectus, sed caritas Christi Domini et Dei nostri, quia in ipso nobis et per ipsum, ut unius corporis membra, connectimur, non permisit. Ipse enim nos Dominus Deus noster vitæ nobis pariter **66** et pietatis magister per illud cœleste vas electionis suæ docuit *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* [b], vicissimque nobis compati, et invicem onera nostra portare; ut mutuis consolationibus roboraremus communem fidem, et fatigata pectora foveremus. Cui muneri Deus tantum dedit, ut eo functum magnæ civitatis instar amplificandum promiserit, enuntians per Prophetam, quia *frater fratrem adjuvans exaltabitur sicut civitas magna* [c] : videlicet quod munimentum animæ dimicanti fraterna compassio ferat, variisque mentis afflictæ pulsibus quasi murus obsistat.

2. Sed si forte idipsum culpæ magis quam gratiæ judicetur, quod tardius fungar officio caritatis, credas velim illico ut agnoverim, scripsisse me. Neque videar de (*d*) negligentia tui serus audisse, cum ipsa me et loci remotio, et propositi ratio defendat : quo secretus ac tacitus agens, neque videre nisi raros [2] prætereuntium possum, neque interrogare de sanctis fratribus, nisi caros volo : semper tamen et in meo silentio tui memor, nunc ut caritas postulare visa est, opertum pectore affectum reclusi, et per has ad te litteras promsi, quibus ad sanctam mihi unanimitatem tuam, qua potui via profectus sum; quia non potui iisdem corpus et animum meum finibus continere, cum caro, ut semper, infirma per hiemem longius commoveri negaret; et qui semper est promtior spiritus ferventibus ad te desideriis evolaret [d]; ut quem corpore non tenebam, mente complecterer. Cucurri igitur in siti desideriorum ad te [e], mi frater in Christo unanime atque venerabilis, et si me vicissim intueris animo, tecum esse me totum videbis et senties. Nam si verum illud est, sensu [3] nos potius videre et audire, certe adsum tibi et potiore mei parte, cum animo ad te venerim : quo nisi adsimus, (*e*) ubi etiam corpore intersumus, præsentiam non probamus, vacua nostri imagine, mentis absentia. Quamobrem signatum amicitiæ munus impendi, (*f*) aptumque nostra fide feci, ut te spiritali aditu visitarem. Hanc de te invicem gratiam quæso merear, ut tu quoque me interioribus videns oculis, tamquam adstantem cominus, et coram loquentem et coanhelantem anxietudini tuæ de necessitate communi, vel patientiæ congratulantem de spe fidei, in hoc sermone suscipias pariter atque conspicias. Sermo enim viri mentis est speculum. Nam et ipse Dei sermo confirmat, quia *ex abundantia cordis os loquitur*, *et thesaurus pectoris publicatur eloquio* [f]. Ob hoc in veritate qua stamus in Christo, expressum **67** his tibi litteris animum meum suscipe; nec volo amicitiam nostram tempore metiaris. Non enim hæc, ut secularis est, quæ spe sæpius quam fide paritur; sed spiritalis illa, quæ Deo auctore generatur, et arcana spirituum germanitate coalescit. Quo fit, ut non diuturnitatis usu crescat ad amorem, neque documenti exspectatione pendeat; sed, ut filia veritatis dignum est, statim firma et magna noscatur; quia de pleno incipit orta per Christum.

3. Hac igitur te caritate complexus ita veneror, ut membrum Christi; ita diligo, ut commune membrum meum. Quomodo enim non una mens, quibus una fides? Quomodo non unus animus, quibus unus Deus? Ac per hoc quomodo diversum pectus sit in affectione tolerandi, quibus corpus unum est in compage credendi? Vere dico, et non mentior, dum animi tui

[a] Eccle. III, 7. [b] Rom. XII, 15. [c] Prov. XVIII, 19. [d] Matth. 26, 41. [e] Psal. LXI, 5. [f] Matth. XII, 34; Luc. VI, 45.

* Alias 37 et 33, pars 2; quæ autem 13 erat, nunc 17. Scripta anno 397 exeunte.

(*a*) Edit. Chiffl., *Domino merito prædicabili et honorando fratri Pammachio, Paulinus.*

(*b*) Ita ms. Regius. Alii codices addunt *episcopi*, sed frustra. Vide Vit. cap. 32, n. 1.

(*c*) Addidimus *dein* et *sed* ex ms. Reg. et edit. Chiffl.

(*d*) Ita ms. Reg. et edit. Chifflet. Ante erat *Neque videar de te negligentia mea serius audisse.*

(*e*) Sic ms. Reg. et edit. Chifflet. Alii, *ut... intersimus.*

(*f*) Ita reposuimus ex ms. Reg. et edit. Chifflet. Alias, *dignum.*

motus cogito, mea quoque viscera sentio suspiriis tuis duci; et, ut vere socialia membra, vulneris tui dolore confligi. Quamquam me non minus prudentiæ et fidei tuæ reputatio reficiat, quam afficit cura mœroris. Denique addubitasse me fateor, utrum mœsta pro meo affectu tibi, an potius gratulantia pro tua fide verba præberem. Nam ut evocationem ad Deum sanctæ sororis meæ, ita devotionem pietatis in Christo tuæ pariter audivi; isto etiam patrefamilias, per quem scripsi, indicante prudentiam et sanctitatem veræ in conjugem (*Paulinam*) caritatis tuæ; quam non vacuam fletibus, ut maxima pars mortalium, neque vano, ut spei nostræ expertes solent, pomparum inanium honore comitatus es; sed remediis salutaribus et vivis (*a*) operibus, ho· est, eleemosynis prosecutus, debito ordine primum caro funeri justa persolvens, piis lacrymis et largo caritatis rore perfusus (*b*) religiosius exsequias honorasti.

4. Itaque istius pietatis in te opus ante laudabo; nam id quoque Deo placitum monstrat Scriptura divina, cum dicit: *Fili, produc lacrymas in mortuo* [a], *et quasi dira passus incipe plorare, et non despicias sepulturam illius* [a]. Denique patriarchæ nostri hujus quoque religionis exemplo sunt. Nam pater fidei matrem vocationis nostræ Saram suam flevit [b], non utique diffidentia recipiendæ, sed prægressæ desiderio. Quomodo enim resurrectioni diffideret fidei pater, et repromissionis beatæ primus auditor? Idem tamen, humanitatis memor, non sprevit corporis curam propter animæ securitatem; sed emto ad sepulcrum agro, mortuam suam pretiosa sede composuit [c]; docens pariter quid sibi isti [8] (*forte* justi) deberent homines providere; cum is, qui ad Dei verbum de terra patriæ cognationis **63** exierat [d], nihilque præterea de pervagatis natione diversa spatiis comparaverat, omnis terræ advena, solum tamen agrum sepulcro, id est, non temporalem, sed æternam possessionem, nec terram avaritiæ, sed quietis, emisset. Jacob quoque dilectam illam et exspectatam Rachel et tumulo celebri honoravit [e], et titulo (*id est* epitaphio); ut religiosum et præsenti dolori solveret, et posteris testaretur officium. Quamquam illum locum titulo mortis uxoriæ prophetica mente signaverit, providens Legem ortu Evangelico sopiendam. Quo mysterio conjux [6] Patriarchæ, quæ pluribus locis in Ecclesiæ imaginem vixit; tamen ut reor, in Synagogæ typum moritur, et partu filium doloris enixa illic, ubi erat Virginis partu Legi finis edendus: *finis etenim Legis Christus* [f]. Sanctam vero et sanctificatam spem per humandi curam nos Tobias docet, hujus specialiter muneris prærogativa justificatus a Domino, et ar-

A changeli voce laudatus; quod prætulisset prandio suo pauperis sepulturam. [g] Negligens enim ventris; quia diligens animæ, maluit corpore esurire quam spiritu; ut nobis quoque esset exemplo, quo præoptemus jejunare cibo carnis, ut saturitatem animæ conferamus. Quare bona religio sepulturæ. Bonæ lacrymæ caritatis, in quibus pater Abraham matrem repromissionis eduxit. Bonæ lacrymæ pietatis, quas Joseph justus impendit patri [h]. Bonæ et lacrymæ orationis, quibus et David stratum suum per singulas noctes rigabat [i]. Sed quid sanctorum mortalium prædicem fletus? Flevit et Jesus amicum [j], hanc etiam passionem de nostra infelicitate dignatus, ut mortuo (*c*) infunderet lacrymas; et quem resuscitaturus erat virtute divina, infirmitate lugeret humana;

B licet in illo uno totam simul conditionem generis humani misericors et miserator Dominus deploraverit et illis lacrymis (*d*) quibus peccata nostra flevit et laverit.

5. Idcirco et tuæ, frater, lacrymæ sanctæ et piæ, quia simili affectione manarunt, et dignam casti cubilis flevere consortem, non diffidentia resurrectionis, sed desiderio caritatis. *Mulier* enim *grata* [7] *suscitat viro gloriam* [k] cum tenetur, atque ideo suscitat et desiderium cum præmittitur. Verum illa, ut fuit semper, ita et erit *in perpetuum corona viro suo* [l], et *non extinguetur lucerna ejus* [m]: *extendit* enim, ut scriptum est, *brachia sua ad opera utilia, os suum aperuit prudenter* [8] [n], *operata est viro suo bona;* gloria et honore coronavit te, ut jucundaretur tecum in diebus novis-

C simis; et ob hoc fletu (*V.* n. 10) magis digna quam luctu; et desideranda potius pertinaciter quam lugenda est. **69** Nam ipsa meritorum illius reputatio, ut acerbum imperat mœrorem superstiti, quia justus defunctus relinquet pœnitentiam; ita et consolationem uberem præstat fideli, quia *immortalitas in memoria justi* [o]. Neque tibi, sancte frater, hinc acrior doloris stimulus ingeratur, quod primæva decessit; quoniam huic ipsi casui solatium præbet sermo divinus: *Justus enim*, inquit, *si morte præventus fuerit, in refrigerio erit* [p].

6. Sed ne vel immatura tibi ad obitum fuisse videatur, eadem tibi Sapientia sequentibus verbis probat anum quoque illam fuisse: *Senectus*, inquit, *venerabilis est non* [9] *diuturna, neque numero annorum*

D *computata. Cani sunt enim*, inquit, *sensus* (*e*) *hominibus, et ætas senectutis vita immaculata*. Quare gratulemur justo ejus (*f*) accitu et fine maturo; quæ etsi adhuc flore annorum virebat, tamen morum sanctitate canuerat, et ætatem puellæ stipendiis senectutis ornabat. Unde et tibi ipsæ, quæ acerbant vulnus

[a] Eccli. XXXVIII, 16. [b] Gen. XXIII, 2. [c] Gen. XXIII, 9. [d] Gen. XII, 1. [e] Gen. XXXV, 19, 20. [f] Rom. X, 4. [g] Tob. XII, 12. [h] Gen. L, 1. [i] Psal. VI, 7. [j] Johan. XI, 35. [k] Prov. XI, 16; Eccli. XXVI, 16. [l] Sap. IV, 2; Prov. XI, 4. [m] Prov. XXXI, 18. [n] Prov. XXXI, 26. [o] Sap. IV, 1. [p] Sap. IV, 7

(*a*) Sic edit. Chifflet. Optime quidem. Vide not. 91.
(*b*) Ms. Reg. et edit. Bad. et Grav., *religiosus*.
(*c*) Ms. Reg., *funderet*.
(*d*) Sic ms. Reg. et edit. Chiffl. Ante erat *illis lacrymis peccata nostra fleverit et laverit*.

(*e*) Ita mss. et excusi codices. Sic Græcum in morem extulit Paulinus *hominibus*, in Græco ἀνθρώποις. Vulgata, *hominis*.
(*f*) Sic ms. Reg. et ed. Chiffl. Alii, *accitui et fini*.

animi, causæ solatium majus afferre possunt, quod tam sanctam feminam etsi non habes, habueris tamen. Commune enim tibi cum omnibus, amisisse mortalem; paucis vero tecum meruisse optimam: quo minus miror illam in hoc seculo non moratam, et ad Christum citius accitam; *Placita enim erat Deo anima ejus;* et *idcirco*, ut scriptum est, *properavit eam de medio iniquitatis educere, ne intellectum nostrum malitia nostra mutaret* [a]; quia *totus hic mundus*, ut scriptum est, *in maligno jacet* [b]: et *colloquia mala plerumque corrumpunt mores bonos* [c]: et *qui picem tangit, inquinabitur ab ea* [d]; quo metu quidam Sanctus moræ metuens, et de tardo (*a*) fine sollicitus, orat Deum ut notum sibi [10] faciat finem suum, et numerum dierum suorum [e]: et quoniam revelante Spiritu, quo prophetabat, agnovit prorogata sibi tempora, ingemit dicens: *Heu me quod incolatus meus prolongatus est* [f]. Causam vero gemitus et timoris sui hanc esse testatur, quod *habitaret* (*b*) *cum tabernaculis Cedar*, id est, in tenebris istius mundi. Nam *Cedar* Hebræo idem quod ore Romano vocatur *Obscuritas*.

7. Denique ipse David in duobus filiis diverso merito sibi amissis mysterium istius veritatis exercuit; qui filium dilectissimum, quem fleverat ægrotantem, non flevit amissum; certus infantem ad pacis æternæ beata translatum [g]: at vero idem Abessalon, **70** quem inimicum habuerat, mortuum lamentatus est, quia divinæ justitiæ ut Propheta conscius, desperavit impio requiem, et resurrectionis bonum scivit indebitum parricidæ. Sed tamen idem, ut dixi, parvulo illi suo ægrotanti impenderat lacrymas, et regios cultus atra veste mutatus, cilicio, cinere, jejunio (*c*) fultus, preces ad Deum miserat. Postea vero quam filii morbum vitæ finis absolvit, quasi deficiente curarum materia, hunc sibi lugendi finem fecit, quem parvulus vivendi acceperat. Itaque ut filius corpore, et pater luctu solutus est; simulque tristia pectora et vestimenta deponens, et cibum sumsit, et cultum resumsit, et squalidum pulvere caput deduxit unguento; sciscitantibusque pueris suis, quos obstupefecerat tam inusitatus patriæ ordo pietatis, ut qui ante orbitatem luxerat, gauderet orbatus, respondit: *Ego ad illum ibo, ille vero ad me non revertetur* [h].

8. Satis, ut opinor, docuit Rex Propheta, quam post nostros sollicitudinem debeamus induere, videlicet ut de nostro potius itinere quo (*Sacchin.*, *forte* qui) sequimur [11], quam de illorum qui jam prægressi pervenerint, laboremus. Pium est contristari de avulsione carorum; sed sanctum, lætificari spe et fide promissionum Dei, et dicere animæ laboranti: *Quare tristis es, et quare conturbas me* [i] *? numquid qui dormit non adjiciet ut resurgat* [j] *?* Acceptior est autem Deo grata lætitia, quam diuturna quasi querula tristitia. Nam hoc illo Davidico docemur exemplo, ut inanes lacrymas non effundamus; quæ utique superfluo mortuis donantur, nihil conferentes recepto, et gravantes relictum. Ideo David vivente filio flevit, functo gratulatus est: quia spirantis adhuc commeatum (*V.* not. 64) poterat precibus et lacrymis impetrare: accito autem divinitus jam gratulari debebat, ut fecit, quia dubitandum non est melius esse votis nostris Dei placitum.

9. Salva igitur fide, pietatis officia pendamus; et salva pietate, fidei gaudia præferamus. Esto, temporaliter fleat pietas, sed oportet ut jugiter gaudeat fides. Desideremus nostros ut præmissos; sed non desperemus recipiendos. *Deus* enim noster *vivorum est, non mortuorum* [k]; et in Christo mortuos dormire Apostolus dicit [l], ut de somno intelligas temporalem esse mortem. Dormienti enim consequens est excitari et surgere. Quod cum ita sit, geramus in caritate **71** nostrorum familiaris consuetudinis desiderium, sed a fide nostra solatium de fiducia resurrectionis habeamus.

10. His igitur, frater dilectissime, et verborum et exemplorum cœlestium autoritatibus ut ad pietatem lacrymarum usus es, ita etiam ad earum modum utere. Scriptum est enim: *Omni rei tempus* [m]; et tempus plorandi fluxerit, gratulandi modo tempus est. Quia *Dominus prope est*, et Scriptura divina, quæ producere nos lacrymas quasi evaporando dolore permittit, terminos (*d*) quoque designato præscribit tempore, cum dicit, amaritudinem (*V.* not. 33) luctus uno ferendam die [n]. O divitiæ bonitatis Dei! quam pia idipsum sollicitudine nostri cavet! non pietatis propensæ invidus, sed infirmitatis nostræ conscius, et omnis immodici temperator, lacrymas in mortuo produci jubet, amaritudinem vero lugendi uno tantum die claudit; illud porrigi sinens quo relaxatur dolor, et anima respirat: istud vero præcidens, quod immoderato et irrationabili cruciatu mentem nostram conficit, quodque diutius fragilitas nostra non valet sustinere. Sed hoc plenius ipsa suo verbo pietas Dei explicat; subjecit enim: *Et consolare mature propter tristitiam. A tristitia enim festinat mors, et cooperiet virtutem* [o]; quia *tristitia* illa tantum *salutaris quæ secundum Deum est*. Ista autem, ut Apostolus ait, quæ

[a] Sap. IV, 14 et 11. [b] I Johan. V, 19. [c] I Cor. XV, 33. [d] Eccli. XIII, 1. [e] Psal. XXXVIII, 5. [f] Psal. CXIX, 5, sec. Psalter. Rom. [g] II Reg. XII, 22. [h] II Reg. XII, 23. [i] Psal. XLI, 6. [j] Psal. XL, 9. [k] Matth. XXII, 32. [l] I Cor. XV, 18; I Thess. IV, 12. [m] Eccle. III, 1 sec. LXX. [n] Eccli. XXXVIII, 15. [o] Eccli. XXXVIII, 19.

(*a*) Emendavimus *fine* ex edit. Grin. in marg. Ante erat *sene*, nullo sensu.

(*b*) S. Augustinus in Commentario super psalmos: *Cedar, quantum meminimus ex interpretatione nominum Hebræorum, tenebras significat*. Vulgata, *habitavi cum habitantibus Cedar*, refragantibus omnibus codicibus nostris, tum manuscriptis, tum editis

(*c*) Sic ms. Reg. et edit. Chiffl. Ante erat *fletu*. In edit. Schot., *fultas*.

(*d*) Ita emendavimus ex ms. Reg. et edit. Chiffl. Ante erat *termino*... *tempora*.

secundum hominem, hoc est, de infirmitate (*a*), *carnalis* est *tristitia*, *mortem operatur* [a]. Quod licet autore diverso, tamen uno per utrumque sanctorum Dei spiritu et verbo Scriptura concinit : mors enim vera (*b*) virtutis adopertio est. Nam si virtus Dei et vita nostra Christus est; vere dictum vides, mortem festinare hoc mœrore, quo virtus operiatur [b] : et homo totus quasi quadam inferni voragine, sic *graviore tristitia*, ut Apostolus ait, *absorbeatur* [c]. Sed Deo gratias, quod hujus in te laboris et timoris mihi compendium facit conscientia virtutis et prudentiæ tuæ, cujus largius tibi lumen est, quam ut tristitiæ tenebris possit operiri : quin potius tua virtus tristitiam (*c*) largior tegit, mortemque ipsam et vim noxii mœroris absorbet. Non id verbis meis tibi largior, neque conjectura virtutis tuæ loquor : opera tua hoc **72** de te contestantur, et me comperta loqui cogunt.

11. Veniam enim jam ad prædicationem operum tuorum, et ad pios actus de lacrymarum sanctitate transibo. Sua enim cuique parti debita persolvisti, lacrymas corpori fundens, eleemosynam animæ infundens. Vere conscius veritatis, et filius lucis, ubi mortem sciebas esse, flevisti; ubi vitam credis, operatus es (*V.* not. 91) : vacuis inania, vivis viva dependens. Itaque patronos animarum nostrarum pauperes [33], qui tota (*d*) Romæ (*e*) stipe meritant (*f*) multi, (*g*) ut dives in aula Apostoli congregasti. Pulcro equidem tanti operis tui spectaculo pascor. Videre enim mihi videor tota illa religiosa miserandæ plebis examina, illos pietatis divinæ alumnos tantis influere penitus agminibus in amplissimam gloriosi Petri basilicam per illam venerabilem (*h*) regiam (*i*) (*V.* not. 34) cerula eminus fronte ridentem, ut tota et intra basilicam, et pro januis atrii, et pro gradibus campi spatia coarctentur [34]. Video congregatos ita distincte per accubitus (*V.* not. 35) ordinari, et profluis omnes saturari cibis, ut ante oculos Evangelicæ benedictionis ubertas, eorumque populorum imago versetur, quos quinque panibus et duobus piscibus [d] panis ipse verus, et aquæ vivæ piscis (*V.* not. 36) Christus explevit : non usitato more creaturam cibis hominum, sed novo munere jam paratos hominibus cibos gignens; cum operta manus divino suggestu visibiles epulas ministraret, et in alimenta corporea

A spiritali fecunditate proflueret; ineffabilibus panis et carnis fontibus, in spem jejunarum adhuc gentium, esurientes fidem populos carnaliter satians, et spiritaliter irrigans, indeprehensis auctibus comesta supplens, edenda suppeditans, et ad morsus edentium fragmina (*j*) subcidiva depromens; ut inter manus vel in ore sumentium crescentibus cibis, sentirent potius escarum suarum copiam, quam viderent; morsibus redeunte consumto, et dentibus subeunte sumendo.

12. Ipsius enim Domini exemplum in opere ejus gerens, præcepisti turbam residere in terra : sic enim et Jesus jussit, ut legimus in terra recumbere [e]. Nam in te et ipse Dominus erat, sicut est, quia nemo **73** Christi opera sine Christo agit : cujus mu-

B nere et benedictione copiosos tibi panes, ut accepisti in nomine ejus, sicut discipuli ab ipso benedictos acceperant dividendos, per innumera pauperum ora (*k*) demensus es; et manducaverunt, et saturati sunt : et quod abundavit de panibus, tulerunt omnes, unusquisque sportas suas plenas [f]. Sed tu omnem redundantiam fragmentorum spiritalium collegisti, de duodecim cophinis apostolicam fidem, de septem sportis gratiam spiritalem; non minus mirabiliter operante in tuis panibus Christo, qui in tuo isto convivio panem tuum carnalem in cœlestes cibos transtulit, et in æternam tibi saturitatem paravit. Recumbens enim jure cum patribus (*l*) Abraham, Isaac, et Jacob, convivio Christi, veste præditus nuptiali [g], quia tecum istic in pauperibus suis Chri-

C stus recumbit, et *habet* in te *Filius hominis ubi reclinet caput suum* [h].

13. Juvat etiam nunc in spectaculo et prædicatione tanti operis immorari. Non enim hominis, sed divina per hominem opera laudamus. Quam lætum Deo et sanctis angelis ejus de hac tua, ut dici solet, pera (*V.* not. 38) spectaculum (*V.* not. 37) sacer editor exhibebas [i] ! quanto ipsum Apostolum attollebas [14] gaudio, cum totam ejus basilicam densis inopum cœtibus stipavisses, vel qua sub alto sui culminis mediis ampla laquearibus longum patet, et Apostolico eminus solio (*V.* not. 39) coruscans, ingredientium lumina stringit, et corda lætificat : vel qua sub eadem mole tectorum geminis utrimque porticibus latera

[a] II Cor. VII, 10. [b] I Cor. I, 24; Psal. XLIII, 20; Col. III, 4. [c] II Cor. II, 7. [d] Matth. XIV, 19; Johan. VI, 11. [e] Matth. XIV, 19; Marc. VI, 39; Luc. IX, 14; Johan. VI, 10. [f] Matth. XV, 37; Marc. VIII, 8. [g] Matth. XXII, 12; Matth. VIII, 11. [h] Matth. VIII, 20. [i] I Cor. IV, 9.

(*a*) Expuncto verbo *est* juxta ms. Reg. et edit. Chiffl. subnectimus alteram epistolæ partem quæ in vulgatis et mss. quibusdam codicibus ad Alethium inscribebatur uno eodemque tenore epist. 33. Vide Dissert. 1, n. 13.

(*b*) Sic ms. Vien. et edit. Chiffl. Alii codices addunt *animæ*, parum ad rem.

(*c*) Hanc vocem addidimus ex ms. Reg. et edit. Chifflet.

(*d*) Ita mss. Reg. et Vien. et edit. Chiffl. Alias, *Roma*.

(*e*) Sic ms. Vien. et ed. Chiffl. Alii, *stipem*.

(*f*) Ita ms. Vien. et ed. Chiffl. et Sacchin. Ante erat *multitudinem*.

D (*g*) Sic mss. Reg. et Vien. cum edit. Chifflet. Alias, *aulam*.

(*h*) Ita mss. Vatic. Vien. et edit. Chifflet. et Rosv. At ms. Reg. cum editis quatuor, *reginam*. Estque *regia*, seu *regina*, præcipua Vaticanæ basilicæ porta. Vide not. 34.

(*i*) Sic mss. Reg. et Vien. cum tribus editis. Ms. Vatic. et edit. Rosv., *cerulea*.

(*j*) Ita ms. Vien. et edit. Chiffl. Ed. Grin., *subcisiva*. Alii codices, *subcitiva*.

(*k*) Sic mss. et editi codices, præter Rosv. in quo, *dimensus es*.

(*l*) Hanc præpositionem addidimus ex ms. Vien. et edit. Chifflet.

diffundit; quave prætento nitens atrio (*V.* not. 40), fusa vestibulo est; ubi cantharum ministra manibus et oribus (*V.* not. 41) nostris fluenta ructantem, fastigatus solido ære tholus ornat et inumbrat, non sine mystica specie quatuor columnis (*V.* not. 42) salientes aquas ambiens. Decet enim ingressum ecclesiæ talis ornatus, ut quod intus mysterio salutari geritur, spectabili pro foribus opere signetur. Nam et nostri corporis templum quadrijugo stabilimento una Evangelii fides sustinet; et cum ex eo gratia, qua renascimur, fluat; et in eo Christus, quo vivimus, reveletur; profecto nobis in quatuor vitæ columnas (*a*) ille *aquæ salientis in vitam æternam fons* [a] nascitur; nosque ab interno rigat, et fervet in nobis: si tamen (*b*) possimus dicere, vel sentire mereamur habere nos cor ardens in via [b], quod Christo nobiscum **74** (*c*) inambulante flammatur.

14. Quam lætum ergo tunc Deo, et angelis pacis et cunctis Sanctorum spiritibus spectaculum præbuisti [c]! primo de Apostoli veneratione, cujus fidem ac memoriam tam multiplicata opulentiæ devotione celebrasti; sacras primum hostias, et [18] casta libamina cum acceptissima ipsius commemoratione Deo deferens, deinde munificentia consequenti teipsum in corde mundo et spiritu humiliato acceptissimum sacrificium offerens Christo [d]; in cujus tabernaculis veræ (*d*) jubilationis hostias immolasti [e], reficiens et pascens eos, qui benedictione numerosa laudis hostiam sacrificarent Deo [f]. Quam bono tunc Urbs nostra tumultu fremebat, cum tu misericordiæ viscera reficiendis et operiendis pauperibus effundens, pallida esurientium corpora reformares, aridas sitientium fauces rigares, tremula algentium membra vestires, et omnium consona in Dei benedictionem ora reserares! Sed egena corpora fovens, redeuntibus in meliorem tui partem operibus tuis, retributione divina tuum potius spiritum saginasti; et benedictæ conjugis animam refecisti; in illam transfundente Christi manu, quæ tua pauperibus erogabantur, cum in ictu oculi permutata in cœlestes cibos carnalis esca transiret. Et quantum pecuniæ gravi dextera, geminatis excipientium palmis, hilaris dator et infatigabilis distributor infuderas; tantum illico angelis intervolantibus gremio Domini gaudentis invectum, in tricesimos [16] tibi fructus ac reditus numerandum reponebatur [g]. Neque divitiæ tantum, sed et gratiæ benedictionum addebantur præmiis vestris. Vobis enim ad justitiam deputabatur conclamatio illa et comprecatio pauperum, qua per vestra munera benedicebatur Deo. Facili enim via ad aurem Dei voces inopum diriguntur, quia *oratio* (*e*) *pauperis*, sicut scriptum est, *nubes penetrat* [h].

15. Poteras Roma (*f*) intentatas tibi illas in Apocalypsi minas non timere, si talia semper ederent munera senatores tui. Vere tunc tibi nobilis esset illa nobilitas quam sacrati patres, Abraham, Isaac et Jacob, paternis sinibus exciperent [17]; quam prophetæ, apostoli, martyres, id est cœli senatus agnosceret; quam post togam nulla immundi sanguinis sanie funestatam, regali promissæ lucis stola Christus indueret [i], et in libro albo, hoc est libro vitæ [j] perennis, **75** adscriberet. Vere illæ divitiæ divites forent, quibus non draconis antiqui cruenta sævitia, sed Dei Salvatoris immensa bonitas pasceretur, si quod bestiis aut gladiatoribus, et comparandis male profligatur et alendis, id propriæ donaretur saluti, cariusque nobis esset vivere quam perire. Sed et avaritia et liberalitate perversa Deo pro nobis egentes, zabulo contra nos prodigi sumus. Damnum in lucro, et in damno lucrum ducimus: vitamque nostram nec egenter redimere curamus, qui pro vita mortem emimus sumtuose. Beata esset nostra conditio, si æque Deo, ut hominibus, vel displicere timeremus, vel curaremus placere: si tantum præcepta Christi, quantum populi sibila vereremur; et, si (*g*) tanto laus quæ ex Deo est, quantum iste de vulgo plausus emeretur.

16. Beatus, qui non adisti in tale consilium; nec in cathedra pestilentiæ [k], sed in apostoli sede, et in Ecclesiæ cœtu, id est, Christi theatro, non seditiosis, sed benedicentibus cuneis, Deo ipso spectatore, laudaris, Ecclesiæ munerarius; non (*h*) terrenæ, nec inanis gloriæ, sed æternæ laudis ambitor. Non gladiatores nec belluas emis, sed quibus veros gladiatores, hoc est, harum tenebrarum principes perimas, (*i*) agis, et quibus veras bestias, hoc est, omnem zabuli virtutem superes, et presso impune vestigio conculces leonem et draconem [l]. Beatus es, in quo benedicitur nomen Domini, et qui habes semen in Sion, et domesticos in Hierusalem, qui te vicissim in tabernacula æterna suscipiant [m]. Non enim timebis illius divitis locum, qui in tartaro, hoc est in inferno in-

[a] Johan. IV, 14. [b] Luc. XXIV, 32. [c] I Cor. IV, 9. [d] Psal. L, 19. [e] Psal. XXVI, 6. [f] Psal. XLIX, 14. [g] Matth. XIII, 8. [h] Eccli. XXV, 21. [i] Matth. XVII, 2. [j] Apoc. XX, 12. [k] Psal. I, 1. [l] Psal. XC, 13. [m] Luc. XVI, 9.

(*a*) Mss. Reg., Vien. et edit. Chifflet., *illuc.*

(*b*) Sic ms. Vien. cum edit. Chiffl. Alii, *possimus.*

(*c*) Ita mss. Reg. et Vien. et edit. Chiffl. Ante erat *ambulante inflammatur.*

(*d*) Ita in Psalteriis veteri et Rom. et apud S. Augustinum in commentario super psalmos. Apud LXX et in Vulgata, *vociferationis.*

(*e*) LXX et Vulgata *oratio humiliantis se.*

(*f*) Sic ms. Vien., edit. Chiffl. et Grin. in marg. Alii codices, *intentus.* Sic et S. Hieronymus Romam alloquens lib. II contra Jovinianum, in fine: *Maledictionem*, inquit, *quam tibi Salvator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Ninivitarum.* CHIFFLETIUS S. J.

(*g*) Ita mss. Vien. et Reg. In aliis codicibus, *tanti . . . . quanti.*

(*h*) Sic ms. Vien. et edit. Chiffl. Ante erat *arenæ.*

(*i*) Proclive fuit emendare cum Sacchino, *alis*; nam et supra dixit, n. 15, *quod bestiis aut gladiatoribus et comparandis male profligatur, et alendis.* Porro quod S. Paulinus hic ait *Ecclesiæ munerarius* etc., simili modo a S. Hieronymo Pammachius epist 26, *munerarius pauperum et egentium candidatus* appellatur. Vide descriptionem persimilem. SACCHIN.

feriore, et exterioribus tenebris merito igne circumdatus, vel extremo contemti in hac vita pauperis digito rogabat aspergi; cui pater Abraham jure respondit: *Memento, fili, quia recepisti bona in vita tua, et* (a) *Eleazarus mala: nunc vero hic consolatur, tu cruciaris* [a].

17. Ob hoc illi, censeo, divites hanc vel pœnarum vel deliciarum vicissitudinem perhorrescant, qui istic sibi tantum et vitiis affluentes, aut opibus abstrusis incubant nec partem posuere pauperibus; aut male prodigi egent merito, et[19] æterna egestate plectendi; qui tam viles sibi fuerint caritate luxuriæ, ut iis pretiosior fuisse arguatur unius diei mensa, quam totius sui temporis **76** vita. Hic ergo non communicabunt in æternum cœlestia bona pauperum, quorum istic pauperes bona terrena nescierint. Et horum gravius lingua torrebitur, qui debilitates modo pauperum vel horrent vel irrident, fastidiosi letaliter et faceti nocenter: qui prætereunt, et canibus lambenda dimittunt ulcera proximorum; quia omnis natura homini homo proximus. Nonne, quæso te, isti verius dicendi canes, qui ne canes quidem in curandis atque mulcendis hominibus imitati sunt, et de micis saltem a mensa sua cadentibus (*b*) saturari cupientes fratres, hoc est, natura matre germanos, non solum obseratis foribus excludi, sed etiam sævis verberibus expelli jubent? Unde credo illum in Evangelio divitem tartari, cum totus[20], ut clamat, miser cruciaretur in illa ignei gurgitis flamma, solius tamen linguæ refrigerium postulasse [b]; qua sine dubio ideo vehementius cremabatur, quia in Eleazarum ante januam suam stratum, et canibus relictum, sæpius superbo avarus ore peccaverat. Ob hoc et alibi præmonemur ponere ori nostro custodiam [c], docente Sapientia per Solomonem[21]: Quia *in manu linguæ vita et mors* [d]. Et alibi: *Verbis tuis*, inquit, *justificaberis, aut verbis tuis condemnaberis* [e].

18. Tibi igitur, frater in Christo unanime, cui sub hac pœna metus, et cum illa sede communitas; cujus os benedictione plenum est, cujus divitiæ ubera pauperum sunt, cujus domus hospitium Christi est, qui non jacere mendicum ante januam tuam epulante te sustines [f]; sed contra tectis tuis lætus inducis aut tecum epulaturum, aut etiam jejunante te saturandum; tibi felix a peccatis egestas, et beatæ in virtutibus opes sunt. Tu et inter illos pauperes jure numeraberis[22], quorum est regnum cœlorum [g]; et inter illos divites, quorum possessio civitas firma A est [h]; quia spiritu Dei dives es, et tuo pauper. Tales enim divites cum pauperibus suis diligit Deus, et sacris litteris celebrat, paginarumque perennium autoritate nobilitat.

19. Hoc enim ipsum considerare te volo, eorum divitum, quorum vel crimina vel supplicia in Scripturis signata sunt, nomina significata non esse, quia sine dubio indigni erant ut sermone divino nominarentur, quos aut vitæ oblitteravit impietas, aut avaritia delevit. Ideo prædixerat Dominus in Propheta **77** de ipsis: *Nec memor ero nominum illorum per labia mea* [i], hoc est per immortalium duo testamenta verborum, quæ oris divini labia bene dicuntur; quia et cohærent sibi, et uno Dei verbo aperiuntur, et per ipsa nos Deus *osculatur ab osculis oris sui* [j]. B Hæc ergo labia pollui noluit nominibus impiorum divina justitia; et idcirco neque illius divitis nomen exstat, cujus vanitas et avaritia signatur; cui consumta jam vita de vitæ apparatibus cogitanti dictum est, *Stulte, hac nocte* (*c*) *expostulatur anima tua, quæ parasti cujus erunt* [k]? Neque hujus e tartaro divitis nomen insigne est, quod non casu prætermissum edito pauperis nomine intelligimus [l]. Illius quoque divitis, qui gloriatus[23] in lege completa, conditionem adipiscendæ perfectionis divitiarum suarum amore aversatus est, cæcitatem legimus, vocabulum non habemus. *Erat enim*, inquit, *habens multas possessiones* [m]: et idcirco secuta est illa sententia, quæ regnum cœlorum omni diviti pene clauserat, nisi Deus, ut solus bonus, omnipotentiæ suæ excepisset C hoc donum, ut divites pauperum voluntate ditaret. Hi ergo divites invisi Deo, et oblitterati memoriæ, qui (*d*) æternis caduca præverterint (*id est* prætulerint. *V.* carm. 31, vers. 344), quique maluerint terræ quam Deo credere, escam tineis et prædam furibus congerentes, et, ut scriptum est [n], cui thesaurizant ignorantes, quia nolunt intelligere cui debeant thesauros suos, digni qui nesciant quo successore dimittant, quia nesciunt quo largitore possideant. *Quid enim habes*, o homo, *quod non acceperis? et quia accepisti*[24], *quid gloriaris quasi non acceperis* [o], et de suis Deo donis superbis? Talium, mi frater, divitum nomina in Evangelio non scribuntur, quia nec in libro vitæ habentur [p].

20. Denique, ut scias non divitias, sed homines D pro earum usibus esse culpabiles vel acceptos Deo, lege sanctos patres, Abraham, Lot et Job de opibus suis amicos Deo factos [q]. Nam in Evangelio, quo ille

[a] Luc. XVI, 25. [b] Luc. XVI, 24. [c] Psal. CXL, 3. [d] Prov. XVIII, 21. [e] Matth. XII, 37. [f] Luc. XVI, 20. [g] Matth. V, 3. [h] Prov. XVIII, 11, ex versione LXX. [i] Psal. XV, 4. [j] Cant. I, 1. [k] Luc. XII, 20. [l] Luc. XVI, 19. [m] Matth. XIX, 22; Marc. X, 22; Luc. XVIII, 23. [n] Matth. VI, 19; Psal. XXXVIII, 7; Eccle. II, 19; Eccli. XI, 20; Luc. XII, 21. [o] I Cor. IV, 7. [p] Psal. LXVIII, 29. [q] Gen. XVIII, 3, et XIX, 2; Job. XXXI, 16.

(*a*) Sic legitur in mss. et excusis codicibus. Ita et apud Greg. Naz. orat. 20 de Machab., Prudentium Cathemerin. hymn. 10, vers. 154. *Eleazar* in mss. codicibus legi admonet Nic. Heinsius in notis; et sic legit Paulinus noster carm. 32 de obitu Celsi, vers. 582. In Græco tamen textu legimus Λάζαρος, et in Vulgata et ms. Vatic. *Lazarus*.

(*b*) Ita ms. Vien. et edit. Chiffl. Alii codices, *satiari*.

(*c*) Ita mss. Vien. et Reg. cum edit. Chiffl. Alii, *expostulabitur*.

(*d*) Sic ex carm. 6, vers. 21, et 23, vers. 303, emendavimus, refragantibus tamen omnibus codicibus, in quibus nullo sensu, ut mihi videtur, *terrenis*.

tartareus contemtor Eleazari dives prætermissus est, A vel illum ab Arimathia Joseph [a] divitem nominari videmus. *Beatus* enim est, *quia* [22] specialiter *intellexit super egenum et pauperem* [b], pio Christi corpus obsequio (*V.* ep. 26, n. 2) muneratus [c], nec judicem pro injuria dominici corporis interpellare veritus, et pio sumtu pretiosi velaminis et sepulcri novi dives in **78** Domini sepultura. His te pagina sancta nominibus adscribet, et in talium [24] divitum sorte numeraberis, quorum opes æquas et animo. Non enim sibi habentes habebant, sed *nemo quidquam dicebat suum*, et humani nihil a se alienum putabant : ut illa quondam princeps fidei *multitudo*, *cui unum cor*, *et anima una*, *et omnia communia erant* [d]. Et vide rationem ; facile judicabis parricidali crimine contemni pauperes nostro arbitrio, quos nullo videmus a nobis Dei opere discretos. Quomodo enim (*a*) excludimus a nostris modicis habitationibus, quos Deus una nobiscum istius mundi (*b*) conclusit domo ? Quomodo (*c*) dedignamur terrenæ possessionis usu facere participes, quos et (*d*) inviti divinæ originis unitate consortes habemus ? Hoc tenens Abraham, amicus Deo factus est : hoc observans Lot, evasit a Sodomis [e] : hoc sectatus Job, de zabulo triumphavit.

21. Aperiamus et nos domicilia nostra fratribus ; vel timentes periculum supradictorum exemplo patrum, ne forte quasi hominem excludentes, et angelum repellamus, vel sperantes mereri et angelos hospites, dum omnis advenæ transitum promta humanitate suscipimus. Pater enim Abraham dum peregrinos suscepit, excepit et Dominum cum angelis Christum ; et in hospitali tabernaculo illum, quem in Evangelio coram (*e*) in semetipso Salvator exhibet, diem vidit [f]. Sodomitas hospitum damnavit injuria, et Lot eo potissimum liberari meruit affectu, quod hospites prætulit filiabus [g]. Non ille impius, sed perfecte pius ; non enim filias viles habebat, qui inde mercedem meruit, quod pietati domesticæ prætulerit justitiam caritatis, hoc est, timorem Dei ; cujus utique præcepto et spiritu recipiendis hospitibus serviebat : ac perinde jam tunc perfectum fidei mens illa complevit, quo dicitur nobis : *Omnis qui reliquerit fratres*, *et sorores*, *aut matrem*, *aut filios*, *vel filias*, *propter nomen meum*, *centuplum* [27] *accipiet*, *et vitam æternam possidebit* [h]. Hujus mentis perfectio, vel istius perfectionis mens, jam ab origine seculi justum Lot ab illo (*f*) Pentapolitano incendio liberavit [i], meruitque (*g*) pro hospitali domo totam in domum urbem munere Dei sortitus accipere ; quia ille, qui in incesta et impia civitate solus et pius fuerat, et pudicus, ipsam superans [28] sanctitate pietatem (*V.* not. 43), non dubitavit, quantum in ipso fuit, **79** pudicitia filiarum redimere hospitum castitatem. Job vero, ille Domini igne examinatum argentum, se semper oculum cæcorum, et pedem claudorum fuisse testatur [j], horumque operum in ipso tentationis suæ certamine mercedem reposcit, et recipit. Spoliatur opibus patrimonii, non animi ; sed invulnerabilis corde, (*h*) ne labiis quidem peccat [k], nudatus ambi- B tione substantiæ, sed armatus virtute patientiæ : orbatus prole [29], non cordis lumine, filios mentis suæ, hoc est, justitiæ opera complectitur, clamans : *Nudus exivi de utero matris meæ*, *nudus oportet in terram revertar* [l]. *Nihil intulimus in hunc mundum*, verum *neque* [30] *auferre possumus* [m]. Sed quia spiritales opes non amiserat, temporales quoque divitias pro patientiæ triumpho recepit ; et ditatus est (*i*) duplo, quia probatus et purgatus erat septuplo [n]. Labores enim, ut scriptum est [o], (*j*) fructuum (*V.* not. 44) suorum manducaverat, in operibus piis elaborando, et idcirco fructus laborum suorum manducavit, in hoc etiam seculo præmia operum recipiendo.

22. Cum his divitibus tibi sors est, quia [31] eumdem Deum divitiarum tuarum causam esse meministi, C liber avaritiæ, quia servus justitiæ. Iniquo mammona juste uteris ; nec captivus, sed vere Dominus es pecuniæ tuæ, quia possideris a Christo, cui captiva est ipsa captivitas [p]. Gloriare igitur in Domino, *quia non caro et sanguis tibi* [q], sed ipse, qui lumen est verum et sapientia Dei Christus [r], prudentiam hujus providentiæ *revelavit*, qua intelligis in omni egeno et paupere Christum cibari, potari, contegi, visitari [s], secundum illos patres, quos ob hoc meritum, quod supra dictum est, *in die mala liberavit Dominus* [t].

23. Ipse te *Dominus conservet*, *et vivificet*, *et beatum faciat*, *et ferat opem* nunc tibi *supra lectum doloris* [u] tui, convertat planctum pium in gaudium sanctum tibi. Conscindat saccum tristitiæ tuæ, et reddat tibi

[a] Matth. xxvii, 57. [b] Psal. xl, 2. [c] Matth. xxvii, 58. [d] Act. ii, 44, et iv, 32. [e] Gen. xviii, 3; Gen. xiii, 2. [f] Johan. viii, 56. [g] Gen. xix, 8. [h] Matth. xix, 29. [i] Gen. xix, 15. [j] Job xxix, 15. [k] Job. i, 22. [l] Job i, 21. [m] I Tim. vi, 7. [n] Psal. xi, 7. Psal. cxxvii, 2. [p] Psal. lxvii, 19. [q] Matth. xvi, 17. [r] I Cor. i, 24. [s] Matth. xxv, 40. [t] Psal. xl, 2. [u] Ibid., 3, 4.

(*a*) Ita mss. Reg., Vien. et Florus in Catena lib. xi, in Epist. ad Hebr. xiii, 1, et edit. Chifl. Alii codices *excludamus*.

(*b*) Sic Florus, mss. Reg. et Vien., cum tribus editis Bad., Grav., Chifl. Alias, *concludit*.

(*c*) Ita mss. Reg. et Vien., cum edit. Chifl. Alii, *dedignemur*.

(*d*) Sic Florus Lugdunensis in Catena lib. xi ex Paulino, in Epist. ad Hebræos xiii, 1 et 2. Mss. Reg. et Vien. et edit. Chifflet. Ceteri codices, *in una*.

(*e*) Hanc præpositionem addidimus ex Catena Flori lib. xi, ms. Vien. et edit. Chifflet.

(*f*) Id est incendio quinque urbium a πέντε, *quinque*, et πόλις, *urbs*. Item *pentapolim* Natal. 8 S. Fe- D lic., carm. 23, vers. 221.

(*g*) Sic mss. codices Reg., Vien. et editi 4. At ms. Vat. cum edit. Grin. et Rosv., *per hospitalem domum*.

(*h*) Ms. Vien., *nec labiis peccat*. Abest etiam *quidem* a ms. Regio.

(*i*) Ms. Reg. cum editis Bad., Grav. et Grin., *triplo*.

(*j*) Ita Psalteria vetus et Rom. S. Augustinus in psalmos, et libri Latini veteres. LXX, *palmarum*; Vulgata, *manuum*. Hic Paulinus dicit *fructuum*, ex ambigua voce Græca τῶν καρπῶν ; καρποὶ enim dicuntur et *fructus*, et *palmæ* seu *manus* ex Hieronymo in epist. 141. Vide not. 44.

lætitiam salutaris sui [a]: confirmante spiritu principali [b], firmet in orationibus et eleemosynis, ut arcum æreum, brachia tua [c]: perficiat pedes tuos tamquam cervi, ut et ad fugiendum zabulum, et ad consequendum Christum velox sis; et fixis [32] gemino utriusque Testamenti ungue vestigiis, in via Domini firmiter sistas [d], ereptis manu Domini pedibus tuis a lapsu, et oculis a fletu [e]; ut cum benedicta conjuge tua in æternum placeas **80** Domino in regione vivorum. Fiet enim tibi secundum fidem tuam, quia *fidelis Dominus in verbis suis* [f], *memor erit* in æternum hujus *sacrificii tui*, *et holocaustum tuum pingue fiet* [g]; teque ipsum vivam sibi hostiam in odorem suavitatis accipiet remunerator vestri fenoris in illa die, qua locupletior creditoribus debitor suum cuique depositum multiplicata reddet [33] usura. Nec longe retribuendi dies, albentibus jam propinqua messe regionibus [h].

24. Interim recipiendas opes (*a*) festiva tibi meditatione promittens, multo uberius animum tuum venturi fide, quam meo vel cujusquam [34] sermone solaberis. Non enim modica animis credentium voluptas est, promissa fidelibus bona dulci cogitatione præsumere, et in paradiso jam animis deambulare. Si agricolam juvat spem messis in segete mirari, dum a messe fructum laboris exspectat; faciliusque fert moram temporum avaritia votorum, si pascat oculos, dum sperat eventus: quanto majorem nos capere possumus voluptatem, licet peccatores, attamen fideles servuli; quibus sparsi seminis non apud dubiam terræ fidem, sed apud incommutabilem Dei veritatem ratio mandata est, qui hoc speramus quod Veritas ipsa promittit [35].

25. Non enim ab humanis opinionibus, nec a fabulosis poetarum somniis, aut philosophorum phantasmatis post hominem futura colligimus, sed ab ipso fonte veritatis haurimus fidem rerum. Quis autem potuit divina magis, quam Deus ipse operum et statutorum suorum conscius, nosse? Non traduces in corpora aliena animas, ut sint monstra post hominem: neque omnino sine corpore permansuras, aut in corpore mentiemur occiduas. Blandiantur sibi mendaciis poetarum, qui non habent veritatis prophetas. Cæcentur opinionibus erraticis philosophorum, qui non illuminantur testimoniis apostolorum: et se desperatione solentur, qui spem non habent, dicentes: *Umbræ transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri, quoniam consignatus est* [i], *et nemo revertetur* (*V.* not. 45). Qui excæcati nequitiæ et infidelitatis suæ tenebris non possunt dicere: *Credo videre bona Domini in* (*b*) *lumine viventium* [j]. Nos vero tam egenis remediis non indigemus, quibus ipsa Veritas Dei Verbum Deus resurrectionem carnis in vitam æternam, et spopondit docens, et probavit **81** resurgens. Ipse enim Dei Filius, per quem omnia, et sine quo nihil, ipse testatus est: *Ego sum resurrectio* (*c*) *et vita, qui credit in me, etsi mortuus fuerit, vivet; et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum* [k]. Quod ne verbo solum assereret, sanxit exemplo; summque ipsum, in quo omnis susceptio, hominem resuscitatum a mortuis, ostendit [36] discipulis, in semetipso fidem carnis assignans, cum *dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas; et infer manum tuam huc, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed fidelis* [l], *quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me habentem videtis* [m].

26. Hæc igitur testimonia, hæc documenta, hanc lucem fidei habentes, qua occasione poterimus de resurrectione dubitare, quam et de Verbo Dei audivimus, et Apostolorum oculis vidimus, manibusque palpavimus [n]? quique ita per Christum Deo (*d*) vincti et insiti sumus, ut Dei arrhabonem teneamus in terra nostra Spiritum sanctum, quem dedit nobis [o]; et nostri pignus habeamus in Deo carnem Christi, quia intervallum istud immensum, quo a divinis mortalia disparantur, medio et inter utraque communi interventu suo, velut quodam, ut sic dixerim, ponte, continuat; ut ejus tramite terrena cœlestibus conserantur, cum hoc corruptibile nostrum incorruptio superna perfuderit, et mortale nostrum, ut scriptum est, immortalitas hauserit, mortemque devictam victrix in Christo et a Christo nobis vita sorbuerit [p]. Quod ut assequamur, non de veritate tanti boni, sed de nostri captu meriti dubitare possumus. Sed agamus quæ Christus jussit, ut adipiscamur quæ Christus *spopondit*. Veritas illius nobis adest, illi fides nostra non desit. Omnibus vita, omnibus via, omnibus janua est [q]. Nemini claudit sua regna, quibus et vim permittit inferri [r].

27. Perge quo curris, ut apprehendas in quo apprehensus es: enitere per angustam viam, ut perve-

[a] Psal. XXIX, 12. [b] Psal. L, 14. [c] Psal. XVII, 35. [d] Eccli. V, 12. [e] Psal. CXIV, 8. [f] Psal. CXLIV, 13. [g] Psal. XIX, 4. [h] Johan. IV, 35. [i] Sap. II, 5. [j] Psal. XXVI, 13. [k] Johan. XI, 25, 26. [l] Johan. XX, 27. [m] Luc. XXIV, 39. [n] I Johan. I, 1. [o] II Cor. I, 22. [p] I Cor. XV, 54. [q] Johan. XIV, 6. [r] Matth. XI, 12.

(*a*) Sic emendavimus ex mss. Reg. et Vien. e. edit. Chiffl. eaque lectio restituta confirmatur ex loco prorsus simili epist. ad Marcellam, n. 8, ubi legitur: *fiducialiter futurorum bonorum tibi perpetuam felicitatem festiva meditatione promittas*, juxta omnes codices. Hic erat antea in editis *festina*.

(*b*) Paulinus videtur legisse ἐν αὐγῇ pro eo quod nunc habemus ἐν γῇ. LATIN.

(*c*) Hanc vocem ex ms. Vien. et edit. Chiffl. addidimus, quæ tum in textu Græco, tum in Vulgata habetur, et quam desiderant ea quæ sequuntur.

(*d*) Ita ms. Reg. cum edit. Chiffl. Sic quoque legit Florus Lugdunensis in Catena Patrum Græcorum et Latinorum, lib. XI ex Paulino Nolano, sub titulo, *ex Epistola ad Pammachium*, in illud Epistolæ ad Ephesios, cap. I, vers. 31 et 14, *Signati estis*, etc. Alias. *juncti*.

nias in amplam possessionem hereditatis æternæ [a]. Habes jam in Christo magnum tui pignus, et ambitiosum suffragium, conjugem, quæ tibi tantum gratiæ in cœlestibus parat, quantum tu illi a (*a*) terris opulentiæ suggeris; non illam, ut dixi, (*b*) luctibus cassis honorans, sed vivis muneribus accumulans, quibus illa nunc gaudet; jamque illi hujus operis tui usus in fructu **82** est, cujus adhuc tibi munus in semine.

28. Jam honoratur tuis illa meritis, jam pascitur tuis panibus, et affluit tuis opibus, in vestitu deaurato (*c*) circumamicta varietate[b], pretioso lumine; non eget alienæ manus digito refrigerari, propriis ipsa digitorum suorum roribus, id est, dexteræ tuæ operibus, infusa. Non æque ampla dote nubentem locupletaveras, ut nunc ditificas quiescentem. Quantam enim tunc partem tuorum munerum cepit, cum eo solo, quod poterat induere, frueretur; nunc quantumcumque contuleris, totum simul, omnium sensuum voluptate dives, animo possidebit. Beata, cui tam numerosa apud Christum suffragia sunt; et cujus caput tam multiplex ambit illustrium corona gemmarum, nec alienis intexta floribus, sed domesticis corusca luminibus. Vere illa pretiosa Domino anima, quæ de tribus pretium margaritis capit. Est enim conjux [37] fidei, soror virginitatis, filia perfectionis; cui Paula mater, soror (*d*) Eustochium, tu maritus.

EPISTOLA * XIV.

Gratulatur redditam Delphino valetudinem, sapienter exponens quare justis eveniant mala. Et gratias agit de Basilii presbyteri explicato negotio.

Beatissimo et venerabili, semper nobis (*e*) desiderantissimo patri DELPHINO, PAULINUS.

1. Lætati sumus in iis quæ per Cardamatem scripta et apportata sunt nobis [c]. Sospitatis enim tuæ nuntius sermo, velut oleum lætitiæ impinguavit ossa nostra, ut repleti gaudio diceremus: *Magnificavit Dominus facere nobiscum* [d], qui nos in tui doloris lectulo visitavit [e]; ut exsurgentes in tua sanitate, caneremus hymnum Domino nostro, quoniam *eripuisset oculos nostros a lacrymis* [f]; differens te coronæ tuæ, sed reservans adjutorio nostro, ut te intentis orationibus tuis onera nostra relevante, et itinera (*f*) præviante, leviores *curramus in odorem unguentorum* Domini: quem nobis in tua sanctitate fragrantem, etsi non apprehendimus merito, attamen sequimur affectu, sperantes per inseparabilem caritatis tuæ copulam deducendos nos ut perveniamus tuo ductu, quo tu

A proprio nisu perveneris. Nam infirmitates **83** tuæ non sunt ad mortem, sed pro claritate Dei [g], ut et virtuti tuæ perfectionem, et infirmitati nostræ virtutem conferant. De te enim ne perturbemur, multa nos jam a patriarchis Sanctorum Domini exempla confirmant.

2. Sicut ipsi patres fidei, præter alios vitæ suæ labores in illa etiam senectute prophetica, qua interius illuminati, jam mundi ' æternitatem et omnium seculorum seriem (*g*) prævidebant; corporeis tamen graves oculis in infirmitate carnali spiritalem consummaverunt virtutem [h]. Sic et beatus Job tentatus est ut probaretur, dimicavit ut vinceret, humiliatus est ut exaltaretur, flevit ut gauderet [i]. Quid ipse Sanctus sanctorum? nonne tunc vicit cum judicaretur;

B et cadendo per mortem resurrexit in gloriam? Quæ fortibus passiones infirmitatum, infirmis incitamenta virtutum sunt. Infirmatur etenim validus, ut confortetur infirmus, et imitatione robusti discat superare congressus. Et ideo et justus castigatur, ut emendetur injustus.

3. Quare duplicem utilitatem operatur Sanctorum carnalis infirmitas; ut et ipsorum spiritalis virtus exerceatur; et *qui prosperatur in via sua* [j], et viribus inoffensæ sanitatis insultans, dicit: *Peccavi, et quid accidit mihi* [k]? non audeat sibi de corporea felicitate blandiri: et forsitan metu divinæ potestatis adstrictus, ad justitiam corrigatur, dum ultricem Domini cœlestis manum impiis actibus jure expavescit, quam videat et justis severam. Nam si vos vix citra verbera castigationis evaditis, nos iniqui et peccatores ubi parebimus [l]? Credimus autem, quia ideo proximis his temporibus graviora solito corporalium tribulationum tela perpessus es, pridem febrium ardore, nunc capitis humore vexatus, ut in illa requie Domini beatus possis dicere: *Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in* (*h*) *refrigerium* [m]. Lætificati igitur (i) hac Dei misericordia, qua respexerat in bonum humilitatem nostram, ut gravissimæ anxietudinis pœnam lucraremur, cum pariter indicasses nobis sollicitudinem de te nostram, et securitatem; aliud * in iisdem litteris divinæ gratiæ munus accepimus, illud videlicet curæ nostræ negotium de sancti presbyteri Basilii domo per operam tuam, ita ut desideravimus, explicatum.

D 4. Veniat tota illa benedictio super caput tuum, et in coronæ (*V.* not. 6) tuæ cumulum supertexta florescat, qua benedixerunt Dominum in te, non solum

[a] Matth. VII, 13. [b] Psal. XLIV, 10. [c] Psal. CXXI, 1. [d] Psal. CXXV, 3. [e] Psal. XL, 4. [f] Psal. CXIV, 8. [g] Johan. XI, 4. [h] Gen. XXVII, 1, et XLVIII, 10. [i] Job. I, 14; et II, 7; et IV, 1; et V, 1. [j] Psal. XXXVI, 7. [k] Eccli. V, 4. [l] Prov. XI, 31; I Pet. IV, 18. [m] Psal. LXV, 12.

* Alias 18; quæ autem 14 erat, nunc 27. Scripta anno 398, post Pascha.

(*a*) Sic mss. Reg. et Vien. cum edit. Chiffl. Ante erat *a terrenis*.

(*b*) Ita mss. Reg. et Vien. cum edit. Chiffl. et Schot. in marg. Alii, *luxibus*.

(*c*) Edit. Rosv., *circumacta*.

(*d*) Mss. Reg. et Vien., *Eustochia*.

(*e*) Editi, *desideratissimo*.

(*f*) Ms. Vien. et edit. Grin., *breviante*. Melius in aliis codicibus *præviante*, ut ex sequentibus patet.

(*g*) Ita ms. Vien. Celeri codices, *providebant*.

(*h*) Sic ms. Vien. et Latinius. Sic quoque in Psalteriis quinque, in Vulgata, apud LXX et S. Augustinum in Psalmos. In aliis codicibus nostris erat *refrigerio*.

(i) Ms. codex Viennensis, *e Dei misericordia, qui*, etc.

ipsi ad quos beneficium pertinebat; sed tota propemodum Capua, **84** et celeberrima urbis ipsius ecclesia gaudio presbyteri coexsultans, dedit laudem Deo, qui adjuvisset pauperem de mendicitate, et humiliasset alta divitum corda, ut et ipsi habeant spem æternæ domus in civitate habitationis, qui digni habiti sunt per interventum sermonis tui ad intellectum bonum illuminari : quo per exigui domicilii justam reformationem, æternum sibi in cœlesti tabernaculo pauperis sancti, a quo invicem recipientur [a], hospitium paraverunt *.

EPISTOLA * XV.

Gratulatur Amando, quod Delphinus a gravi infirmitate liberatus, pristinæ sanitati sit restitutus : gratias agit de beneficio in Basilium presbyterum a se commendatum collato : comiter ludit in Cardamatis continentia.

Sancto et merito venerabili, ac dilectissimo fratri AMANDO, PAULINUS.

1. Excepimus Cardamatem in gaudio caritatis et benedictione dulcedinis afferentem nobis omnia bona, litteras indices sanitatis vestræ, *lætificantes corda nostra, et dulciores super mel et favum* [b] : quarum suavitas sicut oleum penetravit interiora nostra, *exsultaverunt ossa humiliata* [c], et in voce exsultationis diximus Domino : *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam* [d], qua *liberasti* [1] *pauperem de potente* [e], *et humilem de manu fortioris ejus* [f]. Concurrebant undique in animum causæ gratulationum, quod accipiebamus litteras vestras, quod nostri memores probabamus, quod ad votum nostrum audiebamus incolumes, quod C (*a*) dominum meum (Delphinum) patrem nostrum ex gravi et longa infirmitate sanatum cognoscebamus. De utroque vestrum pariter lætificati sumus : quia sicut eadem est tribulatio, quæ illum corpore, te corde confecerat; ita et eadem visitatio, quæ illi divinam opem *super* [2] *lectum doloris* [g], et tibi refrigerium securitatis in cubili compassionis attulerat. Sed nihilominus cogitantes nos illius ægrimonias et animum tuum, stimulabat noster affectus, quod in illo tribulationis vestræ tempore nos forsitan sani atque etiam læti fuissemus. Sed gratias Domino, qui ignorantiæ culpam relaxat, nec, ut meruimus, fecit nobis; præveniens tristitiam nostram gratulatione, cum ita providere dignatus est, ut ægritudinis vestræ fugam eodem indice nosceremus, qui pariter nuntiaret et D reditum sanitatis.

85 2. Quid de illo vestræ sanctitatis opere dicam, quo tantum nobis etiam ad præsentis gratiæ cumulum, quantum vobis ad mercedis æternæ copiam contulistis? id est de sancti presbyteri Basilii [3] negotio; cujus *planctum convertistis in gaudium* [h], et *senectutem composuistis in misericordia uberi* [i]. Facta est *in tabernaculo* ejus *vox lætitiæ et salutis* [j] : neque cessat cum tota (*b*) domo sua gaudens consonis Ecclesiæ gratulationibus benedicere Dominum, qui respexerit humilitatem ejus [k], et religaverit contritiones ejus; et eos qui gratulabantur malis ejus confusione perfuderit [l]; ipsum vero conscisso tristitiæ sacco [m], lætitiæ vigore præcinxerit.

3. Unde pro ipsis fratribus nostris, quos ante rogari poposceramus, nunc unanimitatem vestram petimus, ut eos ultra solitum affectum diligatis; et si forte ipsi Burdigalam, ut solent, venerint, præsentibus gratias etiam de nostrorum sensuum ac viscerum B affectione reddatis. Aut si tarda fuerit eorum copia, cum prima adfuerit occasio, dignamini eis gratulationem debitam, et meritam benedictionem operis sui mittere, ut sciant et intelligant quam acceptum Deo sacrificium dederint hac obedientia fidei suæ, qua petitionem nostram in vestro [4] interventu exorabiles receperunt; nobis quidem gaudium præsens de sua devotione præstantes; sed saluti suæ æternum commodum providentes. Nam etsi debitum (*c*) fecerint agnoscendo justitiam, ut alienum reddi juberent; tamen gratia largiter habenda digni sunt pro ipso bonæ voluntatis affectu, quo potuerunt transgredi, et non sunt transgressi [n]; et maluerunt id facere quod expediebat, quam quod licebat; et quod tam absoluto et puro corde nobis parere dignati sunt, ut de beneficio eorum disputari non posset : quandoquidem domum suam sancto presbytero, etiamsi propriam non probaret, restitui tamen sine difficultate jusserunt; ut eam, si de (*d*) suo jure non posset, de illorum tamen munere possideret. Neque perdiderunt hujus tam sanctæ liberalitatis gratiam : nam vir ipse sanctissimus, cui Dominus juxta meritum vos (*e*) interventores providit, ita gratulatur et prædicat, tamquam indebitum munus acceperit. Sed ipsis fratribus nostris modo respondere distulimus, quia per ipsorum homines sæpius de Campania commeantes, opportuniores occasiones non deerunt, quæ statim ad ipsos, ubicumque sunt, (*f*) dirigant.

4. De Cardamate ipso non modicam nos **86** unanimitati tuæ gratiam debere profitemur, quem non solum ministerio provectum, sed et spiritu proficientem recepimus [5]. Nam cum in diebus Quadragesimæ advenisset, et eum ut clericum fraterno excepissemus affectu, quotidiana jejunia non refugit, et pauperem mensulam vespertinus conviva non horruit [6]. Et quod

[a] Luc. XVI, 9. [b] Psal. XVIII, 9 et 11. [c] Psal. L, 10. [d] Psal. XLVII, 10. [e] Psal. LXXI, 12. [f] Psal. XXXIV, 10, sec. Psalt. Rom. [g] Psal. XL, 4. [h] Psal. XXIX, 12. [i] Psal. XCI, 11. [j] Psal. CXVII, 15. [k] Luc. I, 48. [l] Psal. CXLVI, 3; et XXXIV, 26. [m] Psal. XXIX, 12, sec. Psalter. Rom. et vetus. [n] Eccli. XXXI, 10.

* Alias 25; quæ autem 25 erat, nunc 10. Scripta anno 398 et missa cum superiore.

(*a*) Ms. Regius, *domum*. Ms. Vien., *Dominum nostrum*.

(*b*) Ms. Reg., *domu*. Sic veteres et idem ms. frequenter.

(*c*) Ms. Vien., *fecerunt*.

(*d*) Addidimus *suo* ex ms. Reg. et edit. Bad. et Grin.

(*e*) Eadem notione *Isaias* dicitur *Ezechiæ interventor* carm. 23, v. 195.

(*f*) Ms. Vien. *dirigantur*.

magis mirum est, calicibus nostris contentus fuit; ut intelligeremus illum apud sanctitatem vestram (*a*) emendatum, sicut ex Apostolo [a] erudiri; nec jam modio sed modico vino, quo non venter distenditur, sed cor lætificatur, inebriari (*V.* not. 46) ad sobrietatem, spiritali crapula ructantem Deo [7] hymnum, quem non solo ore vocalis, sed et tacito corde decantat, qui voluntatem Domini fideli (*b*) recipit auditu, pio narrat eloquio, et strenuo implet effectu. *Benedictus Dominus, qui facit mirabilia* [b]. *Qui convertit rupem in aquas* [c], Cardamatem et clericum fecit, ut (*c*) videmus; et sobrium, ut credimus. Nam ut solemnitas Paschalis (*d*) revocavit dies prandiorum, incipiebat nobis circa meridiem murmurare, dicens: *Exaruit sicut testa* [8] guttur meum, *et lingua mea adhæsit faucibus meis* [d]. *Defecit anima mea*, et venter B meus; et a fame et siti [9] *adhæserunt ossa mea carni meæ* [e]. Respondebatur illi quidem: *Fili, in humilitate sustine, et concupiscentia ventris non apprehendat te* [f], quia *non in pane solo vivit homo*, *sed in omni verbo Dei* [g]. Ille autem *sicut surdus non audiebat*, et *sicut aspides surdæ obturabat nobis aures suas* [h], sed frustra. Ad prandium cupiebat implere ventrem suum, et nemo illi vel siliquam dabat [i], donec (*V.* not. 47) ad vesperum declinaret dies; et hymno dicto quamlibet tristis de fame prandii, placaretur nobis de refectione cœnandi. Sed ne diutius jocando videamur injuriam facere gravitati ejus, quæ jam in stillicidis [10] poculorum magis lætatur, quam in ebrietate rivorum, de commodis ejus serio loquar: Mulierem suam debilem, et ideo inutilem sibi asserit (*V.* not. 188). C Quod si ita est, peto ut ei aliquod mancipiolum præstetur.

EPISTOLA * XVI.

87 *Jovium clarissimum virum qui fato ac fortunæ multa tribuebat, docet providentiæ divinæ omnia subjacere. Eadem de re jam ad eum scripserat, forte carmen 19. Eumdem collaudatum ob insignem doctrinam atque eloquentiam, a philosophorum lectione deterret, et ad sacrarum Scripturarum lectionem hortatur.*

Jovio (*e*) fratri, PAULINUS salutem.

1. Filiis nostris (*f*) Posthumiano et (*g*) Theridio patriam de Campania, quam [1] nostri gratia accessere, petentibus, non scribere unanimitati tuæ, contra officium et affectum putavi: non ab eo tantum prævaA cans, ne viderer communis observantiæ studium insolita a te mihi negligentia præterire, sed multo etiam illud magis, ne de tua in Deum mente secus crederer judicare, si omnem scribendi tibi occasionem diligens, per viros religionis insalutatum te, tamquam a sanctis hominibus abhorrentem, prætermitterem; cum certe studiosus Christiani nominis, comprobatorque propositi etiam nostri amore docearis. Suscipe igitur libens, non illos ex meis litteris, sed litteras meas de illis probans, qui summa idipsum sanctitate curarunt, ut religioni haberent vel patriam te non adeundo revisere, vel te sine meis scriptis adire. Apte autem mihi visa est ad id quoque hujusmodi tabellariorum persona congruere, ut aliquid de pristina illa epistola responderem tibi, quam B tu ad illas mihi litteras, quibus manifestum divinæ potestatis in elementis, et curæ circa nos beneficium prædicaveram, retulisti. Nam profecto retines me de tuis scriptis, id de quo tunc gratulans responderam, comperisse; unde suaseram, ne casibus Dei munus adscriberes; et (*h*) forte magis quam Numine arbitrareris argentum illud sancti commercii inter hibernos turbines et nautas avaros, amisso custode, servatum, in illud potissimum littus ejecta navi, in quo familiare nobis oppidum, tibi patrimonium tutissimis rem nostram sinibus exceperat.

2. Sed tu iterum mihi de tempestatis injuria magis querulus, quam de clementia Dei gratus, omnes motus elementorum, inter quos divina tantum manus humanam salutem tueri valet, actusque nostros, quos C summi Domini potestas **88** regit, et pro nostris meritis vertit aut dirigit, vacuis fatorum fortunæque (*i*) numinibus, tamquam æmulis Deo potestatibus, subdidisti. In quo ne te existimes Deo detulisse, cum injuriose potius, ut erat, Dei beneficium esse nolueris; dicens ideo hæc a divina potestate secerni oportere, quia casum magis quam Deum deceant mala. Id autem sine dubio malum esse, quo periculum sæpe homines aut damnum capessant [2]. In quorum malorum, ut video, numero tempestates locas, quibus aut in terra agrorum sæpe vastitas, aut in navi naufragorum [3] (*forte* mari naufragiorum) ærumna capiatur. Sed hanc sententiam video de illis obortam magistris qui, sapientia sua superbi, sapientiam Dei quærere dedignati, a finibus veritatis exsules agunt, as-

[a] I Tim. v, 23. [b] Psal. LXXI, 18. [c] Psal. CXIII, 8. [d] Psal. XXI, 16. [e] Psal. CI, 6. [f] Eccli. II, 4; et XXIII, 6. [g] Deut. VIII, 3; Matth. IV, 4; Luc. IV, 4. [h] Psal. LVII, 5. [i] Luc. XV, 16.

* Alias 38, quæ autem 16 erat, nunc 20. Scripta anno 399.

(*a*) Hunc locum sic emendavimus ex mss. duobus Reg. et Vien. et ed Grin. Ante erat *e mandato, sicut est Apostoli erudiri..... vino uti, quo*, etc. Utraque lectio recepta.

(*b*) Ita mss. Reg. et Vien. Ceteri codices, *recepit*.

(*c*) Sic ms. codex Viennensis. Alii, *vidimus*

(*d*) Ms. Vien., *revocabat*, minus bene.

(*e*) Sic mss. Reg. et Vien. et edit. Bad., Grav. et Schot. Edit. Rosv. ad lit *clarissimo*. Ms. Vatic., *Jovio claro fratri*, etc. Edit. Grin., *Jovio viro clarissimo Paulinus.*

(*f*) Ms. Vien. cum editis tribus, *Posthumino*, menD dose; legitur enim in omnibus mss. et editis codicibus epistolæ 49 ad Macarium *Posthumiani* et *Posthumianum*.

(*g*) Ms. Reg., *Theridiano*, sed mendose; idem enim est *Theridius*, de quo Paulinus in epist. 27, n. 1, et carm. 20, v. 107.

(*h*) Vera lectio, quæ infra confirmatur n. 4. *Fors ... et Fatum.. et Casus*; et carm. 19 ad eumdem, v. 98. Ms. Vien., *Fortuna*.

(*i*) Nisi codices omnes refragarentur, cum Sacchino posuissem, *nominibus*, nam et infra, n. 4, *vacua nomina*, et paulo post, *cassa nomina*, et n. 10. *nominibus vacuis casuum atque fatorum.*

sertores opinionum suarum, qui missis per inane magnum mentibus *evanuerunt*, sicut scriptum est, et probatur, *in cogitationibus suis* [a]; et pro suis arbitriis opera Dei et consilia finxerunt. Illis mare [4] vel cœlum casu regi commoverique videatur, qui mundum istum aut sine rectore vacuum, aut otiante Deo neglectum [5], fortuitis lapsibus volvi disputant; aut nullo autore compositum, (*a*) aut ut principii, ita finis expertem : quod corporea, qua mundus [6] iste cujus singuli portio sumus, natura non obtinet; quia omnis compago resolubilis : aut quod stultius est, ex semetipso creatum volunt, tamquam ulla res ipsa sibi possit esse causa nascendi, ut sit eadem creator pariter et creatura, id est opifex [7] et opus; quæ ut nomine, ita et genere ac statu discrepare perspicuum est. Quis enim non videt mundum istum corporeum vi incorporea gubernari, totamque molem, infusa atque permixta [8] magno universitatis corpori divini Spiritus, mente qua facta est, agitari ad vitam? temperari ad usum? contineri ad statum? ordinari ad diuturnitatem?

3. Cum ergo constet, quod cernitur, aut sentitur, alienæ opis, ut consistat et maneat, indigere; non potest ambigi, aliunde etiam ut crearetur eguisse. Quod cum ita sit, omnia ex Deo orta fateamur necesse est. Quia nisi profanis in dubium venire non potest, mundum Deo autore confectum : proinde ventos, et omnia quæ intra mundum partes molis ejusdem, et quasi viscera corporis (*b*) sunt, non ad alterius regimen esse referenda; quia neque regi contineri que paterentur divinorum operum virtutes; C **89** hoc est substantiæ naturarum omnium in tanta discordia sui, nisi ab ea tantum natura atque virtute, hoc est Deo, uno omnium conditore, a quo uno fieri ordinarique potuerunt; et cujus leges nisi servarent, statum suum non obtinerent. Multo autem ineptius est ullam culpare naturam, et malam dicere : quoniam si a Deo omnia, et Deus bonus est; omnia profecto quæ fecit Deus, bona. Si qua autem sunt in arcanis statutorum ejus altiora sensibus et cogitationibus nostris, etiamsi rationem eorum consequi et colligere non possumus, tutius tamen nobis est magis occultas esse rationes, quam nullas, credere. Quia non ambigendum, omnia Dei (*c*), etsi nobis non sint perspicua, tamen esse consulta.

4. Itaque si totum mundum Deus qui condidit [9], D et gubernat; quo in loco, vel cui creaturæ casus, et fatum, aut fortuna dominabitur? Si de motibus vel ordinibus astrorum, ut quidam volunt, pendent, de

A igniculis non solum Deo, sed et mundo ipso minoribus, immo etiam mundi ipsius tertiam partem ministerio famulæ lucis ornantibus, istam, quam Deo æmulam facis, potestatem trahunt. Nam certe divinæ potestatis est elementa turbare, ventorumque violentiam vel excitare positam [10], vel incitatam refrenare, et furoribus tempestatum vel dedere vel eripere mortales. Qua potestate cum omnis creatura pareat (*forte* careat) uni omnium Creatori subdita, quomodo iis divina vis et potestas datur quæ non solum nomine (*forte* numine) Creatoris, sed etiam creaturæ specie carent, vacua non spirituum neque corporum nomina gerendis vel significandis rebus aptata? Si quidem et fors verbum dubitantis sit, et fatum profantis expressio, et casus significatio cadentium vel accidentium; B tamen ab usu erroris antiqui ob ignorantiam Dei, rationis inopes, cassa nomina, tamquam ideo numina quoque sint [11], in speciem (*V*. ep. 49, n. 8) corporatam stultis cogitationibus fingunt; stultiusque quam finxerint, donant honore divino; unde et Spes, et Nemesis, et Amor, atque etiam Furor in simulacris coluntur, et occipiti calvo sacratur Occasio, et tua ista Fortuna lubrico male nixa globo (*d*) fingitur. Nec minore mendacio Fata simulantur vitas hominum nere de calathis, aut trutinare de lancibus. Quod **90** deliramentum ne vulgo imputemus, aut nimium philosophos admiremur, Platone (*lib*. x *de Republ.*) etiam delirante narratur, qui in gremio anus pensum Necessitatis exponit, et tres ei filias addit (*e*) concinentes, et versantes fusum, et per fila ludentes; hoc scilicet lanificio autumans eas conficere res hominum, et tempora cuique (*f*) signate detexere. Tantum abusus est humanis auribus arrogantia inanis facundiæ, ut ridiculam anilis fabulæ cantilenam non erubesceret scriptis suis, quibus de divina etiam natura quasi conscius disputare audebat, inserere. Sed nobis in illo sermonis tantum Attici comitas, non inanis fabulæ spectanda concinnitas: quæ demulcendis tantum auribus edita sunt, non debent sensuum fundamenta convellere.

5. Quin potius, ut ratio et veritas docet, omnia operum Dei, in quibus consistimus, et quorum pars sumus (*Ex Virgilio*); omniaque munerum ejus, quibus inter vitæ istius fragilis et caducæ incerta regimur atque servamur, ad ipsum referamus; nihilque ab illius potestate nostro removeamus errore, quia, velimus nolimus, ipse nostri, ut omnium, et creator et Deus est. Et quia (*g*) quantus quantus est, bonitas, et sapientia, et origo rationis est, nihil nisi ratione

[a] Rom. I, 21.

(*a*) Addidimus *aut* ex ms. codice Viennensi.

(*b*) Ita ms. Vien. Alias, *sint*.

(*c*) Sic ms. Vien. Alii codices addebant *esse*, sed hoc verbum expunximus utpote superfluum

(*d*) Ms. codex Vaticanus, *figuratur*.

(*e*) Sic emendavimus ex mss. codicibus Reg., Vien. et edit. Schot; nostraque correctio præterea confirmatur ex Platonis lib. x de Republica, sub finem, his verbis : *Fusum vero in Necessitatis genibus circumverti. Superne præterea cuilibet circulo hærere Sirenem una cum globo delatam, vocem unam, tonum unum videlicet emittentem; unam tamen harmoniam ex omnibus octo* CONCINERE. Græce, ἐκ πασῶν καὶ ὀκτὼ οὐσῶν μίαν ἁρμονίαν ξυμφωνεῖν. *Alias autem tres Necessitatis filias æquali invicem intervallo in throno sedere, Parcas vestibus albis, capite coronato, Lachesim, Clotho, Atropon, quæ ad Sirenem harmoniam* CANANT, etc. (Græce ὑμνεῖν πρὸς τὴν τῶν σειρήνων ἁρμονίαν.) In editis 4, *concinantes*, mendose.

(*f*) Ms. Reg. cum editis Bad. et Grav., *signate*

(*g*) Sic edit. Schot. Vide epist. 23 ad Severum, n. 1.

constituit, et ad materiam (*Latin. forte* memoriam) suæ bonitatis creavit. Ipsi omne quod sumus, impendamus; et quæ illi placita sunt, studeamus discere, et facere curemus. Tunc defæcata mente purius intuentes, videbimus hanc esse veritatem, ut a Deo sint cuncta quæ sunt; et hanc esse consequentiam, ut omnia Dei facta pulcherrima sint; et non sit malum, quod bonum habeat autorem, qui cuncta per mundum nostris usibus præparavit, et nostris utilitatibus agit; et ita istius universitatis opus condidit, ut alia ad serviendum, alia ad exercendum, alia ad dominandum creaverit. Itaque corporeis animalibusque naturis homines ratione dominamur. Sed ne ipsa potestatis nostræ licentia resolvamur, utiliter exercemur adversis, aut spiritibus dæmonum, aut difficultatibus negotiorum, aut ipsorum sæpe elementorum motibus; videlicet ut exagitati, curis, prudentia [12], et metu Divinitatis acuamur. A quo nos, quæ deberet magis gratificos Domino æterno facere, securitas negligentes facit. Unde et magister **91** gentium Apostolus ait, arcano divinæ pietatis consilio, et magno humanæ salutis emolumento opponi quosdam obices cursibus nostris, et adversis secunda mutari, ut morbos, damna, discrimina; quia tribulatio patientiæ robur operetur, patientia [13] probationem fidei pariat, et præmium gloriæ conferat [a]. Quod certe virtus capere nisi victrix non potest, non habitura victoriæ facultatem, nisi cum aliqua prius difficultate certaverit.

6. Quod cum prudentiæ tuæ, quam et ingenitam et eruditam habes, litteris quoque ipsis, quas utinam jam, ut judicio, ita et studio sacris Litteris postbaberes, potuerit intimari, quibus egregie clarorum in (*a*) ducibus aut philosophis virorum virtutes ad nobilem famam, non nisi per labores et pericula emicuisse memorantur, admodum miror, cur in veritate perspicua divini muneris ita volueris caligare, ut mirabilem illam navis jactatæ salutem, et evidentibus signis procuratam nostræ rei divinitus terra marique custodiam, fortuitis eventibus dederis, tantamque occasionem divinæ prædicationis effuderis. Erige in summam sapientiæ mentem tuam, et ipsum veri luminis fomitem Christum pete; qui fideles animas illuminat, et pectora casta perlabitur. Quod et te ita sentire [14] docuisti, licet pro excusatione prætenderis imparem te adhuc, et ideo (*b*) non capacem Dei, quia terrenis rebus et curis obsessus, ab altiore suspectu cœlestium quasi nubibus interpositis arcearis. Sed utinam ista tam vere possis obtendere, quam facunde potes. Arguit enim ipsa facundiæ tuæ doctrinæque fecunditas, voluntatem tibi potius in sacris [15] Litteris parem, quam aut vacationem aut facultatem abesse. Non enim, opinor, dormiens, aut aliud agens tantas oris aut pectoris divitias coegisti. Omnium poetarum floribus spiras, omnium oratorum fluminibus exundas, philosophiæ quoque fontibus irrigaris, peregrinis etiam dives litteris, Romanum os Atticis favis imples. Quæso te, ubi tunc tributa sunt, cum Tullium et Demosthenem perlegis? vel jam usitatiorum de saturitate fastidiens lectionum, Xenophontem, Platonem, Catonem, Varronemque perlectos revolvis; multosque præterea, quorum nos forte nec nomina, tu etiam volumina tenes? Ut istis occuperis, immunis, et liber; ut Christum, hoc est, sapientiam Dei discas [b], tributarius et occupatus es. Vacat tibi ut philosophus [16] sis; non vacat ut Christianus sis. Verte potius **92** sententiam, verte facundiam. Nam animi philosophiam non deponas licet, dum eam fide condias (*c*) et religione; consertis utare sapientium, ut sis Dei philosophus, et Dei vates, non quærendo, sed imitando Deum, sapiens; ut non tam lingua quam vita eruditus, tam disseras magna quam facias.

7. Esto Peripateticus Deo, Pythagoreus mundo; veræ in Christo sapientiæ prædicator, et tandem tacitus vanitati, perniciosam istam inanium dulcedinem litterarum, quasi illos patriæ oblitteratores de baccarum suavitate Lotophagos (*d*) et Sirenarum carmina, blandimentorum nocentium cantus evita. Et quia licet quædam plerumque de inanibus fabulis, ut de vulgaribus aliqua proverbiis, in usum veri ac serii sermonis assumere, dicam non litteras tantum, sed et omnes rerum temporalium species nobis esse Lotophagos vel Sirenas [17]. Nam et voluptatum pestifera dulcedo, patriæ nobis oblivionem facit, cum homini Deum, qui est patria omnium communis, obliterat; et illecebræ cupiditatum illam Sirenarum fabulam veritate cladis imitantur. Nam quod illæ Sirenæ fuisse finguntur, id vere sunt illecebræ cupiditatum, et blandimenta vitiorum (*e*) habentia in specie lenocinium, in gustu venenum; quorum usus in crimine, pretium in morte numeratur. Has oportet ultra Ulyssis astutiam cauti, non auribus tantum, sed oculis obseratis et animo, quasi navigio prætervolante fugiamus, ne sollicitati delectatione letifera, in criminum saxa rapiamur; et scopulo mortis adfixi, naufragium salutis obeamus.

8. Atque utinam vel nudis nobis ex istius mundi salo liceat evadere, si in tempore isto, quo in fragilitate corporea, et possessionum lubrico, tamquam in navigii fatiscentis infida compage fluitamus, exuere nos ad enatandum impedimentis angentibus quasi vestibus madidis; et fidem salutarem, qua in virtute Christi Dei vexillo crucis nitimur, quasi tabulam perfugii meminerimus invadere; ut de rebus fluentibus spem solidam comparemus, et de noxia cupiditatum materia aliquid ad innocentiam salutemque rapia-

[a] Rom. v, 3. [b] I Cor. I, 24.

(*a*) Sic emendamus ex ms. Viennensi et edit. Schot. Alias erat, *indicibus*; nullo sensu. Vide not. 48.

(*b*) Ms. Vien. cum edit. Grin., *incapacem*.

(*c*) Ita ms. Vien. Cæteri codices; *et religione consertia utare sapientius*.

(*d*) Sic ms. codex Belgicus, edit. Schot. et Fabricius. Alias, *ut*.

(*e*) Ita ms. Vaticanus, cum alii codices præferant *habent enim*.

mus. (*a*) Quo videlicet ut Deo servientes, cupiditatibus imperantes, necessitatis modo desideria terminemus, et necessarios habentes habitus, non quæramus superfluos apparatus; quia recordari admonemur nos nihil intulisse in hunc mundum, neque auferre posse [a]. Quæ veritas in tantum valet, ut de gentilibus quoque philosophorum, qui vel (*b*) extremas veritatis lineas celsioribus ingeniis **93** attigerunt, inquirendæ tantum, nedum sequendæ sapientiæ vacari non posse senserint, nisi pecuniarum onera, quasi stercorum, etiam in mare quidam projicerent. A

9. Sed tu divisionem cum Deo facito, et quasi mutuo beneficio redde summo Patri gratiam; qui tamen de iis quæcumque tibi donavit ingenita, aut adjecit extrinsecus, te tantum a te reposcit. Habeas licet tibi et tuis cuncta quæ possides, tantum id curans, ut horum quoque largitorem Deum esse fatearis. Nihil enim habemus quod non acceperimus [b], qui in hunc, ut dixi, mundum nudi venimus [c]. Ingenii autem tui facultates et omnes mentis ac linguæ opes Deo dedica, immolans ei, sicut scriptum est [d], sacrificium laudis, ore facundo et corde devoto. Illico ut ad superna penetralia aciem mentis intenderis, aperiet ad te faciem suam veritas, teque ipsum reserabit tibi. Nam divinæ veritatis agnitu, id quoque ut nosmetipsos noverimus, assequimur. Unde enim putas tantam miseris mortalibus vel superbiæ vel ignaviæ perversitatem inolevisse, ut non colentes Deum, dæmoniis aut elementis subditis sibi serviant, aquas, ignem, sidera, arbores, et simulacra venerantes, cum impiissima divinæ majestatis injuria? Cujus nomine C sive dæmones [18], sive creaturas colant, servos honorant: pro quo iis tenebris cæcari merentur, ut quia Deum verum intelligere nolunt, etiam sui ignoratione feriantur: qua liberatus homo illuminatus fide, ut ordinem atque mensuram sui generis intelligens, Deo tantum, cujus unitas ineffabili Trinitate censetur, se esse subjectum; ceteris vero omnibus creaturis, si rationabiles sunt, parem; sin vero corporeæ [19], superiorem esse cognoscat.

10. Qua mediocritate homo temperatus, neque a salutis sorte delabitur, neque a dignitate naturæ; fitque conscius veritatis, compos sapientiæ, servus justitiæ, liber erroris, dominusque vitiorum; quibus anima non Deo serviens servire damnatur: quæ deinde, ut proprii status exsul, per omnes cogitatio- D num suarum, aut alienarum opinionum devias vias spargitur, per philosophos vaga, ac per [20] ariolos curiosa, superstitioni religiosa, religioni profana, spem inter ac metum semper ambiguis affectionibus pendens. Hinc omni vento cujuslibet doctrinæ circumlata [e], quia divini timoris vacua, sapientiæ caput non habet, quasi (*c*) truncis sensibus, unde intellectum rerum trahat, ubi sententiam statuat ignara; cum se frustra, omnibus cœlo terraque regionibus pervagata, cogitatione distraxerit, in **94** creaturis conspicuis, et in nominibus vacuis casuum atque fatorum, vim universam, qua mundus agitur, constituit.

11. Tua vero mens, quæ ignita de cœlesti semine divinum jam spirat ardorem, in ipsam arcem sapientiæ Christum fide prævia dirigatur. Patior (*V.* not. 11) ex copia [21] tibi in nostris quoque studiis (*d*) possidendam philosophorum facundiam, dum adversam veris desinas amare sapientiam. Melius est enim [22] tenere te potius divina quærentem, quam quærere disputantem. Mitte [23] illos semper in tenebris igno- B rantiæ volutatos, in contentionibus eruditæ loquacitatis absumtos [24] et altercatione vesana cum suis phantasmatis [25] famulatos, semper quærentes sapientiam, et numquam invenientes [f], quia quem nolunt credere Deum, intelligere non merentur. Tibi satis sit ab illis linguæ copiam et oris ornatum, quasi quædam de hostilibus armis spolia cepisse; ut eorum nudus erroribus, et vestitus eloquiis, fucum illum (*e*) facundiæ, quo decipit [26] vana sapientia, plenis rebus accommodes; ne vacuum figmentorum, sed medullatum veritatis corpus exornans, non solis placitura auribus, sed et mentibus hominum profutura (*f*) mediteris.

EPISTOLA * XVII.

Queritur de Severo, quod ad S. Felicem, sicut pollicitus fuerat, non venerit: et admonet ut martyrem quanto benignior est, tanto magis lædere vereatur; itaque eum hortatur ut quamprimum veniat.

Paulinus Severo [1].

1. Et invitando te et exspectando defessi sumus, neque nobis aut vota jam aut verba supersunt, quæ toties precibus ac litteris frustra effusis adjiciamus. Quod unum amicitiæ communis, spe præsentiæ invicem nostræ amputata, reliquisti, verba verbis rependimus; et his saltem solatiis, quæ fructum non habent, refoveri optamus: quamquam in his quoque parcus esse cœperis, jam occasionibus nos requirens, toto prope nos biennio suspensos quotidiana conspectus tui exspectatione cruciasti. Nam et illam æstatem, quæ puerorum nostrorum ad te reditum consecuta est, ita clausimus, donec hiems intercluderet, ut omnem diem ad adventum nobis tuum illucescere putaremus: sed quoniam nec indices tuæ dilationis advenerant, ea reputatione **95** nos consolabamur, ut te neminem idcirco misisse, quia ipse vel sero adfuturus esses, confirmaremus. Interea et hac æstate la-

[a] I Tim. vi, 7. [b] I Cor. iv, 7. [c] Job. i, 21. [d] Psal. xlix, 14. [e] Eph. iv, 14. [f] II Tim. iii, 7.

* Alias 13; quæ autem 17 erat, nunc 19. Scripta anno 339 exeunte.

(*a*) Sic ms. Vien. et Sacchin. Cæteri codices, *Quod.*

(*b*) Ita edit. Schot. et sic legendum existimat Rosveydus in not. 49. Alias, *extremæ.*

(*c*) Ms. Vatic. et Fabricius cum edit. Rosv., *carens sensibus.* At mss. Reg. et Vien. cum tribus editis, *truncis sensibus:* quod verius, quia caret capite. Vide not. 50.

(*d*) Sic ms. Viennensis codex. Alii, *possidendæ philosophorum facundiæ.*

(*e*) Ms. Vien., *facundiæ, sapientia plenus, rebus accommodes.*

(*f*) Ms. codex Viennensis, *edideris.*

bente, spe tamen ea nos vel opinione palpante, Romam ad venerabilem solennitatis apostolicæ diem profecti sumus, concursum nobis illic tuum debita quidem, sed tamen festiva meditatione promittentes, cum decocta præsumtæ spei gratia, quod ipse non aderas, non tamen omnino nulla compotimur, sumentes litteras tuas per hominem carissimi nobis viri, fratris nostri Sabini : quem quidem primo minime monachali caliga et veste mirati, cum præterea facie non minus quam armilausa (*V*. not. 67) ruberet, parum spiritalibus buccis, tunc demum esse non nostrum scivimus, cum per ipsum tabellarii dominum litteras a nobis reposcentem, necessitudine vos proxima copulatos esse comperimus. Unde et illum ante amicum cumulato nunc amore complectimur.

2. Rescribendi tamen ex Urbe facultas non fuit, quam vix decem dies vidimus non videntes, et ipsum (*a*) temporis ante meridiem in votis nostris, quorum cura veneramus, per apostolorum et martyrum sacras memorias consumentes. Deinde ut ad hospitium redissemus, innumeris frequentationibus occupati, quorum partim amicitia, partim religio contrahebat, vix ut vespera solveret cœtus, nosque laxaret; necessario distulimus officium inopia vacationis. Deinde regressis domum, aliam moram accidua carnaliter ægritudo obtulit, nec paucis diebus haud leviter nos examinavit. Sed, qui vita nostra et resurrectio est [a], visitavit in bono humilitatem nostram : et cum *castigans castigasset nos, morti non tradidit* [b]. *Multa* enim *flagella peccatoris*, sed *sperantes* (*b*) *in Dominum misericordia circumdabit* [c]. Atque ideo verberati sumus ut peccatores, liberati ut sperantes in misericordia ejus, *qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum* [d].

3. Hæc igitur, jam in virtute et misericordia Domini revalescentes, per carissimum in Domino fratrem Amachium, domini et patris nostri Delphini subdiaconum, quia ipsius occasio præsto erat, scripsimus : simul, quia se notissimum tibi esse asserebat, opportunissimum credidimus cui litteras ad te nostras crederemus. Salutamus te tantum quantum diligimus in Domino, et adhuc desideramus : nam revellere de animis nostris spem istam necdum possumus, qua præsumimus te videndum amplectendumque nobis, dono Domini, in sede ac sinu (*c*) domni [2] mei, communis patroni Felicis : cui vota tua toties contestatus sum, et promissa recitavi, quoties [3] a te mihi cauta reminisceris. **96** Si fefellimus martyrem veritatis, non opiner [4] me solum statuendum hujus culpæ reum [5], qui spopondi quod credidi : tu, quæso, mi frater unanime et dilectissime, dum tempus est, videas ne tanto confessori, tam potentis gratiæ apud Christum sancto, isse videaris inficias

4. Causari infirmitatem magis quam pigritiam, vel exceptionem personarum qui possis, nescio, cum intra annum eadem opera ad nos potueris pervenire ac recurrere, qua Gallicanas peregrinationes tot annis frequentas, et iteratis sæpe intra unam æstatem excursibus Turonos et remotiora visitas. Non (*Ex Virgilio*) invideo, prædico magis devotionem tuam in Domino, quam in servis suis admiraris et honoras. Juste fateor et merito Martinum frequentari; sed dico, injuste pernicioseque Felicem ab eodem, qui illum honoret, promissis inanibus ludi, vel secura promissi jam ut aboliti dissimulatione contemni. Qua fide speras Christi gratiam in honore Martini, eadem Christi offensam time in offensione Felicis : (*d*) et tibi forsitan mens fortior, et anima robustior, aut potens conscientia perfectæ in Christo dilectionis tantam ministret fiduciam, ut magnorum fidei et operationis tuæ meritorum compensatione delictum hoc, quo Dominum meum Felicem, quod absit, læseris, diluendum putes; quam tam de ipsius etiam tibi bonitate, quam de ipso, cujus spiritus est, Deo Christo largissimam habet, veniam tibi polliceris; et fideliter facis. Verum ego vel tam timidum me vitio infirmitatis meæ, vel tam nimium amoris tui fateor. ut pro te etiam tuta timeam : et dum in omni sancto abundare tibi gratiam Christi cupio, nolim te in eo potissimum, in quo Dei caritas est insignis et eminens, lapidem offensionis incurrere. Scio quidem, secundum divitias bonitatis Dei, et in Domino meo Felice viscera pietatis affluere : sed tu, quæso, hoc cum magis diligas et timeas, quo melior est et indulgentior. Magnam tibi talis formido mercedem pariet, ut hinc sollicitior sis, unde potes esse securior : id est, ut tanto magis carissimum Dei metuas offendere, quanto promtius dignatur ignoscere : quia majore impietate læditur, qui nescit offendi; et gravius vindicatur a Domino, qui non expetit vindicari. Conjice, quæso te, causam istam mutuæ affectu fidei, et vide si debeas aut validus excusare, aut infirmus diffidere. Dominus enim noster proximus ubique nobis est [e], qui dicit : (*e*) *In omni loco, dum adhuc loqueris, ecce adsum* [f]; et ait : *Omnia possibilia credenti* [g].

[a] Joan. XI, 25. [b] Psal. CXVII, 18. [c] Psal. XXXI, 10. [d] Psal. CXLVI, 3. [e] Luc. X, 36. [f] Isai. LVIII, 9, sec. LXX. [g] Marc. IX, 22.

(*a*) Ita ms. Reg. et edit. Schot., ita et alibi Paulinus. Alias, *tempus*.

(*b*) Sic Tertullianus, *Bonum est sperare in Dominum*, Psal. CXVII, 9

(*c*) Ita ms. Reg. cum quibusdam editis. Vide not. 52.

(*d*) Latinius, *sed*.

(*e*) *In omni loco* abest a Vulgata, nec reperitur apud LXX. Vide not. 53.

EPISTOLA * XVIII.

97 *Paschasium diaconum diutius apud se retentum excusat Victricio Rotomagensi episcopo. Deinde Victricii laudes graphice describit, quomodo etiamnum miles sese verum Christi confessorem ac martyrem in tormentis præstiterit; quomodo episcopus factus Rotomagensem Ecclesiam instituerit et illustrarit, atque in barbaris regionibus Christi fidem excoluerit et monasteria instituerit.*

Beatissimo semper et venerabili (*a*) patri (*V.* not. 54) VICTRICIO, PAULINUS.

1. Quod optantibus aliquandiu non contigerat, id repente insperantibus, Domino donante, provenit, ut occasio nobis ad venerandam sanctitatem tuam scribendi per domesticum fidei, et eum potissimum fratrem, qui in Domino tuus pariter ac noster (*b*) esset, B daretur. Accidit enim Romæ nobis ad celeberrimum natalis apostolici diem concurrere benedictum diaconum fratrem nostrum Paschasium, quem præter gratiam fraterni (*c*) in sacro ministerio contubernii, (*d*) eo venerabilius amabiliusque suscepimus, quo de sanctitatis tuæ clero, et corpore, et spiritu esse cognovimus. Sed fatemur violentiam nostram qua illum [1] de Urbe ad sanctitatem tuam redire cupientem, quamvis festinationem piam justissimi desiderii probaremus, tamen in tuo [2] amore complexi Nolam perduximus; ut et hospitium illic humilitatis nostræ quædam per illius ingressum tui spiritus aura benediceret; et diutius quasi quadam tuæ gratiæ portione frueremur, videntes et tenentes eum, quem et institutionis tuæ discipulum: et (*e*) viæ comitem, modestia morum, cordis humilitas, mansuetudo spiritus, fides veritatis, et sermo in omnibus sale conditus (*f*) probabat. Itaque da veniam fratri nostro in nobis, vel nobis in illo: quia sive illius tarditas arguatur, sive præsumtio nostra culpetur, utrumque delictum caritas Domini excusabit tibi, qua vel ille nobis parere compulsus est, vel nos eum non timuimus invadere, et pro nostro jure retinere, non arrogantia pervicaci, sed *corde puro et fide non ficta* [a], nostrum credentes esse quod tuum est: teque ita vicissim reputaturum non ambigentes, ut illum non (*g*) abfuisse tibi duceres eo 98 tempore quo nobiscum fuisse cognosceres. Nam etsi regionum intervallis corporaliter (*h*) disparamur; spiritu tamen Domini, in quo vivimus et manemus, ubique effuso conjuncti sumus, ut unius corporis membra, et cor unum et unam animam habentes in uno Deo [b] [*].

2. Quamobrem spiritali speculo mentem erga nos tuam considerantes, nosque connexos invicem tibi, de affectione nostri pectoris vindicavimus nobis, ut (*i*) unanimem animum tuum in fratre retinendo, gratia Domini quæ tibi largiter data est id ipsum operante, ut in corporis etiam tui membris, et in vestimenti tui fimbriis diligaris; quamvis multos morarum illius dies perdiderimus, dum corripiente nos in sua misericordia Domino [c], ad emendationem spiritalem carnali ægritudine verberabamur [*]. Sed *qui consolatur humiles* [d]; *et sanat contritos corde* [e], *consolatus est nos* in præsentia fratris nostri benedicti Paschasii: de qua dum refrigerabamur in spiritu, etiam corpore reficiebamur: amicus enim bonus medicina cordis est; et bene duobus in unum coactis Christus interstat [f].

3. Neque vero in infirmitate [3] tantum nostra contribulatus et compassus est, sed in nostri clarissimi filii Ursi, quem comitem indivulsum peregrinationis suæ habuerat, gravissimo languore diu confectus est. In quo et fidem ejus et caritatem in Domino plenam perspeximus. Nam quantum ille laborabat in corpore, tantum hic in spiritu macerabatur. Et ideo respexit illum Dominus in hujus humilitate [g], cumulans et hoc beneficium, ut usque ad mortem infirmatus, fide tamen et labore Paschasii, quem Dominus experiri voluit potentiam apud se sancti sui confessoris dilectissimi Felicis Dominædii nostri, de periculo inveniret C salutem. Per hujus enim ipsius manus genitus, in lectulo baptizatus redit. Præstabit idem Dominus, qui illum orationibus (*j*) sancti fratris nostri Paschasii, et sollicitudini cum eo nostræ, et imprimis ecclesiæ tuæ te proculdubio [6] semper in tuis ubilibet positis respiciens, redonavit, perducat [7] in conspectum tuum incolumem et salvum, et liberum peccato, servumque justitiæ [h]. Non ambigimus et ipsum, si ad te meruerit pervenire, magna fidei incrementa facturum (*k*) pare Paschasio et te amborum magistro.

99 4. Notum enim nobis fecit (*l*) Tychicus (*V.* not. 55 et 56) tuus carissimus frater et fidelis minister in Domino, non quidem te magis quam in te Deum prædicans, quanta Dominus per te lumina in obscuris ante regionibus accendisset: qui *educens nubes ab* D *extremo terræ* [i], te quoque in lucem populi sui de (*m*) ex-

[a] I Tim. I, 5. [b] Act. IV, 32. [c] Psal. CXL, 5. [d] II Cor. VII, 6. [e] Psal. CXLVI, 3. [f] Matth. XVIII, 20. [g] Luc. I, 48. [h] Rom. VI, 18. [i] Psal. CXXXIV, 7.

* Alias 18; quæ autem 18 erat, nunc 14. Scripta anno 399 exeunte.

(*a*) Ms. Vien., *fratri*, mendose, cum ad Victricium jam episcopum scripserit Paulinus non episcopus. Vide S. Paulini Vit. c. 50, n. 1.

(*b*) Ms. Vien., *est*.

(*c*) Ms. codex Viennensis, *ut in sacro mysterio*.

(*d*) Sic reposuimus ex ms. Viennensi. Cæteri, *hoc... quod*.

(*e*) Ita ms. Reg. et editi quatuor, *viæ comitem*. Mss. Vatic. et Vien. cum edit. Grin., *vitæ tuæ comitem*. Prior lectio nobis verior visa est, eaque confirmatur ex epist. 23 ad Severum, n. 3, ubi nonnulla persimilia de Victore exponit Paulinus.

(*f*) Ms. Vien., *probat*

(*g*) Ms. Viennensis codex, *defuisse*.

(*h*) Ms. codex Regius, *disparemur*.

(*i*) Sic ms. Vien. et edit. Grin. Alii, *unanime*.

(*j*) Ita ms. codex Viennensis. Cæteri, *orationibus sancto fratri nostro Paschasio*.

(*k*) Sic ms. Regius codex et edit. Schot. et sic Paulinus in epist. 32 ad Severum, n. 17, *pare Gervasio*, et epist. 45 ad Augustinum, n. 3, *Sanctorum pari radice ramorum Melanio*. Alii, *patre*. Vide not. 55.

(*l*) Ita mss Vatic. et Vien. cum edit. Schot. in marg. Cæteri. *Tyticus* et *Titius*. Vide not. 56.

(*m*) Ms. Vatic. et edit. Grin., *extremo*.

timo orbis eduxit, et clarum *fulgur in pluviam* uberem *fecit*. Sicut *terra Zabulon* quondam *et Nephthalim, via maris trans Jordanem Galilææ, et qui sedebant in regione umbræ mortis, lucem viderunt magnam* [a] : ita et nunc in terra Morinorum (*V.* not. 57) situ orbis extrema, quam barbaris fluctibus fremens tundit Oceanus, gentium populi remotarum, qui sedebant in latebris, via maris arenosa extra Jordanem, antequam pinguescerent fines [8] deserti in ea [b], orta sibi per tuam sanctitatem a Domino luce gaudentes, corda aspera [9] Christo intrante posuerunt (*id est* deposuerunt). Ubi quondam deserta silvarum ac littorum pariter (*a*) intuta advenæ barbari aut latrones incolæ frequentabant, nunc venerabiles et angelici sanctorum chori urbes, oppida, insulas, silvas, ecclesiis et monasteriis plebe numerosis, pace (*b*) consonis celebrant. Quod quamquam in totius Galliæ populis et ubique [10] gentium Christus operetur, qui totum orbem *circuit quærens dignos se, et per nationes in animas sanctas se transfert* [c], *et in viis* (*c*) directionis *ostendit se hilariter, et omni providentia occurrit* [d] amatoribus suis : tamen in remotissimo Nervici (*V.* not. 58) littoris tractu, quem tenui antehac spiritu fides veritatis afflaverat, et (*Latin. forte* te) potissimum in vas [11] electionis excerpsit, in te (*d*) prima refulsit clarius, incaluit ardentius, et propius apparuit; et in quo sanctificaret illic nomen suum, et per cujus nomen etiam solis ab occasu in omnem terram sonus ejus exiret, assumsit [e].

5. Denique nunc Rotomagum [12] et vicinis ante regionibus tenui nomine pervulgatum, in longinquis etiam provinciis nominari venerabiliter audimus [13], et inter urbes sacratis locis nobiles cum divina laude numerari. Haud [14] immerito : cum totam illic, qualis in Oriente memoratur, Hierusales [15] faciem apostolorum quoque (*e*) præsentiam meritum tuæ sanctitatis adduxerit : cui peregrinam memoriis suis urbem, affectu sanctorum spirituum et effectu operum divinorum, sedibus suis comparant, qui in te ipsum aptissimum sibi diversorium repererunt. Juvat videlicet amicos Dei et principes populi veri Israel, id est populi appropinquantis sibi [f], in ea urbe remorari [16] **100** et cooperari tibi, in qua cum angelis sanctis continua diebus ac noctibus Christi Domini prædicatione mulcentur. In qua illis per devotissima fidelium corda famulorum, plurimæ virtutes amicæ gratam requiem et familiare metantur hospitium. Ubi quotidiano sapienter psallentium [g] per frequentes ecclesias et monasteria secreta concentu, castissimis ovium tuarum et cordibus delectantur et vocibus. Et nunc illos intemerata A virginitas in sacri corporis templo tenet ut in visceribus pudicis requiescenti [17] Christo hospites faciat. Nec minore eosdem voluntate [18] sanctis operibus et pio ministratu inexpugnata, noctu diuque famulantium viduarum pascit integritas, vel subjugatorum Deo conjugum arcana germanitas; quæ orationibus sedulis lætum in operibus suis Christum ad visitationem non jam maritalis tori, sed fraterni cubilis invitat; cum ipso [19] sanctisque ejus vicissim mixta, concubitu (*f*) castitatis spiritibus visitantum [20] immaculato amore confunditur. Nunc vero per misericordiæ viscera reficiuntur, et in filiis pietatis atque justitiæ conquiescunt ; te in omnibus eruditionis tuæ filiis diligentes, et in te Christum amantes, ac per hoc virtutes Dei, id est potentiam in Christo suam in B tua potissimum civitate, ut consortem te suum testentur, operantes.

6. Gratia illi et gloria, qui opera manuum suarum non omittens *omnem hominem vult salvum fieri, et in agnitionem veritatis venire* [h]; et pedibus Evangelii toto orbe discurrens, te quoque speciosum verbi sui pedem facere, in quo *exsultaret ut gigas ad currendam viam*, et in præparationem evangelicam pacis suæ vestigio calceare dignatus est [i], ut per te quoque *super aspidem et basiliscum ambularet, et conculcaret leonem et draconem* [j]. Ac ne tam illustris lucerna sub modio taciturnitatis obscura latitaret [k], sic te apostolicæ sedis (*V.* ep. 3, n. 1) evectu quasi super candelabrum sublime constituit, ut tota domo multorum illuminatione [21] luceres.

C 7. Sed quibus te itineribus ad viam suæ veritatis adduxit [22]? Carnalibus muniis [23] ad spiritalia suæ virtutis instituens, creavit initio [24] militem, quem postea elegit antistitem [25]; et passus est militare te Cæsari, ut Deo disceres militare; ut dum labore castrensi corporis robur [26] exerces, spiritalibus te præliis roborares [27], confessioni spiritum firmans, et passioni corpus indurans. Quod divinæ providentiæ circa te fuisse consilium ingens, postea exitus tuus a militia, et ingressus ad fidem docuit. Cum primo Christi amore succensus, ordinante ipso Domino, quamdam operis (*g*) suis **101** pompam, per insignem concilio militari diem progressus in campum es, toto illo quem jam mente respueras, muniminum bellicorum præcinctus ornatu; cunctisque mirantibus accuratissimos D in te habitus ac terribiles apparatus, repente obstupefacto conversus (*h*) exercitu, ante pedes sacrilegi tribuni militiæ sacramenta (*i*) permutans, arma sanguinis abjecisti, ut arma pacis induentes, contemnens armari ferro, (*j*) quia armabaris Christo. Et

[a] Isai. IX, 1; Matth. XIV, 15. [b] Psal. LXIV, 13. [c] Sap. VII, 27. [d] Sap. VI, 17. [e] Psal. XVIII, 5. [f] Psal. CXLVIII, 14. [g] Psal. XLVI, 8. [h] I Tim. II, 4. [i] Isai. LII, 7; Rom. X, 15; Psal. XVIII, 6. [j] Psal. XC, 13. [k] Matth. V, 15.

(*a*) Ms. Reg. et edit. Bab. et Grav., *in tota*.

(*b*) Sic ms. Viennensis favente ms. codice Regio. Alii, *consona*.

(*c*) In quibusdam Bibliis legitur *suis*, in nostris codicibus *directionis*.

(*d*) Ms. Vien., *primo*.

(*e*) Ita ms. Vien. codex et Latinius. Ante erat *præsentia*.

(*f*) Ms. Vien., *castita... conjungitur*.

(*g*) Edd. 2, *operis sui*. Utraque lectio bona. Altera verior visa est.

(*h*) Mss. cathedr. ecclesiæ Rotomag. et collegiatæ S. Mariæ de Rotunda Rotomag. necnon Breviarium Rotomag. an. 1491 habent *exercitui*.

(*i*) Iidem codices, *mutans*.

(*j*) Codices iidem, *qui*.

illico antiqui serpentis (*V.* not. 59) invidia concitato A in furias tribuno, districtus in verbera, et vastis fustibus fractus, nec tamen victus es, quia crucis ligno innitebaris. Geminataque mox corpori pœna, acuto testarum fragmine laniata immanibus [18] plagis membra (*a*) subtritus es, tunc mollius fulciente Christo, cujus tibi gremium lectulus erat, et dextra pulvinar. Unde ad majorem hostem, necdum vulneribus obductis, accensa [19] potius eorum dolore quam fracta virtute reparatus, fortior prosiluisti; oblatusque comiti, de potentiore inimico (*b*) gloriosius triumphasti. Nec (*c*) ausis ultra diaboli satellitibus superata ingerere tormenta, capitalemque sententiam meditantibus, ut vel fine carnalis [20] tuæ vitæ vinci (*d*) desinerent, *Dominus noster fortis et potens, et invictus in prælio* [a], conspicuis mirabilibus pectora quamlibet obdurata B confudit. Nam carnifex, qui in itinere, quo percussorem tuum sacra victima sequebaris, cervicem tuam insultans minaciter attingendi temeritate violaverat [21], quasi ictus sui locum (*e*) præcurrente gladium manu palpans, excussis illico oculis cæcitate percussus est. O Christi ineffabilis bonitas, quantum in suos ostendit affectum! Injuriam confessoris sui non tulit impunitam, qui suis crucifixoribus rogavit ignosci [b]; contumeliam martyris statim ultus est, qui passionem suam noluit vindicari. Sed ea ipsa ira (*f*) pietatis est. Idcirco enim unus cæcatus est, ut plures illuminarentur; et ipse forsitan qui oculos carnis amiserat, lumina mentis acciperet. Statim (*g*) denique majore documento, qui feralis custodiæ ministerium triste curabant, quas ipsi arctius [22] innodatas et ad ossa C depressas, vel exiguo rogantibus vobis beneficio relaxare noluerant catenas, conversa in conspectu ipsorum prece vestra ad Deum [23] Christum, sponte de manibus absolutis fluere **102** viderunt; nec ausi renectere quod Deus solverat, ad comitem pavidi cucurrerunt, veritatem Dei pro confessoribus confitentes. Quod auditum religiose et creditum, comes principi suo cum testimonio [24] militum retulit. Et, ut ipsius quoque repentina ad clementiam de furore conversio inter mirabilia Dei numeraretur, factus est in te prædicator Christi (*h*) in quo esse devoverat persecutor. Puto et ipsum tamquam Saulem aliquando Spiritu sancto Dominus impleverat [25] [c], quia et te sicut David (*i*) suum diligebat: ut sicut ille rex quondam, dum ad prophetas persequendos proficiscitur, propheta [26] effectus est, ita et comes ille D respersus gratia Domini, quæ de fidei tuæ abundantia redundabat, qui ad puniendum confessorem venerat, et ipse (*j*) confessus abscederet. Credidit enim; et quos sæviens prædamnarat ut reos, laudans emisit ut sanctos; et testimonium perhibuit veritati, qui testes fidei punire cupiebat.

8. Quid ergo miremur tam potentem te esse meritorum, tam divitem gratiarum, cum hoc tibi fuerit virtutum in Christo rudimentum, quod longorum laborum paucis consummatio est? Dubitemus etiam nunc an perfectus sis, qui de perfectione [27] cœpisti? et si legitime coronandus sis agone decurso, cum currere cœperis a corona? *Quis daret nobis pennas sicut columbæ, et volaremus* ad te, *et requiesceremus* [d] in conspectu sanctitatis tuæ; coram in ore tuo Christum Deum [28] admirantes atque venerantes, tergeremus capillis pedes illius in tuis pedibus, et lacrymis rigaremus [e], et in illis cicatricibus tuis quasi dominicæ passionis impressa vestigia lamberemus. *Suaviora enim sunt vulnera amici, quam oscula inimici* [f]. *Væ mihi misero peccatori immunda labia habenti* [g] cui fructus iste non contigit, cum in manu fuerit.

9. Meminisse enim credo dignaris, quia sanctitatem tuam olim Viennæ apud beatum patrem nostrum Martinum viderim, cui te Dominus in ætate impari parem fecit. Ex illo igitur, licet brevi notitia te attigerim, tamen magna dilectione complexus sum, et quanta tunc licuit copia veneratus sum sanctitatem tuam; et me ac meos, qui te absentes, tamen quia jungente Christo unum sumus, per me videbant, **103** commendavi in æternum tibi; gaudeoque nunc, quod hoc saltem mihi gloriari licet, quia faciem tuam in carne viderim: sed lugeo negligentiam infelicitatis meæ, quod occasionem tanti boni ignarus amiserim; et contenebrantibus me illo tempore non solum peccatis, quibus etiam nunc premor, sed et curis hujus seculi, quibus nunc propitio Deo liber sum, sacerdotem te tantum, quod in medio erat, viderim; et quod inerat insignius, martyrem vivum videre nescierim.

10. Memineris, quæso te, nostri in illa die, qua ad te innumera meritorum tuorum cohorte comitatum, ornamentisque felicibus comtum, et infulis pariter atque adoreis coronatum, et niveas sacratorum antistitum [29] vittas, et floridas confessorum (*V.* not. 60) purpuras occurrentium manus afferent angelo-

[a] Psal. XXIII, 8. [b] Luc. XXIII, 34. [c] I Reg. XIX, 23. [d] Psal. LIV, 7. [e] Luc. VII, 38. [f] Prov. XXVII, 6, sec. LXX. [g] Isai. VI, 5, ex versione LXX.

(*a*) Ita mss. Vatic., Vien., C Rotom., M Rotund., B Rot. Bignæus, ed. Rosv. et Grin. in marg. At ms. Reg. cum editis 5, *substratus*.

(*b*) Mss. C Rot., M Rotund. et B Rot., *gloriosus*.

(*c*) Mss. C Rot. et M. Rotund. cum B Rot., *Nec ausus ultra diaboli satelles.... capitalem sententiam indidit.* Quæ lectio concinnior videtur. Vulgatam tamen retinuimus, utpote quæ nititur meliorum codicum auctoritate.

(*d*) Tres iidem codices, *desineret; Deus.*

(*e*) Iidem codices, *præcurrens.*

(*f*) Ita mss. Reg. et Vien. cum ed. Grin. Quæ lectio confirmatur ex epist. 29 ad Sever., n. 8. Editi 4, *pietas est.* Utraque lectio recepta.

(*g*) Sic mss. codices 4 et editi totidem. Alii, *deinceps.*

(*h*) Mss. C Rot., M Rotund. cum B Rot., *qui esse devenerat.*

(*i*) Tres iidem codices addunt *filium.*

(*j*) Sic mss. quatuor cum B Rot. Editi quoque, *confessor.*

rum; teque ipsum ut *argentum igne examinatum* [a], A et *aurum in fornace* seculi hujus *probatum* [b], ipse summus auri sui argentique purgator accipiet, et ut pretiosam diademati suo margaritam Rex æternus aptabit : nec tuarum tibi tantum præmia se debere virtutum Judex justus agnoscet, videns innumeros circa te sanctorum utriusque sexus greges, quos illi quotidie institutis tuis generas, formula omnibus perfectæ virtutis et fidei; sicut et frater Paschasius ostendit, in cujus gratia et (*a*) humanitate quasi quasdam virtutum gratiarumque tuarum lineas velut speculo reddente collegimus. Vere tu beatus tot beatorum parens, tante messis sator, centesimum [**], et sexagesimum, ac (*b*) tricesimum fructum Deo fecunditate tuæ terræ (*c*) afferens [c], et mensuram parem de variis partuum tuorum fructibus recepturus. B Te Altissimus inter regni sui maximos nominavit, cui concessit facto æquare sermonem; ut et doctrina tibi vitæ tuæ sit, et vita doctrinæ. Quo fit, ut nemo se audeat excusare discipulus velut difficultatis imperio, cum prius adstringatur virtutis exemplo.

EPISTOLA * XIX.

104 *Suam de acceptis a Delphino litteris describit lætitiam. Se plantationem ejus esse dicit, et petit ab eo rigari, sermonibusque ac precibus excoli.*

Beatissimo et peculiariter domino, semper in Deo Christo nobis patri DELPHINO, PAULINUS.

1. Exspectabamus, *ut area sitiens* [d], refrigeria litterarum tuarum; et *anima nostra, sicut terra sine aqua* [e], sitientibus in tua verba præcordiis anhelabat : jam enim prope biennium defluebat, ex quo nobis per confamulum Cardamatem modica licet, dulcissima tamen oris tui stillicidia roraveras; nec jam interim sperabamus vel guttula tui sermonis aspergi, quia per totam æstatem irrita non venientis Urani [1] (*V.* not. 61) exspectatione suspensi, multo magis tempus hibernum in tuo nobis silentio transigendum putabamus. Et ecce *misericors et miserator Dominus, qui dat escam esurientibus* [f], et *consolatur humiles* [g], et *potens est supra quam speramus, dare nobis quæ desideramus* [h], insperantibus quidem, sed optantibus repentino iterum Cardamatem nostrum superventu intulit nobis; et *ut facta est* per eum *vox salutationis tuæ in auribus nostris, exsultavit* [i] gaudio cor nostrum, et *omnia ossa nostra dixerunt : Domine, quis similis tibi* [j]? quid est humilitas nostra *quod memor es ejus, et visitas eam* [k]? *Benedixisti, Domine, terram nostram* [l], *et torrente voluptatis tuæ potasti nos* [m]. (*d*) *Ructabunt labia nostra hymnum* [n] vespere, mane, et meridie. *Cantabimus, et psallemus Domino, qui bona tribuit nobis* [o]. Misit enim *nuntium bonum de terra longinqua* [p], quo dulcissimi et carissimi patris et sospitatem agnovimus, et (*e*) sermonem accepimus. Unde conversum est cor nostrum a tristitia sollicitudinis in gaudium securitatis : et versa in melius anxiæ affectionis vice, in illo die nobis per litteras tuas festo, *delectati sumus, pro diebus quibus nos humiliaverat* [q] diuturnitas taciturnitatis tuæ.

2. *Confiteamur* itaque *Domino misericordias ejus* [r], *et immolemus ei hostiam laudis, quia saturavit animam inanem* [s], non quidem, quod propitio ipso dicimus, gratiæ ejus vacuam, sed desiderii nostri fructu jejunam; cum solatia litterarum tuarum diu esuriret, quæ jam, ut dixi, nobis pene biennio negabantur. Non statuat illis Dominus in peccatum prævaricationem suam, quorum *iniquitas mentita est sibi* [t], et longa ab oris tui panibus fame tabefecit animam nostram.

105 (*f*) Remaneant ubi volunt, quia nolunt ubi malle debuerant. Faciant quod eis licet, quia non faciunt quod expedit. Nobis accessio talium, ut nihil conferre potuisset boni, ita nihil detrahere poterit. Utinam a peccatis nostris ita nullum nobis fieret detrimentum, si et ipsa cum talibus proximis elongarentur a nobis per multitudinem miserationum ejus, *qui non secundum peccata nostra retribuit nobis, sed sicut miseretur pater filii sui, ita miseratur* (*g*) *timentes nomen suum* [u], et sperantes in misericordia sua; quorum C participes sumus, quia adventum ejus et diligimus miseri spe misericordiæ ejus, et horrescimus peccatores timore justitiæ ejus. Sed orationibus tuis propitiatus filiis tuis, non intret in judicium cum malis servis suis [v]; quorum primi nos ita ut [1] bonorum ultimi sumus. Qui et hanc [2] ipsam gloriam, qua te in Christo et a Christo patrem regenerationis accepimus, in cumulum damnationis convertimus; quia nihil te patre dignum Domino altissimo servi inutiles [x] et filii degeneres exhibemus, qui etiam nunc [4] infelicem naturalis oleastri duritiam spinoso in corde servamus, cum jamdudum [5] bonitate Domini a cognationis nostræ radice divulsi, in arborem tuam videamur inserti [y] : de qua pinguedinis tuæ succum medullis animæ duceremus, et spiritu mansuetudinis in via pacis D radicati, bonæ olivæ germina esse (*Sacchin.* ex) generosis fructibus agnosceremus.

3. Nunc vero per abundantiam vitiorum nostrorum inopes paternorum bonorum, quomodo disponemus

[a] Psal. XI, 7. [b] Sap. III, 6. [c] Matth. XIII, 8. [d] Joel. I, 20. [e] Psal. CXLII, 6. [f] Psal. CX, 4. [g] II Cor. VII, 6. [h] Eph. III, 20. [i] Luc. I, 44. [j] Psal. XXXIV, 10. [k] Psal. VIII, 5. [l] Psal. LXXXIV, 2. [m] Psal. XXXV, 9. [n] Psal. CXVIII, 171. [o] Psal. XX, 14, et XII, 6. [p] Prov. XXV, 25. [q] Psal. LXXXIX, 15. [r] Psal. CVI, 8. juxta Hebr. [s] Psal. XLIX, 14. [t] Psal. XXVI, 12. [u] Psal. CII, 10. [v] Psal. CXLII, 2. [x] Luc. XVII, 10. [y] Rom. XI, 17.

* Alias 17; quæ autem erat 19, nunc 35. Scripta anno 400 ante 29 Junii.

(*a*) Ms. Vien. et edit. Grin., *unanimitate*.

(*b*) Ita mss. codices et editi 4. Edit. Rosv., *trigesimum*.

(*c*) Ms. Reg. cum tribus editis, *efferens*. Latin. forte *referens*.

(*d*) In omnibus psalteriis, *Eructabunt*.

(*e*) Ms. Vien., *litteras*.

(*f*) Ms. Viennensis codex, *Remeent*.

(*g*) Ms. Vien. cum psalteriis quinque *timentibus*.

sermones nostros in die recognitionis (*id est* judicii; *id.* ep. 10, n. 3), non assecuti virtutes tuas, et nullam de tua in nobis stirpe similitudinem præferentes (*a*) qua recognoscamur tui? Quis nos eripiet ab ira ventura [a]? quis nos a nobis ipsis eruet? ut emundati a sensibus nostris, ab iræ cœlestis materia fide purgante vacuemur. In nobis enim inesse sentimus causas pœnarum æternarum, viventibus in corde nostro radicibus spinarum atque tribulorum. Nam prior vetustatis nostræ propago, ut vinea Sodomorum, fellis uvam acerbis carnalis vitæ fructibus præferebat [b], et iram aspidum venenis malitiæ ebria mens vomebat : sed *fecit nobis magna qui potens est* [c] : *misit de cœlo, et liberavit nos* [d] : misit per te misericordiam suam, et *renovavit faciem terræ* [e] nostræ, et fecit plantationem tuam esse nos sibi in vinea sua. Propterea, pater benedicte et venerandissime, perpeti cura et assidua prece dicere te oportet Domino, ut respiciat de cœlo [e], et visitet vites istas quas plantavit dextera tua [f]; ut affixi in vera vite, vivamus non ad ignem amputanda, sed ad fructum putanda sarmenta. **106** Dirigat nos ipse, qui *vitis et vita est* [g], in omnem disciplinæ suæ regulam veritatis, *rigans* nos *de superioribus suis* [h] per eloquia tua casta et pia, et tam ignita quam dulcia. Sermones enim tui guttæ sunt illius *pluviæ voluntariæ*, quam *segregavit Deus hereditati suæ* [i], qui descendit in vellus (*V.* carm. 22, v. 157), tacito scilicet in Virginem fusus allapsu. Ipse est in cujus stillicidiis lætamur [j], cum exoritur in nobis; et animam renascentem primo notitiæ suæ rore distillat, ut *sanet omnes languores nostros* [k]. Ros enim qui ab illo est, sanitas est nobis; quia ipse est *fons vitæ* qui *misit Verbum suum, et sanavit nos* [l]. Hoc Dei Verbum, de quo pluvia voluntaria est; quia non necessitate subjecti, sed Dei æqualis assensu, et pietatis officio *obediens* Patri Filius *humiliavit se usque ad mortem crucis* [m], sicut dixerat per prophetam : *Voluntarie sacrificabo tibi* [n]. Quia idem Dominus sacerdos et victima semetipsum pro nobis obtulit, et propria potestate animam suam deposuit et resumsit [o]. Et ideo pluvia hæc voluntaria, quæ se sponte profudit arentibus terris, ut poneret desertum in flumina [p]. Quomodo autem infirmata sit, docet ille qui dicit [r] : *Crucifixus est enim ex infirmitate* [q] : et quomodo confirmata et (*b*) posita sit, in eodem habes; quoniam, inquit, *vivit ex virtute Dei* [r].

4. Hunc tu Dominum ora donec exores, ut vellera nostra, quæ in aqua refectionis (*id est* baptismi) manibus tuis lavit, non patiatur iterum peccatis nostris maculata sordescere, et rursus in phœnicium (*al.*
A phœniceum) vitiis tingentibus [s] infecta converti; sed custodiat excubiis orationum tuarum gratiæ suæ munus in nobis; et operationem manuum tuarum non omittat in nobis, donec maturet et perficiat de nobis fructum et coronam tibi; ut in illa die veniens in exsultatione, et repleto sinu portans manipulos tuos [s], possis etiam de nobis in tua prole et messe (*c*) numeratis dicere : *Ecce ego, Domine, et pueri quos* [s] *dedisti mihi* [t]. Sed jam admonet metus fatigationis tuæ; non solum autem, sed et metus peccati, quod de multiloquio non effugitur [u], ut imponamus frenum ori nostro, et ostium verbi [v], licet tardo, epistolæ fine claudamus. Sit nobis clausula commendatio Cardamatis, quem gratulamur de benedictione manus tuæ ita esse renovatum, ut in eo ante ridiculam mimici nominis
B levitatem, nunc assumta de exorcistæ nomine gravitas reverentiam dederit. Magis tamen admirati, eo gavisi sumus, quod etiam pristinæ conditionis ingenium religioso mutavit officio : nam assiduus mensulæ nostræ particeps, ita se ad mensuram nostri gutturis arctavit, ut nec oluscula nec pocula nostra vitaverit; quod poterit **107** attenuatione sui corporis et oris pallore testari : nisi se forte, dum remeat, per iter laboriosum, retractata suorum quondam calicum familiaritate, reparaverit (*d*).

EPISTOLA * XX.

Delphino scribit de Anastasii Romani pontificis et Venerii Mediolanensis antistitis erga se caritate. Gratulatur de condita Alingonensi Ecclesia, et digreditur ad templum spirituale quod optat in se fieri, ut habi-
C *tetur a Christo.*

Beatissimo et (*e*) merito venerabili patri, DELPHINO PAULINUS.

1. Oportebat quidem nos sapientiæ doctrinam servantes, jugum linguæ nostræ et stateram verbis imponere [x], ut et de multiloquio nostro et de tua fatigatione geminandum nobis peccatum evaderemus. Sed de abundantia caritatis tuæ os nostrum ad te dilatatur [y], neque possumus affectum de præcordiis exuberantem, obserato oris ostio, intra pectoris taciti claustra cohibere. Loquimur [z] ergo ad venerationem tuam et alia epistola; quia etsi una illa, qua rescripsimus, tam prolixa est, ut sufficiat te saturare fastidio; tamen nobis longissimo, ut recognoscis, in-
D tervallo temporum accipientibus colloquia tua, et nostra reddentibus; parum est una ad te epistola loqui. Damus enim hinc animæ nostræ aliquod, etsi tenue, solatium; ut dum ad affectionem tuam litteras facimus, toto in faciem tuam corde defixi, subito te obliviscamur absentem, et tamquam in præsentis al-

[a] Matth. III, 7. [b] Deut. XXXII, 32. [c] Luc. I, 49. [d] Psal. LVI, 4. [e] Psal. CIII, 30. [f] Psal. LXXIX, 15. [g] Johan. XIV, 6, et XV, 1. [h] Psal. CIII, 13. [i] Psal. LXVII, 10. [j] Psal. LXIV, 11; Psal. LXXI, 6. [k] Isai. LIII, 4 et 5; Psal. CII, 3. [l] Psal. XXXV, 10; CVI, 20. [m] Phil. II, 8. [n] Psal. LIII, 8. [o] Joh. X, 18. [p] Psal. CVI, 35. [q] II Cor. XIII, 4. [r] Ibid. [s] Psal. CXXV, 6. [t] Isai. VIII, 18. [u] Prov. X, 19. [v] Psal. CXL, 3; Eccli. XXVIII, 28. [z] Eccli. XXVIII, 2. [y] II Cor. VI, 11.

* Alias 16; quæ autem 20 erat, nunc 36. Scripta anno 400 et missa cum superiore.

(*a*) Sic Ms. Vien. Ante erat *quare cognoscamur*. Præcessit jam *in die recognitionis*.

(*b*) *Posita*. An *perfecta*? Alluditur enim ad psalmum LXVII : *Et infirmata est; tu vero perfecisti eam*.

(*c*) Ms. Vatic., *numerans*.

(*d*) Edit. Grin., Schot. et Rosv. addunt *Valeto, pater*.

(*e*) Ms. Vien., *Beatissimo et venerabili, semper nobis desideratissimo*, etc.

loquio demorantes, longius verba ducamus: unde flagrantem desideriorum nostrorum sitim, etsi non restinguimus, quia nec expedit nobis, tamen proposita interioribus oculis conspectus atque colloquii tui imagine mitigamus. Nam etsi *prolongatus* videatur *incolatus noster* [a], a locis habitationis tuæ, tamen spiritus non est separatus a complexu dilectionis tuæ. *Quis* enim, inquit, *nos separabit a caritate Christi?* Si [a] *neque mors, neque vita, neque alia creatura* [b], quanto minus absentia corporalis, quæ non potest præsentiam spiritalem solvere? Quia quanto fortior carne est spiritus, tanto potior est conjunctio animorum quam corporum, et interiorum hominum præsentia melior exterioribus separatis; qui sæpe sine causa junguntur locis, si mentibus separentur. *Non enim*, inquit, *qui in aperto Judæus, neque quæ in carne est circumcisio; sed qui in occulto* **108** *Judæus, qui spiritu non littera circumcisus, cujus gloria non ex hominibus, sed ex Deo est* [c]. Itaque hac eadem lege, qua verior circumcisio quæ in corde, quam in carne (*a*) concisio; et præsentia firmior quæ spiritu, quam quæ corpore jungitur et cohæret sibi, semper tecum sumus, tuque nobiscum. Nam etsi facie ad tempus discernimur (*id est* separamur, distamus; *vid.* epist. 29, n. 9), semper tamen corde conserti manemus [a] in te, vicissim te habitante in visceribus nostris, et *ad commoriendum, et ad convivendum* [d]. Sane, quia ad caritatis ejusdem curam et consolationem pertinet, ut actuum nostrorum invicem conscii efficiamur, quo tolerabilius de nobis absentibus æstuemus, si non simus incerti; indicamus affectioni tuæ, quam scimus de omni actu nostro sollicitissimam esse, propitio Christo, ita ut oras, valere nos; non quidem robusta, sed tamen sana corporum fragilitate. Pauperes spiritu [e], non nostro, sed Dei, cujus bonitate egemus, malitia nostra abundantes. De quo autem Cardamas noster admonuit, jussisse te asserens ut etiam hinc quæ circa nos sunt in Domino nuntiaremus.

2. Sciat veneratio tua sanctum fratrem tuum papam Urbis Anastasium (*V.* not. 62) amantissimum esse humilitatis nostræ: nam ubi primum potestatem caritatis suæ nobis offerendæ habere cœpit, non solum suscipere eam a nobis, sed ingerere nobis piissima affectione [b] properavit. Nam brevi post ordinationem suam epistolas de nomine nostro, plenas et religionis, et pietatis, et pacis, ad episcopos Campaniæ misit; quibus et suum declararet affectum, et aliis benignitatis suæ præberet exemplum. Deinde nos ipsos Romæ, cum solenni consuetudine ad beatorum apostolorum natalem venissemus, tam blande quam honorifice excepit. Postea quoque interposito tempore A etiam ad natalem (*V.* not. 63) suum, quod consacerdotibus (*id est* suffraganeis) suis tantum deferre solet, invitare dignatus est: nec offensus est excusatione nostra; sed officium sermonis nostri, quod in vicem præsentiæ reddideramus, acceptans, animo nos paterno et absentes recepit. Denique si Dominus commeatum (*V.* not. 64) donaverit, ut ad eum usitato solemniter nobis tempore recurramus, spero me ad sanctitatem tuam ei litteras exacturum, quibus etiam tibi nos incipiat commendare.

3. Mediolanensis quoque episcopus novus, filius vester hucusque, nunc frater Venerius, jam scripserat nobis post ordinationem suam: sed quia et hoc Cardamas jussisse te retulit, scripsimus illi per ipsum, ut sciret paratam esse opportunitatem, si vellet offi- B cium debitæ pietatis agnoscere, ut beatitudini tuæ scriberet et commendaret pectori tuo **109** primordia sua. Nos vero gaudemus et gloriamur in Domino, quia et visibiliter et invisibiliter operaris (*b*) salutem nostram vere pater bonus et salutaris patronus, invisibiliter nos ædificas in orationibus tuis, rogans intra nosmetipsos fieri regnum Dei; visibiliter autem nobis operaris in fabricis ecclesiarum, ut partem nobis facias cum illo, cujus domus a Christo meruit visitari, quia de ædificatione tunc Synagogæ [f], quod nunc Ecclesia est, testimonium religiosæ plebis acceperat. Fatemur venerandæ pietati tuæ, legentibus nobis illam epistolæ partem, qua Alingonensi (*V.* not. 65) Ecclesiæ novam filiam te autore progenitam jam in nomine Domini usque ad dedicationis diem crevisse C signabas, ita exsultasse spiritum nostrum in Deo salutari nostro [g], ut, tamquam in præsenti dedicantium cœtibus interessemus, illa de psalmis prophetici gaudii verba caneremus: *Exsultate Deo adjutori nostro; sumite psalmum, et date tympanum* [h]. *Tollite hostias, et introite in atria Domini; adorate Dominum in aula sancta ejus* [i]. Vel illud ejusdem prophetæ: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ* [j]. *Sacerdotes tui induant salutarem, et sancti tui exsultent. Constituant diem* (*c*) *suum* [k].

4. Quod vero indicare dignatus es, aliquos *de parte illius, cujus invidia mors introivit in orbem terrarum* [l], *dentibus suis fremere et tabescere* [m], non miramur; quia et in Hierusalem cum reædificaretur templum D Dei, invidebant Assyrii [n]; et fabricam resurgentem conabantur hostilibus sæpe incursionibus impedire. Sed quia *potior est qui in nobis est, quam qui in hoc mundo* [o], *desiderium illorum peribit* [p], nostrum vero confirmabitur: quia *speramus in misericordia ejus, qui numquam confundit sperantes in se* [q]. Tantum (*d*) oret sanctitas tua, sicut facit, ut et in nobis ipsis

[a] Psal. CXIX, 5. [b] Rom. VIII, 35. [c] Rom. II, 18. [d] II Cor. VII, 3. [e] Matth. v, 3. [f] Luc. VII, 5. [g] Luc. I, 47. [h] Psal. LXXX, 2. [i] Psal. XCV, 8, sec. Psalter. Rom. [j] Psal. CXXXI, 8. [k] Psal. CXVII, 27. [l] Sap. II, 24. [m] Psal. CXI, 10. [n] I Esd. IV, 4; v, 3. [o] I Johan. IV, 4. [p] Psal. CXI, 10. [q] Psal. XII, 6, et CXLVI, 11.

(*a*) Ms. codex Viennensis, *circumcisio*. Ed. Bad. et Grav., *consertio*.

(*b*) Sic ms. Vien. codex. Ante erat *salutem: domum nostram... nos ædificas*.

(*c*) *Suum*. Legerim *festum*. Nam allusio est ad psalmum CXVII, *Constituite diem solemnem*, Græce ἑορτήν.

(*d*) Ms. Regius codex, *viret*. Ms. Vien., *vigilet*.

ædificetur domus a Christo et in Christo : quia *nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam* [a] : et nisi supra petram, qui est Christus [b], fundetur hæc domus [c], non poterit ventis spiritalium nequitiarum et torrentibus secularium tentationum resistere.

5. Ora veniat Dominus Jesus in cor nostrum sicut in templum suum [d], excutiat flagellum pietatis suæ, quo *verberat omnem filium quem recipit;* et expellat a sensibus mentis nostræ, quasi a negotiatoribus templi, omne commercium atque contagium iniquitatis [e]. Expellat a nobis boves, et venditores **110** columbarum, et mensas nummulariorum, ut ab omni immunditia et cupiditate purgati, castam simplicitatem fidei caritatisque teneamus : quia Christi figura servatur, unde Cæsaris nummus expellitur [f]; et *ubi boves non sunt, præsepia munda sunt* [g]; et fides incorrupta retinetur, ubi columba non venditur. (*a*) Nisi enim nos Deo tradamus, vendimus diabolo. Unde et vetus homo qui se consilio malesuadi serpentis addixit [h], *venumdatus sub peccato* [i] dicitur. Denique quasi venditus eguit Redemtore, qui nos magno emit [j], ne jam aut diaboli aut nostri essemus : et a progenie viperarum in genus regale et sacerdotale mutati efficeremur sanguis ejus [k], qui nos ab originis primæ generosa institutione degeneres [l], et, durante peccato, viles prius animas (*b*) pretiosas sanguinis sui commercio fecit, et coheredes sibi, ac filios Dei fieri non invida pietate concessit [m]. Exsultemus et gloriemur in eo, qui *factus est refugium pauperum* [n], ut humiliaret oculos superborum [o]. Exhibeamus illi et templum in nobis et sacrificium, expurgantes nos, si possimus, (*c*) veteri fermento, ut efficiamur azymi [p], et ipse qui pro nobis immolatus est, in nobis Christus epuletur.

6. Meminerimus nos ab utero terræ et cognationis nostræ segregatos, Delphini filios esse factos, ut efficeremur illi *pisces, qui perambulant semitas maris* [q]. Meminerimus te non solum patrem, sed et Petrum nobis esse factum : quia tu misisti hamum ad me (*d*) de profundis et amaris hujus seculi fluctibus extrahendum, ut captura salutis efficerer : et cui vivebam, naturæ morerer; ut cui mortuus eram, viverem Domino. Sed si piscis tuus sum, debeo ore (*e*) pretiosum præferre denarium [r], in quo non Cæsaris figura et inscriptio [s], sed Regis æterni viva et vivificans imago præfulgeat, fidem [s] scilicet veritatis; quæ doctrinæ tuæ (*f*) monetam et annuli tui symbolum nummo cordis mei et ceræ mentis impresserit. Doctrina enim tua *argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum* (*g*) *septuplo* [t].

7. Donet orationibus tuis Dominus, ut monetæ tuæ nummus, ut hami tui piscis, ut vitis tuæ sarmentum, ut uteri castitatis tuæ filius sim. Filii enim Delphini reputabuntur in filiis Aaron [u] : sed non cum illis, qui ignem alienum Domino obtulerunt, et eo quem in suis cordibus exstinxerunt, **111** (*h*) vel non habebant, igne divino incensi sunt. Tuis filiis sit cor ardens [v], non cupiditatum et illecebrarum secularium iniquis ignibus; sed illo igne, quem venit accendere in nobis Dominus, de quo ait : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo si jam incensus est* [x]? Non ergo avaritia, non concupiscentia oculorum, et noxius temporalium rerum amor in nobis ardeat, igne pestifero; qui ignis alienus est Deo : sed *Deus* ipse noster, qui *est* [*] *ignis consumens* [y], suum ignem agnoscat in nobis, ut dicamus : *Dominus illuminatio* (*i*) *nostra et salus nostra, quem timebimus* [z]? Iste ignis corda illuminat, et peccata consumit : tenebras quibus mortificamur exstinguit, et lucem qua vivificamur accendit. Si hoc igne lucernæ nostræ sint semper ardentes [aa], confidenter dicemus : *Et si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es* [bb]. Hoc igne illuminati, et ad sitim aquæ vivæ per ignis hujus ardorem accensi in desiderium Domini, vere dicemus : *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* [cc]. *Quoniam apud te* (*j*) *fons vitæ* [*], *et in lumine tuo videbimus lumen* [dd] (*k*).

EPISTOLA * XXI.

In exordio et fine epistolæ laudes Cardamatus explicat. Circa medium magnifice describit initium Evangelii Johannis, et ipsum evangelistam.

Sancto et merito venerabili ac dilectissimo fratri AMANDO PAULINUS.

1. Volucrem pedibus et levem cursu, ita ut cervis [a] et capreis æmula pernicitate contenderet Asael [b],

[a] Psal. CXXVI, 1. [b] I Cor. X, 4. [c] Matt. VII, 24. [d] Matth. XXI, 12. [e] Johan. II, 15; Prov. III, 12; Apoc. III, 19. [f] Matth. XXII, 21. [g] Prov. XIV, 4, sec. LXX. [h] Gen. III, 6. [i] Rom. VII, 14. [j] I Cor. VI, 20. [k] Matth. III, 7. [l] I Pet. II, 9. [m] Rom. VIII, 17. [n] Psal. IX, 10. [o] Psal. XVII, 28. [p] I Cor. V, 8. [q] Psal. VIII, 9. [r] Matth. XVII, 26. [s] Matth. XXII, 21; Marc. XII, 16; Luc. XX, 24. [t] Psal. XI, 7. [u] Lev. X, 1. [v] Luc. XXIV, 32. [x] Luc. XII, 49. [y] Hebr. XII, 29. [z] Psal. XXVI, 1. [aa] Luc. XII, 35. [bb] Psal. XXII, 4, sec. Psalter. Rom. [cc] Psal. XLI, 2. [dd] Psal. XXXV, 10.

* Alias 24, quæ autem 21 erat, nunc 12. Scripta anno 400, eodem tempore quo duæ superiores.

(*a*) Ms. Vien. codex, *Cum enim peccamus, vendimus nos diabolo.*

(*b*) Sic ms. Vien. et edit. Grin. et Schot. Alii, *pretioso.*

(*c*) Ms. Viennensis, *vetere.*

(*d*) Ita codex Vien. Particula *de* abest a ceteris codicibus.

(*e*) Sic ms. Vien. melius quam alii codices, in quibus, *pretioso.*

(*f*) Ms. Reg. cum editis quatuor, *monita.* ms. Vien., *moneta.*

(*g*) Sic legit Paulinus epist. 23 ad Severum, n. 7. Ms. codex Viennensis, juxta Vulgatam, et psalteria vetus Rom., Gallic., *septuplum.*

(*h*) Addidimus, *vel non habebant,* ex mss. Vien. et Reg. et edit. Schot., quod confirmatur ex epist. 44 ad Aprum et Amandam, n. 5.

(*i*) Hanc vocem addit ms. Vien.

(*j*) Sic Augustinus in psalm. XXXV, v. 10 nov. edit. Verbum *est* abest a Græco LXX.

(*k*) Edit. Rosv. addit in fine *Valeto, pater.*

illum fratrem [3] Joab in sacra Regnorum admira- A
mur historia [a]. Nec non minus illum in allophylis gigantem stupemus legentes [b], qui ultra humani corporis modum, et (*a*) mensuram membrorum creverat, quem senis armatæ digitis manus, et totidem pollicibus articulati pedes fortiorem ceteris velocioremque faciebant, nisi quod contra David manu Dei dimicantem, et Christi imagine semper invictum, nulla magnorum licet hostium manus virtusque prævaluit, (*b*) quia in alienis grandibus superba diaboli exaltatio dejiciebatur, et in pusillis nostris [4] humilitate præpotens salutaris Dei forma vincebat.

2. Sed recurramus ad epistolæ caput, **112** quod [5] a pedibus inchoavimus, ut cursorem dominicum (*id est* servum Domini; *vid.* ep. 40, n. 3) Cardamatem signatis in lege divina antiquorum velocium laude- B
mus exemplis. Subvenit itaque nobis et de Evangelio adolescentis apostoli beata velocitas illa, qua [6] Petrum affectu currendi parem, sed majoris ævi pondere tardiorem, ad sepulcrum Domini præcucurrit [c]; ut resurrectionem corporis prior inspiceret, qui solus in pectore recumbebat [d]. Unde geminos in alveum cordis sui traxerat fontes, quos in orbem idem postea Revelationis (*id est* Apocalypsis) et Evangelii præco diffudit; et illam carnalem alacritatem pedum, postea speciosis verbi pedibus toto per populos orbe discurrens spiritali velocitate complevit.

3. Idem ultra omnium tempora apostolorum ætate producta postremus Evangelii scriptor fuisse memoratur; ut, sicut de ipso Vas electionis ait, quasi columna firmamentum adjiceret fundamentis Ecclesiæ, C
priores [7] Evangelii scriptores consona autoritate confirmans; ultimus autor in libri tempore, sed primus in capite sacramenti; quippe qui solus e quatuor fluminibus ex ipso summo divini capitis fonte decurrens, de nube sublimi tonat: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* [e]. Transcendit Moysen, qui usque ad caput mundi et visibilium creaturarum exordia scientiæ terminos vel acie [8] mentis extendit. Iste et evangelistis ceteris, vel ab humano Salvatoris ortu [f], vel a typico legis sacrificio, vel a prophetico præcursoris Baptistæ præconio Evangelium resurrectionis exorsis altius volans [g], penetravit et cœlos: neque in angelis stetit, sed archangelos quoque, et omnes desuper creaturas, virtutes, principatus, dominationes, thronos super- D
gressus, in ipsum se Creatorem ardua mente direxit; et ab illa ineffabili generatione ordiens, coæternum, et consubstantialem, coomnipotentem, et coopificem Patri Filium nuntiavit, in Spiritu sancto Deo Deum cernens; quia in ipso Trinitas Divinitatis impletur, et una Trinitatis Divinitas cernitur. Spiritus enim Dei, sicut et Verbum Dei, Deus uterque in uno capite permanente; et ex uno Patris fonte manantes, sed Filius nascendo, Spiritus procedendo, salva quisque personarum suarum proprietate, distincti potius quam divisi erunt (*forte leg.* sunt).

4. Johannes igitur beatus dominici pectoris cubator [h] [9], qui sensus [10] creaturis omnibus altiores ex ipso creatricis omnium rerum corde sapientiæ biberat, inebriatus **113** Spiritu sancto, qui *scrutatur etiam alta Dei* [i], ab ipso intimo et infinito omnium principiorum Evangelii fecit exordium; quo uno omnia diaboli, quæ in hæreticis latrant, ora clauduntur. Et B prima Arii lingua præciditur: sed et Sabellii (*c*) blasphemia vacuatur, cum eadem Piscatoris nostri sententia et unitas (*d*) Deitatis in Patre et Filio, et divisio personalitatis exprimitur. Eodem capitulo et Photinus, humani tantum in Christo exordii demens magister, exploditur: et Marcion, qui Deum legis et Evangelii discernit, exstinguitur: et Manichæus, veri Creatoris negator et falsi confictor, obteritur, subtexta illico ejusdem supercœlestis Evangelii voce confusus: (supercœleste hoc Evangelium dixi, quia exordium ejus ab ea origine quæ super omnes cœlos et ante omnia secula est, inchoatur,) quia de hoc (*e*) Dei Verbo Deo audit: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* [j]. Gnosticum vero falsæ scientiæ nomine gloriantem, et omnem perversæ C mentis intellectum in aeria quædam phantasmata velut spiritali corporalium rerum imaginatione vertentem, ad fidem carnis in Christo cogit idem autor, cum de eodem Verbo, quod erat apud Deum Deus, dicit: *Et Verbum caro factum est* [k]. Non tamen, ut alii quidam serpentium sibilare dicuntur, ita caro factus, ut a sua natura migraret in nostram; sed, ut (*f*) secundum se remanens quod erat, propter nos inciperet esse quod non erat.

5. Nimium longe provehor, dum unanimitatis tuæ indulgentia sic abutor, ut nec multiloquio fatigare te, nec insipientia errare apud te verear. Scio enim, quia *cum sis sapiens, libenter* tamen *insipientem* [l] tuum *portas*, per eam caritatem quæ *omnia sustinet, et numquam excidit* [m]. Dicam tamen jam mihi, ut *custodiam* D *vias* verbi mei, *ne delinquam in lingua mea* [n], sed paucis descendam in Cardamatem, id est, Asaelem [11] nostrum, cujus *pedes tamquam cervi perfecistis* [o], renovando sicut aquilæ juventutem ejus [p] per abundantiam

[a] II Reg. II, 18. [b] I Reg. XVII, 4. II Reg. XXI, 20. [c] Johan. XX, 4. [d] Johan. XIII, 23, et XXI, 20. [e] Johan. I, 1; Gen. I, 1. [f] Matth. I, 1. [g] Luc. I, 5; Marc. I, 2. [h] Johan. XIII, 23; et XXI, 20. [i] I Cor. II, 10. [j] Johan. I, 3. [k] Johan. I, 14. [l] II Cor. XI, 19. [m] I Cor. XIII, 7. [n] Psal. XXXVIII, 2. [o] II Reg. II, 18. [p] Psal. CII, 5.

(*a*) Ita ms. Vien. et Sacchin. Alii, *mensura*.

(*b*) Ante erat *qua*. Ex ms. Viennensi codice reposuimus *quia*, sententia exigente.

(*c*) Ita mss. Vien. et Reg. In ceteris, *blasphemiæ vacuantur*.

(*d*) Sic mss. Reg. et Vien. Alii codices, *Divinitatis*.

(*e*) Ita reposuimus ex mss. Reg. et Vien. et editis quatuor; et sic Paulinus epist. 23 ad Severum, n. 2, dixit, *Dei Verbum Deum*. Ed. Rosv., *de hoc Verbo Dei audit*.

(*f*) Addidimus *secundum se* ex mss. Reg. et Vien. et editis Grin. et Schot.

dilectionis vestræ, qua illum respectu humilitatis nostræ susceptum constituistis in atriis domus Domini, ut (*a*) plenius homini liber esset, cum Christi libertus esse cœpisset. Hac illum pietate fecistis reflorescere non solum spiritu, sed et corpore, ut etiam ipse de visceribus vestris repletus affectu quo nos diligitis, desideria vestra nobis afferat, et vicissim nostra soletur; et tantis inter nos regionum intervallis prope solemniter commeans *propter verba labiorum* 114 *vestrorum custodiat vias duras* [a]. Credimus quidem illum de ipsis quas gerit litteris sanctitatis vestræ *pennas tamquam columbæ* [b] assumere, et præterea de orationibus vestris virtutem pedum, qua ad nos perrehatur, accipere; sed tamen ei de hac ipsa gratia congratulamur, qua positus est in tantæ (*b*) ministerio caritatis, ut in libertate serviat, in senectute discurrat, et requiem vacationis emeritæ malit in peregrinationis labore quam in domestica sede consumere: quia pigrorum vias spinis stratas calcare declinat [c], ne convertatur in ærumnam, dum ei de inertiæ infructuoso otio miseræ sollicitudinis spina configitur. Exsultat itaque impiger ad currendam viam, ne illi segne otium conterenti, pedissequa pigrorum inopia tamquam bonus cursor occurrat [d]. Veniens autem ad nos, quanto perfundit et implet animam nostram gaudio bonis de sospitate vestra nuntiis! impinguat ossa nostra [e], et fit *vox lætitiæ in tabernaculis* [f] nostris, cum refectis exoptata consolatione mentibus, dicimus: *Dominus memor fuit nostri, et benedixit* [11] [g] *nos*.

6. *Exsultemus et lætemur in eo* [h], qui dat votum optanti, et *desiderium animæ nostræ tribuit nobis, quoniam prævenit nos in benedictione dulcedinis* [i]. Quæ enim nobis nunc benedictio dulcior, aut dulcedo suavior, quam fructus et consolatio caritatis, quæ a litteris vestris maxima nobis datur? in quibus pignora quædam et oris vestri et cordis amplectimur; quia eloquia vestra partus animæ vestræ sunt: *ex abundantia enim cordis os loquitur* [j]. Ideo Cardamatem et advenientem in vestro sermone diligimus, et nostro commendamus abeuntem: dignus est enim cujus *senectus in misericordia uberi* [k] requiescat, qui pro (*c*) caritatis et desideriis et officiis laborat. Præterea quod magis in eo quam ipsam in canis ejus velocitatem mirati sumus, ita de nomine exorcistæ ad frugalitatem profecit, ut prope quotidianus esse nobis conviva non fugerit; et, cum raris et minutis calicibus aspergeretur, quibus labra summa vix tingeret [12], nihil de vacui ventris aut sicci gutturis injuria querebatur. Prorsus per omnia Cardamas nobis tam bellus apparuit, ut clericum probabilem hominibus, A et exorcistam dæmoniis terribilem videremus. De cetero, frater, et ipsum, et omnes nostros, et nos ipsos commendamus vobis, ut per vos Domino commendemur impensis orationibus, ut et nostrorum omnium libertas Domino æterno serviat, et nostra servitus in Christo libertatis æternæ meritum consequatur.

EPISTOLA * XXII

115 *Describit eleganter dissolutorum hominum tum secularium tum monachorum mores, et docet quales conveniant monachis familiares.*

Severo fratri unanimo Paulinus.

1. Epistolas quas per nostrum illum inspiritalem monachum miseras, vere spiritalis tabellarius intercepit et pertulit, id est, filius noster Sorianus: in quo duplicem gratiam Dominum contulisse perspexi- B mus; ne vel ille ad nos sermonis tui vacuus adveniret, qui nos de tuis visceribus imbuto affectu desideraverat; ne vel iterum [1] tuas nobis litteras Marracinus afferret: qui divinitus, ut credo, inspirata [2] sibi aut verecundia nos videndi, aut pigritia ultra Urbem itineris porrigendi, Romæ litteras tuas supradicto fratri dedit; gaudens optati occasione compendii, qua sibi adversum tua præcepta consultum putabat, ne cogeretur monachum aut in se, ut jusseras, fingere, aut in me, ut necesse erat, cernere. Sibi ergo ille habeat armilausam suam (*V.* not. 66 et 67), et suas caligas, et suas buccas; quarum (*d*) alias mutare, alias deducere timuit.

2. Nos adeant et revisant conservuli et compallidi C [3] nostri, non vestibus pictis superbi, sed horrentibus ciliciis humiles; nec chlamyde curtalini (*V.* not. 68), sed sagulis palliati; nec balteo, sed reste succincti; nec improba attonsi capitis fronte criniti, sed casta informitate capillum ad cutem cæsi, et inæqualiter semitonsi, et destituta fronte prærasi. Et ornatu pudicitiæ inornati et decenter inculti sint, et honorabiliter despicabiles, cum ingenitam quoque speciem corporis pro interiore cultu aspernantes, etiam studio deformantur, ut fiant (*e*) pudenter inhonesti vultibus, dum perficiantur salutariter honesti mentibus. Hujusmodi hominum et vultus, et habitus, et odor nauseam illis facit [4], quibus odor mortis est in odorem vitæ [l]; quibus dulce quod amarum [m], et turpe quod castum, et hostile quod sanctum est [5]. Propter- D ea justum est ut reddamus illis vicem, ut sit nobis odor eorum tamquam odor mortis, ne desinamus esse odor Christi. Quid enim nobis jure succenseant, si vicissim nobis fœteat odor vitæ eorum, quibus odor nostræ [6] in mortem est? Ille jejunium meum horret, ego illius crapulam ferre non possum. Ille halitum monachi loquentis evitat, ego flatum Thrasonis ru-

[a] Psal. xvi, 4. [b] Psal. liv. 7. [c] Prov. xv, 19. [d] Psal. xxxi, 4; Psal. xviii, 6; Prov. vi, 11. [e] Prov. xv, 30. [f] Psal. cxvii, 15. [g] Psal. cxiii, 12. [h] Psal. cxvii, 24. [i] Psal. xx, 3, juxta LXX. [j] Matth. xi, 34. [k] Psal. xci, 11. [l] II Cor. ii, 16. [m] Isai. v, 20.

* Alias 7; quæ autem erat 22, nunc 9. Scripta anno 400.

(*a*) Ms. Vien., *plenus*.

(*b*) Ms. Reg. *ministerium*.

(*c*) Sic mss. codices Reg. et Vien. Editi, *caritate*.

(*d*) Ita ms. Vien. Ceteri, *alia mutare, alia deducere*.

(*e*) Ms. Vien., *prudenter*. Retinuimus vulgatam lectionem quæ confirmatur ex epist. 23 ad Severum, n. 31, *pudenter impudens, et pie improba*.

ctantis effugio. Si illis displicet gutturis nostri **116** siccitas, et nobis gulæ eorum cruditas. Si illos offendit frugalitatis ariditas, et nos ventrium offendit ingluvies. Videant ergo nos non mane ebrii, sed vespere jejuni : nec hesterno inflati vino, sed hodierno abstemii (*V.* carm. 6, v. 68) : nec de crapula libidinis dementer instabiles, sed vigiliis honestatis integre saucii, et sobrie temulenti, quos parsimonia faciat, non vorago, titubare.

3. Talem nos epistolæ tuæ portitorem excepisse lætamur : quem rogo sic (*a*) excipias, quasi a te missus mihi venerit. Namque inter eos qui vice fraternitatis tuæ ad me venerunt, debet et iste numerari, cui Dominus ut ita a te numeraretur, litteras tuas etiam ignorante te tradidit. Puto autem quod et tu divinæ hujus gratiæ beneficium huic deputes, per quem et tibi præstitum est, ne litteras nobis tuas non tui corporis perlator afferret. Sed tamen ipsius pace laudatum (*b*) Sorianum volo, ne me illi rursus accuses. Prædicasse enim me illum magis quam vituperasse existimo eorum commemoratione, in quibus necesse est glorietur, qui esse aut videri monachus erubescit. Denique meministi in Virgilio [7] Furiam iis laudari quæ solent objici. Vide autem ne mihi calumnieris quod aliquid de poeta, non nostri jam studii, tamquam propositi violator, assumserim : exempli tui autoritate hoc me fecisse contestor; teneo enim epistolam tuam, cui clausula est,

Vivite felices, quibus est fortuna peracta
VIRGIL. *Æneid.*, III.

Sed et illam, in qua pro domestica sede larem familiarem, Plautini memor Prologi, nominasti.

* Severus Paulino mittit coquum ad præparandos monachorum cibos aptum.

Postquam omnes coquos tuos coquinæ tuæ renuntiasse cognovi, credo quia dedignarentur officium vilibus præbere pulmentariis : puerulum tibi ex nostra misimus officina, doctum satis pallentem coquere fabam, et ignobiles betas aceto et jure condire, vilemque pultem esurientium faucibus inferre monachorum; piperis nescium, laseris ignarum, familiarem cymini, et apprime callidum herbis suave redolentibus clamosum urgere mortarium. Unum habet vitium, quod hortorum omnium non est civilis inimicus; ita si admissus fuerit, proxima quæque metet gladio, nec exsaturabitur umquam cæde malvarum. In præbendis autem sibi lignis calumniosus ibi non erit : obvia quæque comburet, metet, nec dubitabit inferre tectis manus, et antiquos asseres laribus amovere. Hunc igitur cum his moribus atque virtutibus **117** *donatum tibi, non servum, sed pro servo filium cupimus, quia non erubescis minimorum esse pater. Ego tibi pro hoc servire voluissem, sed si voluntas facti portio est, tu modo facito ut inter prandia cœnasque felices mei memineris; quia rectius est vestrum esse mancipium, quam dominum ceterorum. Ora pro me.*

EPISTOLA ** XXIII.

Severi caritas laudatur; item missum sibi ab eo Victorem, et exhibitum a Victore ministerium in cibis ritu monachorum præparandis, eleganter sancteque commendat. Ex adhibita sibi ab eodem Victore etiam tonsoris opera, multa præclare de coma disputat : totaque Samsonis et mulieris peccatricis ad Christi pedes historia allegorice exposita, clausulam de Christi caritate prorsus auream apponit.

SEVERO (*c*) fratri PAULINUS.

1. Quid extorques, ut te plus amemus? crescere summa non recipit. Si potest mare superfluere obices suos [a], et quæcumque naturalem plenitudinem servant, incrementum (*d*) temporale sentire, potest et caritas in te nostra cumulari : quam suo fine complemus, cum te sicut nosmetipsos diligamus. Itaque ut cubitum ad staturam nostram adjicere [b], sic amoris tui cumulum facere, non possumus; desideriis tamen modum nullum ponimus. Qui enim existimas satisfacere te nobis assiduitate ista honorificentiæ ac pietatis tuæ, qua præsentiam tuam nobis tam frequentibus epistolis compensare conaris, sollicitas potius gulam caritatis, tantoque minus exples (*e*) gratia litterarum, quanto majorem sedulitate ipsa et humanitate sermonis tui causam suggeris, te ipsum, tam unicæ nobis unanimitatis in Christo frater, desiderandi. Quid enim fieri diligentius in Deo et proximo potest, quam quod in nobis exhibes Christo? in quo (*f*) Dei præceptum utrumque completur : quia idem nobis et Deus est majestate naturæ suæ, et assumtione nostræ proximus factus est. Hoc igitur in te proficiente **118** consummatur caritas tua, quæ sit in ipso (*g*) infinito perfectio, quia finitur in Christo *cujus magnitudinis non est finis* [c] : sed nobis in eo finis sit, ut per ipsum sine fine vivamus : quibus Christus et generale initium est, quia *per ipsum omnia* [d]; et speciale fastigium, quia caput corporis, cujus membra sumus [e]. *Dulcis et rectus est Dominus*, dulcis in te mihi : et (*h*) *quam*

[a] Prov. VIII, 29; Jer. V, 22. [b] Matth. VI, 27. [c] Psal. CXLIV, 3. [d] Rom. XI, 36. [e] Eph. I, 22; Col. I, 18.

* Scripta anno 400 exeunte.

** Alias 3 et 4; quæ autem 23 erat, nunc 2. Scripta anno 401 ineunte.

(*a*) Sic ms. Vien., Ita et alibi passim Paulinus epist. 29 ad Severum, n. 6 et 12.

(*b*) Ita legendum; nec audiendus Sacchinus qui pro *Sorianum* reponendum censet *Marracinum*. Quis enim non videat voces *ipsius* et *illi* Marracinum spectare, de quo superius fit mentio, n. 1?

(*c*) Ms Vien. *Paulinus servus Christi Jesu, Severo carissimo fratri secundum communem fidem in Deo Patre et Christo Jesu salutari nostro, salutem.*

(*d*) Ms. Reg., *tempore.*

(*e*) Ms. codex Regius, *gratiam.*

(*f*) Ita mss. Vat. et Vien. At ed. Schot., *Domino.* Ed. Rosv., *in quo Domino præceptum suum utrumque completur.* Ms. Reg. et tres editi codd., *Domino præceptum tuum utrumque completur*, mendose.

(*g*) Ita ms. Vien. Alii mss. cum edit. Rosv., *infinita perfecto.*

(*h*) Sic mss. Vien. et Reg. cum Vulgata. At ms. Vat. cum editis, *quanta.*

magna multitudo dulcedinis (*a*) [a] ejus tu mihi; (*b*) Nam A quantus quantus es, qua mente, qua lingua es, totus [1] desiderium es: et mihi dulcedinem Christi sapis ut hortus mihi, *ut odor agri pleni* [b], quem in odorem unguentorum illius currendo legisti. Nam et ager tu illi es, qui vicissim ager nobis est [2]. In ipso enim serimus, et (*c*) ab ipso metimus. Ager vero tu, non ille spinis horridus, aut arenis aridus, aut petrosis [3] asper et nudus, in quo semen datum aut suffocatur, aut destituitur, aut uritur [c]: sed ille, *quem benedixit Deus a rore cœli, et ubertate terræ* [d]. Unde et lingua tua (*d*) verbo Dei rorat, et cor tuum fertile Deo, semen exceptum spiritali fruge multiplicat; ut de fructibus tuis *impleat manum suam messor, et sinum suum qui manipulos colligit* [e]; hoc est, ipse Deus, qui verbi in nobis sui et seminator et messor est. Ipse, et manus qui dextera Dei, quam bonis operibus implemus. Idem et ille Abraham sinus est, in quo operum mercede requiescimus [f].

2. Sic hic Deus [4] in tua caritate nobis abundans; non solum litteris tuis nos, sed et tabellariis benedicit, visitat, pascit, illuminat; utroque nobis munere aperiens thesaurum bonum cordis tui: *ex abundantia* (*V.* not. 69) *enim cordis os loquitur* [g]: et, *omne enim* [h] [6], inquit, *animal ad simile sibi congregatur. Propterea benedixit te Deus, quia innocentes et recti adhæserunt tibi* [i], *et cum impiis non* (*e*) *sedes; odisti iniquitatem, diligis animam tuam* [j], quam projecisti in Christo, ut huic vitæ perdita servaretur æternæ, damno sui semetipsam lucrifaciens, si per caritatem Christi vilescat sibi. Quo affectu vilis tibi, at pretiosæ Deo animæ tuæ suavitatem in favis oris tui Christum spirantibus odorantes (*f*) benedicimus Dominum, Dei Verbum Deum: qui sicut in ipso illo [5] homine, quem gessit, **119** ita in nostris mentibus gradus quosdam corporeæ ætatis exsequitur; nascitur, crescit, roboratur, senescit. Sed orandus, ne in nobis diu aut jugiter parvulus, et infirmus [7], et pauper sit. In te quidem, ut gloriamur, quia bonum tuum gloria nostra est, profectus ejus experientes, agnoscimus bonitate grandem, malitia parvulum, sapientia senem, fide fortem, et in spiritu piæ humilitatis pauperem, caritate divitem [k]. Nam prioribus erga humilitatem nostram officiis alios (*g*) anteverteras, omnibus nostris, ut sæpe testati sumus, et amicis studiosior, et proxi-A mis religiosior, et fratribus diligentior. Nunc vero ista nostræ visitationis vice, etiam temetipsum supergressa humanitate superasti. Sat enim nobis erat annuis commeatibus emereri litteras tuas, et a te missos videre, in quibus non solum vicem præsentiæ tuæ, sed et fidei teneremus effigiem. Tibi tamen satis non fuit institutam observantiam solemni perfunctione celebrare. Longum tibi multa dilectio fecit mora hiemis a nobis (*h*) silere. *Concaluit cor tuum intra te, et in meditatione* pietatis sanctus tibi bonæ impatientiæ *ignis exarsit* [l]. Nec suffecit litterarum ad nos editione (*Latin. forte* editionem; *vid.* ep. 5, n. 4) maturare, nisi gratiam sermonis tui, etiam de sanctis comitibus tuis lecto perlatore, cumulares.

3. *Benedictus*, *quem* in hoc munus *elegisti et assumsisti* [m] B quo Deum feneras (*V.* not. 70): quia etsi peccatores nos vera conscientiæ nostræ professione, tamen tuæ simplicitatis opinione falsa putans, ut ais, sanctos, non jam hominis, sed Christi caritate nos diligis: et idcirco *mercedem prophetæ accipies* [n], quia propter nomen Christi prophetarum honore accipis etiam non prophetas. Nobis vero similis gratia non debetur hujus officii, quo fratrem Victorem in nomine Dei, tuaque persona ad nos venientem, intima affectione et magna gratulatione suscepimus. Id enim tantum *fecimus inutiles servi, quod facere debuimus* [o]; quoniam perspicua veritas cogebat nos ovem puram in eo suscipere atque venerari; quem non solum ovem pelle, verum spiritus (*i*) mansuetudinis, et expressa in verbo ejus atque silentio Christi mo-C destia revelabat. Vere recognovimus in eo sanctorum formulam beatorum Martini et Clari, quem proximo intervallo illustris magistri sequacem te autore cognovimus. Horum se unius in regeneratione esse progeniem, alterius in via comitem fuisse *filius pacis* [p] Victor asseruit. Homo vere, ut scripsisti, Dei *humilis corde* [q], non humilis gratia: vas misericordiæ et mansio Altissimi quem recipit, et oblectat placido **120** animæ trementis hospitio. Is nobis benedictiones, præter illas quas a vobis geminas in litteris et palliis afferebat, plures addidit de opibus mentis suæ, non solum contubernio spiritali gratissimus nobis, sed et corporeo famulatu sedulus. Audeo enim rem oneris nostri fateri, dum tibi nihil de D ejus bonis taceam, quæ gaudium tuum esse certo

[a] Psal. xxiv, 8, et xxx, 20. [b] Gen. xxvii, 27. [c] Matth. xiii, 4. [d] Gen. xxvii, 28. [e] Psal. cxxviii, 7. [f] Luc. xvi, 22. [g] Matth. xii, 34. [h] Eccli. xiii, 20. [i] Psal. xxiv, 21, et xxv, 5. [j] Psal. x, 6; Johan. xii, 25. [k] I Cor. xiv, 20. [l] Psal. xxxviii, 4. [m] Psal. lxiv, 5. [n] Matth. x, 41. [o] Luc. xvii, 10. [p] Luc. x, 6. [q] Matth. xi, 29.

(*a*) Ita tres mss. codices. Editi, *ejus? Nam tu mihi*.

(*b*) Ita manuscriptus codex Vaticanus: quod venustius videtur quam vulgata lectio; confirmaturque ex epist. 16 ad Jovium, n. 5, juxta lectionem edit. Schot.

(*c*) Idem codex ms. Vatic., *in ipso*.

(*d*) Sic tres mss. codices. Editi, *verba*; quæ lectio etiam retineri poterat; eaque confirmatur ex epist. 19 ad Delphin., n. 1: *Modica licet, dulcissima tamen oris tui stillicidia roraveras*.

(*e*) Ita mss. Vat. et Vien. Sed ms. Reg. et editi, *sedisti*

(*f*) Sic manuscripti codices. Editi Schot. et Rosv., *benedicimus donum Dei*, *verbum Domini*. Editi tres, *domum Dei*.

(*g*) Manuscriptus codex Vien., *ante viceras*.

(*h*) Ita mss. Reg. et Vien. At editi, *sileri*.

(*i*) Sic tres mss. codices Reg., Vat. et Vien. Editi, *spiritus mansuetudine*. Verum mss. codicum lectio confirmatur ex epist. 19 ad Delphinum, n. 2, *spiritu mansuetudinis in via pacis radicati*; et epist. 27 ad Severum, n. 3, ubi eadem fere verba usurpat, *pauper in spiritu mansuetudinis*.

scio : quoniam portio tua est bonum familiaris tui.

4. Servivit ergo mihi, servivit inquam ; et væ mihi misero, quod passus sum ; servivit et peccatori, qui non serviebat peccato ; et ego indignus a servo justitiæ ministrabar. Sed hinc mihi levamen aliquod tanti ponderis spero, quod sancti fratris famulatum non superbia vindicavi [a], sed (*a*) contestandæ caritatis meæ, et fide capiendæ benedictionis admisi. Benedictio enim mihi erat sancta in nomine Dei famulatio, et in libertatis spiritu famula dilectio. Ob hoc voluntarium ejus bonum [a], et pro ipsius utilitate suscepi, præsumens eo potentiorem exorandi pro me futurum, quo [a] plus meriti de (*b*) religionis operibus acquisisset [10]. Aget profecto orationibus suis, ne meis oneribus accreverit, quod etiam ex me accessit fructibus suis. Dilexi enim, fateor, in ejus obsequio benedictionem, timens ne repudiata elongaretur a me ; quia scriptum tenebam : *Noluit benedictionem, et elongabitur ab eo* [b]. Dedi itaque me totum manibus ejus atque visceribus : quia per viscera caritatis manus famulas, et membris meis unctor, et pedibus (*c*) lotor adhibebat ; liberalium plenus affectuum, sed servilium præreptor (*V.* not. 71) operum, vix ut me aquam ministrare manibus suis sineret. Ex libro enim tuo (*V.* not. 72) istius gratiam servitutis adamavi, ut minimam saltem guttulam de sacris Martini actibus delibarem. Ipse vero quotidie non solum pedes meos lavare, sed et calceamenta, si paterer, tergere cupiebat, avarus dominationis internæ, et idcirco corporeæ servitutis impiger

5. Sed de pedibus [11] lavandis tantum semel fateor apostolico me exemplo cessisse, quos legeram pedes suos lavandos servienti Domino præbuisse [c]. Neque enim partem in hereditate nisi famulantis obsequio recepissent ; quoniam bonus Dominus et salutarium magister, serviendi ministerio dominandi meritum conferebat ; et humilitatis humanæ præbebat exemplum, quibus divinæ sublimitatis parabat consortium. Unde perspecto muneris tanti mysterio, et intellecta boni magnitudine, qui primo ministrantis apparatu pedes offerre trepidaverant ; jam non pedes tantum, sed **121** totos se usque ad caput perlui rogaverunt. Et ego Dominum Jesum in fratre Victore veneratus, quia omnis anima fidelis ex Deo est, et *humilis corde* [d] cor Christi est, fateor, ad remedium infirmitatis optavi, ut oleo me vel aqua melior conservus attingeret. Nec irritus [12] fui præsumtæ opis ; nam quasi medicatum manibus piis oleum de ipsa ungentis mansuetudine mihi lenius in medullas perlapsum est, et *exsultaverunt ossa humiliata* [e]. *Benedixit anima mea Dominum, et omnia* (*d*) *interiora mea nomen sanctum*

A *ejus* [f]. Nam et sensibus [13] vegetandis proderat hæc pietatis magis palæstra, quam corporis, qua frater bonus artus mihi fragiles, manu fingente, componens, mentis quoque vigorem recreatis ossibus erigebat, cooperante proculdubio manibus fide : ut dum infirmam carnem manus diligentis duceret, compatientem animam gratia credentis elueret, fieretque mihi intus oleum lætitiæ, quod foris erat oleum sanitatis [g].

6. Accipe modo aliam ejusdem in nostris sensibus servitutem. Quia non solum refectionis nostræ, sed et parsimoniæ curam gerens, facilem nos victum cibo simplici capere, coctis in gutta olei et aquæ copia pultibus, docuit : sed eas tanto gratiæ sale, tanta dulcedine caritatis condiebat, ut coquos et

B condituras non desideraremus [h] : quia aquæ puræ oleum suavitatis, quod nulla muscarum importunitas exterminavit, simplicitas caritati juncta miscebat. Verum spiritalis coquus interiorem hominem cibare doctior, quo destrueret escam gulæ, non siligine nobis pultes, sed farina confecit aut milio. Ac ne in hoc ipso delicatius nobiscum agere videretur, qui nos ad orexim (*V.* not. 73) monachorum parabat imbuere, fabam intrivit panicio, quo citius (*e*) senatorium poneremus fastidium. Sed in benedictione dulcedinis animæ delicias habebamus, gratulantes quod frater etiam in carnalibus ministeriis spiritalis, propheticis nos cibis pasceret. Nam in contritione permixta panes illos tribulationis imitatus est, quos Ezechiel [i] propheta de vario frugis et farris conficere

C sibi genere jussus est, et ad expressionem Judaicæ confusionis, qui obliti Deum, *immutaverunt gloriam suam in similitudinem vituli manducantis fœnum* [j], in stercore boum coquere, coctosque sub fœtido cinere, cum lacrymis (*f*) captivatis in mensura sumere. Videlicet ut superventuram perfidiæ suæ pœnam corporaliter in **122** propheta signatam providerent, et vel ita reverterentur ad Dominum, si eos ad pœnitendum non solum verbis denuntiata, sed etiam corporibus Prophetarum expressa, offensi Dei ira revocaret.

7. Voluit ergo frater Victor, ut non solum jejunio, sed et cibo humiliare animam disceremus : et recordatione peccatorum veterum, intellectuque præsentium tristes manducare panem doloris [k] :

D quamvis ex parte nobis pepercerit, fabam tantum milio panicioque confundens : quod tamen forsitan oblivionis magis quam moderaminis fuerit. Nam homo sanctus fideli cautione metuisset aliquid nobis de Scriptura sancta subtrahere : et ut totam juxta Dei verbum confectionem prophetici panis impleret, len-

[a] Philem. 14. [b] Psal. CVIII, 18. [c] Johan. XIII, 9. [d] Matth. XI, 29. [e] Psal. L, 10. [f] Psal. CII, 1. [g] Psal. XLIV, 8. [h] Eccle. X, 1. [i] Ezech. IV, 5. [j] Psal. CV, 20. [k] Psal. CXXVI, 2.

(*a*) Ms. Vien., *concitandæ*. Ms. Reg., *contristandæ*
(*b*) Ms. Vatic., *religiosis*.
(*c*) Ita ms. Vien. codex. Alii, *lutor*.
(*d*) Ita versio LXX interpretum, psalteria vetus et Romanum, et Augustinus in commentario super psalmos.

(*e*) Ms. Vien., *senatorum poneremus fastigium*, male. Vide epist. 30 S. Ambrosii ad Sabinum de senatoria Paulini dignitate, Hieron. ep. 13 ad Paulinum, et ep. 3 ad Geruntii filias, necnon Ausonium epist. 25 ad Paulinum.
(*f*) Ita mss. Reg. et Vien. Editi, *captivitatis*.

tem quoque et hordeum et viciam miscuisset in (*a*) crumilum [a] (*V.* not. 74), ut æstuantibus extra (*b*) sui labra fervoribus, dissimilium sibi fructuum quasi repugnante coctura, fatiscens rimis olla crepitaret. Nihilominus tamen de paucioribus frugibus testam capacem replens, intulit nobis multo nidore catina (*c*) infumantia; totumque non solum mensulæ nostræ ambitum, sed et cellulæ [15] nostræ spatium olida caligine vaporavit : atque, ut multiplicaret nobis benedictionem, alterius quoque prophetæ prandium cœnulæ nostræ contulit, ut Elisæi nobis ollam inferret [b] : in quam misit farinam; nec herbam veneni, sed condimentum salutis incoxit, in nomine Domini gerens omne quod agebat : quo tuti atque securi non exclamavimus ad eum; *Homo Dei, mors in olla* [c] : quia jam in olla nostrà vita est, postquam Dominus Jesus Dei *Verbum caro factus est, et habitavit in nobis* [d] : et vasa fictilia nostri corporis, voluntariæ nobis [15] pravitatis lubrico de suis manibus elapsa, et diuturnis contrita peccatis, ut in meliorem usum figulus ipse renovaret [e], assumsit in semetipso, *factus et* ipse de nostri corporis limo *tamquam* (*d*) *vas*, ut ait, *perditum* [f], id est, *in similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum* [g]. Et ideo dicit : *Moab olla spei meæ* [h], quia non solum ex Juda, sed ex Moab, hoc est, non solum de sanctorum, sed etiam de peccatorum origine corpus assumsit : qui decocta quasi per ollam carnis nostræ cruditate, sanctificavit in æternum nobis cibum carnem suam. *Caro enim ejus*, ut ipse ait, *vere cibus* (*e*) *vitæ est* [i]. Ipsa est et **123** illa secundum Jeremiam [j] olla urens peccata, et illo igne consumens, de quo ait : *Ignem veni mittere in terram* [k] ; quem et in nobis optemus accendi, ut in olla Dominici corporis, id est Ecclesia, concoquamur : perustisque vitiis defæcati, efficiamur *argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum* (*f*) *septuplo* [l] ; ut jam non urenda sarmenta, sed palmites fructuosi in eodem Domino [m], id est, vera vite maneamus, fiatque nobis idem Dominus ad escam dulcis ille botrus [n], qui nobis in crucis vecte suspensus, de terra repromissionis et fructum ostendit, et gustum dedit, ut non jam sectemur vilia ruris inculti gramina [16], inter [17] quæ etiam pestiferos viticularum silvestrium racemos carpere periclitemur. Quod certe D

A nobis accidit, cum squalente curarum secularium spinis anima, cui cultura Dei verbum est [o], vitam hanc ævi brevem et boni sterilem suspirantes, inter actus supervacuos peccata noxia quasi inter agrestes herbas germina venenata colligimus, et sic in ollam corporis vel cordis nostri mortem mittimus. Sed gratias Deo, *qui nos liberavit de corpore mortis hujus per Christum Jesum Dominum nostrum* [p] : quo infirmitati nostræ sui spiritus virtutem permiscente, et amaritudo malitiæ nostræ, et sterilitas inutilitatis, infuso præcordiis verbo Dei, velut convertente salutaris et vividi [18] salis aspergine, ad dulcedinem fœcunditatemque mutata est.

8. Recurramus [19] ad fratrem Victorem, qui vas etiam farinulæ nostræ ex usu usurpationis suæ, quam B in nomine Dei faciebat, copiosum de benedictione fecit : ut aliquid etiam de beati Eliæ hydria nobis daret, qua propheta cœlestis in verbo sacro ad sufficientiam indeficientem repleta, benedictam cum filiis Sareptæ viduam per triennii famem pavit [q]. In qua vidua jam tum per prophetam Christus, ut opinor, Ecclesiam suam non frumenti, sed verbi pane pascebat; de qua dicit : *Viduam ejus benedicens benedicam* [r]; illam scilicet viduam quam Apostolus [s] ait, mortuo viro, quibus volet nuptiis liberam [t]; quia desinente lege, cui [20] finis est Christus, (*g*) a gratia ad libertatem transitum faciens Ecclesia, Christo quasi vidua legis innupsit. Hujus nunc vasis oleum gratiæ et benedictionis farina non defecit in omnium foris gentium fame [u], quarum miseram a cibo vitæ C **124** et fide Trinitatis inediam congrue præfiguravit illa quondam triennii fames. Sed, ut super hoc institutum concludam, ita Domini gratiam farina nostra in fratris Victoris manu sensit, ut quæ vix ante (*h*) sufficiebat panibus, nunc abundet et pultibus, fraternitatemque monacham [21] vespertini post jejunia cibi avidam, duplici ministerio, aut (*i*) fermentatis orbibus, aut soluto farre (*j*) distendat.

9. Verum idem Victor meus quamvis fortioribus cibis inducere stomachum nostrum studeret, tamen (*k*) et hoc infirmitati nostræ frater necessarius [22] consulebat, quod defectiones fidei nostræ in illis pultibus (*l*) absumendis adimplebat : et opera manuum suarum consummabat uno pro nobis adjutore istius

[a] Ezech. IV, 9. [b] IV Reg. IV, 41. [c] Ibid., 40. [d] Johan. I, 14. [e] Jer. XVIII, 6. [f] Psal. XXX, 13. [g] Rom. VIII, 3. [h] Psal. LIX, 10. [i] Johan. VI, 56 et 48. [j] Jer. I, 13. [k] Luc. XII, 49. [l] Psal. XI, 7. [m] Johan. XV, 2 [n] Num. XIII, 24. [o] Luc. VIII, 11. [p] Rom. VII, 24 et 25. [q] III Reg. XVII, 16. [r] Psal. CXXXI, 15. [s] Rom. VII, 3. [t] I Cor. VII, 39. [u] III Reg. XVII 16.

(*a*) Sic mss. Belg. et Vien. Forte legendum *grumulum*. Vide not. 74. Ms. Reg., *crubilum*. Ed. Rosv., *cumulum*. Schot. in marg., *cumerum*, ut et Cauchius.

(*b*) Ita mss. codices Reg. et Vien. et editi Bad. et Schot. At ed. Grin. et Sacchin., *sua*. Rosveydus emendaverat *vasis* ex conjectura.

(*c*) Sic ms. Regius et editi codices quatuor. Mss. Vatic. et Vien. et edit. Schot. et Latin, *fumantia*.

(*d*) Manuscriptus codex Vaticanus, *vas perditum, in similitudinem*, sine interjectionibus illis, quas tamen non sine venustate ceteri codices habent.

(*e*) Ita ms. Vien. cum edit. Grin. eaque lectio confirmatur, n. 8, ubi *a cibo, vita est*.

(*f*) Ita Paulinus in epist. 20 ad Delphinum, n. 6.

(*g*) Ms. Vien., *ad gratiæ libertatem*.

(*h*) Ms. Vien. addit *paucis*.

(*i*) Ita mss. codices. Sacchinus putat legendum, *frumentationibus*, quia infra subditur : *Frumentationem mihi misit*. Et videtur (inquit Sacchinus) sic appellasse illas pultes ex mixtione multarum frugum.

(*j*) Edd. Bad., Grin. et Schot., *distentat*.

(*k*) Ms. Vien., *et in hoc*.

(*l*) Ita ms. Vien. et editio Schot. Alii, *assumendis*. Vide not. 16

ferculi, quem ex rusticanis receptum domi renutrimus, ætate corporis senem, mentis infantem : quia jam senectute deficiens renatus est gratiæ, et in novitatem vitæ de vetustate carnis effloruit. Eum fratris Victoris coquina, et assueto (*a*) cibo, ut ex rusticis hominem, et apto, ut edentulum saginavit. *Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum. Eripuit eum de tenebris et umbra mortis* [a]; et nunc aspersus hyssopo et emundatus, in voce exsultationis et confessionis epulatur, et clamat : *Erravi sicut ovis quæ perierat* · *Benedicam Dominum in omni tempore*, *qui mihi tribuit intellectum, et eripuit me de luto fæcis, et immisit in os meum canticum novum.* (*b*) *Junior fui, et senui :* sed non *defecerunt in vanitate dies mei. Quia fecit mihi magna, qui potens est. Torrente voluptatis suæ potavit me, et refloruit caro mea. Frumentationem* (*V.* not. 76) *mihi misit in abundantia, et saturavit animam inanem*, et nunc *senectus mea in misericordia* (*c*) *pingui*, donec *in pace dormiam et requiescam* (*d*) *in longitudinem dierum* [b].

10. Venio nunc [23] ad majorem fratris erga me Victoris operam, qua me suis manibus tondere dignatus est : quod ipsum tamen beneficium tibi debere me voluit, mandato tuo dicens se mihi artem suam prodere. Propterea rogavi eum ut quod perita manu fecit, id impensis orationibus ambo faciatis; videlicet ut exorato precibus vestris Domino, *peccata nostra*, quibus *super capillos capitis* [c] multiplicatis animam habemus impexam, non (*e*) accisione medii tondeantur, sed ad vivum quasi novacula radente **125** perimantur. Est autem nobis novacula nunc saluti- C ferae, nunc pestiferæ sectionis. Remedii et decoris novacula nobis Christus Deus est, qui cor nostrum circumcidit [d], vitia radit, animæ caput (*V.* ep. 41, n. 3, et carm. 21, v. 537) levigat, et faciem mentis accurat : nosque, ut illam in lege captivam, purgat, et liberat horrido miseræ servitutis capillo : ut conjungendi Domino, velut illa in Israelitæ viri nuptias transitura [e], criminibus carnis nostræ, quasi barbaris crinibus exuamur. Deinde sensibus (*f*) innovatis, ut comis rudibus enitescamus [f], vitamque nostram, quasi Nazaræum crinem pascentes, Deo in castitate et parsimonia consecremus.

11. Cavendum vero, ne illa inimica ex diverso novacula, quæ in protoplastis (*V.* not. 78) noxia D

A fraude deceptis generis humani caput rasit, in caput nostrum, hoc est, fidem qua nobis caput Christus efficitur, ascendat; nosque gratia spiritali, tamquam illo Nazaræo crine dispoliet : qui quanto servantibus bono maneat, et exitio decerpatur incautis, ille in Judicum libro ab oraculis (*g*) sacer heros argumento est, invictus crine servato, captivus (*h*) absciso, et iterum fortis renato [g]. Utinamque tam prudens ad cavendam mulierem, quam fortis ad strangulandum leonem [h] : sed carnali victus illecebra, qui gratia spiritali vicerat, cum prævaluisset forti, ab infirmitate superatus est. Quod patiantur necesse est, qui suam feminam, id est carnem, viro suo, hoc est spiritui in Dei leges non subjugant, et tamquam malesuadæ conjugi molles mariti fluentibus animis acquiescunt [a]; B degeneres ab illo Magistro (Paulo; *vid.* ep. 38, n. 5), qui mox ut agnovit Christum, inter ipsa militiæ rudimenta, magni certaminis victor *non acquievit carni et sanguini* [i].

12. Videamus itaque omnia [25] quæ Samson pertulerit ab infida uxore corruptus [j], quia eadem peccatores spiritaliter feremus, quæ ille carnaliter ad nostram eruditionem expressa sustinuit. Ita enim nobis violata Christi gratia, ut illi incisa coma, hostis illudet; auferet oculos, mittet in carcerem, et vertendis molis velut asinos deputabit. Unde nos Dominus, ne collum nostrum non subditum jugo Christi dignum faciamus asinaria mola [k], admonet per prophetam : *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus* [l]. Homo enim, ut alibi dicit idem propheta, non C intelligens honorem suum, hoc est naturæ suæ **126** dignitatem, quæ ceteris in terra animantibus ratione dominatur, ideo rationalis factus, ut autorem suum (*i*) intelligere nosset et colere [m], abutens tanto munere Creatoris ad licentiam erroris sui, comparatur jumentis, et similis efficitur. Quod in rege Babylonio videmus [n] evidenter impletum, qui stoliditatis impiæ et vecordis superbiæ pœnam [26] sensu hominis exutus, in belluino hæc corde sustinuit. Etenim homo in errore positus, et a justitia relapsus, juste, ut Samson, sapientiæ pariter et gratiæ virtute desertus, cæcitate punitur et mola [o] : quia dignus est opere jumentario, qui semetipsum lumine rationis orbaverit, et in similitudinem belluarum corporis servus abjecerit.

[a] Psal. xxxiii, 7, et cvi, 14. [b] Psal. l, 9; Psal. cxviii, 176, et xxxiii, 2; Psal. xxxix, 3; Psal. lxxvii, 33; Luc. i, 49; Psal. xxxv, 9, et xxvii, 7; Psal. lxxvii, 25, sec. Psalter. Rom. [c] Psal. lix, 13. [d] Col. ii, 11. [e] Deut. ii, 12. [f] Num. vi, 5. [g] Judic. xvi, 19. [h] Judic. xiv, 6. [i] Gal. i, 16. [j] Judic. xiv, 1, 16., [k] Matth. xi, 29; Matth. xviii, 6. [l] Psal. xxxi, 9. [m] Psal. xlviii, 13. [n] Dan. iv, 30. [o] Judic. xvi, 21.

(*a*) Ms. Vat., *cibo, et apto, ut ex rusticis hominem, et edentulum saginavit.*

(*b*) Ms. Reg. et edit. Grav., *Juvenior*.

(*c*) Sic ms. Vien., cui lectioni favent mss. Reg. et Vat. Ita in psalmo xci, ad quem alluditur, est *ἐν ἐλέῳ πίονι*. Vide not. 76. Editi codd., *in misericordia pinguedinis*.

(*d*) Mss. Regius et Vat., *in longitudine*.

(*e*) Ms. codex Viennensis, *abscisione*. Bona utraque lectio. Ms. codicis Vien. lectio inferius confirmatur n. 11, *invictus* (Samson) *crine servato, captivus absciso.*

(*f*) Ms. Vien., *renovatis*.

(*g*) Samson scilicet, qui n. 20 dicitur *bellator sacer*.

(*h*) Ita mss. Reg. et Vien. cum edit. Bad., Grav. et Bign., *absciso*. Sic vetustiores codices ad Prudentium Peristeph. hymno 4, v. 123, habent *abscisa papilla*, ut ibidem in notis admonet N. Heinsius.

(*i*) Ita mss. tres cum Sacchino. Ms. Vatic., *noscere t*. Editi *intelligeret, nosset, et coleret*. Utraque lectio bona.

13. Considera hujusmodi mortalium vitam, et tota tibi species jumenti molentis (*a*) occurret. Ut ille pannis oculos corporis, sic iste sordibus vitæ suæ oculos mentis obsutus (*V.* not. 79), per errores suorum sensuum, quasi circa ambages molarum, laboriosa miser statione (*b*) versatur, usui suo vacuus, et operosus alieno : stat in via peccatorum [a], compeditus vinculis cupiditatum suarum : et ipse sibi carcer est obsessus tenebris erroris sui, et conscientiæ squalore concretus : in semetipso pistrini ergastulum patitur : saxum cordis sui pertinacia iniquitatis induratum quasi molam versat, farinam hostibus suis de corrupta animæ suæ fruge conficiens. Quia, sicut scriptum est, peccator *de anima sua currit* [b] (*V.* not. 80) : ita qui peccatum operatur, de mola vitæ suæ hostile triticum molit, ut zabulum pascat, cui panis fit anima quæ sibi fames est. Quod si non semper vadens, sed aliquando revertens [c], spiritus fiat, velut coma reduci, ita gratia reflorente integrabitur.

14. Sed ut totam de capillis texamus epistolam, juvat indulgere sermoni, et illum Domini fortem usque ad finem suum prosequi. Nam et in cæcitate ipsius, et in morte divini sacramenta mysterii prælineata mirabimur. Quia quod scriptum est [d], plures illum hostes stravisse morientem, quam toto prius vitæ suæ tempore perculisse, arbitror principe loco vim Dominicæ passionis (*c*) interpretandam, qua zabuli domus cecidit, et regnum mortis solutum est. Quod, vivente semper, ut vivit, Christo, et ante carnalem adventum suum in majestate naturæ suæ apud (*d*) Deum Patrem Deo Verbo, tamen dispositis in ordinem suum seculis **127** ab Adam usque ad Moysem [e], mortis potestas, licentia bacchante, regnaverat; et de lege intellecto, nec evitato, peccato creverat : hoc regnum Rex regum, et dispensator temporum Dei Filius passione sua divisit ac diruit, Deus *factus sub lege*, ut subjugatos legis solveret, *factus per mulierem* [f], sed mulierem sexu, virginem partu, ut sanctificaret utrumque sexum Creator utriusque, suscipiendo virum, nascendo per feminam. Itaque mortem ipsam moriendo destruxit, *solvens*, ut scriptum est, *inimicitias in carne sua, et faciens utrumque unum* [g], id est, hominem et Deum, quem in seipso connexuit Deus et homo Christus Jesus. In quo utriusque [1] substantia naturæ discordiam posuit (*id est*, deposuit), et (*e*) unificantis gratiæ æternum fœdus agnovit. Spoliatos nos zabuli latrocinio, et vulnera-

A tos in via, prætericrat frater in levita, frater in sacerdote, quos lex nec sacrificiis redemerat, nec prophetis [h]. Sed non præterivit ille Samarites, qui propter nos hujus etiam nominis suscepit injuriam; non præterivit, quia non erat mercenarius, sed verus et bonus pastor, qui animam suam pro ovibus positurus advenerat [i]. Hic hominem saucium prætermissum a præviis, nec curatum, miseratus accessit, et jumento suo, hoc est Verbi incarnatione suscepit : et oleo gratiæ, et vino passionis suæ, commendatum stabulario [j], (*f*) perfecto illi magistro gentium (*id est*, S. Paulo. *V.* n. 24; ep. 30, n. 5; carm. 22, v. 178 et 32, v. 353), in duobus Testamentis denarii mercede sanavit, redditurus illi et beatæ virginitatis de innumeris hujus boni fructibus uberes gratias, et in-
B numerabiles coronas, quia (*g*) hoc consilium præcepto adjiciens, de suo supererogavit.

15. Non ergo erat iste frater, qui et conditione Dominus a servis, et natura Deus a mortalibus discrepabat : sed tamen et homo erat ille, de quo scriptum est : *Et homo est, et quis cognoscet eum* [k] (*V.* not. 81)? Neque ideo frater noster, quamquam et hoc divina pietas pro humilitate cordis sui famulis nomen indulserit, dicens : *Narrabo nomen tuum fratribus meis* [l], tamen nostra arrogantia non audendus dici frater, nec quia homo [18] fieri dignatus est; quia et in ipso hominis ortu nihil habet commune nobiscum; qui citra nostræ generationis usum caro factus de Spiritu sancto, intemerata sacræ matris virginitate, et conceptus et natus est. Et ideo sine ullo corporis
C nostri contagio, **128** nostrum corpus effectus, *non dedit Deo placationem suam* [m], quia *ipse propitiatio erat : nec pretium redemptionis animæ suæ* [n], sed nostræ, quia non egebat salute Salvator. Nos enim venditi sub peccato egebamus pretio redemtionis [o] : et ideo propter nos homo, propter nos forma servi, propter nos filius ancillæ [p]. Qui benedictus et sanctificator sanctorum, *pro nobis* tamen et *peccatum et maledictum factus est* [q], quod non erat; ut nos, qui et ex [19] prævaricatione peccatum, et ex damnatione maledictum eramus, ab utroque absolveret, utrumque in sua carne affigens cruci [r]. Ideo dictum puto : *Frater non redimit, redimet homo* [s] : quia quos frater non redemerat, hoc est, propheta, seu legislator, qui homo tantum erat; (*h*) hic homo redemit, qui et Deus
D erat. *Deus enim*, inquit, *erat in Christo reconcilians sibi mundum* [t]. Hujus enim modi homo [20] solus præ-

[a] Psal. I, 1. [b] Prov. VII, 23, juxta LXX. [c] Psal. LXXVII, 39. [d] Judic. XVI, 30. [e] Rom. V, 14. [f] Gal. IV, 4. [g] Eph. I, 14. [h] Luc. X, 31, 32. [i] Johan. X, 18 et 12. [j] Luc. X, 34. [k] Jerem. XVII, 9. [l] Psal. XXI, 23. [m] Psal. XLVII, 8. [n] I Johan. II, 2. [o] Rom. VII, 14. [p] Philip. II, 7. [q] II Cor. V, 21; Gal. III, 13. [r] Col. II, 14. [s] Psal. XLVIII, 8. [t] Cor. V, 19.

(*a*) Sic ms. Vien. codex. Ceteri, *occurrat*.

(*b*) Ms. codex Regius cum editis tribus, *versaturus*, *visu suo vacuus*. Ed. Grin., *versatur*, *visu suo vacuus*.

(*c*) Ita mss. Reg. et Vien. cum editis quatuor. Ed. Rosv., *interpretandum*.

(*d*) Sic ms. Vien. et edit. Grin. et Schot. Alii, *Dominum*.

(*e*) Ita ms. Regius codex, ceteris refragantibus, in quibus *vivificantis*. Vide præcedentia.

(*f*) Omnes codices, *profecto*. Emendavimus *perfecto*, quia semel et iterum eadem verba usurpat Paulinus ad Severum suum scribens, ubi constanter juxta omnes codices legitur *perfectus fidei ac disciplinæ magister* in eadem epist., n. 24, et epist. 30, n. 5, *perfectus magister ait*.

(*g*) Mss. Vat. et Vien., *in hoc*; non male si intelligas, *in hac re*.

(*h*) Ita ms. codex Regius. Ceteri, *hos*.

valere potuit adversus sententiam mortis, et aculeum peccati, ut chirographum mortis aboleret [a], et humiliaret calumniatorem [b]: non tamen ei majestate naturæ suæ, sed habitu nostræ congrediens; et nihil ei extorquens violento dominatu, sed superans eum lege justitiæ; ut (quoniam femina decepta [c], et dejecto per feminam viro, omnem prolem primi hominis tamquam peccatricem legibus mortis, malitiosa quidem nocendi cupiditate, sed tamen ut æquissimo jure victoriæ vindicabat [31]) tamdiu potestas ejus valeret, donec interficeret justum, in quo nihil dignum morte posset ostendere: non solum quia sine (*a*) delicto occisus est, sed etiam quia sine libidine natus, cui subjugaverat ille, quos cœperat; ut quidquid exinde nasceretur tamquam suæ arboris fructus, prava quidem habendi cupiditate, sed tamen non iniquo possidendi jure retineret. Justissime itaque cogitur dimittere credentes in eum, quem injustissime occidit; ut, et quod temporaliter moriuntur, debitum exsolvant; et quod semper vivunt, in illo vivant, qui pro eis quod non debebat exsolvit [d].

16. Quamobrem puto et ipse nobis leo ille est [e], in cujus mortui ore cibum mellis invenimus. Quid enim dulcius Dei verbo? et quid fortius Dei dextera? Aut in cujus mortui ore favus et apes, nisi in cujus verbo salutis nostræ bonum, et congregatio gentium? Quarum potius figuram plerique in hoc leone posuerunt, quia populus gentium qui credidit, **129** corpus feritatis erat ante, nunc Christi est: in quo Apostoli velut apes a rore cœli, et divinarum floribus gratiarum mella sapientiæ (*b*) condiderunt, ac si [32] esca ab ore edentis exierit: quia prius efferæ Deo nationes receptum Dei verbum fideli corde sumentes, fructum salutis ediderint [33]. Qui vero Christum magis in eodem sibi leone proponunt, Samsonem Judæorum figuram, videlicet ut illum leonem quasi Christum (*c*) Judæus occiderit: id quoque assignantes mysticæ præparationi, quod eo potissimum tempore quo conjugium petebat, optatam potentis belluæ egerit cædem; quia videlicet non posset firmari conjugium, quod in Christo et Ecclesia pactum est [f], nisi occiso leone *de tribu Juda* [g]. Idem enim Dominus *leo*, ille, qui *vicit*, et *catulus* est *leonis* [h], sua sponte sopitus, et a semetipso resuscitatus de quo scriptum est: *Quis suscitabit eum* [i]? Voluntarie enim sacrificans pro nobis Patri hostiam sui corporis, idem summus et in æternum sacerdos [j], animam suam, sicut ipse testatur, eadem resumsit potestate, qua posuit [k]. Hic *leonis catulus*, quia Filius Dei, et idem *leo*, quia æqualis Patri. Quare, ut mihi videtur, huic aptius est leoni: *De edente exivit esca, et de potente dulce* [l]. A quo enim, nisi a Salvatore nostro, cujus sermo vita est, et qui hanc nobis escam simul et ruminavit docens et promisit impertiens; et, si placet aliter, ut de edente esca sic exeat, quia hic *leo de tribu Juda* [m] pro nobis victor ex ore nos adversi leonis eripiens ideo venatur, ut servet; capit, ut absolvat; frangit, ut solidet; mandit, ut integret; hoc in nobis edens quo corrumpimur. Quamobrem optemus hujus leonis præda fieri, ne simus præda leonis inimici. Efficiamur esca Dei, ne simus esca serpentis. Edat nos Christus, ne zabulus voret. Edente enim Christo, ut dixi, in nobis absumitur, quo consumimur. Christus etenim vita est [n]: et mortale hoc non poterimus deponere, nisi absorbeamur [o], quia mortem nostram devorat Christus. Cibus autem Christi esse non possumus, nisi faciamus voluntatem ejus [p]: ut vicissim et ipse nobis cibus fiat [q], in quo semper vivimus, si ad ejus præcepta vivamus. Sic ergo de potente exit dulce, cum amaritudine malitiæ nostræ per ipsum in dulcedinem bonitatis commutata, dulcis a verbo ejus esca procedimus, qui nos edendo, consumsit peccato, reparavit ad vitam. Solus hic potens, dulciter potens, qui *liberavit pauperem ab* avaro *potente* [r], qui feritatem mei corporis per mysterium pietatis **130** suæ in mortem [34] sui corporis perimens, ibi cibum vitæ edit, ubi (*d*) miseræ fames mortis arebat. Qui mihi offensionem gratia, peccatum justitia, infirmitatem virtute, mortem vita, confusionem gloria, regno mutavit exilium. Qui audiebamus: *Terra es, et in terram ibis* [s]; nunc jam (*e*) audimus: *Conversatio vestra* [35] *in cœlis est* [t].

17. Itaque illam speciem quæ in illo Samsone vel recrinito vel moriente retexitur, et in omnem Christi famulum convenire arbitror. *Homo* enim, qui *præventus fuerit in aliquo peccato* [u], et salubriter pœnitendo ad instaurationem gratiæ, quasi capillis renascentibus revertitur, *ponens ut arcum æreum brachiis sua* [v], id est fidem spei veræ, et spem fidei non fictæ [36], exercens idem ad prælium manus suas operibus pietatis [x], cujus *exercitatio ad omnia utilis est* [y]: tum ut quibusdam bonæ conscientiæ et fidei firmæ lacertis valens audebit invadere, et poterit (*f*) vertere inimicorum columnas. Hæ autem [37] sunt columnæ hostilis domus, quibus nititur: in qua velut nostri victor epulatur illudens captis, si membris nostris,

[a] Col. II, 14. [b] Psal. LXXI, 4. [c] Gen. III, 13. [d] Psal. LXVIII, 5. [e] Judic. XIV, 8. [f] Eph. V, 32. [g] Apoc. V, 5. [h] Gen. XLIX, 9. [i] Psal. LIII, 8. [j] Heb. VII, 17. [k] Johan. X, 18. [l] Judic. XIV, 14. [m] I Pet. V, 8. [n] Johan. XIV, 16. [o] I Cor. XV, 54. [p] Johan. IV, 34. [q] Johan. VI, 48. [r] Psal. LXXI, 12. [s] Gen. III, 19, sec. LXX. [t] Philip. III, 20. [u] Gal. VI, 1. [v] Psal. XVII, 35. [x] Psal. CXLIII, 1. [y] I Tim. IV, 8.

(*a*) In omnibus codicibus legitur *sine Deo*, nullo sensu. Emendavimus *sine delicto*, certa ut videtur conjectura ex præcedentibus et subsequentibus, et orto errore ex compendio litterarum *delo*. Eodem modo Sacchinus paulo inferius legendum suspicatur *delicto*, ubi manuscripti et editio Rosv. habent *efferæ Deo*. Editi 4 codices, *efferæ a Deo*. Itaque indubitatum vult legi, *efferæ a delicto*, id est *propter delictum*: quod non placet.

(*b*) Ms. Vien., *ediderunt*.

(*c*) Sic mss. Vien., Reg. et edd. Grin. et Schot. At ms. Reg. cum editis quatuor, *occideret*.

(*d*) Ms. Vien., *miseræ famis morte arebat*.

(*e*) Ms. Vien. et edit. Grin., *audivimus*.

(*f*) *Vertere* pro *evertere*, simplex pro composito: quod Paulino familiare est, et usitatum semel et iterum in carm. 32.

ut armis suæ iniquitatis, utatur. Dejicimus [38] ergo A hunc inimicum (*a*) domo sua, interitu subjugatæ carnis; qua adjutrice intus in nobismetipsis hostis inclusus, intestino animam nostram bello quatit; crimine voluntatis nostræ potens nostri factus, nostra adversus nos vitia satellites habet, interioremque nostrum ministerio exterioris oppugnat.

18. Sed meminerimus pacti, quo per baptismatis gratiam consepulti Christo in crucis [39] sacramenta juravimus, ne jam quasi viventes agamus in hoc mundo; vivamusque jam non nos, sed Christus in nobis [a]. Quo nobis in honorem capitis restituto, cadet zabuli domus et tota inimicorum cohors cum peccati nostri morte morietur. Quamobrem non solum morte Samsonis commori disco hostibus meis, hoc est, mortificando carnem meam simul interficere B peccatum, ut superstite spiritu victor salutis triumphem, et dicam animæ meæ : *Convertere in requiem tuam, quoniam Dominus benefecit mihi* [b] : sed et cæcitate Samsonis, qua corporeis tantum captus oculis, spiritales non amisit, illuminor ad intellectum bonum [c] ut exemplo illius sciam quos magis debeam oculos habere. Non enim invocasset ille vir Dominum in suæ virtutis auxilium, nisi mentis oculos habuisset incolumes, quibus lumen est Christus, *in cujus lumine videbimus lumen* [d]. Quod si semper ardet in lucerna **131** corporis nostri, tunc opera tenebrarum (*b*) occidunt, *et princeps hujus mundi mittitur foras* [e] : non utique extra mundum hunc, cum quo, sicut scriptum est, in damnatione (*c*) conjudicatus mixto fine vacuabitur : sed foras a cordibus nostris, a quibus, si C Christum recipiamus, expellitur.

19. Ergo, quia illum imitantur qui sunt ex parte illius, nos imitemur Dominum Jesum, qui nos vocavit in sortem hereditatis suæ, et tollere nos jussit jugum suum suave, ut grave illud legis et mortis jugum discuteret a nobis [f]. Est autem et crinis ut jugum levitatis [40]; nam, ut Scriptura divina nos docet, levis est sanctorum coma, impiorum gravis [g]. Hæc aut virtutis, ut in Samsone; aut sanctificationis, ut in Samuele [41] : illa autem [42] aut ponderis, ut in Abessalone [43]; aut squaloris, ut in Nabuchodonosor [h]. Qua hominum comarumque discordia docemur in capillis opera censere [44]; siquidem regi Assyrio in solitudinem feritatemque damnato, luctuosa concretio capitis intonsi in jubam leonis horruerit : ut etiam D corporis specie transiret in belluam, qui non solum a regnis suis, sed etiam a sensibus exsulabat humanis, coma tristi leonem, uncis unguibus vulturem, sensu et pabulo bovem referens : ne unius tantum belluæ similitudinem ferret in pœnis, qui multarum similis fuisset in moribus.

20. Intellecto tamen tandem [45] Deo, et sensui reformatus et regno, factus et ipse nobis est in exemplar fidei, ut regnum, quod intra nos est, timeamus amittere peccando, et meminerimus repetere pœnitendo [i]. Nec (*d*) Abessalon, quamvis decoro et corpore superbus et capite, poterat dicere quod Samson [46] dixit [j] : *Si tonsus fuero, discedet a me virtus mea ;* quia non habebat illam in pulcherrimo licet crine virtutem, quæ non corporalium capillorum [k], sed gratiæ spiritalis erat, quam impius habere non poterat. Virtus enim et *sapientia* Dei Christus est [l] ; qui *in parricidalem animam non adibat*, quia *non habitabat* (*V.* not. 82) *in corpore subdito peccatis* [m]. Denique capillaturam illius pro iniquitatum mole desectam, etiam tonsuræ necessitas indicata [47] (*V.* not. 83) testatur. Sic enim habes : *Tondebat caput suum, quia gravaretur ; cum autem detonsus esset, ponderabat capillos capitis sui*, *et* **132** *erant centum siclorum pondere regali* [n]. Quo apertius exprimi potest pro operibus numerari capillos, cum in impii capite non aliquam virtutem, sed tantum sarcinam capillorum Scriptura signaverit [48] ? *Ponderabat*, inquit, *capillos capitis sui.* Gloria enim impio est iniquitas sua. Neque solum operatio eum nequam, sed et nequitiæ, ut quidam ait, fama delectat. Unde illud in Psalmis habes : *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate* [o] ? Lumen etenim impiorum tenebræ, honor umbra, celsitudo transitus, caput zabulus [p]; et ideo coma pondus est : propter quod Scriptura *regali pondere* gravem illius parricidæ comam dicit, hoc est, zabulico pondere [q]. Zabuli [49] etenim regnum est omnis impius : sic et *qui mollibus vestiuntur*, *in domibus*, inquit, *regum sunt* [r] ; hoc est, *principum aeris hujus* [s], et nequitiæ spiritalis ducum : in quorum domibus et regnis agunt, aut impietate duri, aut lascivia molles : quorum divitiæ peccatum, *itinera lubricum*, *finis interitus* [t], gloria in inferno, *domus in sepulcro* [u] est. Talium crines crimina sunt, et idcirco illi crines esse non possunt, quibus bellator sacer funes hostium, et novas restes quasi mollia fila solvebat [v]. Sed illi potius, de quibus scriptum est : *Funes peccatorum circumplexi sunt* (*e*) *mihi* [x]. Peccatis

[a] Rom. vi, 4; Col. ii, 12; II Cor. v, 15; Gal. ii, 20. [b] Psal. cxiv, 7. [c] Psal. cx, 10. [d] Johan. viii, 12; Psal. xxxv, 10. [e] Johan. xxxv, 12. [f] Johan. viii, 44; Eph. i, 11; Col. i, 12; Matth. xi, 30. [g] I Johan. v, 3. [h] I Reg. i, 11; II Reg. xiv, 26; Dan. iv, 30. [i] Luc. xvii, 22. [j] II Reg. xiv, 25. [k] Judic. xvi, 7, sec. LXX. [l] I Cor. i, 21. [m] Sap. i, 4. [n] II Reg. xiv, 26, sec. LXX. [o] Psal. li, 3. [p] Psal. xxxiv, 6. [q] II Reg. xiv, 26. [r] Matth. xi, 8; Luc. vii, 25. [s] Ephes. ii, 2. [t] Philip. iii, 19. [u] Psal. xlviii, 12. [v] Judic. xvi, 9, et xii, 13. [x] Psal. cxviii, 61.

(*a*) Ms. Reg., *domu sua*. Sic olim antiqui dixere in sexto casu.

(*b*) Mss. Reg. et Vien., *occident*; et mox Viennensis codex, *mittetur*.

(*c*) Ms. Vien., *cum judicatis*.

(*d*) Ita mss. codices Reg. et Vien. cum editis Bad. et Grav., et sic legitur in mss. codicibus ad Prudentii Hamartigen. vers. 566, ut monet N. Heinsius. Legitur tamen apud LXX interpretes Ἀβεσσαλώμ, et in tribus editis *Abessalom*.

(*e*) Unum vidi Paulinum qui scriberet, *circumplexi sunt mihi*. Psalteria 5 et S. August. in psalmos *circumplexi sunt me*.

enim suis anima et implicatur et premitur. Quod (*a*) A bene probat Propheta, qui dicit : *Superposuerunt iniquitates* (*b*) *meæ* (*V.* not. 84) *caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super me* [a].

21. Vides quam graves habeat peccator comas. At, cui coma Christus est, levis et volucer exsultat [a], dicens : *Deus, qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam : qui perfecit pedes meos tamquam* (*c*) *cervi, et super excelsa statuit me* [b]. Jugum enim, ut dixi, et coma Christi levis est [c], quia servientes Christo operamur bona, quibus pennati in alta provehimur. Unde etiam in carne positis Christianis Apostolus dicit : *Vos autem jam non estis in carne, sed in spiritu* [d]. Subjecta enim subditæ Deo animæ caro transit in spiritum, non substantiæ commutatione, sed vitæ. Itaque et mortem mihi Samsonis et cæcitatem volo, ut vivam et videam Deo. Nam forsitan (*d*) ille receptis propter futurum mysterium in coma viribus, **133** recipere simul, ut amiserat, oculos ideo non desideravit, quia virtus illa cœlestis gratiæ internis sana luminibus corporeo non egebat obtutu.

22. Hoc igitur exemplo et nos contentis ad Dominum sensibus, carnales oculos secularium rerum aversione cæcemus, quibus orbari propheta desiderabat, cum diceret: *Averte oculos meos ne videant vanitatem* [e]. Et Dominus ipse oculis Judæorum cæcitatem præferens, dicit : *Si cæci essetis, peccatum non haberetis* [f]. Reminiscamur qua pernicie illis in paradiso oculi sint aperti, quos tamdiu habuerunt illuminatos Deo, quamdiu clausos habuere peccato [g]. Nam tum demum (*e*) C nuditatis suæ hauserunt pudorem, cum bonæ conscientiæ castitatem, cujus lumine vestiebantur, prævaricationis crimine perdiderunt. Et ideo veri luminis damnum est, ad usum tenebrarum uti luminibus; et oculos in terrena defixos cæcare cœlestibus. Illuminatur autem anima tali cæcitate, qua despicit mundum, ut conspiciat Deum. *Quia omne,* inquit, *quod in mundo est, concupiscentia oculorum est* [h]. Ob hoc Apostolus obduci aciem nostram huic mundo, et enubilari (*V.* carm. 21, vers. 667) Christo docens, ei scilicet *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [i], id est, omnis hominis mentem venientem, sollicitat nos ab aspectu præsentium in suspectum D æternorum, et dicit : *Nolite quærere quæ in hoc mundo sunt; præterit enim hujus mundi figura* [j]. Et iterum idem : *Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est ad dexteram Patris* [k]. *Omnia enim*, ut Ecclesiastes [l] ait, *sub sole vanitas*. Proinde super solem veritas. Ita et qui in veritate consistunt, etsi intra mundum vivant habitatione corporea, tamen supra mundum sunt conversatione cœlesti. Et astrorum choros, vel cœlorum polos (*f*) evolantes spiritu scandunt et supervadunt, celsioresque elementis agunt, non subditi rebus et usibus elementorum, sed affixa [30] in Christo vita superiores mundo fiunt, manentes in eo qui est super omnia Deus benedictus in secula [m].

23. Vides quemadmodum nos a mortalibus ad Deum transferat imitator Christi [n], doctrina pariter B exemploque virtutis, auferens velamentum a corde nostro, ut *revelata facie contemplemur gloriam Dei* [o]; quæ infidelibus velamine legis absconditur, fidelibus Evangelii revelatione detegitur. Jam ergo nobis illa carnali coma opus non est. *Vetera* enim, inquit, *transierunt, et ecce nunc* **134** *omnia nova* [31] [p], quoniam *exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors et miserator, et justus Dominus. Dominus autem spiritus est. Ubi vero spiritus Domini, ibi libertas* [q] : et ideo tunc honori fuerit capillatio, cum adhuc illud spiritale velamen legis etiam corporali habitu præferri oportebat; nunc jam oneri est, postquam sol æternæ libertatis illuxit [32], et caput nobis factus est Christus, qui nos ut jugo, ita et onere capitum depressorum levaret [r]. Propterea jam audemus in voce exsultationis et confessionis [s], ut liberi, proclamare: *Disrumpamus* [33] *vincula eorum, et projiciamus a nobis jugum ipsorum* [t]. *Nunc* enim *tempus acceptum, nunc salutis dies* [u], cum jam non in umbra nubis, sed in lumine corporis sui Veritas adest. Et (*g*) opportune ad gratiæ tempus et speciem libertatis tonsor in promptu est, qui nos et prolixiore capitis velamento levet, ut gratiæ spiritalis beneficium etiam corporalis forma testetur, et in libertatis internæ lætitiam serenitas revelatæ frontis ostentet.

24. Feminis tantum comam apostolica (*h*) reliquit auctoritas; quia etsi ipsis una nobiscum fides velamentum cordis (*i*) amoveat, tamen tegimentum capitis, et frontis umbraculum, verecundiæ decus po-

[a] Psal. xxxvii, 5. [b] Psal. xvii, 33. [c] Matth. xi, 30. [d] Rom. viii, 9. [e] Psal. cxviii, 37. [f] Johan. ix, 41. [g] Gen. iii, 7. [h] I Johan. ii, 16. [i] Johan. i, 9. [j] I Johan. ii, 25. [k] I Cor. vii, 31; Col. v, 1. [l] Eccle. i, 14. [m] Johan. xv, 4; Rom. i, 25. [n] I Cor. xi, 1. [o] II Cor. iii, 18. [p] II Cor. v, 17. [q] Psal. cxi, 4; Johan. iv, 24; II Cor. v, 17. [r] Matth. xi, 29. [s] Psal. xli, 5. [t] Psal. ii, 3. [u] II Cor. vi, 2.

(*a*) Ms. Regius codex cum editis Grav. et Schot., *plene*.

(*b*) Codices omnes, *meas*. Emendavimus *meæ* ; in epistola enim 12 ad Amandum, n. 10, in eodem Scripturæ loco omnes tum editi tum mss. codices constanter habent sicut et Psalterium Romanum : *Superposuerunt iniquitates meæ caput meum.* S. Augustinus cum veteri Psalterio legit : *Iniquitates meæ sustulerunt caput meum.* S. Ambrosius, *Superposuerunt*, et explicat : *Iniquitates meæ supertransierunt caput meum.* Et præterea Paulinus noster epist. 40, n. 4, scribit, *Superposuerunt iniquitates nostræ caput nostrum.* Vide not. 83.

(*c*) Ita alibi Paulinus, et sic mss. Reg. et Vien. Ceteri codices, *cervorum*.

(*d*) Expunximus *nihil*, quæ vox aberat a ms. codice Viennensi et edit. Schot., sensum enim tollebat.

(*e*) Ita mss. Vatic. et Vien. Ante erat *pubertatis et nuditatis*.

(*f*) Ms. Reg., *evolante spiritu* : quæ lectio confirmatur inferius n. 24, *ne exaltato spiritu.... et scientia inflante dissiliant*.

(*g*) Ms. Reg. cum editis Bad., Grav. et Schot., *et opportune ad gratiam, tempus, et species libertatis tonsori in promptu est*. Ed. Grin., *ad gratiarum tempus et speciem libertatis tonsori in promptu est*.

(*h*) Ed. Rosv., *relinquit*.

(*i*) Sic manuscripti codices. Ed., *amovet*.

stulat : et ideo perfectus fidei ac disciplinæ Magister A docet indecorum viro crinem, quia *abscondi non potest caput viri Christus*, quod est et illa *supra montem ædificata civitas, in Ecclesia, quæ corpus est Christi* [a]. Itaque viro (*a*) dedecens, feminæ decus est : quæ nemini caput est, sed honestatis cultu ornat virum, et corporis seriem, quæ a capite Christi Deo, et viri Christo, et mulieris viro texitur, quasi in fundamentum locata sustentat. Sed eam quoque per consortium corporis, membrorumque texturam, participem[84] et summi capitis facit Christus : in quo *nec masculus, nec femina* [b] sumus. Habeant sane capillos, quibus juxta illam evangelicam peccatricem vestigia Christi (*b*) tergeant, et sapientiæ pedibus implicentur : ut aliud nisi sapientiam amare, nisi virtutem amplecti, nisi pudicitiam osculari nesciant; et ut extremo sal- B tem rore verbi cœlestis aspersæ dicant : *Ros enim* (*V.* not. 85), *qui abs te est, sanitas est nobis* [c]. Sint mulieribus nostris comæ, spiritalium acta virtutum, jejunia, misericordiæ, orationes. Tales enim et virum decent crines. Ornet eas Christi gratia, non capilli; castitatis gemma, non lapidis [85]; et operum in his, non odorum **135** fragret unguentum. Meminerint esse se filias illius *filiæ regis*, cujus *gloria omnis ab intus* [d] est. Intelligant cur illas Apostolus prolixiori capitis velamento tegi jusserit : *Propter angelos* [e], inquit, illos videlicet ad seductionem paratos, de quibus sancti judicabunt. Hi enim petulantius infirmiora vasa pertentant, sicut non Adam, sed Evam coluber aggressus est [f]. Unde etiam docere in Ecclesia prohibentur [g], ne exaltato [86] spiritu decreta sapientiæ au- C deant intueri, et (*c*) scientia inflante dissiliant. Profecto enim valet [87] ad confusionem malorum (*V.* not. 86), si videant mulierem sensus suos ignorantiæ specie per silentium tegere, disciplinam intellectus sui verecundo habitu confiteri, ut non audeat serpens tentandam rursus aggredi desperatione capiendæ.

25. Non frustra autem hoc eo potissimum tempore fieri debere Apostolus docet [h], cum aut oret mulier, aut prophetet. Tunc enim venit in spiritus conceptionem : et ideo tunc magis excitat tentatoris invidiam, cum in virum perfectum spirans exit terminos infirmitatis suæ. Quod autem et de oratione eadem Apostolus quæ et de prophetia sentit, non mirum, cum et alio loco dicat orari spiritu : nam et *cum oramus*, D inquit, *quemadmodum peti debeat nos nescimus, sed ipse nos Spiritus docet*. Igitur quia et in oratione fit conceptio spiritalis, ne quis, ut scriptum est, mulieri ultra vasculi sui fines agenti dolus hostis et laqueus occurrat, vult Apostolus [i] in habitu ejus ostendi esse illi supra caput potestatem, qua regatur pariter et defendatur : ea ipsa humilitate cordis virtutem illi conferente, qua scientiæ supercilium premit gubernaculo disciplinæ : et mavult timere, quam altum sapere; tutius tacita per timorem fidei, quam perita cum lingua, incassum pressura frontem capillo, nisi etiam pudore velaverit [j].

26. Ergo in commune omnis anima studeamus illis adornari capillis, quos Deus numerabiles habet, sicut ipse dicit : *Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt* [k]. Cujus vero ille capitis capillos magis numerare dignetur quam ejus cujus ipse verticis caput est? de quo dicitur : *Caput ejus ut aurum cephas* (*V.* not. 87) : quo nomine probabilius aliquod et purius aurum significari puto, sicut illud de terra Evilath [l] [88]. Hoc enim aurum forma sanctorum est [m], qui in capite corporis ut lumina micant, et sunt *aurum ignitum* [n] Deo. Quia videlicet eos per examina passionum in hujus mundi fornace conflatos, **136** *invenit*, ut scriptum est [o], *dignos se* : et in his sacram imaginis suæ percussit monetam, imprimens cordibus et linguis eorum veritatis suæ verbum : eosdemque ipsos statuens nummularios, ut secundum suam formam probabiles Domino cuderent nummos; et abolita de nobis figura Cæsaris, vivum Regis æterni numisma signarent [p], ut spiritu redemtionis inscripti, cervice jam jugo libera, et salutis titulo præmunita fronte caneremus [q] : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* [r].

27. Summa igitur ope enitamur ita nos comparare, ut divini capitis, quod nobis per gratiam Dei Christus est, crines et aurum esse mereamur [s]. Ex ipso enim capite pullulat illa cæsaries, de qua scriptum est [t] : *Capillatura ejus, ut greges caprarum*. Et bene illorum potissimum animalium nomine designantur greges Christi, quorum maxime usus in lacte est [u] : quia omnis qui (*d*) credit Deum Christum, totam Trinitatis plenitudinem in eo, quem Pater *unxit Spiritu sancto* [v], fide pietatis amplectitur. Et ideo ipsa *mater omnium viventium* [x], Christi corpus, Ecclesia, succo pietatis exuberat : et *bona ubera ejus super vinum* [y]. In quo opinor significari, quod dulcior sit libertas gratiæ in lacte misericordiæ, quam in vino justitiæ legis austeritas. *Littera enim*, inquit, *occidit*, vides censuræ merum; *spiritus autem vivificat* [z], vides uberum munus, et lactis effectum. Sed hoc, ut tu (*e*)

[a] Matth. v, 14; I Cor. xi, 3; Eph. i, 22. [b] Luc. vii, 38. [c] Isai. xxvi, 19. [d] Psal. xliv, 14. [e] I Cor. xi, 10. [f] Gen. iii, 1. [g] I Cor. xiv, 34; I Tim. ii, 12. [h] I Cor. xi, 5. [i] I Cor. xi, 10. [j] I Tim. ii, 9. [k] Luc. xii, 7. [l] Cant. v, 11, sec. LXX. [m] Gen. ii, 12. [n] Apoc. iii, 18. [o] Sap. iii, 5. [p] Matth. xxii, 21. [q] Ezech. ix, 4. [r] Psal. iv, 7. [s] Eph. i, 22. [t] Cant. iv, 1, juxta LXX. [u] Prov. xxvii, 27. [v] Act. x, 38. [x] Gen. iii, 20. [y] Cant. i, 1, sec. LXX. [z] II Cor. iii, 6.

(*a*) Ita mss. Reg., Vien. et edit. Schot. Editi quatuor, *dedecus*.

(*b*) Edit. Rosv., *tergant*. At *tergeant* verissima lectio, quæ inferius confirmatur n. 35 et carm. 32 de Obitu Celsi, v. 542.

(*c*) Sic mss. codices Reg., Vat. et Vien. et edit. Grin. in marg. Sed editi, *scientia inflatæ* : utraque lectio recepta.

(*d*) Ita ms. Vien. Alii, *credidit*.

(*e*) Ms. Regius codex cum editis Bad., Grav. et Schot., *ut tu mavis intelligi, semen detur*. Utraque lectio plausibilis. Vide not. 87.

magis intelligis, emendetur (*V.* not. 88), quo prima nascentium mulctra [59] coalescit. *Bona* igitur *ubera* [a], quæ *pastor bonus, qui pro ovibus animam suam posuit* [b], illis immulsit infantibus, de quorum ore perfecit laudem sibi, ut destrueret inimicum boni, et defensorem mali [c].

28. Ex harum caprarum gregibus erat ille vir gregis qui parvulos Christi nondum aptos solidiori cibo, teneris lactabat alimentis, quibus dicebat : *Lacte vos potavi, non esca : nondum enim poteratis, sed nec adhuc potestis* [d]. Cum autem hujus lactis alimonia creverimus, firmatis primum fidei conceptione vestigiis, adolescemus [60] in robur juventæ : et (*a*) firmata per fidem caritate atque patientia levabimus manus nostras in actionem robustiorem ; operibusque virtutum velut cibo fortiore vivemus, ut efficiamur et illi crines, de quibus scriptum est [e] : *Crines ejus abietes nigræ* (*V.* not. 88 *bis*), *sicut corax :* id est, *corvus*. Sed bonus iste corvus, nec ille ad arcam revertendi immemor, sed ille pascendi prophetæ memor : cui bene comparantur illarum abietum æmuli crines, de quibus **137** dicit, *abietes bonæ et nigræ*, *adducentes naves Tharsis* [f] ; unde nunc [61] corax iste non noctis, sed luminis corvus est ; cujus (*b*) coloris speciosi crines sunt : ideo *sancti, genus regale et sacerdotale* [g], quibus divinum caput ut ostro gloriæ suæ purpurat : quia et juvenalis gratia in hujus præcipue coloris capillo florentem vestit ætatem.

29. Non dissimulandum tamen, quod avis ista interdum forma peccati in Scripturis, interdum gratiæ species invenitur. Videtur enim esse mortifera, cum ad supplicium producitur impiorum : quia *mala*, sicut scriptum est, *per malos angelos mittit* Deus [h] : vel cum in ultione maledicti dicitur : *Oculum qui irriserit* [62] *patrem et matrem, effodiant eum corvi de convallibus* [i]. Laudabilis autem eadem avis vel cum prophetam mane panibus, et ad vesperam carnibus alit ; vel cum pulli corvorum invocant nomen Domini. Sed et color ejus aliquando in sanctis, aliquando in impiis dicitur [63]. Sponsa namque Christi dicit se fuscam esse, et decoram ; et Dominus *tenebras posuit latibulum suum*. Et rursus e contrario [64] ab Apostolo commonemur, *ne nos tenebræ comprehendant* [j]. Verumtamen illæ *abietes nigræ, et bonæ, adducentes naves Tharsis* [k], secundum ejus formam sunt, quæ fusca pariter et decora est. Ipsius enim et membra sunt Sancti, qui sicut et palmæ florentes, et cedri multiplicabiles ; ita et abietes nigræ, et bonæ sunt, quia in Ecclesia, hoc est, Dei monte, verticibus meritorum eminent, ut abietes in suis montibus. Et sicut illæ aptæ navibus contexendis, ita illi principes populi de monte legis, ut a Libano excisi, arcam Do- A mini, sive navem, hoc est, Ecclesiam per hujus mundi diluvia navigaturam, edolatis verbo Dei gentibus texuerunt, et in compagem caritatis fide stringente conjunctam fluctus mundi istius imputribiliter secare docuerunt.

30. Sed et nunc eruditæ ad apostolicam fidem animæ abietes sunt nigræ, et bonæ ; nigræ vero jam non de peccato, ut puto, magisque adhuc vel de inhabitatione corporea, vel de exercitationis internæ quasi bellico pulvere, vel pulverulento sudore nigrantes ; bonæ tamen, propter spiritalem etiam in noctibus corporum conversationem. Sic et naves, quæ fluctibus mundi supernatant : et fide veri, atque opere justi a dextris, ut scriptum est, et sinistris, velut remis armantur : qui verbo Dei quasi guberna- B culo diriguntur, et ad auram Spiritus sancti sensuum suorum sinus pandunt, et cordis sui velum vinculis caritatis, ut funibus ad antennam [65] crucis stringunt. Et arbor illis est *virga de radice Jesse* [l], quæ totam **138** corporis nostri quadriremem regit ; et cui si juxta illam poeticam fabulam, in prophetica veritate nectamur, voluntariis adstricti nexibus, et obstructis non cera, sed fide ; neque corporis, sed cordis auribus, contra hujus mundi varias ad capiendum, pares ad nocendum, illecebras [66] tuti et innocui scopulos voluptatum, quasi saxa sirenum, (*c*) prætervehimur. Adstringamur autem huic arbori fune validissimo, vincti in spe, fide, caritate, credentes cordibus, et oribus confitentes individuam Trinitatem, quæ est spartum triplex, quod non rumpitur. Hoc sparto et C opera nostra texantur, quo et rudente fidei nostræ arbor erigatur caritatis antenna, et vitæ nostræ vela sinuentur ; ut simus et abietes illæ, quæ in fabricam templi magnis ratibus intextæ ducebantur a Tharsis [m] ; vel (*d*) iidem naves, qui illam æmulemur, quæ Solomoni [67] quondam electum aurum, et opes Tyrias afferebat [68] [n]. Tanto autem studiosius et quæstuosius nostra negotiatio debet agitari, quanto rex noster æternus Jesus illo temporali Solomone præstantior est. *Ecce*, enim, inquit, *major Solomone hic* [o] : qui non *conteret* nos *spiritu vehementi* inter *naves Tharsis* [p], si illi, bono actu vitæ nostræ, lucrum, quod est pretiosissimum Deo mercimonium, convehamus : ut suum ipse pretium accipiat a nobis ; quia ipse est et margarita, quam tota spiritalis istius mercaturæ con- D versatio sibi nititur comparare. Cui coemendæ si facultas nostra suffecerit, non deprimentem sarcinam, sed levantem nos per hoc mare magnum et spatiosum vehemus [q] : et dormientem in nobis pro nostra segnitia Dominum, si vel dormientem vectare mereamur, excitare audebimus, ut increpans ventos spiri-

[a] Johan. x, 10. [b] Johan. x, 11. [c] Psal. VIII, 3. [d] I Cor. III, 2. [e] Cant. v, 11. [f] III Reg. v, 8 ; II Paral. IX, 21. [g] I Pet. II, 9. [h] Psal. LXXVII, 49. [i] Psal. CXLVI, 9. [j] Johan. XII, 35 ; III Reg. v, 8. [k] Psal. XCI, 15. [l] Isai. XI, 1. [m] III Reg. v, 8. [n] III Reg. IX, 29, et x, 22. [o] II Par. VIII, 18, et IX, 10 ; Matth. XII, 42 ; Luc. XI, 31. [p] Psal. XLVII, 8. [q] Psal. CIII, 25.

(*a*) Sic mss. Vatic. et Vien. Ceteri codices, *et confirmata per fidem caritatemque patientia*. Utraque lectio bona.

(*b*) Mss. Reg. et Vien., *color*.

(*c*) Ita manuscripti codices. Editi, *prætervehemur*.

(*d*) Ms. Vien., *illæ*.

tuum inimicorum, ve etiam nostrorum sensuum, salvos nos faciat a pusillo animo, et tempestate [a]; tendentibusque nobis ad tranquillitatem suam, maria consternat ut quasi naves suarum onerarias opum deducat in portum salutis [b], victricibusque fluctuum puppibus virides lætus imponat coronas.

31. Simus et dextera ejusdem [c], qui totus dextera est, non habentes in actibus nostris sinistram : ut ad dexteram Judicis stare, vel potius dextera ipsius Judicis esse mereamur ; et opera nostra in die retributionis sicut capillos sui capitis Dominus remunerator adnumeret [d], ut ipse jam præfatus est in Evangelio, (a) pronuntianda judicio ; cum benedictione divina, et (b) attributione [69] regifica (c) remunerabit spiritalium merita virtutum, hoc est pulcherrimas sui capitis comas qualibus et illa in Ecclesiæ typo mulier, **139** Christi vestigia unguento et lacrymis rigans tersit : quæ non tam pretio munerum, quam obsequii placuit affectu. Non enim unguentum in illa Dominus, sed caritatem dilexit, qua pudenter impudens, et pie improba sine opprobrii et repulsæ metu, extraneam sibi domum Pharisæi, non invitata, illa vi petulans penetravit, qua rapitur regnum cœlorum [e] : et tantum verbi cœlestis esuriens, non ad (d) dapes illius, sed ad pedes Christi cucurrit, seque in illis abluit, et cibavit : atque ipsos sibi pedes sacrarium, ut ita dixerim, et altare constituit. In quibus libavit fletu, litavit unguento, sacrificavit affectu. *Sacrificium* enim *Deo spiritus contribulatus* [f] quem illa immolans Deo, non solum remissionem delictorum, sed et gloriam prædicandi cum Evangelio nominis meruit [g].

32. Et quia vocandæ ex gentibus Ecclesiæ imaginem præferebat, omnia in semetipsa mysterii salutaris insignia gessit. Uncta est chrismate sui muneris ; pœnitentiæ lacrymas habuit in lavacrum, viscera caritatis in sacrificium : et ipsum vivum vivificantemque panem manibus et ore præsumsit (*id est* ante sumsit, *et sic infra* prælibavit); sanguinem quoque calicis, antequam fieret calix sanguinis, osculis sugentibus prælibavit. Beata quæ Christum in carne gustavit, et in ipso corpore Christi corpus accepit : merito prælata Pharisæo, pascenti licet Christum ; quæ Judæo epulante jejuna, non cibi, ut dixi, sed salutis avida (e) serviebat. Beata, quæ meruit in Ecclesiæ typum hac quoque specie figurari (*Ambros. lib.* VI, *in Luc.* VII), ut in domo et convivio Pharisæi non ipse Pharisæus, sed peccatrix ad veniam justificaretur. Plus hujus importunitas consequitur, quam Pharisæi dapsilitas. Etenim dispositi a seculis [70] (*V.* not. 89) sacramenti ordo poscebat, juxta illam Noe patris propheticam benedictionem, in tabernacula Sem transire habitationem Japheth, hoc est in domo legis et prophetarum, Ecclesiam potius justificari (*Ambros. lib.* VI, *in Luc.* VII), minorem temporum ævo [71], sed gratiæ lege majorem ; unde ipsius in Johanne (f) legis persona profitetur : *Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat* [h].

33. Ut autem etiam in typo congrueret Ecclesia capiti suo, bene formam peccatricis (*V.* not. 90) acceperat, quia Christus quoque formam peccatoris accepit. Sed Judæus neque caput neque fundamentum habiturus in Christo, nec caput Christi, nec pedes, unxerat ; quod utrumque pretiosis unguentis **140** mulier evangelica irrigaverat [72]. Propterea Synagogæ, neque oleum gratiæ, neque aqua refectionis a Christo est ; cujus typum illi Pharisæo gerenti, circa ipsum et olei et aquæ salutaris fontem, et aqua et oleum caritatis exaruit. De hoc fonte prædixerat per prophetam : *Oleum peccatoris non impinguet caput meum* [i] ; sicut ad Ecclesiam suam dicere potuit : *Impinguasti in oleo caput meum* [j] : quæ non solum confectione, sed etiam vase pretiosum detulerat unguentum, quod multorum graminum [73] sive florum mixta in unum gratia et virtute fragrabat. Quæ potuit nisi Ecclesia tale conficere ? quæ de variis cœlestium gratiarum floribus et succis odora, multimodas suavitates ex diversis gentibus Deo spirat, orationesque sanctorum, velut aromata pateris incensa flagrantibus, spiritu veritatis exhalat (*Ambros. lib.* VI, *in Luc.* VII) : ut ei talium florum odoribus, seu liquorum roribus, affluenti Sponsus ipse gratetur illa qua et in Canticis Canticorum voce blanditur : *Columba*, inquit, *mea, perfecta mea, quoniam caput meum repletum est rore* [k]: caput Christi Deus, et crines ejus [74] electio Sanctorum, quibus Pater gaudet in Christo, *et crines mei guttis noctis*. Ros, ut scimus, non est imbris humor, sed refrigerii, quo reficiuntur arida ab æstu diurno gramina. Hujus roris lucidis guttis non nisi serena nocte spargitur (*pro* aspergitur) terra. Unde intelligi datur, eas noctis guttas, quibus caput et crines suos sapientia maduisse lætatur, formam esse sanctorum, quam et in stellis Apostolus coruscare designat [l], quæ æque serenis noctibus micant, quibus rores cadunt. Quæ autem nox intellectu spiritali putanda, nisi passio Domini, quæ et dies illuminavit [75] ? de qua puto scriptum : *Et nox illuminatio mea in deliciis meis* [m].

[a] Matth. VIII, 24 ; Marc. IV, 38 ; Luc. VIII, 23 ; Psal. LIV, 9. [b] Psal. CVI, 30. [c] Matth. XXV, 33. [d] Matth. X, 30 ; Luc. XII, 7. [e] Matth. XI, 12. [f] Psal. L, 19. [g] Matth. XXVI, 13 ; Marc. XIV, 9 ; Johan. XII, 3. [h] Johan. I, 30. [i] Psal. CXL, 5. [j] Psal. XXII, 5. [k] Cant. II, 10, et V, 2, sec. LXX. [l] Philip. II, 15. [m] Psal. CXXXVIII, 11.

(a) Ms. codex Viennensis, *prænuntianda*.

(b) Ms. Vatic., *retributione*.

(c) Ms. Vatic., *remunerabitur*. Sic alibi Paulinus hoc verbo utitur active. Vide epist. 26 ad Sebastianum, num. 2.

(d) Ante erat *opes*. Cum Sacchino emendamus *dapes*, certa quidem conjectura petita, tum ex subsequentibus, tum inferius n. 42, ubi Paulinus ad Pharisæum : *Malo inter capillos illius Christi pedibus illigari, quam inter dapes tuas tecum juxta Christum sine Christo discumbere* ; et n. 39.

(e) Ms. Vatic. et ed. Grin., *esuriebat*. Utraque lectio bona. Verissima illa quam retinemus, nempe quæ confirmatur n. 40 : *Tu enim epulabaris ut superbires, illa jejunabat ut serviret*.

(f) Juxta ms. codicem Vien. expunximus illa verba, *unde lex ipsa*, quæ in aliis codicibus librariis inculcata fuisse videntur.

Sed si et hoc seculum noctem putes, quod conver- A sione gentium, quarum ante fidem tenebris horrebat, ut nubibus serenatum est; et nunc Ecclesiæ lumine quasi pleno lunæ perfectæ speculo, et sanctis hominibus, ut (*a*) puris in serenitate sideribus, opera fidelium, quibus animam suam quisque vivificans a præteritæ siccitatis siti reficit, quasi rores in hac, ut diximus, seculi nocte destillant.

34. Et ideo caput suum Christus tali repletum rore lætatur, et illuminator noctium nostrarum (*b*) tamen guttis noctis nostræ crines suos gaudet esse perfusos [a]; quia ipsius refrigerium et refectio est illa fidelium operatio (*id est* misericordia *seu* eleemosyna) (*V.* not. 91), quibus vel fratres juvantur, vel **141** inopes confoventur. Ideo denique et vocem Judæ aspernatus est, qui recepti corde suo zabuli spiritu B mulieris unguentum Christi pedibus invidebat [b]. Operibus enim pietatis et misericordiæ et ungitur, et (*c*) feneratur, et pascitur Christus (*V.* not. 92). Verum traditor, antequam proderet Dominum, perfidiam suam prodidit [c]: quem non pauperum, sed furtorum suorum cura commoverat, et livor mentis infidæ, ut unguentum illud, quamlibet pretiosum, dominici tamen sanguinis comparatione vilissimum, pretiosius corpore salutari judicans, indignaretur in feminam pie prodigam, quam ipse Dominus bonum in se opus testatur operatam; docens egentium curam esse posthabendam, sed sibi tantum: ut in eo ostenderet, (*d*) quod corde perverso fidei misericordiam prætulisset (*V.* not. 93), cum fomes operum fides sit, et præceptis suis præstet ipse præceptor. Nisi quod in hoc C quoque filius perditionis ostendit, quam vilem Christum haberet, (*e*) qui unguentum, quod supra Christum effundebatur, perire dixit. Et ideo non est in pretio sanguinis Christi, quia habere non potest redemtorem, quem maluit habere venalem; et jure a commercio vitæ mortis contractor excluditur, suo ipsius damnandus judicio, quo triginta [76] aureis vendidit eum, quem mulier, ut ipse taxaverat, unxit trecentis. Sed in hoc perversus, quod ipsum [77] vili æstimans Dominum, unguentum illud, quod in salutarem nobis ejus sepulturam præmittebatur, caro æstimavit [d]. Vere, ut zabulus, ignarus gratiæ Dei, in qua illi non esset portio; non caritate, sed invidia, magno æstimavit pretium mortis ejus, qua nos gratis servat, qui magno emit, non vendit [e] (*V.* not. 94). Nos enim ille vult pretiosos facere sui muneris vilitate. Ipse nobis D hac pietate pretiosior, quod se vili vult æstimari, ut ab omnibus ematur. *Quoniam* enim, inquit, *ipse fecit pauperem et divitem, et æqualiter illi cura est pro omnibus* [f]. Unde ait: *Gratis accepistis* (*f*) gratiam, *gratis date* [g]. Hujus gratiæ gratuitis opibus dives Petrus debilem pauperem, et tantummodo egenæ stipis cupidum, pecuniam non habens, sanitate ditavit.

35. Itaque egeamus avaritia auri, ut abundemus gratia; et per inopiam voluntariam vilescentes huic seculo, pretiosum Domino [78] efficiamur unguentum. Spirabimus enim bonum Christi odorem Deo, si *mortem Christi in corpore nostro circumferentes, et vitam* in spiritu *manifestantes*, et passionis Dominicæ et resurrectionis odore fragremus [h]. Mittemus [79] **142** autem unguentum in corpus Christi, si substantiam vitamque nostram (*g*) in fidem veritatis ejus et præcepti obedientiam conferamus. Tunc in ejus corpore replentia domum totam unguenta fragrabimus, si caritate perfecta possimus umquam dicere: *Mihi* autem *mundus crucifixus est* [i]; non amanti divitias (*V.* not. 95), non honores [80] seculi: non amanti quæ propria sunt, sed quæ sunt Christi [j]: non amanti quæ videntur, sed quæ non videntur. Hæ nobis erunt in virtutem et ministerium sanctum comæ, quibus et pedes Christi (*h*) detergeamus, et funes peccatorum rumpere possimus, et in spiritu libertatis gratulantes dicere: *Disrupisti* [81] *vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis* [k].

36. Sed dum currendi spatium, dum serviendi tempus est, pascamus hujusmodi comam: et imitemur non solum dilectionem illius evangelicæ peccatricis, ut amore magno magna debita diluamus, sed et importunitatem ejusdem, ut (*i*) præripiamus iræ imminenti salutem. Opportune, importune panem vitæ quærentes, patrisfamilias januam et nocte pulsemus [l]. *In noctibus* enim, inquit, *extollite manus vestras in sancta* [m]. Omnis in Christo sapientis limina (*V.* not. 96), ut jussum est, exterentes, ubique captemus cibum vitæ, (*j*) ubicumque aucupemur verbum Dei; de omnium fidelium ore pendeamus, quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat: et necesse est a minimo Dei servo vel guttam cœlestis sapientiæ destillare, quæ ariditatem mei cordis irroret [82]; et mihi supra hujus seculi sapientium flumina ad potum utilitatis exuberet: quia *malo quinque verba loqui in lege* (*V.* not. 97), *quam multa millia in lingua* [n]; sicut *unum diem in atriis Domini vivere, quam millia in tabernaculis peccantium* [o],

[a] Cant. v, 2. [b] Johan. XIII, 2; Matth., XXVI, 10; Marc. XIV, 6. [c] Johan. XII, 6. [d] Matth. XXVI, 15; Marc. XIV, 5; Luc. XXII, 5. [e] I Cor. VI, 20. [f] Matth. x, 8. [g] Act. III, 6. [h] II Cor. II, 15; II Cor. IV, 10; Matth. XVI, 7; Marc. XIV, 3. [i] Gal. VI, 14. [j] Philipp. II, 21. [k] Psal. CXV, 16 et 17. [l] Luc. XI, 5 et 8. [m] Psal. CXXXIII, 2. [n] I Cor. XIV, 19. [o] Psal. LXXXV, 11.

(*a*) Sic manuscripti codices Reg., Vat. et Vien. At editi, *purissimis serenitate*.

(*b*) Abest *tamen* ab editione Schot. et a ms. codice Vaticano, in quo totus locus sic legitur: *Et illuminator noctium nostrarum guttis noctis nostræ crines suos esse perfusos gaudet.*

(*c*) Ita mss. Reg. et Vien. Alii codices, *serenatur.* Vide not. 92.

(*d*) Sic ms. Vien. cum edit. Schot. Ceteri, *ut.*

(*e*) Expunximus particulam *ut* quæ a manuscriptis codicibus aberat.

(*f*) Addidimus *gratiam* ex mss. Reg. et Vatic. Vide seqq.

(*g*) Sic mss. codices. Editi, *in fide... et obedientia.*

(*h*) Ita ms. Reg. cum editis quatuor. Alii codd., *detergamus.* Vide num. 24. *tergeant.*

(*i*) Sic mss. Reg. et Vien. Verissima lectio quæ ex infra sequentibus confirmatur n. 36 et n. 4 supra.

(*j*) Hic et inferius ex mss. Reg. et Vien. reposuimus *ubicumque:* quæ lectio confirmatur ex sequentibus. Editi, *ubique.*

quoniam *spiritus ubi vult spirat, et audio vocem ejus et nescio unde veniat* [a]. Igitur ubicumque auram ejus captabo: undecumque vel tenuem halitum legam. Quocumque vel in domum indigni (*V.* not. 98), vel in domum Pharisæi audiam justum venisse, contendam præripere hospitis gratiam, præripere si possim regnum cœlorum. Ubicumque mihi resonaverit Christi nomen, accurram; ad cujuscumque interiorem domum Jesum intrare cognovero, et ipse properabo. Cum reperero sapientiam, cum reperero justitiam in alicujus penetralibus recumbentem, curram ad pedes Christi [b], ut vel extremo sapientiæ vestigio signer; nec fastidiam pedes, immo optabo, ut vel pedibus suis tangat caput meum Christus. Illa fimbriam tetigit, et curata est; alios et transitu [85] apostolici corporis inumbrando sanavit [c].

143 37. Expandamus illi capillos (*V.* not. 99), id est, omnes nostrorum insignium dignitates ante ipsum sternamus; et dejiciamur a nobismetipsis, ut exaltemur ab illo, *qui in altis habitat, et humilia respicit* [d]. (*a*) Lacrymis delicta nostra fateamur, ut de nobis quoque dicat Justitia illa cœlestis: *Lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit* [e]. Fortasse enim ideo (*V.* not. 100) non (*b*) laverit pedes suos cum discipulorum lavaret, ut eos nostris lacrymis nos (*c*) lavemus. Non mediocris anima illa meriti est, de qua potest dicere Sapientia: *Ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos* [f]. (*d*) Quid est hoc osculum, nisi pignus æternum illius caritatis, quæ *operit multitudinem pecatorum* [g]. Hæc oscula Sponso suo jam tunc parabat Ecclesia, quando cantabat: *Osculetur me* (*e*) *ab osculis oris sui* [h]. Quod privilegium sola sibi catholica dilectio jure vendicat [86], quæ unica atque perfecta uni viro ab ipsius ore Verbi petit oscula veritatis, ne fraudis hæreticæ veneno, ut incestis [85] oris alieni osculis polluatur.

38. Pedibus ergo Christi oscula casta figamus, ut mereamur a pedibus in caput surgere; et in superiora corporis membra crescentes, jam de proximo vultus audeamus et oris ipsius oscula [86] postulare. Et, cum Dei verbum puro corde libantes, *gustaverimus quam suavis est Dominus*, tunc anima nostra totis in amore sapientiæ visceribus accensa, dulci refrigeretur ardore, et confixa ignitis dominicæ caritatis sagittis, quibus omnis alia inimicarum delectationum dilectio [87] interficitur, dicat in corde compuncto: *Quoniam vulnerata* (*f*) *caritatis* (*V.* not. 101) *ego sum* [i]. Beatus vero qui potest et osculo (*g*) tangere pedes Christi [j]. Quis mihi misero os adureret, et linguam meam cœlesti illo carbone purgaret, ut vel calcaneum Christi mererer summo tenus ore contingere, et subdito capite (*h*) sola (*id est* vestigia. *V.* not. 102) sancta tergere, ut caput meum potius Christi pedibus tergeretur; et, dum pedes lambo divinos, piarem castis labia immunda vestigiis (*id est* pedibus).

39. Exhortemur ergo nos invicem, certatimque dicamus: *Venite adoremus, et ploremus ante Dominum, qui fecit nos* [k]. Illi flentes, nostra gaudia (*i*) seminabimus: illius vestigia perungentes [88], vulnera nostra sanabimus. Quidquid enim Christo impendimus, nobis 144 potius conferimus. Denique illa perfundendo Christum se abluit; pedes illius detergendo, sua peccata mundavit: illum diligens, se dilexit. Et ideo meruit audire: *Filia, fides tua te salvam fecit* [l]: quod ille, qui erat de filiis regni, non meruit audire, magisque justificata est hæc servitio, quam ille convivio. Pharisæus enim non crediderat, ista credebat. Denique ille dicebat: *Hic si esset propheta, sciret* [89] *utique quæ esset mulier quæ eum tangit* [m]; et ideo non justificatus est convivio, ad quod quasi tantum hominem invitaverat Christum, imputans forte illi, (*j*) qui propter nos et pauper erat, quod tanti fecisset in dapes suas pauperem dives assumere [90] [n]. Illa vero non tanto ambitu servitutis, et impendii, et lacrymarum, sperasset remissionem peccatorum, nisi Deum credidisset in Christo: et ideo in extremo licet Salvatoris vestigio caput suæ salutis invenit.

40. Quo te, miser Judæe, jactabis? In domo tua te peccatrix nostra prævenit, ingressa in labores tuos. Tu enim epulabaris ut superbires, illa jejunabat ut serviret [o]. Et quam de urceis tuis effundendam negaveras aquam, illa de suis oculis ministrabat. Tu pedes Christi nec linteo, illa crine detersit [p]. Quos tu indigne nec manibus contingere voluisti, illa osculis mulcere non destitit. At certe tu potius hoc mi-

[a] Johan. III, 8. [b] Matth. IX, 10. [c] Act. V, 15. [d] Psal. CXII, 5. [e] Johan. XIII, 5. [f] Luc. VII, 5. [g] I Pet. IV, 8. [h] Cant. I, 1, sec. LXX. [i] Cant. II, 5, et IV, 9. [j] Isai. VI, 7. [k] Psal. XCIV, 6. [l] Luc. VII, 50. [m] Luc. VII, 39. [n] II Cor. VIII, 9. [o] Johan. IV, 38. [p] Luc. VII, 44.

(*a*) Manuscriptus codex Vaticanus addit *in cœlo et in terra*.

(*b*) Ms. Vien., *laverat*.

(*c*) Ms. codex Vaticanus et ed. Schot., *lavaremus*, recte si cohæreat superiori lectioni codicis Viennensis. Vulgata lectio est ex Ambrosio.

(*d*) Mss. Reg. et Vien. cum ed. Bad., *Quod*.

(*e*) *Ab osculis*, secundum versionem LXX interpretum. In explanatione homiliæ 1 Origenes ostendit legendum esse in numero plurali *ab osculis;* et sic etiam Ambrosius in psal. CXVIII serm. 1, et lib. de Isaac, cap. 3.

(*f*) Ante erat *caritate*. Legimus cum ms. codice Regio *vulnerata caritatis*, juxta versionem LXX interpretum. Græcismus ille Paulino nostro familiaris est, sic epist. 11 ad Severum, n. 8, dixit *roris sparsæ;* et in Natali 6 S. Felic., carm. 18, v. 123, *pietatis circumfusus*. Vide not. 101.

(*g*) Ms. cum editis quatuor, *ungere. Oleo ungere* apud Ambros. lib. VI in Lucam, cap. 7. Sed lectio quam retinemus concinnior est, eaque confirmatur ex præcedentibus et subsequentibus verbis.

(*h*) Ms. Vien. codex, *soleam sanctam*. Vide not. 102.

(*i*) Edit. Rosv. *seminabamus*, mendose, refragantibus ceteris codicibus. Vide seqq.

(*j*) Ms. Viennensis codex, favente ms. Regio, *quia*.

nisterium in domo tua recepto hospiti debuisses, si vel exemplo patrum fas hospitale servasses. Sed sufficit vobis ad superbiam jactare patrem Abraham [a]; et ideo te illa prævenit, quæ affectu fideli se potius patris tui filiam comprobavit; a quo te degenerem etiam ista inhumanitas arguit, quà dedignatus es lavare pedes Domini cum et Abraham angelorum, et ipse Dominus laverit servulorum. Quamquam tunc quoque fidei pater etiam Christi pedes laverit, quem unum de tribus propheticis videns oculis adoravit; et ideo vos ipse sic increpat ore præsenti : *Si filii Abraham essetis, opera Abraham faceretis* [b], et addit [91] : *Ille vidit diem meum, et gavisus est* (*a*). *Beati* autem *et qui non viderunt*, sed cum videntibus *crediderunt* [c]. Ex quo manifestum est, nobis acquisitam [92] fidem, tibi perfidia (*b*) perisse naturam.

145 41. Sibi ergo habeant arrogantiam, sibi divitias, sibi nobilitatem et justitiam suam, qui Abraham patrem corpore magis quam spiritu gloriantur, incircumcisi corde, et sola carne Judæi [d]. Nobis et ad salutem et ad gloriam satis est Christus, et ipse crucifixus ; qui nos de lapidibus in Abraham filios excitavit, illis contra de Abraham filiis in nostræ originis lapides obrigescentibus [e]. Nobis Ephrem sinister ad dexteram, benedictus proficit, illos in Manasse, qui præsumptione senioris avo dexter astiterat, translata in [93] caput sinistra [f], crucis (*c*) mysterio denotavit : quia crux Judæis scandalum [g], Christianis futura gloria, illum esset sinistrum factura de dextero, et me dexterum de sinistro : quia Judæis in nostra deserta labentibus, et nobis in illorum sata invadentibus, sunt cæcitate quod fuimus, et sumus gratia quod fuerunt [h]. Sed non ita nostra salute (*d*) gandebimus, ut vestro lætemur interitu. Docti enim sumus a vestri corporis fratre, sed spiritus nostri Magistro (*V.* ep. 30, num. 5), non insultare ramis fractis [i] : quia ipsi non ex operibus, sed ex muneribus miserationum Dei, in arborem vestræ stirpis inolevimus. Potens autem est communis Dominus, sed Christianorum pater, hoc est, fidelium Deus, item [94] vos genuinis corticis vestræ sinibus inserere, et vestro cespiti replantare; qui nos vestræ pinguedinis succo per adoptionis beneficium medullavit, ut utrosque in unum Domino [95] fructificantes radix una sustineat.

42. Interim malo peccatricis et pauperis nostræ divitias in lacrymis et affectu, quam tuas in impietate et littera : illius jejunium, quam tuum convivium [j].

A Malo inter capillos illius Christi pedibus illigari [96], quam inter dapes tuas tecum juxta Christum sine Christo [97] discumbere. Si modo unguentum ad pedes Christi non habeam, in adventu ejus ad meas faces oleum non habebo [k]. Et væ mihi si unguentum meum (*V.* not. 103) vile sit : pretioso enim opus est, ut consepeliri merear sepulturæ ejus : cujus nisi morte commoriar, resurrectione non vivam [l]. Ergo illum amemus, quem amare debitum est. Illum osculemur, quem osculari castitas est. Illi copulemur, cui nupsisse virginitas est. Illi subjiciamur, sub quo jacere, supra mundum stare est. Propter illum dejiciamur, cui cadere resurrectio est. Illi commoriamur, in quo vita est.

43. Et quam digne vicem huic Domino referre
B poterimus, in quo et mortui vivimus [m]? **146** qui vicissim nobis hoc esse dignatur, quidquid illi fuerimus servuli sui [n]. Ita [98] enim se immiscet nobis, ac nos sibi conserit, ut quod ipse accepit, nobis proficere faciat ; qui quod nobis, id est, minimis ejus tribuitur [o], sibi acceptum ferat. Sic et honori suo implicans suos, prope omnia nobis etiam nomina (*V.* not. 104) sua communicavit. Ut virtus Dei dicitur, ita et nobis virtus esse dignatur. *Deus enim nostrum refugium et virtus* [p]. Hereditas ut illi nos, et ille nobis. Nam sicut habes in Moyse : *Facta est Dei portio populus ejus Jacob* [q]; ita et in psalmis habes : *Portio mea Dominus* [r]. Et sicut ipse de se ait [99] : *Ego sum lux hujus mundi* [s]; ita et ad suos dixit : *Vos estis lux hujus mundi* [t]. *Ego sum*, inquit, *panis vivus :* et *nos*
C *omnes unus panis sumus. Ego sum*, ait, *vitis vera ;* et tibi dicit : *Plantavi te vitem fructuosam*, (*e*) *omnem veram. Mons* Dei Christus, *in quo beneplacitum est Deo habitare in eo*, et sancti ejus *montes Dei*, *montes uberes*, *de quibus nos illuminat* (*f*) *mirabilis a montibus æternis*. Petra est Christus : *Bibebant enim de spiritali sequente eos* [100] *petra, petra autem erat Christus* [u]. Etiam discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit, cui dicit : *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* [v].

44. Sed quid miramur eum famulis suis indulsisse sua nomina, quibus et patrem suum participat et regnum. *Dedit* enim *potestatem recipientibus se filios Dei fieri* [x]; et, quantum in ipso est, omnibus dixit
D hominibus : *Dii estis, et filii Excelsi omnes* [y]. Nos vero nostrarum crimine voluntatum, sicut homines mori-

[a] Gen. XVIII, 3, et XIX, 2, et XXIV, 31. [b] Johan. VIII, 39. [c] Johan. XX, 29. [d] Johan. VIII, 39; Act. VII, 51; I Cor. II, 2. [e] Matth. III, 9. [f] Genes. XLVIII, 14. [g] I Cor. I, 23. [h] Johan. IV, 38. [i] Rom. XI, 18. [j] Luc. VII, 38. [k] Matth. XXV, 3. [l] Rom. VI, 4. [m] Colos. III, 3. [n] Luc. XII, 37. [o] Matth. XXV, 40. [p] Psal. XLV, 2. [q] Deut. XXXII, 9. [r] Psal. CXVIII, 57, et CXLI, 6. [s] Johan. VIII, 12. [t] Matth. V, 14. [u] I Cor. X, 4. [v] Matth. XVI, 18. [x] Johan. I, 12. [y] Psal. LXXXI, 6.

(*a*) Ms. Reg. *Beavit*. Ita Paulinus ep. 49 ad Macarium n. 5, *beavit pauperes spiritu*.

(*b*) Sic mss. Vatic. et Reg. Editi addunt *non*. Emendavimus *perfidia*, refragantibus omnibus codicibus, in quibus *perfidiæ*, nullo seu potius contrario sensu. Vide ep. 50, n. 1.

(*c*) Ita mss. Vatic. et Vien. Editi mendose, *ministerio*.

(*d*) Ms. Vien., *gaudemus*.

(*e*) Sic mss. Reg. et Vatic. et S. Ambrosius l. VI in Luc. c. 9. Quod magis respondet editioni LXX interpretum, *Plantavi te vineam frugiferam omnem veram*, πᾶσαν ἀληθινήν. Ubi Vulgata : *Plantavi te vineam electam*, *omne semen verum*. Editi codices nostri, *vitem veram*. Vide not. 105.

(*f*) Legit Paulinus, θαυμαστὸς, pro θαυμαστῶς.

mur, et sicut unus de principibus cadimus [a]. Unus enim principum angelorum fuit, antequam dejiciendo cadens fieret zabulus, cui dicitur: *Quomodo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur* [b]? Sed non sicut ille, in æternum interitum damnati sumus: quia ille autor peccati fuit, simulque pro se et pro homine punietur, qui eodem periit scelere, quo perdidit. Homo autem non in finem meruit exterminari paradiso, et terra esse, quia divina Justitia levius [101] judicavit, aliena mente peccasse, quam propria. Criminosius est decipere quam decipi, et peccatum excogitare, quam facere. Et ideo temporaliter et ad emendationem punitus est fraudis assensor [102], in æternum autem supplicium destinatus mortis inventor, cui numquam deficiet [103] pœna peccati, quia numquam desinit. Itaque non angelus, non legatus, ut scriptum est, sed ipse Dominus **147** *venit* erigere allisos, solvere compeditos [c], *et salvum facere quod perierat* [d]. Sed ut illum deceptorem nostrum mutua quasi deceptione confunderet, per mysterium pietatis suæ dignatus est unigenitus Dei Filius ipsam nostræ fragilitatis suscipere naturam, ut de ipsa, quam deceperat, zabulus vinceretur; et qui semper sub Dei virtute et legibus fuit, ut est [104], homini subjugaretur.

45. *Quid* ergo illi *retribuemus pro omnibus quæ retribuit nobis* [e]? Retribuit enim, sed ut bonus Dominus bona pro malis, cui nos mala pro bonis ingesseramus. Benedicebat, et maledicebamus. Ille sanabat, et nos blasphemabamus: justificabat impios, *et cum iniquis deputabatur* [f]. Quid ergo illi pro malis meis quæ pertulit, quid pro bonis suis quæ contulit, referam? quid pro suscepta carne (*V.* not. 106)? quid pro alapis? quid pro opprobriis [105]? quid pro flagellis? pro cruce, obitu, sepultura, rependam? Esto, reddamus crucem pro cruce, funus pro funere; numquid poterimus reddere quod *ex ipso*, *et per ipsum*, *et in ipso* habemus *omnia* [g]; et ipsi, qui habemus, (*a*) ab eo sumus? *Ipse* enim *fecit nos*, *et non ipsi nos* [h], et anima nostra semper in manibus ejus. Reddamus ergo amorem pro debito, caritatem pro munere, gratiam pro pecunia. Væ enim nobis, nisi dilexerimus.

46. Quando autem sperem me miserum et egenum huic Domino posse reddere, cui nec apostoli se reddidisse profitentur. Audi denique unum de ipsis confitentem se non reddidisse, qui dicit: *Quis prior dedit ei, et* (*b*) *retribuetur illi* [i] (Ambros. lib. VI in Luc. c. 7)? Sed ipsi gratias, qui nobis tanti fenoris remittit usuras, et obligationis immensæ compendium præstat, solam a nobis dilectionem sui repetens; quam inter præcepta sua principali loco ponens, ostendit quomodo illi insolubile debitum etiam inopes solveremus. Nemo se igitur excuset difficultate solvendi, quia nemo se potest dicere animum non habere. Non sacrificia, non (*c*) munera sumtuosa, non duri labores exiguntur a nobis: in nobis est, unde solvamus. Res enim potestatis nostræ est, noster affectus: hunc Domino impendamus, et solvimus. Denique David liberatus de manu omnium inimicorum suorum pro salutis suæ plena securitate, non regni opibus [106], sed animi solvens, ait: *Diligam te, Domine, virtus mea* [j].

47. Addo etiam amplius eum, qui creditor est, debitorem fore, si illi pretium bonitatis suæ, quam nobis indebitam præstat, gratuita diligentes animo [107] pensione solvamus. Diligitur **148** autem et in nobismetipsis, quia ipse dixit, hoc signum fore discipulorum suorum si diligerent invicem dilectione qua ipse dilexit nos [k], id est, ut cor unum et unam animam habeamus in Christo [l]: et id quisque proximo suo faciat, quod sibi fieri cupit [m]. Quo magis tua caritate gloriamur in Domino, quæ sola nos facit aliquatenus vel unum de magnis et innumeris debitis Deo solvere. In omnibus enim aliis bonis vix nos tantum vel in paucis initiatos, in tua tantum dilectione profitemur esse perfectos.

EPISTOLA * XXIV.

Severus Paulinum laudaverat, quod facultates suas in pauperes contulisset, quo Christo impensius militaret. Respondet Paulinus rem esse non magni momenti, si quis divitias abjiciat, nisi sibimetipsi renuntiet; eumque docet in quo sita sit evangelicæ paupertatis perfectio. Deinde quanta pericula, insidiæ quantæ, quot Christo militantibus hostes immineant, enumerat, ut ostendat, externa reliquisse, pugnæ initium esse, non victoriam.

1. Habeo tibi adhuc aliquid dicere; (*d*) quamquam tu in opertis litterarum promptuariis accipias, et super tecta, quantum in te est, ut ipse profiteris, studeas prædicare. Sed si hanc, quam de te apud te nunc deposituri sumus querimoniam, inter cetera loquacitatis nostræ inepta depromseris, tuam simul temeritatem divulgabis: de qua conquerentes hanc epistolam facimus [1], superioris fine commoniti, de caritatis videlicet et perfectionis verbo, ut istius faceremus exordium. Hæc enim nobis de nimio [2] tuæ unanimitatis affectu expostulandi causa est, quod te multa dilectio usque ad mendacii peccatum trahit.

[a] Psal. LXXXI, 7. [b] Isai. XIV, 1. [c] Psal. LXLV, 8, juxta Psal. Rom. [d] Luc. XIX, 10. [e] Psal. CXV, 12. [f] Isai. LIII, 12. [g] Rom. XI, 36. [h] Psal. XCIX, 3. [i] Rom. XI, 35. [j] Psal. XVII, 2, juxta Psalt. Rom. [k] Johan. XIII, 35. [l] Act. IV, 32. [m] Matth. VII, 12.

* Alias 2; quæ autem erat 24, nunc 21. Scripta et missa cum superiore, anno 401.

(*a*) Ex ms. Vatic. et ed. Grin. addidimus *ab eo*.

(*b*) Ita ms. Vien. codex, Græcus textus, Vulgata et Tertullianus adversus Hermogenem, n. 17, et Ambrosius lib. VI, cap. 7 in Luc. Alii codd., *retribuitur*.

(*c*) Ms. Vatic. et ed. Grin. in marg., *itinera*, haud omnino sine causa, inquit Sacchinus, antiquitus enim erant *itinera* necessaria ut adiretur Hierusalem ad offerendum sacrificia. Quod non placet. Quid enim sibi vult, *itinera sumtuosa?* Vera igitur lectio *munera sumtuosa*, quæ ex prædictis confirmatur.

(*d*) Ms. Vien., *quamquam tu qui in opertis, litterarum promtuaria accipis.*

Sive enim ea reputem quæ de te, sive illa quæ de nobis loqueris, onera nostra injustis laudibus cumulans, tua falsis vituperationibus minuens, arguam te in caritatem de caritate peccare. *Caritas* enim, inquit *benigna est : caritas proximo malum non operatur* [a]. Benignam eam nobis exhibes, quod experimur; nam et in eo gloriamur : sed vide ne contra ejus regulam videaris operari malum proximis, quibus sarcinam peccatorum pondere indebitæ laudis (*a*) accumulas; et quasi non idem volens nobis, quod tibi, siquidem de nobis ita loqui justum existimes, ut de te inutile tibi judicas, (*b*) jure audies : *Si recte diligis et non* **149** *recte dividas, peccasti* [b] (*V.* not. 107). Nisi forte id quoque altiore pietatis consilio facias, ut dum aliena nobis bona verbis indulges, stimulum pudoris suggeras, ut legentes quod esse debemus, boni esse discamus, nitamurque nos juxta sermonem tuum promere; et forsitan possimus [3] effici (*c*) quod non sumus, dum erubescimus non esse quod dicimur. Interim tamen dum conscientia non agnoscit fidem sermonis tui, blandimentum aspernatur verecundia. Quæ te apud teipsum, ut dixi, conveniat [4]; cur audeas [5] nobis, ut decertato agone victoribus palmam perfectionis adscribere, quod omnem [6] terrenæ possessionis sarcinam exposuisse (*id est* deposuisse. *V.* carm. 23, v. 66) videamur : te contra adhuc infelicem, et in luto fæcis infernæ adhærentem ingemiscas, quod vel unum, ut scripsisti, prædiolum non vendidisse videaris; cum ipsum quoque æque ut vendita a tuo jure præsenti alienaveris : ut majoribus fidei fructibus bis devotus existeres Deo : diverso mercimonii opere, sed uno vitæ lucro intra ejusdem præcepti terminos venditor largitorque fundorum, et ideo sine animi captivitate possessor : quia et quæ reservasti [7], Ecclesia te serviente possideat (*V.* not. 108).

2. Itaque de ipsius Domini verbis nostras pariter ac tuas pende rationes, ne vel tibi ut impedito diffidas, vel nobis ut jam liberis congratuleris. Cogita divisiones esse gratiarum, et mensuras donationum; quas ut in corporis sui membris unus atque idem dispensator operatur Deus [a], diversa in suo corpore distinguens placitis membra muneribus [c]; sed corpus unum ex diversitate membrorum struens, ut hinc quoque gratia sacri corporis augeatur [d], si multiplex virtus in una compage numeretur : ut *stet regina a dextris ejus in fimbriis aureis, circumamicta varietate* [e].

A Vide nunc quantum in ea tibi donaverit Deus [9] : cui et in illorum sorte tribuit portionem, qui in lege perfecti vixerunt [10], ita possidentes, ut non possiderentur a possessionibus suis, neque ullam aut rerum aut necessitudinum caritatem, ut in Job [f], et Abraham, et Lot ostenditur [g], dominicæ caritati et disciplinæ anteponerent : sed et eorum [11] sis particeps, quos evangelica plenitudo consummat : qui majoris opulentiæ et illecebræ prædia vendidisti.

3. Unde confido (*d*) parem tibi in medio divinarum sortium requiem, ut *dormias*, sicut scriptum est, *inter medios cleros* [h], id est *sortes* Domini, quæ in duobus Testamentis accipiuntur, de quibus hereditas Domini, **150** et sanctorum plenitudo perficitur. Unde paratus sum dominico adversum te verbo [12] in diver- B sum uti, ut dicam tibi : In fratris tui oculo festucam gratiæ vides, et in tuo ejusdem boni massam non sentis [i]; cum utrasque, ut dixi, sanctorum occupaveris partes : nec in reservatis [13] prædiis possessor, et perfectus in venditis. Itaque et in quo possessor videris, soluta a possessionum vinculis mente perfectus es : qui collecti temporis memor illud Apostoli [j] comples, ut habens non habeas; quia non tibi, sed non habentibus habes. Domus tuæ hospes es, ut sis hospitum domus : patriæ tuæ peregrinus es, et exsul istius mundi; ut sis incola paradisi, et patriæ civis antiquæ. Non tricliniis tua tecta occupas, neque (*e*) supellectilis aut pecuniæ molibus stipas; sed peregrinis [14] et egentibus, unius ipse metator anguli, comples, tuorumque confamulus vernularum temporale habitaculum C tui tecti, non ut paterfamilias usurpas, sed ut mercenarius vel inquilinus (*f*) inanis, stipendium, quasi precariæ mansionis Domino (*g*) altissimo pensitans de socia et corporis tui et animi servitute.

4. Quod si juxta operis modum porrigenda est vel contrahenda merces, et compensatio quædam facti infectique facienda est, (*h*) æque ratio perfectionis animi tui cum eorum opere ducetur, qui omnia vendiderunt : quia [15] nec tu tibi aliquid vel in jure, vel quod est amplius, in animo reliquisti : qui sic uteris mundo, quasi non utaris [k]. Atque haud scio, an fortioris fidei judicanda sit ista constantia et firmitas tui cordis, qua inter ignes non ureris [l] : inter laqueos non caperis; picem tangis, nec inquinaris [m]; quam eorum, quos tu fortes putas; ego autem infirmiores ar- D bitror judicandos : quia non credentes infirmitati suæ, festinaverunt alienare omnia, quibus inhærere timue-

[a] I Cor. XIII, 4; Rom. XIII, 10. [b] Gen. IV, 7, juxta LXX. [c] Rom. XII, 4. [d] I Cor. XII, 4. [e] Psal. XLIV, 10 et 15, juxta Psalterium Rom. [f] Job. I, 21. [g] Gen. XII, 4. [h] Psal. LXVII, 14. [i] Matth. VII, 3; Luc. VI, 41. [j] I Cor. VII, 30. [k] I Cor. VII, 31. [l] Prov. VI, 27. [m] Eccli. XIII, 1.

(*a*) Ms. Regius, *accumulans*.

(*b*) Ita mss. Reg. Vien. et editi 4. Edit. Rosv., *audias*. Ibid. loco *diligis* apud LXX et apud Ambrosium multoties legitur *offeras*. Vulg., *si bene egeris*.

(*c*) Hæc restituimus ex ms. Vien. Ante legebatur *possimus effici : quod nostra tamen dum conscientia*, etc. Ms. Reg., *effici, quod, non tamen*, etc. Exscriptor videtur voluisse scribere ut in ms. Vien. cum eadem interpunctione.

(*d*) Ms. Vien., *paratam*.

(*e*) Ms. Vien., *supellectilibus*.

(*f*) Ita ms. Vatic. et ed. Grin. Quod pulchrum sensum efficit : *inanis*, id est pauperrimus. Alii, *manes*.

(*g*) Hanc vocem addidimus ex ms. Vien. Quod confirmatur infra n. 9.

(*h*) Sic ms. Vien. Edit. codd., *æqua ratione perfectio..... ducitur*. Ms. Reg., *perfectionis*, etc., ut in editis.

runt : Tu igitur *inter mortuos liber* [a], qui in possessione terrena terra jam non es, et (*a*) terris emines, nec morticiniorum contagione pollueris, nec habitas in dormientium projectorum sepulcris [b] (*V.* not. 109), quia in cœlo sepelisti vitam tuam, quam in Christo 'abscondisti [c]. Nos autem non patiamur invidiam perfectionis; sed potius accipiamus veniam infirmitatis : quia negare non potes, fortius esse manentibus, quam alienatis rebus carere : et spernere quod habeas, quam non habere quod spernas.

5. Sane considera ipsa, de quibus nobis arrogas perfectionem, verba Domini, et videbis te principia pro fine posuisse. *Si vis*, **151** ait, *perfectus esse, vade et vende omnia tua, et da pauperibus* [d]. Si in hoc sententiam terminasset [16], te falso arguerem; et ultro B exposcerem, ut mihi tamquam vicina de similitudine ejusdem studii anima congratulareris, quia agonis impleti palmam quasi decimam illam drachmam, quam in primo carnis parente perditam [e], intra domum tamen, tandem accenso verbi salutaris lumine inventam, in manibus jam teneremus : sed cum videas quantæ molis verbum supersit, cum ipse Dominus majestatis adjiciat : *Et veni, sequere me* [f]; istam potius difficultatem considera, et dilatato corde metire, tunc intelliges majores tibi causas pro nobis superesse sollicitudinis, quam esse gratulationis. Facile enim nobis bona vel onera apposita pallium remittentibus exciderunt : et quæ nobiscum non intuleramus [17] in hunc mundum, nec poteramus (*b*) efferre nobiscum, quasi mutuata reddidimus; nec ut cutem C a carne distraximus, sed ut vestem a corpore deposuimus [g].

6. Nunc opus est, ut quæ vere nostra sunt dependamus Deo, hoc est, cor, et animam, *et corpora nostra exhibentes in hostiam vivam* [h], ut scriptum est, *Domino*, nosque ipsos ædificantes ei in templum sanctum [i], in ipso lapide angulari, qui nobis sanctificationis nostræ formulam in semetipso dedit, et ait : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum* [j]. Quæ igitur nobis gratia, si in alieno tantum fideles fuerimus, nisi de proprio serviamus? id est, de libero voluntatis arbitrio, ex toto corde nostro, et ex totis animæ nostræ, ut scriptum est [k], viribus [18] diligentes Deum? In quem nos affectum lacessit [19] propheta, qui dicit : *Voluntarie sacrificabo tibi* [l]. Hoc enim acceptum et D placitum coram Deo, ut *bonum nostrum sit voluntarium* [m] : quatenus [20] recipiamus quæ nostra sunt, paradisi scilicet domum, et vitam æternam, in quibus creati sumus : quam si ab hujus terræ, in quam damnatione devenimus, possessione purgati receperimus,

A tunc vere, ut ab exsilio in patriam restituti, vel a peregrinatione longinqua in genitalem domum reduces, poterimus dicere : *Portio nostra* Dominus [21] *in terra viventium* [n].

7. Quamobrem temporalium, quæ in hoc seculo habentur, bonorum relictio sive distractio, non decursus stadii, sed ingressus; nec ut meta [22], sed janua est. Non enim athleta tum vincit [23], cum exuitur : qui ideo nudatur, ut incipiat dimicare, cum legitime certaverit coronandus [o]. Et natator amnem interpositum superaturus exuitur : nec tamen hoc tanto apparatu, quod se dispoliaverit, transnatabit [24], nisi totius corporis **152** nisu, et omnium scita mobilitate membrorum, et propulsu pedum, et remigio brachiorum, et lateris illapsu, torrentis impetum scindat, et B laborem natationis exhauriat.

8. Video tamen nobis et in beato patriarcha Jacob hujus expeditionis ordinem prolusisse [p]; cum illum lego, posteaquam torrente transmisso, præmissis curarum suarum oneribus, id est, facultatum corporalium et necessitudinum impedimentis, solus in tabernaculi loco remanserat, Deo colluctatum, cum extorquenda benedictione prævaluit : et illud cœlo terrisque sacratum [25] Israel nomen accepit. In quo, tametsi principaliter sacramenti salutaris præfiguratio esse videatur, quod videlicet in Judæorum typo, hoc est, corporis sui sobole, Jacob prævaluerit Domino; sicut ille populus in ejus (*c*) passione Pilato extorquenda prævaluit, sicut scriptum est, cum dicerent : *Crucifige, crucifige, et invalescebant*, inquit, *voces eorum* [q] : at- C tamen in hujus nostri [26] nunc ratione sermonis eatenus usurpanda videtur historia, quatenus imaginem Evangelicæ præceptionis operata est, ut illo [27] videlicet exemplo intelligamus, non posse nos esse idoneos ad congrediendum Deo : cui utique congredimur, cum verbum ejus implere nitimur, et in virtutes divinas imitatione ipsius prævalere conamur. Itaque, ad corripiendam vitæ viam, capiendumque Dei verbum et prævalendum [r] in *regnum cœlorum*, quod *a diebus Johannis vim patitur* et *a diripientibus* [s] (*d*) obtinetur, idonei esse non possumus, nisi omnia quæ vel amore vel cura, si in itinere istius seculi nobis adhæreant, impediunt et retardant, ante obitus nostri vesperam præmittamus : et inde [28] per totam hujus seculi noctem apprehendere et tenere Christum D sollicita spiritalium operum ac studiorum contentione luctemur; nec divellamur a caritate Christi, sicut Jacob ab ejus amplexu, nisi extorqueamus benedictionem [t]. Atque utinam ad salutaris insigne luctaminis, nervum femoris nostri majestatis suæ timore percutiat; quo obstupescente infirmabitur virtus car-

[a] Psal. LXXXVII, 6. [b] Psal. LXVII, 7, et LXXXVII, 6. [c] Colos. III, 3. [d] Matth. XIX, 21. [e] Luc. XV, 8. [f] Matth. XIX, 21. [g] I Tim. VI, 7. [h] Rom. XII, 1. [i] Eph. II, 21. [j] Lev. XI, 44. [k] Deut. VI, 5; Matth XXII, 37. [l] Psal. LIII, 8. [m] Philem. 14. [n] Psal. CXLI, 6. [o] II Tim. II, 5. [p] Gen. XXXII, 24. [q] Luc. XXIII, 21. [r] Matth. XII, 13. [s] Luc. XVI, 16. [t] Gen. XXXII, 26.

(*a*) Sic mss. Reg. et Vien. Editi tres, *terræ seminis*. ms. Vat. et edit. Grin., *terreni seminis*,

(*b*) Ita mss. codices Reg. et Vien. In aliis, *auferre*.

(*c*) Ita ms. Vien. et ed. Grin. Alii, *passionem... extorquendam*. Vide paulo superius.

(*d*) Hoc verbum addidimus ex ms. Vien. At ms. codex Reg., *vi petitur et a diripientibus, idonei*.

nis, et spiritalis gratia convalescet. In Jacob tamen, ad Judaicæ sterilitatis et depravationis typum, percussi femoris nervus emarcuit, eam filiorum ejus partem indicans, quæ degenerans a fide patrum, destitit Deo esse fecunda : unde habes, quia *fecunda in filiis infirmata est* [a]; et a præceptis autoris sui devia, in erroris sui semitis claudicavit.

9. Sed nihilominus et nobis cavendum est, ne steriles appareamus in conspectu Domini [b], neve debili pede in ejus itinere claudicemus : **153** et ut potius corporeis fructibus infecundi, illum de divinæ manus ictu femoris paterni stuporem ad continentiæ rigorem trahamus: ut enerves cupiditatibus, quibus virtus fidei subnervatur, confirmemus animam castitate : quam, ut Apostolus docet [c] [19], etiam carnales athletæ (*V.* not. 110) diligenter tuentur, quo nobis impensiore [20] studio servanda est pro illa immarcescibi i corona luctantibus, cum etiam pro temporali et fragili corona decernentibus excolatur. Quare sub hominum et angelorum spectaculis in hujus mundi theatro ante Dominum dimicaturi [d], exuamur oneribus adversis, ut medicis (*a*) oneribus induamur. In hoc enim ipsum nos præparari vult qui dicit: (*b*) *Veni, sequere me* [e], ut apprehendamus eum, in quo apprehensi sumus ab ipso. Qui nos illo vocat, ubi *sedet ad dexteram Dei* [f] in gloria Patris, omnibus dicit : *Venite ad me, onerati et laborantes, et invenietis requiem animabus vestris* [g]. *Omnem* enim, quantum in ipso est, *hominem salvum fieri vult* [h], qui fecit omnes. Nam et idcirco descendit ad nos, ut ad illum ascenderemus : ideo conformatus est corpori carnis nostræ, quæ peccato [21] serviebat, ut nos conformaret corpori carnis suæ, quæ peccatum non fecit, ut vere ad originalem gloriam reformemur, si divinam similitudinem Christi imitatione capiamus. Nam in Adam solam nobis imaginem (*V.* not. 111) remansisse, ipsa, quæ opificium divinæ manus narrat, Genesis ostendit [i] : in qua similitudo cum imagine Dei, in ipso adhuc hominis faciendi molimine nominatur : sed capite subsequenti, quo jam factus homo tantum ad imaginem Dei scribitur, similitudinem quasi peccaturo fuisse subtractam indicat profecto futuri præscientia; ut reservaretur hominibus in Christo, qui per obedientiam pietatis suæ reconciliavit Patri mundum, quem inconciliaverat primi parentis inobedientia [j]. Et ideo similitudinem Dei, quam servus in cupiditatem Dominicæ æqualitatis clarus amiserat, ipse Dominus in formam servi exinanitus recepit [k] : et homo, qui in superbia sua per fraudem

A zabuli ceciderat, in humiliatione Domini *altissimi*, prostrato zabulo, per fidem ipsius in Domini humilitate resurrexit. Hic ergo pro nobis dolens, et propter nos *obediens factus usque ad mortem crucis* [l], viam vitæ nobis perfectionemque virtutis, non in vendendis tantum prædiis et pretiis erogandis, sed in sui sectatione proposuit. Et quia dixerat : *Cum exaltatus fuero, omnia ad me traham* [m]; ideo **154** dicit : *Veni, sequere me* [n]. Beatus, qui tam proximo intervallo sequitur, ut dicat : *Adhæsit anima mea post te* [o]. Quod illa tantum *caritas* dicere potest, quæ *finis præcepti*, *et plenitudo legis est*, id est, *de corde puro, et bona conscientia, et fide non ficta* [p] se ita inserit et affigit Deo : ut nihil extra Deum amans, dicat : *Et ego semper tecum* [q]. Quare totus labor, et plenum opus no-
B bis in observantia et exspoliatione cordis nostri est : cujus tenebras vel abstrusas in eo inimici latebras videre non possumus, nisi defæcato ab externarum rerum curis animo, et intus ad semetipsum converso; non enim frustra dictum est : *Omni custodia serva cor tuum* [r].

10. Credo jam expertus sis quam laboriosum nobis, et assiduum, vel quotidianum cum hoc hoste certamen sit, et quantæ in eo versentur insidiæ; quæ illic vitiorum virtus (*id est* vis. V. num. 23), quanta virtutum infirmitas sit; quam prona ejus ad pravitatem relapsio, quam piger ad Deum nisus. Nunc mihi illa prius clausa intra me discordia diversæ legis aperitur; nunc sentio vim legis adversæ, quæ velut injecta manu captivum me trahere con-
C tendit in legem peccati [22] : et recognosco quoniam beatus ille vir mea potius infelicitate uritur, et de mea affectione pro me dolens clamat : *Infelix ego homo ! quis me liberabit de corpore mortis hujus* [s]? Sed idem Magister me recreat et reficit, ostendens mihi exitum salutarem, si tamen velle adjaceat mihi, ut perfectionem merear invenire, gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum : qui exorandus est, ut prævalescat inimicis nostris, et (*c*) tenebris superabundet; destruat in nobis aliena vel nostra, et ædificet sua. Quod etiam amicos Dei orando meruisse cognoscimus, qui utique cor suum patiebantur, cum dicerent : *Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis* [t]; (*d*) quo exorato jam securus dicit : *Proba me, Domine, et scito cor*
D *meum, et vide si via iniquitatis in me est* [u]. Sed ne hanc sui confidentiam sua magis virtute quam Dei gratia meruisse videatur, idem dicit [23] : *Quia tu, Domine, possedisti renes meos* [v]. Nihil enim, ut Dominus ipse

[a] I Reg. II, 5. [b] III Reg. XVI, 21. [c] I Cor. IX, 25. [d] I Cor. IV, 9. [e] Matth. VIII, 22; Marc. II, 14, et X, 21; Luc. V, 27, et XVIII, 22. [f] Marc. XVI, 19. [g] Heb. I, 3; Matth. XI, 28. [h] I Tim. II, 4; Johan. III, 13; Philip. III, 21. [i] Gen. I, 26; Gen. II, 7. [j] II Cor. V, 19; Rom. V, 19. [k] Philip. II, 7. [l] Philip. II, 8. [m] Johan. XII, 32. [n] Matth. XIX, 21. [o] Psal. LXII, 9. [p] Rom. XIII, 10; I Tim. I, 5. [q] Psal. LXXII, 23. [r] Prov. IV. 23. [s] Rom. VII, 24. [t] Psal. L, 12. [u] Psal. XXV, II, et CXXXVIII, 23. [v] Psal. CXXXVIII, 13.

(*a*) Ita ms. Vat. et edit. Grin. Alii codices, *operibus* : quæ lectio potest confirmari ex verbo infra posito, *laborante*... Vide num forte sit legendum *medicis opibus*, ut carm. 18, v. 159, carm. 23, v. 381, et carm. 30, v. 31. Ex *opibus* enim in *operibus* facilis librariorum lapsus.

(*b*) Hoc verbum addidimus ex ms. Vien. codice.

(*c*) Ms. Vien., *tenebras superet*. Lectio quam retinuimus egregie confirmatur epist. 12 ad Amandum, num. 10, ubi legitur, *divitias bonitatis suæ, quibus superabundat abundantiæ peccatorum nostrorum*.

(*d*) Ms. Reg. et edd. Bad., Grav. et Schot., *qui*.

dixit, sine eo facere possumus; quia ipse est *vitis vera* [a], et nos sarmenta ejus. Si in ejus dilectione maneamus, non arescemus, viventes succo radicis æternæ; nec ad ignem amputabimur ira, sed ad fructum putabimur disciplina, purgante nos evangelicæ falcis acie : ut castigata luxurie palmitis nostri fructuosius pullulemus.

155 11. Ergo inchoaturus agriculturam in nobis suam dicit : *Ignem veni mittere in terram* [b], quo videlicet cor nostrum peccatis obsitum, quasi agrum spinis horridum, purget, urens nos in vitiis, et in sensibus luminans. Veterumque in nobis actuum stirpes salutari (*a*) falce pius cultor insequitur, ut residuam messis vetustæ stipulam sermo ignitus accendat [31], et animam nostram quasi campum novæ sationi præparet; qui lætam virtutum segetem, eradicatis impresso divini verbi vomere spinis, liber effundat, dignasque [35] cœlestibus horreis fruges, perempta graminum noxiorum stirpe, multiplicet. Sed quia non agricultura tantum, sed ædificatio Dei sumus, qui gratia [36] et spiritu ejus ac verbo colimur et struimur [c]; ædificaturus nos eo itinere, quo post se vocat, isto opere præparat, quo venditis rebus absolvi prius suadet : quarum cura vel amor quoniam mentis ipsius (*b*) præstringit aciem, et animam ab interioribus suis abductam ad exteriora sollicitat, dicit etiam nobis per prophetam : *Vacate et videte, quoniam ego sum Dominus* [37] [d]. Nonne et hic videtur dicere : *Non potestis duobus dominis servire* [e]? Non enim otium nobis suadet hoc verbo, qui instanter orare et vigilare nos monet, ne intremus in tentationem [f]; sed vacare a seculo, ut occupemur sibi; vacare ab his negotiis, quibus implicati otiamur Deo [g].

12. Itaque novitatem vitæ in nobis ædificantes, necesse est ut vetustatem destruamus, et quia nullum tenebris cum lumine, et mammonæ cum Christo potest esse commercium, (*c*) oportet ut novis vetera mutemus; et occupationis pariter ac vacationis genere converso, implicemur, quibus vacavimus; et vicissim [38] vacemus, quibus fuimus implicati : moriamur, quibus viximus; et vivamus vicissim his operibus ac studiis, quibus mortui fuimus : cum (*d*) vivi, essemus mortui; et mortificantia gerentes, in mortuis viveremus. Unde sanctus Magister (*V.* ep. 23, n. 14, et 37, n. 3) humanum et æquum postulat, ut sicut exhibuimus membra nostra servire iniquitati, ita nunc exhibeamus eadem ministra justitiæ [h] : mutatis dominis, et studia mutemus. Neque enim aut servitutem [39] aut libertatem deponimus commutatione dominorum; sed tantum felicitatem acquirimus, et servitute in melius et libertate mutata, quando vinculum iniquitatis 156 rumpimus; et justitiæ jugo subdimur, ac divino timore frenamur, incipientes versa in directum via liberi esse peccato, cui serviebamus in libertate misera, justitiæ rebellantes.

13. Nunc igitur vicissim Deo servi [40], et huic mundo rebelles, ingredimur agonem; et ipsum, cui serviebamus, hostem freti Domino provocamus. Recognoscis profecto, mi frater, nam (*e*) experta communiter ut commilitoni loquor, quanta nobis discordia, et quantus est hostis in nobis, non carnis et sanguinis, sed invisibilium potestatum, et (*f*) nequitiæ, ut Apostolus ait [i], spiritalis, quibus carnalium vitiorum ministeria (*g*) conjurant. Unde et *principes tenebrarum* [j] dicuntur, quia secundum Apostolum tenebræ appellantur peccatores, quibus, ut sui similibus, dæmonia principantur. Sed et tota *hujus mundi figura*, quæ *præterit* [k], et per oculos corda prolectat, zabulicis prætenta retibus, in qualibet sui specie laqueus mentis et gladius est. Credamus prophetæ, quia in medio muscipularum ambulamus, et inter opertos letalibus dolis gladios vita transigitur [l]. Excipit nos mundus iste variis voluptatibus florens, et fallentibus venenatus illecebris. Excipit nos innumeris anguis insidiis, *cui nomina mille, mille nocendi artes* : ac sæpe aperto certamine violentus aggreditur, et candentibus petit telis, si latentibus non capit laqueis. *Sagittæ* enim (*h*) *potentis acutæ cum carbonibus desolatoriis* [m] : quæ videlicet noxiis cupiditatum ignibus animam nostram perurant, et a Spiritus sancti habitatione desolent. Quod cum accidit, diversi nos hospites subeunt, et fiunt *inimici hominis domestici ejus* [n] : qui nunc ambitionis vento inflant, nunc libidinum faces admovent, nunc avaritiæ catenis alligant. Quæ una omnibus armata criminibus, vel si sola nos capiat, et zabulo ad malitiam, et homini ad mortem sufficit

14. Quid ergo agis, infelix homo, inter tantos missus (*forte* mistus) hostes? quomodo repugnabis infirmus fortibus, armatis inermis? Clamat beatus Job multis zabuli telis sine cordis vulnere sauciatus : *Nudus exivi de utero matris meæ* [o] : Quis ergo me armabit contra tot agmina (*i*) hostis aerii, ne *nudus*, ut veni, *revertar in terram?* Ecce respiro, confortor,

[a] Joh. xv, 5. [b] Luc. xii, 49. [c] I Cor. iii, 7; Eph. ii, 21. [d] Psal. xlv, 11. [e] Matth. vi, 24. [f] Luc. xxii, 40. [g] Rom. vi, 6. [h] Rom. vi, 13. [i] Eph. vi, 12. [j] Eph. v, 8. [k] I Cor. vii, 31. [l] Psal. xxii, 4, et xxx, 5, Sap. xiv, 11; Eccli. ix, 20. [m] Psal. cxix, 4. [n] Matth. x, 36. [o] Job i, 21.

(*a*) Ita ms. Reg. et editi Grin. et Schot. Alii *face*, minus bene. Vide præcedentia et seqq.

(*b*) Ms. Vien., *perstringit.*

(*c*) Sic ms. Vien. mutato *b* in *u*. Editi, *expedit nobis ut vetera vitemus.* Ms. Reg., *oportet*, etc., ut in editis. Paulinus videtur scripsisse quod in textu inseruimus : præcedentia et sequentia id confirmant.

(*d*) Ita ms. Vien. Alii codices, *vivorum.*

(*e*) Sic mss. tres. Editi, *experto.*

(*f*) Ita mss. codices. Editi, *nequitiarum... spiritalium.*

(*g*) Ms. Vien., *contingant.*

(*h*) Ms. codex Regius cum ed. Bad., *potentes.* Sic Augustinus ad psal. xliv, v. 6, juxta melioris notæ mss. codices legit, *Sagittæ tuæ acutæ, potentissimæ;* sicque legisse Augustinum facile ex ipsa interpretatione intelligas.

(*i*) Id est *diaboli.* Vide Ephes. ii, v. 2, *principem aeris hujus.*

adsurgo. (*a*) *Dominus illuminatio mea, Dominus defensor vitæ meæ: si consistant* **157** *adversus me castra, non timebit cor meum* [a]. Nec si propriæ opis armis [41] egeo, diffidam. Habeo armamentarium Christi, de quo arma lucis usurpem, quibus principes tenebrarum, et agmina noctis expugnem in cœlestibus mihi adversantia [b]: videlicet in conversatione spiritali, quam terrenis debellare nituntur illecebris. Sed adversum hos mihi ille armiger, ille signifer erit, qui vas electionis Deo. Ille lumbos meos cingulo castitatis adstringet, capiti meo galeam salutis aptabit, lorica justitiæ meum pectus includet [c]. Ille me totum proteget scuto fidei, et dexteram meam, immo me totum in dexteram Christi factum, gladio spiritus et verbo veritatis armabit: ut *cadant a latere meo mille et* (*b*) *dena millia a dextris meis* [d]. Ille pedes meos in Evangelii præparationem calceabit [42] [e], ut presso impune vestigio super spinas et tribulos istius terræ ambulem, et per aspera itineris angusti munito pede tutus ingrediar. Nec a morsu metuens, subditum serpentis inimici caput [f], ipso, quod insidiosus observat, calcaneo conteram. Quod quidem non de meæ infirmitatis audacia arrogans mihi vindico; sed omni fideli de virtute Christi promitto. *Qui sicut vocat ea quæ non sunt, tamquam quæ sint* [43] [g], ita potens est et de infirmis et humilibus suis, ut semper fecit et facit, fortia mundi istius et alta destruere [h]. Ideo nobis Magistrum dedit, quem imitatorem habebat, per quem ad ipsius Domini imitationem pervenire possimus. Nam ipse me Magister in acie stare, in stadio currere, in agone luctari docet, (*c*) lividum (*V.* not. 112) faciens corpus suum, et *quæ retro sunt obliviscens, et in priora se extendens* [i].

15. Atque ita fundatus in petra, ut etiam in infirmitatibus glorietur, et cum infirmatur, tunc potens sit, omnia potens [j], ut ipse profitetur [k], in eo qui (*d*) confirmat suos, Christo scilicet, qui pro nobis pugnat, et vincit in nobis: quæ causa dicendi Apostolo fuit; *Sic currite, ut apprehendatis* (*V.* not. 113) omnes [l]. Quod in agone terreno contra est, ubi non potest lucta nisi dispari luctantium sorte finiri, ut unius gloria, alterius ignominia sit; *in Christo* autem, quia *multi unum sumus* [m], omnes ut unus currimus: et omnium consors ad unum bonum cursus est: et ideo dicitur nobis: *Sic currite, ut apprendatis* omnes. Quia Ascissura, ut idem **158** ait, in corpore esse non potest, cui caput Christus est; quem ut communem [44] sibi apicem una membrorum suorum compago comitatur. Quæ quoniam sibi discrepare non possunt, curramus pariter [n], ut apprehendamus omnes, sine æmulatione invidiæ, cum æqualitate victoriæ: ut sicut in contentione currendi [45] labor Christi sumus, ita in perveniendi fine Christi triumphus esse possimus, et benedicat nos in corona anni benignitatis suæ [o].

16. Video autem quod in hoc certamine non magis vincere nobis quam vinci expedit: quia in nobis et hostis et amicus habitant. Quis autem mihi amicior [46] quam spiritus qui adversatur carni ne me trahat in legem peccati [47]? Aut quis inimicior nobis quam B caro, quæ adversum spiritum pro interitu concupiscit? Itaque *meliora* mihi *amici vulnera*, quæ Christus (*e*) accepit ut sanaret me, *quam voluntaria inimici oscula* [p] quibus mihi per illecebras delectationum suarum caro malesuada blanditur, ut me, quasi illo parricidali Judæ osculo [q], paratis in captivitatem meam prodat inimicis: quod tamen osculum Dominus non ideo suscepit, ut pacem proditoris acciperet, sed ut suam ab alienato reciperet. Quamquam et illud ad intuendum perfectæ bonitatis exemplum (*f*) teneri salubre sit, ut eo affectu, quo et inimicos diligi jubet [r], amicum osculum dederit pacis inimico, dilectionem reddens pro odio, qui pro sua dilectione odium recipiebat [s].

17. In promptu est ergo dignoscere: (*g*) zabulus C [48] cum carne contendunt: præstat enim vinci (*h*) bono quam vincere malo. Itaque vinci videtur in hoc seculo, cui tunicam suam alter abstulerit [t]: at in Christo triumphat, qui tunicam auferenti remittit et pallium. Vicem injuriæ reddere humana ultio est [u]: at inimicum etiam diligere, vindicta cœlestis est. Vendere patrimonia, et (*i*) donare pauperibus [v], stultitia huic seculo, sed sapientia Deo est: at contra [49], divitiis incubare, pecuniam fenore augere, possessiones auctionibus, terminos dilatare violentia, industria et quæstus apud hoc seculum, sed apud Deum crimen et pœna est. Ita si malo vincas, victor victus es, (*j*) quia cum scelere viceris, cupiditate superatus es. Victus vero (*k*) vinces, si justo cedas, et tuæ D voluntati voluntas divina prævaleat. Evacuemur

[a] Psal. XXVI, 1, juxta LXX. [b] Rom. XIII, 12; Eph. VI, 12. [c] Act. IX, 15; Eph. VI, 14, Isai. LIX, 17. [d] Psal. XC, 7. [e] Eph. VI, 15. [f] Gen. III, 15. [g] Rom. IV, 17. [h] I Cor. I, 27. [i] Philip. III, 13. [j] II Cor. XII, 10. [k] Philip. IV, 13; Heb. II, 18. [l] I Cor. IX, 24. [m] Rom. XII, 5. [n] I Cor. IX, 24. [o] Psal. LXIV, 12. [p] Prov. XXVII, 6, sec. LXX. [q] Matth. XXVI, 49. [r] Matth. V, 44. [s] Psal. CVIII, V. [t] Matth 5, 40. [u] Ibid., 44. [v] Matth. XIX, 21.

(*a*) Sic mss. codd. Editi, *Deus*.

(*b*) Ita ms. Reg. et editi codd. 4, Psalterium vetus, et Augustinus in Commentar. super psalmos. Sic etiam Paulinus legit in epist. 37 ad Victricium, n. 4, et carm. 21 ad Cytherium, v. 627.

(*c*) Græce ὑπωπιάζων. Sic juxta vim textus Græci eodem modo legit Paulinus in epist. 12 ad Amandum, n. 7, et epist. 50 ad Augustinum, n. 13. Vide not. 112.

(*d*) Ms. Vien., edit. Grin. in marg. et Vulgata, *confortat*

(*e*) Ms. Vien., *excepit, ut sanaret mea*: non male.

(*f*) Sic mss. Reg. et Vien. cum edit. Bad. et Grin. Alii, *tenere*.

(*g*) Mss. Reg. et Vat. et editi Grin. et Schot., *zabolus*. Vide not. 2.

(*h*) Ms. Vien., *bonum... malum*.

(*i*) Ms. Vat., *dare*.

(*j*) Ita ms. Vien. Alii codices, *qui*.

(*k*) Ms. Vat., *vincis si injusto cedas*. Ed. Grin., *vincis, si justo cedas*, quod perinde est ac si bono vincaris, opponiturque præcedenti, *si malo vincas*. SACCHIN.

159 ergo nostris viribus, ut divinis impleamur. A Vincamur corpore, ut vincamus salute. Meminerimus ejus esse nos membra, qui vicit cum judicatus est, qui cedendo superavit; et cadendo in mortem, resurrexit in gloriam, de suæ passionis occasu ortum nostræ resurrectionis instituens [a].

18. Hunc Dominum vocantem sequamur, qui nos doceat cedendo vincere, et moriendo vivescere [80] (*V.* ep. 44, num. 7), interficiens in nobis quo mortificamur, et vivificans quo vivamus. *Hic nobis Deus, non æstimabitur alius ad eum :* qui *in terris visus est, et inter homines conversatus est.* Quod quia non potest nobis caro et sanguis revelare, ideo dicit : *Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus* [b]. Excitor [81] hoc loco in audaciam percontandi, ut dicam . *Quinam tu* [82], *Deus, qui fecisti cœlum et terram, et apparuisti* B *in rubo ; qui fecisti magnalia in Ægypto, mirabilia in terra* (*a*) *Cham, terribilia* [83] *in mari Rubro* [c]? Adhuc te (*b*) Deum nemo non credit : neque tantum Judæi, quamlibet labiis diligentes, et corde longinqui [d], ut populus in lege formatus : sed gentes etiam sine lege viventes naturali sensu unicum summæ potestatis Dominum confitentur [e]. Quæ igitur difficultas est videre quod Deus sis, cum et cœli enarrent [84] gloriam tuam [f], et *invisibilia tua per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur* [g]? Quid impedit possidere? quid obest et alia curare, cum et occupatis hominibus in promptu sit conspicuam Dei veritatem cernere, et manifestum summæ providentiæ lumen videre? *Dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam* [h] : et vacare jubeor, ut te Deum esse videam, cum hanc C lucem etiam noctes sciant : id est, etiam principes vel operarii tenebrarum [i].

19. Sed non frustra est quod se ipsa, quæ in multis sæpe divinitatis insignibus [85] manifestavit veritas, non nisi vacatione procurata perspici posse testatur. Deum enim tantum in promptu est videre, quod [86] Deus est. Hoc, ut dixi, omnis anima videt : ad hoc mens nulla caligat : hoc etiam infidelium fides (*c*) percipit ; sed Deum in Christo, vel Christum in Deo esse, non videt (*d*) occupatus, et curarum terrestrium nube circumdatus. *Verbum* enim *carnem factum, sapientiæ hujus mundi stultitia est* [j] : et ideo *placuit Deo* ad confusionem sapientiæ, cujus superbia *non cognovit hic mundus sapientiam Dei,* **160** *per stultitiam prædicationis salvos facere credentes* [k]. D

20. Et hic est ille thesaurus agri, pro quo obtinendo etiam ager comparandus est [l]; quia videlicet salutis nostræ pretium in hoc est, ut Deum Dei Filium ad carnem salvandam in carne venisse fateamur, et hæc est illa profligatis emenda patrimoniis margarita; sed non statim emitur, cum ejus pretium præparatur, quia plurimæ interveniunt ipsi commercio difficultates [m]. Aut enim mare interjacet, aut prædo intercipit, aut cupidior prævenit, aut præfertur opulentior. Ideo ne existimes jam et comparasse nos gemmam, quia vides pretium præparasse, neque ædificasse jam domum, cui ædificandæ locum fecimus, cum visibiles divitias, supellectiles, pecuniam, patrimonia, velut sordidos aggeres et importunum rudus, egessimus, ut in corde purgato, quasi in terra viva, firmius stabilioris ædificii fundamenta jaceremus. Sed sicut exhaustione ruderum nudata humo, sub immundis molibus multa aut nodamenta truncorum, aut residua ruinarum, aut pleraque noxii generis animalia, et præcipue (*e*) fetus aut cubilia viperarum deprehenduntur, sic remota a nostro pectore temporalium rerum possessione et cura, jam nobis (*f*) inspectione cordis nostri vacantes ab his quæ nos foras extrahebant, inveteratorum criminum nodos, et inimicorum spiritalium latebras in nostris sensibus invenimus. Nunc nobis apparere incipit interior domus, *et illic* (*g*) *repentia, quorum non est numerus* [n]. Nunc tota infelicitatis nostræ patescit obscuritas. Nunc demum quam longinqui a Deo simus, et quam mortui in comparatione vivorum, videmus [87].

21. Intellige hæc, et (*h*) cura nostri anxio corde suspira, providens, quia laus (*i*) in exitu canitur [o], ut spiritu quo (*j*) cœpimus, ejusdem Domini gratia perficiamur, et usque ad finem præcepti pareamus, cui videmur in capite consilii paruisse. Consilium enim dat, non præceptum, qui non dicit : Esto perfectus : sed, *Si vis esse perfectus* [p] : quia libertas voluntatis, quæ bona cum est supra legem est, non cogitur, sed suadetur, et ipsa sibi lex est. Quantum autem sit Christum sequi, potes de Apostoli sententia colligere, qua ait : *Qui dicit se Christum sequi, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare* [q]. **161** Quomodo autem ambulaverit Christus, docet alius magister : *Qui peccatum*, inquit, *non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus* [r] : *qui cum malediceretur, non* (*k*) *remale-*

[a] Rom. VI, 4. [b] Psal. XLV, 11. [c] Gen. I, 7; Exod. III, 2; Act. II, 30; Psal. CV, 21 et 22. [d] Isai. XXIX, 13; Matth. XV, 8. [e] Rom. II, 14. [f] Psal. XVIII, 2. [g] Rom. I, 20. [h] Ps. XVIII, 3, et XLV, 11. [i] Eph. VI, 12. [j] Johan. I, 14. [k] I Cor. I, 21. [l] Matth. XIII, 44. [m] Matth. XIII, 46. [n] Psal. CIII, 26. [o] Exod. XV, 1. [p] Matth. XIX, 21. [q] I Joh. II, 6. [r] Isai. LIII, 9.

(*a*) Hanc vocem emendavimus in textu, licet tamen in mss. et editis codicibus legatur *Chanaan*. Vide not. 114.

(*b*) Ita ms. Vien. Alii codices, *Domine*. Sic quoque ex eodem ms. Vien. paulo inferius reposuimus, *Deum*, ubi cæteri codd. *Dominum*.

(*c*) Sic ms. codex Vien. Alii, *recipit*.

(*d*) Ms. Vien., *occupata... circumdata*, non male. Retinuimus vulgatam lectionem, quia paulo ante præcessit, *cum et occupatis hominibus in promptu sit... lumen videre*.

(*e*) Ms. Vat., *ferus anguis*.

(*f*) Ita ms. Vien. Cæteri, *ad inspectionem cordis nostri vacantis*. Edit. Schot., *vacantibus*.

(*g*) Ita Psalterium vetus, et Augustinus in commentario super psalmos.

(*h*) Sic Ms. Vien. et Sacchinus legendum censebat. Alii codices, *curam*.

(*i*) Ita ms. Vien. et edit. Bad. et Grin. brevius et melius quam in aliis codicibus, qui addunt *ejusdem Domini*. Sic et in epist. 29, num. 13.

(*j*) Sic mss. Vat. et Vien. Editi, *cœpti sumus*.

(*k*) Ita ms. Reg. et editi 4. Ms. Vien., *non maledixit*. Edit. Rosv., *non maledicebat*.

dixit; tradebat autem se ad mortem (a) *judicanti injuste* [a]. Sed et ex ipsius actione et præceptis scire possumus quomodo ambulaverit. Ad hoc enim venit, ut vitam suam nobis in formulam et speculum vitæ proponeret. *Non veni*, inquit, *legem solvere, sed adimplere* [b] : et, quæ adimpletio sit, etiam docet [58] ipse dicens : *Nisi abundaverit justitia vestra super justitiam Pharisæorum, non introibitis in regnum cœlorum* [c]. Hoc enim est adimplere, quod desit adjicere. Lex dixit : *Non occides* [d] ; at ipse [59] : *Nec irasceris* (b) *sine causa fratri tuo* [e]. Lex adulterium interdicit ; at ipsa Veritas curiosum in feminas damnat aspectum. Ex quo vides, quanto major sit lege fides, cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est : quia legis circumcisio in aperto est, fidei in occulto. Lex ramos peccati (c) præfringit, fides radices eruit : quæ B nos non operibus tantum, sed et [60] sensibus immaculatos facit : ut vere ad primordialem dignitatem, hoc est, Dei similitudinem reformemur, non solum corpore, sed et corde mundati. Unde [61] et Apostolus deposita terreni hominis (d) specie, cœlestem nos induere testatur ; et idem alibi, jam ut indutum Christo virum [62], gloriam Dei esse pronuntiat [f].

22. Vide ergo quantum nobis agendum sit, ut non perfecti, sicut dicis, sed inchoati, ut probamus, itineris spatium perlegamus ; qui justitiam legis jubemur excedere, *ut efficiamur justitia Dei* [g] : neque ex lege nobis actio [63], sed in voluntate lex sit. Christum sequi, Deum imitari est. (e) Et qui nos lege ipsa justitiæ suæ justiores, et juxta Patrem suum vult esse perfectos [h], non solum humanas fugere C culpas, sed et divinas poscit implere virtutes. Quod quia tantæ difficultatis esse perspicis in agone versantibus, quantæ gloriæ est exhausta decertatione victoribus. *Noli* interim dum in (f) scammate sumus, dum *foris pugnæ, intus terrores* [i], *alta* pro nobis *sapere* aut loqui : *sed* potius *time* [j], et laborantibus collabora spiritu, et cooperare orationibus : *ut* per nos quoque *destruat inimicum et* (g) *defensorem* [k], qui *elegit infirma mundi ut confunderet fortia* [l].

23. Posce suppliciter ut intellectum det nobis in via hac [m] qua nos vocat, ut videamus quia ipse est Deus [n], qui *crucifixus est ex infirmitate nostra, sed vivit ex virtute Dei* [o] : infirmet in nobis virtutem (*V.* num. 10) peccati, ut confirmet virtutis suæ spiritum : convertat et inopiam **162** et abundantiam nostram ; D A ut justitia, qua indigemus, abundemus ; et iniquitate, qua abundamus, egeamus. Nudemur criminibus et virtutibus vestiamur. Ferat nobis opem contra voluntates nostras, nec *tradat nos desideriis cordis* [p] nostri ; et adversus carnem et sanguinem [64], zabulum et mortem det nobis victoriam, sicut Abrahæ dedit (*V.* not. 116) adversus quatuor reges, quos ille fidei pater hoc mysterio superavit : quo fides nostra, si confirmata sit spiritu principali [65], totidem corporis nostri elementa verbo Dei subigeret [q]. Et sicut ille pro fratre quinque in regibus victo (*V.* not. 117) victor [66] : ita et fides pro anima, quæ totidem sensibus viget, victrix, de exteriore homine triumphabit, in quo de totidem elementis composito quatuor Regum forma concluditur. Sed sicut ille, non multi- B tudine nec virtute legionum, sed jam tum in sacramento crucis, cujus figura per litteram Græcam T (*V.* not. 118) numero trecentorum exprimitur, adversarios principes debellavit [r] : cujus mysterii virtute, trecentis in longum texta cubitis (*V.* not. 119), superavit arca diluvium, ut nunc Ecclesia hoc seculum supernavigat : ita et nos non nostris opibus aut viribus freti, sed unica Crucifixi scientia, elevemus ad ipsum oculos nostros, ut *mirificet super nos misericordias suas, qui salvos facit sperantes in se* [s]. Quia ipse est *Dominus conterens bella, potens in prælio* [t] : qui nobis et fiduciam dimicandi et viam vincendi dedit, cum jam triumphantem in seipso naturam hominis portans ait : *Constantes estote*, quoniam *ego vici mundum* [u].

C EPISTOLA * XXV.

Viro nobili, cujus nomen ignoratur, suadet ut a profana Cæsaris ad sacram Christi militiam transeat ; et admonet ne ætatis fiducia aut amore seculi conversionem differat.

1. Etsi ignotus tibi sim facie, jam tamen te corde cognovi : quia filius meus in Domino carissimus Victor referens mihi religiosam vitam tuam, fecit, ut te, quamvis absentem, cognoscerem, et sicut consortem in Christo futurum diligere inciperem. Retulit enim mihi, quomodo et in militia seculari, in qua adhuc tu teneris, socius et secutor contubernii tui fuerit. Unde magis præsumpsi scribere ad te per ipsum. Spero enim et te [1] ex eadem via ad viam nostram esse venturum ; quandoquidem istum de tuis sociis ad nos præmisisti, quem pro **163** pignore tuo Ecclesia tenet, ut te post eum capiat. Ni- D

[a] I Pet. II, 22. [b] Matth. V, 17. [c] Matth. V, 20. [d] Exod. XX, 13 ; Deut. V, 17. [e] Matth. V, 22 et 28, Rom. II, 29. [f] Col. III, 10 ; Rom. XIII, 14 ; I Cor. XI, 7. [g] Matth. V. 20 ; II Cor. V, 21. [h] Matth. V, 48. [i] II Cor. VII, 5. [j] Rom. XI, 20. [k] Psal. VIII, 3. [l] I Cor. I, 27. [m] Psal. XXXI, 8. [n] Psal. XLV, 11. [o] II Cor. XIII, 4. [p] Rom. I, 24. [q] Gen. XIV, 15 ; Heb. VII, 1 ; Rom. IV, 16 ; Psal. L, 14. [r] Ezech. IX, 4. [s] Psal. XVI, 7. [t] Psal. XLV, 10, et XXIII, 8. [u] Johan. XVI, 33.

* Alias 39, quæ autem 25 erat, nunc 15. Scripta anno 403.

(a) Ms. Vien., *judicantibus*.

(b) Juxta textum Græcum εἰκῆ. Ita Patres Græci et nonnulli Latini ; Irenæus lib. II, c. 56, et lib. IV, c. 31, Chrysostomus in Matth., Cyprianus l. III Testim. ad Quirinum, Hilarius comment. in Matthæum, et Augustinus lib. I Serm. Domini in monte.

(c) Ita mss. Reg. et Vien. Alii, *præstringit*.

(d) Ms. Vien., *imagine*.

(e) Sic. ms. Vien. Legitur quoque *Et* in ms. Reg. et editis 3.

(f) *Scamma*, locus fossis inclusus, ubi gladiatores certabant.

(g) *Defensorem*. Græce ἐκδικητήν, quod idem sonat ac *ultorem*, ut et Rom. XII, 19. Sic et Psalteria vetus et Rom. habent *defensorem*, et Augustinus in psalmos. Vide not. 115.

hil enim est, benedicte fili, quod possit aut debeat præferri ei qui est verus Dominus, et verus pater, et Imperator æternus. Cui enim [2] rectius vitam nostram impendimus, quam ipsi [3] a quo eam [4] accepimus, et cui eam usque in finem debemus [5]; quia ipsius beneficio vivimus? Si tamen in hoc seculo illi militaverimus, tunc ad ipsum transire merebimur. Quod si magis dilexerimus hoc seculum, et maluerimus Cæsari militare quam Christo, postea non ad Christum, sed ad gehennam transferemur, ubi principum hujus seculi [6] vertitur causa.

2. Ideo nec affectum, nec patriam, nec honores, nec divitias Deo præferre debemus, quia scriptum est: *Præterit hujus mundi figura* [a]. Et qui hunc mundum dilexerint, cum ipso et peribunt. Ideo ipse Dominus in Evangelio contestatur [7], et dicit: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non potest meus esse discipulus* [b]. De divitiis autem hujus seculi, quas quidam pro summo bono et necessario amplectuntur et diligunt, ita dicit: (*a*) *Non proderunt thesauri iniquis, justitia autem eripit a morte* [c]. Et iterum per prophetam (*b*) ait: *Exterminati sunt* (*V. not.* 120) *omnes qui exaltati fuerant* auro et *argento* [d]. In Evangelio quoque clamat, etiamque [8] prædamnat divites seculi dicens: *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram · væ vobis qui saturati estis, quia esurietis; væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis* [e]!

3. Noli ergo diutius diligere hunc mundum neque militiam ejus, quia secundum Scripturæ autoritatem *inimicus Dei est quicumque amicus est seculi* [f]. Et qui militat gladio, mortis minister est. Qui autem suum vel alienum sanguinem fundit, hic recipiet fructum stipendiorum. Aut enim exitu mortis tenebitur reus, aut crimine: quia necesse est ut miles in bello, in quo tamen non tam pro se quam pro alio dimicat, aut suam mortem victus inveniat, aut mortis causam victor acquirat, quia victor esse non poterit, si effusor sanguinis ante non fuerit. Ideo dicit Dominus: *Non potestis duobus dominis servire* [g]. Sed quia uni (*c*) Domino serviendum est, facile puto esse discerni [9], cui potius serviri debeat, Deo an mammonæ, **164** Christo an Cæsari; cum ipse Cæsar Christi servus studeat esse, ut aliquarum gentium rex esse mereatur. Neque enim quicumque terrenus rex totius terræ dominus est. Christus autem totius mundi (*d*) dominus et Rex est: quia *omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil* [h]; et ipse *est Rex regum, et Dominus dominantium*; et *in terris* [i], *et in mari, et in abyssis omnia quæ vult facit* [j].

4. Hunc igitur sequamur, huic militemus; (*e*) cui cinctus numquam discingitur miles: qui militantibus sibi gloriam vitæ æternæ, honorem regni cœlestis, et divitias hereditatis suæ, et divinæ cognitionis consortium perenne largitur. Scriptum est autem: *Qui pecuniam diligit, non justificabitur: et qui terrenas possessiones concupiscit, in illis*, sicut scriptum est, (*f*) *implanabitur* [k]. Nam in Ecclesiastico per Salomonem loquitur divina Sapientia: Quia *multi* (*g*) *periclitati sunt auri causa, et facta est in facie illius perditio ipsorum. Lignum*, inquit, *offensionis ejus est aurum, et dejicit eos* (*Al.* væ illis) *qui sectantur illud*. Sed non *omnis nisi imprudens disperiet in illo* [l]. Quamobrem fuge ab illo, fili, sicut a facie serpentis [m], credens Christo, qui in Evangelio testatur omnibus hominibus: *Quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet* [n].

5. Sed te forsitan ætatis fiducia [10], et stipes dignitatum, vel divitiarum augmenta sollicitant, ut dicas: Adhuc juvenis sum; est nunc tempus ut parumper militem, et uxorem ducam, et filios habeam, et postea Deo serviam. Ad hæc tibi respondet, non ego, sed Dominus, qui loquitur in prophetis et apostolis suis, et (*h*) Sapiens dicit: *Ne* (*i*) *tardes converti ad Dominum, nec differas* [11] *de die in diem, ne subito veniat ira illius* [o]. In Evangelio autem quo ardore properandum sit ad conversionem, ostendit, cum dicit: *A diebus autem Johannis usque ad hodiernum diem vim patitur regnum cœlorum, et qui vim faciunt, rapiunt illud* [p]. Talis violentia Deo grata est, quæ neminem concutit, nullius damno committitur. In hanc rapinam manus tuas verte, quæ crimen non habet, et confert salutem. Et quid tibi militarium stipendiorum curationes (*forte* rationes) cum invidia violentiæ curare [q], cum forsitan pro tua honestate etiam debitorum moderatus exactor sis? cum sine cujusquam **165** invidia et cum Dei gratia possis esse violentus ut rapias [12] regnum cœlorum, quod sibi auferri patitur [13], et gaudet Christus invadi;

[a] I Cor. VII, 31. [b] Matth. X, 37, et 38; Luc. XIV, 27. [c] Prov. X, 2; juxta LXX. [d] Sophon. I, 11. [e] Luc. VI, 24 et 25. [f] Jacob. IV, 4. [g] Matth. VI, 24. [h] Johan. I, 3. [i] Apoc. XVII, 14. [j] Psal. CXXXIV, 6. [k] Eccli. XXXI, V, Prov. XI, 28. [l] Eccli. XXXI, 6, 7, ex LXX. [m] Eccli. XXI, 2. [n] Luc. XII, 15. [o] Eccli. V, 8. [p] Matth. XI, 12; Luc. XVI, 16. [q] Luc. III, 14.

(*a*) Ms. codex Victorinus et sex editi addunt *Quia*.

(*b*) Ex ms. Victorino et edit. Mogunt. emendavimus *ait*. Alii codd., *dicitur*, minus bene. Vide antecedentia et subseqq.

(*c*) Mss. Vatic. et Victor. cum editis sex, *Deo*. Sed ratiocinatio postulat, *Domino*, ne id assumatur quod colligendum est. SACCHIN.

(*d*) Duæ voces *Dominus et* absunt a ms. Vict. et edd. Mogunt., Rom., Erasm. et Ponc.

(*e*) Ita mss. Vatic. et Vict. cum edit. Rosv. Et optime conveniunt vocabula militaria, inquit Sacchinus. In editis sex, *cui conjunctus numquam disjungitur*. Verissima lectio ea quam retinemus. Sic quoque *discingitur*. Apud Prudentium, quod idem est ac *exarmatur*, lib. Psychomach. v. 634, *Discingitur omnis Terror*; et ibid., v. 824.... *sedem properet discincta juventus*.

(*f*) Græce, πεσεῖται; Vulgata, *corruet*. Ed. Erasm., *implicabitur*.

(*g*) Juxta textum Græcum legerem: *Multi dati sunt in casum auri causa*, faventibus ms. Victor. et ed. Rom. in quibus, *Multi ditati sunt in auri causa*. Vulg., *dati sunt in auri casus*.

(*h*) Ms. Vict. et edit. Rom. et Mog., *Propheta*.

(*i*) Ms. Vict. cum editis Rom., Mog. et Ponc., *tardareris*.

quia pro abundantia caritatis et potentiæ suæ capax A est et largiendi quod tenet, et quod donaverit, obtinendi. Nam quando sanctis (a) suis in regno suo regnare concesserit, ipse regnabit in illis quos consortes regni cœlestis assumserit [a]. Scriptum est enim et regnum Dei cum sanctis fore, et ipsos sanctos esse regnum Dei [b]; quod propitio Deo, cum conversus fueris, et legendo cognosces, et credendo intelliges.

6. De ætatis autem flore primo quis audeat gloriari? Admonet (b) divina Scriptura, dicens: *Omnis caro fenum, et omnis claritas ejus, ut flos feni. Aruit fenum, et flos decidit: sermo autem Domini manet in æternum* [c]. Ideo et Propheta illa potius, in quibus æterna corporis redivivi gloria post resurrectionem possit manere, desiderans clamat: *Quam amabilia* B *sunt tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini* [d].

7. Et de vinculis conjugalibus, et ceteris temporalium rerum tam spinosis quam inanibus curis Apostolus [e], in quo Christus loquitur, admonet ne in longum hujus seculi tempus irrita vota mittamus; et cognoscere nos jubet, quia *tempus breviatum est*, et dicit: *Reliquum est, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint; et qui flent, tamquam non flentes; et qui gaudent, tamquam non gaudentes; et qui emunt, tamquam non possidentes; et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utentes* [f]. Quod cum dicit, ostendit liberos non debere implicari, quandoquidem liberari suadeat impeditos. Si ergo jam forsitan *alligatus es uxori, noli quærere* (c) *solutionem* [g]. Quod si adhuc C *liber es ab uxore, noli quærere implicationem*. Non enim Apostolus propter conjugii condemnationem hoc dicit, quandoquidem hujus fœderis religionem magno Christi et Ecclesiæ Sacramento comparat; sed *propter instantem necessitatem bonum esse* asserens [14] *hominem sic esse*, quemadmodum ipse erat. *Volo*, inquit, *vos sine sollicitudine esse* [h], hoc est, ut nihil præter Deum et salutem nostram cogitemus. Nam uxor et filii, quamquam et ipsa divinitus nobis pignora data sint, tamen gravissimarum curarum onera sunt. Unde idem Apostolus ait [15]: *Quia tribulationem* (d) *carnis habebunt hujusmodi* [i]: quia necessitudines nostræ carnales, quanto cariores nobis sunt, tanto magis nos discruciant et fatigant. Nam **166** uxore accepta primum optantur D filii: et si non suscipiuntur, sterilitas lugetur: si suscipiuntur, orbitas timetur. Ac proinde numquam in carnalibus affectionibus ita requiescit animus ut cruciatu careat, dum necessitudines suas aut bonas amat cum amittendi metu, aut malas odit cum amittendi voto; in utroque miseriis sustinendis semper obnoxius. Miser est enim [16] qui uxorem bonam perdit, miserior qui malam possidet. Inter hæc duo accidentia, satis felicior est (*V.* not. 121) qui utrumque non novit. Similiter et de filiis: sæpissime enim sunt miserrimi parentes, vel qui amabiles habent quibus orbantur [17]; vel qui tales habent, ut non habentibus invidere cogantur.

8. Audi ergo, fili mi, et inclina aurem tuam mihi, et disrumpe omnia vincula tua, quæcumque in hoc seculo te implicatum tenent; commuta in melius militiam, ut æterno Regi incipias militare. Et nunc, ut audio, qui adjutor et (e) tutor es civium, fias comes Christi. Deinde in hac militia soletis in votis habere hanc officii promotionem, ut protectores (*V.* not. 122) efficiamini. Si autem Deo te probaveris, ipsum Deum incipies habere protectorem. Vide ad qualem militiam te invito collegam, ut quod homini esse optas, hoc tibi Deus sit. Quem si cœperis sequi, et in ejus comitiva inceperis militare [18], finis militiæ tuæ erit regnum, non terræ et temporis, sed æternitatis et cœli.

EPISTOLA * XXVI.

Sebastianum eremitam et Benedictum diaconum collaudatos, illum ob vitæ institutum, hunc propter curam illi necessaria ministrandi, rogat ut pro se et Therasia apud Dominum intercedant.

Sancto et merito dilectissimo fratri SEBASTIANO, PAULINUS et THERASIA in Christo Domino salutem.

1. Benedictus est Dominus Deus Israel, qui elegit te et assumsit in vas electionis suæ, et segregavit ab utero matris antiquæ, et dedit tibi pennas columbæ, ut ab hujus seculi strepitu procul evolans [1] diceres: *Ecce* (f) *volavi fugiens, et mansi in solitudine* [j]. (g) Quamvis tua solitudo non sola sit, quæ non deserta est, sed secreta, et ab hujus mundi tenebris desolata, a **167** Dei lumine frequentetur, et a dæmonibus furentibus fugiatur, atque ab angelis gaudentibus excolatur. Ipse Dominus Deus noster donavit nobis, licet longo intervallo distantibus, appropinquare tibi in dilectione per odorem bonum notitiæ (h) tuæ,

[a] Apoc. I, 6. [b] Apoc. XX, 6. [c] Isai. XL, 6, ex vers. LXX. [d] Psal. LXXXIII, 2, sec. LXX et Psalter. vetus et Romanum. [e] II Cor. XIII, 3. [f] I Cor. VII, 29. [g] I Cor. VII, 27. [h] I Cor. VII, 32. [i] I Cor. VII, 28. [j] Psal. LIV, 8.

* Alias 40; quæ autem 26 erat, nunc 40 et 41. Scripta anno 401.

(a) Sic mss. codices Vatic. et Victor. cum edit. Rom. et Mogunt. Alii editi, *viris*.

(b) Expunximus *namque*, quia ab omnibus codicibus nostris aberat.

(c) Ita ms. Victorinus codex cum editis 4 et Vulgata juxta textum Græcum, melius quam edit. Rosv., *absolutionem*.

(d) Sic ms. Vict. et edit. Mog. faventibus editis quatuor in quibus *carnes*. Edit. Rosv., *carnis*. Nostra lectio confirmatur ex sequentibus.

(e) Ms. Vict. et edit. Rom., Mogunt., Erasm. et Ponc., *tutator*.

(f) Psalteria quinque et S. Augustinus, in psalm, *elongavi*.

(g) Sic mss. Vatic. et Vict. Ante erat in ed. Rosv. *Quamvis solitudo non sit tua, quæ*, etc. Editi codd. 5, *Quasi*, mendose.

(h) Ita ms. Victor. cum duobus editis codicibus Alii, *bonæ*.

quam per fratrem in Domino carissimum Victorem accepimus : qui nobis et opus propositi tui, et secretum tabernaculi nuntiavit : quia veterum sanctorum strenuus æmulator, super torrentem tibi gratissimum, sicut illi quondam filii prophetarum, Elisæo duce, super Jordanem, pacificam mansionem et spiritualia [a] castra posuisses [a]; et diaconus tibi frater Benedictus Sareptanæ [a] illius aut Sunamitidis obsequio ministraret. Beatus ille, cui mandavit Dominus sicut uni volatilium cœli, ut te sicut Eliam ad torrentem secreto sedentem panibus pietatis pasceret [b]; et ad cellulam tuam assiduis super hac ministratione vestigiis, velut ad arcam Noe fructiferum pii germinis ramum afferens columba revolaret [c].

2. *Benedicti vos a Domino* [d], *qui facit unius moris habitare in domo* [e], et qui germanitatis vinculum duplicavit in vobis; quos et in Ecclesiæ utero fratres fecit, et sub una fide variis distinxit officiis, ut sub diverso munere alter alterum pasceretis. Tu illum spiritualibus armis jejunans et orans juvares, et ille in te cœlestia bona sibi sereret, dum carnalia tibi alimenta suppeditat, non indigenti quidem pereuntis escæ sumtu : quia fames tua justitiam et regnum Dei esurit [f]. Sed tamen quia idem Dominus, qui fecit quod intus est, fecit quod foris est; *spiritus quidem promptus, caro autem infirma* [g]; ideo viventem licet animam in Verbo Dei, quod est Christus Deus, qui verus et vivus panis est [h], tali remuneratur (*V.* ep. 13, num. 20) obsequio, ut corpori tuo, id est, terrenæ in te fragilitati serviat cibis modicis, et ipse jejuniorum tuorum abundantia saginetur. Ideo enim dixit : *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei* [i]; quia ut infirmioris substantiæ nostræ rationem, ne esuriret, habuit, perinde et carni panem necessarium ipse Creator ostendit.

3. Sed ne corporis curam animæ præponeremus, quæ verbo Dei pascitur, (*a*) non in solo pane victum hominis constitutum docuit; quem etsi animæ cura non quærat, tamen corporis natura deposcit. Ideo benedictus ille, cui ad opes animæ proficit necessitas conditionis tuæ : quia adhuc homo, et isto visibili pane pascendus es, etsi interius æterno illo pane satureris. Non enim proficeret spiritualis virtus, nisi subesset carnalis **168** infirmitas. Nec esset potens fidelium ministratio, nisi materiam ministrandi plerumque fraterna inopia præberet. Unde et Apostolus ait in sanctos compensationem futuram, cum Ecclesiam Dei ad consolationem istius benedictionis hortatur, et dicit : *Abundantia vestra sit ad illorum inopiam : ut et illorum abundantia vestræ inopiæ supplementum fiat* [j].

4. Adhuc audeo dicere in utroque vestrum diversa Johannis et Domini forma consistit (*V.* Vit. c. 39, n. 2) : Johannis in deserto (*b*) clamantis [k], et Domini in templo docentis. Et unus vestrum in servitutem ministerii vocatus est, alter in monachi libertatem. Sed utrique in unum Dei regnum et gloriam convocati, et ambo liberi, quia ambo sub gratia; et ambo servi, quia ambo sub lege fidei. Ambo liberi peccato, et ambo servi justitiæ, et ambo in jejuniis Domino diem sapitis, et ambo in epulis sinceritatis Domino gratias agitis, *qui dat escam omni carni* [l], et dat escam vivam esurientibus veram (*c*) justitiam [m]. Unus vestrum audivit, ut dicat : *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam* [n]. Et alter ab eodem propheta didicit dicere : *Singulariter sum ego, donec transeam* [o].

5. Ergo quia sic electi estis et dilecti Domino, ut *alter alterius onera portetis* [p]; et caritate perfecta, qua invicem vos pascitis, sustinetis, instruitis, locupletatis, *adimpletis legem Christi*, orate pro nobis; conserite validas orationum manus, ut superetis multitudinem peccatorum nostrorum. Ob hoc enim misericors et miserator Dominus peccatoribus suis sanctorum notitiam caritatemque procurat et donat, ut etiam inexcusabiles reos præpotens advocatio meritis damnationis absolvat. Maneatis in regno Domini (quod intra vos fecit esse per inhabitantem in vobis arrhabonem Spiritus sancti, *in quo clamatis, Abba, Pater* [q]) benedicti Domino filii pietatis, et pacis, et luminis.

EPISTOLA * XXVII.

Lætatur receptis de Severo nuntiis : purgat se ei de abductis hominibus : ejusdem laudes exsequitur summa caritate ac sui submissione.

Severo fratri unanimo, venerabili et semper (*d*) desiderantissimo, Paulinus.

1. *Benedicam Dominum in omni tempore* [r], *non obliviscar retributiones ejus, quia non secundum peccata nostra tribuit nobis* [s], qui assiduis et numerosis de tua **169** unanimitate solatiis satiat desiderium nostrum; nam in paucis diebus reditum ad nos sanctorum fratrum et unanimorum communium, Posthumiani et Theridii (*V.* carm. 22, v. 381, et Vit. c. 33, n. 1), adventus aliorum fratrum Virini et Soriani consecutus est. Ita nobis uno propemodum in tempore plurima gaudiorum messis obvenit, cum omnes ii quos pariter venisse memoravimus, litteris unanimitatis tuæ dulciorem nobis præsentiæ suæ gratiam reddidissent. *Exsultavit* itaque *in Domino spiritus no.*

[a] IV. Reg. vi, 2; IV Reg. iv, 8. [b] III Reg. xvii, 4. [c] Gen. viii, 11. [d] Psal. cxiii, 15. [e] Psal. lxvii, 7. [f] Matth. v, 6. [g] Matth. xxiv, 41, Marc. xiv, 38. [h] Johan. vi, 41. [i] Matth. iv, 4; Luc. iv, 4; Deut. viii, 3. [j] II Cor. viii, 14. [k] Matth. iii, 3; Joh. vii, 28. [l] Psal. cxxxv, 25. [m] Matth. v, 6. [n] Psal. xlii, 4. [o] Psal. cxl, 10. [p] Gal. vi, 2. [q] Rom. viii, 15; Gal. iv, 6. [r] Psal. xxxiii, 2. [s] Psal. cii, 3 et 10.

* Alias 14; quæ autem 27 erat, nunc 37. Scripta anno 401.

(*a*) Ms. codex Victorinus, *non in solo pane vitam hominis constare monstravit. Atque ideo non* [leg. *cum*] *dixit : Non in solo pane, etiam in pane victum hominis constitutum docuit.*

(*b*) Editi sex codices addunt *vox*. minus bene.

(*c*) *Justitiam*. Vera lectio, et Scripturæ sacræ consentanea, Græce τὴν δικαιοσύνην. Ms. Victor. et editi 4, *vitam*. Prior lectio præterea confirmatur ex n. 2, *fames tua justitiam et regnum Dei esurit*.

(*d*) Ita ms. Reg. Editi, *desideratissimo*.

ster, et dilatatum est os nostrum super inimicum A *nostrum* [a], cui non dabatur dicere : *Prævalui adversus eos* [b]; cum potius vota desideriorum nostrorum prævaluissent, ut exoptata de te, id est maxima animæ nostræ cura, et judicia, et eloquia reciperemus.

2. Itaque, ut nihil invicem, sicut præceptum est, nisi amorem mutuum nobis debeamus [c], respondebo omnibus epistolis tuis : ac primum illi quam primo accepi, qua [1] de ipsis, per quos scripseras, apud me expostulas, cur aut te solum reliquerim, aut illos tibi abduxerim. Sed recognosces, neutro me posse culpari; quia neque in te desiderando umquam modum feci, neque ullum tecum habui de eorum usurpatione certamen : alioquin ultro tibi de tuo jure cessissem, si prius tua fuisset possessio. Non enim a me alieni forent tecum manentes, qui totus es meus in Christo B Domino, per quem sum invicem tuus : neque tantum cepissem gratiæ in iis receptis quantum amisissem, si tibi præripuissem quamlibet expetendos in salutari via comites. Nam mea quoque sententia dignissimum me judicarem qui a tua caritate vacuarer, si ullum bonum mihi quam tibi mallem. Verum ego cum illos inopinato [2] Domini munere allapsos [3] mihi tales comperissem, quales et tibi postea in brevi claruerunt, etiam invidebam mihi, cur in hac parte felicior te fuissem, ut tuo conspectu et consortio digniores ego potius obtinerem, vel prius agnovissem. Denique, ut quamprimum hac qua me beatum existimabam gratia te consorte gauderem, et præsentes (*a*) increpui, quod se familiaritatis ac notitiæ tuæ expertes faterentur; neque quidquam studiosius mandavi C proficiscentibus, quam ad conspectum tuum complexumque properarent, teque cognoscere omnibus in patria rebus et curis suis anteferrent, ut diutinum damnum sibi vel sero sarcirent. Et, gratias Domino, recipimus eos *venientes in exsultatione* [d], magnumque hujus, qua nobis in te præ ceteris expetendo credidissent, conscientiæ gaudium, quasi benedictum et cæteris vitæ suæ fructibus altiorem de agro pleno **170** manipulum reportantes. Quas illi Deo primum, qui non solum satiasset, sed et superasset desiderium eorum, ut plura in te quam præsumserant invenirent bona? quas nobis, qui tantæ illis acquisitionis [4] fuissemus autores? quas sibimetipsis, quod nobis in suum lucrum paruissent, gratias agebant?

3. Ineffabile mihi est, quanta me voluptate perfu- D derint, cum referrent et actus et sermones tuos, et perfectum cor tuum caritatis divinæ scientia, qua humilis et excelsus, pauper et dives, servus et liber, famulis conservus, fratribus servus, pauperibus dives in visceribus misericordiæ, divitibus pauper in spiritu mansuetudinis, humilis virtute pietatis, arduus sublimitate virtutis, et servus Deo, liber mammonæ, totum in te spirare Martinum, florere Clarum (*V.* not. 124), maturari Evangelium prædicabant. Impinguarunt omnino oleo lætitiæ caput nostrum [e]; propter hoc *benedixerunt omnia interiora nostra Dominum* [f] duplici causa gratulationis : quod et tibi plurimum præstitisse nos intelligeremus de agnitione dilectissimorum, ut probasti, fratrum; et illos gratulari sibi de notitia et caritate tua, ut divino munere, videremus. Quantum illi præterea inter opera et munera in te Dei admirati sunt etiam pueros tuos, qui *in circuitu tuo sicut novellæ* [5] *olivarum* [g] virent : quibus te Deus noster idem fecit, quod ipse cunctis est, ut te et quasi dominum vereantur, et quasi patrem diligant [h]. In hoc tamen sermone eorum, fatemur gemuisse nos ad infelicitatem nostram, quibus ab ejusmodi filiis sterilitatem graviora peccata fecissent : sed *facti sumus quasi consolati* [i], quia vicinum esse nobis tuæ felicitatis bonum judicamus.

4. Verum ne longiore intervallo nostra iniquitas inter nos et te separet, totum hunc quo diebus et noctibus Deum mulces, sacræ pubis accinge delectum, ut adversum peccata nostra pro nobis aciem orationum dirigant et exorent, ut *confirmet hoc Dominus quod operatus est nobis* [j] : id est, ut caritate tua, in qua nunc acquiescimus, et qua gloriamur, in illa die refrigeremur et gaudeamus.

EPISTOLA * XXVIII.

171 *Victorem, per quem invicem litteras mittebant, Severo laudat, et quod serius remittatur excusat. Totam epistolam, sensibus et verbis sanctissimis texit, insertis emblematibus pulcherrimis de Christo ut igne, fundamento, janua, pane, etc. Et quia Severus aliquid Paulini operum postulaverat, ei duos libellos mittit, quorum alter erat tantopere a S. Hieronymo (Ep. 13 ad Paulin.) laudata Theodosii Defensio, quam intercidisse nemo non dolet : alter vero, natalitia carmina de S. Felice.*

Sancto fratri et unanimo commilitoni SEVERO, PAULINUS.

1. Redit a me tibi Victor, ut redeat a te mihi : Victor commune pignus, et fidele contubernium, et solemne solatium nobis : Victor in te meus, et in me tuus : Victor epistolarum nostrarum veredarius pedes, aut veredus bipes; victor longissimarum viarum; bene idem dicendus simul et victor et victus; quia vincitur caritate, (*b*) qua vincit vias duras et magnos labores, qui *in sudore vultus sui edit panem suum* [k], ut nos reficiat annuis inter utrumque discursibus, ferens (*c*) indefessus ac referens commercia litterarum, quibus mutuam visitationem animis ac visceribus invicem nostris, tamquam vectigal officii debiti, pensitamus. Sit benedictus Domino puer Victor; neque illi spinas et tribulos sua terra parturiat,

[a] I Reg. II, 1; Luc. I, 47. [b] Psal. XII, 5. [c] Johan. XV, 17; Rom. XIII, 8; I Johan. III, 23. [d] Psal. CXXV, 6. [e] Psal. XXII, 5. [f] Psal. CII, 1, sec. Psalter. vetus et Rom. [g] Psal. CXXVII, 3. [h] Malac. I. 6. [i] Psal. CXXV, 1. [j] Psal. LXVII, 29. [k] Gen. III, 19.

* Alias 9; quæ autem 28 erat, nunc 18. Scripta anno 402, sub finem æstatis.

(*a*) Sic ms. Reg. et sic Paulinus in epist. 49 ad Macarium, n. 5, *increpuit mare.*

(*b*) Ms. Reg., *quia.* Ms. Vatic., *qui.*

(*c*) Ita ms. Vien. et ed. Schot. et Latinius, favente ms. Vat. in quo *indefessim.*

quia impiger est [a]. *Viæ enim* (a) *pigrorum spinis* A *stratæ* [b] sunt. Victor vero noster non dicit : *Leo est in viis* [c]; quia ita simplex est ut ambulet confidens [d], fidelis et castus, ut *non timeat a timore nocturno, et jaculo volante per diem* [e]. Propterea Dominus custodit illum in omnibus viis suis; et angelicis mandat excubiis, *ne usquam offendat ad lapidem pedem suum*; neque mordeat calcaneum ejus observans *coluber in via* [f], quem calceatis ad Evangelii [g] cursum pedibus impune calcabit et conteret. Laudabo igitur et benedicam in Domino Victoris nostri pedes, et de his quoque pedibus audebo dicere : *Quam speciosi pedes qui evangelizant* mihi *pacem* [h] de te, cum incolumitatem tuam, et pacem in te, cum fidem tuam nuntiant, per quam in te manet Christus pax nostra : qui et de nobis vel in nobis *facit utraque unum* [i]; sive qua duo B sumus in corde uno; sive (b) qua utramque substantiam animæ et corporis unum facimus, conflante nos Christo per ignem **172** Spiritus sui, de quo ait : *Ignem veni mittere in terram; et quid vult* bonus Dominus, *nisi ut accendatur* [j] in nobis, et illuminet tenebras nostras, et peccata consumat? *Quia Dominus Deus noster ignis consumens est* [k]. Tribuat hic mihi Dominus, ut et in me pro me fiat ignis consumens. Ardeat hoc igne cor meum in lumen æternum mihi, ne eodem ardeat anima mea in pœnam perennem. In hoc enim igne revelabitur dies Domini, et *uniuscujusque* nostrum *opus quale sit, ignis probabit* [l].

2. Oremus hunc Dominum, ut doceat nos facere voluntates suas, et *spiritus* ejus *bonus deducat nos in viam rectam* [m], ne labor noster inveniatur ligna, fœ- C num, stipula [n]; sed potius argentum, aurum, lapides pretiosi et vivi inveniamur in muris Hierusalem illius cœlestis et liberæ [o], *quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum* [p]. Hujus enim civitatis habitator in tribus unus ostenditur; unde dicitur *civitas Regis magni*, *civitas Dei nostri*, *civitas Domini virtutum : quam* ipse *Dominus*, ut scriptum est, *fundavit in æternum* [q] : cujus quidem civitatis non solum fundamentum, sed et turris et porta factus est Christus. *Fundamentum enim*, inquit, *nemo potest aliud ponere quam eum* qui est nobis *turris fortitudinis a facie inimici* [r] : qui dicit : *Ego sum janua ovium* [s] : *nemo potest venire ad Patrem nisi per me* [t]. Si igitur in hoc domus et mens nostra fundetur, et digna tanto fundamento superædificetur operatio; erit nobis in adi- D tum civitatis suæ porta *ipse* qui *reget nos in sæcula* [u], et *in* loco pascuæ collocabit nos, quos jam per aquam refectionis sibi genuit [v], et nutrit epulis [1] salutaribus in eam *mensam*, quam *præparavit* [1] *nobis adversus eos qui tribulant nos*. De qua dicit : *Beatus qui manducabit panem in regno Dei* [x] : quia Christus idem et regnum et panis est quo nos saginamur, et serpens tabescit; cujus fames [1] et pœna est cibus vitæ nostræ Christus Jesus, qui factus est nobis in escam, ut eo pane viventes [y], et secundum eum ambulantes, possimus juxta Apostolum dicere : *Nostra autem conversatio in cœlis est* [z]. Cum enim quæ sursum sunt sapimus et quærimus [aa], terreni esse desinimus, ut jam non simus esca serpentis, qui vicissim *datus est in escam populis Æthiopum* [bb], ut ab his edatur quos edit. Quod nobis e contrario salutare est, qui Christum edimus, et absorbemur a Christo, qui absorbet mortale nostrum, quia vita est, ut induat nos immortalitate [cc], et conformes imagini suæ faciat [dd], qui dedit nobis potestatem super omnem virtutem inimici **173** impune calcandi per eamdem gratiam [ee], qua *dedit potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine ejus* [ff], *quod est supra omne nomen* [gg]. In hoc habitemus, quia ipse etiam *civitas* est quæ *non potest abscondi*, quia *super montem posita* [hh], et cujus *fundamenta sunt in montibus sanctis*. Hanc civitatem *ipse fundavit Altissimus*, sicut scriptum est quia *Sapientia sibi ædificavit domum* [ii]. Hæc est domus illa non manufacta, in qua si habitemus iis operibus, quibus cives sanctorum fieri mereamur, non ardebit opus nostrum [jj]; et ignis ille sapiens transeuntes nos per examen suum, non severo ardore ambiet puniendos; sed ut commendatos suscipiens, blando lambet attactu [1], ut possimus dicere : *Transivimus per ignem et aquam, et induxisti nos in refrigerium* [kk].

3. Sed ut eodem nomine quo inchoata est epistola terminetur, ad Victorem nostrum recurram, pro quo excusationem debeo [1]. Quod ad te tardius pacto redit, ne imputes pedibus ejus, qui non pigritiæ vitio, sed obedientiæ studio apud nos diutius restiterunt. Reputa tamen tempus, non quo dimissum eum indicasti, sed quo misisti; et videbis de placita inter nos retinendi Victoris vicissitudine stare rationem mihi. Non enim ad hiemem apud nos, ut scripseras, exigendam adfuit; sed ut asseruit, de Narbonensi, ubi fratri Posthumiano occurrerat, (c) remissus ad te, tunc a te iterum profectus est, cum ad me directus pervenire potuisset. Jam igitur hieme decedente susceptum, necesse habui vernis mensibus detinere : et quia breve spatium videbatur, quod illico solemnitas Paschalis concluderet, cum et infirmissimus per idem tempus fuissem, ut ad rescribendi negotium non

[a] Gen. III, 18. [b] Prov. XV, 19, sec. LXX. [c] Prov. XXII, 13, et XXVI, 13. [d] Prov. X, 9. [e] Psal. XC, 6. [f] Gen. XLIX, 17. [g] Eph. VI, 15. [h] Isai. LII, 7; Rom. X, 15. [i] Eph. II, 14. [j] Luc. XII, 49. [k] Deut. IV, 24; Heb. XII, 9. [l] I Cor. III, 13. [m] Psal. CXLII, 10 et 11, sec. Psalter. Rom. [n] I Cor. III, 12; I Petr. II, 5. [o] Gal. IV, 31. [p] Psal. CXXI, 3. [q] Psal. XLVII, 2 et 9. [r] I Cor. III, 11; Psal. LX, 4. [s] Johan. X, 7. [t] Johan. XIV, 6. [u] Psal. XLVII, 15. [v] Psal. XXII, 2. [x] Luc. XIV, 15. [y] Johan. VI, 35. [z] Philip. III, 20. [aa] Colos. III, 1. [bb] Gen. III, 14; Psal. LXXIII, 14. [cc] I Cor. XV, 53. [dd] Rom. VIII, 29. [ee] Luc. X, 19. [ff] Johan. I, 12. [gg] Philip. II, 9; Matth. V, 14. [hh] Psal. LXXXVI, 1 et 5. [ii] Prov. IX, 1. [jj] II Cor. V, 1; Eph. II, 19. [kk] Ps. LXV, 12.

(a) Sic LXX interpretes, Aquila et Theodotio, et Paulinus in epist. 21, ad Amandum, n. 5.

(b) Ms. Vatic. codex, *quia*, semel et iterum.

(c) Sic ms. Reg. et editi 4. Verissima lectio. Edit. Rosv., *nunc*. Ms. Vien., *remissus a te, tunc ad te iterum profectus est*, mendose.

valerem, apposui de diebus [*] æstivis moras ejus, ut A compensarem tecum, si tantum in eo tui temporis usurparem, quantum tu in eodem occupaveras de diebus hibernis : unde (*a*) concedam, si autumno pervenerit ad unanimitatem tuam, ut hiemem rursus impendat tibi; quia vides ita placito Domini procuratum, ut tempora communis unanimi, quæ nobis mutua cesseramus, salva fide pacti, majori istius commodo mutarentur : nunc enim apte conversum est ut verius fieret, quod contra meritum indulgens mihi, et tibi detrahens, scripseras. Tu enim vere spiritu fervens salubrius eum in tempore frigoris ignito fidei tuæ fovebis calore [a]; at ego frigidus ad æstivam illi stationem aptior ero.

4. Sed utinam vel frigidus magis quam tepidus essem [b], nec Domino meo vomitum **174** facerem, B et proximi mei æstum levarem! nunc vero fastidium potius de satietate mei facio utentibus tempore incolatus mei, nec algentibus, nec æstuantibus necessarius, modicæ fidei tepore revomendus ab his qui saporem societatis meæ spe dulcedinis spiritalis gustare tentaverint. Quo magis miror vel concupiscentiam tuam in desiderandis, vel patientiam in perferendis ineptiarum mearum molestiis. Sed utinam mihi tam nullum de multiloquio peccatum (*b*) accedat [c], quam tibi magna merces de tam infatigabili caritate cumulatur. Tamquam enim non defatigatus, sed potius et refectus tantis antehac per Victorem nostrum numero et copia voluminibus, iterum postulasti per eumdem librigerum, ut tibi pluribus, si (*c*) possim, scriptis essem molestior.

5. Præterea autem jussisti, nimium opulenter tibi de paupere tuo blandiens, ut quæ te de annalibus non unius gentis, sed generis humani fugerent, ego videlicet quasi peritior edocerem : sed sibi imputet famem, qui pauperis amici forem (*V.* carm. 24, v. 613, et ep. 32, n. 12.) pulsat, et promptuarium inane scrutatur. Numquam enim in hæc investiganda et colligenda mihi contentum studium fuit. Nam etiam in tempore veteri, quo videbar legere (*d*) nec legenda, ab historicis scriptoribus peregrinatus sum. Attamen nunc operis tui curam gerens, quo te pro utilitate fidei nostræ inspiciendis et conferendis præteritorum temporum rationibus occupatum indicasti, quod de me non habui, de fratris unanimi opulentiore thesauro petivi; et ipsam adnotationem, quam commonitorii vice miseras litteris meis inditam, direxi ad Ruffinum presbyterum, sanctæ (*e*) Melani spiritali in via [7] comitem, vere sanctum et pie doctum, et ob hoc intima mihi affectione conjunctum. Si ille has, quæ merito te permovent, de annorum sive regnorum non congruente calculo, hiantis historiæ causas non ediderit; qui et scholasticis et salutaribus litteris (*id est*, humanioribus et sacris litteris. *V.* ep. 44, n. 1) Græce juxta ac Latine dives est, vereor ne apud alium in his regionibus frustra requiramus. Quod si præsumtioni de se meæ satisfecerit, prima occasione, si Dominus (*f*) faverit, transmittam unanimitati tuæ utcumque mihi super hac ratione rescripserit.

6. Interim, ut aliquid de præceptis tuis facerem, misi ex his, quæ metuo ne inertiæ potius vel imprudentiæ meæ testimonia sint, quam supernæ ministrationis insignia; aut certe vel humanæ documenta [8] sapientiæ : misi tamen tibi, id est commisi meo pectori **175** [9] meas nugas, non ut sensus tuos polluant tenebræ meæ, sed ut tuis sensibus diluantur. Nugas autem meas de verbis ac sententiis meis dixi : ceterum materia sancta, et tuo potius ingenio eloquioque digna [10]; etsi meis sermonibus velut atro habitu vestiatur, speciem tamen divini luminis, interni decoris, quamquam in egenæ supellectilis vilitate custodit. Habes [11] ergo libellos a me duos, unum versibus natalitium de mea solemni ad Dominædium meum cantilena, cui corpore ac spiritu quotidie, lingua autem quotannis pensito dulcissimum voluntariæ servitutis tributum, in die festo consecrationis ejus *immolans* Christo *hostiam laudis, et reddens Altissimo vota mea* [d]. Alius libellus ex his est quos ad benedictum, id est, Christianum virum, amicum meum Endelechium (*V.* not. 125) scripsisse videor, non tamen edidisse convincar. Is enim mihi autor hujus in C Domino opusculi fuit, sicut ipsius epistola, quæ libello meo pro themate præscribitur, docet. Fateor autem idcirco me libenter hunc ab amico laborem recepisse, ut in Theodosio (*V.* not. 126) non tam imperatorem, quam Christi servum; non dominandi superbia, sed humilitate famulandi potentem; nec regno, sed fide principem, prædicarem.

EPISTOLA [*] XXIX.

Pallia e pilis camelorum recte sibi ut pœnitentia egenti a Severo missa interpretatur. Eidem ut innocentiæ tunicam mittit de agnorum vellere acceptam a Melania, cujus laudes fuse exsequitur.

SEVERO (*g*) fratri unanimo PAULINUS.

1. Immoderatam, ut arguimus, in litteris vestris onus nostrum loquentibus, caritatem, apta atque D moderata ad utilitatem nostram munerum gratia temperastis : necessario [1] enim peccatoribus et precatu deplorationis, et habitu indigentibus, pallia camelorum pilis texta misistis; quæ nos in conspectu Altissimi stratos utilibus stimulis admonerent, dum asperitate setarum compungimur (*V.* not. 127), et peccatorum nostrorum horrore compungi, atque in-

[a] Rom. XII, 11. [b] Apoc. III, 16. [c] Prov. X, 19. [d] Psal. XLIX, 14.

[*] Alias 10; quæ autem 29 erat, nunc 38. Scripta anno 402 exeunte æstate.

(*a*) Ms. Vatic., *concedo.*

(*b*) Mss. Reg. et Vien., *accederet.*

(*c*) Ms. Vien., *possem.*

(*d*) Ms. Vien. et edit. Schot., *negligenda.*

(*e*) Ante erat, *Melaniæ*. Ex ms. Reg. emendavimus *Melani*. Nostra correctio ex pluribus epistolarum S. Paulini locis confirmatur. Vide not. 138.

(*f*) Ms. Vien., *siverit.*

(*g*) Ms. Vien. *Paulinus servus Christi Jesu, Severo carissimo fratri in Deo Patre et Christo Jesu salutem*, edit. Grin., *Severo Paulinus.*

tus spiritu conteri, dum extrinsecus terunt habitu. Multa præterea in eorum usu, de veterum recordatione sanctorum, conformandæ fidei emolumenta referuntur. Veniunt in mentem translatus **176** Elias et præmissus Johannes : quorum alterum hispida setis zona cingebat, alterum pili, ut scriptum est [a], camelorum hirto tegmine vestiebant. Reminiscimur etiam *David et omnis mansuetudinis ejus*, qua *contritum cor et humiliatum Deo sacrificans induebat se cilicio; et operiebat in jejunio animam suam* [b], ut eam spiritali saturitate contegeret. Unde discimus vestimentum animæ illud esse jejunium, quo ab omnibus lege divina vetitis abstinemus. Id enim et de primorum patrum dispoliatione cognoscimus, qui postquam ab interdicto cibo destiterant jejunare, nudati sunt [c]. Sed et propheta ipse nos docet quali jejunio animam suam a confusionis nuditate munierit, cum ait Domino : *Ab omni via mala prohibui pedem meum, ut custodiam verbum tuum* [d].

2. Ex hoc eodem muneris vestri lanicio et (*a*) illa nobis de Evangelio *camelus* ingeritur, quæ *facilius per foramem acus transit, quam dives in regnum cœlorum* [e]. Ex quo nostras divitias quæ nunc in peccatis tantum manent, cogitantes, quia similes divinis illis viris virtutes affectare non possumus, illius saltem nobis gratiam publicani cupimus provenire, qui in corde detrito semetipsum accusans Deo, et pectus afflictum crebra manu tundens, et oculos conscientiæ pudore depressos in cœlum levare non audens [f], iniquitate illa vitiorum dorso cameli æmula, ita se in humilitatem debitam strinxit, et resipiscentis animæ complanatione direxit, ut se foramini acus, hoc est, viæ verbi vel crucis, quæ *arcto* [g] *tramite ducit ad vitam* [g], divinarum aurium penetrator insereret. *Oratio* enim, inquit, *humiliantis se, nubes penetrat* [h] : quo contra [i] ille jactantiæ suæ spiritu dives Pharisæus, qui (*b*) imputatione operum debitorum, quia ex lege operandi debitor erat, tamen quasi voluntaria fecisset supra debitum, prædicator sui, accusator alieni, qui conveniret magis Deum quam rogaret, intrare non potuit : quia subsarcinatos arcta non capiunt. Nec poterat eo recipi lata jactantia, quo se humilitas angusta collegit, et (*c*) angusto angustior contriti cordis exilitate penetravit.

3. Interveniant orationes tuæ, ut animam meam multa corruptione discissam [j], et spinis meorum sensuum temere consertam, Dominicæ crucis acus inserto verbi salutaris filo sarciat. Fidem enim et verbum crucis Christi hanc arbitror acum, qua vitæ nostræ habitus innovatur, (*d*) mens nostra compungitur, **177** nosque ipsi Deo per interventum ipsius Mediatoris adsuimus. In eodem est et foramen illud, quia per ipsum et in ipso ad vitam via illa multis desiderabilis, paucis penetrabilis; per quam facilius ingreditur humiliata iniquitas, quam superba justitia [i]. Quo majorem vobis ut medicis spiritalibus debemus gratiam, qui etiam carnalia nobis munera spiritali utilitate confertis; ut hæc pallia nobis ad stimulum orationis et habitum humilitatis, tamquam sterili illi ficulneæ cophinum stercoris miseritis [j]. In quo mihi videtur æterna piæ humilitatis utilitas indicari, quæ sterilem fecundat animam, ne per vacuam arrogantiæ speciem sibi juxta illum Pharisæum [k] placens velut arbor infelix frugibus, inutili fronde luxuriet [l]. Quam bonum autem et utile ad culturam salutis hujusmodi stercus sit, docemur in beato Job [m], qui postquam sedit in stercore, tentari destitit. Consumserat enim tentatoris invidiam humilitate perfecta, quæ facilius surgere quam dejici potest. Quia in limo sedens, unde cadat non habet; sed habet [a] unde consurgat, per eum qui *suscitat de terra inopem, et de stercore erigit pauperem* [n], et in stercora redigit superbos [o], *quia omnis*, ut scriptum est, *superbus immundus coram* Deo : et ideo justior apud Deum ille accusator iniquitatis suæ, quam ille justitiæ prædicator. Ille laudando se accusavit, hic accusando defendit.

4. Et ideo nihil nobis de nostris operibus blandientes, semper *in manus ejus commendemus spiritum nostrum* [p], *quoniam apud ipsum est fons vitæ* [q]. Ab illo intellectum itineris nostri petamus, quoniam *a Domino gressus hominis diriguntur* [r]. Sed et si potuerimus mandata ejus per ipsius opem facere, necesse habemus sic quoque inutilitatem nostram fateri [s] : quia imputare non possumus debitam servitutem, si tantum præcepta faciamus. Inutilis enim et nequam servus est, qui nihil ad necessitatem debiti muneris voluntario addit affectu, non habiturus unde præmium speret, si tantum conditionis officia dependerit. Quamobrem etiam mandata complentes, ut sæpe tibi scribo, timeamus, semper dicentes Domino : *Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis* [t] *vivens*. Poterit nos vel humilitas confessionis asserere quasi modestos apud bonum Dominum [a], quos commendare non poterit ut ignavos strenuæ servitutis utilitas. Nam et Ninivitæ probant quantum apud divinam clementiam peccatori remedium sit [u], ut sibi ipse non parcat ; quandoquidem suffragio pœnitentiæ reconciliati Deo, me-

[a] IV Reg. I, 8; Matth. III, 4; Marc. I, 6. [b] Ps. CXXXI, 1; L, 19; LXVIII, 11; XXXI, 1. [c] Gen. III, 7. [d] Ps. CXVIII, 101. [e] Matth. XIX, 24; Marc. X, 25. [f] Luc. XVIII, 13. [g] Matth. VII, 14. [h] Eccli. XXXV, 21. [i] Matth. VII, 14. [j] Luc. XIII, 8. [k] Luc. XVIII, 11. [l] Matth. XXI, 19. [m] Job. II, 8. [n] Psal. CXII, 7. [o] Job. XL, 6. [p] Psal. XXX, 6. [q] Psal. XXXV, 10. [r] Psal. XXXVI, 23, sec. LXX. [s] Luc. XVII, 10. [t] Psal. CXLII, 2. [u] Jonæ III, 10; Matth. XII, 41; Luc. XI, 32.

(*a*) Sic omnes codices, præter Viennensem in quo, *ille.... camelus ingeritur, qui*.

(*b*) Ms. Vien., *computatione*. Vera lectio quam retinemus, quæque confirmatur n. 4, *imputare non possumus debitam servitutem*; et epist. 50, num. 3, *quam pharisæum de imputatione justitiarum suarum*.

(*c*) Ita mss. Reg. et Vatic., *angusto*, id est *re angusta*, vel *angusto aditu*. Clarior sensus quam in editis, in quibus erat, *angusta*.

(*d*) Sic ms. Vien. codex. Cæteri, *mors*.

ruerunt denuntiatum evadere excidium: quia se spontaneis **178** luctibus cruciando, divinam sententiam prævenerunt sua.

5. Nos vero neque verbis neque rebus digna pensantes, unica tamen [7] facultate nobis caritatis, qua vobis sola pares sumus, misimus tunicam, quam ab usu meo, ut de stercoris vilitate [8] collectum pannum dignare suscipere: nam vel hoc [9] innocentiæ tuæ congruit, quod de tenero agnorum vellere contexta blanditur attactibus. Addo autem adhuc pretio ejus et gratiæ, quod quo dignior probetur usu tuo, de sanctæ et illustris in sanctis Dei feminæ (a) Melanii benedictione mihi pignus est. Unde te dignior visa est, cujus fides illi magis quam noster sanguis propinquat. Fateor tamen ausum me, ut eam, quamvis illico ut acceperam tibi destinatam, meo tamen vestitu initiando præterirem; sciens magis me tibi hac injuria præstiturum, quam si te intemerata novitate illius honorassem: simul ut mihi benedictionem quasi de tua jam veste præcerperem; ut jactare possim vestimenti tui me esse participem, qui propitio Deo futuram usus tui tunicam, quasi fuisset, induerem.

6. Addidit autem Dominus hanc gratiam de muneribus et litteris tuis, ut ad eos potissimum dies nobis frater Victor occurreret, quibus sanctam ipsam ex Hierusalem post quinque lustra remeantem excepimus. (At quam tamdem feminam) si feminam dici licet, tam viriliter Christianam! Quid hoc loco faciam? Vetat fastidii intolerabilis metus voluminibus adhuc addere; sed personæ dignitas, immo Dei gratia postulare videtur ut commemorationem tantæ animæ prægressus non raptim omittam, sed paulisper [10] ad eam tibi narrandam, velut navigantes, si aliquem in littore locum spectabilem videant, non prætervehuntur, sed contractis paululum velis, aut remigio pendente pascunt oculos intuendi mora; ita sermonis mei cursum detorqueam, quo etiam illustri illi materia et eloquentia libro tuo vicem aliquam videar reddere, si feminam inferiorem sexu, virtutibus Martini Christo militantem prosequar, quæ consulibus avis nobilis, nobiliorem se contemtu corporeæ nobilitatis dedit.

7. Opinor autem et hoc ad cumulum divinæ gratiæ pertinere, quod sanctitatem laudandam de laudibus generis prædicare ordior. Sed hunc ordinem non a rhetoricis institutis magis, quam de evangelicis exemplis usurpari doctissimus Lucas [a] mihi testis est, qui Baptistæ beati meritum ab originis claritate detexit: et ne tantum historiæ gratia eum commemorasse existimes nobilem Dominici præcursoris parentem, veneranda priscæ **179** nobilitatis insignia, et suum cuique stemma connectit, dicens *sacerdotem Zachariam de vice Abia* [b]. Credo ut ex eo ipso dignitatem meriti ejus ostenderet, adjiciens nomen ex infulis, quod proculdubio in Hebræis esset insigne, de cujus vice honoratum sortitus sacerdotium fungeretur. Denique addit [11]: *Et uxor illius de filiabus Aaron* [c]. Vides evangelistam de commemoratione natalium sancti [12] (*V.* not. 128), dictionem fecisse meritorum; ut iis quos erat de propriis meritis prædicaturus, nomina avita præferret: *et uxor*, inquit, *illi erat de filiabus Aaron*. Auxit meritum sacerdotis commemorata nobilitate conjugii; et laudaturus vitam, genus ante laudavit, ut venerabilior existeret, qui sanctis parentibus responderet sanctitate ingenita, quasi quadam justitiæ hereditate: qui illud principale in sacerdotibus nomen Aaron, et honoris in munere, et generis in uxore successor referret: atque illa, quæ concors in itinere jugum veritatis [13] cum marito trahebat ad pariendum eligenda per angelum, de quo scriptum est: *Ecce mittam angelum ante faciem tuam* [d], dignior et viro sacerdote, et filio prophetis præferendo existeret, quam divinis idoneam dotibus, non solum vita justitiæ, sed et familiæ prærogativa fecisset. Sed et ipsius Domini ortum, præter illum a fonte divino fluentem, etiam istum quo Filius hominis esse dignatus est, evangelistæ duo [e] numeratis ab initio majoribus ordiuntur, diversam utroque scriptore corporei sanguinis venam pari fide et dignitate referente: quia dignum erat ut Unigenitus Dei, et primogenitus totius creaturæ, atque universi corporis caput, etiam in generis corporei dignitate primatum teneret. Ut unus in cœlo Dei Filius ante secula ineffabili natus exordio, etiam in terris illustrium titulorum sibi apices vindicaret, regum pariter et sacerdotum (ut duo testantur autores [f]) clara progenies. Quam ob rem non videbimur aliena potius quam nostra uti regula, terrenam quoque nobilitatem in supradicta Dei famula prædicantes: qua perspicuum sit id quoque ad operis sui gloriam Dominum contulisse, quo magis confunderetur iste mundus, qui talibus titulis gloriatur, ut quo vanitas hominum ad contemtum Dei utitur, ista potius ad contemtum mundi uteretur: simul ut major salutaris exempli proderetur autoritas humiliandis superborum oculis, mulier celsiore gradu ad humilitatis cultum ob amorem Christi dejecta sublimiter [g]; ut viros desides in infirmo sexu fortis argueret, arrogantes in sexu utroque personas paupera dives, et nobilis humiliata confunderet.

8. **180** Igitur Marcellino consule avo (*V.* n. 129), de ambitu generis et opum luxu, in teneris adhuc annis nuptias passa, et brevi mater, sed ea felicitate mortalium non longum (*id est* diu. *V.* carm. 32, v. 593) potita est, ne diu terrena diligeret. Nam præter alias orbitates quas irrito [14] in fetibus abortivis labore adhuc marito participe deflevit, ita crevit ærumnis ut duos filios et maritum intra anni tempus amitteret; unico tantum sibi parvulo ad memoriam potius [15] quam ad compensationem affectuum derelicto. Sed et de malorum nostrorum seminibus, causas bonorum

[a] Luc. I, 5. [b] Luc. I, 5; I Par. XXIV, 10. [c] Luc. I, 5. [d] Malac. III, 1; Matth. XI, 9; Marc. I, 2; Luc. VII, 26. [e] Matth. I, 1; Johan. I, 1. [f] Matth. I, 1; Luc. III, 23. [g] Psal. XVII, 28.

(a) Ita edit. Schot. Recte. Vide not. 138.

cœlestium nobis Domino providente, pietatem divinam per humanæ pietatis damna concepit. Misera facta est, ut efficeretur beata. Percussa est, ut sanaretur : Quoniam *ego percutiam, et ego sanabo* [a], dicit Dominus. Tanta est enim summi Patris pietas, ut etiam ira ejus ex misericordia sit, et ideo castiget ut parcat [b]. Denique beatus Apostolus ideo cæcatus est, ut illuminaretur [c]; cecidit persecutor, ut apostolus surgeret; in itinere iter reperit [16], et in impietatis via viam pacis agnovit. Sic ergo bonus Dominus in omni tempore iisdem circa nos quoque minimos suæ pietatis impendiis usque adhuc; ut ipse testatus est, opera Patris operans [d], sanctam quoque istam, non quia infidelem haberet, sed ut perfectam redderet, paterna pietate corripiens [e], in misericordia verberavit tentationibus, ut patientia coronaret : *flagellat enim omnem filium quem recipit* [f]. Itaque (*a*) luctuoso ambitu trium funerum comes, vidua pariter et orbata, Romam venit cum unico suo incentore potius quam (*b*) consolatore lacrymarum; sive infans ante sui sensum mala sentiens, jam saperet [17] alienam lugere mortem, qui adhuc vitam suam nosse nesciret : sive ignara male securus infantia, miserabili ludo inter matris lamenta rideret.

9. His edocta documentis, non (*c*) fidere seculo fragili, et spem tantum in Deo [18] ponere, quem solum amittere inviti non possumus, salutarem sibi filioque scientiam induit; ut parvulum suum negligendo diligeret, et dimittendo retineret, firmius habitura absentem quem Domino commendasset, quam complexura præsentem si sibi credidisset. Imitata est, conditione qua potuit, Annæ sterilis fidele votum [g] : nam et istam damnosa fecunditas sterili proximam fecerat; et talis effici post evacuatam fecunditatem timens, qualis illa fuerat ante promeritam fecunditatem, diversum Deo munus simili dedicavit affectu. Ista de parto pignore, illa de concipiendo [19] sollicita. Illa ut mater esse inciperet, hæc **181** ne esse desineret. Quod si ideo dissimile judicatur, quia non hujus ita ut illius filius in templo depositus serviat Domino [h], qui et opibus seculi utatur et honoribus; tamen e diverso (*d*) compensatione pietatis et fidei videtur æquari : quia hæc idem de semetipsa persolverit Domino, quod gloriosa Anna de filio. Illi enim votivus Samuel in plures partus postea repensatus est; huic unicus suus summa partuum, finis luctuum fuit. Illam mandato primogenito in statione templi, et alia domi pignora, et ipsius quamquam sacrati filii, non longinqua tamen discretio (*id est* distantia. *V.* epist.

A 20, n. 1), solemnisque ad templum recurrendo visitatio consolabautur : ista, ut unicum suum a pectore suo abscidit, et in sinum Christi jactavit, ut eum ipse Dominus enutriret [i], nihil postea illi suæ sollicitudinis dedit, diffidentiæ peccatum judicans, si quem Christo commiserat, ipsa curasset. Quanta autem hoc fide fecerit, hinc perspici licet, quod in magna licet potentissimorum et clarorum propinquorum Romæ copia, nemini parvulum suum verbo, ut dici solet, alendum, erudiendum, tuendum mandare dignata est. Tam certa fuit a Christo esse susceptum, et ideo meruit obtinere, quia frui noluit : et nunc revisere meruit per ejus fidei pietatem, qua semel relictum in Deo non desideraverat in hoc seculo. Itaque *fecit* illi *magna qui potens est* [j], majora præsumto donare credentibus. B Ita huic ut filium [20] et in hoc loco videret adjecit, sicut Salomoni, quia sapientiam petere elegisset, etiam ceteras opes quas non poposcerat, ob hoc ipsum quia non desideraverat, contulit [k]. Remuneratus intellectum (*V.* ep. 26, num. 2) bonum, quo infimis summa prætulerat, minora majoribus superfudit. Ita ille meruit possessor omnium opum fieri, qui esse summarum petitor elegerat. Quo quidem omnes exemplo admonemur sapere, cum docemur [21] eligere. Minora enim majoribus, et summis infima bona, id est, terrena cœlestibus anteponentes : in pœnam stultæ cupiditatis, omni carebimus summo simul atque infimo bono; et illa juste non accepturi, quæ non desideraverimus; et istis merito defraudandi, quorum amore noxio potiora (*e*) neglexerimus. Sic C et pater Abraham recepit oblatum Deo unicum [l], quia prompte obtulit postulatum. Suffecit [22] Domino sacrificium pietatis in corde perfectum, et ob hoc interposita angeli manu jam vibrantem dexteram percussuri patris excipiens, subjecit victimæ ovem subito præparatam, ut nec Deo deforet hostia, nec patri filius. Simul ut mysterium in Christo complendum, quatenus **182** imagini licebat, in Isaac exercitum, in ariete formaretur; cum et agnus ille ad formam Salvatoris in Ægypto postea immolandus [m], jam in sui generis pecore prætenderetur, hoc est, in eo ariete qui pro Isaac occurrit in victimam, ut pro Christo in figuram præcurreret. Itaque aries illi inventus est, cui non debebatur summa mysterii : sed ille occisus est, cui reservabatur perfectio sacramenti.

D 10. Multa illi et in ipsius hujus militiæ rudimentis adversus [23] draconem invidum fuere certamina : non enim passa est lividi hostis invidia facili illam et pacato abire digressu; sed tota nobilium propinquorum

[a] Deut. XXXII, 39; Psal. LXXVI, 10. [b] Apoc. III, 19. [c] Act. IX, 8. [d] Johan. V, 17, et IX, 4, et X, 25, et XII, 10, et XV, 24. [e] Prov. III, 12. [f] Heb. XII, 6; Apoc. III, 19. [g] I Reg. I, 11. [h] I Reg. III, 1. [i] Psal. LIV, 23. [j] Luc. I, 49; Ephes. III, 20. [k] II Par. I, 10; III Reg. III, 23; Sap. VII, 11. [l] Genes. XXII. [m] Exod. XII, 3.

(*a*) Ms. Reg. et edit. Bad. et Grav., *luctuosa ambitu*. Ed. Grin. *luctuosa obitu.*

(*b*) Ita reposuimus ex mss. codicibus Vat. et Vien. Alii, *solatore.*

(*c*) Sic emendatum ex ms. Vaticano codice. Ita quoque editi Grin., Schot. et Latinius. Alii codices, *fuiri.*

(*d*) Ita correximus iuxta editionem Grin. faventibus ms. Vaticano, in quo *compensatione... videtur æqua,* et Sacchino qui legendum censet, *compensatione... videatur æquari.* Verissima lectio quam restituimus, quæque confirmatur ex præcedentibus. Mss. codices Reg. et Vien., *compensationem... vide adæquari.* Ed. Rosv., *compensationem videat æquari*, mendose.

(*e*) Mss. Reg. et Vatic., *negligimus.*

potentia ad retinendum armata, propositum impedire, et eunti obstare conatus est. Sed illa [24] ultra virtutem tentationum jam confortata, (*a*) et corporea et pietatis vincula, et navem cunctis flentibus læta solvit : constanterque congressa fluctibus maris, ne tantum seculi fluctus vinceret, navigavit; et simul seculum orbemque commutans, urbem Hierusalem spiritali dono, in qua a corpore peregrinaretur, elegit, exsul civium, et civis effecta sanctorum [a]. Prudenter et sancte in ista voluit servire quæ servit, ut in illa possit regnare quæ libera est.

11. De multis tamen in illa virtutibus Dei unam saltem, de qua ejus omnia æstimentur opera [25], prædicabo. Tempore illo Valentis, quando Ecclesiam Dei vivi furor Arianorum rege ipso impietatis satellite persequebatur, hæc erat princeps vel particeps cunctis pro fide instantibus [26]. Hæc fugatos recipiebat, aut apprehensos comitabatur : sed cum eos recepisset in latebram, qui propter insignem fidem, majore et hæreticorum odio infestabantur, et occultantium (*b*) detegebantur invidia, gravi tunc seditione diabolicis facibus inflammata, quasi contra legem publicam contumax protrahi ac pati jussa est, quæ illos manebant, nisi prodere maluisset. Processit impavide cupida passionis, et injuria publicationis exsultans, quamvis non exspectasset trahi, tracturos antevolans ad judicem : qui confusus veneratione præsentis, non exsecutus est infidelitatis iram, dum fidei miratur audaciam. Eadem tempestate per triduum quinque millia monachorum latentium panibus suis pavit, ut per ejus manum iterum Dominus Jesus pristinum numerum in deserto pasceret [b], tanto quidem tunc impensiore clementia, quanto minore licentia fovebantur occulti, quam illi quondam, qui ad Dominum voluntarie in libertate et pace convenerant. Sed hæc nec timida **183** deprehendi, interdictum secura præbebat officium; nec volens gloria operationis (*id est* eleemosynæ. *V.* not. 91) agnosci, tamen operis magnitudine prodebatur : totidem apud homines testimoniis gloriosa, quot pastis Deo conscia. Quid hæc meriti habeant [27] æstimemus? Cum in historia Regnorum ille celebretur, qui absconditos ab ira æque impii regis centum viros Dei pavit [c], dubitandum est, hanc in opere simili sæpe millies hunc numerum supergressam fructum fecisse centesimum [d].

12. Reliqua nunc ejus negotia ac tempora transilibo [28], et hoc ipsum quo [29] remeans navigavit, ut cursum ipsius æmuler, transfretabo, quo citius sermonem meum in ejus ad nos adventu exponendo determinem, in quo magnæ Dei gratiæ spectator fui.

A Neapolim [30] urbem brevi spatio a Nolana, *qua degimus*, civitate distinctam (*id est* distantem) advecta est, ubi filiorum nepotumque occursu excepta, mox Nolam ad humilitatis nostræ hospitium festinavit : quo nobis advenit ambitioso ditissimorum pignorum vallata comitatu. Vidimus gloriam Domini in illo matris et (*c*) filiorum itinere quidem uno [31], sed longe dispari cultu; macro illam et viliore asellis burico (*V.* not. 130) sedentem tota hujus seculi pompa, qua honorati et opulenti poterant circumflui senatores prosequebantur, carrucis nutantibus, phaleratis equis, auratis pilentis, et carpentis pluribus, gemente Appia (*id est* via Appia) atque fulgente : sed splendoribus vanitatis præluccbat Christianæ humilitatis gratia. Admirabantur divites pauperem sanctam : at illos B nostra pauperies ridebat. Vidimus dignam Deo hujus mundi confusionem, purpuream, sericam, auratamque supellectilem pannis veteribus et nigris servientem. Benediximus Dominum, qui *humiles et excelsos facit* (*d*) *sapientes* [e], *esurientes implet bonis, et divites dimittit inanes* [f]. In istis tamen divitibus eadem die de maternis bonis pauperem spiritum stupebamus, qui magis sancta matris inopia quam sua visibili abundantia gloriabantur. Idipsum autem gloria Domini videbatur operari, quod egenulæ nostræ divitias in ejus filiis intuebamur; ut jam hinc fructum fidei suæ caperet, cum victoriam suam de hujus seculi vanitate ipsa despectaret, cominus videns omnia quæ propter Christum reliquerat, et contemnere (*e*) perseverarat. Illi sericati, et pro suo quisque sexu toga C aut stola soliti splendere filii, crassam illam velut spartei staminis tunicam; et vile palliolum gaudebant manu tangere, **184** et vestimenta sua velleribus, auro, arte pretiosa, pedibus ejus substernere, pannisque (*f*) conterere gestiebant; expiari se a divitiarum suarum contagio judicantes, si quam de vilissimo ejus habitu, aut vestigio sordem colligere mererentur.

13. Tugurium vero nostrum, quod a terra suspensum cœnaculo, (*g*) una porticu cellulis hospitalibus interposita, longius tenditur, quasi dilatatum gratia Domini non solum sanctis, qui illam plurimi comitabantur, sed etiam divitum illorum catervis non (*h*) incapaces angustias præbuit : in quo personis puerorum ac virginum choris vicina Dominædii nostri Felicis culmina resultabant. Neque e diverso habitatio- D nis ejusdem, dissoni licet proposito, hospites obstrepebant; sed et in illis religiosa modestia imitabatur nostræ silentium disciplinæ; ut si dissimularent concinere vigilantibus, pigro ventre sopiti, tamen non

[a] Ephes. II, 19. [b] Matth. XIV, 21. [c] III Reg. XVIII, 13. [d] Matth. XIII, 8. [e] I Reg. II, 7. [f] Luc. I, 53.

(*a*) Sic mss. Vatic. et Vien. cum ed. Grin. At editi Bad., Grav. et Sacchin., *corpore*. Alii, *corporeæ*.

(*b*) Ita ms. Vaticanus codex. Alii, *tegebantur*.

(*c*) Sic emendavimus ex ms. codice Viennensi : id est unici filii nepotumque duorum Melaniæ superstitum, ut testatur Palladius in Lausiaca cap. 117. Alii codices mendose, *filiarum*. Correctionem nostram præterea antecedentia et subsequentia confirmant. Vide epist. 45 ad Augustinum, num. 2.

(*d*) Vox *sapientes* abest a ms. codice Vien.

(*e*) Mss. Reg. et Vien., *perseverat*. Legerem, *perseverabat*.

(*f*) Ita ms. Vatic. et Sacchin., favente ms. Regio. Ms. Vien., *conteri*. Alii, *contegere*.

(*g*) Sic mss. Reg. et Vien. codices cum editis 4. Ed. Rosv., *cœnaculo uno, porticu*.

(*h*) Mss. Reg. et Vien. cum ed. Grav., *non capaces*, male. Vide præcedentia.

auderent piis vocibus dissonare, fideli timore compositi: quo placitis psallentium vocibus compresso secularium turbarum tumultu, etiam taciti concinebant. Verum ut ad perfectam Domini columbam recurram, scito nunc istam tantam in sexu infirmitatis virtutem Dei, cui refectio in jejunio, requies in oratione, panis in verbo, habitus in panno, lectus in sagulo et centone, durus in terra fit mollis in littera, qua rigidi cubilis injuriam mitigat lectionis (*a*) voluptas; et sanctæ animæ in Domino vigilare, requiescere est. Hanc ergo filia Sion hactenus habuit et desiderat, nunc filia Babylonis (*id est* Roma. *V.* epist. 47, n. 1, et not. 131) habet et admiratur: quia jam et ipsa urbs in pluribus filia Sion est, quam filia Babylonis; et ideo miratur in humilitatis obscuro et veritatis luce viventem, et fidei incitamenta divitibus, angustiarum solatia pauperibus ministrantem; quamquam illa quietis et latebræ suæ apud Hierusalem in Romanis modo turbis æstuans, clamet: *Heu me! quod incolatus meus prolongatus est.* Ideone dilata sum, ut nunc *habitarem cum habitantibus Cedar* [a]? Hoc enim nomine apud Hebræos, ut comperi, significatur obscuritas. Quare ita illi gratulandum de memoratis virtutibus puto, ut de præsenti sede timeatur, ut tam insignis anima plus Romæ conferat quam de Roma trahat: et sic *sedeat super flumina Babylonis, ut recordetur Sion* [b]; et organo corporis sui suspenso ab inimicæ omnibus Babylonis insidiis et illecebris, in sui propositi tenore, velut in salicibus genuino semper [32] humore viventibus constituta **185** virere [33] non desinat; et permanente fidei constantia, virtutisque gratia, *folium ejus non defluat* [c]: ut sicut vita ejus in itinere adspectatur, ita et laus in exitu canatur [d].

14. Non tuli, frater, ut te ista nesciret [34]. Ut gratiam in te Dei plenius nosceret, tuo te illi magis quam meo sermone patefeci. (*b*) Martinum enim nostrum illi studiosissimæ talium historiarum ipse recitavi (*V.* not. 132). Quo genere te et venerabili episcopo atque doctissimo Nicetæ (*V.* not. 133), qui ex Dacia Romanis merito admirandus advenerat, et plurimis Dei sanctis, in veritate non magis tui prædicator quam mei jactans, revelavi. Gloria enim mihi est diligi [35] te et amari, quem famulum veritatis consona linguæ vita testatur. *Det nobis in illa die misericordiam Dominus a Domino* [e], per hanc gratiam cujus ipse autor est; ut sicut nunc in visceribus caritatis tuæ refrigeramur, ita ab ignibus meritis in tuæ sortis digito refrigeremur [f]. Spero enim habebimus, indulgente Domino, ut amantissimi tui, de justitia tua suffragium, etsi indigni coronæ non audeamus sperare consortium.

EPISTOLA * XXX.

Imaginem Paulini Severus postulaverat. Castigata illius immoderata benevolentia, occasione ejusmodi petitionis, quam ingeniose eludit, de homine interiore atque exteriore disputat.

Sancto fratri et unanimo SEVERO PAULINUS.

1. Beato Apostolo dictum est: *Multæ litteræ te ad insaniam perduxerunt* [g]. In quo illorum vera insania apparet, quibus sapientia Dei, quam Paulus loquebatur [h], stultitia erat: quia vacui fide veritatis intelligere non merebantur sapientiam Dei Christum. At ego quamvis propitio Christo ab illorum persona discrepem, quorum infidelitati insanire ille sanitatis magister (S. Paulus *V.* ep. 30, n. 5) videbatur: tamen unanimitatis licentia, quæ mihi tecum de unanimitate fidei est arctior [1], usurpabo verbi, non animi similitudinem, ut dicam: Severe, mi Severe, multa te caritas pene delirum facit, et circa me, non (*c*) ætate, sed sensu parvulum tuum, tamquam avus circa serum nepotem, nimia pietate, quod tamen pace prudentiæ tuæ dixerim, stultus efficeris.

2. Quid enim tibi de illa petitione respondeam, qua imagines nostras pingi tibi mittique jussisti? Obsecro itaque per viscera caritatis, quæ amoris veri solatia de inanibus formis petis? qualem cupis ut mittamus **186** imaginem tibi? terreni hominis, an cœlestis [i]? Scio quia tu illam incorruptibilem speciem concupiscis, quam in te Rex cœlestis adamavit. Neque enim alia potest tibi a nobis necessaria esse, quam illa forma ad quam ipse formatus es, qua proximum juxta te diligas, nulloque te nobis excellere velis, ne quid inter nos inæquale videatur. Sed pauper ego, et dolens [j], quia adhuc terrenæ imaginis squalore concretus sum, et plus de primo quam de secundo Adam carneis sensibus et terrenis actibus refero, quomodo tibi audebo me pingere, cum cœlestis imaginem inficiari prober corruptione terrena? Utrimque me concludit pudor: erubesco pingere quod sum, non audeo pingere quod non sum: odi quod sum, et non sum quod amo. Sed quid mihi misero proderit odisse iniquitatem et amare virtutem, cum id potius agam quod odi, nec elaborem piger id potius agere quod amo? Ipse [2] discors mei intestino bello distrahor, dum *spiritus adversus carnem, et caro adversus* [3] *spiritum dimicat* [k]; et lex corporis lege peccati legem mentis impugnat [l]. Infelix ego! qui venenatum inimicæ arboris gustum nec crucis ligno digessi: durat enim mihi illud ab Adam virus paternum, quo universitatem generis sui pater prævaricatus infecit [m]: ut qui naturali bono oculos mentis apertos innocentiæ et iniquitati clausos habebam, letalem pruden-

[a] Psal., CXIX, 5. [b] Psal. CXXXVI, 1. [c] Psal. I, 3. [d] Psal. CXIII, 1. [e] II Tim. I, 18. [f] Luc. XVI, 24. [g] Act. XXVI, 24. [h] I Cor. I, 23. [i] I Cor. XV, 47. [j] Psal. LXVIII, 30. [k] Gal. V, 17. [l] Rom. VII, 13. [m] Gen. III, 6.

* Alias 8; quæ autem 30 erat, nunc 39. Scripta anno 402.

(*a*) Ms. Reg. et edd. Bad., Grav. et Schot., *voluntas*: quæ lectio Sacchino non displicet, ut ep. 12... *meditandæ in lege voluntas.*

(*b*) Sic Paulinus epist. 11 ad eumdem Severum, n. 11, *enarrare Martinum*. Ms. Vien., *Martini enim nostri, illi studiosissimæ talium, historiam ipse recitavi.* Vide not. 132.

(*c*) Sic emendavimus ex ms. Regio codice et editis quatuor. Edit. Rosv., *ætatem.*

tiam boni malique delectu, de infausto nemoris (*id est* arboris, *seu* fructus) interdicti cibo cæcatus pariter et male luminatus haurirem.

3. Atque utinam hoc saltem remedio crimen illicitæ concupiscentiæ diluissem, ut accepta per gustum (*a*) nocentem boni et mali scientia[a], bonum potius elegissem! præsertim cum salutare consilium Dei suadentis audissem, ut aqua et igne, vita et morte propositis, ad aquam potius manum mitterem et vitæ munus eligerem. Sed de insipientiæ crimine mihi culpa crevit audaciæ, quod cum et boni (*b*) et mali electum accepissem, malui quod nocebat appetere. Quæ ergo misero mihi suppetit [4] venia peccati, cui ignorantiæ excusatio [5] non remansit? Agnovi bonum, et feci malum; cum æque mihi liberum esset bonum facere, nisi utilitatem animæ contemsissem vitio voluntatis: qua id [6] quod non expediebat admisi, dum non tempero quod licebat. Propterea juste illos innocentiæ oculos, quibus malum non videbam, perdidi; et istos invicem, quibus peccatum agnoscitur in pœnam conscientiæ, iniquitatis accepi.

187 4. Nam et vidisse primos generis humani parentes, et non vidisse, Scriptura declarat. *Vidit enim mulier arborem quia bona [7] ad manducandum, et grata erat oculis ad videndum* [b]. *Vidit*, inquit: ergo habebat oculos. Et quid deinde subtexit? *Cum manducassent*, inquit, *aperti sunt oculi eorum* [c]. Ergo cæci fuerant? Unde advertimus? Quoniam non potest in eodem corpore simul convenire cæcitas et visus oculorum. Sed certe est [8] quoddam cæcum in nobis etiam videntibus, et e contrario etiam in cæcis videns. Propter quod arbitror illud a Domino esse dictum: *In judicium ego veni in hunc mundum, ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant* [d]. *Venit enim in hunc mundum quærere quod perierat* [e], et reluminare [9] quod cæcatum fuerat [f]. Denique hujus medici egens homo in Propheta clamat: *Illumina tenebras meas, Domine* [g]. *Etenim misericors et miserator Dominus*, qui *in tenebris* cæcitatis humanæ *lumen exortum est* [h], ut erigeret elisos [i], solveret compeditos, illuminaret cæcos [j]; quomodo cæcandis videntibus venerat? Atqui [10] in Evangelio docemur illum multis cæcis visum redonasse, nemini sustulisse. Sed sicut scriptum est in lege: *Ego occidam, et ego vivere faciam* [k]: sicut etiam in Evangelio, quia ipse *positus est in ruinam, et in resurrectionem multorum* [l]; ita et illud est: *In judicium veni in hunc mundum, ut qui non vident videant, et videntes cæci fiant* [m]. Venit ergo Dominus ut vetera transirent, et nova orirentur [n]. Et impletum

A est quod dixerat: *Ego occidam, et ego vivere faciam* [o]: quia veterem nostrum hominem assumendo interfecit, *affigens illum cruci, dispolians* se carne *traduxit* [11] *principatus et potestates, libere triumphans eum in semetipso* [p]; et vivificavit novum ex resurrectione mortuorum, *ascendens in altum* [q], et collocans eum in cœlestibus.

5. Sic ergo venit ut illuminarentur cæci, et cæcarentur videntes: ut oculi nostri qui in transgressionem aperti fuerant, cæcarentur; et vicissim qui cæcati fuerant, aperirentur. Bene enim cæcus sum, si non video peccatum; et bene oculatus, si cerno justitiam. Ora ergo, mi frater, ut utrumque in me operetur Dominus, cæcet videntem meum, ne (*c*) videam vanitatem; et illuminet non videntem, ut videam

B æquitates [r]. Occidat in me *veterem hominem cum actibus suis* [s], ut reflorescat [12] in Christo caro mea, et *renovetur sicut aquilæ juventus mea* [t]. *Hæc* est enim *mutatio dexteræ Excelsi* [u], cum (*d*) immutabimur a nobis in illum *hominem qui secundum Deum creatus est* [v], cujus imago cœlestis est; *deponentes eum qui corrumpitur secundum* **188** *desideria erroris* [x]. Hujus imaginem in me, quæso, Deus conterat, et ad nihilum redigat imaginem nostram, id est terrenam [y], in civitate (*e*) circumstantiæ; et instauret in nobis atque perficiat imaginem suam [z], in qua nos pingi non pudet, quam præferentes vere dicamus: *Defecit cor meum et caro mea, Deus cordis mei, et pars mea; Deus in secula* [aa]. Cum enim bona commutatione, quæ est homini a dextera Excelsi [bb], defecerit cor meum

C et caro mea, id est actus voluntatis et fructus carnis meæ, tum jam, ut a corporeis nexibus liber, et a meo corde purgatus dicere audeam: *Deus cordis mei, et pars mea Deus in secula* [cc]. Utinam compleatur in me verbum illud evangelici Symeonis, ut fiat mihi *Christus in ruinam et in resurrectionem* [dd] [13]. Ruina exteriori meo, et interiori resurrectio; ut cadat in me peccatum, quod anima cadente consistit; et exsurgat ille immortalis, qui cecidit exsurgente peccato. Exterioris enim status, interioris casus est: et ideo quando *infirmatur exterior, qui intus est renovatur de die in diem* [ee]. Quo genere perfectus magister (*id est* S. Paulus. *V.* ep. 23, n. 14) ait: *Quando infirmor, tunc potens sum* [ff].

6. Gratias autem Domino [14], quod perenni magis

D et vivente pictura imagines nostras non in tabulis putribilibus, neque ceris liquentibus, *sed in tabulis carnalibus cordis* [gg] tui pinxit: ubi nos impressos et animæ tuæ conformatos, (*f*) fidei et gratiæ unitate

[a] Gen. II, 9. [b] Gen. III, 6, sec. LXX. [c] Ibid., 7. [d] Johan. IX, 39. [e] Luc. XIX, 10. [f] Johan. VIII, 12. [g] Psal. XVII, 29. [h] Psal. CXI, 4. [i] Psal. CXLV, 8. [j] Luc. VII, 21. [k] Deut. XXXII, 39. [l] Luc. II, 34. [m] Johan. IX, 39. [n] Apoc. XXI, 5. [o] Deut. XXXII, 39. [p] Col. II, 15. [q] Eph. II, 6. [r] Psal. CXVIII, 37. [s] Col. III, 9. [t] Psal. CII, 5. [u] Psal. LXXVI, 11. [v] Eph. IV, 24. [x] Eph. IV, 22. [y] I Cor. XV, 49. [z] Psal. LXXII, 20. [aa] Psal. LXXII, 26, sec. Psalter. Rom. [bb] Psal. LXXVI, 11. [cc] Psal. LXXII, 26. [dd] Luc. II, 34. [ee] II Cor. IV, 16. [ff] II Cor. XII, 10. [gg] II Cor. III, 3.

(*a*) Sic emendavimus ex ms. codice Viennensi et edit. Grin. Alii, *innocentem*.

(*b*) Addidimus, *et mali*, ex ms. codice Viennensi: quæ additio erat necessaria, et confirmatur ex iis quæ præcesserunt, n. 2, *boni malique delectu*, et n. 3, *accepta... boni et mali scientia*.

(*c*) Ms. Vien. bis, *videat*.

(*d*) Ms. codex Vien., *immutamur*.

(*e*) Ita ms. codex Viennensis. Alii, *circuminstantiæ*.

(*f*) Ms. Reg., *fide*.

custodiens, non solum istic, sed etiam in æterno seculo, individua semperque præsenti contemplatione conspicies. Hic etiam, si tantus amor est visibilia quoque captare solatia, poteris per magistras animi tui lineas vel imperitis aut ignorantibus nos dictare pictoribus, memoriam illis tuam, in qua nos habes pictos, velut imitanda de conspicuis assidentium vultibus ora proponens. Sed si forte ad intellectum verbi tui inscitior manus artis (*forte leg.* artificis) erraverit, dissimiles pinget aliis : tibi tamen (*fort. leg.* autem) nos semper animo consideranti et complectenti, quoslibet vultus sub nostro nomine imperitia sua pinxerit, tamen tua conscientia nos erimus.

EPISTOLA * XXXI.

189 *In basilicæ consecrationem Severo mittit particulam sanctissimæ crucis, quoque cultu habenda sit docet. Inde crucis inventæ subnectit historiam.*

Severo (*a*) fratri unanimo Paulinus.

1. Frater Victor inter alias operum tuorum et votorum narrationes retulit nobis desiderare te ad basilicam quam modo apud Primuliacum (*V.* not. 137) nostram majorem priore condideris, de sacris sanctorum reliquiis benedictionem, qua adornetur domestica tua ecclesia, ut fide et gratia tua dignum est. Testis est autem Dominus quod si vel scrypulum (*pro* scrupulum) sacri cineris habuissemus, supra quam nobis ad basilicam, quæ proxime in nomine Domini consummabitur, dedicandam necessarium (*b*) erat, misissemus unanimitati tuæ : sed quia nos non habuimus hujus muneris copiam, et ille se spem ejusdem gratiæ copiosam habere (*c*) dixit a sancta Silvia, quæ illi de multorum ex Oriente martyrum reliquiis spopondisset, invenimus quod digne et ad basilicæ sanctificationem vobis, et ad sanctorum cinerum cumulandam benedictionem mitteremus, partem particulæ de ligno divinæ crucis. Quod nobis bonum benedicta (*d*) Melanius (*V.* not. 138) ab Hierusalem munere sancti inde episcopi Johannis attulit, hoc specialiter sorori nostræ venerabili Bassulæ misit (*id est* Therasia, uxor Paulini) conserva communis; sed quod alteri vestrum datur, utriusque vestrum est; quia in utroque vestrum una ratio manet [a]; et sexum evacuat fides, qua in virum perfectum ambo concurritis [b]. Accipite ergo ab unanimis fratribus in omni bono vestrum sibi consortium cupientibus, accipite magnum in modico munus; et in segmento pene atomo astulæ brevis sumite munimentum præsentis, et pignus æternæ salutis. Non angustetur fides vestra carnalibus oculis parva cernentibus, sed interna acie totam in hoc minimo vim crucis videat. Dum videre vos cogitatis lignum illud, quo salus nostra, quo Dominus majestatis affixus, tremente mundo, pependerit, exsultetis cum tremore. Recordemur et petras fissas ad hujus aspectum crucis; et saltem saxorum æmulatione, præcordia nostra findamus timore divino. Repetemus et *velum templi* eodem crucis mysterio *scissum* [c]; et intelligamus **190** illius veli scissuram eo fuisse prætentam, ut audientes vocem Domini, et mysterium pietatis immensæ, non obduremus corda nostra [d]; sed a carnalibus dividamur, et scindamus infidelitatis velamen, ut revelata cordis facie, salutarium Dei munerum sacramenta videamus [e].

2. Non autem vobis et hoc scribimus, ut imitemini compositionem istam, qua tubello aureolo rem tantæ benedictionis inclusimus. Magis enim nos tali paratu fidem vestram imitati sumus, ut vestram vobis formulam mitteremus in specie auri. Quia scimus vos, ut aurum ignitum [f], intra vos habere regnum Dei [g], hoc est fidem crucis : qua regnum cœlorum invaditur. *Si enim*, inquit, *compatiamur, et conregnabimus* [h]. Et ideo non ad fidei firmamentum, quia visionem fide prævenistis; sed propter meritum fidei, quam auditu receptam [i], (*e*) factu probatis, misimus vobis in Domino ligni salutaris donum : ut crucem et corpore possideretis, quam tenetis spiritu, et propositi virtute portatis [j].

3. Sed quia idipsum fides videtur postulare, non alienum puto, quia cognitu dignum est, enarrare specialem post tempora passionis historiam revelatæ et inventæ crucis. Quæ si ignoretur, facile est perspici, qua difficultate approbetur, Dominicæ crucis esse lignum hoc, quod certum est, si in manus Judæorum venisset omnia contra fidem Christi præcaventium, conterendum et exurendum fuisse. Neque enim in cruce abolenda negligentes fuissent, qui signaverunt sepulcrum [k] : nec ferre potuissent, ut in cruce superstite passio illius coleretur, cujus resurrectionem, vacuato discussis (*V.* not. 139) signaculis suis monumento probatam, coli ferre non possunt. Quid ergo nunc quæritur ubi fuerit abdita, (*f*) quia nisi latuisset, illis præsertim persecutionum temporibus Judaicam consecutis invidiam, et pene supergressis sævitiam, manifestum est abolendam fuisse? Facile enim assequi conjectura possumus, qua vi excidissent crucem, si exstare vidissent, qui et crucis locum persecuti sunt. Nam Hadrianus imperator, existimans se fidem Christianam loci injuria perempturum, in loco passionis simulacrum Jovis (*V.* not. 140) consecravit; et Bethlehem Adonidis fano profanata est : ut quasi radix et fundamentum Ecclesiæ tolleretur, si in iis locis idola colerentur, in quibus Christus natus est ut pateretur, passus est ut

[a] Gal. III, 28. [b] Eph. IV, 13. [c] Matth. XXVII, 51; Marc. XV, 38. [d] Psal. XCIV, 8. [e] II Cor. III, 18. [f] Apoc. III, 18. [g] Luc. XVII, 21. Luc. XVI, 16. [h] Rom. VIII, 17. [i] Rom. X, 17. [j] Gal. VI, 14. [k] Matth. XXVII, 66, et XXVIII, 13

* Alias 11; quæ autem 31 erat, nunc 44. Scripta anno 403.

(*a*) Ms. Vatic., *sancto et unanimo fratri Severo Paulinus.* Ms. Vien., *Carissimo fratri Severo Paulinus.*

(*b*) Mss. Reg. et Vatic., *erit.* Utraque lectio bona.

(*c*) Mss. Vatic. et Vien., *dicebat.*

(*d*) Ita ms. Vien. codex. Alii codices, *Melania.* Prior lectio verissima. Vide not. 138.

(*e*) Ms. Vien., ed. Grin. et Latin., *facto.* Bignæus, *factis.*

(*f*) Sic. mss. codices Reg. et Vien. cum editis tribus. Ed. Rosv., *quæ*, mendose.

resurgeret, surrexit ut regnaret (*a*) judicatus **191** ut judicaret. Me miserum! Etiam ista pro nobis Dominus omnipotens perpeti non recusavit, ut ubi pro salute generis humani crucifixus pependerat, ibi hominum sacrilegio sperneretur : et super crucem (ad quam orbe concusso, et sole refugo, et dissilientibus mortuorum excitatione monumentis, rerum natura nutaverat) stabat simulacrum dæmonis, et ara simulacri pecudum busta fumabat; et Dei nomen deferebatur statuis mortuorum, cum ipse vivorum Deus [a], qui et resurrectio mortuorum est, non solum mortui, sed et crucifixi hominis blasphemaretur opprobrio. In Bethlehem quoque, ubi *agnoverat bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui* [b]; ibi principes hominum inficiati Salvatorem Deum, infames hominum amores mortesque coluerunt. Prodita novo sidere Regis æterni (*b*) incunabula ubi supplices cum suis opibus (*c*) adoraverant Chaldæi, ibi barbaras libidines sacraverunt Romani. Ubi natum Salvatorem cum exercitu angelorum concinentes cœlesti gaudio salutaverant illustrata nocte pastores [c], ibi Veneris Amasium mixtæ semiviris planxere meretrices. Proh dolor! quæ pietas hominum hanc impietatem compensare poterit? Ubi sacra nati Salvatoris infantia vagierat, illic Veneris lamenta fingentium lascivis luctibus infamis ritus ululabat : et ubi Virgo pepererat, adulteri colebantur.

4. Mansit hoc seculi prioris nefas in tempora nostris proxima Constantini; qui princeps esse principibus Christianis non magis sua quam matris Helenæ fide meruit : quæ divino, ut exitus docuit, inspirata consilio, cum Hierosolymam agnosceret nomine, (*d*) quæ Augusta cum filio conregnabat (*V.* not. 141), eum rogavit ut sibi facultatem daret cuncta illic loca Dominicis impressa vestigiis, et divinorum erga nos operum signata monimentis purgare, destructis templis et idolis, ab omni prophanæ impietatis contagio, et religioni suæ reddere; ut Ecclesia tandem in terra originis suæ celebraretur. Itaque prompto filii imperatoris assensu mater Augusta, patefactis ad opera sancta thesauris, toto abusa fisco est : quantoque sumtu atque cultu **192**

A regina poterat, et religio suadebat, ædificatis basilicis contexit omnes et excoluit locos, in quibus salutaria nobis mysteria pietatis suæ, incarnationis, et passionis, et resurrectionis, atque ascensionis sacramentis Dominus Redemtor impleverat. Mirum vere inter hæc quod in basilica Ascensionis locus ille tantum de quo in nube susceptus *ascendit, captivam* in sua carne *ducens captivitatem nostram* [d], ita sacratus divinis vestigiis dicitur, ut numquam tegi marmore (*V.* not. 142) aut (*e*) paviri receperit, semper excussis solo respuente, quæ manus adornandi studio tentavit apponere. Itaque in toto basilicæ spatio solus in sui cespitis specie virens permanet; et impressam divinorum pedum venerationem calcati Deo pulveris perspicua simul et attigua (*V.* carm. 15, v. 291) B venerantibus arena conservat, ut vere dici possit : *adoravimus* (*f*) *ubi steterunt pedes ejus* [e].

5. Sed in historia crucis accipite magnum et vere divinum miraculum. Regina illa venerabilis ut venit Hierosolymam diligenter et pie locis, (*g*) illic et circa omnibus, divinorum curiosa insignium, et oculis haurire gestiens fidem quam piis auribus litterisque perceperat, crucem Domini studiosissime inquirere adorsa est. Sed quæ via vel ratio inveniendi subesset, cum index idoneus nemo inveniri posset [f], ubi memoriam et curam religiosæ conscientiæ vel observantiæ et antiquitas ævi (*Virgil.* ævi vetustas), et superstitionis impiæ diuturnitas abolevisset? Verum ipso omnium et terris et animis opertorum conscio et teste Domino [g], fidelis mulier sanctum Spiritum per C affectum pium meruit : quo aspirante, cum rem ab humana conscientia divinitus remotam frustra diligens requisisset [h], de loco tantum passionis certior fieri studuit. Itaque non solum de Christianis doctrina et sanctitate plenos viros, sed et de Judæis peritissimos, ut propriæ, qua miseri et gloriantur, impietatis indices exquisivit, et accitos in Hierosolymam congregavit. Tum omnium una de loco testificationis [i] (*id est* martyrii *seu* passionis, *ut supra*) confirmata, jussit illico, urgente sine dubio conceptæ revelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi; parataque mox civium pariter et militari manu,

[a] Matth. xxii, 32; Johan xi, 25. [b] Isai. i, 3. [c] Luc. ii, 13. [d] Act. i, 9; Ephes. iv, 8. Psal. vi, 19
[e] Psal. cxxxi, 7.

(*a*) Mss. Reg. Vien. et edit. Grin. in marg., *surrexit ut regnaret judex, vel rex judicaret me miserum.* Concinnior vulgata lectio.

(*b*) Mss. codices Reg. et Vien. cum duobus editis, *ubi cunabula supplices.*

(*c*) Ita emendavimus ex edit. Grin. et sic profecto legendum. Vide antecedd. et seqq. Alii codices, *adoraverunt.*

(*d*) Hunc locum in omnibus editis mutilum et depravatum cum ex mss. codicibus restituere non possemus, Sulpicium Severum, ad quem data est isthæc epistola, consuluimus in Histor. sacr. lib. ii, cap. 48, ubi ea quæ de inventione sanctæ crucis edisserit ex hac epistola ab ipso inserta fuisse certissimum est. Sic igitur, nulla e nostro facta additione, emendavimus ex Sulpicio Severo succurrentibus mss. codicibus, *quæ Augusta cum filio conregnabat, eum rogavit*, etc. Apud Sulpicium enim in Histor. sacr. lib. ii, D c. 48, legitur *Helena mater principis Constantini,* QUÆ AUGUSTA CUM FILIO CONREGNABAT, *cum Hierosolymam agnoscere concupisceret*, etc. In mss. Reg. et Vatic. et in editis, CONREGNABAT, et in ms. Vien., EUM ROGAVIT. Ante erat, *nomine*, *conregnabat ut sibi*, etc., nullo sensu.

(*e*) Ms. Vien. *pavimentari.* Sed *paviri*, vera lectio, quæ confirmatur carm. 25, v. 40..... *medio spatiosa pavito.* De Christi vestigiis in Oliveti monte humo impressis mentio fit etiam in libro de Locis Hebraicis inter Hieronymi opera; apud Augustinum tractatu 47 in cap. x Johan., n. 4; apud Sulpicium Severum Histor. sacr. lib. ii, cap. 48, et apud Bedam de Nominibus locorum in Actis apostolorum cap. vii

(*f*) Ms. codex Viennensis addit *in loco.*

(*g*) Sic emendavimus ex mss. Reg. et Vien. Ante erat *illis.* Vide n. 4, *cuncta illic loca.*

brevi laborem 193 istius molitionis hausit; et contra spem omnium, sed secundum ipsius tantum reginæ fidem, alta egestione reseratis terræ sinibus, abditæ crucis arcana patuerunt. Sed cum tres pariter cruces, ut quondam fixæ Domino et latronibus steterant, repertæ fuissent; gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi, justo piorum metu, ne forsitan aut pro cruce Domini patibulum latronis eligerent, aut salutare lignum pro stipite latronis abjiciendo violarent. Respexit pias fideliter æstuantium curas Dominus, et ipsi potissimum quæ tam piæ sollicitudinis princeps erat hujus consilii lumen infudit, ut aliquem recens mortuum inquiri et inferri juberet. Nec mora, verbum factum: cadaver illatum est; deponitur, jacenti una de crucibus admovetur, et altera: sed (*a*) reorum ligna mors sprevit. Postremo dominicam crucem prodit resurrectio, et ad salutaris ligni tactum morte profuga funus (*id est cadaver, vel* mortuus excitatus est) excussum, et corpus erectum est; tremefactisque viventibus stetit mortuus; et funebribus, ut Lazarus quondam, vinculis expeditus, illico inter (*b*) exspectatores suos redivivus incessit [a].

6. Ergo crux Domini tot operta ætatibus, et Judæis in tempore passionis abscondita, neque gentibus in ædificatione fani terram sine dubio ad ipsam fabricam egerentibus revelata [10], nonne manu latuit, ut nunc inveniretur cum religiose quæreretur? Ita, ut crucem Christi decuit, experimento resurrectionis inventa et probata crux Christi est; dignoque mox ambitu (*id est* honore et pompa) consecratur, condita in passionis loco basilica, quæ auratis corusca laquearibus, et aureis dives altaribus, arcano positam [11] sacrario crucem servat: quam episcopus urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium promit. Neque præter hanc diem, qua crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa, quæ sacramentorum causa est, quasi quoddam sacræ solemnitatis insigne profertur, nisi interdum religiosissimi postulent, qui hac tantum causa illo peregrinati advenerint, ut sibi ejus revelatio quasi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur. Quod solum episcopi beneficio obtineri ferunt: cujus et tantum munere de eadem cruce hæc minuta sacri ligni ad magnam fidei et benedictionis gratiam haberi datur. Quæ quidem crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta 194 non sentiat (*V.* not. 143), et quasi intacta permaneat quotidie (*c*) dividua sumentibus, et semper tota venerantibus. Sed istam imputribilem virtutem et indetribilem soliditatem de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem non vidit corruptionem [b]. Speramus autem et vobis non solum benedictionis monimento, sed et incorruptionis seminario (*d*) futurum, ut ejus inspectio fidem vestram etiam de recordatione beati illius latronis accendat [c], qui bene verso latrocinio, longas in magnis laboribus sanctorum vias de momenti fide et momento confessionis anticipans, non immerito ante ipsos apostolos et martyres *præparatum ipsis ab initio*, ut ait, *regnum* [d] primus invasit, et pius cœli prædo diripuit, quia Christum crucifixum similitudine suæ pœnæ videns in eo statu, de quo etiam discipulorum fides turbata nutaverat, Dominum tamen majestatis, ut erat, confessus est; et petens in regno Dei [12] memoriam sui fieri, in gloriam [13] resurrectionis ante ipsam resurrectionem credidit: quam apostoli, posteaquam facta est, non tantum videndo, sed experiendo crediderunt. Nec ipsi tamen de resurrectione carnis potius quam de resurrectionis qualitate dubitantes [e]; quia videlicet [14] qui in orbem terrarum mittendi forent ad omnium gentium informationem, non auribus tantum, sed et oculis prædicandam fidem capere debebant, ut quod firmius didicissent, constantius edocerent [f].

EPISTOLA * XXXII.

***Expostulat cum Severo, a quo cum S. Martino ad sacrum fontem depictus fuerat. Mittit versus inscribendos, qui ostendant id factum ut esset Paulinus exemplo pœnitentibus, Martinus innocentibus. Conditam a se S. Felicis basilicam describit, et epigrammata basilicis Nolanæ et Fundanæ inscripta mittit. Tum misericordiæ opera, et spiritualis in anima templi ædificationem egregie commendat* [1].**

1. Insertis (*e*) his versiculis patens pagina sollicitavit linguam et manum ut occuparet vacantia, et (*f*) succurrit animo esse quod scriberem. Perquam enim gratulor, quod unam cordis et corporis nostri, operum quoque et votorum similitudinem ostenderimus, eodem tempore basilicas dominicis adjicientes ovilibus. Tu vero (*g*) etiam baptisterium basilicis duabus interpositum condidisti, ut nos in horum quoque operum, 195 quæ visibiliter exstruuntur, ædificatione superares. Sed Domino gratias, qui dedit nobis in quo et vinci victoriam duceremus. Vincimus enim voto, in quo vincimur gratia ab eo quem nobis judicio anteponimus, dilectione comparamus. Tu es iste [2] quem loquimur; tu inquam pars nostri major; et melior; tu requies nostra, tu gaudium, in te reclinatio capitis nostri, et mentis habitatio est. Quæ non tantum in præsenti tempore, sed ut speramus et con-

[a] Johan. XI, 44. [b] Psal. XV, 10; Act. II; 27. [c] Luc. XXIII, 43. [d] Matth. XXV, 34. [e] Luc. XXIV, 39; Johan. XX, 27. [f] Matth. XXVIII, 19.

* Alias 12; quæ autem 32 erat, nunc 42. Scripta anno 403, et missa cum superiore.

(*a*) Ms. Vien., *earum*. Ms. Reg. cum editis quatuor, *eorum*.

(*b*) Ita ms. Reg. cum tribus editis. Vera lectio. Alii codices, *spectatores*. Vide epist. 6, n. 3.

(*c*) Sic ms. Reg. et Latinius: vera lectio. Alii codices, *dividuam sumentibus, et semper totam venerantibus*.

(*d*) Ms. Reg., *futuram*. Ms. Vatic., *fructum*, in qua lectione *monimento* et *seminario* erunt sexti casus. Sacchin.

(*e*) Ms. Vien., *Compositis*. Edit. Schot. in marg., *Recensitis*.

(*f*) Ms. Vien., *occurrit*.

(*g*) Ms. Reg., *eodem*: non male.

fidimus in Domino perpetua nobis ab ipsius munere, et in ipsius corpore ac spiritu manebit. Ideo si quid per gratiam Domini amplius agas, nobiscum profecto, certe pro nobis agis.

2. Sed in eo metuo ne operibus tuis, quibus iniqua viarum secularium dirigis, et clivosa complanas, ex illo, de quo semper conqueror affectu in nos tuo, salebram offensionis immisceas, quod splendidos devotionis in Christo tuæ titulos nostris nominibus infuscas; et justis laboribus hanc iniquitatem inseris, ut locum sanctum etiam vultibus iniquorum polluas. Recte enim in loco refectionis (*id est* baptisterii) humanæ Martinus pingitur, qui cœlestis hominis imaginem perfecta Christi imitatione portavit; ut deponentibus in lavacro terrenæ imaginis vetustatem, imitanda cœlestis animæ occurrat effigies. Noster vero quis illic locus est, qui nec infantibus innocentia, neque viris concurrimus sapientia? et ab immaculatis malitia, a perfectis infirmitate distinguimur? *Quæ ergo societas lumini et tenebris* [a]? lupis et agnis? serpentibus et columbis? hoc est, nobis et **196** Martino? Nonne tu lactis et fellis poculum miscuisti? Sed bene, quod non ut in liquoribus uno calice confusis, ita in hominibus eodem loco mixtis, si discrepent meritis, boni suavitas amaritudine mali venenatur: contraque evenit ut peccator justo compositus magis sordeat, et peccatore collato magis justus eluceat. Quominus moveor errore caritatis tuæ, quia nullam beato illi fecisti injuriam, potiusque ad gloriam illius contulisti, ut contra despicabilem facies venerabilis pingeretur, quo splendor ejus comparatione tenebrarum clarius emicaret, qui etiam *in splendoribus sanctorum* [b] conspicua claritate præfulget. Et quidem nisi scirem te impenso nimii in nos amoris studio hanc informasse picturam, malitiosum te et callidum criminarer, qui nostræ humilitatis obscuras animorum nocte personas, ex adversi juxta parietis regione depictas sancto capiti contulisses, ut illum tantum pingeres, nos vero potius deformares, quos jure conspecta Martini facie despuendos ad probrum ridiculæ comparationis exponeres. Sed ne nostri causa, quorum multo amore dum falleris, falsum facis, hæc commentatio tua de caritate prolapsa irrideretur; ut revera potest et debet.

3. Hac tantum gratia parui tibi in versiculis de hujusmodi tua pictura ad te mittendis, ut consilii tui ratio proderetur, qua salubriter novorum hominum informationi studens, diversas longe sibi imagines proposuisses; ut emergentes a sacro fonte, et vitandum et sequendum pariter conspicarentur. Itaque sic habes [a]; si placet, utere.

Abluitis quicunque animas et membra lavacris,
  Cernite proposítas ad bona facta vias.
Adstat perfectæ Martinus regula vitæ:
  Paulinus veniam quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum spectate beati:
  Exemplar sanctis ille sit, iste reis.

Item de eodem:

Dives opum Christo, pauper sibi, pulchra Severus
  Culmina sacratis fontibus instituit.
Et quia cœlestes aulam condebat in actus,
  Qua renovarentur fonte Deoque homines:
Digna sacramentis gemina sub imagine pinxit.
  Disceret ut vitæ dona renatus homo.
Martinum veneranda viri testatur imago:
  Altera Paulinum forma refert humilem.
Ille fidem exemplis et dictis fortibus armat,
  Ut meriti palmas intemerata ferat.
Iste docet fusis redimens sua crimina nummis,
  Vilior ut sit res [c], quam sua cuique salus.

4. Certe probatur jam te non ridendum, magisque probandum, si hac tantum ratione longissime dissimiles cominus pinxisse videaris; ut in Martino forma justitiæ et summa virtutum, in nobis conscientiæ iniquitatis obtritio et confessio cerneretur, ut et beatis exemplum pateret et miseris. In illo speculum fortitudo, in nobis solatium haberet ignavia. Illum intuerentur, qui præceptum sufficerent implere virtutibus: in nobis **197** consolarentur, qui remedium vellent afferre criminibus. Quia innocentiæ fiducia destitutis, et nexu iniquitatis adstrictis, sola ut captivis potest redemtio subvenire. Quæso te tamen, ne obedientiam meam crimen facias, si versus tuos illos luminis et favorum, sicut denuntiasti, auferas. Verecunde quæso illud magis, quam vere minatus sis; et, si istos adscribendos putaveris, illi permaneant, ut horum quasi gemmulæ sint, et faciant vilibus pretium et claro atra distinguant. Sane accepta licentia dixi linguæ meæ, non juxta prophetam [d], ut maneret in requie sua, et custodiret vias meas: sed potius oppositæ sibi custodiæ frenos rumperet, **198** dum serviret tibi. Ita te diligo, ut magis de obtemperando tibi quam de multiloquio peccatum timerem [e].

5. Quam ob rem etiam basilicis tuis versiculos, quasi votivos sacris fontibus titulos destinavi. Si quid in his apte locutus videbor, hæc quoque fratris Victoris gratia est, cujus oculis et verbis omnia quæ in Christo Domino fecisti et agis vidi; et ideo versus quos et de basilicis interposui ipso autore censebis, qui materiam dictavit enarratione factorum tuorum. De baptisterio igitur ipso erunt isti, de cujus pictura tantum sunt illi superiores.

Hic reparandarum generator fons animarum
  Vivum divino lumine flumen agit.
Sanctus in hunc cœlo descendit Spiritus amnem,
  Cœlestique sacras fonte maritat aquas:
Concipit unda Deum: sanctamque liquoribus almis
  Edit ab æterno semine progeniem.
Mira Dei pietas! Peccator mergitur undis,
  Mox (*a*) eadem emergit justificatus aqua.
Sic homo et occasu felici functus et ortu,
  Terrenis moritur, perpetuis oritur.
Culpa perit, sed vita redit; vetus interit Adam,
  Et novus æternis nascitur imperiis.

Sequentes ad basilicarum picturam sunt [a].

Corpore, mente, fide, castissimus incola Christi
  Condidit ista Deo tecta Severus ovans.
Totus et ipse Dei templum viget hospite Christo,
  Gaudentemque humili corde gerit Dominum.
Ecce velut trino colit unam nomine mentem:
  Sic trinum sancta [b] mole sacravit opus.

[a] II Cor. vi, 14. [b] Psal. cix, 3. [c] Id est *pecuniæ*. Vide epist. 1 append., n. 6. [d] Psal. xxxviii, 2. [e] Prov. x, 19.

(*a*) Sic mss. codices Reg., Vat. et Vien. cum editis quinque, licentia poetica. Edit. Puelm., *idem*. Vide carm. 15, v. 334.

A Ampla dedit populo geminis fastigia tectis,
Legibus ut sacris congrueret numerus.
Nam quia latorem duo Testamenta per unum
Pacta Deum in Christo copulat una fides :
Iste duas inter diversi culminis aulas
Turrito fontem tegmine constituit.
Læta novos geminis ut mater Eclesia [a] partus
Excipiat sinibus, quos aqua protulerit.
Aula duplex tectis, ut Eclesia [b] Testamentis :
Una sed ambobus gratia fontis adest.
Lex antiqua novam firmat, veterem nova complet :
In veteri spes est, in novitate fides.
Sed vetus atque novum conjungit gratia Christi;
Propterea medio fons datus est spatio.
Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niveos [c] corpore, corde, habitu [6];
Circumdansque [d] rudes [7] festis altaribus agnos,
(a) Cruda salutiferis imbuit ora cibis.
Hinc senior sociæ congaudet turba catervæ :
Alleluia novis balat ovile choris.

6. Cum hos operibus unanimitatis tuæ manufactis dedissem, illam non manufactam in domestica tua ec- B clesia gratiam Dei, qua perpetuum tibi hospitem in ea Clarum largitus est, silere non potui. Itaque sanctæ ipsius memoriæ versus, non quia aliquid divinis ejus meritis dignum loqui possem, sed ut studium plurimæ in illius animam caritatis exprimerem, ausus sum facere, et unanimitati tuæ mittere. Quos tu coram **199-200** Domino sanctæ et (*V.* carm. 24, v. 438) cohospitanti tecum semper in Domino animæ ejus recitans, excusabis audaciam meam, et commendabis obsequium.

Nominis ut titulo, sic mentis lumine Clarus
Presbyter hoc tegitur, sed membra caduca sepulcro;
Libera corporeo mens carcere gaudet in astris,
Pura probatorum sedem sortita piorum.
Sancta sub æternis altaribus ossa quiescunt,
Ut dum casta pio referuntur munera Christo [8],
C Divinis [9] sacris animæ jungantur odores.

Item de eodem, ut quos malueris legas [10] : sed ego scio in hoc te potius ambigere debere, non ut aliquos ad titulum eligere, sed de nullo debeas injuriam sancto Dei facere.

Presbyter hic situs est meritis et nomine Clarus,
Martino studiis comes, et meriti modo consors :
Digna pio domus est altaria, sub quibus artus
Conditur (*b*) exanimos; nam spiritus æthere gaudet,
Discipulumque pari sociat super astra magistro.

Clare fide, præclare actu, clarissime fructu,
Qui meritis titulum nominis æquiparas [11],
Casta tuum digne velant altaria corpus,
Ut templum Christi contegat ara Dei.
Sed quia, tu non hac, qua corpus, sede teneris,
Qui meritis superis spiritus involitas;
Sive patrum sinibus recubas, Dominive sub ara
Conderis, aut sacro pasceris in nemore :
Qualibet in regione poli situs aut paradisi,
D Clare sub æterna pace beatus agis;
Hæc peccatorum bonus accipe vota rogantum,
Ut sis Paulini Therasiæque memor.
Dilige mandatos interveniente Severo,
Quos ignorasti corpore sic meritos.
Unanimi communis amor sit fomes utrisque
Perpetui summo fœderis in Domino.
Non potes implicitos divellere ; si trahis unum,
Unus adhærentem, quo rapitur, rapiet.

A Ergo individuos pariter complectere fratres,
Utque sumus, sic nos dilige participans [12].
Sic Deus accivit [13], sic nos Martinus amavit;
Sic et tu pariter Clare tuere pares :
Non meritis, sed amore pares; tu sancte valebis
Exorare, pares et meritis fieri,
Si cum Martino socia pietate labores,
Ut vincant vestræ crimina nostra preces :
Et simul in vestri ducamur sorte Severi,
Vestraque nos semper protegat ala sinu.

7. Quod si Dominus desiderium animæ vestræ fecerit secundum fidem vestram, adjiciens ornatui et sanctificationi operum vestrorum, ut sacros cineres de sanctis gloriosorum apostolorum aut martyrum reliquiis adipiscamini (quia [14] hujus voti præsumtione vos aliam apud Primuliacum nostram et priore majorem basilicam præparasse cognovimus) dignum opere fidei vestræ, et operis fideliter elaborati dedicatione B proculdubio celeberrima, sanctorum quoque reliquiis decens arbitramur, ut hoc etiam quod de cruce misimus, pariter depositum sacratumque veneremini. Quod si ita placuerit, placitum vestrum hi, si videbitur, versiculi nuntiabunt :

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compositis sacra [15] cum cruce martyribus.
Cuncta salutiferi coeunt (*c*) martyria Christi,
Crux, corpus [e], sanguis martyris, ipse Deus.
Namque Deus semper vobis [16] [f] sua munera servat;
Atque ubi Christus, ibi Spiritus, et Pater est.
201-202 Sic ubi crux, et martyr ibi : qua (*d*) martyr, ibi et crux,
Martyrii sanctis quæ pia causa fuit.
Illa cibum vitæ mortalibus, illa coronas,
Quæ Domino famulos participant, peperit.
In cruce fixa caro est qua pascor; de cruce sanguis
Ille fluit, vitam quo bibo, corda lavo.
Christe, tuo coeant simul hæc tua dona Severo,
C Portitor et testis sit crucis iste tuæ.
Carne tua vivat, tuus illi pocula sanguis
Præbeat, in verbo vivat agatque tuo.
Quaque tuum socio [17] Martinum ascendere Claro
Vidit, et ipse tuo munere (*e*) vectus eat.

8. Si vero magis placeat vobis hanc de cruce benedictionem ad quotidianam tutelam atque medicinam in promptu habere, ne semel condita in altario, non semper ad manum, ut usus exigit, præsto sit, sufficit et illa ad basilicæ consecrationem gratia, scilicet Dominus cum apostolis et martyribus; quorum venerandus cinis si sine crucis consortio subjiciatur altaribus (*V.* not. 147), hic opertos titulus indicabit :

Pignora sanctorum divinæ gloria mensæ
Velat apostolicis edita corporibus.
D Spiritus et Domini medicis virtutibus instans
Per documenta sacros viva probat cineres.
Sic geminata piis adspirat gratia votis,
Infra martyribus, desuper acta sacris.
Vota sacerdotis, viventum et commoda, parvo
Pulvere sanctorum [18] mors pretiosa juvat.

9. Habes versus operibus quidem tuis sanctis et magnificis indignos, persuasioni tamen tuæ, quam

[a] Vide not. 239. [b] Vide ibid. [c] Vide not. 144. [d] Id est *recentes*. Vide carm. 25, v. 211. [e] Vide not. 146. [f] *Forte* nobis.

(*a*) Ita ms. codex Vatic. cum 2 editis. Ms. Vien. et Latinius, *Pura*. Ms. Reg. et editi tres, *Cura*, mendose. Ed. Schot., *Cara*.

(*b*) *Artus conditur exanimos*. Vide eumdum Græcismum carm. 22, v. 53. Edd. quatuor, *exanimus*, mendose : *artus* enim singulari numero non effertur.

(*c*) Sic mss. codices et ed. Rosv. licentia poetica. Gravius, Grinæus, Schottus et Poelmannus offensi in secundam syllabam productam in *martyria*, substituerunt *insignia*.

(*d*) Sic emendavimus ex editis Poelm., Grin. et Schot., quod præcedentibus bene respondet. Alii codd., *martyris et crux*.

(*e*) Ita ms. Vien. favente ms. codice Regio. Alii, *vinctus*

habes tibi de me (*Subaudi* magis) quam mihi credere, competentes. Quos si non erubueris (*a*) spectandos domesticæ ecclesiæ tuæ parietibus inscribere, vindicabor. Credo enim vel tunc de meis ineptiis erubesces; et pœnitebit te desiderii et exactionis tuæ, cum ædificia, quæ immaculata adhuc operis tui gratia splendent, obscurata næniis insipientiæ meæ; et, ut digno meis versibus verbo utar, caccabata (*V.* not. 148), ridentibus multis vel nauseantibus confusus aspicies. Nec laborabis fallere, ut te lector autorem putet; cum [19] ineptia nemini in te nota, possit instruere lectorem, ne tibi meum carmen, id est, crimen imponat: qui tamen vel proditoris vel scriptoris nomine culpandus es. Sed ne quis me injuriosum judicet illa regula qua præscribitur: *Quod tibi nolueris, alii ne feceris* [a]: idem a me prius basilicas meas pertulisse præsentibus illi documentis probabis: ut hoc quoque ostendas unanimitatem nostram, quod sive gratia sive injuria me tibi comparans, eadem in tuas qua etiam in meas ædificationes temeritate peccavi. Sed hujus sive gratiæ, juxta patientissimum mei animum tuum; sive juxta meum indignissimum munus, injuriæ autor aut reus noster tibi Victor habeatur, qui sanctissimus nostræ caritatis interpres hoc se tibi gratiorem a nobis redire præsumsit, quo [20] depressior sub injusto ineptiarum ad te nostrarum onere revertisset. Nam hoc etiam accrescere fascibus suis voluit, ut nostrarum tibi basilicarum versus simul picturasque portaret. Meritoque faciet, si cum hac se tibi querimonia deficiens et curvus intulerit, ut clamet: *Ecce propter mandata labiorum tuorum ego ambulavi vias duras* [b]; et clamet: *Super dorsum meum fabricati sunt* [21] *peccatores*, qui in tot epistolas [22] *prolongaverunt iniquitatem suam* [c].

10. Recepi igitur et hunc ad peccata mea cumulum, ut fratri cupidissimo talis sarcinæ, qua ejus anima gravato corpore levaretur, præstarem quam desiderabat injuriam. Nam et vere ad unanimitatem nostram congruere hæc illius postulatio videbatur, qua asserebat ut oporteret tibi nostras in Domino ædificationes ita notescere, ut nobis tuas in titulis et in picturis indicare voluisses. Hac igitur ratione persuasus, basilicas nostras tuis, sicut et operis tempore et voti genere conjunctæ sunt, ita etiam litteris compaginare curavi: ut in hoc quoque nostra conjunctio figuraretur, quæ jungitur animis, et distat locis; sic et ista, quæ in nomine Domini eodem spiritu elaborata construximus, diversis abjuncta regionibus, ejusdem tamen epistolæ serie sibi tamquam (*b*) contignata [23] visentur. Basilica igitur illa quæ ad dominædium nostrum communem patronum in nomine Domini Christi (*c*) Dei jam dedicata celebratur, quatuor ejus basilicis addita, reliquiis apostolorum et martyrum **203-204** intra apsidem (*V.* not. 149) trichora (*forte legendum* trichoram; *vid.* not. 150) sub altaria sacratis, non solo beati Felicis honore venerabilis est. Apsidem solo et parietibus marmoratam camera musivo illusa (*V.* not. 151) clarificat; cujus picturæ hi versus sunt:

Pleno coruscat Trinitas mysterio,
Stat Christus agno [d]; vox Patris [e] cœlo tonat:
Et per columbam [f] Spiritus sanctus fluit.
Crucem corona [g] lucido cingit globo;
Cui coronæ sunt corona apostoli.
Quorum figura est in columbarum choro [h].
Pia Trinitatis unitas Christo coit,
Habente et ipsa Trinitate insignia:
Deum revelat vox paterna, et Spiritus:
Sanctam fatentur crux et agnus victimam.
Regnum et triumphum purpura et palma indicant.
Petram superstat [i] ipse petra [24] Ecclesiæ,
De qua sonori quatuor fontes [j] meant,
Evangelistæ viva Christi flumina.

11. Inferiore autem balteo, quo parietis [25] et cameræ confinium interposita gypso crepido conjungit aut dividit, hic titulus indicat deposita sub altari sancta sanctorum:

Hic pietas, hic alma fides, hic gloria Christi,
Hic est martyribus crux sociata suis.
Nam crucis e ligno magnum brevis astula pignus,
Totaque in exiguo segmine vis crucis est.
Hoc (*d*) Melani [k] sanctæ delatum munere Nolam,
Summum Hierosolymæ [26] venit ab urbe bonum.
Sancta Deo geminum velant altaria honorem,
Cum cruce apostolicos quæ sociant cineres.
Quam bene junguntur ligno crucis ossa piorum,
Pro cruce ut occisis in cruce sit requies!

12. Totum vero extra concham (*V.* not. 159) basilicæ spatium, alto et lacunato culmine geminis utrimque porticibus dilatatur, quibus duplex per singulos arcus columnarum ordo dirigitur. Cubicula (*V.* not. 160) intra porticus quaterna longis basilicæ lateribus inserta, secretis orantium vel *in lege Domini meditantium* [l], præterea memoriis religiosorum ac familiarium accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent. Omne cubiculum binis per liminum frontes versibus prænotatur, quos inserere his litteris nolui (*V.* not. 161), eos tamen quos ipsius basilicæ aditus habent, scripsi; quia possent, si usurpare velis, et ad tuarum basilicarum januas convenire, ut istud est:

Pax tibi sit, quicumque Dei penetralia Christi
Pectore pacifico candidus ingrederis.

Vel hoc, de signo Domini (*id est* signo crucis) super ingressum picto hac specie, qua versus indicat:

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare crucem, duro spondentem celsa labori
Præmia: tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Alteri [27] autem basilicæ, qua de hortulo vel pomario quasi privatus aperitur ingressus, hi versiculi

[a] Tob. IV, 16. [b] Psal. XVI, 2. [c] Psal. CXXVIII, 3. [h] Not. 156. [i] Not. 157. [j] Not. 158. [k] Not. 138.

(*a*) Mss. Reg. et Vien. cum editis quatuor, *spectandis*.

(*b*) Ita edit. Rosv. Vera lectio, quæ confirmatur carm. 25, v. 12, v. 37. Mss. tres codices cum editis quatuor, *consignata*.

(*c*) Addidimus *Dei* ex mss. Reg. et Vien. Hæc lectio confirmatur n. 12, v. 1.

[d] Not. 152. [e] Not. 153. [f] Not. 154. [g] Not. 155. [l] Psal. I, 2.

(*d*) Sic reposuimus juxta mss. codices Reg. et Vien. et edit. Schot. Verissima lectio. Alii codices, *Melanæ*. Vide not. 138.

hanc secretiorem forem pandunt (*V.* ep. 28, n. 5, A et carm. 24, v. 613):

> Cœlestes intrate vias per amœna vireta,
> Christicolæ; et lætis decet huc ingressus ab hortis,
> Unde sacrum meritis datur exitus in paradisum.

Hoc idem ostium [28] aliis versibus ab interiore sui fronte [29] signatur:

> (*a*) Quisquis ab æde Dei perfectis ordine votis
> Egrederis, remea corpore, corde mane.

13. Prospectus vero basilicæ non, ut usitatior mos est, orientem spectat, sed ad domini mei beati Felicis basilicam pertinet memoriam (*id est* tumulum) ejus aspiciens: tamen cum duabus dextra lævaque conchulis (*V.* not. 162) intra spatiosum sui ambitum apsis sinuata laxetur, una (*V.* not. 163) earum immolanti hostias jubilationis antistiti patet [30], altera B (*V.* not. 164) post [31] sacerdotem capaci sinu receptat orantes. Lætissimo vero conspectu tota simul hæc basilica (*b*) in basilicam memorati confessoris aperitur trinis arcubus paribus, perlucente transenna (*V.* not. 165): per quam vicissim sibi tecta ac spatia basilicæ utriusque junguntur. Nam quia novam a veteri paries apside cujusdam monumenti [32] interposita obstructus excluderet, totidem januis patefactus a latere confessoris quot [33] a fronte ingressus sui foribus nova reserabatur, quasi diatritam [34] speciem (*V.* not. 166) ab utraque in utramque [35] spectantibus præbet, sicut datis inter utrasque januas titulis indicatur. Itaque in ipsis basilicæ novæ ingressibus hi versiculi sunt:

> Alma domus triplici patet ingredientibus arcu [a],
> Testaturque piam janua trina fidem.

14. Item dextra lævaque crucibus minio superpictis hæc epigrammata sunt:

> Ardua floriferæ crux cingitur orbe coronæ,
> Et Domini fuso tincta cruore rubet.
> Quæque super signum resident cœleste columbæ
> Simplicibus [b] produnt regna patere Dei.

Item de eodem:

> Hac cruce nos mundo, et nobis interfice mundum.
> Interitu culpæ vivificans animam [36].
> **205-206** Nos quoque perficies placitas tibi, Christe, columbas,
> Si vigeat puris (*c*) pax tua pectoribus.

15. Intra ipsam vero transennam (qua breve illud, quod propinquas sibi basilicas prius [37] discludebat, intervallum continuatur) e regione basilicæ novæ super medianum arcum hi versus sunt:

> Ut medium valli pax nostra resolvit Iesus,
> Et cruce discidium [38] perimens duo fecit in unum:
> Sic nova, destructo veteris discrimine tecti,
> Culmina conspicimus portarum fœdere jungi.
> Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
> Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro [c].
> Plebs gemina Christum Felicis adorat in aula,
> Paulus apostolico [d] quam temperat ore sacerdos.

Hæc vero binis notata versiculis epigrammata super arcus alios dextra lævaque sunt.

In uno hoc:

> Attonitis nova lux oculis aperitur, et uno
> Limine consistens geminas simul aspicit aulas.

In altero hoc [39]:

> Ter geminis geminæ patuerunt arcubus [e] aulæ,
> Miranturque suos per mutua limina cultus [40].

Item in iisdem arcubus a fronte, quæ ad basilicam domini Felicis patet, mediana, hi sunt:

> Quos devota fides densis celebrare beatum
> Felicem populis diverso suadet ab ore,
> Per triplices aditus laxos infundite cœtus:
> Atria quamlibet innumeris spatiosa patebunt
> Quæ sociata sibi per apertos comminus arcus,
> Paulus in æternos antistes dedicat usus.

In aliis isti bini:

> Antiqua digresse sacri Felicis ab aula,
> In nova Felicis culmina transgredere.

Item:

> Una fides trino sub nomine quæ colit unum,
> Unanimes trino suscipit introitu.

16. In secretariis vero duobus, quæ supra dixi circa apsidem [41] esse, hi versus indicant officia singulorum.

A dextra apsidis [42]:

> Hic locus est veneranda penus [f] qua conditur, et qua
> Promitur alma sacri pompa ministerii.

A sinistra ejusdem:

> Si quem sancta tenet meditanda in lege [43] voluntas,
> Hic poterit residens sacris intendere libris [g].

De Fundana basilica.

17. Egrediamur jam Nolana hac basilica, et in C Fundanam transeamus. Fundis nomen oppido est, quod æque familiare mihi fuit dum maneret possessio, quam illic usitatiorem habui. Itaque vel ad pignus quasi civicæ caritatis, vel ad memoriam præteriti patrimonii, basilicam dare in ipso oppido, quoniam et indigebat, ruinosam et parvam habens, voti fuit. Propterea et hos versiculos adjiciendos putavi, quos illi in hoc oppido dedicandæ basilicæ paravimus [44]. Nam adhuc in opere est, sed propitio Deo dedicationi propinqua. Quod tamen ea mihi maxime ratio persuasit, quia et in hujus apside [45] designatam picturam meus Victor adamavit, et portare tibi voluit, si forte et eam [46] de duabus elegeris in hac recentiore tua pingere, in qua æque apsidem factam indicavit. Sed de hac apsida an abside magis D dicere debuerim, tu videris: ego nescire me fateor, quia hoc verbi genus nec legisse reminiscor. Verum hanc quoque basiliculam, de benedictis apostolorum et martyrum reliquiis sacri cineres, in nomine Christi sanctorum Sancti, et martyrum Martyris, et dominorum Domini, consecrabunt. Ipse enim testatus est se vicissim confessorum suorum Confessorem futurum. Ideo super (*d*) hac propter picturam gratia geminatus est titulus (*V.* not. 173).

[a] Not. 167. [b] Not. 168. [c] Not. 169. [d] Not. 170. [e] Not. 167. [f] Not. 171. [g] Not. 172.

(*a*) Mss. Reg. et Vien., *Quisque domo Domini.*

(*b*) Sic emendavimus ex ms. codice Vien. Prius erat *in basilica.*

(*c*) Cum Sacchino ita emendatum, refragantibus omnibus codicibus; quod et sensus postulat, et confirmant n. 12 duo priores versus. Ante erat *pars.*

(*d*) Sic emendavimus juxta ms. codicem Vien. Alii, *præter.*

De pictura :

Sanctorum labor et merces sibi rite [47] cohærent,
Ardua crux, pretiumque crucis sublime, corona.
Ipse Deus, nobis princeps crucis atque coronæ,
Inter floriferi cœleste nemus paradisi,
Sub cruce sanguinea niveo stat Christus in agno,
Agnus ut innocua injusto datus hostia letho.
207 Alite [a] quem placida sanctus perfundit hiantem
Spiritus, et rutila Genitor de nube coronat.
Et quia præcelsa quasi Judex rupe superstat,
Bis geminæ pecudis discors agnis genus hædi
Circumstant solium : lævos avertitur hædos
Pastor, et emeritos dextra complectitur agnos.

De reliquiis [48] :

Ecce sub accensis altaribus ossa piorum,
Regia purpureo marmore crusta tegit.
Hic et apostolicas præsentat gratia vires
Magnis in parvo pulvere pignoribus.
Hic pater Andreas, et magno nomine Lucas,
Martyr [b] et illustris sanguine Nazarius;
Quosque suo Deus Ambrosio post longa revelat
Secula, Protasium cum pare Gervasio.
Hic simul [49] una pium complectitur arcula cœtum :
Et capit exiguo nomina tanta sinu.

18. Hæc interim, mi frater, et alia hujusmodi opera visibilia [50] de terrenis in terra labore [51] molieram [52] : sed *benedictus Dominus die quotidie, qui facit mirabilia solus* [c] : sicut *convertit petram in stagnum aquæ*, sic et terrena cœlestibus mutat ; et hanc nobiscum, quamquam de suis et hic et ibi rebus permutationem facere dignatur; ut quæ corporaliter molieram in terris, latenter in cœlis per ipsum ædificentur ; tunc revelanda nobis, cum specie (*an facie?*) videbimus [d], quæ nunc per fidem providemus. Itaque hic seminamus, et ibi (*a*) metimus [e] : hic spargimus, et ibi congregamus : hic vivimus, et ibi conversamur : hic accingimur, et ibi militamus : hic pugnamus, et ibi vincimus ; vel si istic vincimus, ibi coronamur. Ita quod istic manu struimus, illic fide condimus. Et harum nobis quamvis terrestrium ædificatio fabricarum si voto et studio spiritali struatur, beata cœlestium est præparatio mansionum [f]. Hæc enim ædificantes in Domino ex adeptu [53] fidei, ædificamur ipsi a Domino per ejusdem fidei profectum. Nam et evangelicus ille centurio [g] exemplum nobis est ad spem certam mercedis æternæ, hujus specialiter operis gratia recipiendæ ; qui ad promerendam filii sanitatem, et ipsum Dominum Jesum fidei suæ prædicatorem habendum eo potissimum [54] meriti valuit, quod plebs Domini, quæ tunc adhuc in Judæis tantum erat, illi de Synagogæ ædificatæ testimonio suffragata est [h].

19. Quid igitur miseri nunc quiescimus oscitantes [i], et quasi non conducti mercenarii, in tumultuoso hujus seculi foro vacua manu stamus ? vel si conductis nobis [55] debere patremfamilias [56] suum denarium cogitemus, ut aliquid in vinea ejus operemur, id
208 ipsum quasi indebitum gratumque [57] præstantes, imputare etiam meditamur Domino, tamquam
A illi potius quam nobis profutura faciamus. O miseri homines ! largiri nos aliquid credimus : negotiamur, et liberales habemur, qui avarissimi esse convincimur; et quidem tanto avariores cupidissimis terræ feneratoribus, quanto amplius est cœlestia de terrenis, et beata de miseris egenisque rebus emere; quam terrena terrenis et labentibus lapsura mercari, et Dominum quam hominem fenerare [58] (*V. not.* 70). Damnatur in lege *qui pecuniam suam dederit ad usuram, et munera super innocentes acceperit* [j] : ecce Evangelii gratia ostendit nobis quomodo eadem crimina ad innocentiam sanctitatemque mutentur ; nec pœnæ, sed præmii retributio consequatur, si tantum in præcepta divina salutaris cupiditate fidei convertantur. Da ad usuram pecunias tuas, sed Christo; et salutaris usura est [k].

B 20. Item in seculo corrupti muneribus reorum judices condemnantur [l] : sed quisquis homo præventus in aliquo peccato, diffidens innocentiæ tuæ, affers [59] pretium salutis tuæ Judici nostro, ne verearis quasi corruptionis injuriam justitiæ Dei facere. Accipit a te Christus libens salutis tuæ pretium, quia *mavult* [60] *misericordiam quam sacrificium* [m]. Sed forsitan quæris, ubi illum invenies, et qua corrumpas [61] via quem non vides. *Surge*, inquit, *qui dormis, et* (*b*) *erige te a mortuis, et attinges* [62] *Christum* [n] : hoc est, discute carnalis inertiæ somnum, et depressam cogitatione terrena mentem a mortuis curis, hoc est conversatione carnali, erige, attollens et dirigens in Dominum animam tuam, et *attinges Christum.* Operando [63] præceptis ipsius, videbis eum
C in omni paupere, tanges [64] eum in 209 omni egeno, recipies eum in omni hospite : quoniam sibi fieri ipse testatur quæ in ejus nomine minimis ejus fiant [o]. Ecce nobis jam constat quomodo videas invisibilem, et inapprehensibilem comprehendas. Ergo nunc istic pauperemur (*V.* ep. 40, num. 7), ut tunc ibi locupletemur. Nunc ploremus, ut tunc gaudeamus. Nunc esuriamus, ut tunc saturemur. *Omni*, inquit, *tempore pauperes vobiscum habetis* [p]. Vides quia nulla nobis occasio est beneficentiæ umquam procrastinandæ, cum, si voluntas nostra non absit, pauper in promptu sit.

21. Commodemus ergo securi nunc egeno [65], et in pauperibus suis Christo, ut ex ejus abundatura in iisdem gloria participare possimus. Propterea enim Dominus ipse præmonet, dicens : *Facite vobis amicos*
D *de iniquo mammona*. Vides quomodo Omnipotens faciat de nocte lucem, et de iniquitate justitiam? *Ut cum defeceritis*, inquit, *recipiant vos in tabernacula æterna* [q]. Quia vicissitudine quadam copiæ vel inopiæ humanum genus temperatur, quod in illo inferno divite, et superno paupere evangelicus sermo patefecit [r], ut intelligamus consilium communis Autoris, quo divitem pauperi, et pauperem diviti præpa-

[a] Not. 174. [b] Not. 175. [c] Psal. LXVII, 20; Psal. LXXI, 18; Psal. CXIII, 8. [d] II Cor. III, 18; I Cor. XIII, 12. [e] Galat. VI, 8. [f] Johan. XIV, 2. [g] Matth. VIII, 5. [h] Luc. VII, 5. [i] Matth. XX, 6. [j] Exod. XXII, 25; Lev. XXV, 36; Deut. XXIII, 19; Psal. XIV, 5. [k] Prov. XIX, 17. Eccli. XXIX, 1. [l] Exod. XXIII, 8; Deut. XVI, 19. [m] Oseæ VI, 6, sec. LXX; Matth. IX, 13. [n] Ephes. V, 14. [o] Matth. XXV, 40. [p] Matth. XXVI, 11. [q] Luc. XVI, 9. [r] Luc. XVI, 19.

(*a*) Ante erat *metemus*. Correctionem nostram probant ea quæ sequuntur.

(*b*) Ita ms. Reg. cum editis quatuor. Vera lectio quæ confirmatur ex sequentibus et ex epist. 9 ad Amandum, num. 2. Ms. Vatic. cum edit. Rosv., *erigere*.

ravit, ut abundans egenti substantia alimoniæ sit, et opulento inops materia justitiæ : *ut fiat*, sicut Apostolus dixit [a], *æqualitas* : et in illo seculo repensanda illis egestate præsenti opibus æternis, redundet illorum abundantia ad inopiam nostram, si nostra istic abundantia ad illorum indigentiam commodaverit. Seminemus ergo illis carnalia [66], ut metamus ab illis spiritalia. Laboret nunc de terrenis manus, ut tunc de cœlestibus anima reficiatur. Spes præsens ædificet rem futuram [67]. Faciamus istic tecta quæ nos illic tegant. Pascatur istic pauper, ubi me divite eget; ut me illic pascat, ubi me egente saturabitur. Videte commercium spiritale; et, si potestis, negate nos avaros, qui terram vendimus et tributum, ut immunitatem regni cum æternitate coemamus.

22. Fragilem arenam jacimus, ut domum fundemus æternam, et de vilibus attingamus astra cæmentis [b] : de quibus non illam confusionis et superbiæ turrem [68] destruendam opere irrito machinamur, sed in ipso angulari lapide fundamur [c], ut surgamus per ipsum in ipsius plenitudinem, qui est *turris fortitudinis a facie inimici* [d]. Hanc ipse nos turrem ædificare [e], computatis ante sumtibus, jubet, ne interrupta ædificatione defecti, temeritatis improvidæ notam et dignam irrisionem frustra [69] audacis ignaviæ perferamus. Sumtus [70] autem noster fides firma est. Ergo et secundum veritatem Dei credens, qui spes, et opes et vires suas Dominum Jesum habet, ejus omnis **210** ædificatio compacta crescit [f], et surgit in conscensionem in plenitudinem Dei. Itaque *nisi Dominus ædificaverit domum, vano ædificantes labore* [g] sudabimus. Sed ne, vel perfecta licet, cooperante Domino, ædificatione, resupini securas manus remittamus, adjicit Scriptura divina, quod etiam ædificatam domum nisi Deus idem custodiat, irrita servantium cura vigilabit [h].

23. Oremus ergo Dominum, ut dum nos illi foris ædificamus domicilia quæ videntur, ille in nobis intus ædificet illa quæ non videntur, *domum* videlicet illam, ut Magister (*id est* Paulus. *V.* ep. 23, n. 24) ait, *non manufactam* [i] : quam ingressi intelligemus in novissimo, *videntes* scilicet *facie ad faciem quod in ænigmate nunc videmus, et ex parte cognoscimus* [j]. Sed nunc, dum adhuc in tabernaculo istius corporis constituti, quasi sub illius antiqui tabernaculi pellibus in deserto et tentoriis agimus [k], præcedente nos per istius orbis aridam Dei verbo, vel *in columna nubis* [l], ut *obumbret* [71] *super caput nostrum in die belli* [m] : vel *in columna ignis, ut cognoscamus in terra* cœlestem *ejus viam* [n]; oremus, ut per hæc nunc Ecclesiæ *tabernacula ingrediamur usque ad domum Dei* [o]; ubi et ipse Dominus, ille summus et *factus nobis a Domino* [p] et *excisus a monte*, et idem auctus in montem *lapis* exstat, qui *est mirabilis in oculis nostris*.

A Ipse se nunc ædificationi nostræ et fundamento præstet et culmini, quia ipse est *initium et finis*. Super eamdem petram, nam [72] et *petra Christus est*, extra quam nemo potest domum stabilem fundare, non stipulam, aut fenum, et paleas, sicut in Ægypto servientes in cophino, manus congerant; ne luteis ædificiis operum sordidorum laterem, ut aiunt, lavemus, et incurvati oneribus laborum servilium devertamus dorsum nostrum a Domino [q]; (*a*) quia ut conversos ad se reficit lumine, ita aversos afficit cæcitate.

24. Videamus autem ædificantes, quid de nostra fragili terrenaque substantia dignum divino fundamento superædificare possimus [r], ut ab ipso [73] principali lapide vivificati, lapides in fabricam templi cœlestis aptemur. Aurum sensus nostri et sermonis B argentum conflemus in Christo, ut nos in hujus mundi fornace purgatos [s], aurum ignitum, et moneta imaginis suæ dignum [74] ipse placitarum sibi animarum discussor efficiat, nosque ipsos illi de operibus luminis pretiosos lapides afferamus. Neque in cordibus ligni duritia stolidi, neque in operibus fenea siccitate aridi, neque in fide vel caritate mobiles et infirmi levium fragilitate palearum; sed ut opus arbitrii nostri non arsurum paretur, et inconcussum pacifica operatione consurgat, oremus Altissimum eam pacem ædificationis nostræ [t], qua paries ille aliquando in templi murum factus **211** est, ut *malleus, et securis, et omne vas ferreum non audiatur in ea* [u] : nec sicut postea in ejusdem templi reparatione, inimica Persarum invidia fabricam resurgen- C tem hostilis impediat et interrumpat incursus [v]. Sic enim in domum orationis et pacis perficiemur, si nulla nos carnalium cogitationum cura concidat, nullus quietem nostram seculi tumultus interstrepat. Malleus enim nobis cura victus et cura vestitus est : securis et ferrum nobis cupiditas temporalium, et nocturnus mortis timor, et livor inimicus, et res hujus seculi; in cujus aut malæ cura, aut bonæ amore [75] anima conditur [76], mens compeditur; et pax bonæ voluntatis, quæ compositis religioso silentio sensibus confirmatur, atque orationis intentio, quæ inoffensa de libero et puro corde dirigitur, carnalium oblatratione curarum, quasi interstrepente malleo, vel securi feriente, convellitur. Sed *quia major est qui in nobis est quam qui in hoc mundo* [x], D potens est *Dominus conterere Satanam sub pedibus nostris* [y], ut impleatur et illa pro nobis prophetia : *Contritus est malleus universæ terræ* [z].

25. Expedit autem nobis, ut etiam ædificatum cordis nostri templum sæpe Dominus Jesus revisat, veniens in flagello timoris sui, ut ejiciat de nobis mensas nummulariorum, et venditores boum vel columbarum [aa]; ne quod avaritiæ commercium animus noster exerceat, neque in nostris sensibus tar-

[a] I Cor. VIII, 14. [b] Gen. XI, 4. [c] Ephes. II, 20. [d] Psal. LX, 4. [e] Luc. XIV, 28. [f] Ephes. II, 21. [g] Psal. CXXVI, 1. [h] Ibid. [i] II Cor. V, 1. [j] I Cor. XIII, 12. [k] Exod. XXV, 40, et XXVI, 30. [l] Exod. XXIII, 20; Exod. XIII, 21, et XIV, 19. [m] Psal. CXXXIX, 8 [n] Exod. XIII, 21; Psal. LXVI, 3. [o] Psal. XLI, 5, juxta Psalt. Rom. [p] Psal. CXVII 23. [q] Psal. LXXX, 7. [r] I Cor. III, 10. I Pet. II, 5. [s] Sap. III, 6. [t] Psal. CXXI, 6. [u] III Reg. VI, 7, sec. LXX. [v] I Esd. IV, 4. [x] I Johan. IV, 4. [y] Rom. XVI, 20. [z] Jer. L, 23. [aa] Matth. XXI, 12, Marc. XI, 15.

(*a*) Reposuimus *quia*, ex mss. Reg. et Vien. et editis codicibus quatuor. Edit. Rosv., *qui*.

ditas boum stabulat : quia *ubi non sunt boves, præsepia munda sunt* [a]. Neque simus innocentiæ nostræ vel divinæ gratiæ venditores, ne faciamus orationis domum speluncam latronum [b]. Expurgatis enim omni malitiæ fermento sensibus nostris [c], inambulabit libenter Dominus noster Jesus Christus : et velut in illis quinque porticibus spatiabitur Sapientia [77] [d], virtus Dei, quæ *sanat omnes languores nostros* [e]. Nam et in anima nostra multi, sicut in illa ad piscinam olim medentem porticu, jacent ægri et debiles (*a*) : quam si adeat Dei verbum, et avaritiæ lepram, et invidiæ ferruginem, et intemperantiæ cæcitatem, et iracundiæ phrenesim, et luxuriæ paralysim, præcepto medente, depellet; et nos non solum ad sanitatem innocentiæ, sed etiam ad firmitatem patientiæ refectos, jubebit illico non solum exsurgere de infirmitatis lectulo, sed etiam ipsum lectum tollere, ut portemus validi quo portabamur infirmi [f]. Quod profecto etiam in spiritali vel ægritudinis vel sanitatis nostræ genere [78] completur, cum carnem nostram, cui ut lectulo dediti jacebamus in vinculis vitiorum et infirmitate virtutum, postea in verbo Dei per gratiam Jesu Christi ad bonam incorruptamque mentem, renovato interiore, sani [79] quasi **212** grabatum illud tollimus [80], et spiritu prævalente portamus, ferentes ipsam sequentem quo volumus : in qua infirmabamur exspectantes alienam opem, semperque præventi celeritate piscinam occupantium : quia non erat qui porrigeret manum, neque qui salvos faceret; donec ipse legatis et angelis major (quippe ut prophetarum et angelorum Dominus) adveniret, et omnem infirmitatem nostram miserando susciperet [g], assumendo purgaret, *et animam esurientem repleret bonis, et juberet nos abire in domum* nostram, illam (ut supra dixi) *non manufactam* [h] : in qua vox lætitiæ et salutis, et ipse omnibus suis Christus habitatio, et regnum, et rex erit, testante Apostolo : Quia *semper cum Domino erimus* [i] : cui honor, et gloria, et potestas in secula [81].

EPISTOLA * XXXIII.

Scribit Alethio qui aliquid operis a Paulino poposcerat, et dicit se minus idoneum qui ejus satiare valeat desiderium. Is Alethius postea in episcopatu Cadurcensi successit Florentio fratri. (Vide Dissert. 3, num. 2.)

Beato et merito venerabili [1] ac dilectissimo fratri ALETHIO (V. not. 176), PAULINUS.

1. Deo gratias, qui odorem gratiæ in te suæ per eloquia [2] litterarum tuarum manifestavit mihi [j]. Per fratrem enim carissimum in Deo Victorem meum, hoc munere militantem Deo, ut fraternæ serviat caritati, seque nobis per longinqua terrarum intervalla A discretis (*id est* separatis, distantibus; *vid.* ep. 29, n. 9), impigrum annuis discursibus tabellarium præbeat, et religiosissimis officiis mutuo visitantium corporalem laborem spiritali impendat affectu : per hunc ergo fratrem et conservum in Domino, qui communis et unanimus; nam et vobis ea se, qua nobis insitus est, acceptissimum gratia gloriatur, per hunc, inquam, mihi sancte venerabilis frater, tam dulce quam insperatum mihi munus accepi, epistolam tuam; in qua nobis bonus cordis tui thesaurus apparuit [k], ut merito percepta officii tui benedictione gauderem, cum faciem interioris tui castissimo speculatus eloquio, quantum in te mihi a Domino adjutorium (*b*) conferat, agnoscerem.

2. Sed in iis quæ mihi injungenda dives inopiæ B æstimator putasti, sanctam quidem purissimæ caritatis fiduciam demonstrasti : fama tamen, quantum intelligo, Dominici operis persuadente inductus es, ut secundum opus Domini, quo nobis [3] curam redemtionis nostræ inspirare dignatus est, ingenii quoque et oris opes suppetere nobis arbitrareris. **213** Sed bonam concupiscentiam magna fide vacuis opinionibus spes illusa decepit. Unde enim mihi tantum aquæ, quantum sitis ? unde tale [4] poculum, quod digne bibas ? unde (*c*) tanti panes, quantos postulas [l] ? Sed ipse tibi autor injuriæ tuæ eris diutius esurire, qui evangelicos lucis et vitæ cibos in alta hujus seculi nocte desiderans, somnolenti et pauperis amici egenam penum pulsas; qui flumina aquæ vivæ sitiens [m], arentem venulam scalpis, et humo- C rem de pumice conaris exprimere. Aut enim nullus mihi de inspirantiæ (*Latin. et Sacchin. forte* insipientiæ) siccitate, aut amarus de malitiæ felle fons intus est; quem utinam orationes et litteræ tuæ sæpius impensæ mihi (*d*) exundare ac dulcescere faciant fidei tuæ ligno, et eloquii suavitate [n]; ut et verbo Dei, quod bonus minister pio ore deprompseris, quasi virga prophetæ percusso (*e*) cordis [o]. (*Cetera desunt.*)

** XXXIV SERMO

DE GAZOPHYLACIO [1] (*V.* not. 177).

Eloquenter, erudite ac pie beneficentiam in pauperes prædicat.

1. Non frustra, dilectissimi mei, jumentis præsepe ponitur, neque tantum ad speciem videndi jacet; mensa etenim quædam est, quamlibet irrationabilium D animantium, tamen ab hominum ratione composita, ut per eam quadrupedia cibum capiant. Quod si ii qui præsepia ædificare curaverint negligant pabulum inferre, (*f*) proclivius tabida inopi stabulo jumenta deficient, et non pascentia fames depascitur animalia. At illi dignum negligentia vel avaritia damnum de

[a] Prov. XIV, 4, juxta LXX. [b] Matth. XXI, 13; Luc. XIX, 46. [c] I Cor. V, 7. [d] Johan. V, 2. [e] Psal. CII, 3. [f] Johan. V, 8. [g] Isai. LIII, 4. [h] II Cor. V, 1; Psal. CXVII, 15, sec. Psalt. Rom. [i] I Thess. IV, 16. [j] II Cor. II, 14. [k] Matth. XII, 35. [l] Luc. XI, 5. [m] Johan. VII, 38. [n] Exod. XV, 25. [o] Exod. XVII, 6.

* Scripta videtur anno 403.

** Alias Epistol. 34. Forte anno 403, et missus cum superiore epistola.

(*a*) Ms. Reg., *quæ si audiat.*

(*b*) Ita ms. Vien. et edit. Chifflet., favente edit. Schot. Alii codices, *conferam.*

(*c*) Sic ms. codex Vien. cum edit. Chiffl. Alii, *tantos.*

(*d*) Ita emendavimus ex ms. Vien. et editis Chiffl. et Schot. Ms. Reg. cum tribus editis, *exundarent, dulcescere.* Rosv., *exundanter dulcescere.*

(*e*) Ita omnes codices præter Vatic. et Rosv., in quibus *corde.*

(*f*) Sic reposuimus ex ms. codice Viennensi, edit. Chifflet. et Latin. Ante erat *proclivi.*

toto capessent, quibus præsepis parandi tantum labor A fuerit, et replendi cura defuerit : pariter enim cum animalibus mortuis et usum præsepis amittent; duo gravia damna juste ferentes, qui unum necessarium utilis impendii sumtum pepercerint ministrare. Hoc igitur exemplo, dilectissimi, cavere debemus, ne damnum animæ et dispendium salutis adeamus, negligentes in Ecclesia positam a Domino mensam indigentibus, quam despicientibus oculis intuemur, aut aridis manibus præterimus. Absit, quæso, ab animis vestris tale contagium. Facile enim serpit cancer avaritiæ in præcordia nullis misericordiæ munita visceribus, captamque vipereis alligat vinculis animam, si ab operibus bonis nudam, et materia captivitatis, **214** hoc est, infructuosis opibus abundantem serpens inimicus invenerit. Non patiamur ergo mensam B Domini, et nobis vacuam, et egentibus inanem relinqui; et visui tantum stare, non usui; ne de negligentia nostra esurientibus expressi gemitus in nos retorqueantur. *Qui* enim *spernit pauperem exacerbat*, ut scriptum est, *eum qui fecit illum* [a], hoc est, communem omnium Creatorem : qui sicut refectione inopum gaudet, ita defectione tristatur.

2. Excitemus ergo nos ab inertiæ somno, et, vel ut negligentiæ torporem discutiamus, vel avaritiæ vincla [2] rumpamus, inspiciamus diligenter in omnia verba, præcepta, promissa, opera, consilia Salvatoris nostri Dei; reputemusque nobiscum, cur hæc mensa, et quo autore proposita sit in atriis domus Domini, in conspectu omnis populi ejus; quodque maxime [3] considerandum est, cui bono, qua gratia, in quem C fructum locata (*a*) præniteat et pateat. Consule ipsa veritatis oracula, et respondebit tibi propheta : *Qui miseretur pauperi, Deum fenerat* [4] [b]. Cœlestis igitur trapezitæ [5] hæc mensa est, thesaurum vitæ struens [6], et ad margaritam negotiandam Dei fenus exercens. [c] Qui enim fenerat (*V.* not. 70) pauperes Domini, præstolatur a Domino [7] retributionem mercedis æternæ. Sed et beatus apostolus Paulus nos docens, inter sollicitudines omnium Ecclesiarum non minimam sibi curam pauperum esse testatur; ait enim, *Tantum ut pauperum memores simus, quod studui* (*b*) *facere idipsum* [d]. Idem alibi clamat : *Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre possumus* [e]; et iterum : *Quid enim habes quod non acceperis* [f]? Atque ideo, dilectissimi, non ut de proprio restricti simus, sed ut de credito fe- D neremus. *Dispensatio* enim, inquit, *nobis credita est* [g]; et temporalis pecuniæ usura communis, non privatæ rei æterna possessio. Si cognoscas eam temporaliter in terra tuam [8], poteris in cœlestibus tibi facere perpetuam : si reminiscaris in Evangelio [h] illos susceptores Domini talentorum [9], et quid cuique paterfamilias reversus retribuerit, scies quanto sit utilius ponere ad mensam Domini multiplicandam pecuniam; quam sterili fide (*c*) nullo reditu creditoris, magno inutilis servi dispendio, in sola pœnarum illius incrementa esse servatam.

3. Festina igitur illam potius vocem mereri ut audias : *Euge, bone serve, intra in gaudium Domini tui* [i]; quam illam, *Serve nequam* **215** et piger, *de ore tuo te judico* [j], et reliqua quæ nota sunt; misso inutili in tenebras exteriores, ac talento ejus illi qui multiplicatis creditis abundabat, adjecto : *Omni enim*, inquit, *habenti dabitur, non habenti vero et id quod habet auferetur* [k]. Reminiscamur et illius viduæ, quæ pauperum cura sui negligens, totam victus sui substantiam, futuri tantum memor, Judice ipso teste, vacuavit : Alii enim, inquit, de abundantia sua superanto [10] contulerunt; illa vero multis forsitan et pauperum egentior, cui duo minuta omnis census erant [l], sed animo cunctis divitibus opulentior; solas mercedis æternæ opes spectans, cœlestis avara thesauri pariter sibi totum ejus substantiæ quæ de terra sumitur et in terram revertitur, abdicavit. Misit quod habebat, ut quod non viderat possideret. Misit corruptibilia, ut immortalia compararet. Non despexit illa paupercula dispositam a Deo ordinatamque rationem de receptione venturi; et propterea non fuit immemor ejus ipse dispositor, jamque sententiam suam ipse mundi arbiter (*d*) præcucurrit; et quam in judicio coronaturus est, in Evangelio prædicavit.

4. Feneremus (*V.* not. 70) igitur Dominum de (*e*) donis Domini : nihil enim sine ejus munere possidemus, sine cujus nutu nec ipsi sumus. Et nos præcipue, quid nostrum putemus, qui majori et speciali debito non sumus nostri? et non solum quia facti a Deo, sed et emti sumus [m]. Gratulemur autem quia magno emti, quippe sanguine ipsius Domini : quo pretio et viles et venales esse desistimus, quia vilior servitute libertas liberum esse justitiæ. Talis etenim liber servus peccati et captivus est mortis. Sua igitur Domino dona referamus; demus illi qui in omni paupere accipit; demus, inquam, gaudentes, et recipiamus ab ipso exsultantes. Placet enim ipsi talis injuria, ut vim regno ipsius inferamus, bonis operibus cœli claustra frangentes. Dominus enim noster, qui *solus bonus*, ut *unus Deus* [n], non avaritiæ studio accipere desiderat, sed largitatis affectu. Quid enim non habeat, qui omnia dedit? Aut quid non possideat, qui ipsos possidet possidentes? quia omnes viri divitia-

[a] Prov. XIV, 31, et XVII, 5. [b] Prov. XIX, 17. [c] Matth. XIII, 45. [d] Gal. II, 10. [e] I Tim. VI, 7. [f] I Cor. IV, 7. [g] I Cor. IX, 17. [h] Matth. XXV, 14. [i] Matth. XXV, 21. [j] Luc. XIX, 21. [k] Matth. XXV, 29; Luc. XIX, 26. [l] Marc. XII, 43; Luc. XXI, 3 et 4. [m] I Cor. VI, 20. [n] Matth. XIX, 17.

(*a*) Ita emendavimus ex mss. codicibus Reg. et Vien. et editis Grav., Schot. et Chiffl. Alii duo editi, *pertineat*. Ed. Rosv., *perniteat*.

(*b*) Ita Scriptura sacra, ms. Reg. et edit. Chiffl. In aliis editis codicibus male interpungebatur, *quod studui facere. Idipsum idem*, etc.

(*c*) Vulgatam retinuimus lectionem quoadusque ex mss. codicibus major lux affulgeat. Mss. enim Reg. et Vien., *quam sterili fide odiosam reminiscant quare nullo*, etc. Nec placet Chiffletii correctio, *quam sterili fide odiosam reminisci a te, avare, nullo reditu creditoris..... servatam.*

(*d*) Ita restituimus ex ms. codice Vien. et edit. Chiffl. postulante sensu. Alii, *præcurrit*.

(*e*) Ms. Reg. et editi 5, *bonis*; utraque lectio recepta. Ea quam reposuimus ex ms. codice Vien. et edit. Chiffl. confirmatur ex sequentibus, et n. 6 et 7.

rum in manibus ejus: sed immensa ejus justitia pariter et bonitas de ipsis muneribus suis vult sibi munera invicem fieri, ut sibi materiam erga te beneficentiæ pariat, quia bonus est: et tibi faciat meritum, quod digne [11] recipias, quia justus est.

5. Patent igitur thesauri bonorum illius, et divitiæ bonitatis ejus in promtu sunt, ut **216** unusquisque non exspectet accipere, sed ultro sibi rapiat quantum velit. In hoc enim nos fecit bonus Dominus et Pater sanctus, ut nostro bono essemus boni. Nam quo ille indigeret extrinsecus bono, qui totus ipse quantus est, bonitas et beatitudo est [a]? Ob hoc, quantum in ipso est, carissimi, *omnem hominem vult salvum fieri* [b], quia in omni homine opus suum diligit; et impense tibi (*a*) largus est de suis opibus, si tu tibi ipse non sis invidus et avarus de iis quæ Deus tua fecit, non ut causa tibi ad mortem, sed ut pretium ad vitam forent. O abundantia bonitatis Dei! vult fenerari ex iis quæ ipse largitus est: cupit debitor fieri donorum suorum, ut cum multa tibi ratione tuam reddat usuram.

6. Propera [12] igitur, frater, tam uberem tibi obstringere debitorem, ut et amicum te ex servo vocet [c]; et in tuis terrestribus nummis te expertus fidelem, de suis cœlestibus thesauris divitem faciat [13]. Ne trepides, ne cuncteris, ne parcas. Esto violentus Deo, rape regna cœlorum [d]. Qui vetat aliena contingi, sua gaudet invadi: et qui damnat avaritiæ rapacitatem, laudat fidei rapinam. Pransores tui dudum stant pro foribus tuis, tempus et regem mensæ opperientes. Tu convivas moraris: curre sollicitus, ne diutius maneant jejunantes; et injuria eorum excitetur is qui fecit illos, et qui illos bono tuo pauperes fecit [e]. Nam potuerat, dilectissimi, Dominus omnipotens æque universos divites facere, ut nemo indigeret altero: sed infinitæ bonitatis consilio sic paravit misericors et miserator Dominus, ut tuam in illis mentem probet. Fecit miserum, ut agnosceret misericordem. Fecit inopem, ut exerceret opulentum. Materia divitiarum tibi est fraterna paupertas, si intelligas super egenum et pauperem [f]; nec tibi tantum habeas quod accepisti, quia ideo et illius partem tibi in hoc seculo contulit Deus, ut tibi deberet quidquid [14] de suis donis tuo voluntario affectu indigentibus obtulisses, ac te vicissim in æterna die de illius parte ditaret. Per ipsos enim nunc accipit Christus, et tunc pro ipsis rependet. Docet enim nos et evangelicus ille dives a tartaro, et in Abrahæ sinu jam non mendicus (*b*) Eleazarus, qui in illa pœnali ardentis divitis egestate refrigerio vitæ affluebat [g]; docet, inquam, istud exemplum, vicissitudinem esse istic et illic humano generi distributam; repensandumque illic pauperibus, quod A istic videtur [15] negatum: et contra, divites qui pauperibus istic inopes **217** fuerint, nihil de pauperum felicitate capturos; mendicitatemque perpetuam cum abundantia pœnarum pro injuria pauperum digna ultione referendam.

7. Quare *ambulate*, ut scriptum est, *ut filii lucis in lumine, dum lumen habetis* [h]; et sic age, Christiane, dum resipiscendi et providendi dies suppetit, ut audire merearis a Domino: *Euge, bone serve, quia in paucis fidelis fuisti, supra multa te constituam* [i]. Vide igitur, et intende huic verbo, frater, et noli negligere gratiam quæ tibi oblata est. Noli descendere vacuus in domum Christi [j], *quæ est Ecclesia Dei vivi* [k]. De tuis multis vel parva si tribuas, multam tibi reliquorum tuorum adjectionem parasti. Plurimi te exB spectant, et in adventum tuum pendent, circumspicientes quando te videant. Tibi impenduntur cunctorum inopum preces et vota debilium. Vide ne tam pios mutare cogantur affectus, et in querelam preces vertant; et adversum te editi gemitus, quos necessitas laborantium, te non miserante, confectis extorserit, feriant et invitent (*forte* irritent) patrem orphanorum, judicem viduarum, et compassorem pauperum Deum [l].

8. Cave ipsum te tantummodo ames, si te amas, quia iniquitatis est ista dilectio; et *qui diligit iniquitatem, odit*, ut scriptum est, *animam suam: plenitudo autem legis est dilectio proximi* [m], quod omnis homo homini est germanitate naturæ. Parem ergo curam tui et pauperis gere, ut imiteris imitatorem Christi, C non tibi, sed aliis utilia curando, ut tui impensius Deo cura sit [n]. Vide enim quanto crimine te superbia aut avaritia discernat ab eo, cui te Deus opere suo junxit. Refice esurientem animam, et non timebis in die malo ab ira [16] superventura. *Beatus enim*, inquit, *qui intelligit super egenum et pauperem, in die malo liberabit eum Dominus* [o]. Operare igitur et excole hanc regionem terræ tuæ, frater, ut germinet tibi frugem fertilem, plenam adipe frumenti, magno cum fenore centesimum tibi fructum multiplicati seminis afferentem [p]. In hujus vel possessionis vel negotiationis appetitum et studium sancta et salutaris est avaritia: nam talis cupiditas, quæ regnum cœleste meretur et bonum perenne desiderat, radix bonorum est. Tales igitur, ut supra dictum est, divitias D concupiscite, et hujusmodi possidete patrimonium, quod in centenos fructus vobis creditor (*c*) pensitet, ut vestros quoque vobiscum bonis perennibus augeatis heredes. Possessio enim hæc vere magna et pretiosa **218** est, quæ possessorem suum non cumulo seculari onerat, sed reditu ditat æterno: quæ lacte et melle manat, et non de alvearibus neque pecori-

[a] Psal. xv, 2. [b] I Tim. ii, 4. [c] Johan. xv, 15. [d] Matth. xi, 12. [e] Prov. xiv, 31. [f] Psal. xl, 2. [g] Luc. xvi, 24. [h] Johan. xii, 35. [i] Matth. xxv, 21; Luc. xix, 17. [j] Exod. xxiii, 15. [k] I Tim. iii, 15. [l] Psal. lxvii, 6. [m] Psal. x, 6; Rom. xiii, 10; Luc. x, 36. [n] I Cor. x, 33. [o] Tob. iv, 11; Psal. xl, 2. [p] Matth. xiii, 8.

(*a*) Sic emendavimus ex mss. Reg. et Vien. et edit. Chiffl. Alii codd., *largitus*.

(*b*) Ms. Reg., *Eleazar*. Ita et apud Prudentium Cathemerin. hymn. 10, v. 154. *Eleazar* in mss. codicibus legi asserit N. Heinsius in notis; indeclinabile nomen, pro *Lazarus* de quo Lucas in Evangelio c. xvi, v. 19 et seqq. Vide quæ diximus de hac voce ad epist. 13 ad Pammach., num. 17.

(*c*) Ms. Vien. et edit. Chiffl., *penset*. Ms. Reg. cum editis quatuor, *creditos pensitet*.

bus expressum dulcium nectar liquorum, sed per A flumina læta diffusum suis præbet agricolis.

9. Verum, dilectissimi, non solum ut bona æterna quæratis, sed ut mala innumera vitare mereamini, præsenti sollicitudine et sedula operatione justitiæ providete. Magno enim adjutorio atque præsidio nobis opus est, et multarum atque indeficientium orationum patrociniis indigemus. Adversarius enim noster non quiescit, et in nostrum pervigil hostis interitum obsidet omnes vias nostras [a], egressusque et aditus omnium diligenter explorat; uniuscujusque vestigiis comes indiscretus (*id est* inseparabilis; *vid.* ep. 20, n. 1) affligitur, ac (*a*) sepes egressibus nostris objicit, et pedibus interserit, ut in plano quoque latentem salebram male cautus offendas. Unde scriptum est : *Sunt viæ quæ videntur hominibus planæ, novissima autem earum tendunt in infernum* [b]. Quod si securus in plano, neque cautus in lubrico decidas, illico irruit, et lapsum premit; nec parcit omittere [17], nisi frangat et devoret. Per cuncta igitur cave; dum infers pedem, cuncta circumspice. Ex omnibus enim partibus zabulus imminet, *sicut leo paratus ad prædam* [c]. Neque ipsi terræ tuæ credas, suspenso tibi, immo munito (*V.* not. 178) calcandæ vestigio : quæ peccatum primi patris in universa hominum carne cognoscens, spinis et tribulis [d], et serpentibus ac bestiis ferax, sententiam Creatoris exsequitur. Multæ præterea nobis in hoc seculo cruces, innumera discrimina, morborum labes, febrium ignes et dolorum tela grassantur in animas, cupiditatum faces (*b*) accenduntur, ubique prætenti latent laquei, undique stricti horrent gladii, inter insidias et pugnas vita transigitur, et per ignes doloso cineri suppositos ambulamus.

10. Igitur priusquam in aliquam tantarum ægritudinum labem casu vel merito actus incurras, festina medico susceptus et carus fieri, ut in tempore necessitatis paratum habeas remedium salutis [e]. Aliud est, quando tu solus oras pro te; et aliud, quando multitudo pro te apud Deum trepidat. Tu taces, et (*c*) cum taces, illi pro te clamant. Et vident te, et arrident. Inveniunt te, et adsalutant; et egestatis et debilitatis immemores, corpora ipsorum tua sanitate vegetantur, animæ tuo aspectu vigescunt. Tu quippe ager illis fertilis, tu fundus es **219** fructuosus; et illi vicissim tibi locuples et pretiosa possessio sunt. Te filiis suis præferunt, et pro te prius quam de se quisque sollicitus, aut cum sua, aut ante suam salutem orat tuam. Non sui negligentes, sed amore translato, in te quisque se diligit, et tuam vitam suæ vitæ precatur; quia tuus fructus illius vita est, et divitiæ tuæ illius opes, (*d*) et paupertates tuæ illius divitiæ sunt. In omnibus ecclesiis pro te rogant, in omnibus plateis tibi gratulantur; et in locis singulis ad commemorationem tui nominis eriguntur benedicentes Dominum, et absentem te in suis manibus exosculantur [18]. Semper te vident, et numquam te non vident, quia animo complectuntur, quo cernimus absentes. Inscriptus es enim et impressus [19] cordibus eorum per multam tuam in eos humanitatem. Nec famem metuunt, securi ciborum tuorum : neque hiemem pertimescunt, quia tu prævenis et excludis hiemem vestium præparatu. *Beatus homo, quem veniens* B *Dominus inveniet ita facientem* [f] !

EPISTOLA * XXXV.

Paulinus commendat Delphini precibus animam demortui fratris sui, et seipsum.

Beatissimo et venerabili semper nobis (*e*) desiderantissimo Patri DELPHINO, PAULINUS.

Breves sanctæ affectionis tuæ litteras magno affectu nobis copiosas, in toto, quo desideravimus, corde suscepimus. Sed quia *omni rei tempus est* [g], nunc,[1] ut in tempore contristationis, tempus etiam breviandi sermonis esse visum est. Contristatos autem nos vehementer fatemur, non tam de obitu corporali fratris nostri, quam de negligentia ejus spiritali, qua relinquendarum istic potius curarum, quam providendorum illic remediorum memor, posthabenda C præposuit, et præponenda posthabuit [h]. Quem oportuit et illa potiora pro se curare, et hæc temporalia pro filiis non prætermittere. Unde petimus ut paterna affectione compatiens huic nostro dolori, meminisse digneris, et illum quondam spiritalem tibi filium gratia Dei fuisse progenitum, et ideo tuæ specialiter curæ hanc esse causam, ne pietatem tuam, quæ nobis filiis gloriabatur, dilapidata hereditariæ portionis substantia confundamus [i] : sed potius ut orationibus tuis condonetur tibi, ut et illius animam vel de minimo sanctitatis **220** tuæ digito (*f*) distillans refrigerii gutta respergat [j], et nobis, dum tempus est, recurrentibus ad te et clamantibus : *Pater, peccavimus in cœlum et in te; jam non sumus digni vocari filii tui* [k] : pro confessione peccati divina miseratio te interveniente succurrat. Ne pro absumta patris æterni sub- D stantia, quam quotidie peccata nostra dilapidant, obruamur pudore redeundi, et in longinqua regione (*g*) com-

[a] I Pet. v, 8. [b] Prov. xiv, 12, et xvi, 25. [c] Psal. xvi, 12. [d] Gen. iii, 18. [e] Eccli. xxxviii, 1. [f] Matth. xxiv, 46. [g] Eccl. iii, 1, sec. LXX. [h] II Cor. xii, 14. [i] Luc. xv, 13. [j] Luc. xvi, 24. [k] Luc. xv, 18.

* Alias 19; quæ autem 35 erat, nunc 43. Scripta anno 403.

(*a*) Ms. Vien. codex et edit. Chiffl., *sæpe se gressibus*. Melior et verior vulgata lectio quam retinemus. Vide ea quæ præcesserunt et subsequuntur.

(*b*) Ms. Reg. et edit. Chiffl., *accedunt*, mendose, ut nobis videtur.

(*c*) Hæc duo verba absunt a ms. codice Vien. et edit. Chifflet.

(*d*) Ita editi quatuor cum ms. Vatic. Optima lectio. At quo sensu mss. Reg. et Vien. et edit. Chiffl., *et divitiæ tuæ illius opes paupertati divites sunt?* Ms. Reg., *pauvertatis*.

(*e*) Ita mss. Reg. et Vien. At editi habent, *desideratissimo*.

(*f*) mss. Reg., *destillans*. Sic omnes codices ad epist. 23 ad Severum, n. 33, in fine, *quasi rores in hac seculi nocte destillant*, et n. 36, *guttam cœlestis sapientiæ destillare*. Utraque lectio recepta. Vide ep. 19, n. 3.

(*g*) Ex ms. Viennensi codice emendavimus, *commorati*. Edit. Schot., *commorantes*. Ante erat *commorantium*.

morati in custodiam escamque porcorum indignam, quod nefas est, deducamur [a].

EPISTOLA * XXXVI.

Amandi Burdegalensis presbyteri precibus animam sui fratris et seipsum commendat. Successit postea Amandus ille in Burdegalensi episcopatu S. Delphino, et inter sanctos ipse quoque recensetur in Romano Martyrologio 14 kalend. Julii.

Sancto et merito venerabili, ac dilectissimo AMANDO, PAULINUS.

1. Dulcissimum oris vestri gustum in brevi sanctitatis vestræ sermone libavimus. Nam sicut mellis gutta idem sapit quod totus favus, sic et in uno licet verbo stillicidium linguæ vestræ totum sanctæ animæ vestræ saporem refert : quia quidquid de bono thesauro promitur, bonum atque pretiosum est [a]. Nec ideo margarita vilis est, quia exigua; sed ideo magis pretiosa, quia et in exiguo modo magnum pretium habet, ita ut, sicut Evangelica quoque testatur autoritas [b], profligatis etiam comparanda patrimoniis appetatur [1]. Sed et granum sinapis, quod minimum videtur in semine, maximum tamen exstat in olere. Cujus seminis verbum quia in vobis satum est, et in corde vestro viget, unde cor ardens habetis in via Domini [c], ideo etiam brevis sermo vester dulcedinem simul ac vigorem verbi cœlestis tenet, et nobis ministrat, ut nos etiam vestræ prudentiæ sale condiamur [d].

2. Et ideo nos quoque imitabimur in hac epistola parcimoniam [2] sermonis vestri, etsi plenitudinem sensus vestri non (*a*) valeamus imitari; hoc tantum respondentes, quod præcipue cum hæc scriberemus, curæ nobis erat ex recenti dolore fraternæ divulsionis : quem etiamsi temporaliter ab hoc seculo sciamus assumtum [3], in illo nobis cito consequendum, tamen ea verius causa **221** obisse lugemus, quia ex his quæ gesta ab ipso (*b*) in finem ejus vel ordinata sunt, peccatis magis nostris quam votis congrua egisse perspeximus, ut mallet ad Dominum debitor transire quam liber. Ob hoc impense rogamus, ut quasi frater, quod nobis in Domino esse dignaris, unanimos fratres juvans [e], et hanc meritis fidei tuæ mercedem accumules, ut pro eo infirmitati nostræ compatiaris, et orandi labore conspires; ut *misericors et miserator Deus, qui facit omnia in cœlo et in terra, et in mari, et abyssis* [f], refrigeret animam ejus stillicidiis misericordiæ suæ per orationes vestras. Quia sicut ignis accensus ab eo ardebit usque ad inferos deorsum [g], ita proculdubio etiam ros indulgentiæ ejus inferna penetrabit, ut roscido pietatis ejus lumine in tenebris ardentibus æstuantes (*c*) refrigeremur.

3. Ora et pro nobis, ne in peccatis nostris moriamur; notum faciat nobis Dominus finem nostrum, ut sciamus quid desit nobis [h], et properemus adimplere quod restat; ut non revolvamur in medio dierum inanium [i], texentes operibus vacuis araneæ telam [j], sed dies pleni inveniantur in nobis [k]; ut simus [k] pueri centum annorum morientes [l], id est, *malitia parvuli, et sensibus perfecti* [m]; Ita (*d*) fiat, ut mortui superstitibus exemplo bono salubrem pœnitentiam relinquamus : neque septem dies luctus noster excedat [n], si consentiamus in hujus vitæ via adversario nostro [o], id est, spiritui ac verbo Dei, quod nobis peccantibus adversatur. Nam et *Spiritus arguit mundum de peccato* [p]; et sermo Dei, ut Dominus in Evangelio contestatur, si ei non pareamus, accusator noster erit, et tradet nos judici Verbo [q], qui rationem talenti sui usque ad novissimum quadrantem exiget; et, nisi *exercitio pietatis*, quæ *ad omnia utilis est* [r], duplicatum pecuniæ suæ fenus receperit [s], otiosæ fidei partem cum infidelibus ponet [t] [4] : quia proximus infideli est, qui mortuam sine operibus fidem vacuo [5] Christiani nomine gerit [u]. Et hic est insipiens, cujus luctus omnis temporis est [v], quia timorem Domini non habens, caput sapientiæ non tenuit. Et factus in cauda est [x], quia non habitat in medio domus, qui *diligens iniquitatem odit animam suam* [y], et traditus ministro inferni carceris, *mittitur in tenebras exteriores* [z], quia secundum exteriorem hominem vixerit. Propterea hic sine fine lugendus est, quia **222** in ignem damnandus æternum sine fine morietur.

4. *Pacem ergo habeamus ad Dominum* [aa], pacem non hujus mundi [bb], quæ amica peccatis Deo dissidet; sed pacem Christi, quæ cum Deo conserit [7], et nos Christo conformat, si adhæreat Verbo [8] Dei anima nostra [cc], ut efficiamur unum cum Deo per interventum mediatoris, qui est pax nostra; quia *fecit* [9] *utraque unum* [dd], naturas discordes Dei et hominis in se copulans; et in nobis duo unum faciens, id est, carnem animæ spiritali consentientem; et tunc ignis in medio nostrum manebit, seu harum in nobis duarum vel (*e*) eum spirituum (*V*. not. 179) trium consensus invitet, ut faciat in corde nostro sibi placitam cum Patre et Spiritu mansionem [ee], et vicissim nos ubi ipse est ducat, dicens : *Intrate in gaudium Domini vestri* [ff] (*f*).

[a] Matth. XII, 35; Luc. VI, 45. [b] Matth. XIII, 46; Matth. XIII, 32. [c] Luc. XXIV, 32. [d] Col. IV, 6. [e] Prov. XVIII, 19. [f] Psal. CXXXIV, 6. [g] Deut. XXXII, 22. [h] Psal. XXXVIII, 5. [i] Psal. CI, 25. [j] Job, VIII, 14. [k] Psal. LXXXIX, 9, et LXXII, 10. [l] Isai. LXV, 20. [m] I Cor. XIV, 20. [n] Eccl. XXII, 13. [o] Matth. V, 25. [p] Johan. XVI, 8, et XV, 22. [q] Matth. V, 25. [r] I Tim. IV, 8. [s] Matth. XXIV, 51, et XXV, 27. [t] Luc. XIX, 23. [u] Jacob. II, 17. [v] Eccli. XXII, 13. [x] Deut. XXVIII, 44. [y] Psal. CI, 7, et X, 6. [z] Matth. XXII, 13. [aa] Rom. V, 1. [bb] Johan. XIV, 27. [cc] I Cor. VI, 17. [dd] Eph. II, 14. [ee] Johan. XIV, 23. [ff] Matth. XXV, 21.

* Alias 20; quæ autem 36 erat, nunc 43. Scripta anno 403, et missa cum superiore.

(*a*) Ita mss. codices. Editi, *valemus*.

(*b*) Sic manuscripti codd. Reg. et Vien. Editi, *ad*.

(*c*) Edit. Rosv., *refrigerentur*.

(*d*) Ita mss. et Reg. Vien. et editi codices quatuor. Edit. Rosv., *fiet*.

(*e*) Sic emendavimus ex ms. codice Viennensi. Edit. Rosv., *seu horum in nobis duorum vel conspirituum trium*. Sacchinus, *cum spiritu trium*. Vide not. 176.

(*f*) Editi codices Grin. et Rosv. addunt in fine, *Opto ut valeas* : quæ verba cum a manuscriptis et tribus editis codicibus abessent, expunximus.

EPISTOLA * XXXVII.

Dolet per sua peccata factum ut Victricius, cum Romam venisset, ad se non perveneril. Laudat hominem de apostolico evangelizandi munere, deque toleratis adversariorum vexationibus. Postremo eum ad constantiam rectæ doctrinæ et omnium virtutum hortatur.

VICTRICIO (a) unanimo fratri PAULINUS.

1. *Sicut aqua frigida sitienti, et bonus nuntius de terra longinqua* [a], ita nobis refrigerio et refectioni fuit eloquium sanctitatis tuæ, quod per epistolam [1], brevem quidem verbis, sed caritate prolixam, in manu carissimi portitoris accepimus, hoc est, filii nostri Candidiani; cujus gratiæ congratulati sumus, quia propter verba labiorum sanctorum prompto spiritu impigrum carnis infirmæ jumentum angariavit in vias duras [b], non virtute, sed fide fretus. Et sine dubio per orationes tuas, quasi pennas columbæ aut pedes cervi [c] ad implendum caritatis ministerium roboratus accepit, et inde in parvo corpore *quasi gigas factus, exsultavit ad currendam viam* [d]; et replevit animam nostram benedictione dulcedinis, afferens [2] nobis epistolas *desiderabiles super aurum et lapidem pretiosum nimis, et super mel* [3] *et favum dulces* [e]. Quibus mentem nostram de peccatis amaram, quasi (b) merram illam (c) in manu Moysi per lignum mysterii [f], ita beatitudinis **223** tuæ sanctus et dulcis afflatus in dulcedinem lætitiæ spirituali suavitate mutavit. Nam et inde tristati amaritudinem duxeramus, quod ex Urbe ad nos, sicut sperabamus, brevi itinere non veneras, qui ad Urbem per tanta terrarum spatia perveneras. Fateor enim me hujus boni damno non solum contristatum, sed et confusum fuisse: numquam enim [4] magis mihi ipsi, ne dicam aliis, manifestata fuerant peccata mea, quam quod mihi de tam proximo vultus tui lumen inviderant. Numquid enim Dei manus, quæ tam longe te perduxerat, prope non valuisset adducere? Sed peccata nostra grandi muro desideriis nostris opposita, inter nos et te separaverunt [g]. *Væ mihi misero peccatori immunda labia habenti*, qui audeo dicere te prope nos, vel nos prope te fuisse: cum, etiam si ad nos usque venisses, æque tamen a sanctitate tua longe fuissemus [5]: neque enim locis potuisset æquari aut conjungi tanta virtutum distantia et longinquitas meritorum.

2. Verumtamen fructibus sanctitatis tuæ opus istius pietatis (d) accesserat (*forte leg.* accessisset), et merces in cœlo tua de tam pio labore crevisset, si et circa infirmitatem nostram facie et manu tua comminus visitandam, verbum illud Domini salutaris implesses, quia *non est opus medico sanis, sed male habentibus* [h]. Nolo te enim, benedicte vir (e) Domino, ita securum esse de nobis, ut putes jam sanatos esse omnes languores animæ nostræ, in quibus Domino peccavimus et peccamus: quamlibet ipse summus unguentarius, qui ad remedia salutis nostræ conficit varias unguentorum salutarium atque virtutum suavitates, medicamentum vitæ nostræ non solum de effusione spiritus sui, sed etiam de corporis nostri assumtione confecerit; *factus*, ut scriptum est, *pro nobis peccatum per similitudinem carnis peccati* [i] in veritate carnis nostræ, *ut de peccato damnaret peccatum* [j] hoc est, radicem peccati nostri ipse peccati liber de materia prius peccatrice damnaret, *delens* illud *quod adversum nos erat* mortalis *edicti chirographum* [k] per sanguinem passionis suæ, et *inimicitiam*, qua separabamur a Deo peccatis intervenientibus, (f) *interfecit in semetipso* [l], et triumphavit potestates adversarias (*forte add.* in) carne sua, dans nobis exemplum vivendi atque vincendi in nobismetipsis spiritales et invisibiles inimicos spiritali et invisibili prælio, quod geritur inter legem mentis et legem carnis captivare nos nitentem in legem peccati [m].

3. Sed ora Deum [6], et exora, *ut apprehendat* **224** *arma et scutum, et exsurgat in adjutorium nobis, et dicat animæ nostræ: Salus tua ego sum* [n]; ne fiat via nostra tenebræ et lubricum, et operiat nos umbra mortis, et *dicat inimicus: Prævalui adversus eos* [o]. Te vero (g) tendente pro nobis arcum orationis, non convertemur [7] in arcum perversum. *Exsurgat in nobis Deus, ut dissipentur inimici nostri* [p]; quia *propter miseriam inopum et gemitum pauperum* [q], quorum participes sumus, *exsurrexit Dominus*, ut *averteret mala* nostra *inimicis nostris* [r], et *salvos faceret peccatores, quorum præcipui sumus* [s], sicut infimi [8] servorum Christi; qui nec ea quæ debemus, facere possumus [t]; cum et supra debitum legis aliquod voluntarium munus adjicere debeamus de affectu nostro, ut Magister ipse fecit, cujus tu imitator es; qui potestatem habens de Evangelio vivendi, noluit tamen uti potestate sua, et (h) abutens licito, hanc occasionem sibi cumulandæ apud Christum mercedis invenit, ut Evangelium sine sumtu poneret [u].

4. Tua vero sanctitas non solum de abusione licitorum et abstinentia commodorum visibilium Chri-

[a] Prov. XXV, 25. [b] Psal. XVI, 4 [c] Psal. LIV, 7, et XVII, 34. [d] Psal. XVIII, 6. [e] Psal. XVIII, 11. [f] Exod. XV, 25. [g] Isai. VI, 5, ex versione LXX. [h] Matth. IX, 12. [i] II Cor. V, 21. [j] Rom. VIII, 3. [k] Col. II, 14. [l] Ephes. II, 16. [m] Rom. VII, 23. [n] Psal. XXXIV, 2 et 3. [o] Psal. XII, 5. [p] Psal. LXXVII, 57, et LXVII, 2. [q] Psal. XI, 6. [r] Psal. LIII, 7. [s] I Tim. I, 15. [t] Luc. XVII, 10. [u] I Cor. IX, 18, et IV, 12; I Thes. II, 9; II Thess. III, 8.

* Alias 27; quæ autem 57 erat, nunc 13. Scripta anno 404 exeunte.

(a) Ms. Vien., *Sancto et merito venerabili, ac dilectissimo fratri Victricio, Paulinus.*

(b) Codices omnes, *myrrham.* Emendavimus *merram* ex ms. Germ. ad carm. 17 de reditu Nicetæ, v. 32. Sic mss. codices apud Augustinum, quæst. 56 in Exodum. Vide not. 244.

(c) Ms. codex. Vien., *illam manus Moysi.*

(d) Ms. Vien., *accederet*; forte leg. *accessisset.*

(e) Ms. Vatic., *in Domino.* Utrumque usitatum Paulino et scriptoribus sanctis.

(f) Ms. Vien. codex, *interfecerit..... et triumphaverit.*

(g) Mss. Vatic. et Reg., *intendente.*

(h) *Abutens licito;* id est *non utens.* Eodem sensu mox, *abusione licitorum;* et epist. 49 ad Macarium, num. 14, *non abutendum.* Item epist. 12 ad Amandum, num. 7, *Est sancta superbia quæ huic mundo superbit,.... omnibusque magnis ejus et dulcibus ac speciosis abutitur.*

stianæ paupertatis divitem gloriam tenet; sed, sicut A comperi, etiam de multitudine adversantium, et tolerantia tentationum; *quoniam insurrexerunt in te testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi* [a]. Sed nodus in scirpo et nævus in lumine non potuit inveniri: *non* enim *sub modio* latebat *lucerna* tua, quæ eminet et splendide fulget *supra candelabrum* sanctum, *ut luceat omnibus qui in domo sunt* [b]; et multis Domino accendendis luminaribus fomes existat. Et ideo inconcussum et stabile permansit candelabrum tuum, quia manibus humanis impellebatur ut caderet. Non autem merebaris ut illius manu in ruinam commoveretur, *qui habet septem stellas, et ambulat inter septem candelabra aurea, habens in ore gladium bis acutum* [c], quo armavit dexteram mentis tuæ, ut utriusque Testamenti (*a*) face candentia inimici jacula victor B exstinguas [d] et *cadant a latere tuo mille, et dena millia a dextris tuis* [e], tibi autem non appropinquent; (*b*) quem inexpugnabili scuto teget veritas Dei, ut arcus eorum infirmentur, qui in te dicuntur acuisse linguarum machæras. Sed ut *sagittæ parvulorum, ita infirmati sunt* (*c*) *ictus eorum* [f]; nec potuerunt in corpore armis Dei potentibus septo locum vulneris invenire; *Dominus enim protectio tua* [g], et Dominus illuminatio cordis tui, qui te in spiritu veritatis instruxit, ut in **225** doctrina Pauli magister sis gentium, cum fide et veritate, non in inflatione scientiæ, *neque in sublimitate sermonis* (*d*) *annuntias mysterium Christi, sed nihil te judicans scire inter homines, nisi Christum Jesum, et ipsum crucifixum* [h].

5. Cum ergo fides et confessio tua, ut credimus C atque confidimus coæternam Trinitatem unius Divinitatis et substantiæ, et operis et regni esse testetur; cumque Patrem Deum, et Filium Deum, et Spiritum sanctum Deum, ut est, *qui est, et erat, et venturus est* [i], qui misit te sicut Moysem et (*e*) apostolos evangelizare gentibus bona Domini: quod ita, ut ipse a Deo doctus es, doces, unitatem Trinitatis sine confusione jungens, et Trinitatem ipsius unitatis sine separatione distinguens [9] [j], ita ut nulla alteri persona conveniat, et in omni persona trium [10] Deus unus eluceat; et tantus quidem Filius, quantus et Pater, quantus et Spiritus sanctus; sed semper quisque sui nominis proprietate distinctus, individuam retinet in virtutis et gloriæ æqualitate concordiam.

6. Certi autem sumus quod et Filium Dei ita prædicas, ut eumdem et Filium hominis confiteri non D erubescas; tam vere hominem in nostra natura, quam vere Deum in sua; sed Filium Dei ante secula, quia ipse est Dei Verbum Deus, qui erat in principio apud Deum, æque Deus (*f*) coomnipotens et cooperator Patris. *Per ipsum enim omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil* [k]. *Et* hoc *Verbum*, pietatis immensæ mysterio, *caro factum est* [11], *et habitavit in nobis*. Non autem caro tantum corporis nostri, sed homo totus, et corporis nostri et animæ assumtione: animæ autem rationalis, quæ juxta naturale opificium Dei habet insitam mentem: alioquin [12] in tenebris Apollinaris (*g*) errabimus, si hominem assumtum Deo animam mentis humanæ vacuam, qualis est pecorum et jumentorum, dicamus habuisse; et eum hominem quem suscepit Dei Filius; qui necesse est ea veritate, qua veritas est, et qua creavit hominem, totum susceperit, ut opus suum plena salute renovaret. Nulla est autem salus nostra, nisi plena est; quia non hominem, sed aliud nescio quod (*h*) irrationabilis creaturæ animal suscepit Dei Filius, si mentem suam propriam hominis assumti anima non habuit, et contra naturam generis humani ille potissimum primogenitus omnis creaturæ homo in formam perfectionis humanæ assumtus in tantum mente sua indiguit, ut non de humano, sed de divino **226** spiritu mentem habuisse dicatur. Quod illorum ore dicitur [13], in quorum corde concipitur hoc venenum, ut et Veritas mentita sit. Sed prope te et in te est verbum veritatis et veritas Dei. Neque indiges Spiritu sancto, qui Dominum Jesum Dei Filium, Deum in gloria Dei Patris, et ad dexteram virtutis, Regem regum manere, et ex resurrectione mortuorum judicem vivis et mortuis adfore confiteris, et credis, et prædicas.

7. Memento nostri, et gloriare secundum Apostolum, quia hæc in brevi tentatio in æternum tibi gloriæ pondus operata est [l], et reposuit tibi coronam justitiæ, quam accipies de manu Domini [m]: et in victoriæ materiam tibi bellum excitari permissum est; ut et tibi secundum beatum Paulum doctorem tuum liceat gloriari in passionibus tuis [n], et dilatato super inimicos tuos ore, dicere quomodo laboraveris *in longanimitate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductor, et verax; sicut ignotus, et ecce agnitus; quasi castigatus, et non mortificatus; quasi tristis, semper autem gaudens; sicut egens, multos autem locupletans* [o]. Nam hæc ipsa tentatio sanctitatis tuæ multis in profectum Evangelii venit [p]: quia nemo in te confusus est, elucente gratia Christi et veritate fidei tuæ non solum in directione doctrinæ tuæ, sed etiam in virtute conversationis quæ in cœlis est [q]. *Non est enim*, inquit, *regnum Dei in sermone, sed in virtute* [r]. Quid ergo (*i*) quæritur, cum in te id, quod et verbo (*j*) præstat, emineat?

[a] Psal. XXVI, 12. [b] Matth. V, 15; Marc. IV, 21; Luc. XI, 33. [c] Apoc. II, 1, et I, 16. [d] Eph. VI, 16. [e] Psal. XC, 7. [f] Psal. LXIII, 4 et 9. [g] Psal. XXVI, 2; II Tim. I, 11. [h] I Cor. II, 1. [i] Apoc. I, 4. [j] Exod. V VI, VII, VIII, IX, X; Matth. XXVIII, 19; Actor. I, 8. [k] Joh. I, 3, et 14. [l] II Cor. IV, 17. [m] II Tim. IV, 8, [n] II Cor. XII, 9. [o] II Cor. VI, 6. [p] Philip. I, 12. [q] Philip. III, 20. [r] I Cor. IV, 20.

(*a*) Ms. Reg., *facie*. Ms. Vien., *acie*.
(*b*) Ms. Vien. codex, *cum te... tegat*. Ms. Vatic., *sum teget.... te*.
(*c*) Manuscriptus codex Vaticanus, *jactus*.
(*d*) Ms. Vien. et ed. Schot., *annuntians*.
(*e*) Ms. codex Vien., *Apostolum*.
(*f*) Ita mss. Reg. et Vien. ac editi quinque. Ed. Rosv., *omnipotens*. Sic Paulinus epist. 21 ad Amandum, n. 3, *coomnipotentem et coopificem Patri Filium*, dixit.
(*g*) Sic mss. Vatic. et Vien. Alii codices, *erravimus*.
(*h*) Ms. Vien., *irrationalis*.
(*i*) Manuscriptus codex Viennensis, *queritur*.
(*j*) Ms. Vien., *perstat*.

Quis enim dubitet in ejus spiritu fidem veritatis habitare, in cujus vita videt fidei exstare virtutem?

EPISTOLA * XXXVIII.

227 *Commendat insignem Apri a foro ac tribunali ad Christum transitum : admonet ne miretur, sed potius gaudeat se propterea despectui et odio esse mundo; cum jam inde ab initio Christus in suis talia patiatur. Concludit quo studio humanis rebus servitum est, serviendum divinis. Processit deinceps ad omnem virtutem Aper, et presbyter factus est : memoriam inter sanctos meruit* XVII *kalend. Octobris.*

Sancto et merito venerabili ac dilectissimo fratri Apro, Paulinus.

1. Lætatus sum in iis quæ scripsisti mihi [a], et secundum fidem tuam, quam corde conceptam ore testatus es, si me gratia Domini participem tanti spiritus faciat, spero quia in domum Domini ibimus; et quæ communi spe fideque (*a*) percepimus, pariter intuentes in facie veritatis, consona exsultatione cantabimus hymnum Deo nostro : dicturi Domino : Credebamus quia cinis et terra essemus [b], (*b*) si in hoc tempore ita confirmentur pedes nostri in atriis Hierusalem [c], ut terra et cinis esse actu et opere desinamus [d]; ita ut in spiritu humilitatis terram esse nos meminerimus, et esse fateamur Domino, ut per ipsum, quod damnatione peccati sumus, de reconciliatione gratiæ non esse mereamur. *Beatus es*, frater, *et bene tibi erit* [e], quia non carne et sanguine, sed Spiritu cœlestis Patris revelante, didicisti [f] quod te inconcussa fide tenere et libera voce profiteri sanctissimo ad me epistolæ tuæ fine firmasti, Christum Jesum crucifixum Dei Filium Deum, cui (*c*) flectitur omne genu terrestrium, cœlestium et infernorum [g]; et quem ad dexteram virtutis, et in gloria esse Dei Patris, omnis lingua confitetur. Hunc tu Dominum et Deum nostrum, quia *non æstimabitur alius ad eum* [h], toto arcanæ pietatis mysterio amplexus, Dominum et Deum Dei Filium ante secula, *factum ex semine David* [i] in hoc seculo; et nunc ex resurrectione mortuorum in spem æternitatis humanæ viventem in secula, ut est, credis; et ut credis, prædicas: et rudem esse te atque infantem Deo dices [i]? Vere quidem ex parte credo parvulum esse te factum, sed malitia; sensu autem te esse perfectum de professione fidei tuæ disco [j]; quia veritatis agnitio, quam apprehendisti in sermone breviato, sapientiæ plenitudo est [k]: et ideo ipse 228 Magister gentium, vas electionis et vas Dei qui in se Christum loqui, et se Spiritum Dei habere profitetur [l], *non in sublimitate sermonis* [m], neque in legis scientia gloriatur, sed omnem gloriam, qua vel Ju- A dæorum vel philosophorum sapientia inflatur, abjecisse se et æstimasse ut stercora protestatur [n], ut Christum lucrifaciat, et illius scientiæ damno hujus imperitiæ lucrum consequatur, ut dicat : Ego autem *nihil novi, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* [o]; In quo quoniam omnis sapientiæ et scientiæ plenitudo atque perfectio comprehenditur [p], (*d*) ut insultans huic mundo, et litteras ejus totamque (*e*) sapientiam vanitate spiritu celsiore despiciens, ait : *Ubi scriba, ubi sapiens, ubi conquisitor hujus seculi; nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi* [q]? Causamque hujus erroris ostendit quo ita percuti sapientia hujus seculi meruit, ut stultitia Deo sit; quia illi per arrogantiam sapientiæ tamquam suæ, cum nemo quidquam habeat nisi acceperit, stultitia videretur sapien- B tia Dei [r]. Bene igitur secundum justitiam Dei, stultitiæ ac sapientiæ versa vice, eo stulti esse damnantur, qui sibi non de Dei munere, sed de suo quasi proprio bono sapientes videntur.

2. Quo magis gratulor unanimitati tuæ quod illam reprobatam Deo [*] sapientiam respuisti, et cum parvulis Christi, quam cum sapientibus mundi habere consortium maluisti [s]. Inde jam et hanc gratiam mereris [*] a Domino, ut te, sicut indicare dignatus es pie glorians, oderint omnes : quod non fieret, nisi verus imitator Christi esse cœpisses. Non enim odisset hic mundus, nisi quod jam a se alienum, et sibi videret adversum [t]. Gaude et exsulta : jam et [*] in rudimentis tuis virtus perfectionis operatur. Perspicuum est quam fortiter credideris in Christo, cui jam C donatum est pro Christo pati. Vide quid dicat ipse Dominus, et intellige quam beatus sis. *Nolite mirari*, inquit, *si vos mundus odit, quia me prius odio habuit* [u]. *Si enim ex mundo essetis, amaret* utique *mundus quod suum esset* [v]. Et iterum : *Non est major servus domino suo. Si patremfamilias Beelzebub dixerunt, quanto magis domesticos ejus* [x]? Vide nunc, si licet ut servi pro Domino recusemus pati, quæ pro nobis servis suis Dominus ante sustinuit. O beata injuria, displicere cum Christo! magis nobis timendus est amor talium, quibus sine Christo placetur. *Nonne qui oderant te*, inquit, *oderam illos?* et addidit, *Perfecto odio oderam illos* [y]. Quod nobis cum horum societate commercium sit, cum quorum sorte discretio est?

229 3. Merito gloriaris, venerandissime [*] frater, D et in exsultatione dicis hinc te ipsum tibi credere quod Christianus sis, quia te odisse cœperint [*] qui diligebant, et despicere qui timebant; et ipse tibi conscius es, quia si tu ipse tanti [*] apud te esses;

[a] Psal. CXXI, 1. [b] Gen. III, 19. Eccli. X, 9. [c] Psal. CXXI, 2. [d] Gen. XVIII, 27. [e] Psal. CXXVII, 2. [f] Matth. XVI, 17. [g] Phil. II, 10. [h] Baruch, III, 36, sec. LXX. [i] Rom. I, 3. [j] I Cor. XV, 20. [k] II Cor. XIII, 3. [l] I Cor. VII, 40. [m] I Cor. II, 1. [n] Philip. III, 8. [o] I Cor. II, 2. [p] Colos. II, 3. [q] I Cor. I, 20. [r] I Cor. IV, 7. [s] Matth. XI, 25. [t] Johan. XV, 19. [u] Johan. XV, 18. [v] Johan. III, 13. [x] Johan. XV, 16. [y] Psal. CXXXVIII, 21 et 22.

* Alias 29; quæ autem 38 erat, nunc 16. Scripta forte anno 404.

(*a*) Sic emendavimus ex ms. Vien. codice. Alii, *præcipimus*.

(*b*) Ms. Vien., *sed in hoc confirmantur*.

(*c*) Ita mss. Vien. et Reg. Alii codices, *flecti* : utraque lectio recepta.

(*d*) Addidimus particulam *ut* ex ms. codice Viennensi.

(*e*) Vulgatam retinuimus lectionem quæ mss. codicum autoritate fulcitur, id est, *despiciens mundi sapientiam spiritu celsiore vanitate*. Edit. Schot., *sapientiam vanitatem*. Latin., *sapientiæ vanitatem*.

De pictura :

Sanctorum labor et merces sibi rite [47] cohærent,
Ardua crux, pretiumque crucis sublime, corona.
Ipse Deus, nobis princeps crucis atque coronæ,
Inter floriferi cœleste nemus paradisi,
Sub cruce sanguinea niveo stat Christus in agno,
Agnus ut innocua injusto datus hostia letho.
207 Alite [a] quem placida sanctus perfundit hiantem
Spiritus, et rutila Genitor de nube coronat.
Et quia præcelsa quasi Judex rupe superstat,
Bis geminæ pecudis discors agnis genus hædi
Circumstant solium : lævos avertitur hædos
Pastor, et emeritos dextra complectitur agnos.

De reliquiis [48] :

Ecce sub accensis altaribus ossa piorum,
Regia purpureo marmore crusta tegit.
Hic et apostolicas præsentat gratia vires
Magnis in parvo pulvere pignoribus.
Hic pater Andreas, et magno nomine Lucas,
Martyr [b] et illustris sanguine Nazarius;
Quosque suo Deus Ambrosio post longa revelat
Secula, Protasium cum pare Gervasio.
Hic simul [49] una pium complectitur arcula cœtum :
Et capit exiguo nomina tanta sinu.

18. Hæc interim, mi frater, et alia hujusmodi opera visibilia [50] de terrenis in terra labore [51] molieram [52] : sed *benedictus Dominus die quotidie, qui facit mirabilia solus* [c] : sicut *convertit petram in stagnum aquæ*, sic et terrena cœlestibus mutat ; et hanc nobiscum, quamquam de suis et hic et ibi rebus permutationem facere dignatur; ut quæ corporaliter molieram in terris, latenter in cœlis per ipsum ædificentur ; tuno revelanda nobis, cum specie (*an facie?*) videbimus [d], quæ nunc per fidem providemus. Itaque hic seminamus, et ibi (*a*) metimus [e] : hic spargimus, et ibi congregamus : hic vivimus, et ibi conversamur : hic accingimur, et ibi militamus : hic pugnamus, et ibi vincimus ; vel si istic vincimus, ibi coronamur. Ita quod istic manu struimus, illic fide condimus. Et harum nobis quamvis terrestrium ædificatio fabricarum si voto et studio spiritali struatur, beata cœlestium est præparatio mansionum [f]. Hæc enim ædificantes in Domino ex adeptu [53] fidei, ædificamur ipsi a Domino per ejusdem fidei profectum. Nam et evangelicus ille centurio [g] exemplum nobis est ad spem certam mercedis æternæ, hujus specialiter operis gratia recipiendæ ; qui ad promerendam filii sanitatem, et ipsum Dominum Jesum fidei suæ prædicatorem habendum eo potissimum [54] meriti valuit, quod plebs Domini, quæ tunc adhuc in Judæis tantum erat, illi de Synagogæ ædificatæ testimonio suffragata est [h].

19. Quid igitur miseri nunc quiescimus oscitantes [i], et quasi non conducti mercenarii, in tumultuoso hujus seculi foro vacua manu stamus ? vel si conductis nobis [55] debere patremfamilias [56] suum denarium cogitemus, ut aliquid in vinea ejus operemur, id **208** ipsum quasi indebitum gratumque [57] præstantes, imputare etiam meditamur Domino, tamquam A illi potius quam nobis profutura faciamus. O miseri homines ! largiri nos aliquid credimus : negotiamur, et liberales habemur, qui avarissimi esse convincimur; et quidem tanto avariores cupidissimis terræ feneratoribus, quanto amplius est cœlestia de terrenis, et beata de miseris egenisque rebus emere; quam terrena terrenis et labentibus lapsura mercari, et Dominum quam hominem fenerare [58] (*V.* not. 70). Damnatur in lege *qui pecuniam suam dederit ad usuram, et munera super innocentes acceperit* [j] : ecce Evangelii gratia ostendit nobis quomodo eadem crimina ad innocentiam sanctitatemque mutentur ; nec pœnæ, sed præmii retributio consequatur, si tantum in præcepta divina salutaris cupiditate fidei convertantur. Da ad usuram pecunias tuas, sed Christo; et salutaris usura est [k].

B 20. Item in seculo corrupti muneribus reorum judices condemnantur [l] : sed quisquis homo præventus in aliquo peccato, diffidens innocentiæ tuæ, affers [59] pretium salutis tuæ Judici nostro, ne verearis quasi corruptionis injuriam justitiæ Dei facere. Accipit a te Christus libens salutis tuæ pretium, quia *mavult* [60] *misericordiam quam sacrificium* [m]. Sed forsitan quæris, ubi illum invenies, et qua corrumpas [61] via quem non vides. *Surge*, inquit, *qui dormis, et* (*b*) *erige te a mortuis, et attinges* [62] *Christum* [n] : hoc est, discute carnalis inertiæ somnum, et depressam cogitatione terrena mentem a mortuis curis, hoc est conversatione carnali, erige, attollens et dirigens in Dominum animam tuam, et *attinges Christum*. Operando [63] præceptis ipsius, videbis eum C in omni paupere, tanges [64] eum in **209** omni egeno, recipies eum in omni hospite : quoniam sibi fieri ipse testatur quæ in ejus nomine minimis ejus fiant [o]. Ecce nobis jam constat quomodo videas invisibilem, et inapprehensibilem comprehendas. Ergo nunc istic pauperemur (*V.* ep. 40, num. 7), ut tunc ibi locupletemur. Nunc ploremus, ut tunc gaudeamus. Nunc esuriamus, ut tunc saturemur. *Omni*, inquit, *tempore pauperes vobiscum habetis* [p]. Vides quia nulla nobis occasio est beneficentiæ umquam procrastinandæ, cum, si voluntas nostra non absit, pauper in promptu sit.

21. Commodemus ergo securi nunc egeno [65], et in pauperibus suis Christo, ut ex ejus abundatura in iisdem gloria participare possimus. Propterea enim Dominus ipse præmonet, dicens : *Facite vobis amicos* D *de iniquo mammona*. Vides quomodo Omnipotens faciat de nocte lucem, et de iniquitate justitiam? *Ut cum defeceritis*, inquit, *recipiant vos in tabernacula æterna* [q]. Quia vicissitudine quadam copiæ vel inopiæ humanum genus temperatur, quod in illo inferno divite, et superno paupere evangelicus sermo patefecit [r], ut intelligamus consilium communis Autoris, quo divitem pauperi, et pauperem diviti præpa-

[a] Not. 174. [b] Not. 175. [c] Psal. LXVII, 20 ; Psal. LXXI, 18 ; Psal. CXIII, 8. [d] II Cor. III, 18 ; I Cor. XIII, 12. [e] Galat. VI, 8. [f] Johan. XIV, 2. [g] Matth. VIII, 5. [h] Luc. VII, 5. [i] Matth. XX, 6. [j] Exod. XXII, 25 ; Lev. XXV, 36 ; Deut. XXIII, 19 ; Psal. XIV, 5. [k] Prov. XIX, 17. Eccli. XXIX, 1. [l] Exod. XXIII, 8 ; Deut. XVI, 19. [m] Oseæ VI, 6, sec. LXX ; Matth. IX, 13. [n] Ephes. V, 14. [o] Matth. XXV, 40. [p] Matth. XXVI, 11. [q] Luc. XVI, 9. [r] Luc. XVI, 19.

(*a*) Ante erat *metemus*. Correctionem nostram probant ea quæ sequuntur.

(*b*) Ita ms. Reg. cum editis quatuor. Vera lectio quæ confirmatur ex sequentibus et ex epist. 9 ad Amandum, num. 2. Ms. Vatic. cum edit. Rosv., *erigere*.

ravit, ut abundans egenti substantia alimoniæ sit, et opulento inops materia justitiæ: *ut fiat*, sicut Apostolus dixit [a], *æqualitas*: et in illo seculo repensanda illis egestate præsenti opibus æternis, redundet illorum abundantia ad inopiam nostram, si nostra istic abundantia ad illorum indigentiam commodaverit. Seminemus ergo illis carnalia [66], ut metamus ab illis spiritalia. Laboret nunc de terrenis manus, ut tunc de cœlestibus anima reficiatur. Spes præsens ædificet rem futuram [67]. Faciamus istic tecta quæ nos illic tegant. Pascatur istic pauper, ubi me divite eget; ut me illic pascat, ubi me egente saturabitur. Videte commercium spiritale; et, si potestis, negate nos avaros, qui terram vendimus et tributum, ut immunitatem regni cum æternitate coemamus.

22. Fragilem arenam jacimus, ut domum fundemus æternam, et de vilibus attingamus astra cæmentis [b]: de quibus non illam confusionis et superbiæ turrem [68] destruendam opere irrito machinamur, sed in ipso angulari lapide fundamur [c], ut surgamus per ipsum in ipsius plenitudinem, qui est *turris fortitudinis a facie inimici* [d]. Hanc ipse nos turrem ædificare [e], computatis ante sumtibus, jubet, ne interrupta ædificatione defecti, temeritatis improvidæ notam et dignam irrisionem frustra [69] audacis ignaviæ perferamus. Sumtus [70] autem noster fides firma est. Ergo et secundum veritatem Dei credens, qui spes, et opes et vires suas Dominum Jesum habet, ejus omnis **210** ædificatio compacta crescit [f], et surgit in conscensionem in plenitudinem Dei. Itaque *nisi Dominus ædificaverit domum, vano ædificantes labore* [g] sudabimus. Sed ne, vel perfecta licet, cooperante Domino, ædificatione, resupini securas manus remittamus, adjicit Scriptura divina, quod etiam ædificatam domum nisi Deus idem custodiat, irrita servantium cura vigilabit [h].

23. Oremus ergo Dominum, ut dum nos illi foris ædificamus domicilia quæ videntur, ille in nobis intus ædificet illa quæ non videntur, *domum* videlicet illam, ut Magister (*id est* Paulus. V. ep. 23, n. 24) ait, *non manufactam* [i]: quam ingressi intelligemus in novissimo, *videntes* scilicet *facie ad faciem quod in ænigmate nunc videmus, et ex parte cognoscimus* [j]. Sed nunc, dum adhuc in tabernaculo istius corporis constituti, quasi sub illius antiqui tabernaculi pellibus in deserto et tentoriis agimus [k], præcedente nos per istius orbis aridam Dei verbo, vel *in columna nubis* [l], ut *obumbret* [71] *super caput nostrum in die belli* [m]: vel *in columna ignis, ut cognoscamus in terra* cœlestem *ejus viam* [n]; oremus, ut per hæc nunc Ecclesiæ *tabernacula ingrediamur usque ad domum Dei* [o]; ubi et ipse Dominus, ille summus et *factus nobis a Domino* [p] et *excisus a monte*, et idem auctus in montem *lapis* exstat, qui *est mirabilis in oculis nostris*.

A Ipse se nunc ædificationi nostræ et fundamento præstet et culmini, quia ipse est *initium et finis*. Super eamdem petram, nam [72] et *petra Christus est*, extra quam nemo potest domum stabilem fundare, non stipulam, aut fenum, et paleas, sicut in Ægypto servientes in cophino, manus congerant; ne luteis ædificiis operum sordidorum laterem, ut aiunt, lavemus, et incurvati oneribus laborum servilium devertamus dorsum nostrum a Domino [q]; (*a*) quia ut conversos ad se reficit lumine, ita aversos afficit cæcitate.

24. Videamus autem ædificantes, quid de nostra fragili terrenaque substantia dignum divino fundamento superædificare possimus [r], ut ab ipso [73] principali lapide vivificati, lapides in fabricam templi cœlestis aptemur. Aurum sensus nostri et sermonis
B argentum conflemus in Christo, ut nos in hujus mundi fornace purgatos [s], aurum ignitum, et moneta imaginis suæ dignum [74] ipse placitarum sibi animarum discussor efficiat, nosque ipsos illi de operibus luminis pretiosos lapides afferamus. Neque in cordibus ligni duritia stolidi, neque in operibus fenea siccitate aridi, neque in fide vel caritate mobiles et infirmi levium fragilitate palearum; sed ut opus arbitrii nostri non arsurum paretur, et inconcussum pacifica operatione consurgat, oremus Altissimum eam pacem ædificationis nostræ [t], qua paries ille aliquando in templi murum factus **211** est, ut *malleus, et securis, et omne vas ferreum non audiatur in ea* [u]: nec sicut postea in ejusdem templi reparatione, inimica Persarum invidia fabricam resurgen-
C tem hostilis impediat et interrumpat incursus [v]. Sic enim in domum orationis et pacis perficiemur, si nulla nos carnalium cogitationum cura concidat, nullus quietem nostram seculi tumultus interstrepat. Malleus enim nobis cura victus et cura vestitus est: securis et ferrum nobis cupiditas temporalium, et nocturnus mortis timor, et livor inimicus, et res hujus seculi; in cujus aut malæ cura, aut bonæ amore [75] anima conditur [76], mens compeditur; et pax bonæ voluntatis, quæ compositis religioso silentio sensibus confirmatur, atque orationis intentio, quæ inoffensa de libero et puro corde dirigitur, carnalium oblatratione curarum, quasi interstrepente malleo, vel securi feriente, convellitur. Sed *quia major est qui in nobis est quam qui in hoc mundo* [x],
D potens est *Dominus conterere Satanam sub pedibus nostris* [y], ut impleatur et illa pro nobis prophetia: *Contritus est malleus universæ terræ* [z].

25. Expedit autem nobis, ut etiam ædificatum cordis nostri templum sæpe Dominus Jesus revisat, veniens in flagello timoris sui, ut ejiciat de nobis mensas nummulariorum, et venditores boum vel columbarum [aa]; ne quod avaritiæ commercium animus noster exerceat, neque in nostris sensibus tar-

[a] I Cor. VIII, 14. [b] Gen. XI, 4. [c] Ephes. II, 20. [d] Psal. LX, 4. [e] Luc. XIV, 28. [f] Ephes. II, 21. [g] Psal. CXXVI, 1. [h] Ibid. [i] II Cor. V, 1. [j] I Cor. XIII, 12. [k] Exod. XXV, 40, et XXVI, 30. [l] Exod. XXIII, 20; Exod. XIII, 21, et XIV, 19. [m] Psal. CXXXIX, 8 [n] Exod. XIII, 21; Psal. LXVI, 3. [o] Psal. XLI, 5, juxta Psalt. Rom. [p] Psal. CXVII 23. [q] Psal. LXXX, 7. [r] I Cor. III, 10. I Pet. II, 5. [s] Sap. III, 6. [t] Psal. CXXI, 6. [u] II Reg. VI, 7, sec. LXX. [v] I Esd. IV, 4. [x] I Johan. IV, 4. [y] Rom. XVI, 20. [z] Jer. L, 23. [aa] Matth. XXI, 12, Marc. XI, 15.

(*a*) Reposuimus *quia*, ex mss. Reg. et Vien. et editis codicibus quatuor. Edit. Rosv., *qui*.

ditas boum stabulet: quia *ubi non sunt boves, præsepia munda sunt* [a]. Neque simus innocentiæ nostræ vel divinæ gratiæ venditores, ne faciamus orationis domum speluncam latronum [b]. Expurgatis enim omni malitiæ fermento sensibus nostris [c], inambulabit libenter Dominus noster Jesus Christus: et velut in illis quinque porticibus spatiabitur Sapientia [77] [d], virtus Dei, quæ *sanat omnes languores nostros* [e]. Nam et in anima nostra multi, sicut in illa ad piscinam olim medentem porticu, jacent ægri et debiles (*a*): quam si adeat Dei verbum, et avaritiæ lepram, et invidiæ ferruginem, et intemperantiæ cæcitatem, et iracundiæ phrenesim, et luxuriæ paralysim, præcepto medente, depellet; et nos non solum ad sanitatem innocentiæ, sed etiam ad firmitatem patientiæ refectos, jubebit illico non solum exsurgere de infirmitatis lectulo, sed etiam ipsum lectum tollere, ut portemus validi quo portabamur infirmi [f]. Quod profecto etiam in spiritali vel ægritudinis vel sanitatis nostræ genere [78] completur, cum carnem nostram, cui ut lectulo dediti jacebamus in vinculis vitiorum et infirmitate virtutum, postea in verbo Dei per gratiam Jesu Christi ad bonam incorruptamque mentem, renovato interiore, sani [79] quasi **212** grabatum illud tollimus [80], et spiritu prævalente portamus, ferentes ipsam sequentem quo volumus: in qua infirmabamur exspectantes alienam opem, semperque præventi celeritate piscinam occupantium: quia non erat qui porrigeret manum, neque qui salvos faceret; donec ipse legatis et angelis major (quippe ut prophetarum et angelorum Dominus) adveniret, et omnem infirmitatem nostram miserando susciperet [g], assumendo purgaret, *et animam esurientem repleret bonis*, *et juberet nos abire in domum* nostram, illam (ut supra dixi) *non manufactam* [h]: in qua vox lætitiæ et salutis, et ipse omnibus suis Christus habitatio, et regnum, et rex erit, testante Apostolo: Quia *semper cum Domino erimus* [i]: cui honor, et gloria, et potestas in secula [81].

EPISTOLA * XXXIII.

Scribit Alethio qui aliquid operis a Paulino poposcerat, et dicit se minus idoneum qui ejus satiare valeat desiderium. Is Alethius postea in episcopatu Cadurcensi successit Florentio fratri. (*Vide Dissert.* 3, *num.* 2.)

Beato et merito venerabili [1] ac dilectissimo fratri Alethio (*V.* not. 176), Paulinus.

1. Deo gratias, qui odorem gratiæ in te suæ per eloquia [2] litterarum tuarum manifestavit mihi [j]. Per fratrem enim carissimum in Deo Victorem meum, hoc munere militantem Deo, ut fraternæ serviat caritati, seque nobis per longinqua terrarum intervalla discretis (*id est separatis, distantibus*; *vid.* ep. 29, n. 9), impigrum annuis discursibus tabellarium præbeat, et religiosissimis officiis mutuo visitantium corporalem laborem spiritali impendat affectu: per hunc ergo fratrem et conservum in Domino, qui communis et unanimus; nam et vobis ea se, qua nobis insitus est, acceptissimum gratia gloriatur, per hunc, inquam, mihi sancte venerabilis frater, tam dulce quam insperatum mihi munus accepi, epistolam tuam; in qua nobis bonus cordis tui thesaurus apparuit [k], ut merito percepta officii tui benedictione gauderem, cum faciem interioris tui castissimo speculatus eloquio, quantum in te mihi a Domino adjutorium (*b*) conferat, agnoscerem.

2. Sed in iis quæ mihi injungenda dives inopiæ æstimator putasti, sanctam quidem purissimæ caritatis fiduciam demonstrasti: fama tamen, quantum intelligo, Dominici operis persuadente inductus es, ut secundum opus Domini, quo nobis [3] curam redemtionis nostræ inspirare dignatus est, ingenii quoque et oris opes suppetere nobis arbitrareris. **213** Sed bonam concupiscentiam magna fide vacuis opinionibus spes illusa decepit. Unde enim mihi tantum aquæ, quantum sitis? unde tale [4] poculum, quod digne bibas? unde (*c*) tanti panes, quantos postulas [l]? Sed ipse tibi autor injuriæ tuæ eris diutius esurire, qui evangelicos lucis et vitæ cibos in alta hujus seculi nocte desiderans, somnolenti et pauperis amici egenam penum pulsas; qui flumina aquæ vivæ sitiens [m], arentem venulam scalpis, et humorem de pumice conaris exprimere. Aut enim nullus mihi de inspirantiæ (*Latin. et Sacchin. forte* insipientiæ) siccitate, aut amarus de malitiæ felle fons intus est; quem utinam orationes et litteræ tuæ sæpius impensæ mihi (*d*) exundare ac dulcescere faciant fidei tuæ ligno, et eloquii suavitate [n]; ut et verbo Dei, quod bonus minister pio ore deprompseris, quasi virga prophetæ percusso (*e*) cordis [x]. (*Cetera desunt.*)

** XXXIV SERMO

DE GAZOPHYLACIO [1] (*V.* not. 177).

Eloquenter, erudite ac pie beneficentiam in pauperes prædicat.

1. Non frustra, dilectissimi mei, jumentis præsepe ponitur, neque tantum ad speciem videndi jacet; mensa etenim quædam est, quamlibet irrationabilium animantium, tamen ab hominum ratione composita, ut per eam quadrupedia cibum capiant. Quod si ii qui præsepia ædificare curaverint negligant pabulum inferre, (*f*) proclivius tabida inopi stabulo jumenta deficient, et non pascentia fames depascitur animalia. At illi dignum negligentia vel avaritia damnum de

[a] Prov. XIV, 4, juxta LXX. [b] Matth. XXI, 13; Luc. XIX, 46. [c] I Cor. V, 7. [d] Johan. V, 2. [e] Psal. CII, 3. [f] Johan. V, 8. [g] Isai. LIII, 4. [h] II Cor. V, 1; Psal. CXVII, 15, sec. Psalt. Rom. [i] I Thess. IV, 16. [j] II Cor. II, 14. [k] Matth. XII, 35. [l] Luc. XI, 5. [m] Johan. VII, 38. [n] Exod. XV, 25. [o] Exod. XVII, 6.

* Scripta videtur anno 403.

** Alias Epistol. 34. Forte anno 403, et missus cum superiore epistola.

(*a*) Ms. Reg., *quæ si audiat.*

(*b*) Ita ms. Vien. et edit. Chifflet., favente edit. Schot. Alii codices, *conferam.*

(*c*) Sic ms. codex Vien. cum edit. Chiffl. Alii, *tantos.*

(*d*) Ita emendavimus ex ms. Vien. et editis Chiffl. et Schot. Ms. Reg. cum tribus editis, *exundarent, dulcescere.* Rosv., *exundanter dulcescere.*

(*e*) Ita omnes codices præter Vatic. et Rosv., in quibus *corde.*

(*f*) Sic reposuimus ex ms. codice Viennensi, edit. Chifflet. et Latin. Ante erat *proclivi.*

toto capessent, quibus præsepis parandi tantum labor A fuerit, et replendi cura defuerit : pariter enim cum animalibus mortuis et usum præsepis amittent; duo gravia damna juste ferentes, qui unum necessarium utilis impendii sumtum pepercerint ministrare. Hoc igitur exemplo, dilectissimi, cavere debemus, ne damnum animæ et dispendium salutis adeamus, negligentes in Ecclesia positam a Domino mensam indigentibus, quam despicientibus oculis intuemur, aut aridis manibus præterimus. Absit, quæso, ab animis vestris tale contagium. Facile enim serpit cancer avaritiæ in præcordia nullis misericordiæ munita visceribus, captamque vipereis alligat vinculis animam, si ab operibus bonis nudam, et materia captivitatis, **214** hoc est, infructuosis opibus abundantem serpens inimicus invenerit. Non patiamur ergo mensam B Domini, et nobis vacuam, et egentibus inanem relinqui; et visui tantum stare, non usui; ne de negligentia nostra esurientibus expressi gemitus in nos retorqueantur. *Qui* enim *spernit pauperem exacerbat*, ut scriptum est, *eum qui fecit illum* [a], hoc est, communem omnium Creatorem : qui sicut refectione inopum gaudet, ita defectione tristatur.

2. Excitemus ergo nos ab inertiæ somno, et, vel ut negligentiæ torporem discutiamus, vel avaritiæ vincla [3] rumpamus, inspiciamus diligenter in omnia verba, præcepta, promissa, opera, consilia Salvatoris nostri Dei; reputemusque nobiscum, cur hæc mensa, et quo autore proposita sit in atriis domus Domini, in conspectu omnis populi ejus; quodque maxime [4] C considerandum est, cui bono, qua gratia, in quem fructum locata (*a*) præniteat et pateat. Consule ipsa veritatis oracula, et respondebit tibi propheta : *Qui miseretur pauperi, Deum fenerat* [5] [b]. Cœlestis igitur trapezitæ [6] hæc mensa est, thesaurum vitæ struens [6], et ad margaritam negotiandam Dei fenus exercens. [c] Qui enim fenerat (*V*. not. 70) pauperes Domini, præstolatur a Domino [7] retributionem mercedis æternæ. Sed et beatus apostolus Paulus nos docens, inter sollicitudines omnium Ecclesiarum non minimam sibi curam pauperum esse testatur; ait enim, *Tantum ut pauperum memores simus, quod studui* (*b*) *facere idipsum* [d]. Idem alibi clamat : *Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre possumus* [e]; et iterum : *Quid enim habes quod non acceperis* [f]? Atque ideo, dilectissimi, non ut de proprio restricti simus, sed ut de credito fe- D neremus. *Dispensatio* enim, inquit, *nobis credita est* [g]; et temporalis pecuniæ usura communis, non privatæ rei æterna possessio. Si cognoscas eam temporaliter in terra tuam [8], poteris in cœlestibus tibi facere perpetuam : si reminiscaris in Evangelio [h] illos susceptores Domini talentorum [9], et quid cuique paterfamilias reversus retribuerit, scies quanto sit utilius ponere ad mensam Domini multiplicandam pecuniam; quam sterili fide (*c*) nullo reditu creditoris, magno inutilis servi dispendio, in sola pœnarum illius incrementa esse servatam.

3. Festina igitur illam potius vocem mereri ut audias : *Euge, bone serve, intra in gaudium Domini tui* [i]; quam illam, *Serve nequam* **215** et piger, *de ore tuo te judico* [j], et reliqua quæ nota sunt; misso inutili in tenebras exteriores, ac talento ejus illi qui multiplicatis creditis abundabat, adjecto : *Omni enim*, inquit, *habenti dabitur, non habenti vero et id quod habet auferetur* [k]. Reminiscamur et illius viduæ, quæ pauperum cura sui negligens, totam victus sui substantiam, futuri tantum memor, Judice ipso teste, vacuavit : Alii enim, inquit, de abundantia sua superanto [10] contulerunt; illa vero multis forsitan et pauperum egentior, cui duo minuta omnis census erant [l], sed animo cunctis divitibus opulentior; solas mercedis æternæ opes spectans, cœlestis avara thesauri pariter sibi totum ejus substantiæ quæ de terra sumitur et in terram revertitur, abdicavit. Misit quod habebat, ut quod non viderat possideret. Misit corruptibilia, ut immortalia compararet. Non despexit illa paupercula dispositam a Deo ordinatamque rationem de receptione venturi; et propterea non fuit immemor ejus ipse dispositor, jamque sententiam suam ipse mundi arbiter (*d*) præcucurrit; et quam in judicio coronaturus est, in Evangelio prædicavit.

4. Feneremus (*V*. not. 70) igitur Dominum de (*e*) donis Domini : nihil enim sine ejus munere possidemus, sine cujus nutu nec ipsi sumus. Et nos præcipue, quid nostrum putemus, qui majori et speciali debito non sumus nostri? et non solum quia facti a Deo, sed et emti sumus [m]. Gratulemur autem quia magno emti, quippe sanguine ipsius Domini : quo pretio et viles et venales esse desistimus, quia vilior servitute libertas liberum esse justitiæ. Talis etenim liber servus peccati et captivus est mortis. Sua igitur Domino dona referamus; demus illi qui in omni paupere accipit; demus, inquam, gaudentes, et recipiamus ab ipso exsultantes. Placet enim ipsi talis injuria, ut vim regno ipsius inferamus, bonis operibus cœli claustra frangentes. Dominus enim noster, qui *solus bonus*, ut *unus Deus* [n], non avaritiæ studio accipere desiderat, sed largitatis affectu. Quid enim non habeat, qui omnia dedit? Aut quid non possideat, qui ipsos possidet possidentes? quia omnes viri divitia-

[a] Prov. XIV, 31, et XVII, 5. [b] Prov. XIX, 17. [c] Matth. XIII, 45. [d] Gal. II, 10. [e] I Tim. VI, 7. [f] I Cor. IV, 7. [g] I Cor. IX, 17. [h] Matth. XXV, 14. [i] Matth. XXV, 21. [j] Luc. XIX, 21. [k] Matth. XXV, 29; Luc. XIX, 26. [l] Marc. XII, 43; Luc. XXI, 3 et 4. [m] I Cor. VI, 20. [n] Matth. XIX, 17.

(*a*) Ita emendavimus ex mss. codicibus Reg. et Vien. et editis Grav., Schot. et Chiffl. Alii duo editi, *pertineat*. Ed. Rosv., *perniteat*.

(*b*) Ita Scriptura sacra, ms. Reg. et edit. Chiffl. In aliis editis codicibus male interpungebatur, *quod studii facere. Idipsum idem*, etc.

(*c*) Vulgatam retinuimus lectionem quoadusque ex mss. codicibus major lux affulgeat. Mss. enim Reg. et Vien., *quam sterili fide odiosam reminiscant quare nullo*, etc. Nec placet Chiffletii correctio, *quam sterili fide odiosam reminisci a te, avare, nullo reditu creditoris..... servatam*.

(*d*) Ita restituimus ex ms. codice Vien. et edit. Chiffl. postulante sensu. Alii, *præcurrit*.

(*e*) Ms. Reg. et editi 5, *bonis*; utraque lectio recepta. Ea quam reposuimus ex ms. codice Vien. et edit. Chiffl. confirmatur ex sequentibus, et n. 6 et 7.

resurgeret, surrexit ut regnaret (*a*) judicatus **191** ut judicaret. Me miserum! Etiam ista pro nobis Dominus omnipotens perpeti non recusavit, ut ubi pro salute generis humani crucifixus pependerat, ibi hominum sacrilegio sperneretur: et super crucem (ad quam orbe concusso, et sole refugo, et dissilientibus mortuorum excitatione monumentis, rerum natura nutaverat) stabat simulacrum dæmonis, et ara simulacri pecudum busta fumabat; et Dei nomen deferebatur statuis mortuorum, cum ipse vivorum Deus [a], qui et resurrectio mortuorum est, non solum mortui, sed et crucifixi hominis blasphemaretur opprobrio. In Bethlehem quoque, ubi *agnoverat bos possessorem suum, et asinus præsepe Domini sui* [b]; ibi principes hominum inficiati Salvatorem Deum, infames hominum amores mortesque coluerunt. Prodita novo sidere Regis æterni (*b*) incunabula ubi supplices cum suis opibus (*c*) adoraverant Chaldæi, ibi barbaras libidines sacraverunt Romani. Ubi natum Salvatorem cum exercitu angelorum concinentes cœlesti gaudio salutaverant illustrata nocte pastores [c], ibi Veneris Amasium mixtæ semiviris planxere meretrices. Proh dolor! quæ pietas hominum hanc impietatem compensare poterit? Ubi sacra nati Salvatoris infantia vagierat, illic Veneris lamenta flugentium lascivis luctibus infamis ritus ululabat: et ubi Virgo pepererat, adulteri colebantur.

4. Mansit hoc seculi prioris nefas in tempora nostris proxima Constantini; qui princeps esse principibus Christianis non magis sua quam matris Helenæ fide meruit: quæ divino, ut exitus docuit, inspirata consilio, cum Hierosolymam agnosceret nomine, (*d*) quæ Augusta cum filio conregnabat (*V.* not. 141), eum rogavit ut sibi facultatem daret cuncta illic loca Dominicis impressa vestigiis, et divinorum erga nos operum signata monimentis purgare, destructis templis et idolis, ab omni prophanæ impietatis contagio, et religioni suæ reddere; ut Ecclesia tandem in terra originis suæ celebraretur. Itaque prompto filii imperatoris assensu mater Augusta, patefactis ad opera sancta thesauris, toto abusa fisco est: quantoque sumtu atque cultu **192**

A regina poterat, et religio suadebat, ædificatis basilicis contexit omnes et excoluit locos, in quibus salutaria nobis mysteria pietatis suæ, incarnationis, et passionis, et resurrectionis, atque ascensionis sacramentis Dominus Redemtor impleverat. Mirum vero inter hæc quod in basilica Ascensionis locus ille tantum de quo in nube susceptus *ascendit, captivam* in sua carne *ducens captivitatem nostram* [d], ita sacratus divinis vestigiis dicitur, ut numquam tegi marmore (*V.* not. 142) aut (*e*) paviri receperit, semper excussis solo respuente, quæ manus adornandi studio tentavit apponere. Itaque in toto basilicæ spatio solus in sui cespitis specie virens permanet; et impressam divinorum pedum venerationem calcati Deo pulveris perspicua simul et attigua (*V.* carm. 15, v. 291)

B venerantibus arena conservat, ut vere dici possit: *adoravimus* (*f*) *ubi steterunt pedes ejus* [e].

5. Sed in historia crucis accipite magnum et vere divinum miraculum. Regina illa venerabilis ut venit Hierosolymam diligenter et pie locis, (*g*) illic et circa omnibus, divinorum curiosa insignium, et oculis haurire gestiens fidem quam piis auribus litterisque perceperat, crucem Domini studiosissime inquirere adorsa est. Sed quæ via vel ratio inveniendi subesset, cum index idoneus nemo inveniri posset [6], ubi memoriam et curam religiosæ conscientiæ vel observantiæ et antiquitas ævi (*Virgil.* ævi vetustas), et superstitionis impiæ diuturnitas abolevisset? Verum ipso omnium et terris et animis opertorum conscio et teste Domino [7], fidelis mulier sanctum Spiritum per

C affectum pium meruit: quo aspirante, cum rem ab humana conscientia divinitus remotam frustra diligens requisisset [8], de loco tantum passionis certior fieri studuit. Itaque non solum de Christianis doctrina et sanctitate plenos viros, sed et de Judæis peritissimos, ut propriæ, qua miseri et gloriantur, impietatis indices exquisivit, et accitos in Hierosolymam congregavit. Tum omnium una de loco testificationis [9] (*id est* martyrii *seu* passionis, *ut supra*) confirmata, jussit illico, urgente sine dubio conceptæ revelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi; parataque mox civium pariter et militari manu,

[a] Matth. XXII, 32; Johan XI, 25. [b] Isai. I, 3. [c] Luc. II, 13. [d] Act. I, 9; Ephes. IV, 8. Psal. VI, 19
[e] Psal. CXXXI, 7.

(*a*) Mss. Reg. Vien. et edit. Grin. in marg., *surrexit ut regnaret judex, vel rex judicaret me miserum.* Concinnior vulgata lectio.

(*b*) Mss. codices Reg. et Vien. cum duobus editis, *ubi cunabula supplices.*

(*c*) Ita emendavimus ex edit. Grin. et sic profecto legendum. Vide antecedd. et seqq. Alii codices, *adoraverunt.*

(*d*) Hunc locum in omnibus editis mutilum et depravatum cum ex mss. codicibus restituere non possemus, Sulpicium Severum, ad quem data est isthæc epistola, consuluimus in Histor. sacr. lib. II, cap. 48, ubi ea quæ de inventione sanctæ crucis edisserit ex hac epistola ab ipso inserta fuisse certissimum est. Sic igitur, nulla e nostro facta additione, emendavimus ex Sulpicio Severo succurrentibus mss. codicibus, *quæ Augusta cum filio conregnabat, eum rogavit*, etc. Apud Sulpicium enim in Histor. sacr. lib. II,

D c. 48, legitur *Helena mater principis Constantini*, QUÆ AUGUSTA CUM FILIO CONREGNABAT, *cum Hierosolymam agnoscere concupisceret*, etc. In mss. Reg. et Vatic. et in editis, CONREGNABAT, et in ms. Vien., EUM ROGAVIT. Ante erat, *nomine, conregnabat ut sibi*, etc., nullo sensu.

(*e*) Ms. Vien. *pavimentari.* Sed *paviri*, vera lectio, quæ confirmatur carm. 25, v. 40..... *medio spatiosa pavito.* De Christi vestigiis in Oliveti monte humo impressis mentio fit etiam in libro de Locis Hebraicis inter Hieronymi opera; apud Augustinum tractatu 47 in cap. X Johan., n. 4; apud Sulpicium Severum Histor. sacr. lib. II, cap. 48, et apud Bedam de Nominibus locorum in Actis apostolorum cap. VII

(*f*) Ms. codex Viennensis addit *in loco.*

(*g*) Sic emendavimus ex mss. Reg. et Vien. Ante erat *illis.* Vide n. 4, *cuncta illic loca.*

brevi laborem **193** istius molitionis hausit; et contra spem omnium, sed secundum ipsius tantum reginæ fidem, alta egestione reseratis terræ sinibus, abditæ crucis arcana patuerunt. Sed cum tres pariter cruces, ut quondam fixæ Domino et latronibus steterant, repertæ fuissent; gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi, justo piorum metu, ne forsitan aut pro cruce Domini patibulum latronis eligerent, aut salutare lignum pro stipite latronis abjiciendo violarent. Respexit pias fideliter æstuantium curas Dominus, et ipsi potissimum quæ tam piæ sollicitudinis princeps erat hujus consilii lumen infudit, ut aliquem recens mortuum inquiri et inferri juberet. Nec mora, verbum factum : cadaver illatum est; deponitur, jacenti una de crucibus admovetur, et altera : sed (*a*) reorum ligna mors sprevit. Postremo dominicam crucem prodit resurrectio, et ad salutaris ligni tactum morte profuga funus (*id est* cadaver, *vel* mortuus excitatus est) excussum, et corpus erectum est; tremefactisque viventibus stetit mortuus; et funebribus, ut Lazarus quondam, vinculis expeditus, illico inter (*b*) exspectatores suos redivivus incessit [a].

6. Ergo crux Domini tot operta ætatibus, et Judæis in tempore passionis abscondita, neque gentibus in ædificatione fani terram sine dubio ad ipsam fabricam egerentibus revelata [10], nonne manu latuit, ut nunc inveniretur cum religiose quæreretur? Ita, ut crucem Christi decuit, experimento resurrectionis inventa et probata crux Christi est; dignoque mox ambitu (*id est* honore et pompa) consecratur, condita in passionis loco basilica, quæ auratis corusca laquearibus, et aureis dives altaribus, arcano positam [11] sacrario crucem servat : quam episcopus urbis ejus quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium promit. Neque præter hanc diem, qua crucis ipsius mysterium celebratur, ipsa, quæ sacramentorum causa est, quasi quoddam sacræ solemnitatis insigne profertur, nisi interdum religiosissimi postulent, qui hac tantum causa illo peregrinati advenerint, ut sibi ejus revelatio quasi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur. Quod solum episcopi beneficio obtineri ferunt: cujus et tantum munere de eadem cruce hæc minuta sacri ligni ad magnam fidei et benedictionis gratiam haberi datur. Quæ quidem crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta **194** non sentiat (*V.* not. 143), et quasi intacta permaneat quotidie (*c*) dividua sumentibus, et semper tota venerantibus. Sed istam imputribilem virtutem et indetribilem soliditatem de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem non vidit corruptionem [b]. Speramus autem et vobis non solum benedictionis monimento, sed et incorruptionis seminario (*d*) futurum, ut ejus inspectio fidem vestram etiam de recordatione beati illius latronis accendat [c], qui bene verso latrocinio, longas in magnis laboribus sanctorum vias de momenti fide et momento confessionis anticipans, non immerito ante ipsos apostolos et martyres *præparatum ipsis ab initio*, ut ait, *regnum* [d] primus invasit, et pius cœli prædo diripuit, quia Christum crucifixum similitudine suæ pœnæ videns in eo statu, de quo etiam discipulorum fides turbata nutaverat, Dominum tamen majestatis, ut erat, confessus est; et petens in regno Dei [12] memoriam sui fieri, in gloriam [13] resurrectionis ante ipsam resurrectionem credidit : quam apostoli, posteaquam facta est, non tantum videndo, sed experiendo crediderunt. Nec ipsi tamen de resurrectione carnis potius quam de resurrectionis qualitate dubitantes [e]; quia videlicet [14] qui in orbem terrarum mittendi forent ad omnium gentium informationem, non auribus tantum, sed et oculis prædicandam fidem capere debebant, ut quod firmius didicissent, constantius edocerent [f].

EPISTOLA * XXXII.

Expostulat cum Severo, a quo cum S. Martino ad sacrum fontem depictus fuerat. Mittit versus inscribendos, qui ostendant id factum ut esset Paulinus exemplo pœnitentibus, Martinus innocentibus. Conditam a se S. Felicis basilicam describit, et epigrammata basilicis Nolanæ et Fundanæ inscripta mittit. Tum misericordiæ opera, et spiritualis in anima templi ædificationem egregie commendat [1].

1. Insertis (*e*) his versiculis patens pagina sollicitavit linguam et manum ut occuparet vacantia, et (*f*) succurrit animo esse quod scriberem. Perquam enim gratulor, quod unam cordis et corporis nostri, operum quoque et votorum similitudinem ostenderimus, eodem tempore basilicas dominicis adjicientes ovilibus. Tu vero (*g*) etiam baptisterium basilicis duabus interpositum condidisti, ut nos in horum quoque operum, **195** quæ visibiliter exstruuntur, ædificatione superares. Sed Domino gratias, qui dedit nobis in quo et vinci victoriam duceremus. Vincimus enim voto, in quo vincimur gratia ab eo quem nobis judicio anteponimus, dilectione comparamus. Tu es iste [2] quem loquimur; tu inquam pars nostri major; et melior; tu requies nostra, tu gaudium, in te reclinatio capitis nostri, et mentis habitatio est. Quæ non tantum in præsenti tempore, sed ut speramus et con-

[a] Johan. XI, 44. [b] Psal. XV, 10; Act. II; 27. [c] Luc. XXIII, 43. [d] Matth. XXV, 34. [e] Luc. XXIV, 39; Johan. XX, 27. [f] Matth. XXVIII, 19.

* Alias 12; quæ autem 32 erat, nunc 42. Scripta anno 403, et missa cum superiore.

(*a*) Ms. Vien., *earum*. Ms. Reg. cum editis quatuor, *eorum*.
(*b*) Ita ms. Reg. cum tribus editis. Vera lectio. Alii codices, *spectatores*. Vide epist. 6, n. 3.
(*c*) Sic ms. Reg. et Latinius : vera lectio. Alii codices, *dividuam sumentibus, et semper totam venerantibus*.
(*d*) Ms. Reg., *futuram*. Ms. Vatic., *fructum*, in qua lectione *monimento* et *seminario* erunt sexti casus. SACCHIN.
(*e*) Ms. Vien., *Compositis*. Edit. Schot. in marg., *Recensitis*.
(*f*) Ms. Vien., *occurrit*.
(*g*) Ms. Reg., *eodem* : non male.

fidimus in Domino perpetua nobis ab ipsius munere, A et in ipsius corpore ac spiritu manebit. Ideo si quid per gratiam Domini amplius agas, nobiscum profecto, certe pro nobis agis.

2. Sed in eo metuo ne operibus tuis, quibus iniqua viarum secularium dirigis, et clivosa complanas, ex illo, de quo semper conqueror affectu in nos tuo, salebram offensionis immisceas, quod splendidos devotionis in Christo tuæ titulos nostris nominibus infuscas; et justis laboribus hanc iniquitatem inseris, ut locum sanctum etiam vultibus iniquorum polluas. Recte enim in loco refectionis (*id est* baptisterii) humanæ Martinus pingitur, qui cœlestis hominis imaginem perfecta Christi imitatione portavit; ut deponentibus in lavacro terrenæ imaginis vetustatem, imitanda cœlestis animæ occurrat effigies. Noster vero B quis illic locus est, qui nec infantibus innocentia, neque viris concurrimus sapientia? et ab immaculatis malitia, a perfectis infirmitate distinguimur? *Quæ ergo societas lumini et tenebris* [a]? lupis et agnis? serpentibus et columbis? hoc est, nobis et **196** Martino? Nonne tu lactis et fellis poculum miscuisti? Sed bene, quod non ut in liquoribus uno calice confusis, ita in hominibus eodem loco mixtis, si discrepent meritis, boni suavitas amaritudine mali venenatur: contraque evenit ut peccator justo compositus magis sordeat, et peccatore collato magis justus eluceat. Quominus moveor errore caritatis tuæ, quia nullam beato illi fecisti injuriam, potiusque ad gloriam illius contulisti, ut contra despicabilem facies venerabilis pingeretur, quo splendor ejus comparatione tenebra- C rum clarius emicaret, qui etiam *in splendoribus sanctorum* [b] conspicua claritate præfulget. Et quidem nisi scirem te impenso nimii in nos amoris studio hanc informasse picturam, malitiosum te et callidum criminarer, qui nostræ humilitatis obscuras animorum nocte personas, ex adversi juxta parietis regione depictas sancto capiti contulisses, ut illum tantum pingeres, nos vero potius deformares, quos jure conspecta Martini facie despuendos ad probrum ridiculæ comparationis exponeres. Sed ne nostri causa, quorum multo amore dum falleris, falsum facis, hæc commentatio tua de caritate prolapsa irrideretur; ut revera potest et debet.

3. Hac tantum gratia parui tibi in versiculis de hujusmodi tua pictura ad te mittendis, ut consilii tui D ratio proderetur, qua salubriter novorum hominum informationi studens, diversas longe sibi imagines proposuisses; ut emergentes a sacro fonte, et vitandum et sequendum pariter conspicarentur. Itaque sic habes [a]; si placet, utere.

Abluitis quicunque animas et membra lavacris,
Cernite propositas ad bona facta vias.
Adstat perfectæ Martinus regula vitæ:
Paulinus veniam quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum spectate beati:
Exemplar sanctis ille sit, iste reis.

Item de eodem :

Dives opum Christo, pauper sibi, pulchra Severus
Culmina sacratis fontibus instituit.
Et quia cœlestes aulam condebat in actus,
Qua renovarentur fonte Deoque homines:
Digna sacramentis gemina sub imagine pinxit.
Disceret ut vitæ dona renatus homo.
Martinum veneranda viri testatur imago:
Altera Paulinum forma refert humilem.
Ille fidem exemplis et dictis fortibus armat,
Ut meriti palmas intemerata ferat.
Iste docet fusis redimens sua crimina nummis,
Vilior ut sit res [c], quam sua cuique salus.

4. Certe probatur jam te non ridendum, magisque probandum, si hac tantum ratione longissime dissimiles cominus pinxisse videaris; ut in Martino forma justitiæ et summa virtutum, in nobis conscientiæ iniquitatis obtritio et confessio cerneretur, ut et beatis exemplum pateret et miseris. In illo speculum fortitudo, in nobis solatium haberet ignavia. Illum intuerentur, qui præceptum sufficerent implere virtutibus: in nobis **197** consolarentur, qui remedium vellent afferre criminibus. Quia innocentiæ fiducia destitutis, et nexu iniquitatis adstrictis, sola ut captivis potest redemtio subvenire. Quæso te tamen, ne obedientiam meam crimen facias, si versus tuos illos luminis et favorum, sicut denuntiasti, auferas. Verecunde quæso illud magis, quam vere minatus sis; et, si istos adscribendos putaveris, illi permaneant, ut horum quasi gemmulæ sint, et faciant vilibus pretium et claro atra distinguant. Sane accepta licentia dixi linguæ meæ, non juxta prophetam [d], ut maneret in requie sua, et custodiret vias meas: sed potius oppositæ sibi custodiæ frenos rumperet, **198** dum serviret tibi. Ita te diligo, ut magis de obtemperando tibi quam de multiloquio peccatum timerem [e].

5. Quam ob rem etiam basilicis tuis versiculos, quasi votivos sacris fontibus titulos destinavi. Si quid in his apte locutus videbor, hæc quoque fratris Victoris gratia est, cujus oculis et verbis omnia quæ in Christo Domino fecisti et agis vidi; et ideo versus quos et de basilicis interposui ipso autore censebis, qui materiam dictavit enarratione factorum tuorum. De baptisterio igitur ipso erunt isti, de cujus pictura tantum sunt illi superiores.

Hic reparandarum generator fons animarum
Vivum divino lumine flumen agit.
Sanctus in hunc cœlo descendit Spiritus amnem,
Cœlestique sacras fonte maritat aquas:
Concipit unda Deum: sanctamque liquoribus almis
Edit ab æterno semine progeniem.
Mira Dei pietas! Peccator mergitur undis,
Mox (*a*) eadem emergit justificatus aqua.
Sic homo et occasu felici functus et ortu,
Terrenis moritur, perpetuis oritur.
Culpa perit, sed vita redit; vetus interit Adam,
Et novus æternis nascitur imperiis.

Sequentes ad basilicarum picturam sunt [b].

Corpore, mente, fide, castissimus incola Christi
Condidit ista Deo tecta Severus ovans.
Totus et ipse Dei templum viget hospite Christo,
Gaudentemque humili corde gerit Dominum.
Ecce velut trino colit unam nomine mentem:
Sic trinum sancta [a] mole sacravit opus.

[a] II Cor. vi, 14. [b] Psal. cix, 3. [c] Id est *pecuniæ*. Vide epist. 1 append., n. 6. [d] Psal. xxxviii, 2. [e] Prov. x, 19.

(*a*) Sic mss. codices Reg., Vat. et Vien. cum editis quinque, licentia poetica. Edit. Poelm., *idem*. Vide carm. 15, v. 334.

A
Ampla dedit populo geminis fastigia tectis,
Legibus ut sacris congrueret numerus.
Nam quia latorem duo Testamenta per unum
Pacta Deum in Christo copulat una fides :
Iste duas inter diversi culminis aulas
Turrito fontem tegmine constituit.
Læta novos geminis ut mater Eclesia [a] partus
Excipiat sinibus, quos aqua protulerit.
Aula duplex tectis, ut Eclesia [b] Testamentis :
Una sed ambobus gratia fontis adest.
Lex antiqua novam firmat, veterem nova complet :
In veteri spes est, in novitate fides.
Sed vetus atque novum conjungit gratia Christi;
Propterea medio fons datus est spatio.
Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
Infantes niveos [c] corpore, corde, habitu [6];
Circumdansque [d] rudes [7] festis altaribus agnos,
(*a*) Cruda salutiferis imbuit ora cibis.
Hinc senior sociæ congaudet turba catervæ :
Alleluia novis balat ovile choris.

6. Cum hos operibus unanimitatis tuæ manufactis dedissem, illam non manufactam in domestica tua ec- B clesia gratiam Dei, qua perpetuum tibi hospitem in ea Clarum largitus est, silere non potui. Itaque sanctæ ipsius memoriæ versus, non quia aliquid divinis ejus meritis dignum loqui possem, sed ut studium plurimæ in illius animam caritatis exprimerem, ausus sum facere, et unanimitati tuæ mittere. Quos tu coram **199-200** Domino sanctæ et (*V.* carm. 24, v. 438) cohospitanti tecum semper in Domino animæ ejus recitans, excusabis audaciam meam, et commendabis obsequium.

Nominis ut titulo, sic mentis lumine Clarus
Presbyter hoc tegitur, sed membra caduca sepulcro;
Libera corporeo mens carcere gaudet in astris,
Pura probatorum sedem sortita piorum.
Sancta sub æternis altaribus ossa quiescunt,
Ut dum casta pio referuntur munera Christo [8],
Divinis [9] sacris animæ junguntur odores. C

Item de eodem, ut quos malueris legas [10] : sed ego scio in hoc te potius ambigere debere, non ut aliquos ad titulum eligere, sed de nullo debeas injuriam sancto Dei facere.

Presbyter hic situs est meritis et nomine Clarus,
Martino studiis comes, et meriti modo consors :
Digna pio domus est altaria, sub quibus artus
Conditur (*b*) exanimos; nam spiritus æthere gaudet,
Discipulumque pari sociat super astra magistro.

Clare fide, præclare actu, clarissime fructu,
Qui meritis titulum nominis æquiparas [11],
Casta tuum digne velant altaria corpus,
Ut templum Christi contegat ara Dei.
Sed quia, tu non hac, qua corpus, sede teneris,
Qui meritis superis spiritus involitas;
Sive patrum sinibus recubas, Dominive sub ara
Conderis, aut sacro pasceris in nemore :
Qualibet in regione poli situs aut paradisi,
Clare sub æterna pace beatus agis; D
Hæc peccatorum bonus accipe vota rogantum,
Ut sis Paulini Therasiæque memor.
Dilige mandatos interveniente Severo,
Quos ignorasti corpore sic meritos.
Unanimi communis amor sit fomes utrisque
Perpetui summo fœderis in Domino.
Non potes implicitos divellere; si trahis unum,
Unus adhærentem, quo rapitur, rapiet.

A
Ergo individuos pariter complectere fratres,
Utque sumus, sic nos dilige participans [12].
Sic Deus accivit [13], sic nos Martinus amavit;
Sic et tu pariter Clare tuere pares :
Non meritis, sed amore pares; tu sancte valebis
Exorare, pares et meritis fieri,
Si cum Martino socia pietate labores,
Ut vincant vestræ crimina nostra preces :
Et simul in vestri ducamur sorte Severi,
Vestraque nos semper protegat ala sinu.

7. Quod si Dominus desiderium animæ vestræ fecerit secundum fidem vestram, adjiciens ornatui et sanctificationi operum vestrorum, ut sacros cineres de sanctis gloriosorum apostolorum aut martyrum reliquiis adipiscamini (quia [14] hujus voti præsumtione vos aliam apud Primuliacum nostram et priore majorem basilicam præparasse cognovimus) dignum opere B fidei vestræ, et operis fideliter elaborati dedicatione proculdubio celeberrima, sanctorum quoque reliquiis decens arbitramur, ut hoc etiam quod de cruce misimus, pariter depositum sacratumque veneremini. Quod si ita placuerit, placitum vestrum hi, si videbitur, versiculi nuntiabunt :

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compositis sacra [15] cum cruce martyribus.
Cuncta salutiferi coeunt (*c*) martyria Christi,
Crux, corpus [e], sanguis martyris, ipse Deus.
Namque Deus semper vobis [16] [f] sua munera servat;
Atque ubi Christus, ibi Spiritus, et Pater est.
201-202 Sic ubi crux, et martyr ibi : qua (*d*) martyr, ibi et crux,
Martyrii sanctis quæ pia causa fuit.
Illa cibum vitæ mortalibus, illa coronas,
Quæ Domino famulos participant, peperit.
In cruce fixa caro est qua pascor; de cruce sanguis
Ille fluit, vitam quo bibo, corda lavo.
Christe, tuo coeant simul hæc tua dona Severo, C
Portitor et testis sit crucis iste tuæ.
Carne tua vivat, tuus illi pocula sanguis
Præbeat, in verbo vivat agatque tuo.
Quaque tuum socio [17] Martinum ascendere Claro
Vidit, et ipse tuo munere (*e*) vectus eat.

8. Si vero magis placeat vobis hanc de cruce benedictionem ad quotidianam tutelam atque medicinam in promptu habere, ne semel condita in altario, non semper ad manum, ut usus exigit, præsto sit, sufficit et illa ad basilicæ consecrationem gratia, scilicet Dominus cum apostolis et martyribus; quorum venerandus cinis si sine crucis consortio subjiciatur altaribus (*V.* not. 147), hic opertos titulus indicabit :

Pignora sanctorum divinæ gloria mensæ
Velat apostolicis edita corporibus.
D Spiritus et Domini medicis virtutibus instans
Per documenta sacros viva probat cineres.
Sic geminata piis adspirat gratia votis,
Infra martyribus, desuper acta sacris.
Vota sacerdotis, viventum et commoda, parvo
Pulvere sanctorum [18] mors pretiosa juvat.

9. Habes versus operibus quidem tuis sanctis et magnificis indignos, persuasioni tamen tuæ, quam

[a] Vide not. 239. [b] Vide ibid. [c] Vide not. 144. [d] Id est *recentes*. Vide carm. 25, v. 211. [e] Vide not. 146. [f] *Forte* nobis.

(*a*) Ita ms. codex Vatic. cum 2 editis. Ms. Vien. et Latinius, *Pura*. Ms. Reg. et editi tres, *Cura*, mendose. Ed. Schot., *Cara*.

(*b*) *Artus conditur exanimos*. Vide eumdum Græcismum carm. 22, v. 53. Edd. quatuor, *exanimus*, mendose : *artus* enim singulari numero non effertur.

(*c*) Sic mss. codices et ed. Rosv. licentia poetica. Gravius, Grinæus, Schottus et Poelmannus offensi in secundam syllabam productam in *martyria*, substituerunt *insignia*.

(*d*) Sic emendavimus ex editis Poelm., Grin. et Schot., quod præcedentibus bene respondet. Alii codd., *martyris et crux*.

(*e*) Ita ms. Vien. favente ms. codice Regio. Alii, *vinctus*

habes tibi de me (*Subaudi* magis) quam mihi credere, competentes. Quos si non erubueris (*a*) spectandos domesticæ ecclesiæ tuæ parietibus inscribere, vindicabor. Credo enim vel tunc de meis ineptiis erubesces; et pœnitebit te desiderii et exactionis tuæ, cum ædificia, quæ immaculata adhuc operis tui gratia splendent, obscurata næniis insipientiæ meæ; et, ut digno meis versibus verbo utar, caccabata (*V.* not. 148), ridentibus multis vel nauseantibus confusus aspicies. Nec laborabis fallere, ut te lector autorem putet; cum [19] ineptia nemini in te nota, possit instruere lectorem, ne tibi meum carmen, id est, crimen imponat: qui tamen vel proditoris vel scriptoris nomine culpandus es. Sed ne quis me injuriosum judicet illa regula qua præscribitur: *Quod tibi nolueris, alii ne feceris* [a]: idem a me prius basilicas meas pertulisse præsentibus illi documentis probabis: ut hoc quoque ostendas unanimitatem nostram, quod sive gratia sive injuria me tibi comparans, eadem in tuas qua etiam in meas ædificationes temeritate peccavi. Sed hujus sive gratiæ, juxta patientissimum mei animum tuum; sive juxta meum indignissimum munus, injuriæ autor aut reus noster tibi Victor habeatur, qui sanctissimus nostræ caritatis interpres hoc se tibi gratiorem a nobis redire præsumsit, quo [20] depressior sub injusto ineptiarum ad te nostrarum onere revertisset. Nam hoc etiam accrescere fascibus suis voluit, ut nostrarum tibi basilicarum versus simul picturasque portaret. Meritoque faciet, si cum hac se tibi querimonia deficiens et curvus intulerit, ut clamet: Ecce *propter mandata labiorum tuorum ego ambulavi vias duras* [b]; et clamet: *Super dorsum meum fabricati sunt* [21] *peccatores*, qui in tot epistolas [22] *prolongaverunt iniquitatem suam* [c].

10. Recepi igitur et hunc ad peccata mea cumulum, ut fratri cupidissimo talis sarcinæ, qua ejus anima gravato corpore levaretur, præstarem quam desiderabat injuriam. Nam et vere ad unanimitatem nostram congruere hæc illius postulatio videbatur, qua asserebat ut oporteret tibi nostras in Domino ædificationes ita notescere, ut nobis tuas in titulis et in picturis indicare voluisses. Hac igitur ratione persuasus, basilicas nostras tuis, sicut et operis tempore et voti genere conjunctæ sunt, ita etiam litteris compaginare curavi: ut in hoc quoque nostra conjunctio figuraretur, quæ jungitur animis, et distat locis; sic et ista, quæ in nomine Domini eodem spiritu elaborata construximus, diversis abjuncta regionibus, ejusdem tamen epistolæ serie sibi tamquam (*b*) contignata [23] visentur. Basilica igitur illa quæ ad dominædium nostrum communem patronum in nomine Domini Christi (*c*) Dei jam dedicata celebratur, quatuor ejus basilicis addita, reliquiis apostolorum et martyrum **203-204** intra apsidem (*V.* not. 149) trichora (*forte legendum* trichoram; *vid.* not. 150) sub altaria sacratis, non solo beati Felicis honore venerabilis est. Apsidem solo et parietibus marmoratam camera musivo illusa (*V.* not. 151) clarificat; cujus picturæ hi versus sunt:

Pleno coruscat Trinitas mysterio,
Stat Christus agno [d]; vox Patris [e] cœlo tonat:
Et per columbam [f] Spiritus sanctus fluit.
Crucem corona [g] lucido cingit globo;
Cui coronæ sunt corona apostoli,
Quorum figura est in columbarum choro [h].
Pia Trinitatis unitas Christo coit,
Habente et ipsa Trinitate insignia:
Deum revelat vox paterna, et Spiritus:
Sanctam fatentur crux et agnus victimam.
Regnum et triumphum purpura et palma indicant.
Petram superstat [i] ipse petra [24] Ecclesiæ,
De qua sonori quatuor fontes [j] meant,
Evangelistæ viva Christi flumina.

11. Inferiore autem balteo, quo parietis [25] et cameræ confinium interposita gypso crepido conjungit aut dividit, hic titulus indicat deposita sub altari sancta sanctorum:

Hic pietas, hic alma fides, hic gloria Christi,
  Hic est martyribus crux sociata suis.
Nam crucis e ligno magnum brevis astula pignus,
  Totaque in exiguo segmine vis crucis est.
Hoc (*d*) Melani [k] sanctæ delatum munere Nolam,
  Summum Hierosolymæ [26] venit ab urbe bonum.
Sancta Deo geminum velant altaria honorem,
  Cum cruce apostolicos quæ sociant cineres.
Quam bene junguntur ligno crucis ossa piorum,
  Pro cruce ut occisis in cruce sit requies!

12. Totum vero extra concham (*V.* not. 159) basilicæ spatium, alto et lacunato culmine geminis utrimque porticibus dilatatur, quibus duplex per singulos arcus columnarum ordo dirigitur. Cubicula (*V.* not. 160) intra porticus quaterna longis basilicæ lateribus inserta, secretis orantium vel *in lege Domini meditantium* [l], præterea memoriis religiosorum ac familiarium accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent. Omne cubiculum binis per liminum frontes versibus prænotatur, quos inserere his litteris nolui (*V.* not. 161), eos tamen quos ipsius basilicæ aditus habent, scripsi; quia possent, si usurpare velis, et ad tuarum basilicarum januas convenire, ut istud est:

Pax tibi sit, quicumque Dei penetralia Christi
  Pectore pacifico candidus ingrederis.

Vel hoc, de signo Domini (*id est* signo crucis) super ingressum picto hac specie, qua versus indicat:

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare crucem, duro spondentem celsa labori
Præmia: tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Alteri [27] autem basilicæ, qua de hortulo vel pomario quasi privatus aperitur ingressus, hi versiculi

[a] Tob. IV, 16. [b] Psal. XVI, 2. [c] Psal. CXXVIII, 3. [h] Not. 156. [i] Not. 157. [j] Not. 158. [k] Not. 138.
[d] Not. 152. [e] Not. 153. [f] Not. 154. [g] Not. 155. [l] Psal. I, 2.

(*a*) Mss. Reg. et Vien. cum editis quatuor, *spectandis*.

(*b*) Ita edit. Rosv. Vera lectio, quæ confirmatur carm. 25, v. 12, v. 57. Mss. tres codices cum editis quatuor, *consignata*.

(*c*) Addidimus *Dei* ex mss. Reg. et Vien. Hæc lectio confirmatur n. 12, v. 1.

(*d*) Sic reposuimus juxta mss. codices Reg. et Vien. et edit. Schot. Verissima lectio. Alii codices, *Melanæ*. Vide not. 138.

hanc secretiorem forem pandunt (*V.* ep. 28, n. 5, A et carm. 24, v. 613):

Cœlestes intrate vias per amœna vireta,
Christicolæ; et lætis decet huc ingressus ab hortis,
Unde sacrum meritis datur exitus in paradisum.

Hoc idem ostium [28] aliis versibus ab interiore sui fronte [29] signatur:

(*a*) Quisquis ab æde Dei perfectis ordine votis
Egrederis, remea corpore, corde mane.

13. Prospectus vero basilicæ non, ut usitatior mos est, orientem spectat, sed ad domini mei beati Felicis basilicam pertinet memoriam (*id est* tumulum) ejus aspiciens: tamen cum duabus dextra lævaque conchulis (*V.* not. 162) intra spatiosum sui ambitum apsis sinuata laxetur, una (*V.* not. 163) earum immolanti hostias jubilationis antistiti patet [30], altera B (*V.* not. 164) post [31] sacerdotem capaci sinu receptat orantes. Lætissimo vero conspectu tota simul hæc basilica (*b*) in basilicam memorati confessoris aperitur trinis arcubus paribus, perlucente transenna (*V.* not. 165): per quam vicissim sibi tecta ac spatia basilicæ utriusque junguntur. Nam quia novam a veteri paries apside cujusdam monumenti [32] interposita obstructus excluderet, totidem januis patefactus a latere confessoris quot [33] a fronte ingressus sui foribus nova reserabatur, quasi diatritam [34] speciem (*V.* not. 166) ab utraque in utramque [35] spectantibus præbet, sicut datis inter utrasque januas titulis indicatur. Itaque in ipsis basilicæ novæ ingressibus hi versiculi sunt:

Alma domus triplici patet ingredientibus arcu [a],
Testaturque piam janua trina fidem.

14. Item dextra lævaque crucibus minio superpictis hæc epigrammata sunt:

Ardua floriferæ crux cingitur orbe coronæ,
Et Domini fuso tincta cruore rubet.
Quæque super signum resident cœleste columbæ
Simplicibus [b] produnt regna patere Dei.

Item de eodem:

Hac cruce nos mundo, et nobis interfice mundum.
Interitu culpæ vivificans animam [36].
205-206 Nos quoque perficies placitas tibi, Christe, columbas,
Si vigeat puris (*c*) pax tua pectoribus.

15. Intra ipsam vero transennam (qua breve illud, quod propinquas sibi basilicas prius [37] discludebat, intervallum continuatur) e regione basilicæ novæ super medianum arcum hi versus sunt:

Ut medium valli pax nostra resolvit Iesus,
Et cruce discidium [38] perimens duo fecit in unum:
Sic nova, destructo veteris discrimine tecti,
Culmina conspicimus portarum fœdere jungi.
Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro [c].
Plebs gemina Christum Felicis adorat in aula,
Paulus apostolico [d] quam temperat ore sacerdos.

Hæc vero binis notata versiculis epigrammata super arcus alios dextra lævaque sunt.

In uno hoc:

Attonitis nova lux oculis aperitur, et uno
Limine consistens geminas simul aspicit aulas.

In altero hoc [39]:

Ter geminis geminæ patuerunt arcubus [e] aulæ,
Miranturque suos per mutua limina cultus [40].

Item in iisdem arcubus a fronte, quæ ad basilicam domini Felicis patet, mediana, hi sunt:

Quos devota fides densis celebrare beatum
Felicem populis diverso suadet ab ore,
Per triplices aditus laxos infundite cœtus:
Atria quamlibet innumeris spatiosa patebunt
Quæ sociata sibi per apertos comminus arcus,
Paulus in æternos antistes dedicat usus.

In aliis isti bini:

Antiqua digresse sacri Felicis ab aula,
In nova Felicis culmina transgredere.

Item:

Una fides trino sub nomine quæ colit unum,
Unanimes trino suscipit introitu.

16. In secretariis vero duobus, quæ supra dixi circa apsidem [41] esse, hi versus indicant officia singulorum.

A dextra apsidis [42]:

Hic locus est veneranda penus [f] qua conditur, et qua
Promitur alma sacri pompa ministerii.

A sinistra ejusdem:

Si quem sancta tenet meditanda in lege [43] voluntas,
Hic poterit residens sacris intendere libris [g].

De Fundana basilica.

C 17. Egrediamur jam Nolana hac basilica, et in Fundanam transeamus. Fundis nomen oppido est, quod æque familiare mihi fuit dum maneret possessio, quam illic usitatiorem habui. Itaque vel ad pignus quasi civicæ caritatis, vel ad memoriam præteriti patrimonii, basilicam dare in ipso oppido, quoniam et indigebat, ruinosam et parvam habens, voti fuit. Propterea et hos versiculos adjiciendos putavi, quos illi in hoc oppido dedicandæ basilicæ paravimus [44]. Nam adhuc in opere est, sed propitio Deo dedicationi propinqua. Quod tamen ea mihi maxime ratio persuasit, quia et in hujus apside [45] designatam picturam meus Victor adamavit, et portare tibi voluit, si forte et eam [46] de duabus elegeris in hac recentiore tua pingere, in qua æque apsidem D factam indicavit. Sed de hac apsida an abside magis dicere debuerim, tu videris: ego nescire me fateor, quia hoc verbi genus nec legisse reminiscor. Verum hanc quoque basiliculam, de benedictis apostolorum et martyrum reliquiis sacri cineres, in nomine Christi sanctorum Sancti, et martyrum Martyris, et dominorum Domini, consecrabunt. Ipse enim testatus est se vicissim confessorum suorum Confessorem futurum. Ideo super (*d*) hac propter picturam gratia geminatus est titulus (*V.* not. 173).

[a] Not. 167. [b] Not. 168. [c] Not. 169. [d] Not. 170. [e] Not. 167. [f] Not. 171. [g] Not. 172.

(*a*) Mss. Reg. et Vien., *Quisque domo Domini.*
(*b*) Sic emendavimus ex ms. codice Vien. Prius erat *in basilica.*
(*c*) Cum Sacchino ita emendatum, refragantibus omnibus codicibus; quod et sensus postulat, et confirmant n. 12 duo priores versus. Ante erat *pars.*
(*d*) Sic emendavimus juxta ms. codicem Vien. Alii, *præter.*

De pictura :

Sanctorum labor et merces sibi rite [47] cohærent,
Ardua crux, pretiumque crucis sublime, corona.
Ipse Deus, nobis princeps crucis atque coronæ,
Inter floriferi cœleste nemus paradisi,
Sub cruce sanguinea niveo stat Christus in agno,
Agnus ut innocua injusto datus hostia letho.
207 Alite [a] quem placida sanctus perfundit hiantem
Spiritus, et rutila Genitor de nube coronat.
Et quia præcelsa quasi Judex rupe superstat,
Bis geminæ pecudis discors agnis genus hædi
Circumstant solium : lævos avertitur hædos
Pastor, et emeritos dextra complectitur agnos.

De reliquiis [48] :

Ecce sub accensis altaribus ossa piorum
Regia purpureo marmore crusta tegit.
Hic et apostolicas præsentat gratia vires
Magnis in parvo pulvere pignoribus.
Hic pater Andreas, et magno nomine Lucas,
Martyr [b] et illustris sanguine Nazarius;
Quosque suo Deus Ambrosio post longa revelat
Secula, Protasium cum pare Gervasio.
Hic simul [49] una pium complectitur arcula cœtum :
Et capit exiguo nomina tanta sinu.

18. Hæc interim, mi frater, et alia hujusmodi opera visibilia [50] de terrenis in terra labore [51] molieram [52] : sed *benedictus Dominus die quotidie, qui facit mirabilia solus* [c] : sicut *convertit petram in stagnum aquæ*, sic et terrena cœlestibus mutat; et hanc nobiscum, quamquam de suis et hic et ibi rebus permutationem facere dignatur; ut quæ corporaliter molieram in terris, latenter in cœlis per ipsum ædificentur; tunc revelanda nobis, cum specie (*an faciel?*) videbimus [d], quæ nunc per fidem providemus. Itaque hic seminamus, et ibi (*a*) metimus [e] : hic spargimus, et ibi congregamus : hic vivimus, et ibi conversamur : hic accingimur, et ibi militamus : hic pugnamus, et ibi vincimus; vel si istic vincimus, ibi coronamur. Ita quod istic manu struimus, illic fide condimus. Et harum nobis quamvis terrestrium ædificatio fabricarum si voto et studio spiritali struatur, beata cœlestium est præparatio mansionum [f]. Hæc enim ædificantes in Domino ex adeptu [53] fidei, ædificamur ipsi a Domino per ejusdem fidei profectum. Nam et evangelicus ille centurio [g] exemplum nobis est ad spem certam mercedis æternæ, hujus specialiter operis gratia recipiendæ; qui ad promerendam filii sanitatem, et ipsum Dominum Jesum fidei suæ prædicatorem habendum eo potissimum [54] meriti valuit, quod plebs Domini, quæ tunc adhuc in Judæis tantum erat, illi de Synagogæ ædificatæ testimonio suffragata est [h].

19. Quid igitur miseri nunc quiescimus oscitantes [i], et quasi non conducti mercenarii, in tumultuoso hujus seculi foro vacua manu stamus? vel si conductis nobis [55] debere patremfamilias [56] suum denarium cogitemus, ut aliquid in vinea ejus operemur, id **208** ipsum quasi indebitum gratumque [57] præstantes, imputare etiam meditamur Domino, tamquam

A illi potius quam nobis profutura faciamus. O miseri homines! largiri nos aliquid credimus : negotiamur, et liberales habemur, qui avarissimi esse convincimur; et quidem tanto avariores cupidissimis terræ feneratoribus, quanto amplius est cœlestia de terrenis, et beata de miseris egenisque rebus emere; quam terrena terrenis et labentibus lapsura mercari, et Dominum quam hominem fenerare [58] (*V.* not. 70). Damnatur in lege *qui pecuniam suam dederit ad usuram, et munera super innocentes acceperit* [j] : ecce Evangelii gratia ostendit nobis quomodo eadem crimina ad innocentiam sanctitatemque mutentur; nec pœnæ, sed præmii retributio consequatur, si tantum in præcepta divina salutaris cupiditate fidei convertantur. Da ad usuram pecunias tuas, sed Christo; et salutaris usura est [k].

B 20. Item in seculo corrupti muneribus reorum judices condemnantur [l] : sed quisquis homo præventus in aliquo peccato, diffidens innocentiæ tuæ, affers [59] pretium salutis tuæ Judici nostro, ne verearis quasi corruptionis injuriam justitiæ Dei facere. Accipit a te Christus libens salutis tuæ pretium, quia *mavult* [60] *misericordiam quam sacrificium* [m]. Sed forsitan quæris, ubi illum invenies, et qua corrumpas [61] via quem non vides. *Surge*, inquit, *qui dormis, et* (*b*) *erige te a mortuis, et attinges* [62] *Christum* [n] : hoc est, discute carnalis inertiæ somnum, et depressam cogitatione terrena mentem a mortuis curis, hoc est conversatione carnali, erige, attollens et dirigens in Dominum animam tuam, et *attinges Christum*. Operando [63] præceptis ipsius, videbis eum

C in omni paupere, tanges [64] eum in **209** omni egeno, recipies eum in omni hospite : quoniam sibi fieri ipse testatur quæ in ejus nomine minimis ejus fiant [o]. Ecce nobis jam constat quomodo videas invisibilem, et inapprehensibilem comprehendas. Ergo nunc istic pauperemur (*V.* ep. 40, num. 7), ut tunc ibi locupletemur. Nunc ploremus, ut tunc gaudeamus. Nunc esuriamus, ut tunc saturemur. *Omni*, inquit, *tempore pauperes vobiscum habetis* [p]. Vides quia nulla nobis occasio est beneficentiæ umquam procrastinandæ, cum, si voluntas nostra non absit, pauper in promptu sit.

21. Commodemus ergo securi nunc egeno [65], et in pauperibus suis Christo, ut ex ejus abundatura in iisdem gloria participare possimus. Propterea enim Dominus ipse præmonet, dicens : *Facite vobis amicos*

D *de iniquo mammona*. Vides quomodo Omnipotens faciat de nocte lucem, et de iniquitate justitiam? *Ut cum defeceritis*, inquit, *recipiant vos in tabernacula æterna* [q]. Quia vicissitudine quadam copiæ vel inopiæ humanum genus temperatur, quod in illo inferno divite, et superno paupere evangelicus sermo patefecit [r], ut intelligamus consilium communis Autoris, quo divitem pauperi, et pauperem diviti præpa-

[a] Not. 174. [b] Not. 175. [c] Psal. LXVII, 20; Psal. LXXI, 18; Psal. CXIII, 8. [d] II Cor. III, 18; I Cor. XIII, 12. [e] Galat. VI, 8. [f] Johan. XIV, 2. [g] Matth. VIII, 5. [h] Luc. VII, 5. [i] Matth. XX, 6. [j] Exod. XXII, 25; Lev. XXV, 36; Deut. XXIII, 19; Psal. XIV, 5. [k] Prov. XIX, 17. Eccli. XXIX, 1. [l] Exod. XXIII, 8; Deut. XVI, 19. [m] Oseæ VI, 6, sec. LXX; Matth. IX, 13. [n] Ephes. V, 14. [o] Matth. XXV, 40. [p] Matth. XXVI, 11. [q] Luc. XVI, 9. [r] Luc. XVI, 19.

(*a*) Ante erat *metemus*. Correctionem nostram probant ea quæ sequuntur.

(*b*) Ita ms. Reg. cum editis quatuor. Vera lectio quæ confirmatur ex sequentibus et ex epist. 9 ad Amandum, num. 2. Ms. Vatic. cum edit. Rosv., *erigere*.

ravit, ut abundans egenti substantia alimoniæ sit, et opulento inops materia justitiæ: *ut fiat*, sicut Apostolus dixit [a], *æqualitas*: et in illo seculo repensanda illis egestate præsenti opibus æternis, redundet illorum abundantia ad inopiam nostram, si nostra istic abundantia ad illorum indigentiam commodaverit. Seminemus ergo illis carnalia [66], ut metamus ab illis spiritalia. Laboret nunc de terrenis manus, ut tunc de cœlestibus anima reficiatur. Spes præsens ædificet rem futuram [67]. Faciamus istic tecta quæ nos illic tegant. Pascatur istic pauper, ubi me divite eget; ut me illic pascat, ubi me egente saturabitur. Videte commercium spiritale; et, si potestis, negate nos avaros, qui terram vendimus et tributum, ut immunitatem regni cum æternitate coemamus.

22. Fragilem arenam jacimus, ut domum fundemus æternam, et de vilibus attingamus astra cæmentis [b]: de quibus non illam confusionis et superbiæ turrem [68] destruendam opere irrito machinamur, sed in ipso angulari lapide fundamur [c], ut surgamus per ipsum in ipsius plenitudinem, qui est *turris fortitudinis a facie inimici* [d]. Hanc ipse nos turrem ædificare [e], computatis ante sumtibus, jubet, ne interrupta ædificatione defecti, temeritatis improvidæ notam et dignam irrisionem frustra [69] audacis ignaviæ perferamus. Sumtus [70] autem noster fides firma est. Ergo et secundum veritatem Dei credens, qui spes, et opes et vires suas Dominum Jesum habet, ejus omnis **210** ædificatio compacta crescit [f], et surgit in conscensionem in plenitudinem Dei. Itaque *nisi Dominus ædificaverit domum, vano ædificantes labore* [g] sudabimus. Sed ne, vel perfecta licet, cooperante Domino, ædificatione, resupini securas manus remittamus, adjicit Scriptura divina, quod etiam ædificatam domum nisi Deus idem custodiat, irrita servantium cura vigilabit [h].

23. Oremus ergo Dominum, ut dum nos illi foris ædificamus domicilia quæ videntur, ille in nobis intus ædificet illa quæ non videntur, *domum* videlicet illam, ut Magister (*id est* Paulus. *V.* ep. 23, n. 24) ait, *non manufactam* [i]: quam ingressi intelligemus in novissimo, *videntes* scilicet *facie ad faciem quod in ænigmate nunc videmus*, *et ex parte cognoscimus* [j]. Sed nunc, dum adhuc in tabernaculo istius corporis constituti, quasi sub illius antiqui tabernaculi pellibus in deserto et tentoriis agimus [k], præcedente nos per istius orbis aridam Dei verbo, vel *in columna nubis* [l], ut *obumbret* [71] *super caput nostrum in die belli* [m]: vel *in columna ignis, ut cognoscamus in terra* cœlestem *ejus viam* [n]; oremus, ut per hæc nunc Ecclesiæ *tabernacula ingrediamur usque ad domum Dei* [o]; ubi et ipse Dominus, ille summus et *factus nobis a Domino* [p] et *excisus a monte*, et idem auctus in montem *lapis* exstat, qui *est mirabilis in oculis nostris*. Ipse se nunc ædificationi nostræ et fundamento præstet et culmini, quia ipse est *initium et finis*. Super eamdem petram, nam [72] et *petra Christus est*, extra quam nemo potest domum stabilem fundare, non stipulam, aut fenum, et paleas, sicut in Ægypto servientes in cophino, manus congerant; ne luteis ædificiis operum sordidorum laterem, ut aiunt, lavemus, et incurvati oneribus laborum servilium devertamus dorsum nostrum a Domino [q]; (*a*) quia ut conversos ad se reficit lumine, ita aversos afficit cæcitate.

24. Videamus autem ædificantes, quid de nostra fragili terrenaque substantia dignum divino fundamento superædificare possimus [r], ut ab ipso [73] principali lapide vivificati, lapides in fabricam templi cœlestis aptemur. Aurum sensus nostri et sermonis argentum conflemus in Christo, ut nos in hujus mundi fornace purgatos [s], aurum ignitum, et moneta imaginis suæ dignum [74] ipse placitarum sibi animarum discussor efficiat, nosque ipsos illi de operibus luminis pretiosos lapides afferamus. Neque in cordibus ligni duritia stolidi, neque in operibus fenea siccitate aridi, neque in fide vel caritate mobiles et infirmi levium fragilitate palearum; sed ut opus arbitrii nostri non arsurum paretur, et inconcussum pacifica operatione consurgat, oremus Altissimum eam pacem ædificationis nostræ [t], qua paries ille aliquando in templi murum factus **211** est, ut *malleus, et securis, et omne vas ferreum non audiatur in ea* [u]: nec sicut postea in ejusdem templi reparatione, inimica Persarum invidia fabricam resurgentem hostilis impediat et interrumpat incursus [v]. Sic enim in domum orationis et pacis perficiemur, si nulla nos carnalium cogitationum cura concidat, nullus quietem nostram seculi tumultus interstrepat. Malleus enim nobis cura victus et cura vestitus est: securis et ferrum nobis cupiditas temporalium, et nocturnus mortis timor, et livor inimicus, et res hujus seculi; in cujus aut malæ cura, aut bonæ amore [75] anima conditur [76], mens compeditur; et pax bonæ voluntatis, quæ compositis religioso silentio sensibus confirmatur, atque orationis intentio, quæ inoffensa de libero et puro corde dirigitur, carnalium oblatratione curarum, quasi interstrepente malleo, vel securi feriente, convellitur. Sed *quia major est qui in nobis est quam qui in hoc mundo* [x], potens est *Dominus conterere Satanam sub pedibus nostris* [y], ut impleatur et illa pro nobis prophetia: *Contritus est malleus universæ terræ* [z].

25. Expedit autem nobis, ut etiam ædificatum cordis nostri templum sæpe Dominus Jesus revisat, veniens in flagello timoris sui, ut ejiciat de nobis mensas nummulariorum, et venditores boum vel columbarum [aa]; ne quod avaritiæ commercium animus noster exerceat, neque in nostris sensibus tar-

[a] I Cor. VIII, 14. [b] Gen. XI, 4. [c] Ephes. II, 20. [d] Psal. LX, 4. [e] Luc. XIV, 28. [f] Ephes. II, 21. [g] Psal. CXXVI, 1. [h] Ibid. [i] II Cor. V, 1. [j] I Cor. XIII, 12. [k] Exod. XXV, 40, et XXVI, 30. [l] Exod. XXIII, 20; Exod. XIII, 21, et XIV, 19. [m] Psal. CXXXIX, 8 [n] Exod. XIII, 21; Psal. LXVI, 3. [o] Psal. XLI, 5, juxta Psalt. Rom. [p] Psal. CXVII 23. [q] Psal. LXXX, 7. [r] I Cor. III, 10. I Pet. II, 5. [s] Sap. III, 6. [t] Psal. CXXI, 6. [u] II Reg. VI, 7, sec. LXX. [v] I Esd. IV, 4. [x] I Johan. IV, 4. [y] Rom. XVI, 20. [z] Jer. L, 23. [aa] Matth. XXI, 12, Marc. XI, 15.

(*a*) Reposuimus *quia*, ex mss. Reg. et Vien. et editis codicibus quatuor. Edit. Rosv., *qui*.

ditas boum stabulat: quia *ubi non sunt boves, præsepia munda sunt* [a]. Neque simus innocentiæ nostræ vel divinæ gratiæ venditores, ne faciamus orationis domum speluncam latronum [b]. Expurgatis enim omni malitiæ fermento sensibus nostris [c], inambulabit libenter Dominus noster Jesus Christus: et velut in illis quinque porticibus spatiabitur Sapientia [77] [d], virtus Dei, quæ *sanat omnes languores nostros* [e]. Nam et in anima nostra multi, sicut in illa ad piscinam olim medentem porticu, jacent ægri et debiles (*a*): quam si adeat Dei verbum, et avaritiæ lepram, et invidiæ ferruginem, et intemperantiæ cæcitatem, et iracundiæ phrenesim, et luxuriæ paralysim, præcepto medente, depellet; et nos non solum ad sanitatem innocentiæ, sed etiam ad firmitatem patientiæ refectos, jubebit illico non solum exsurgere de infirmitatis lectulo, sed etiam ipsum lectum tollere, ut portemus validi quo portabamur infirmi [f]. Quod profecto etiam in spiritali vel ægritudinis vel sanitatis nostræ genere [78] completur, cum carnem nostram, cui ut lectulo dediti jacebamus in vinculis vitiorum et infirmitate virtutum, postea in verbo Dei per gratiam Jesu Christi ad bonam incorruptamque mentem, renovato interiore, sani [79] quasi **212** grabatum illud tollimus [80], et spiritu prævalente portamus, ferentes ipsam sequentem quo volumus: in qua infirmabamur exspectantes alienam opem, semperque præventi celeritate piscinam occupantium: quia non erat qui porrigeret manum, neque qui salvos faceret; donec ipse legatis et angelis major (quippe ut prophetarum et angelorum Dominus) adveniret, et omnem infirmitatem nostram miserando susciperet [g], assumendo purgaret, *et animam esurientem repleret bonis*, *et juberet nos abire in domum* nostram, illam (ut supra dixi) *non manufactam* [h]: in qua vox lætitiæ et salutis, et ipse omnibus suis Christus habitatio, et regnum, et rex erit, testante Apostolo: Quia *semper cum Domino erimus* [i]: cui honor, et gloria, et potestas in secula [81].

EPISTOLA * XXXIII.

Scribit Alethio qui aliquid operis a Paulino poposcerat, et dicit se minus idoneum qui ejus satiare valeat desiderium. Is Alethius postea in episcopatu Cadurcensi successit Florentio fratri. (*Vide Dissert.* 3, *num.* 2.)

Beato et merito venerabili [1] ac dilectissimo fratri Alethio (*V.* not. 176), Paulinus.

1. Deo gratias, qui odorem gratiæ in te suæ per eloquia [2] litterarum tuarum manifestavit mihi [j]. Per fratrem enim carissimum in Deo Victorem meum, hoc munere militantem Deo, ut fraternæ serviat caritati, seque nobis per longinqua terrarum intervalla

A discretis (*id est* separatis, distantibus; *vid.* ep. 29, n. 9), impigrum annuis discursibus tabellarium præbeat, et religiosissimis officiis mutuo visitantium corporalem laborem spiritali impendat affectu: per hunc ergo fratrem et conservum in Domino, qui communis et unanimus; nam et vobis ea se, qua nobis insitus est, acceptissimum gratia gloriatur, per hunc, inquam, mihi sancte venerabilis frater, tam dulce quam insperatum mihi munus accepi, epistolam tuam; in qua nobis bonus cordis tui thesaurus apparuit [k], ut merito percepta officii tui benedictione gauderem, cum faciem interioris tui castissimo speculatus eloquio, quantum in te mihi a Domino adjutorium (*b*) conferat, agnoscerem.

2. Sed in iis quæ mihi injungenda dives inopiæ B æstimator putasti, sanctam quidem purissimæ caritatis fiduciam demonstrasti: fama tamen, quantum intelligo, Dominici operis persuadente inductus es, ut secundum opus Domini, quo nobis [3] curam redemtionis nostræ inspirare dignatus est, ingenii quoque et oris opes suppetere nobis arbitrareris. **213** Sed bonam concupiscentiam magna fide vacuis opinionibus spes illusa decepit. Unde enim mihi tantum aquæ, quantum sitis? unde tale [4] poculum, quod digne bibas? unde (*c*) tanti panes, quantos postulas [l]? Sed ipse tibi autor injuriæ tuæ eris diutius esurire, qui evangelicos lucis et vitæ cibos in alta hujus seculi nocte desiderans, somnolenti et pauperis amici egenam penum pulsas; qui flumina aquæ vivæ sitiens [m], arentem venulam scalpis, et humo- C rem de pumice conaris exprimere. Aut enim nullus mihi de inspirantiæ (*Latin. et Sacchin. forte* insipientiæ) siccitate, aut amarus de malitiæ felle fons intus est; quem utinam orationes et litteræ tuæ sæpius impensæ mihi (*d*) exundare ac dulcescere faciant fidei tuæ ligno, et eloquii suavitate [n]; ut et verbo Dei, quod bonus minister pio ore deprompseris, quasi virga prophetæ percusso (*e*) cordis [x]. (*Cetera desunt.*)

** XXXIV SERMO

DE GAZOPHYLACIO [1] (*V.* not. 177).

Eloquenter, erudite ac pie beneficentiam in pauperes prædicat.

1. Non frustra, dilectissimi mei, jumentis præsepe ponitur, neque tantum ad speciem videndi jacet; mensa etenim quædam est, quamlibet irrationabilium D animantium, tamen ab hominum ratione composita, ut per eam quadrupedia cibum capiant. Quod si ii qui præsepia ædificare curaverint negligant pabulum inferre, (*f*) proclivius tabida inopi stabulo jumenta deficient, et non pascentia fames depascitur animalia. At illi dignum negligentia vel avaritia damnum de

[a] Prov. XIV, 4, juxta LXX. [b] Matth. XXI, 13; Luc. XIX, 46. [c] I Cor. V, 7. [d] Johan. V, 2. [e] Psal. CII, 3. [f] Johan. V, 8. [g] Isai. LIII, 4. [h] II Cor. V, 1; Psal. CXVII, 15, sec. Psalt. Rom. [i] I Thess. IV, 16. [j] II Cor. II, 14. [k] Matth. XII, 35. [l] Luc. XI, 5. [m] Johan. VII, 38. [n] Exod. XV, 25. [o] Exod. XVII, 6.

* Scripta videtur anno 403.

** Alias Epistol. 34. Forte anno 403, et missus cum superiore epistola.

(*a*) Ms. Reg., *quæ si audiat.*

(*b*) Ita ms. Vien. et edit. Chifflet., favente edit. Schot. Alii codices, *conferam.*

(*c*) Sic ms. codex Vien. cum edit. Chiffl. Alii, *tantos.*

(*d*) Ita emendavimus ex ms. Vien. et editis Chiffl. et Schot. Ms. Reg. cum tribus editis, *exundarent, dulcescere.* Rosv., *exundanter dulcescere.*

(*e*) Ita omnes codices præter Vatic. et Rosv., in quibus *corde.*

(*f*) Sic reposuimus ex ms. codice Viennensi, edit. Chifflet. et Latin. Ante erat *proclivi.*

toto capessent, quibus præsepis parandi tantum labor A fuerit, et replendi cura defuerit : pariter enim cum animalibus mortuis et usum præsepis amittent; duo gravia damna juste ferentes, qui unum necessarium utilis impendii sumtum pepercerint ministrare. Hoc igitur exemplo, dilectissimi, cavere debemus, ne damnum animæ et dispendium salutis adeamus, negligentes in Ecclesia positam a Domino mensam indigentibus, quam despicientibus oculis intuemur, aut aridis manibus præterimus. Absit, quæso, ab animis vestris tale contagium. Facile enim serpit cancer avaritiæ in præcordia nullis misericordiæ munita visceribus, captamque vipereis alligat vinculis animam, si ab operibus bonis nudam, et materia captivitatis, **214** hoc est, infructuosis opibus abundantem serpens inimicus invenerit. Non patiamur ergo mensam B Domini, et nobis vacuam, et egentibus inanem relinqui; et visui tantum stare, non usui; ne de negligentia nostra esurientibus expressi gemitus in nos retorqueantur. *Qui* enim *spernit pauperem exacerbat*, ut scriptum est, *eum qui fecit illum* [a], hoc est, communem omnium Creatorem : qui sicut refectione inopum gaudet, ita defectione tristatur.

2. Excitemus ergo nos ab inertiæ somno, et, vel ut negligentiæ torporem discutiamus, vel avaritiæ vincla [2] rumpamus, inspiciamus diligenter in omnia verba, præcepta, promissa, opera, consilia Salvatoris nostri Dei; reputemusque nobiscum, cur hæc mensa, et quo autore proposita sit in atriis domus Domini, in conspectu omnis populi ejus; quodque maxime [3] considerandum est, cui bono, qua gratia, in quem C fructum locata (*a*) præniteat et pateat. Consule ipsa veritatis oracula, et respondebit tibi propheta : *Qui miseretur pauperi, Deum fenerat* [4] [b]. Cœlestis igitur trapezitæ [5] hæc mensa est, thesaurum vitæ struens [6], et ad margaritam negotiandam Dei fenus exercens. [c] Qui enim fenerat (*V.* not. 70) pauperes Domini, præstolatur a Domino [7] retributionem mercedis æternæ. Sed et beatus apostolus Paulus nos docens, inter sollicitudines omnium Ecclesiarum non minimam sibi curam pauperum esse testatur; ait enim, *Tantum ut pauperum memores simus, quod studui* (*b*) *facere idipsum* [d]. Idem alibi clamat : *Nihil intulimus in hunc mundum, verum nec auferre possumus* [e]; et iterum : *Quid enim habes quod non acceperis* [f]? Atque ideo, dilectissimi, non ut de proprio restricti simus, sed ut de credito fe- D neremus. *Dispensatio* enim, inquit, *nobis credita est* [g]; et temporalis pecuniæ usura communis, non privatæ rei æterna possessio. Si cognoscas eam temporaliter in terra tuam [8], poteris in cœlestibus tibi facere perpetuam : si reminiscaris in Evangelio [h] illos susceptores Domini talentorum [9], et quid cuique paterfamilias reversus retribuerit, scies quanto sit utilius ponere ad mensam Domini multiplicandam pecuniam; quam sterili fide (*c*) nullo reditu creditoris, magno inutilis servi dispendio, in sola pœnarum illius incrementa esse servatam.

3. Festina igitur illam potius vocem mereri ut audias : *Euge, bone serve, intra in gaudium Domini tui* [i]; quam illam, *Serve nequam* **215** et piger, *de ore tuo te judico* [j], et reliqua quæ nota sunt; misso inutili in tenebras exteriores, ac talento ejus illi qui multiplicatis creditis abundabat, adjecto: *Omni enim*, inquit, *habenti dabitur, non habenti vero et id quod habet auferetur* [k]. Reminiscamur et illius viduæ, quæ pauperum cura sui negligens, totam victus sui substantiam, futuri tantum memor, Judice ipso teste, vacuavit : Alii enim, inquit, de abundantia sua superanto [10] contulerunt; illa vero multis forsitan et pauperum egentior, cui duo minuta omnis census erant [l], sed animo cunctis divitibus opulentior; solas mercedis æternæ opes spectans, cœlestis avara thesauri pariter sibi totum ejus substantiæ quæ de terra sumitur et in terram revertitur, abdicavit. Misit quod habebat, ut quod non viderat possideret. Misit corruptibilia, ut immortalia compararet. Non despexit illa paupercula dispositam a Deo ordinatamque rationem de receptione venturi; et propterea non fuit immemor ejus ipse dispositor, jamque sententiam suam ipse mundi arbiter (*d*) præcucurrit; et quam in judicio coronaturus est, in Evangelio prædicavit.

4. Feneremus (*V.* not. 70) igitur Dominum de (*e*) donis Domini : nihil enim sine ejus munere possidemus, sine cujus nutu nec ipsi sumus. Et nos præcipue, quid nostrum putemus, qui majori et speciali debito non sumus nostri? et non solum quia facti a Deo, sed et emti sumus [m]. Gratulemur autem quia magno emti, quippe sanguine ipsius Domini : quo pretio et viles et venales esse desistimus, quia vilior servitute libertas liberum esse justitiæ. Talis etenim liber servus peccati et captivus est mortis. Sua igitur Domino dona referamus; demus illi qui in omni paupere accipit; demus, inquam, gaudentes, et recipiamus ab ipso exsultantes. Placet enim ipsi talis injuria, ut vim regno ipsius inferamus, bonis operibus cœli claustra frangentes. Dominus enim noster, qui *solus bonus*, ut *unus Deus* [n], non avaritiæ studio accipere desiderat, sed largitatis affectu. Quid enim non habeat, qui omnia dedit? Aut quid non possideat, qui ipsos possidet possidentes? quia omnes viri divitia-

[a] Prov. XIV, 31, et XVII, 5. [b] Prov. XIX, 17. [c] Matth. XIII, 45. [d] Gal. II, 10. [e] I Tim. VI, 7. [f] I Cor. IV, 7. [g] I Cor. IX, 17. [h] Matth. XXV, 14. [i] Matth. XXV, 21. [j] Luc. XIX, 21. [k] Matth. XXV, 29; Luc. XIX, 26. [l] Marc. XII, 43; Luc. XXI, 3 et 4. [m] I Cor. VI, 20. [n] Matth. XIX, 17.

(*a*) Ita emendavimus ex mss. codicibus Reg. et Vien. et editis Grav., Schot. et Chiffl. Alii duo editi, *pertineat*. Ed. Rosv., *perniteat*.

(*b*) Ita Scriptura sacra, ms. Reg. et edit. Chiffl. In aliis editis codicibus male interpungebatur, *quod studui facere. Idipsum idem*, etc.

(*c*) Vulgatam retinuimus lectionem quoadusque ex mss. codicibus major lux affulgeat. Mss. enim Reg. et Vien., *quam sterili fide odiosam reminiscant quare nullo*, etc. Nec placet Chiffletii correctio, *quam sterili fide odiosam reminisci a te, avare, nullo reditu creditoris..... servatam*.

(*d*) Ita restituimus ex ms. codice Vien. et edit. Chiffl. postulante sensu. Alii, *præcurrit*.

(*e*) Ms. Reg. et editi 5, *bonis*; utraque lectio recepta. Ea quam reposuimus ex ms. codice Vien. et edit. Chiffl. confirmatur ex sequentibus, et n. 6 et 7.

rum in manibus ejus: sed immensa ejus justitia pariter et bonitas de ipsis muneribus suis vult sibi munera invicem fieri, ut sibi materiam erga te beneficentiæ pariat, quia bonus est: et tibi faciat meritum, quod digne [11] recipias, quia justus est.

5. Patent igitur thesauri bonorum illius, et divitiæ bonitatis ejus in promtu sunt, ut **216** unusquisque non exspectet accipere, sed ultro sibi rapiat quantum velit. In hoc enim nos fecit bonus Dominus et Pater sanctus, ut nostro bono essemus boni. Nam quo ille indigeret extrinsecus bono, qui totus ipse quantus est, bonitas et beatitudo est [a]? Ob hoc, quantum in ipso est, carissimi, *omnem hominem vult salvum fieri* [b], quia in omni homine opus suum diligit; et impense tibi (*a*) largus est de suis opibus, si tu tibi ipse non sis invidus et avarus de iis quæ Deus tua fecit, non ut causa tibi ad mortem, sed ut pretium ad vitam forent. O abundantia bonitatis Dei! vult fenerari ex iis quæ ipse largitus est: cupit debitor fieri donorum suorum, ut cum multa tibi ratione tuam reddat usuram.

6. Propera [12] igitur, frater, tam uberem tibi obstringere debitorem, ut et amicum te ex servo vocet [c]; et in tuis terrestribus nummis te expertus fidelem, de suis cœlestibus thesauris divitem faciat [13]. Ne trepides, ne cuncteris, ne parcas. Esto violentus Deo, rape regna cœlorum [d]. Qui vetat aliena contingi, sua gaudet invadi: et qui damnat avaritiæ rapacitatem, laudat fidei rapinam. Pransores tui dudum stant pro foribus tuis, tempus et regem mensæ opperientes. Tu convivas moraris: curre sollicitus, ne diutius maneant jejunantes; et injuria eorum excitetur is qui fecit illos, et qui illos bono tuo pauperes fecit [e]. Nam potuerat, dilectissimi, Dominus omnipotens æque universos divites facere, ut nemo indigeret altero: sed infinitæ bonitatis consilio sic paravit misericors et miserator Dominus, ut tuam in illis mentem probet. Fecit miserum, ut agnosceret misericordem. Fecit inopem, ut exerceret opulentum. Materia divitiarum tibi est fraterna paupertas, si intelligas super egenum et pauperem [f]; nec tibi tantum habeas quod accepisti, quia ideo et illius partem tibi in hoc seculo contulit Deus, ut tibi deberet quidquid [14] de suis donis tuo voluntario affectu indigentibus obtulisses, ac te vicissim in æterna die de illius parte ditaret. Per ipsos enim nunc accipit Christus, et tunc pro ipsis rependet. Docet enim nos et evangelicus ille dives a tartaro, et in Abrahæ sinu jam non mendicus (*b*) Eleazarus, qui in illa pœnali ardentis divitis egestate refrigerio vitæ affluebat [g]; docet, inquam, istud exemplum, vicissitudinem esse istic et illic humano generi distributam; repensandumque illic pauperibus, quod istic videtur [15] negatum: et contra, divites qui pauperibus istic inopes **217** fuerint, nihil de pauperum felicitate capturos; mendicitatemque perpetuam cum abundantia pœnarum pro injuria pauperum digna ultione referendam.

7. Quare *ambulate*, ut scriptum est, *ut filii lucis in lumine, dum lumen habetis* [h]; et sic age, Christiane, dum resipiscendi et providendi dies suppetit, ut audire merearis a Domino: *Euge, bone serve, quia in paucis fidelis fuisti, supra multa te constituam* [i]. Vide igitur, et intende huic verbo, frater, et noli negligere gratiam quæ tibi oblata est. Noli descendere vacuus in domum Christi [j], *quæ est Ecclesia Dei vivi* [k]. De tuis multis vel parva si tribuas, multam tibi reliquorum tuorum adjectionem parasti. Plurimi te exspectant, et in adventum tuum pendent, circumspicientes quando te videant. Tibi impenduntur cunctorum inopum preces et vota debilium. Vide ne tam pios mutare cogantur affectus, et in querelam preces vertant; et adversum te editi gemitus, quos necessitas laborantium, te non miserante, confectis extorserit, feriant et invitent (*forte* irritent) patrem orphanorum, judicem viduarum, et compassorem pauperum Deum [l].

8. Cave ipsum te tantummodo ames, si te amas, quia iniquitatis est ista dilectio; et *qui diligit iniquitatem, odit*, ut scriptum est, *animam suam: plenitudo autem legis est dilectio proximi* [m], quod omnis homo homini est germanitate naturæ. Parem ergo curam tui et pauperis gere, ut imiteris imitatorem Christi, non tibi, sed aliis utilia curando, ut tui impensius Deo cura sit [n]. Vide enim quanto crimine te superbia aut avaritia discernat ab eo, cui te Deus opere suo junxit. Refice esurientem animam, et non timebis in die malo ab ira [16] superventura. *Beatus enim*, inquit, *qui intelligit super egenum et pauperem, in die malo liberabit eum Dominus* [o]. Operare igitur et excole hanc regionem terræ tuæ, frater, ut germinet tibi frugem fertilem, plenam adipe frumenti, magno cum fenore centesimum tibi fructum multiplicati seminis afferentem [p]. In hujus vel possessionis vel negotiationis appetitum et studium sancta et salutaris est avaritia: nam talis cupiditas, quæ regnum cœleste meretur et bonum perenne desiderat, radix bonorum est. Tales igitur, ut supra dictum est, divitias concupiscite, et hujusmodi possidete patrimonium, quod in centenos fructus vobis creditor (*c*) pensitet, ut vestros quoque vobiscum bonis perennibus augeatis heredes. Possessio enim hæc vere magna et pretiosa **218** est, quæ possessorem suum non cumulo seculari onerat, sed reditu ditat æterno: quæ lacte et melle manat, et non de alvearibus neque pecori-

[a] Psal. xv, 2. [b] I Tim. II, 4. [c] Johan. xv, 15. [d] Matth. XI, 12. [e] Prov. XIV, 31. [f] Psal. XL, 2. [g] Luc. XVI, 21. [h] Johan. XII, 35. [i] Matth. XXV, 21; Luc. XIX, 17. [j] Exod. XXIII, 15. [k] I Tim. III, 15. [l] Psal. LXVII, 6. [m] Psal. x, 6; Rom. XIII, 10; Luc. x, 36. [n] I Cor. x, 33. [o] Tob. IV, 11; Psal. XL, 2. [p] Matth. XIII, 8.

(*a*) Sic emendavimus ex mss. Reg. et Vien. et edit. Chifll. Alii codd., *largitus*.

(*b*) Ms. Reg., *Eleazar*. Ita et apud Prudentium Cathemerin. hymn. 10, v. 154. *Eleazar* in mss. codicibus legi asserit N. Heinsius in notis, indeclinabile nomen, pro *Lazarus* de quo Lucas in Evangelio c. XVI, v. 19 et seqq. Vide quæ diximus de hac voce ad epist. 13 ad Pammach., num. 17.

(*c*) Ms. Vien. et edit. Chifll., *penset*. Ms. Reg. cum editis quatuor, *creditos pensitet*.

bus expressum dulcium nectar liquorum, sed per flumina læta diffusum suis præbet agricolis.

9. Verum, dilectissimi, non solum ut bona æterna quæratis, sed ut mala innumera vitare mereamini, præsenti sollicitudine et sedula operatione justitiæ providete. Magno enim adjutorio atque præsidio nobis opus est, et multarum atque indeficientium orationum patrociniis indigemus. Adversarius enim noster non quiescit, et in nostrum pervigil hostis interitum obsidet omnes vias nostras [a], egressusque et aditus omnium diligenter explorat; uniuscujusque vestigiis comes indiscretus (*id est* inseparabilis; *vid.* ep. 20, n. 1) affligitur, ac (*a*) sepes egressibus nostris objicit, et pedibus interserit, ut in plano quoque latentem salebram male cautus offendas. Unde scriptum est : *Sunt viæ quæ videntur hominibus planæ, novissima autem earum tendunt in infernum* [b]. Quod si securus in plano, neque cautus in lubrico decidas, illico irruit, et lapsum premit; nec parcit omittere [17], nisi frangat et devoret. Per cuncta igitur cave; dum infers pedem, cuncta circumspice. Ex omnibus enim partibus zabulus imminet, *sicut leo paratus ad prædam* [c]. Neque ipsi terræ tuæ credas, suspenso tibi, immo munito (*V.* not. 178) calcandæ vestigio : quæ peccatum primi patris in universa hominum carne cognoscens, spinis et tribulis [d], et serpentibus ac bestiis ferax, sententiam Creatoris exsequitur. Multæ præterea nobis in hoc seculo cruces, innumera discrimina, morborum labes, febrium ignes et dolorum tela grassantur in animas, cupiditatum faces (*b*) accenduntur, ubique prætenti latent laquei, undique stricti horrent gladii, inter insidias et pugnas vita transigitur, et per ignes doloso cineri suppositos ambulamus.

10. Igitur priusquam in aliquam tantarum ægritudinum labem casu vel merito actus incurras, festina medico susceptus et carus fieri, ut in tempore necessitatis paratum habeas remedium salutis [e]. Aliud est, quando tu solus oras pro te; et aliud, quando multitudo pro te apud Deum trepidat. Tu taces, et (*c*) cum taces, illi pro te clamant. Et vident te, et arrident. Inveniunt te, et adsalutant; et egestatis et debilitatis immemores, corpora ipsorum tua sanitate vegetantur, animæ tuo aspectu vigescunt. Tu quippe ager illis fertilis, tu fundus es **219** fructuosus; et illi vicissim tibi locuples et pretiosa possessio sunt. Te filiis suis præferunt, et pro te prius quam de se quisque sollicitus, aut cum sua, aut ante suam salu-

A tem orat tuam. Non sui negligentes, sed amore translato, in te quisque se diligit, et tuam vitam suæ vitæ precatur; quia tuus fructus illius vita est, et divitiæ tuæ illius opes, (*d*) et paupertates tuæ illius divitiæ sunt. In omnibus ecclesiis pro te rogant, in omnibus plateis tibi gratulantur; et in locis singulis ad commemorationem tui nominis eriguntur benedicentes Dominum, et absentem te in suis manibus exosculantur [18]. Semper te vident, et numquam te non vident, quia animo complectuntur, quo cernimus absentes. Inscriptus es enim et impressus [19] cordibus eorum per multam tuam in eos humanitatem. Nec famem metuunt, securi ciborum tuorum : neque hiemem pertimescunt, quia tu prævenis et excludis hiemem vestium præparatu. *Beatus homo, quem veniens*
B *Dominus inveniet ita facientem* [f]!

EPISTOLA * XXXV.

Paulinus commendat Delphini precibus animam demortui fratris sui, et seipsum.

Beatissimo et venerabili semper nobis (*e*) desiderantissimo Patri DELPHINO, PAULINUS.

Breves sanctæ affectionis tuæ litteras magno affectu nobis copiosas, in toto, quo desideravimus, corde suscepimus. Sed quia *omni rei tempus est* [g], nunc,[1] ut in tempore contristationis, tempus etiam breviandi sermonis esse visum est. Contristatos autem nos vehementer fatemur, non tam de obitu corporali fratris nostri, quam de negligentia ejus spiritali, qua relinquendarum istic potius curarum, quam providendorum illic remediorum memor, posthabenda
C præposuit, et præponenda posthabuit [h]. Quem oportuit et illa potiora pro se curare, et hæc temporalia pro filiis non prætermittere. Unde petimus ut paterna affectione compatiens huic nostro dolori, meminisse digneris, et illum quondam spiritalem tibi filium gratia Dei fuisse progenitum, et ideo tuæ specialiter curæ hanc esse causam, ne pietatem tuam, quæ nobis filiis gloriabatur, dilapidata hereditariæ portionis substantia confundamus [i] : sed potius ut orationibus tuis condonetur tibi, ut et illius animam vel de minimo sanctitatis **220** tuæ digito (*f*) distillans refrigerii gutta respergat [j], et nobis, dum tempus est, recurrentibus ad te et clamantibus : *Pater, peccavimus in cœlum et in te; jam non sumus digni vocari filii tui* [k] : pro confessione peccati divina miseratio te interveniente succurrat. Ne pro absumta patris æterni sub-
D stantia, quam quotidie peccata nostra dilapidant, obruamur pudore redeundi, et in longinqua regione (*g*) com-

[a] I Pet. v, 8. [b] Prov. XIV, 12, et XVI, 25. [c] Psal. XVI, 12. [d] Gen. III, 18. [e] Eccli. XXXVIII, 1. [f] Matth. XXIV, 46. [g] Eccl. III, 1, sec. LXX. [h] II Cor. XII, 14. [i] Luc. XV, 13. [j] Luc. XVI, 24. [k] Luc. XV, 18.

* Alias 19; quæ autem 35 erat, nunc 43. Scripta anno 403.

(*a*) Ms. Vien. codex et edit. Chiffl., *sæpe se gressibus*. Melior et verior vulgata lectio quam retinemus. Vide ea quæ præcesserunt et subsequuntur.

(*b*) Ms. Reg. et edit. Chiffl., *accedunt*, mendose, ut nobis videtur.

(*c*) Hæc duo verba absunt a ms. codice Vien. et edit. Chifflet.

(*d*) Ita editi quatuor cum ms. Vatic. Optima lectio. At quo sensu mss. Reg. et Vien. et edit. Chiffl., *et divitiæ tuæ illius opes paupertati divites sunt?* Ms. Reg., *paupertatis*.

(*e*) Ita mss. Reg. et Vien. At editi habent, *desideratissimo*.

(*f*) ms. Reg., *destillans*. Sic omnes codices ad epist. 23 ad Severum, n. 33, in fine, *quasi rores in hac seculi nocte destillant*, et n. 36, *guttam cœlestis sapientiæ destillare*. Utraque lectio recepta. Vide ep. 19, n. 3.

(*g*) Ex ms. Viennensi codice emendavimus, *commorati*. Edit. Schot., *commorantes*. Ante erat *commorantium*.

morati in custodiam escamque porcorum indignam, quod nefas est, deducamur [a].

EPISTOLA * XXXVI.

Amandi Burdegalensis presbyteri precibus animam sui fratris et seipsum commendat. Successit postea Amandus ille in Burdegalensi episcopatu S. Delphino, et inter sanctos ipse quoque recensetur in Romano Martyrologio 14 kalend. Julii.

Sancto et merito venerabili, ac dilectissimo AMANDO, PAULINUS.

1. Dulcissimum oris vestri gustum in brevi sanctitatis vestræ sermone libavimus. Nam sicut mellis gutta idem sapit quod totus favus, sic et in uno licet verbo stillicidium linguæ vestræ totum sanctæ animæ vestræ saporem refert : quia quidquid de bono thesauro promitur, bonum atque pretiosum est [a]. Nec ideo margarita vilis est, quia exigua; sed ideo magis pretiosa, quia et in exiguo modo magnum pretium habet, ita ut, sicut Evangelica quoque testatur autoritas [b], profligatis etiam comparanda patrimoniis appetatur [b]. Sed et granum sinapis, quod minimum videtur in semine, maximum tamen exstat in olere. Cujus seminis verbum quia in vobis satum est, et in corde vestro viget, unde cor ardens habetis in via Domini [c], ideo etiam brevis sermo vester dulcedinem simul ac vigorem verbi cœlestis tenet, et nobis ministrat, ut nos etiam vestræ prudentiæ sale condiamur [d].

2. Et ideo nos quoque imitabimur in hac epistola parcimoniam * sermonis vestri, etsi plenitudinem sensus vestri non (*a*) valeamus imitari; hoc tantum respondentes, quod præcipue cum hæc scriberemus, curæ nobis erat ex recenti dolore fraternæ divulsionis : quem etiamsi temporaliter ab hoc seculo sciamus assumtum *, in illo nobis cito consequendum, tamen ea verius causa **221** obisse lugemus, quia ex his quæ gesta ab ipso (*b*) in finem ejus vel ordinata sunt, peccatis magis nostris quam votis congrua egisse perspeximus, ut mallet ad Dominum debitor transire quam liber. Ob hoc impense rogamus, ut quasi frater, quod nobis in Domino esse dignaris, unanimos fratres juvans [e], et hanc meritis fidei tuæ mercedem accumules, ut pro eo infirmitati nostræ compatiaris, et orandi labore conspires; ut *misericors et miserator Deus, qui facit omnia in cœlo et in terra, et in mari, et abyssis* [f], refrigeret animam ejus stillicidiis misericordiæ suæ per orationes vestras. Quia sicut ignis accensus ab eo ardebit usque ad inferos deorsum [g], ita proculdubio etiam ros indulgentiæ ejus inferna penetrabit, ut roscido pietatis ejus A lumine in tenebris ardentibus æstuantes (*c*) refrigeremur.

3. Ora et pro nobis, ne in peccatis nostris moriamur; notum faciat nobis Dominus finem nostrum, ut sciamus quid desit nobis [h], et properemus adimplere quod restat; ut non revolvamur in medio dierum inanium [i], texentes operibus vacuis araneæ telam [j], sed dies pleni inveniantur in nobis [k]; ut simus [k] pueri centum annorum morientes [l], id est, *malitia parvuli, et sensibus perfecti* [m]; Ita (*d*) fiat, ut mortui superstitibus exemplo bono salubrem pœnitentiam relinquamus : neque septem dies luctus noster excedat [n], si consentiamus in hujus vitæ via adversario nostro [o], id est, spiritui ac verbo Dei, quod nobis peccantibus adversatur. Nam et *Spiritus arguit mundum* B *de peccato* [p]; et sermo Dei, ut Dominus in Evangelio contestatur, si ei non pareamus, accusator noster erit, et tradet nos judici Verbo [q], qui rationem talenti sui usque ad novissimum quadrantem exiget; et, nisi *exercitio pietatis*, quæ *ad omnia utilis est* [r], duplicatum pecuniæ suæ fenus receperit [s], otiosæ fidei partem cum infidelibus ponet [t] [s] : quia proximus infideli est, qui mortuam sine operibus fidem vacuo [s] Christiani nomine gerit [u]. Et hic est insipiens, cujus luctus omnis temporis est [v], quia timorem Domini non habens, caput sapientiæ non tenuit. Et factus in cauda est [x], quia non habitat in medio domus, qui *diligens iniquitatem odit animam suam* [y], et traditus ministro inferni carceris, *mittitur in tenebras exteriores* [z], quia secundum exteriorem hominem vixerit. C Propterea hic sine fine lugendus est, quia **222** in ignem damnandus æternum sine fine morietur.

4. *Pacem ergo habeamus ad Dominum* [aa], pacem non hujus mundi [bb], quæ amica peccatis Deo dissidet; sed pacem Christi, quæ cum Deo conserit [r], et nos Christo conformat, si adhæreat Verbo [s] Dei anima nostra [cc], ut efficiamur unum cum Deo per interventum mediatoris, qui est pax nostra; quia *fecit* [s] *utraque unum* [dd], naturas discordes Dei et hominis in se copulans; et in nobis duo unum faciens, id est, carnem animæ spiritali consentientem; et tunc ignis in medio nostrum manebit, seu harum in nobis duarum vel (*e*) eum spirituum (*V.* not. 179) trium consensus invitet, ut faciat in corde nostro sibi placitam cum D Patre et Spiritu mansionem [ee], et vicissim nos ubi ipse est ducat, dicens : *Intrate in gaudium Domini vestri* [ff] (*f*).

[a] Matth. XII, 35; Luc. VI, 45. [b] Matth. XIII, 46; Matth. XIII, 32. [c] Luc. XXIV, 32. [d] Col. IV, 6. [e] Prov. XVIII, 19. [f] Psal. CXXXIV, 6. [g] Deut. XXXII, 22. [h] Psal. XXXVIII, 5. [i] Psal. CI, 25. [j] Job, VIII, 14. [k] Psal. LXXXIX, 9, et LXXII, 10. [l] Isai. LXV, 20. [m] I Cor. XIV, 20. [n] Eccl. XXII, 13. [o] Matth. V, 25. [p] Johan. XVI, 8, et XV, 22. [q] Matth. V, 25. [r] I Tim. IV, 8. [s] Matth. XXIV, 51, et XXV, 27. [t] Luc. XIX, 23. [u] Jacob. II, 17. [v] Eccli. XXII, 13. [x] Deut. XXVIII, 44. [y] Psal. CI, 7, et X, 6. [z] Matth. XXII, 13. [aa] Rom. V, 1. [bb] Johan. XIV, 27. [cc] I Cor. VI, 17. [dd] Eph. II, 14. [ee] Johan. XIV, 23. [ff] Matth. XXV, 21.

* Alias 20; quæ autem 36 erat, nunc 43. Scripta anno 403, et missa cum superiore.

(*a*) Ita mss. codices. Editi, *valemus*.

(*b*) Sic manuscripti codd. Reg. et Vien. Editi, *ad*.

(*c*) Edit. Rosv., *refrigerentur*.

(*d*) Ita mss. et Reg. Vien. et editi codices quatuor. Edit. Rosv., *fiet*.

(*e*) Sic emendavimus ex ms. codice Viennensi. Edit. Rosv., *seu horum in nobis duorum vel conspirituum trium*. Sacchiuus, *cum spiritu trium*. Vide not. 176.

(*f*) Editi codices Grin. et Rosv. addunt in fine, *Opto ut valeas* : quæ verba cum a manuscriptis et tribus editis codicibus abessent, expunximus.

EPISTOLA * XXXVII.

Dolet per sua peccata factum ut Victricius, cum Romam venisset, ad se non pervenerit. Laudat hominem de apostolico evangelizandi munere, deque toleratis adversariorum vexationibus. Postremo eum ad constantiam rectæ doctrinæ et omnium virtutum hortatur.

VICTRICIO (*a*) unanimo fratri PAULINUS.

1. *Sicut aqua frigida sitienti, et bonus nuntius de terra longinqua* [a], ita nobis refrigerio et refectioni fuit eloquium sanctitatis tuæ, quod per epistolam [1], brevem quidem verbis, sed caritate prolixam, in manu carissimi portitoris accepimus, hoc est, filii nostri Candidiani; cujus gratiæ congratulati sumus, quia propter verba labiorum sanctorum prompto spiritu impigrum carnis infirmæ jumentum angariavit in vias duras [b], non virtute, sed fide fretus. Et sine dubio per orationes tuas, quasi pennas columbæ aut pedes cervi [c] ad implendum caritatis ministerium roboratus accepit, et inde in parvo corpore *quasi gigas* factus, *exsultavit ad currendam viam* [d]; et replevit animam nostram benedictione dulcedinis, afferens [2] nobis epistolas *desiderabiles super aurum et lapidem pretiosum nimis, et super mel* [3] *et favum dulces* [e]. Quibus mentem nostram de peccatis amaram, quasi (*b*) merram illam (*c*) in manu Moysi per lignum mysterii [f], ita beatitudinis **223** tuæ sanctus et dulcis afflatus in dulcedinem lætitiæ spiritali suavitate mutavit. Nam et inde tristati amaritudinem duxeramus, quod ex Urbe ad nos, sicut sperabamus, brevi itinere non veneras, qui ad Urbem per tanta terrarum spatia perveneras. Fateor enim me hujus boni damno non solum contristatum, sed et confusum fuisse: numquam enim [4] magis mihi ipsi, ne dicam aliis, manifestata fuerant peccata mea, quam quod mihi de tam proximo vultus tui lumen inviderant. Numquid enim Dei manus, quæ tam longe te perduxerat, prope non valuisset adducere? Sed peccata nostra grandi muro desideriis nostris opposita, inter nos et te separaverunt [g]. *Væ mihi misero peccatori immunda labia habenti*, qui audeo dicere te prope nos, vel nos prope te fuisse: cum, etiam si ad nos usque venisses, æque tamen a sanctitate tua longe fuissemus [5]: neque enim locis potuisset æquari aut conjungi tanta virtutum distantia et longinquitas meritorum.

2. Verumtamen fructibus sanctitatis tuæ opus istius pietatis (*d*) accesserat (*forte leg.* accessisset), et merces in cœlo tua de tam pio labore crevisset, si et A circa infirmitatem nostram facie et manu tua comminus visitandam, verbum illud Domini salutaris implesses, quia *non est opus medico sanis, sed male habentibus* [h]. Nolo te enim, benedicte vir (*e*) Domino, ita securum esse de nobis, ut putes jam sanatos esse omnes languores animæ nostræ, in quibus Domino peccavimus et peccamus: quamlibet ipse summus unguentarius, qui ad remedia salutis nostræ conficit varias unguentorum salutarium atque virtutum suavitates, medicamentum vitæ nostræ non solum de effusione spiritus sui, sed etiam de corporis nostri assumtione confecerit; *factus*, ut scriptum est, *pro nobis peccatum per similitudinem carnis peccati* [i] in veritate carnis nostræ, *ut de peccato damnaret peccatum* [j] hoc est, radicem peccati nostri ipse peccati li- B ber de materia prius peccatrice damnaret, *delens* illud *quod adversum nos erat* mortalis *edicti chirographum* [k] per sanguinem passionis suæ, et *inimicitiam*, qua separabamur a Deo peccatis intervenientibus, (*f*) *interfecit in semetipso* [l], et triumphavit potestates adversarias (*forte add.* in) carne sua, dans nobis exemplum vivendi atque vincendi in nobismetipsis spiritales et invisibiles inimicos spiritali et invisibili prælio, quod geritur inter legem mentis et legem carnis captivare nos nitentem in legem peccati [m].

3. Sed ora Deum [6], et exora, *ut apprehendat* **224** *arma et scutum, et exsurgat in adjutorium nobis, et dicat animæ nostræ: Salus tua ego sum* [n]; ne fiat via nostra tenebræ et lubricum, et operiat nos umbra mortis, et *dicat inimicus: Prævalui adversus eos* [o]. Te C vero (*g*) tendente pro nobis arcum orationis, non convertemur [7] in arcum perversum. *Exsurgat in nobis Deus, ut dissipentur inimici nostri* [p]; quia *propter miseriam inopum et gemitum pauperum* [q], quorum participes sumus, *exsurrexit Dominus*, ut *averteret mala nostra inimicis nostris* [r], et *salvos faceret peccatores, quorum præcipui sumus* [s], sicut infimi [8] servorum Christi; qui nec ea quæ debemus, facere possumus [t]; cum et supra debitum legis aliquod voluntarium munus adjicere debeamus de affectu nostro, ut Magister ipse fecit, cujus tu imitator es; qui potestatem habens de Evangelio vivendi, noluit tamen uti potestate sua, et (*h*) abutens licito, hanc occasionem sibi cumulandæ apud Christum mercedis invenit, ut Evangelium sine sumtu poneret [u].

D 4. Tua vero sanctitas non solum de abusione licitorum et abstinentia commodorum visibilium Chri-

[a] Prov. XXV, 25. [b] Psal. XVI, 4 [c] Psal. LIV, 7, et XVII, 34. [d] Psal. XVIII, 6. [e] Psal. XVIII, 11. [f] Exod. XV, 25. [g] Isai. VI, 5, ex versione LXX. [h] Matth. IX, 12. [i] II Cor. V, 21. [j] Rom. VIII, 3. [k] Col. II, 14. [l] Ephes. II, 16. [m] Rom. VII, 23. [n] Psal. XXXIV, 2 et 3. [o] Psal. XII, 5. [p] Psal. LXXVII, 57, et LXVII, 2. [q] Psal. XI, 6. [r] Psal. LIII, 7. [s] I Tim. I, 15. [t] Luc. XVII, 10. [u] I Cor. IX, 18, et IV, 12; I Thes. II, 9; II Thess. III, 8.

* Alias 27; quæ autem 57 erat, nunc 13. Scripta anno 404 exeunte.

(*a*) Ms. Vien., *Sancto et merito venerabili, ac dilectissimo fratri Victricio, Paulinus.*

(*b*) Codices omnes, *myrrham*. Emendavimus *merram* ex ms. Germ. ad carm. 17 de reditu Nicetæ, v. 32. Sic mss. codices apud Augustinum, quæst. 56 in Exodum. Vide not. 244.

(*c*) Ms. codex. Vien., *illam manus Moysi.*

(*d*) Ms. Vien., *accederet;* forte leg. *accessisset.*

(*e*) Ms. Vatic., *in Domino*. Utrumque usitatum Paulino et scriptoribus sanctis.

(*f*) Ms. Vien. codex, *interfecerit..... et triumphaverit.*

(*g*) Mss. Vatic. et Reg., *intendente.*

(*h*) *Abutens licito;* id est *non utens*. Eodem sensu mox, *abusione licitorum;* et epist. 49 ad Macarium, num. 14, *non abutendum*. Item epist. 12 ad Amandum, num. 7, *Est sancta superbia quæ huic mundo superbit,.... omnibusque magnis ejus et dulcibus ac speciosis abutitur.*

stianæ paupertatis divitem gloriam tenet; sed, sicut comperi, etiam de multitudine adversantium, et tolerantia tentationum; *quoniam insurrexerunt in te testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi* [a]. Sed nodus in scirpo et nævus in lumine non potuit inveniri: *non* enim *sub modio* latebat *lucerna* tua, quæ eminet et splendide fulget *supra candelabrum* sanctum, *ut luceat omnibus qui in domo sunt* [b]; et multis Domino accendendis luminaribus fomes existat. Et ideo inconcussum et stabile permansit candelabrum tuum, quia manibus humanis impellebatur ut caderet. Non autem merebaris ut illius manu in ruinam commoveretur, *qui habet septem stellas, et ambulat inter septem candelabra aurea, habens in ore gladium bis acutum* [c], quo armavit dexteram mentis tuæ, ut utriusque Testamenti (*a*) face candentia inimici jacula victor exstinguas [d] et *cadant a latere tuo mille, et dena millia a dextris tuis* [e], tibi autem non appropinquent; (*b*) quem inexpugnabili scuto teget veritas Dei, ut arcus eorum infirmentur, qui in te dicuntur acuisse linguarum machæras. Sed ut *sagittæ parvulorum, ita infirmati sunt* (*c*) *ictus eorum* [f]; nec potuerunt in corpore armis Dei potentibus septo locum vulneris invenire; *Dominus enim protectio tua* [g], et Dominus illuminatio cordis tui, qui te in spiritu veritatis instruxit, ut in **225** doctrina Pauli magister sis gentium, cum fide et veritate, non in inflatione scientiæ, *neque in sublimitate sermonis* (*d*) *annuntias mysterium Christi, sed nihil te judicans scire inter homines, nisi Christum Jesum, et ipsum crucifixum* [h].

5. Cum ergo fides et confessio tua, ut credimus atque confidimus coæternam Trinitatem unius Divinitatis et substantiæ, et operis et regni esse testetur; cumque Patrem Deum, et Filium Deum, et Spiritum sanctum Deum, ut est, *qui est, et erat, et venturus est* [i], qui misit te sicut Moysem et (*e*) apostolos evangelizare gentibus bona Domini: quod ita, ut ipse a Deo doctus es, doces, unitatem Trinitatis sine confusione jungens, et Trinitatem ipsius unitatis sine separatione distinguens [9] [j], ita ut nulla alteri persona conveniat, et in omni persona trium [10] Deus unus eluceat; et tantus quidem Filius, quantus et Pater, quantus et Spiritus sanctus; sed semper quisque sui nominis proprietate distinctus, individuam retinet in virtutis et gloriæ æqualitate concordiam.

6. Certi autem sumus quod et Filium Dei ita prædicas, ut eumdem et Filium hominis confiteri non erubescas; tam vere hominem in nostra natura, quam vere Deum in sua; sed Filium Dei ante secula, quia ipse est Dei Verbum Deus, qui erat in principio apud Deum, æque Deus (*f*) coomnipotens et coope- A rator Patris. *Per ipsum enim omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil* [k]. *Et hoc Verbum*, pietatis immensæ mysterio, *caro factum est* [11], *et habitavit in nobis*. Non autem caro tantum corporis nostri, sed homo totus, et corporis nostri et animæ assumtione: animæ autem rationalis, quæ juxta naturale opificium Dei habet insitam mentem: alioquin [12] in tenebris Apollinaris (*g*) errabimus, si hominem assumtum Deo animam mentis humanæ vacuam, qualis est pecorum et jumentorum, dicamus habuisse; et eum hominem quem suscepit Dei Filius; qui necesse est ea veritate, qua veritas est, et qua creavit hominem, totum susceperit, ut opus suum plena salute renovaret. Nulla est autem salus nostra, nisi plena est; quia non hominem, sed aliud nescio quod (*h*) irrationabilis crea- B turæ animal suscepit Dei Filius, si mentem suam propriam hominis assumti anima non habuit, et contra naturam generis humani ille potissimum primogenitus omnis creaturæ homo in formam perfectionis humanæ assumtus in tantum mente sua indiguit, ut non de humano, sed de divino **226** spiritu mentem habuisse dicatur. Quod illorum ore dicitur [13], in quorum corde concipitur hoc venenum, ut et Veritas mentita sit. Sed prope te et in te est verbum veritatis et veritas Dei. Neque indiges Spiritu sancto, qui Dominum Jesum Dei Filium, Deum in gloria Dei Patris, et ad dexteram virtutis, Regem regum manere, et ex resurrectione mortuorum judicem vivis et mortuis adfore confiteris, et credis, et prædicas.

7. Memento nostri, et gloriare secundum Aposto- C lum, quia hæc in brevi tentatio in æternum tibi gloriæ pondus operata est [l], et reposuit tibi coronam justitiæ, quam accipies de manu Domini [m]: et in victoriæ materiam tibi bellum excitari permissum est; ut et tibi secundum beatum Paulum doctorem tuum liceat gloriari in passionibus tuis [n], et dilatato super inimicos tuos ore, dicere quomodo laboraveris *in longanimitate, in Spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiæ a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, ut seductor, et verax; sicut ignotus, et ecce agnitus; quasi castigatus, et non mortificatus; quasi tristis, semper autem gaudens; sicut egens, multos autem locupletans* [o]. Nam hæc ipsa tentatio sanctitatis tuæ multis in profectum Evangelii D venit [p]: quia nemo in te confusus est, elucente gratia Christi et veritate fidei tuæ non solum in directione doctrinæ tuæ, sed etiam in virtute conversationis quæ in cœlis est [q]. *Non est enim*, inquit, *regnum Dei in sermone, sed in virtute* [r]. Quid ergo (*i*) quæritur, cum in te id, quod et verbo (*j*) præstat, emineat?

[a] Psal. XXVI, 12. [b] Matth. V, 15; Marc. IV, 21; Luc. XI, 33. [c] Apoc. II, 1, et I, 16. [d] Eph. VI, 16. [e] Psal. XC, 7. [f] Psal. LXIII, 4 et 9. [g] Psal. XXVI, 2; II Tim. I, 11. [h] I Cor. II, 1. [i] Apoc. I, 4. [j] Exod. V, VI, VII, VIII, IX, X; Matth. XXVIII, 19; Actor. I, 8. [k] Joh. I, 3, et 14. [l] II Cor. IV, 17. [m] II Tim. IV, 8. [n] II Cor. XII, 9. [o] II Cor. VI, 6. [p] Philip. I, 12. [q] Philip. III, 20. [r] I Cor. IV, 20.

(*a*) Ms. Reg., *facie*. Ms. Vien., *acie*.

(*b*) Ms. Vien. codex, *cum te... tegat*. Ms. Vatic., *sum teget.... te*.

(*c*) Manuscriptus codex Vaticanus, *jactus*.

(*d*) Ms. Vien. et ed. Schot., *annuntians*.

(*e*) Ms. codex Vien., *Apostolum*.

(*f*) Ita mss. Reg. et Vien. ac editi quinque. Ed. Rosv., *omnipotens*. Sic Paulinus epist. 21 ad Amandum, n. 3, *coomnipotentem et coopificem Patri Filium*, dixit.

(*g*) Sic mss. Vatic. et Vien. Alii codices, *erravimus*.

(*h*) Ms. Vien., *irrationalis*.

(*i*) Manuscriptus codex Viennensis, *queritur*.

(*j*) Ms. Vien., *perstat*.

Quis enim dubitet in ejus spiritu fidem veritatis habitare, in cujus vita videt fidei exstare virtutem?

EPISTOLA * XXXVIII.

227 *Commendat insignem Apri a foro ac tribunali ad Christum transitum : admonet ne miretur, sed potius gaudeat se propterea despectui et odio esse mundo; cum jam inde ab initio Christus in suis talia patiatur. Concludit quo studio humanis rebus servitum est, serviendum divinis. Processit deinceps ad omnem virtutem Aper, et presbyter factus est : memoriam inter sanctos meruit* XVII *kalend. Octobris.*

Sancto et merito venerabili ac dilectissimo fratri Apro, Paulinus.

1. Lætatus sum in iis quæ scripsisti mihi [a], et secundum fidem tuam, quam corde conceptam ore testatus es, si me gratia Domini participem tanti spiritus faciat, spero quia in domum Domini ibimus; et quæ communi spe fideque (*a*) percepimus, pariter intuentes in facie veritatis, consona exsultatione cantabimus hymnum Deo nostro : dicturi Domino : Credebamus quia cinis et terra essemus [b], (*b*) si in hoc tempore ita confirmentur pedes nostri in atriis Hierusalem [c], ut terra et cinis esse actu et opere desinamus [d]; ita ut in spiritu humilitatis terram esse nos meminerimus, et esse fateamur Domino, ut per ipsum, quod damnatione peccati sumus, de reconciliatione gratiæ non esse mereamur. *Beatus es*, frater, *et bene tibi erit* [e], quia non carne et sanguine, sed Spiritu cœlestis Patris revelante, didicisti [f] quod te inconcussa fide tenere et libera voce profiteri sanctissimo ad me epistolæ tuæ fine firmasti, Christum Jesum crucifixum Dei Filium Deum, cui (*c*) flectitur omne genu terrestrium, cœlestium et infernorum [g]; et quem ad dexteram virtutis, et in gloria esse Dei Patris, omnis lingua confitetur. Hunc tu Dominum et Deum nostrum, quia *non æstimabitur alius ad eum* [h], toto arcanæ pietatis mysterio amplexus, Dominum et Deum Dei Filium ante secula, *factum ex semine David* [i] in hoc seculo; et nunc ex resurrectione mortuorum in spem æternitatis humanæ viventem in secula, ut est, credis; et ut credis, prædicas: et rudem esse te atque infantem Deo dices [i]? Vere quidem ex parte credo parvulum esse te factum, sed malitia; sensu autem te esse perfectum de professione fidei tuæ disco [j]; quia veritatis agnitio, quam apprehendisti in sermone breviato, sapientiæ plenitudo est [k]: et ideo ipse 228 Magister gentium, vas electionis et vas Dei qui in se Christum loqui, et se Spiritum Dei habere profitetur [l], *non in sublimitate sermonis* [m], neque in legis scientia gloriatur, sed omnem gloriam, qua vel Judæorum vel philosophorum sapientia inflatur, abjecisse se et æstimasse ut stercora protestatur [n], ut Christum lucrifaciat, et illius scientiæ damno hujus imperitiæ lucrum consequatur, ut dicat : Ego autem *nihil novi, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* [o]; In quo quoniam omnis sapientiæ et scientiæ plenitudo atque perfectio comprehenditur [p], (*d*) ut insultans huic mundo, et litteras ejus totamque (*e*) sapientiam vanitate spiritu celsiore despiciens, ait : *Ubi scriba, ubi sapiens, ubi conquisitor hujus seculi; nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi* [q]? Causamque hujus erroris ostendit quo ita percuti sapientia hujus seculi meruit, ut stultitia Deo sit; quia illi per arrogantiam sapientiæ tamquam suæ, cum nemo quidquam habeat nisi acceperit, stultitia videretur sapientia Dei [r]. Bene igitur secundum justitiam Dei, stultitiæ ac sapientiæ versa vice, eo stulti esse damnantur, qui sibi non de Dei munere, sed de suo quasi proprio bono sapientes videntur.

2. Quo magis gratulor unanimitati tuæ quod illam reprobatam Deo * sapientiam respuisti, et cum parvulis Christi, quam cum sapientibus mundi habere consortium maluisti [s]. Inde jam et hanc gratiam mereris * a Domino, ut te, sicut indicare dignatus es pie glorians, oderint omnes : quod non fieret, nisi verus imitator Christi esse cœpisses. Non enim odisset hic mundus, nisi quod jam a se alienum, et sibi videret adversum [t]. Gaude et exsulta : jam et * in rudimentis tuis virtus perfectionis operatur. Perspicuum est quam fortiter credideris in Christo, cui jam donatum est pro Christo pati. Vide quid dicat ipse Dominus, et intellige quam beatus sis. *Nolite mirari*, inquit, *si vos mundus odit, quia me prius odio habuit* [u]. *Si* enim *ex mundo essetis, amaret* utique *mundus quod suum esset* [v]. Et iterum : *Non est major servus domino suo. Si patremfamilias Beelzebub dixerunt, quanto magis domesticos ejus* [x]? Vide nunc, si licet ut servi pro Domino recusemus pati, quæ pro nobis servis suis Dominus ante sustinuit. O beata injuria, displicere cum Christo! magis nobis timendus est amor talium, quibus sine Christo placetur. *Nonne qui oderant te*, inquit, *oderam illos?* et addidit, *Perfecto odio oderam illos* [y]. Quod nobis cum horum societate commercium sit, cum quorum sorte discretio est?

229 3. Merito gloriaris, venerandissime * frater, et in exsultatione dicis hinc te ipsum tibi credere quod Christianus sis, quia te odisse cœperint * qui diligebant, et despicere qui timebant; et ipse tibi conscius es, quia si tu ipse tanti * apud te esses;

[a] Psal. CXXI, 1. [b] Gen. III, 19. Eccli. x, 9. [c] Psal. CXXI, 2. [d] Gen. XVIII, 27. [e] Psal. CXXVII, 2. [f] Matth. XVI, 17. [g] Phil. II, 10. [h] Baruch, III, 36, sec. LXX. [i] Rom. I, 3. [j] I Cor. XV, 20. [k] II Cor. XIII, 3. [l] I Cor. VII, 40. [m] I Cor. II, 1. [n] Philip. III, 8. [o] I Cor. II, 2. [p] Colos. II, 3. [q] I Cor. I, 20. [r] I Cor. IV, 7. [s] Matth. XI, 25. [t] Johan. XV, 19. [u] Johan. XV, 18. [v] Johan. III, 13. [x] Johan. XV, 16. [y] Psal. CXXXVIII, 21 et 22.

* Alias 29; quæ autem 38 erat, nunc 16. Scripta forte anno 404.

(*a*) Sic emendavimus ex ms. Vien. codice. Alii, *præcipimus*.

(*b*) Ms. Vien., *sed in hoc confirmantur*.

(*c*) Ita mss. Vien. et Reg. Alii codices, *flecti* : utraque lectio recepta.

(*d*) Addidimus particulam *ut* ex ms. codice Viennensi.

(*e*) Vulgatam retinuimus lectionem quæ mss. codicum autoritate fulcitur, id est, *despiciens mundi sapientiam spiritu celsiore vanitate*. Edit. Schot., *sapientiam vanitatem*. Latin., *sapientiæ vanitatem*.

æque ut solebant et diligerent te, et venerarentur. *Gaude* igitur *et exsulta, ecce enim merces tua copiosa in cœlis* [a]. Non enim te, sed illum (a) qui in te esse cœpit, oderunt; cujus opus est in te et humilitas quam contemnunt, et castitas quam detestantur, in quo te bono prophetarum esse apostolorumque participem lætus agnosce et in propheta, cum dicit: *Detrahebunt mihi quia* (b) *subsecutus sum justitiam* [b]; et in Apostolo dicente: *Facti sumus omnium peripsema* [c]; et iterum eodem contestante: Quia *positi sumus in hoc mundo spectaculum omnibus angelis et hominibus* [d]. Ab initio seculorum Christus in omnibus suis patitur. Ipse est enim initium et finis [e], qui in lege velatur, in Evangelio revelatur, *mirabilis* semper et patiens, et triumphans *in sanctis suis Dominus* [f]; in Abel occisus a fratre [g], in Noe irrisus a filio [h], in Abraham peregrinatus [i], in Isaac oblatus, in Jacob famulatus [j], in Joseph venditus [k], in Moyse expositus et fugatus [l], in prophetis lapidatus et sectus [m], in apostolis terra marique jactatus [n], et multis ac variis beatorum martyrum crucibus frequenter occisus [o]. Idem igitur etiam nunc infirmitates nostras et ægritudinem [8] portans [p]; quia ipse est homo semper pro nobis in plaga positus, et sciens ferre infirmitatem [q], quam nos sine ipso nec possumus ferre, nec novimus. Ipse, inquam, nunc quoque pro nobis et [9] in nobis sustinens mundum, ut perferendo destruat, et virtutem in infirmitate perficiat. Ipse et in te patitur opprobria, et ipsum in te odit hic mundus. Sed gratias ipsi, quia vincit cum judicatur [r]; et, ut scriptum tenes, triumphat in nobis per speciem servitutis Dominus [s], servis suis gratiam libertatis acquirens, idque agens hoc pietatis suæ mysterio, quo formam servi induit, et pro nobis humiliare se dignatus est [10] usque ad mortem crucis [t], ut humilitate visibili invisibilem illam nobis in cœlestibus sublimitatem intus operetur. Vide enim ab initio unde ceciderimus, et intelliges quod divinæ [11] sapientiæ pietatisque consilio reformemur ad vitam [u]. In Adam quippe superbia ruimus, atque ideo humiliamur in Christo, ut peccatum sceleris antiqui contrariæ virtutis obsequio diluamus; et qui superbiendo offendimus, serviendo placemus.

4. Exsultemus itaque et gloriemur in ipso, qui nos et pugnam et victoriam suam fecit, dicens: *Constantes estote, quia ego vici mundum* [v]. **230** Et in Regnorum libro similiter audio prophetam dicentem regi Josaphat, cum ingenti mole belli, et magna hostium multitudine terreretur. *Hæc dicit Dominus: Ne timeatis neque expavescatis a facie multitudinis hujus,*

A *quia non vobis est hæc pugna, sed Domino* [x]. Moyses quoque similiter ante jam dixerat: *Vos tacebitis, et Dominus pugnabit pro vobis* [y]. Igitur *qui confidunt in virtute* aut sapientia *sua*, quique *in abundantia divitiarum suarum gloriantur* [z], exacuant ut volunt adversum nos arma dentium, et verborum sagittas, venena thesauri mali vipereis vomant [12] linguis; habent pro nobis respondentem sibi Dominum. *Tacui, numquid semper tacebo* [aa]? (*V.* epist. 5, n. 7.) Nos aures nostras spinis, ut scriptum est [bb], sepiamus, id est, Dei verbo et fide verbi; quæ vitæ nostræ segetem firmissima innocentiæ atque patientiæ sepe defendunt [cc], et diabolo dolis suis aditus in præcordia nostra captanti, quasi furibus [13] spinæ resistunt; et viscera inimicorum regis; id est, amatores hostium

B Christi, hos videlicet Christianorum obtrectatores, vitæ nostræ atque constantiæ contemplatione compungunt. Nos igitur taceamus istis, loquentes ad Dominum silentio humilitatis et voce patientiæ; et tunc ipse qui invictus est, pugnabit pro nobis [dd], et vincet in nobis. Tunc princeps harum tenebrarum (c) mittetur foras; [ee] qui utique non ab hoc mundo, sed ab homine foras mittitur, cum a nobis fide introeunte discluditur, et dat locum Christo, cujus habitatio peccatum foras mittit, et pulsi [14] serpentis exsilium est.

5. In hujusmodi autem passione quid facere debeamus propheta nos docet, dicens: *Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicium* [15], *et humiliabam in jejunio animam meam* [ff], videlicet ut obtre-

C ctatores nostros ea ipsa qua commoventur humilitatis specie destruamus; tantoque magis confundantur [16] coram Domino in antiquæ adhuc superbiæ crimine permanentes, quanto magis nos ipsi gloriamur, in quo confunduntur in nobis. *Inconfusibilem* enim *operarium* sicut *hilarem datorem diligit Deus* [gg]. Proinde stabiles in fide veritatis, et operatione justitiæ [hh], talium vel odia vel convicia vivendo melius quam loquendo arguimus; quia rejiciet sermones tuos post se qui odit disciplinam [ii]; et *qui insipientem arguit*, ut tenes scriptum, *sumit sibi contumeliam* [jj].

6. Sibi habeant litteras suas oratores, sibi sapientiam suam philosophi, sibi divitias suas divites (*V.* ep. 23, n. 41), sibi regna sua reges: nobis gloria, et possessio, et regnum Christus est, nobis sapientia in stultitia præ-

D dicationis [kk], nobis virtus in infirmitate carnis [ll], nobis gloria **231** in crucis scandalo [mm], *quo mihi mundus occiditur, et ego mundo* [nn]; ut *vivam* Deo, *non* autem *jam ego, sed in me Christus* [oo]; cui *consepulti sumus* [pp], in quo nunc abscondimur hujus mundi oculis,

[a] Matth. v, 12 [b] Psal. xxxvii, 21, sec. Psalt. Rom. [c] I Cor. iv, 13. [d] I Cor. iv, 9. [e] Apoc. i, 8. [f] Psal. lxvii, 36. [g] Gen. iv, 8. [h] Gen. ix, 22. [i] Gen. xii, 10. [j] Gen. xxvii, 43. [k] Gen. xxxvii, 28. [l] Exod. ii, 3. [m] I Par. 24, 21. [n] Act. vii, 57. [o] Heb. xi, 37. [p] Isai. liii, 4. [q] II Cor. xii, 9. [r] Psal. l, 6. Rom. iii, 4. [s] II Cor. ii, 14. [t] Philip. ii, 7. [u] Gen. iii, 5. [v] Johan. xvi, 33. [x] II Par. xx, 15, sec. LXX. [y] Exod. xiv, 14. [z] Psal. xlviii, 7, sec. Psalt. Rom. et vetus. [aa] Isai. xlii, 14. [bb] Eccli. xxviii, 28. [cc] Eccli. xxxvi, 27. [dd] Exod. xiv, 14. [ee] Johan. xii, 31. [ff] Psal. xxxiv, 13, sec. Psalter. Rom. [gg] II Tim. ii, 15; II Cor. ix, 7. [hh] I Cor. xv, 58. [ii] I Pet. ii. 15; Psal. xlix, 17. [jj] Prov. ix, 7. [kk] I Cor. i, 21. [ll] II Cor. xii, 9. [mm] I Cor. i, 23. [nn] Gal. vi, 14. [oo] Gal. ii. 20. [pp] Rom. vi, 4; Coloss. ii, 12.

(a) Ms. Vatic., *qui in te est, odisse cœperunt.*
(b) Ita S. Ambrosius ac Psalterium Romanum. LXX vero, Psalterium vetus et S. Augustinus, *persecutus sum justitiam.* Cum hac lectione conveniunt Psalteria Arabicum et Æthiopicum, ac Metaphrasis Apollinaris. Vulgata autem habet *sequebar bonitatem.*
(c) Ms. Reg., *mittitur.*

ut confusioni [17] ejusdem cum ipso revelemur; quando horum quæ nunc nobis objicit memor, dicet : *Hi sunt, quorum vitam æstimabamus insaniam, quomodo reputati sunt inter filios Dei* [a]? Sine illos interim, frater dilectissime, fruantur gloria et vita sua, potiantur fructibus suis ; *quoniam sicut olera herbarum cito decident* [b], et *dies eorum sicut umbra prætereunt* [c]; quorum spes intra hujus ævi spatia concluditur, quia nec fidem veri habent, nec voluntatem fidei, qui præsentibus tantum rebus intenti, præstant avaritiæ et libidini ne credant Deo, quia cupiditatis utriusque finem facit timor Domini, qui confirmatur fide Christi, per quam [18] discimus agnoscere veritatem vel in contemtu temporalium, vel in appetitu æternorum bonorum. A quo alieni, quia et veritas Christus est [d], in hac necesse est errorum infelicium cæcitate permaneant, ut in fragili soliditatem, et in solido inanitatem putent; vera pro vanis rideant, et pro veris vana mirentur. Qui si vellent [19] intelligere ut bene agerent [e], et *oculos suos*, quos *statuerunt* [20] *declinare in terram* [f], ad salutem justitiæ levarent, seque vel paululum humo (Virgil.) tollerent, facile his ipsis, quibus ut inanibus et stultis detrahunt, hominum conversionibus illuminarentur. *Dominus* enim, ut scriptum est, *solvit compeditos*, et *Dominus illuminat cæcos* [g]. Et iterum : *Lex Domini irreprehensibilis, convertens animas, testimonium Domini fidele : sapientiam præstans parvulis* [h]. Opus enim Dei est mutare hominem, quia solus potest instaurare (*a*) quod fecit. Quod toto jam dudum orbe terrarum sapientia Dei Christus operatur, ubique se gentium Verbi voluntate [21] circumferens, et (*b*) *per electas animas semet immittens* [i]; ut, sicut per Prophetam dixit, *in omni gente primatum habeat* [j].

7. Et quia jam quotidie magis appropinquat recognitionis (*id est* judicii. *V.* ep. 19, n. 3) dies, omnisque nos hora judicio applicat, satagit et properat bonus Dominus præripere nos ab ira ventura, et de complexu [22] hujus, ut scriptum est [k], nocentis et vipereæ generationis abducere. Hinc in omni loco plura quotidie mirabilia solito signa crebrescunt, ut omnem, quantum in ipso est, hominem salvum faciat [l]. Ostendit in raris, quod omnibus, si velint, prosit. Sufficit enim universorum institutioni **232** forma paucorum, quæ in utrumque proponitur, ut credentibus exemplo sit, indurantibus (*An* induratis?) [23] testimonio. Quare si quid humani sapiunt ii, qui inficiantur animo quem figura præferunt hominem, admirentur in te, et laudent Deum, et hanc beatissimam immutationem mentis ac vitæ tuæ non existiment errorem stultitiæ tuæ, sed sapientiæ Dei esse virtutem intelligant. Quanto enim prudentiorem te ceteris et doctiorem A fuisse meminerunt, tanto evidentior iis esse debet operatio potentiæ Dei, quia prudentem a sententiæ suæ cursu vel statu non potest flectere, nisi summa ipsa Sapientia, quod est in Christo Deus, virtutum virtus, et mens mentium, Dominus majestatis, brachium excelsum, in quo dispersi superbi, ut scriptum est [m], a mente cordis ipsorum, depositi potentes de sede, et exaltati humiles. Quo brachio, id est, Christo, esurientes implentur bonis, et inanes dimittuntur divites. Quod et in te cernimus agi. Respice enim in temetipsum, et hæc utraque, quæ dejicit aut extollit Deus, in te eodem invenies.

8. Destructus es a superbo, assumtus in humilem: depositus ab iniqua [24] potentiæ sede, ut in pacis atque justitiæ solio locareris : inanitus es a divite, ut diteris B in paupere : et ab illa supervacuæ distentionis saturitate vacuatus es, ut veris piæ paupertatis bonis implearis esuriens justitiam. Ubi nunc tu ille es aliquando terribilis, vel pro tribunalibus advocatus, vel in tribunalibus judex? ubi tua illa cervix, tunc verius, ut nunc de te mentitus es, tauri pinguis, quomodo facta est docilis ac tenuis in jugo Christi ex quo conversus ingemuisti [n], *et beneplacitum est* in te *Deo* sicut *super vitulum novellum* [o]? Deposita cervice tauri (*c*) fractus es in mansuetudinem bovis illius qui *agnovit possessorem suum* [p]. Beati oculi eorum qui hæc in te Dei mirabilia conspiciunt, etsi illi miserrimi [25], qui videntes non vident.

9. *Quis daret mihi pennas sicut columbæ, et volarem* [q] ad te, et in conspectu tuo colloquioque *requiescerem*, C *in voce* (*d*) *exsultationis et confessionis epularer* [r]. Videns te non te, et videns ex leone vitulum, videns in apro Christum : nunc versa ferocitatis aut virtutis vice aprum seculo, agnum Deo. Non enim jam de silva [s], sed de segete aper es, (*e*) quia bonis disciplinarum fructibus opimaris, et in fruge virtutum tibi pastus est; duplicis Testamenti dentibus ad rumpenda retia Nebroth [26] (*V.* ep. 9, n. 4) venatoris armaris [t]; totaque illa **233** quæ pro seculo superbus gerebas, nunc adversum seculum humilis arma convertis. Nunc vere sapiens, vere disertus, et vere potens, qui mundo huic stultus et mutus es, ut autori linguæ et mentis tuæ facundus et sapiens de suis muneribus Deo servias.

10. Nunc instructior jure divino advocatus pro te postules, et justior judex te ipsum judices; et in te, D aut de te ipse sententiam feras, ut magis merearis absolvi ; teque non solum venia, sed et gloria dignum facias, cum tibi per accusationem tui ades, teque damnando sanctificas : intelligens non quod hominibus, sed quod Deo placeat, sanctum et innocens esse; et ideo rarus, ut scribis, urbium frequentator,

[a] Sap. v, 4. [b] Psal. xxxvi, 2. [c] Psal. cxliii, 4. [d] Johan. xiv, 6. [e] Psal. xxxv, 4. [f] Psal. xvi, 11. [g] Psal. cxlv, 8. [h] Psal. xviii, 8, juxta Psalt. Rom. [i] Sap. vii, 27. [j] Eccli. xxiv, 10. [k] Matth. iii, 7. [l] I Tim. ii, 4. [m] Luc. i, 51. [n] Matth. xi, 29. [o] Psal. lxviii, 32. [p] Isaiæ i, 3. [q] Psal. liv, 7. [r] Psal. xli, 5. [s] Psal. lxxix, 14. [t] Gen. x, 9.

(*a*) Mss. Reg. et Vien. cum editis tribus, *quem fecit*. Utraque lectio bona : vulgata concinnior et magis significans.

(*b*) LXX et Vulgata, *in animas sanctas se transferens*.

(*c*) Mss. Reg. et Vien., *factus*, quæ lectio admitti posset, cum ex præmissis confirmetur. Verior visa est jam recepta lectio.

(*d*) Edit. Rosv. mendose, *exaltationis* : cum in aliis codicibus, in Psalteriis quinque, in Vulgata, et in epistola 9 ad Amandum, num. 4, legatur *exsultationis*.

(*e*) Ex ms. Reg. et edit. Grin. reposuimus *quia*, postulante secundo periodi membro Ante erat *qui*.

familiare secretum taciti ruris (V. not. 180) adamasti, non otium negotio præferens, neque te ecclesiasticæ utilitati subtrahens, sed jam pene forensibus turbis æmulos ecclesiarum tumultus et concilia inquieta declinans. Arbitror autem idipsum majoribus ecclesiæ utilitatibus præparari, quod salubri consilio instructioni sanctæ vacas, et intentus [17] studiis spiritalibus, quibus solitudo amica est [18], formas in te (*a*) quotidie confirmasque Christum, quo et servus utilior, et magister doctior digniorem te (*b*) ea, in qua nutu Dei positus es, sede perficias, opere pariter et verbo potens; ut lingua et mente tibi concors, verami te apostolicæ disciplinæ formulam præbeas præcepti Dominici actor et doctor [19] [a]. Ita demum constabit non humano suffragio, sed divino te esse judicio sacerdotem.

11. Quod jam probari et fide et vita tua credens, peto et impense rogo, ut nos semper orationibus tuis implices; et quoties [20] fuerit occasio, litteris revisere studeas. Quod quidem a te munus non tam officii capiendi cupidus, quam animi reficiendi studens exigo; ut et solatium caritatis et gaudium simul capiam, cum te mei memorem in negotiis sanctis, ac tui diligentem profectu scientiæ spiritalis, et intellectu [21] ardentis in Deum cordis legens videro. Non jam te de sermone virtutis, id est, prædicatione Christi, sed de virtute ipsius sermonis expendens, id est, ut credere te Christum Jesum crucifixum Dominum et Deum loquendo pariter et vivendo confirmes. Quia eodem affectu *gestare debemus imaginem cœlestis hominis, quo gessimus ante terreni* [b]. Alioquin quod nostrum est quis dabit nobis, si non fuerimus tam fideles in nostro [c], quam fuimus in alieno? In hoc enim facti sumus, ut boni simus, et nostro serviamus Autori; contra cujus præcepta viventes **234** vitio voluntatis nostræ, non solum contra vitam, sed et contra naturam nostram faciemus; et ideo *comparabimur jumentis, quibus non est intellectus* [d]. Attamen Dei bonitas ita nobiscum paciscitur, ut præteritæ nobis impietatis gratiam faciens, contenta sit vel tales nos esse sibi servos pro nobis, quales adversum nos diabolo [22] fuerimus, dicente Apostolo, ut *sicut exhibuimus membra nostra servire iniquitati, sic eadem exhibeamus servire justitiæ* [e]; videlicet, ut eadem affectione delectemur in Domino, qua delectati sumus in peccato. Sic ambiamus Dei regnum, quomodo ambivimus seculi dignitatem; et denique tam diligenter curemus bona cœlestia, quam terrena curavimus.

EPISTOLA * XXXIX.

Aprum docet quomodo ager cordis sit colendus : ubi et verba Joelis de eruca, locusta, brucho et rubigine, pulcre admodum ad quatuor animæ passiones trahit.

Sanctis, merito venerabilibus ac dilectissimis fratribus APRO et AMANDÆ, PAULINUS et THERASIA peccatores.

1. Aliis reditus de (*c*) patrimoniis pensitatione solemni præbeantur : nobis, quibus possessio caritas vestra in Christo est, reditus ab officiis affectionis vestræ sumitur, et in litterarum vestrarum humanitate numeratur. Gratias Domino Deo nostro, qui bona viva pro mortuis et caducis rependens, vos quoque nobis uberrimum fundum largitus est. Nam ut in rebus terrenis carior fundus est, qui aut avaris agricolæ sui votis proflua ubertate respondet, aut delicati possessoris oculis amœnitate blanditur; ita nunc in nostris prædiis spiritalibus, id est, sanctis fratribus, quos nobis caritas Christi connexuit, et in æternam possessionem dedit, is nobis opimior ager æstimatur homo, qui fuerit nostri diligentior et fructuosior nobis, salutarium commodorum ministratione. Quod cum ita sit, videte quantam vos massam hujuscemodi possessionis habeamus, cum præter affectum quem in nos mutuo effunditis, alia, quibus pares esse non possumus, munera copiis linguæ et mentis vestræ opibus conferatis. Officia enim et eloquia litterarum vestrarum, quæ nobis largiter annuo commeatu (*d*) penditis, indicant quam ampla possessio nobis, et quam fertilis terra Deo sitis : jam tricesimum [1] fructum de vestra inter vos continentia proferentes, et quotidianis fidei **235** communis augmentis sexagesimo propinquantes, et de prole virginea centesimum pollicentes [f].

2. Nam quod scribitis impedimenta vestri esse propositi possessiones filiorum, qui causa sint necessitatis istius qua terrena curatis, cum cœlestia desideretis, in multimodam potius vobis exercendæ fidei perficiendæque virtutis materiam divino hæc esse proposita consilio judicamus. Cum enim hæc universa mundi possessio propter hominem constituta, hominique subjecta videatur [g], quis ambigat in omni loco mundi, in omni parte naturæ utilitates homini paratas, e quibus non solum carnalia emolumenta capiamus, sed multo magis spiritalia perlegamus. Propterea dicit per Salomonem ipsa rerum opifex Sapientia, quæ *disponit omnia suaviter*, *ab Altissimo creatam rusticationem* [h], ut eam non corporali tantum, sed etiam spiritali studio colas. Denique quantum de rure ad eruditionem animæ trahi possit, docet, cum sectatores suos ad formicam et apem mittit [i], quæ utraque ruris animalia sunt, illa de frugibus vitæ provida, et ista de floribus mellis operaria. Et Dominus in Evangelio [j], quam multa de rusticis docuit exemplis, de ficu [2] arbore, et de flavescentibus propinqua jam messe regionibus ultimorum temporum signa demonstrans; et in agro esse discendum

[a] II Thess. III, 9. [b] I Cor. XV, 49. [c] Luc. XVI, 12. [d] Psal. XLVIII, 13, et XXXI, 9; Tob. V., 17. [e] Rom. VI, 19. [f] Matth. XIII, 8; Marc. IV, 8; Luc. VIII, 8. [g] Gen. I, 26. [h] Sap. VIII, 1. [i] Prov. VI, 6, et XXX, 25; Eccli. XI, 3. [j] Luc. XIII, 6; Johan. IV, 45; Marc. XIII, 28; Luc. XXI, 29; Matth. XXIV, 40; Matth. XIII, 25.

* Alias 30; quæ autem 39 erat, nunc 25. Scripta anno 405.

(*a*) Addita ex mss. codicibus Reg. et Vien. et editis quatuor particula *et*, ex iisdem mss. codicibus et Grin. reposuimus *formas.... confirmasque*. Ed. Rosv., Grav. et Schot., *formans.... confirmansque*.

(*b*) Sic emendavimus ex ms. codice Regio et editis quatuor. Ed. Rosv., *ei*.

(*c*) Ms. Vatic., *patrimonii*.

(*d*) Ms. codex Viennensis, *impenditis*.

monens, quod caveamus in spiritu, ne fidei nostræ æmulam fraudem, sicut zizaniam [a] tritico, inimicus interserat. Itaque nos agrum suum dixit, seque ipsum ostendit in nobis vitæ nostræ satorem; et animarum discrimina variis terrarum expressit ingeniis. Ne sterilis sit caveamus; nos quoque ipsos ad fecunditatem Deo debitam et nobis utilem contentis in lege Domini studiis excolamus.

3. Igitur cum in agro es, et rus tuum spectas, te quoque ipsum Christi agrum esse cogita, et in te sicut in agrum tuum respice. Qualem agri tui speciem fieri a villico tuo postulas, talem Deo Domino cordis tui redde culturam; et intellige, quidquid in agro tuo tibi displiceat aut placeat, idem in anima tua placere Christo, aut displicere. Si vasta (*V.* not. 181) peccatis quasi dumis sordeat, neque propheticis aut apostolicis nubibus compluatur, in aridam solitudinem gratia deserente damnabitur. Si vero sui diligens, orationibus crebris semet excolat, et sacris Litteris opimetur, et (*a*) intimum cordi aratrum crucis imprimat, et rastro divini timoris spinas suas eruat, ignitoque Dei verbo uratur in culpis, illuminetur in sensibus; tunc necesse est ut spatiari in tuo corde patremfamilias et omnes animæ tuæ regiones **236** peragrare delectet; et pro te in suo adgaudens tibi dicat, si diligens tui cultor appareas: *Euge, serve bone, intra in gaudium Domini tui: quia fidelis fuisti in paucis, super multa te constituam* [a].

4. Nos vero ipsi, qui perverso ordine consilium validis infirmi damus, quid pro nobis respondeamus, qui tam pauperes, quam putas, spiritali potius quam terrena re sumus; non virtute mentis, sed inopia virtutis humiles. Angustus ille, quem lato potens ore describis, vix unici caulis ferax et capax hortulus, nos ipsi sumus; et ultra betam semicoctam (*V.* not. 182), ut propheta dixit [b], insipidi; faciamus ne in domo nostra caulis ille solus insulsus sit. Excusabilius tamen ille non habet salem, quem inopiæ nostræ necessitate, aut parcimoniæ vitio non accepit; nos (*b*) potius elixi, nos culpabilius insulsi, in quibus superabundante de peccatis voluntariis insipientia, sal apostolicus evanuit [c]; et a facie peccatorum nostrorum spiritalia condimenta fugerunt. Sed nisi vestris orationibus reficiamur, nec ipse [a] unicus caulis in nobis virebit, penitusque desertis etiam insulsum olus deerit.

5. Orate igitur ne germina animæ nostræ nocens eruca populetur, ne mentis segetem edax locusta consumat, ne præcordiis nostris piger bruchus insideat, et intimas vitalium fibras ultima harum bestiolarum comes rubigo exedat [d]. Urgent enim interiorem nostrum [a] malæ bestiæ; et importunæ alites frequenter infestant, ut a nobis, si possint, verbi semen abripiant. Sed gratias Deo, quod non juxta viam A de manu serentis excidimus, sed in ipsa potius vi a seminati sumus [e], id est in catholicæ matris gremio constituti: a quo ne projiciamur ut abortivi, ipsius misericordia opus est, ut intellectum det nobis in via hac qua ingredi jussit, ac præstitit; et confirmet super nos oculos suos, ne efficiamur sicut equus et mulus quibus non est intellectus [f].

6. Sed ad rusticationis nostræ verba redeamus: nam ipse Deus noster et *Pater agricola est;* et Deus salutaris noster, *vera vitis* [g] est; et Spiritus sanctus, rigator animarum est. Fiat igitur nobis per orationes vestras, ut summus paterfamilias, et cœlestis agricola, et diligens hortulanus visitet, et frequentet, et signet hortum animæ nostræ, sicut illum in quo docuit, oravit, resurrexit [h]. Firmet in nobis caritatis B suæ nexum, ut manentia in ipso sarmenta vivamus. Imperet nubibus suis ut pluant super nos, et a corde nostro improbas carnalium cogitationum passiones, ut illa animalia bonis frugibus inimica submoveat. Ne fiat in nobis verbum illud prophetæ: *Residuum erucæ* **237** *comedit locusta, et residuum locustæ comedit bruchus, et residuum bruchi comedit rubigo* [i]. Sunt enim in corpore nostro principalia totidem incentiva vitiorum, spes, metus, gaudium, dolor; quibus maxime genus turbatur humanum, duobus præsentibus et duobus futuris: præsentibus, ægritudine animi, vel gaudio: futuris, metu, vel spe. Unde cavendum est, ne dum alterum ex his vitium fugimus, incurramus contrarium [a].

7. Ergo in eruca, et locusta, et brucho, et rubi- C gine, nostrarum affectionum intelligendæ sunt passiones; quarum aliæ breviter in corde hæreant, aliæ paulatim crescant; et si abjectæ non fuerint, usque ad medullas perveniant, et omnem succum ebibant animæ. Vide enim qualiter ista sibi congruant in cordibus nostris monstra vitiorum, qualia in frugibus accidunt vitia monstrorum. Nam, verbi gratia, si quid vetitum concupiscam, et mox abjiciam cogitationem, eruca est in folio sedens, (*c*) quæ decussa, si abjecero quidem, sed rursus redierit cogitatio, et cœperit abjici, et redire crebrescat, locusta est avolans et revertens. Quod si cœperit immorari, et majus habuerit spatium in comedendo, quam avolando, bruchus dicitur. Quod si ipse bruchus qui non satis avolat, sed magis sedet, non fuerit abjectus, in rubi- D ginem vertitur: quæ jam penitus inhærescens, ut de stipula, sic de anima, numquam aut difficile expellitur.

8. Vereor ne dum loquacius vos fatigo, ipse vobis molestius quam locusta aut bruchus insederim. (*d*) Discutite igitur ut erucam, et procul abjicite hanc chartulam, ne de longiore contactu sermonis nostri rubiginem insipientiæ nostræ colligatis, qua desplendescat nitor cordis vestri, et vigor mentis hebetetur.

[a] Matth. xxv, 21; Luc. xix, 17. [b] Isai. LI, 20, juxta LXX. [c] Matth. v, 13. [d] Joel. I, 4. [e] Matth. XIII, 4. [f] Psalm. XXXI, 8. [g] Johan. XV, 1. [h] Matth. XXVI, 36, et XXVIII, 6; Marc. XIV, 32. [i] Joel. I, 4.

(*a*) Ms. Vien., *et in intimum cordis, aratrum crucis imprimat.*

(*b*) Edit. Schot. et Sacchin., *pejus*, non male.

(*c*) Mss. Reg. et Vien., *atque decussa.* Ed. Grin. et Latin., *qua decussa.*

(*d*) Ms. codex Vien., *Decutite.*

Attamen ob hoc tantum super hoc peccato nobis, quo vos tam graviter fatigamus, ignoscite, quod de licentia caritatis abutimur patientia vestra; et ita repletum pectus vestrum nostri amore confidimus, ut offensam nostri non capiat, etiamsi faciamus injuriam qua mereamur offendere, si vos umquam a nobis vel merentibus possitis offendi.

EPISTOLA * XL.

238 *Sanctus et Amandus data ad Paulinum epistola magnas in eum laudes congesserant. Hic eis respondens, acres ad perfectionem stimulos subdit. Tractat initio ex sacris Litteris, suum cuique rei tempus esse. Deinde ex psalmo* CI *expositionem moralem pellicani, nycticoracis et passeris solitarii subjungit. Tum attributis sibi laudibus ad humilitatem utens, multa attexit de divina gratia cui debemus omnia, de vigilantia necessaria in via spiritus, deque perfecta sui abnegatione.*

MEROPIUS PAULINUS et THERASIA, SANCTO et AMANDO (*a*) fratribus, in Deo Christo salutem.

1. Omnibus tempus, et *tempus omni rei* [a] sub cœlo; super cœlum enim non est tempus; quia non habet tempus æternitas, quam in cœlo [1] etiam creaturis Creator dedit, qui solus habet æternitatem propriam, (*b*) et lucem habitat inaccessibilem. Vera enim æternitas nisi in ipso non est, qui solus, quod est, est; sicut ipse dixit : *Ego sum qui sum.* Cetera vero nisi in ipso non sunt.] *Tempus* ergo sub cœlo *omni rei.* Tempus otio, tempus negotio; tempus silentiis, et tempus alloquiis : tempus esuriendi, et tempus epulandi; ut nobis hactenus fuit tempus jejunandi a sermonibus vestris, sic nunc [2] iisdem cibari tempus exortum est. Pavistis enim nos litteris [3] vestris verbo Dei dulcibus, et oleo lætitiæ delibutis, quo libenter (*c*) ungimus caput nostrum [b]; quia non est in vobis mendax opus olivæ [c], in quibus habitat *caritas de corde puro, et bona conscientia, et fide non ficta* [4] [d]. Sed quia nemo qui multum esurit potest uno pane satiari, fatemur nos necdum expletos, sed potius incitatos ad desiderium litterarum vestrarum una illa epistola [5] vestra; quam unam computamus, quia talem a vobis, qua *sicut adipe et pinguedine repleatur anima nostra* [e], adhuc semel accepimus.

2. Verumtamen, etsi inter officia nostra vicissitudines temporum fuerint, ut *tempus tacendi, et tempus loquendi* [f], non ita etiam diligendi ac negligendi tempus fuit. Dudum enim, ut proculdubio recognoscis, Sancte frater, diligere cœpi te; et dilexi jugiter [6], quamquam non ista dilectione quæ Christi est, sed illa familiaritatis humanæ amicitia, quæ blandimenta in labiis habet, et radicem 239 in cordibus non habet; quia non est fundata super petram, quæ non ædificatur in Christo. Unde quolibet interdum vento levitatis agitata dissolvitur, et temporali gratia brevem florem tenens, *sicut fenum velociter arescit, et sicut* (*d*) *flos agri, cito decidit* [g] : caritas vero Domini manet in æternum, qua invicem connexi [7] sumus et ad convivendum et ad commoriendum, quia *fortis ut mors* [8] *caritas* [h] Christi. Sicut enim lex mortis irrupta, ita et caritatis catena parem vim caritatis et mortis esse testatur. Nam sicut propheta dicit [9] : *Quis est homo qui* (*e*) *vivet, et non videbit mortem* [i] ? ita et Apostolus clamat : *Quis nos separabit a caritate Christi* [j] ? (*f*) Quamobrem tibi, benedicte, fructus uberior ex ea veniet, qui prior hujus caritatis spiculis vulneratus, *prævenisti nos in benedictione dulcedinis* [k] per eloquia litterarum tuarum casta ac fidelia, in quibus a verbo Domini mel et lac distillavit lingua tua [l].

3. Scripseram vero et prius unanimitati tuæ, et cum a te epistolam tuam brevem pro ea (*g*) quam ipse miseram, recepissem, tamquam persoluto officii debito, iterum me diuturnæ taciturnitati refuderam. Sed acrius, vigilante Christo, apud mentem tuam, prior refloruisti sapere ad excitandam [10] in nobis observantiam caritatis, ne obdormiret in mortem oblivionis : et quia abundaverat tibi inhumanitas mea, superabundavit mihi humanitas tua. Multiplicasti enim locupletare me affectu et officio dilectionis tuæ, quo benedictum Domini puerum fratrem Amandum visitationis nostræ socium assumsisti tibi, et nobis (*h*) validum apposuisti patronum. Confidimus enim, quia sicut scribendi ad nos particeps tibi factus est : ita etiam orandi pro nobis collega sit. Et quidem germanitas spiritualis ita postulat, ut sicut spiritus vobis unus in fide et confessione Christi est, ita sit amor et labor unus in proximis (*i*) asserendis. Unde communem largiter a summo retributore mercedem metetis exaltati in turribus ejus, quia *frater fratrem adjuvans exaltabitur* [m]. Si tamen semper orare tantum [11] et suspirare pro nobis memineritis, et de cetero caveatis onerare nos verbis beatificantibus, ne et vobis forsitan offendiculum comparetis, si dicatis dulce, quod amarum est [n]. 240 Legistis etenim quia

[a] Eccli. III, 17. [b] Matth. VI, 17. [c] Habac. III, 17. [d] I Tim. I, 5. [e] Psal. LXII, 6. [f] Eccli. III, 7. [g] Psal. XXXVI, 2, et CXXVIII, 6. [h] Cant. VIII, 6. [i] Psal. LXXXVIII, 49. [j] Rom. VIII, 35. [k] Psal. XX, 4. [l] Cant. IV, 11. [m] Prov. XVIII, 19. [n] Isai. V, 20.

* Alias 26, pars 1, quæ autem 40 erat, nunc 26. Scripta circa annum 405.

(*a*) Sic mss. codices Cluniac. et Vien. cum edit. Chiffl. At ed. Rosv., *sanctis fratribus in Domino Christo salutem.*

(*b*) Hæc addidimus ex ms. codice Cluniacensi et ed. Chiffl. Ante erat *propriam. Tempus ergo*, etc.

(*c*) Ita mss. Clun. et Vien. cum edit. Chiffl. Rosv., *junximus.*

(*d*) LXX, Vulgata, Psalteria Rom. et Gallic., *olera herbarum*, Psalterium vetus et S. Augustinus in Commentario super psalmos, *olera prati.* S. Hieronymus et S. Augustinus in Speculo, *olus viride.*

(*e*) Ex mss. Clun. et Vien. et ed. Chiffl. emendavimus *vivet*, juxta textum Græcum et Vulgatam; sic quoque sæpius legit Augustinus in Commentario super psalmos. Ed. Rosv., *vivit.*

(*f*) Ms. Cluniacensis codex cum ed. Chiffl., *Quapropter tibi hujus caritatis fructus uberior veniet, qui eadem vulneratus prævenisti nos in benedictionibus dulcedinis*, etc.

(*g*) Ita mss. Clun. et Vien. cum edit. Chiffl. Alii codices, *brevem, quam ipse miseras, recepissem.*

(*h*) Ms. Vatic. *opposuisti.* Ms. codex Clun. et edit. Chiffl., *validum salutis opposuisti patronum*, minus bene.

(*i*) Ms. codex Cluniacensis, *sustinendis.* Vulgata lectio verior.

rectos et vere sanctos decet collaudatio [a], non vero peccatores in felle amaritudinis [b] positos, sed et adhuc non tam tenui nexu iniquitatis (a) adstrictos, ut contritio et infelicitas in viis nostris [c] deesse (b) jam possit.

4. Verumtamen sic quoque mentibus nostris debet inesse contritio, quia, *cor (c) contribulatum et humiliatum Deus non spernit* [d]. Et quis dabit nobis cor carneum [e], ut emollita sensus nostri duritia, sentiamus sagittas Domini configentes timore sancto carnes nostras [f], et excitato vulnerum nostrorum dolore, *ploremus ante Dominum qui fecit nos* [g]? Commodet nobis Jeremias illum fontem lacrymarum [h], quo diem suum et populum lamentatus est: superfundat nobis et David flumina oculorum suorum, quibus rigabat lectum suum [i]; neque tantum genas B vultus sui, sed et totum corporis stratum lacrymis exundantibus proluebat. *Superposuerunt* enim *iniquitates nostræ caput nostrum, et multiplicatæ sunt super capillos capitis nostri* [j], quia plura in nobis iniquitatis quam justitiæ opera numerantur: et ideo (d) *computruerunt et deterioraverunt cicatrices nostræ a facie insipientiæ nostræ* [k], et *inveterata sunt ossa nostra, quoniam tacuimus*[12] Deo [l]; et *apponentes iniquitatem super iniquitatem* [m], cum *statuissemus oculos nostros declinare in terram* [n], tarde eos et ægre *levavimus ad montes* Dei, *unde nobis auxilium venit a Domino* [o], qui solus potens est *sanare omnes languores nostros* [p], et *eripere nos de corpore mortis hujus* [q]: (e) qui per Adam constricti, per Christum solvimur: si tamen *ita portemus cœlestis hominis imaginem sicut* C *terreni portavimus* [r]; hoc est, si tam [13] fideliter justitiæ et veritati serviamus pro salute nostra, quam diligenter injustitiæ et inhumanitati [14] pro morte servivimus. Humanum enim a nobis Apostolus postulat; quemadmodum *exhibuimus membra nostra servire iniquitati* ad interitum et confusionem, *sic eadem exhibeamus servire justitiæ* [s] ad vitam et gloriam. Nobiscum enim habemus fructum illorum operum, de quibus nunc erubescimus.

5. Sed gratiæ Sapientiæ Dei, Christo Deo [15], qui in se manens omnia innovat, ac *disponit omnia suaviter* [t], ut sit *omnibus rebus* **241** *tempus* [u]; *tempus occidendi, et tempus sanandi: tempus ridendi, et tempus plorandi: tempus ædificandi, et tempus destruendi* [v]. Abierit, quæso, jam nobis tempus occidendi, de- D struendi, ridendi; et tandem sanandi, ædificandi, plorandi tempus advenerit. *Ecce enim nunc tempus (f) acceptum, ecce nunc dies salutis* [x]. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus opera tenebrarum, et apprehendamus arma lucis* [y]. *Ut filii diei ambulemus in lumine: quoniam ecce* inimici nostri *paraverunt sagittas in pharetra, ut sagittent in obscuro* [z]. Neque enim in luce positos poterunt sagittare, antequam feriant prævidendi [16], et præcaventibus facile vitandi. Potest autem in eodem ipso opere utrorumque temporum ratio connecti, ut illa superius distincta tempora pariter operentur in nobis. Nam et in quo vivificamur, occidimur; vel in quo occidimur, vivificamur per eum qui dixit: *Ego occidam, et vivere faciam* [aa]. Nisi enim nos Christus occiderit, non vivemus; de quo scriptum est: *Dominus mortificat et vivificat* [bb]; quia nisi peccata nostra peremerit, non vivificabit animas. Ideo illi propheta dicit: *Exsurrexi, et adhuc tecum sum. Si occidas Deus peccatorem* [cc]. Exsurgemus (g) emergentes de luto fæcis et umbra mortis, et cum ipso esse permanebimus, si occiderit in nobis peccatorem, et justum creaverit; *quia calix* fragilitatis nostræ *in manu Domini*, in quo *hunc humiliat, et hunc exaltat* [dd]. Nisi enim humilietur exterior, non exaltatur interior. Ac sic occidendi et (h) sanandi, vel destruendi et ædificandi tempora in unum simul coeunt opus [ee], cum destruitur in nobis vita peccati, ut ædificetur vita justitiæ. Neque enim ædificari potest novitas, nisi destruatur vetustas, aut amare [17] possumus Christum, nisi mammonam incipiamus odisse [ff]. Sed neque gaudere poterimus in illo seculo, nisi in isto lugeamus, quia *qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* [gg].

6. Convenit ergo nunc nobis illa de psalmis pauperis anxii et lugentis oratio, *quoniam* pene jam *defecerunt sicut fumus dies nostri* [hh], et necdum malitia nostra defecit. Ecce enim veteres posuit dies nostros productos cursu ætatis, nec spargit canis caput, sed (i) perfundit senectus: et nos adhuc primis reptantem conatibus ævi spiritalis infantiam parvulis sensibus agimus; et vix modo in verbo Dei incipientes loqui, tamquam primis vocibus anima vagiente mutam et rudem sanctis Litteris linguam solvimus, et quondam in litteris humanarum fabularum loquaces, nunc in veritatis **242** balbutimus eloquiis, stultitiæ sapientes, et sapientiæ stulti; robusti vitiis, et virtu-

[a] Psal. XXXII, 1. [b] Act. VIII, 23. [c] Psal. XIII, 3. [d] Psal. L, 19. [e] Ezech. XXXVI, 26. [f] Psal. CXVIII, 120; Psal. CXIX, 4. [g] Psal. XCIV, 6. [h] Jer. IX, 1. [i] Psal. VI, 7. [j] Psal. XXXVII, 5, sec. LXXX; Psal. XXXIX, 13. [k] Psal. XXXVII, 6, juxta Psalter. Rom. [l] Psal. XXXI, 3. [m] Psal. LXVIII, 28. [n] Psal. XVI, 11. [o] Psal. CXX, 1. [p] Psal. CII, 3, sec. Psalter. Rom. [q] Rom. VII, 24. [r] I Cor. XV, 49. [s] Rom. VI, 19. [t] Sap. VIII, 1. [u] Eccle. III, 17. [v] Ibid., 3 et 4. [x] II Cor. VI, 2. [y] Rom. XIII, 12. [z] Psal. X, 3. [aa] Deut. XXXII, 39. [bb] I Reg. II, 6. [cc] Psal. CXXXVIII, 18 et 19. [dd] Psal. LXXIV, 8. [ee] Eccle. III, 3. [ff] Matth. VI, 24. [gg] Psal. CXXV, 5, sec. Psalter. Rom. [hh] Psal. CI, 4.

(a) Ms. Clun. et ed. Chifflet., *obstrictos*.

(b) Abest *jam* a ms. codice Cluniacensi et edit. Chiffl. Tres vero mss. codices Nol., Vatic. et Vien., *non*, mendose.

(c) Sic mss. Clun., Vien. et ed. Chifflet. Ita et alibi Paulinus, epist. 49, ad Macarium, num. 13, et epist. 50, ad Augustinum, num. 2. Ed. Rosv., *cor contritum..... non despiciet*.

(d) Ita Psalteria Rom., Hebraic. et vetus, SS. Ambrosius, Hieronymus et Augustinus in commentar. super psalmos.

(e) Mss. codices Cluniac. et Vien., *qua*. Ms. Nol., *quia*.

(f) Mss. codices Cluniac. et Vien cum edit. Chiffl., *acceptabile*.

(g) Mss. Nol., Vatic. et Vien. cum edit. Rosv., *enim gentes*; unde conjectura est scripsisse Paulinum *emergentes de luto*: quod cum Sacchino et Chiffletio sic emendavimus. Abest vox *gentes* a ms. codice Cluniacensi.

(h) Ms. Clun. et edit. Chiffl., *vivificandi*.

(i) Ita cum mss. codicibus Clun. et Vien. editio Chiffl. Ante erat in edit. Rosv., *profundit*.

tibus adhuc teneri; vix nascente ad justitiam voluntate tirones, et consumta in peccatis ætate veterani. Aliquandiu enim, ut tu Sancte benedicte frater novisti, in hoc seculo volutari inveteravimus inter inimicos nostros; atque utinam inveteraverimus inimicis, ut illa jam nobis otiosis spatiosi itineris vita defecerit, et *renovetur* in Christo, *sicut aquilæ, juventus nostra* [a]; ut senio veteris hominis exuamur, *induentes novum* illum, *qui secundum Deum creatus est* [b]. Sed qui nec *pellicano solitudinis* adhuc [18] *similes esse* possumus, quando erit ut efficiamur sicut *nycticorax* [19] *in domicilio* [c]? Quando excitabimur in eum excelsæ mentis vigorem, ut spiritali alacritate volucres, (*a*) et in alta virtutum ardua penna pervecti possimus dicere : *Vigilavi, et factus sum sicut passer* (*b*) *singularis super tectum* [d]. Videamus hoc loco, si placet, in quam rationem hæc avium genera, et hoc ordine sub persona pauperis anxii, id est, pœnitentis, ad inopiam spei per aliquem lapsum redacti, propheticus sermo disponat. Fertis [10], ut opinor, loquacitatem insipientiæ meæ, quam ad contemtum vestrum [11] provocastis. Accepi enim a quodam sancto doctissimo viro (Rufino) et carissimo mihi, qui non solum legendo, sed etiam peregrinando multa cognovit, pellicanum avem esse in Ægypto, vel illis juxta partibus usitatam proximis Nilo flumini desertis uberare, serpentibus vesci, (*c*) in quos dimicando prævaluerit. Ergo pugnat ut vincat, et victa moritur : victrix vero et evadit mortem, et acquirit alimoniam. Quod autem nycticorax scriptum est, nycticoram esse verius asserebat; idque probabili ratione videbatur ostendere; cum illam avem hoc loco positam diceret, quam appellamus noctuam, quia secreto noctibus cantus exerceat et volatus; et obscuritate tenebrarum, qua fere cuncta caligant animalia, luminetur : unde nycticora aptius quam nycticorax dicitur: quia nycticorax, nocturnus corvus interpretatio [12] est; nycticora autem, nocte videns; eo quod pupilla oculi κόρη a Græcis vocetur. Nihil autem noctuam simile corvi habere manifestum est. Porro perspicuum eam, ut dixi, sicut quasdam alias aves, noctis in tenebris magis cernere, et in lumine cæcutire, noctem diebus pati, lucem noctibus usurpare.

7. Nunc ergo, benedicti mei, videte qualiter hæc avis congruat ad pauperem mœstum, hoc est, pœnitentem, opibus gratiæ pauperatum (*V.* ep. 32, n. 20), et conscia miserorum lapsuum **243** mente, gloriæ suæ damna lugentem, et afflictatione miserabili laborantem in gemitu suo, et de propriæ carnis interitu vitam animæ recipere nitentem, perque orationum impendia, et (*d*) gemituum suffragia, ambitiosa lacrymarum vulneratæ salutis remedia quærentem. Quam apte hujusmodi pauper et peccator Ægyptia aut nocturna avis dicitur : (*e*) Qui enim se ad deflenda et confitenda peccata secernens a communi Ecclesiæ cœtu intra ergastulum cellulæ suæ mœstus includit, et elongatur ab hoc seculo fugiens, ut maneat in solitudine deplorationis, et illic adversus carnis suæ desideria confligat, et in peccata sua spiritali certamine conterenda depugnet, certe et habitaculo pariter et prælio fit *similis pellicano solitudinis*, et illam inimicam serpentibus volucrem, ipsi diabolo [13] et principibus tenebrarum, in peccatis et cogitationibus carnis expugnandis, dimicans æmulatur. Et si in eo agone superaverit, vivet hostium suorum superstes : escam de victoria [14] sua sibi quærit, quia vitæ meritum, (*f*) peccati et diaboli victor acquirit, quem cum omni nequitiæ spiritalis exercitu in perniciem nostram variis artibus serpere quotidianis interioris nostri periculis experimur. Sed gratias Deo, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum Dominum nostrum, ut *super aspidem et basiliscum ambulemus, et conculcemus leonem et draconem* [e]. Ergo *adversus* hujusmodi (*g*) *principes tenebrarum* pugnemus, hoc est, hominum peccatorum potentes, quos Apostolus tenebras dicit [f], cum quibus nobis æmula pro salute *contentio est*, orate ut hos serpentes, dum in istius mundi deserto agimus, exemplo illius (*h*) salutaris alitis tollamus. Quibus obtritis, et per victoriam devoratis, quasi discussa nube tenebrarum, illuminabitur noster interior [15], et tunc fiet *quasi nycticora in domicilio*, hoc est, in domo Domini, ut inter hujus seculi tenebras acutam aciem defæcatæ mentis intendat, et possit secundum prophetam talibus oculis (*i*) luminatus dicere : *Quia tenebræ non obscurabuntur a me, et nox sicut dies illuminabitur* [g]. Quod utique fit, cum utraque substantia in homine sibi congruit, ut etiam caro terrenam inficiata naturam ad animæ concordiam spiritali migret affectu : et tunc *nox sicut dies* (*j*) *illuminabitur*, *cum et caro*, sicut anima, spiritalis efficietur.

[a] Psal. CI, 7. [b] Ephes. IV, 24. [c] Psal. CI, 7. [d] Ibid., 8. [e] Psal. XC, 13. [f] Ephes. VI, 12. [g] Psal. CXXXVIII, 12.

(*a*) Vulgatam retinemus lectionem, non enim placet mss. codicum Clun. et Vien. lectio, *et in alta virtutum arduo fine perfecti*; nec Chiffletii correctio, *arduo fine pervecti*.

(*b*) Ex mss. Clun., Nol. et Vien. et ed. Chiffl. reposuimus *singularis super tectum*; sic enim Paulinus, n. 8 et 9, itemque in ep. 49 ad Macar. n. 5, *passer unicus super tectum*.

(*c*) Ita ms. codex Vatic. et edit. Rosv. At mss. Clun. Nol. et Vien. cum edit. Chiffl., *quos dimicando perculerit*, minus bene.

(*d*) Sic mss. Clun., Nol. et Vien. cum edit. Chiffl. Ante erat *ingentium suffragia, ambitiosæ*, etc., nullo sensu.

(*e*) Ita mss. Clun., Vien. et edit. Chiffl. Edit. Rosv., *et in quo se secretum*, etc.

(*f*) Hanc vocem addidimus ex mss. codicibus Clun., Nol., Vien. et edit. Chifflet.

(*g*) Sic emendavimus ex ms. Clun. codice et ed. Chiffl. Ed. Rosv., *adversus hujusmodi noctes, qui sunt principes tenebrarum, hoc est homines peccatorum potentes, quos*, nullo sensu.

(*h*) Ms. Nol., *solitariæ*. Sed convenit epitheton *salutaris*, quia serpentes tollit.

(*i*) Sic emendamus ex mss. codicibus Clun., Vien. et edit. Chiffl. et correctio nostra confirmatur ex epist. 41, n. 2, *oculus interior luminatur*. Ed. Rosv., *illuminatum*.

(*j*) Iidem codices, *illuminatur... efficitur*. Utraque lectio bona.

8. Quod si per orationes vestras fuerit indultum, A **244** ut et in boste vipereo conterendo (*a*) pellicanum solitudinis æmulemur, et nycticoræ oculis inter hujus seculi obscura cernamus, tunc in consummatione pedibus constitutis, super excelsa perfectæ virtutis impositi, vigilando in orationibus, et meditando in lege Domini, efficiemur *sicut passer unicus super tectum* [a], et corpore et spiritu congruente (*b*) in voluntate Dei, jure dicemus : *Singulariter sum ego, donec transeam* [b]. Et quis est iste passer, in quo forma perfecti est, nisi *passer* ille qui *invenit sibi domum, et cum turture nidum sibi fecit altaria tua, Domine virtutum* [c]? Iste forsan passer est de duobus illis quorum *unus non cadit super terram sine voluntate Patris* [d]. Cecidit enim passer hic summus in corpore, sed et resurrexit. Cecidit autem ex voluntatis as- B sensu, *factus obediens* Patri *usque ad mortem crucis* [e]. Hic passer est illa Sapientia, quæ requirentibus se in viis hilariter ostendit, nunc in portis fit obvia, nunc in plateis occurrit, nunc in muris vel turribus celsa convocat ad se amatores suos, et invitat eos in altitudines habitationum suarum [f], ut impleat verbum suum, (*c*) quia exaltatus omnia ad se trahit [g]. *Quis dabit nobis pennas columbæ deargentatas* [h], ut per *eloquia Domini casta*, et *sicut argentum igne examinatum* [26] [i], pennati pervolemus [27] ad bravium supernæ vocationis, sequentes istum passerem singularem (qui est unicus Dei Filius) supervolitantem : *qui* [28] *in altis habitat, et humilia respicit* ; et *qui descendit in inferiora terræ, ipse est qui* [29] *ascendit super omnes cœlos, captivam ducens captivitatem, ut adimpleret om-* C *nia* [k]. Hunc passerem si directa imitatione valeamus sequi, iisdem vestigiis ambulantes quibus ingressi sunt *speciosi evangelizantium pedes* [l], tunc in edito constituti poterimus dicere : *Vigilavi, et factus sum sicut passer unicus super tectum* [m].

9. Meminerimus tamen etiam in sublime provecti verbum illud Domini, ut *qui fuerit in tecto, non revertatur in domum suam tollere vasa* [n]; id est, ne in nosmetipsos recurramus, et opera carnalia quasi vasa in inferioribus derelicta repetamus. *Nemo* enim, inquit, *mittens* (id est *immittens*. Græce ἐπιϐαλὼν) *ad aratrum manus, et respiciens retro, aptus est regno Dei* [o]. Sed etsi super tectum fuerimus, id est, super naturam terrenam evolaverimus, non acquiescentes D carni, timeamus avium exemplo ad humilia devolare. Scriptum est enim, quia **245** (*d*) *non sine causa tenduntur avibus retia* [p]. Et scimus, quia sic insidiantes [30] volucrum simplicitati aucupes humi ponunt tendiculas; (*e*) et plerumque esca, vel cæci illicis aspersa fraude deponunt aves, et opertis doloso cespite laqueis implicant credulas. Sed nos simili arte nos sollicitantibus per obtentas mundi hujus illecebras nequitiæ spiritalis aucupibus, armati fide et illuminati veritate dicamus : *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ : transmigra in montem sicut passer* [q]; *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem* [r]. Propterea oremus Dominum, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* [s]. *Omnem hominem* dictum puto, quia nemo homo, nisi agnoscens Deum, et qui [31] potius meruerit agnosci a Deo. Quem non agnoscentes, *comparati sunt jumentis insipientibus, et similes facti sunt illis* [t]. Nos ergo magna ejus misericordia ex impiis justificati per fidem, et non ex operibus, *curramus* [32] *in odorem unguentorum ejus* [u], ut ex illius nomine odorem vitæ trahamus, et efficiamur *odor Christi bonus Deo* [v], potionati (*V.* not. 183), ut scriptum est [x], a vino unguentorum de calice salutaris , in quo ipse ut pigmentarius, ut in Ecclesiastico scribitur [y], unguenta suavitatum miscet, *dividens* dona sua *singulis prout vult* [z], ut omnia in omnibus impleantur (*Sacch.* impleatur. *V.* ep. 42, n. 2, et 43, n. 3), et odorem notitiæ suæ manifestet in nobis : quia *unguentum* (*f*) *exinanitum est nomen ejus* [aa]. Quod nomen ut invocetur super nos [bb], semper et in nobis nominetur, fiat *conversatio nostra in cœlis* [cc]. Ita enim efficiemur *sicut passer unicus super tectum* [dd], si non quæ in terra sunt sapiamus aut quæramus, *sed quæ sursum sunt, ubi Christus* (*g*) *est sedens ad dexteram Dei* [ee] Patris, innumerabilibus [33] oculis speculator actuum nostrorum , et spectator agonis istius, quo *in carne ambulantes, non secundum carnem militamus* [ff].

10. *Non* enim *est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem*, sed adversus invisibiles inimicos et *adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus* [gg]. Non quod spiritus nequam in cœlestibus agant, sed quod in cœlesti conversatione viventibus adversentur. *Induamus* itaque *arma lucis* [hh], *et in Deo nostro transgrediamur murum* [ii] illum inter nos et Deum separantem, nec de carnali infirmitate timeamus adversarium spiritali natura violentum , quia *virtus in infirmitate* [jj]

[a] Psal. CI, 8. [b] Psal. CXL, 10. [c] Psal. LXXXIII, 4. [d] Matth. X, 29. [e] Philip. II, 8. [f] Prov. VIII, 2. [g] Johan. XII, 32. [h] Psal. LIV, 7, et VII, 4. [i] Psal. XI, 7. [j] Psal. CXII, 5. [k] Ephes. IV, 8, 9, 10. [l] Isai. LII, 7; Rom. X, 15. [m] Psal. CI, 8, juxta Psalter. Rom. [n] Matth. XXIV, 17. [o] Luc. IX, 62. [p] Prov. I, 17, sec. LXX. [q] Psal. X, 2. [r] Psal. VI, 9. [s] Johan. I, 9. [t] Psal. XLVIII, 13. [u] Cant. I, 3. [v] II Cor. II, 15. [x] Psal. CXV, 13. [y] Eccli. XLIX, 1. [z] I Cor. XII, 11. [aa] Cant. I, 2. [bb] Jacob. II, 7. [cc] Philip. III, 20. [dd] Psal. CI, 8. [ee] Col. III, 2. [ff] II Cor. X, 3. [gg] Eph. VI, 12. [hh] Rom. XIII, 12. [ii] Psal. XVII, 30. [jj] II Cor. XII, 9.

(*a*) Sic emendatum ex codicibus Cluniac., Vien. et Chifflet. At edit. Rosv., *pellicano*.

(*b*) Ms. codex Vaticanus, *voluntati Dei*.

(*c*) Ita mss. Clun., Nol., Vien. et edit. Chiffl. Alii, *et exaltatus omnia ad se trahat*.

(*d*) Græc. ἀδίκως. LXX et Lucifer, *non inique*. Et sic solet locus afferri a Patribus Græcis, ut a B. Cyrillo in Johan., lib. II, c. 54 et aliis.

(*e*) Sic ms. Vaticanus codex cum edit. Rosv. At mss. Clun., Nol., Vien. et edit. Chiffl., *et aspersæ plerumque escæ illices fraude deponunt aves, et operti doloso cespite laquei implicant credulis*.

(*f*) Ita apud quosdam legi asserit Nobilius in scholiis ad hunc versum. Eamdem lectionem hujusce versus iterat Paulinus noster in fine epistolæ 41 ad eosdem, num. 3, unde emendavimus, et ex mss. codicibus Clun., Vien. et edit. Chifl., *ejus*. Ante erat *ei*.

(*g*) Editio Chifl. cum codicibus manuscriptis Clun. et Vien., *est ad dexteram Patris*.

perficitur. Nec in **246** virtute [34] sua potens est A vir, sed Dominus infirmum facit adversarium ejus, quem ipse Dominus virtutum Rex gloriæ tali pro nobis congressionis genere confudit, ut illum in cruce Christi non divina virtus, sed humana superaret infirmitas. Sequamur itaque triumphantem Jesum, et [35] *scuto* fidei *circumdet nos veritas ejus*, ut *non timeamus a timore nocturno*, et *a jaculo volante per diem. Cadent a latere nostro mille, et decem millia a dextris nostris* [a], non nostra, sed virtute Christi [36] cujus pugna est qua pugnamus, et cujus corona qua vincimus, quia membra sumus corporis ejus, si tamen mortificemus in terra membra nostra, ut fiant arma justitiæ, quibus accincti, et Christo, et angelis ejus, et vobis lætum de nostro certamine spectaculum præbeamus, et evolantes de laqueo venatorum B garrula gratulatione cantemus : *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, et nos liberati sumus*, quia *adjutorium nostrum est in nomine Domini* Jesu Christi [b]. Non est enim aliud nomen sub cœlo datum hominibus [c], in quo oporteat salvos (*a*) fieri nos. In hoc nomine triumphantes, (*b*) *confiteamur Domino misericordias ejus* [d], *et gloriemur in laude ejus* [e], non in nostra. Quoniam, ut propheta dicit, si quid bonum in (*c*) nobis, ab ipso est; et si quid optimum, ab ipsius majestate est : *Ipse enim fecit nos, et non ipsi nos* [f]. Et propterea et Paulus dicit : *Quid autem habes, o homo, quod non acceperis? Quod si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* [g]? In quo monet ut, *qui gloriatur, in Domino glorietur* [h]. Unde jam nobis leves angustiæ fiunt, C quando laudari videmur : nihil enim nobis conscii sumus de proprio bono, ut tamquam agnoscentium pudorem laudator perurgeat : quia non ipsos nos, sed divinæ bonitatis munera atque opera prædicari cognoscimus : si quid enim in nobis boni videtur aut creditur, illius est qui *solus bonus est* [i], *et de cujus plenitudine omnes accipimus* [j], et pro meriti vel fidei capacitate respergimur. Ros enim qui ab illo est, sanitas est nobis, et *lætamur in stillicidiis ejus* [k]. Ergo et error iste, quo nos laudatis, innocuus erit nobis. Insuper et mercedem vobis copiosam tam pia fides congeret : quia ut nos nostra mente iniquos, et de perversa hujus seculi generatione pravos existimetis **247** bonos factos, Deo omnipotenti creditis, qui potens est justificare impium, et vivificare mortuos, D et illuminare tenebras, et phœnicium candidare [l].

11. Quamobrem orate solliciti ut tanto ore vel munere Dei dignum Deo cor accipiamus; et qui accepimus contemtum patrimonii, accipiamus etiam nostri contemtum : angusta enim via gradimur, et quasi in fune suspenso ancipites ambulamus : et nisi certo libramine vestigia fixerimus, ut non declinemus dextra vel sinistra, facile nos in hujus aut illius partis ruinam inimicus impellet. Ideo nobis in Salomone Sapientia canit : *Non deflectatis a Domino, ne cadatis* [m]. Ipse enim Dominus Christus *via, veritas et vita est* [n], qui dicit : *Omni vigilia serva cor tuum* [o], quia per ipsas virtutum vias in vitia delabi possumus; et nisi certo, ut dixi, statu dirigentes animi momenta libremus, de ipsa humilitate capiemus superbiam; et evanescet species pietatis, si per laudem paupertatis obrepat inflatio. Et quid proderit caruisse divitiis, si remanemus divites vitiis? Unde quæsumus, ne ex illo nobis verbo Domini blandiamini, quia fecerimus, *Vendite quæ possidetis*; quia plus est quod superest illud: *Et veni, sequere me* [p]. Facile est autem videre [37] quantum sit sequi Christum, ut homo imitetur Deum. Sed et illud scitis : Quia *semel locutus est Deus, duo hæc audivi* [q]; nam et iste sermo, sicut omnis fere Scriptura divina, in bivium patet : *Vade et vende omnia tua.* Non enim pecuniam tantum et fundos, extraneas facultates; sed etiam animi nostri internas opes, quæ vere nostra substantia est, possidemus. Hanc vendere, hoc est alienare a nobis, tanto major victoria, quanto altior difficultas est ingenita quam apposita separare; et intus infixa divellere, quam affixa extrinsecus rejicere. (*d*) Se enim ipsum vincit et superat, qui renuntiat moribus suis, et se abdicat sibi, ut illud fortissimum Dei verbum impleat : *Qui perdet animam suam propter me, inveniet eam* [r]. Hæc Domini verba recordantes, (*e*) effundamus in illum animam nostram, et ipse nos enutriet, et absconditam in se vitam nostram fovebit, et se cum gloria revelabit : si tamen pro hac eadem anima oremus in tempore opportuno nunc [38] in isto sæculo. *In inferno enim quis confitebitur tibi* [39] [s]? Istic moriamur peccatis, ne illic vivamus pœnis. Mors enim, quæ secunda dicitur, nihil aliud est quam vita pœnarum.

248 12. Caveamus igitur ab inferiore inferno, ubi corpus et animam gehenna torquebit, æternum moriente peccatoris anima, manente [40] sensu et durante materia corruptionis. Nam *et mortui*, ut scriptum est, *resurgent incorrupti* [t], non gloriæ immortalitate, sed pœnæ. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* [u]? *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio* [v], qui *vectes* (*f*) *ferreos confregit* [x], et *humiliavit calumniatorem* [y], ut *exaltaret*

[a] Psal. xc, 5, 6, 7. [b] Psal. cxxiii, 7, 8. [c] Act. iv, 12. [d] Psal. cvi, 8. [e] Psal. cv, 47. [f] Psal. xcix, 3. [g] I Cor. iv, 7. [h] I Cor. i, 31. [i] Matth. xix, 17. [j] Johan. i, 16. [k] Psal. lxiv, 11. [l] Isai. i, 18. [m] Eccli. ii, 7. [n] Johan. xiv, 6. [o] Prov. iv, 23. [p] Matth. xix, 21. [q] Psal. lxi, 12. [r] Johan. xii, 25. [s] Psal. vi, 6. [t] I Cor. xv, 52. [u] Rom. vii, 24. [v] Psal. xxiii, 8. [x] Psal. cvi, 16. [y] Psal. lxxi, 4.

(*a*) Sic editio Chiffl. cum mss. codd. Clun. et Vien. In editione Rosv. legebatur, alia interpunctione, *fieri. Nos in hoc.*

(*b*) Ita Paulinus noster epist. 19 ad Delphinum, n. 2, secutus versionem Psalterii ex Hebræo, cum in 4 aliis psalteriis et in commentario S. Augustini super psalmos quater legatur *Confiteantur Domino misericordiæ ejus*, in vers. 8, 25, 21, 31.

(*c*) Addidimus particulam *in* ex mss. codicibus Clun. et Vien. et ed. Chiffl., in quibus, *si quid bonum in nobis, ab ipso est : et si quid optimum, ipsius est.*

(*d*) Sic emendavimus ex mss. codicibus Clun. et Vien. et edit. Chiffl. in quibus *mutat* pro *vincit*. Ante erat, *Si enim seipsum vincit*, nullo sensu.

(*e*) Ita reposuimus ex iisdem codicibus. In edit. Rosv., *effundemus.*

(*f*) Juxta textum Græcum, Vulgatam, mss. codices

me de portis mortis, ut narrarem mirabilia ejus in portis filiæ Sion [a]. *Benedicat vos Dominus ex Sion, et videatis quæ bona* sunt *Hierusalem*, et oretis pro nobis *omnibus diebus vitæ vestræ* [b], ut *portio nostra* communiter sit *in terra viventium* [c].

EPISTOLA * XLI.

Paulinus a Sancto præmonitus fuerat ut faculam suam diligenter dum tempus est appararet : occasione inde accepta, in Evangelicam de lampadibus ac de prudentibus quinque totidemque fatuis virginibus parabolam pie admodum ingenioseque excurrit.

1. Legimus in tergo epistolæ adnotationem epistolarum, quas meas esse (*a*) indicastis. Nam vere prope omnium earum ita immemor eram, ut meas esse non recognoscerem [1], nisi vestris litteris credidissem. Unde majus accepi documentum caritatis vestræ, quia plus me vobis quam mihi notum esse perspexi. Hymnos, quos desiderabam, accepisse gratulor : quo munere, Sancte frater, admonuisti me, ut faculam meam diligenter, dum tempus est, appararem, ne cum fatuis excluderer, si cum sapientibus non occurrerem. Orate autem, ut et virgines et fecundæ sint animæ nostræ; sine sterilitate virgines, sine corruptione fecundæ. Hoc enim mysterio et in lege maledictus est, qui [2] semen in Israel non dederit : et in Evangelio virgo sapiens (*b*) dicitur quæ oleo procurato vigili sollicitudine, uncta (*c*) face, sponsi exspectat adventum, jamque venienti non exstinguendum pingui fomite lumen accendit.

2. Ergo mens nostra fertilis Deo sit, et vitæ fructus operibus bonis pariat. Sit et spiritus virgo, ut nulla seculi corrumpatur illecebra, et ab omni labe vitiorum integer maneat. Stultæ enim virgines illæ mihi videntur animæ [3], quæ virtutibus steriles sunt [d]; et illæ sapientes, quæ vitiis incorruptæ sunt. **249** Denique in utroque virginum genere quinque ponuntur, ut intelligatur, ad sensus hominis integritatem aut corruptionem referri : nam quinque sensibus omnes præditi sumus, per quos aut vitam recepimus aut mortem. De ipsis enim dolens propheta dicit : *Mors introivit per fenestras vestras* [e]. Quas obstruamus timore Dei, ut ad omnes istius mundi formas et voces surdi simus et cæci : sepiamus aures nostras spinis contra linguam nequam et illecebrosa modulamina [f] : *avertamus oculos nostros, ne videant vanitatem* [g] : obstruamus et nares nostras, ne de corruptione hujus seculi mortis odorem trahamus : neque per gustum illicem gulæ morbus irrepat, et concupiscentiarum (*d*) cibis continentiæ robur enervet : neque mollibus vestimentis corpori blandiamur, nec carneos tactus et amplexus illicitos delicatis male palpata tegminibus membra (*e*) disquatiant. Ita fiet ut in unoquoque nostrum omnibus sensibus castis et oleo doctrinæ fidelis imbutis, virgines omnes quinque sapientes maneant, oleo in vasis suis reposito, exspectatione secura quiescant, facile mox parandis facibus occursuræ cum primo supervenientis sponsi tumultu fuerint excitatæ. Nam in tantis Ecclesiæ populis, in quibus non solum virgines, quarum tamen innumera multitudo est; sed et maritatæ, et viduæ diversis et moribus cernuntur et fructibus; non arbitror alia ratione quinque tantum virgines fatuas et totidem sapientes esse positas, nisi quod utraque persona in totius populi universitate diversa, numerus autem ratione supradicta sigillatim in omnibus continetur; ut unusquisque in semetipso aut stultas aut prudentes habeat [4], pro qualitate sensuum suorum : in quibus providis sapiens, incertibus autem stulta virginitas est. Nam ideo et fatuæ, sicut sapientes in tanta sui dissimilitudine similiter virgines appellantur, quia virginibus secundum carnem sterilitas infecunda, secundum spiritum fructuosa (*f*) castitas adest. Quare nec sapientes sterilem virginitatem habent, quia sapientes sunt; nec stultæ fructuosam, quia stultæ sunt. Quarum forma mihi videtur esse *sapientia hujus mundi*, quæ *stultitia est apud Deum*, et *sapientia carnis* [h], quæ vere virgo stulta est, (*g*) quia *non est* juncta atque *subjecta legi* [i] et sapientiæ Dei : et *lucerna ejus* facile *exstinguitur* [j], quia non habet oleum veritatis, vacua Spiritus sancti, quo oculus interior luminatur [5] et impinguatur animæ caput [k], quod est fides **250** nostra, cui oleum est doctrinæ cœlestis infusio [l]?

3. Itaque *oleum peccatoris non impinguet caput nostrum*, neque muscæ morituræ exterminent oleum suavitatis : ut semper nobis caput Christus sit, nec unquam [6] deficiat oleum capiti nostro, quia *unguentum exinanitum est nomen ejus* : et tunc omnibus (*h*) perfectis sensibus erimus virgines sapientes, si in nobis manserit Sapientia Dei, per quam facta est etiam in corpore fecunda virginitas. Nimium vos

[a] Psal. IX, 12 et 15. [b] Psal. CXXVII, 5. [c] Psal. CXLI, 6. [d] Matth. XXV, 3. [e] Jer. IX, 21. [f] Eccli. XXVIII, 28. [g] Psal. CXVIII, 37. [h] I Cor. III, 19. [i] Rom. VIII, 7. [j] Prov. XX, 20. [k] Psal. CXL, 5. [l] Cant. I, 2.

* Alias 26, pars 2; quæ autem 41 erat, nunc 4. Scripta et missa cum superiore circa annum 405.

Clun., Nol., Vien. et edit. Chiffl. emendavimus *ferreos*. Ante erat *æreos* in edit. Rosv.

(*a*) Ita mss. codices Clun. et Vien. cum edit. Chiffl. Edit. Rosv., *judicastis*. ms. Nol., *indicatis*.

(*b*) Addidimus verbum *dicitur* ex ms. codice Cluniacensi et edit. Chiffl.

(*c*) Sic reposuimus ex mss. codicibus Nol. et Vatic. Verissima lectio petita ex Evangel. Matthæi c. XXV, eaque confirmatur n. 2 et ep. 23, n. 42. Alii codd., *uncta facie*, minus bene; non enim Christus præcepit in Evangelio ut ungerent faciem suam virgines exspectantes sponsi adventum, sed ut haberent oleum in lampadibus.

(*d*) Mss. codices Clun., Vien. et edit. Chiffl., *cibus*, minus bene.

(*e*) Manuscriptus codex Viennensis et edit. Chiffl., *descateant*, mendose. Ms. Clun., *descatent*.

(*f*) Manuscriptus Clun. codex et ed. Chiffl., *caritas*. Sed bene respondet *fructuosa castitas secundum spiritum infecundæ sterilitati secundum carnem*.

(*g*) Editio Chiffletii cum Cluniacensi manuscripto codice, *quia legi et sapientiæ Dei non est subjecta. Cujus lucerna facile exstinguitur*.

(*h*) Mss. Cluniac. et Vien. ac edit. Chiffl., *perfecti sensibus*. Utraque lectio bona.

fatigo, et mihi præsumo multum de patientia caritatis. Sed (a) oportet ut audiam Salomonem in Sapientia Dei loquentem, ut parcius, ad amantissimos licet, inferam verbi pedem, ne satiati oderint me: scio autem, quod sicut odisse quis non potest viscera sua, ita nec vos humilitatem nostram, quam visceribus vestris permiscuistis. Pax, et caritas, et gratia, et humilitas Christi Domini altissimi abundet in vobis, benedicti, fratres merito venerabiles (b) et dilectissimi.

EPISTOLA * XLII.

Lætatur se adeptum Florentii Cadurcensis episcopi amicitiam: illum commendat, ejus preces exposcit; pulcherrimasque Christi laudes immiscet.

Beatissimo ac merito venerabili (c) Patri FLORENTIO (V. not. 184), PAULINUS.

1. Lætamur in Domino visitatos nos litteris sanctitatis tuæ, et provocatos, ut qui neque notitiæ tuæ prius gratiam gesseramus [1], nunc repentino Dei munere plenam tuæ tamquam veteris amicitiæ fiduciam sumeremus. *Vinum*, inquit, *et amicus veterascet, et cum suavitate bibes ipsum* [2] [a]. Ecce istam prophetæ sententiam superavit [3] sanctitas tua quæ tam perfecto diligere nos cœpit affectu, ut inveteratæ nobis dilectionis suavitatem in prima hujus fœderis novitate reddiderit; ut non necesse habeamus optare incrementa caritatis, cujus maturitatem consummatam principiis abundantibus experimur. Ut ubertatem animæ tuæ magnis fontibus comparare possimus, qui originem suam late profuso ore rumpentes, statim in ortu suo flumina sunt. Benedictus **251** itaque Dominus, qui peccatis nostris tali gratia superabundavit, ut nos nec notitia tua dignos, etiam caritate ditaret; et minore hactenus bono carentibus, cum vestræ corporalis notitiæ essemus expertes, tanto majus de te munus indulsit, quanto potior in homine substantia est spiritus quam caro. Propterea exsultat cor nostrum, et repleto gaudiis ore dicimus. ***Magnificavit Dominus facere nobiscum*** [b], ***quoniam prævenisti nos in benedictione dulcedinis*** [c] per eloquia sancta, et sicut *argentum purgatum examinata* [d]: visitans nos, ut (d) dixi, et excitans de pigritiæ nostræ situ ad observantiam caritatis tuæ. In qua quidem non somnolentia dormiebamus, sed ignorantia silebamus. *Sit* ergo *nomen Domini benedictum* [e], et lætetur in hoc etiam opere pietatis suæ, quo ignorantibus in carne faciem tuam, hanc potius, qua pulcrius in Christo formatus es, speciem tuæ mentis ostendit. (e) *Sermo* enim, inquit, *viri indicat de illo*, et *ex abundantia cordis os loquitur* [f].

2. Sermo itaque tuus nobis apostolico sale conditus expressit saporem gratiæ [g], quæ tibi data est; et de stillicidiis labiorum tuorum gustavimus quam suavis sit in te Dominus [h], qui factus es et positus in caput populi, electus ex ovibus in virum gregis, ut regeres oves pascuæ ejus, qui animam pro ovibus suis posuit [i]. Idem agnus et pastor reget nos in secula, qui nos de lupis oves fecit; earumque nunc ovium pastor est ad custodiam, pro quibus fuit agnus in victimam [j]. Hic ergo Dominus et Deus noster, qui *in terris visus est*, *et inter homines conversatus est* [k] pro nobis, ovis et pastor in nobis est, quia nos invisibili baculo et salutari virga intus regit [4], ut etiamsi ambulemus in umbra mortis, non timeamus mala, quia nobiscum Deus est [l], Emmanuel ille [m]; Dominus majestatis et filius ancillæ, quorum (f) aliud natura, aliud factus est. Idem creator hominis et redemtor, Deus ex Deo, homo pro homine; Filius Dei ante secula, filius hominis pro seculo [n]; forma servi pro libertate servorum; et *pauper factus*, ut pauperes sua egestate locupletet [o]: quia ipse est *dives in omnes* omnis boni [p]; *qui omnia in omnibus adimpletur* [5] [q], *plenitudo Divinitatis* [r], *spes omnium finium terræ*, *et in mari longe* [s], Deus salutaris noster, *mediator hominum et Dei*, *homo Christus Jesus* [t], qui *est in gloria Dei Patris* [u] super omnes Deus benedictus in secula.

3. Hic ergo, qui te in sortem apostolorum **252** suorum dignatus assumsit [6] [v], ut eorum arte hominum piscator existeres [x], et de amaris ac profundis hujus seculi fluctibus vivificandam potius quam perimendam Deo prædam hamo verbi salutaris extraheres, quod utique quotidie facis: hic Deus, qui te adjutorem ædificationis et culturæ suæ fecit [y], qui insinuare dignatus est dilectionem humilitatis nostræ sublimi per humilitatem cordis animæ tuæ, quia proculdubio per mansuetudinem ovis et agni innocentiam pastor esse meruisti; hic te, inquam, Deus, qui amantem nostri facere dignatur, non juxta meritum malum faciens, sed secundum divitias bonitatis suæ, ut nobis adjutorium de patrocinio orationum tuarum, tibi merces de proximorum etiam minorum [7] magna caritate cumuletur [z], memorem te nostri perpetuo faciat; omnibus orationibus tuis et

[a] Eccli. IX, 15. [b] Psal. CXXV, 3. [c] Psal. X. 4. [d] Psal. XI, 7. [e] Job, I, 21; Psal. CXII, 2; Psal. CIII, 31. [f] Matth. XII, 34; Luc. VI, 45. [g] Col. IV, 6. [h] Psal. XXXIII, 9. [i] I Reg. XV, 17; I Reg. XVI, 11; Psal. LXXVII, 70; Johan. X, 15. [j] Johan. I, 29; Isai. LIII, 7. [k] Baruch. III, 38. [l] Psal. XXII, 4. [m] Isai. VII, 14. [n] Matth. I, 16; Luc. II, 7. [o] II Cor. VIII, 9. [p] Rom. X, 12. [q] Eph. I, 23. [r] Col. II, 9. [s] Psal. LXIV, 6. [t] I Tim. II, 5. [u] Philip. II, 11. [v] Act. I, 20; Col. I, 12. [x] Matth. IV, 19. [y] I Cor. III, 9. [z] Matth. XXV, 40.

* Alias 32; quæ autem 42 erat, nunc 6. Scripta circa annum 405.

(a) Manuscripti codices Clun. et Vien. cum edit. Chifflet., *oportet audiam Salomonem sapientia Dei loquentem*.

(b) Editio Rosv., *ac dilectissimi*; et addit: *Valete in Domino*.

(c) Ita mss. codices Reg., Vat. et Vien. et edit. Bad., Grin., Rosv. et quidem recte, cum ad episcopum Paulinus nondum episcopus scripserit. Edit. Grav. et Schot., *fratri*.

(d) Sic reposuimus ex ms. codice Viennensi, cum ante esset *ut dixit*. Correctio nostra confirmatur ex initio epistolæ.

(e) Ita fere Paulinus epist. 13 ad Pammachium, n. 2. Verum hæc neque apud LXX, neque in Vulgata habentur, ubi *ingressus hominis enuntiat de illo*.

(f) Bis repositum est *aliud* ex mss. codicibus Reg. et Vien. Ed. Rosv., *alterum*.

oblationibus curam nostræ salutis immisceat, ne in offendiculum nobis accedat tanta ista, qua [8] gloriamur in Domino, tuæ dilectionis impensio, si rapaces indomitorum sensuum bestias vestitu ovium contegamus [a]. Sic igitur ora, donec exores, ut fiat cor nostrum immaculatum in conspectu Domini, ut non confundamur [b] neque simul trahamur cum iis *qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt in cordibus eorum* [c]; sed lingua et mente concordes, corde credamus ad justitiam, ore confiteamur ad vitam [d]. Ita demum pietas qua nos diligis, tibi fructuosa referetur, si tam efficax pro nobis oratio tua fuerit, ut a nostra terrestri specie demutati in tuam similitudinem transferamur, ut *cœlestis* hominis *imaginem* pari veritate *gestemus* [e].

4. Tunc vere erimus de tua caritate felices, si obtineas ne simus a tua caritate dissimiles. In quo tamen non eatenus, quasi superbum tendimus votum, ut apicem meriti tui speremus attingere; sed ut salutis fine conclusi, juxta formam fidei tuæ in itinere directo veritatis vestigia perlegamus, et sit nobis finis ipse qui initium est, caput et fundamentum corporis sui petra Christus [f]; illa petra, quæ nos inter hujus seculi deserta sitientes justitiam sequaci fonte prosequitur, et dulci potu refrigerat, ne carnalium cupiditatum æstibus peruramur; illa petra, super quam domus stabilita non corruit, et illa petra quæ, latere lancea perforato, aqua fluxit et sanguine [g], ut pariter salutiferos nobis funderet fontes, aquam gratiæ, et sanguinem sacramenti, qui idem est [9] et fons nostræ salutis et pretium.

253 5. Sed væ mihi peccatori, quonam [10] progressus, immo prolapsus sum? Dum pluribus apud te verbis ago, ut pro peccatis meis vel potius adversus peccata mea patrocinium promerear, cum orationibus intendas; (*a*) accumulo eamdem de loquacitate mea sarcinam, quam de orationibus tuis minui peto; tamquam immemor scriptum, *de multiloquio* (*b*) *non effugies peccatum* [h]. Et quid agam? quo ore purgari postulem? vel qua a te ratione defendar, cum sciens prudensque contrarium prophetico verbo commiserim, ut peccato multiloquii et me læderem, et sanctitatem tuam fatigarem? Hærebo prorsus hoc crimine, neque vel tua me tegere valebit oratio, nisi tu ipse mihi prius hanc injuriæ tuæ culpam remittas; et pro me, sicut (*c*) beatus Job pro loquacibus amicis facere præceptus est, hostiam placationis offeras Deo [i]. Tantum enim de animo tuo mihi vindico [11], ut hoc mihi multiloquium de tua indulgentia impune

A cessurum præsumam; non ambigens tantam habere te patientiam, quantam habes caritatem.

EPISTOLA * XLIII.

Excusat Victorem quod serius sit reversus, causans hiemis tempestatem, et adversam ejus valetudinem: tum propositam sibi a Desiderio presbytero explicationem benedictionum patriarcharum excellenti humilitate ad ipsummet rejicit; et ipse maledictionem ficulneæ a Domino irrogatam sapienter exponit.

Sancto et merito venerabili fratri, et (*d*) desideratissimo DESIDERIO (*V*. not. 185) desideriorum meorum, PAULINUS et THERASIA peccatores, in Christo Domino salutem.

1. Ad te brevem epistolam (*Non exstat hæc epistola*) jam diu ante (*e*) fratri Victori dederamus, quam et ipsam perferri ad sanctitatem tuam volui, ut ipsi
B perlatori suo testimonium perhiberet non voluntariæ apud nos remorationis. Hæc enim causa brevitatis ejus fuit, quod post modicum adventus sui tempus Victor a nobis ad vos refestinans, tanta se ad iter relegendum obstinatione duraverat, ut vix vel brevium ad te litterarum nobis tribueret facultatem. Interea proficiscentem subiti rerum obices retraxerunt, cum hiems navigationem, et itinera metus (*f*) clauderent: quibus impeditus atque revocatus necessitati præstitit longam dilationem, qui procrastinationem **254** rogatus negaverat caritati. Inter has moras etiam æger fuit, et quidem ita graviter laboravit, ut a portis mortis reductus plus temporis in reficienda valetudine consumserit, quam ægritudine tolerata produxerat. Postea jam vicino apostolorum natali di-
C mittere eum inhumanum putavimus. Itaque longioribus ejus moris, quas supradictis necessitatibus dederat, brevem hanc illi [1] moram de nostra voluntate adjecimus, ut, cum apostolicam solemnitatem voti nostri et itineris annui socius celebrasset, hujus quoque ad vos negotii nostri nuntius reverteretur.

2. Sane epistolas, quas ad benedictum Dei hominem fratrem nostrum Severum habet, diverso tempore, prout impetus festinationum habebat, fecimus, sicut ipsarum varia lectione monstrabitur: nam breviores (*illæ epistolæ perierunt*) earum quasi properans et in profectionis januis pendens Victor exegit: prolixiores autem cum de longa ejus remansione securi esse cœpissemus, tamquam remissa atque laxata in otium mente (*g*) scripsimus. Scripserat autem no-
D bis frater noster Severus, ut eum vobis illico remitteremus, atque ita præscripserat tempus, ut ad vindemiæ dies remissus occurreret. In quo, quia non potuimus illi parere, hac saltem specie obedientiam

[a] Matth. VII, 15. [b] Psal. CXVIII, 80. [c] Psal. XXVII, 3. [d] Rom. X, 10. [e] I Cor. XV, 49. [f] Apoc. I, 8; Eph. I, 22; IV, 15, et V, 23; Col. I, 18; I Cor. III, 11; I Cor. X, 4; Matth. VII, 24; Luc. VI, 48. [g] Johan. XIX, 34. [h] Prov. X, 19, sec. LXX. [i] Job. XLII, 8.

* Alias 35, quæ autem 43 erat, nunc 50. Scripta anno 406 circa festum SS. apostolorum Petri et Pauli.

(*a*) Ms. codex Viennensis, *adcumulem*.
(*b*) Ita LXX et S. Cyprianus lib. III ad Quirinum adversus Judæos, art. 103.
(*c*) Sic mss. Reg. et Vatic. codices cum editis quatuor. At ms. Vien. et edit. Grin., *sicut beato Job... præceptum est*.
(*d*) Ms. Vien., *desiderantissimo*; ms. Reg. hunc titulum habet: *Incipit ad Desiderium secunda*. Abest tamen a ms. codice Regio prima ad Desiderium epistola, cujus meminit Paulinus in hujusce epistolæ 43 exordio, et hæc desideratur. Vide Vit. c. 47, n. 1 et 3.
(*e*) Manuscriptus codex Viennensis, *per fratrem Victorem*.
(*f*) Mss. Reg. et Vien., *clauderet*.
(*g*) Ms. codex Vien., *curavimus*.

præbere tentavimus, ut illum si non eodem anno quo speraverat, tamen eodem tempore quo jusserat, occursurum recipiat: et si tarditatem illius necessitatibus, quas exposui, non vult imputare, meo delicto reputet quod remansit, suis tamen orationibus debeat vel tardum istius reditum; quia cum jam omnino depositus ægrotaret, de Severi fide speravi sanitatem ejus, quam de meis meritis desperabam [a]. Quibus videbam Victoris innocentiam verberari, ut in illo mea iniquitas plecteretur, in quo divina justitia vindicabat, quod in dilectione peccatoris errabat. Nam et mihi pœnam caritas excitabat, ut tribulationem, quam unanimus mihi homo patiebatur in corpore, cruciatu viscerum animique compatiens sustinerem.

3. De quo autem mihi per ipsum scripseras, aquam dulcem et copiosam in amaro et arente rivulo quærens [a], tuæ potius gratiæ explicandum refundo: nam me fateor tantorum nominum et mysteriorum pondera nec digito [a] ausum tangere. Legi enim, *quia in malevolam* [b] *animam non introibit sapientia* [b]; et ideo malitiæ meæ conscius non potui divinæ revelationis habere fiduciam, cum prudentiæ **255** lucem tenebroso corde non caperem. Tu vero benedicte, vas mundum et aptum Deo, si accepisti intellectum benedictionis illius, qua filios suos prophetico spiritu patriarcha in cæcitate corporis luminatus alloquitur, expone mihi rescripto mysteria regni, et sacramenta a seculis reposita [c], et pro seculis revelata in Christo Jesu; in quo concurrit diversa omnium forma sanctorum; qui in patriarchis figuratur, in prophetis loquitur; in apostolis operatur, et *omnia in omnibus* (*a*) *adimpletur* [d] *: quia in ipso placuit inhabitare omnis plenitudo* [e], qui omnium initium et finis est [f]. Quod si necdum accepisti, quia forte dum proximo tuo mihi donata credis, quasi jam in tuo parata promptuario, petere tibi specialiter a Domino distulisti, pete et accipies secundum fidem et animam tuam: quæ quanto castior membris, tanto vivacior sensibus: et quanto mundior corde, tanto capacior Christi est; qui ab humili possidetur, et a mundo corde conspicitur [g].

4. Te autem, ut tua opinione deceptum ab inopia mea minus moleste feras, sic habe, tamquam idem de me passus sis, quod ipse Dominus ab illa ficu, ad quam esuriens accessit, et sine fructu inventam percussit verbo oris sui; ut quæ sterilis fuerat (*b*) benedicto Domini, fieret arida maledicto [a] [h]. Sed obsecro fraternitatem tuam, ne me, licet similem illi arbori infelici inveneris, simili voce percutias; ne penitus arescam et vacuus debito fructu, etiam foliorum amictu, id est gratiæ fronde despolier [i] (*V*. carm. 32, v. 46, et ep. 30, n. 4). Sed iterum cogitans, quia misericors et miserator Dominus, neminem vult (*c*) mori morientem; neque creaturam suam in illa arbore, sed inimicum (*d*) plantationi suæ vitium arboris maledicendo damnavit: oro te potius, ut maledicas sterilitati meæ, ne unquam ex illa fructus nascatur, ut possit ex me ipso fructus nasci Deo. Expedit enim mihi interitus sterilitatis meæ, ut in me plantationis dominicæ fecunditas reviviscat; et moriente vitio, quo infructuosus efficior, agricolæ meo revirescam reditu bonæ voluntatis; ut esuriens vitam meam Dominus, ipse inveniat me feracibus ramis fructus sibi debitos offerentem.

5. Sed in hac eadem arbore non modicæ quæstionis argumentum Marcus adjecit. Nam alii evangelistæ de maledicta et arefacta ficu consonans, hoc altius est locutus, quod cum dixisset non invenisse Dominum in arbore illa fructum, id, quod arborem excusare videatur, apposuit, dicens: *Non* **256** *enim erat tempus ut fructum haberet* [j]. Quod si ita est, sine causa videtur arbor excepisse maledictum, quæ culpa sterilitatis carebat, si adhuc per anni tempus alienum fructus non habebat paratos, non infecunda de vitio, sed immatura de tempore. Sed quod de pecore Apostolus ait, et de ligno possumus usurpare, ut dicamus: *Numquid* de arboribus *cura est Deo* [k]? Propter nos utique scriptum est, in quibus escam suam Deus semper vult invenire. Nam et agrum et vineam in nobis habet. Nos in area sua ventilat, in nobis purgat triticum, (*e*) dissicit (*id est* separat. *V*. not. 186) paleas, urit zizania [l]. Itaque in illa arbore salutem hominis esuriebat, et ab homine debitum sibi fructum petebat. Sed et cum [a] *in sua propria venisset, sui eum non receperunt* [m]; et debitam fidei frugem, quam per legem et prophetas in eos seminaverat, sterilis infidelium Judæorum Synagoga non reddidit. Venit ad arborem eorum, quærens a filiis plantationis suæ exspectati germinis dulcem cibum: at illa, subductis pietatis fructibus, dedit in escam illius fel [n], et uvas petenti obtulit spinas, et ipsum bonæ vineæ plantatorem, ipsum veram vitem et botrum suavitatis aceto urente potavit [o]. Unde *conversa est ipsis mensa eorum in laqueum* [p], *et uva eorum amaritudinis* facta est, et *ira draconum insanabilis vinum eorum* [q].

6. Tu vero, mi frater, ora Dominum ne ex vinea talium vitis nostra procedat, quia propago eorum ex vinea Domini Sabaoth degeneravit in vineam Sodomorum [r]. Et nisi Dominus in apostolorum palmitibus, de patriarcharum radicibus reliquisset nobis seminarium vitæ, de quo salus gentium pullularet, et in quo seminis benedicti vena duraret; tota malitiæ plenitudine *Sodomis et Gomorrhæ similes fuissemus* [s].

[a] Jac. III, 11. [b] Sap. I, 4. [c] Gen. XLIX, 2. [d] Ephes. I, 23. [e] Col. I, 19, et II, 9. [f] Apoc. I, 8. [g] Isai. LXVI, 2; Matth. V, 8. [h] Matth. XXI, 19; Marc. XI, 14. [i] Ezech. XVIII, 31. [j] Marc. XI, 13. [k] I Cor. IX, 9. [l] Matth. III, 12; Luc. III, 17. [m] Johan. I, 11. [n] Matth. XXVII, 34; Marc. XV, 36. [o] Johan. XV, 1; Luc. XXIII, 36. [p] Psal. LXVIII, 23. [q] Deut. XXXII, 32, sec. LXX. [r] Isai. V, 7. [s] Rom. IX, 29; Isai. I, 7.

(*a*) Ita ms. codex Regius cum editis Grav. et Schot. Alii, *adimplet*. Sed et *adimpletur* pro *adimplet* alibi usurpat Paulinus Vide epist. 40, n. 9, et 42, n. 2.

(*b*) *Benedicto*, id est *benedictione*, ut respondeat *maledicto* quod sequitur. Mss. Reg. et Vien. cum edit. Schot., *benedicto Domino*, mendose.

(*c*) Ita mss. Vatic. et Vien. cum ed. Grin., id est, neminem vult morte æterna mori, licet naturaliter moriatur. Alii codices, *vult morte morientem*.

(*d*) Sic emendavimus ex codice ms. Vien. Quæ correctio confirmatur ex ep. 40 ad Sanctum et Amandum, n. 7, *inimicam serpentibus volucrem*. Ante erat *plantationis*.

(*e*) Ita mss. codices. Editi, *disjicit*.

Verum quia *novissima hora est* [a], *et securis jam ad radices arborum posita* [b], aridis et infelicibus lignis justum minatur excidium, quæso te, ut indulgentiam mihi et laxamentum temporis depreceris; ut morte dilata forsitan succum feracitatis accipiam de caritatis tuæ diligentia et sollicitudinis meæ cultu; ut cor meum divinus timor fodiat, et stirpem meam necessaria pœnitudo stercore humilitatis impinguet [c]: deinde ego ad vigilantiam sollicitudinis excitatus, omni hora paratus assistam [d], et Domino absente sim trepidus, ut adveniente securus sim; omni tempore [7], omni die me fertilem sibi Christus inveniat, id est, ut numquam cuiquam operi voluntatis illius immaturus appaream: sed si forte **257** in tempore iracundiæ desideraverit a me pacem suam, non sit mens mea per iracundiæ acerbitatem cruda concordiæ; nec exspectem ut sol occidat super (*a*) iram meam [e], ne occidat vita mea, si ante clauserit vesper diem, quam exstinxerit pax furorem.

7. Quod autem de iracundia posui, de omni vitiorum genere dictum puta. Hoc enim arbitror esse illud, quod Dominus in arbore illa ante tempus suum poma quæsivit. Neque enim ille qui *novit occulta cordis* [f], et qui cogitationes hominum perspiciebat, id quod in hominum oculis erat positum, non videbat, aut etiam humano sensu minor erat, ut etiam in parvulorum scientia positum anni tempus ignoraret, et autumni fructum vere deposceret? Sed artifex salutis nostræ, Creator, cujus vita et actus omnis in terris forma nobis conversationis et morum fuit, ideo visibiliter invisibilia sua consilia disposuit, et in creaturis irrationabilibus animæ (*b*) rationali speciem suæ conformationis expressit, ut nos ad omnia nobis salutaria scriptis operum suorum atque verborum insignibus erudiret. Et hoc est quod voluit intelligi per evangelistam nobis indicando non suo tempore fructum ab arbore se petisse, ut omni tempore homo se fructum Deo debere cognoscat; quia bonus Dominus, qui hominem mortalem immortalitati præparat, jam et in hoc seculo vult eum speciem perpetuitatis induere, ut fructum non accipiat de tempore, sed omni tempore sit maturus illi, cum quo vel in quo mansurus est sine tempore.

EPISTOLA * XLIV.

Pulcherrime laudat spirantem in litteris Apri divinæ gratiæ vim ac suavitatem nec minus venuste Amandæ olim conjugis Apri, jam sororis, industriam celebrat, per quam res domesticas procurans otium viro ad divina præstabat. Simul admonet quibus modis instituendi sint filii. Ex ea epistola liquet quomodo viverent presbyterorum uxores.

Sanctis et merito venerandis (*c*) ac dilectissimis A fratribus APRO et AMANDÆ, PAULINUS et THERASIA peccatores.

1. Quis daret mihi fontem litterarum tuarum, ut respondere possem litteris tuis vario gratiarum spiritalium flore consertis, nec jam [1] scholastico (*V.* ep. 28, num. 5) magis quam divino sermone facundis et affluentibus quasi de terra repromissionis divinæ **258** lacte pietatis et melle sapientiæ, cujus et mel et oleum suxisti de firma petra, id est Christo Domino, qui est fundamentum æternæ domus, super quod vivis operibus struere ædificium salutis exorsus, non ligna, nec fenum et stipulam, sed aurum, argentum, et lapides pretiosos superædificare moliris [g]; quia præteriti cordis duritiam, ariditatem atque levitatem, cum veteri homine deponens, effectus es lignum B humidum, quod vicinis aquarum decursibus virens, fructum suum dabit in tempore suo [h]; neque unquam privabitur honore foliorum. Sensus tuus aurum est *igne examinatum*, et sermo tuus *argentum est purgatum septuplum*, qui gratia spiritali renidens, *eloquia Domini casta* [i] de corde puro et lingua indice cordis expromit. Bonum tu firmumque thesaurum in vase fictili, non fragili fide servas; quia commissæ tibi gratiæ vas mens tua est, quæ intra corpoream fragilitatem confirmata spiritu principali [j], solidam divino muneri custodiam præbet. *Pauper ego, et dolens* [k], quomodo parebo sapientiæ, quæ me ad mensam potentis (*V.* not. 187) hac conditione præcepit mittere manum, ut me sciam similis apparatus fieri debitorem? Ecce enim tu mihi mensa potentis factus C es; apposuisti mihi divites escas quæ me esurientem facile in omnia verborum tuorum, quasi in varia electarum gustu et aspectu dapum scitamenta rapuerunt, ut gulæ potius meæ quam inopiæ memor auderem sumere, quibus paria præparare non possum. Quid igitur agam, a quo mihi tribui vel commodari petam vel supellectilem, qua possim [2] digno ambitu triclinium divitis æmulari; vel impendia, quibus possim divitem pauper repascere (*V.* carm. 21, v. 853)? Quis mihi in hujus debiti obligatione subveniet, nisi tu, Domine Jesu, qui te omni pauperi tuo semper obligas commodanti [l], et pro his retributorem fore spondes, qui nunc non habeant retribuendi facultatem [m]. Adesto nunc mihi, et pro inopia mea Apro tuo de tuis meum debitum solve divitiis; *rivos ejus* D *inebria*, et *multiplica* in illo *generationes tuas* [n], ut existat *in domo tua sicut oliva fructifera* [o], *florescat ut palma*, et *multiplicetur ut cedrus Libani*.

2. Sed revertar ad litteras tuas, in quibus *lætor sicut qui invenit spolia multa* [p]: et licet de meis verbis nihil simile possim referre, tamen ut famelici

[a] I Johan. II, 18. [b] Luc. III, 9. [c] Luc. XIII, 8. [d] Luc. XII, 40. [e] Ephes. IV, 26. [f] Psal. XLIII, 22, juxta LXX. [g] Deut. XXXII, 13; I Cor. X, 4; I Cor. III, 12. [h] Ps. I, 3. [i] Psal. XI, 7. [j] Psal. L, 14. [k] Psal. LXVIII, 30. [l] Prov. XIX, 17. [m] Luc. XIV, 14. [n] Psal. LXIV, 11, sec. Psalt. Rom. et vet. [o] Psal. LI, 10. [p] Psal. CXVIII, 162.

* Alias 31; quæ autem erat 44, nunc 45. Scripta videtur anno 406.

(*a*) Manuscriptus codex Viennensis, *iracundiam*.

(*b*) Sic emendatum ex ms. codice Vien. Hæc correctio confirmatur ex epist. 44 ad Aprum et Amandam, num. 2: *Expresserunt mihi faciem cordis tui litteræ tuæ*. Alii codices, *rationalis*, ob concursum sequentis litteræ *s*.

(*c*) In edit. Rosv. desunt voces *ac dilectissimis..... peccatores*. Editi codices quatuor præferunt, *Sancto et merito venerando ac dilectissimo fratri Apro, Paulinus et Therasia*.

faciunt, cum epulis opimi convivii digestis iterum de A sua inopia esurire cœperint, famem suam præteritæ saturitatis recordatione solantur, et animam inanem præsenti cogitatione absentis convivii **259** pascunt; ita ego hanc epistolam in tui sermonis retractatione contexam, et voluptatem meam referam, nihil tibi largiens; nec votum erga te meum potius quam de te experimentum loquar. Expresserunt enim mihi faciem cordis tui litteræ tuæ, illæ litteræ spei bonæ, litteræ fidei non fictæ, litteræ puræ caritatis, quid amoris sanctissimi spirant; quam suavis in his et quantus Christi odor fragrat, (*a*) quanta opulentia sinceri cordis exæstuat? quomodo nobis anhelant sitim tuam, et desiderium defectumque animæ tuæ in atria Domini? quas agunt gratias Deo? quas impetrant a Deo? quæ legenti mihi florescentium in te B gratiarum Dei, jamque operantium virtutum præbent spectacula?

3. Ibi parvuli, sive etiam (*b*) adultuli Babylonis filii eliduntur ad petram [a], vitia scilicet confusionis superbiæque secularis, quæ proclivius fides congressa superabit, si in primordiis ad Christum illidere anticipata crescentium infirmitate præcaverit. Ibi et cedri Libani ad terram depositæ [b], et in arcæ fabricam compagine caritatis erectæ, mundi hujus fluctus imputribili robore secant. Ibidem excitatus Christus, ut directionis tuæ cursum ad stabilitatem suam ducat, ventos et maria tibi placans videtur [c]. Cui jam in corporis tui nave vectatio, et in tuo corde cervical est, quia *invenit* illic *passer domum sibi* [d], et habet in te, ubi reclinet caput suum [e]. Illic et conjux [*] (*V.* C not. 188), non (*c*) dux ad mollitudinem vel avaritiam viro suo, sed ad continentiam et fortitudinem redux in ossa viri sui [f], magna illa divini cum Ecclesia conjugii æmulatione, mirabilis est [g]: quam in tuam unitatem (*d*) redactam ac redditam, et spiritalibus tibi tanto firmioribus, quanto castioribus nexibus caritas Christi copulat, in cujus corpus transisistis a vestro.

4. Benedicti vos Domino, *qui fecit utrumque unum* [h], *condens in semetipsum duo*, *faciens mirabilia solus* [i], qui convertit non solum animas [j], sed et affectus, temporalia in æterna. (*e*) Manetis ecce iidem conjuges, qui fuistis, sed non ita conjuges ut fuistis; estis ipsi, nec ipsi: et sicut Christum, ita et vosmetipsos jam secundum carnem non nostis [k]. *Hæc mutatio* D *dexteræ* [*] *Excelsi* [l], quæ in se manens omnia innovat, et *convertit mare in aridam* [m], ad continentiæ siccitatem stringens fluenta vitiorum. Benedicta hæc inter mulieres, et hac quoque devotione **260** fidelis et acceptissima Domino, qua se necessitatibus seculi pro te, velut quædam procellis in immobili scopulo stabilita turris, opposuit. Vere in ipsa petra illa, super quam ædificata domus non cadet [n], solido strenuæ mentis fundata vestigio, facta est tibi *turris protectionis* (*al.* fortitudinis) *a facie inimici* [o], undas et turbines seculi frangens piæ servitutis objectu; ut tu seclusus a pelago, tutam in Ecclesiæ portu mentis inconcussæ ratem (*f*) meditatione continua studiorum operumque cœlestium quasi quodam remigio salutis exerceas. *Corporalis enim*, inquit, *exercitatio ad modicum*, nam *pietas ad omnia utilis est* [p], quæ te subdidit Christo, præferentem vel *jacere in domo Domini, quam in peccatorum tabernaculis* [q] eminere, et conservam tuam (*g*) in labores corporeos ex affectu spiritali pro tua anima pignoravit, ut pretium libertatis tuæ faceret servitutem suam; non illa in secularibus negotiis mundo [r], sed Christo serviens, propter quem mundum patitur, ne tu patiaris. Vere, juxta divinum opus et verbum, facta in adjutorium tibi [s], et ad te habens conversionem suam, de nutu tuo pendet, et in tuo statu sistit, in vestigiis tuis ambulat, in anima tua animatur, pro vita tua deficit, ut in tua vita reficiatur [t]. Curat illa seculi curas, ne tu cures; (*h*) possidere videtur, ne tu possidearis a mundo, et ut [*] possidearis a Christo. Non illam a proposito tuo discors abjungit voluntas, sed quod magis mirum est, concors fides opere dividit voluntate conjunctam. Nam sine animi captivitate rem captivitatis in libertate spiritus administrans, *firmavit manus suas in opera* [*] (*V.* not. 189) virtutis; *brachia sua extendit ad utilia, accincta fortiter lumbos suos, et escas pigritiæ non edens, facta est tibi tamquam navis, quæ mercatur a longinquo*; necessaria divisione reddens per se Cæsari quæ sunt Cæsaris; ut, quæ Dei sunt, per te ministret Deo [u]. Nam cum tributum, sicut scriptum est [v], dederit cui debet tributum, tunc et *manus suas adaperiens* [*] *pauperi* [x], et fructum [*] operæ suæ porrigens inopi, spiritale vectigal pensitat; et reditum possessionis in tuæ militiæ stipendium suggerit, salutaris [*] damni avarior quam letalis lucri. Quæ talis est, *fidit in ea cor mariti ejus*. *Operatur enim*, ut scri-

[a] Psal. CXXXVI, 9. [b] Psal. XXVIII, 5. [c] Matth. VIII, 26; Luc. VIII, 24. [d] Psal. LXXXIII, 4. [e] Matth. VIII, 20. [f] Gen. II, 23. [g] Ephes. V, 32. [h] Eph. II, 14, et 15. [i] Psal. LXXI, 18. [j] Psal. XXII, 3. [k] II Cor. V, 16. [l] Psal. LXXVI, 11. [m] Psal. LXV, 6. [n] Matth. VII, 24. [o] Psal. LX, 4. [p] I Tim. IV, 8. [q] Psal. LXXXIII, 11. [r] II Tim. II, 4. [s] Gen. II, 18. [t] Gen. III, 16. [u] Matth. XXII, 21; Marc. XII, 17, Luc. XX, 25. [v] Rom. XIII, 7. [x] Prov. XXXI, 20, sec. LXX.

(*a*) Apud Augustinum epist. 27 ad Paulinum, num. 3, legitur *quantam opulentiam sinceri cordis exæstuant?*

(*b*) Manuscriptus codex Viennensis, *adulti*.

(*c*) Addidimus *dux* ex 21 mss. codicibus, ad quos collata est S. Augustini epist. 27 in edit. Bened. Aberat hæc vox (inquit Sacchinus), sed et sententia visa est postulare, et habet epist. 32 (nunc 27) S. Augustini, unde totus hic locus pulcherrimus sumtus est, conversis in Aprum et conjugem laudibus quas S. Augustinus Paulino et Therasiæ tribuerat.

(*d*) Sic Augustinus in epist. 32, n. 2, unde hæc desumsit Paulinus. In edit. Rosv. erat *reductam*. Utraque lectio bona.

(*e*) Ita mss. codices Reg. et Vien. Quæ lectio venustior est vulgata, in qua *temporalia in æterna mutans. Ecce iidem conjuges qui fuistis.*

(*f*) Expunximus particulam *in*, quæ aberat a ms. codice Vatic. et edit. Grin.

(*g*) Manuscripti codices Vatic. et Vien. cum ed. Grin., *in labore corporeo, sed affectu spiritali.*

(*h*) Mss. Reg., Vien. et edit. Grin. hic addunt, *curat ut cures.*

ptum est [a], *viro suo bona tota vita sua, et non mala :* A et ideo non sollicitus agis quæ in domo tua terrena aguntur ; quod [10] in domo **261** cœlesti agitur, strenue liber exsequeris. *Nec confunderis cum loqueris inimicis tuis in porta* [b], quia (*a*) sapientiæ mulier, qualis tibi donata est, pretiosior lapidibus pretiosis, circumspectum te facit in foribus Ecclesiæ. Et *duplicia* (*b*) *pallia*, inquit, *fecit viro suo* [c]. Nonne tibi videtur et hæc duplicia tibi pallia, ac purpurea vel byssina (*c*) sibi vestimenta contexere, cum et illius fides gratiam tuam duplicat [11], quia *mulier* (*d*) *bona corona est viro suo* [d]; et vicissim illi honor tuus purpura est, quia (*e*) temperante Domini gratia, simpliciter fidei unitate vestiti, superinduitis [12] vos invicem spiritalium operatione virtutum? Tu illi in Christo caput [e], et illa fundamentum [13] tibi, cujus opere pes tuus stat in via B Domini, et quam capitis tui participem faciet commembrata in Domini corpore fidei compago ; quia et in sollicitudinis diversitate, salvo tamen consonæ mentis assensu, ac (*f*) propositi tui juncta sententia, dum tu creditam tibi dispensationem fidelis [f] et solers talentorum herilium multiplicator exerces [g] : nec illa, quod de terrenis elaborat [14] fructibus, thesaurizat in terra [h], sed tuis potius operibus [15] quam damnosis avaritiæ quæstibus (*g*) feneratur. Et ideo *dabitur illi fructus a manibus suis, et laudabitur in portis filiæ Sion maritus ejus* in Domino [i], qui vobis ab operis ejusdem labore diverso, sed pari studio consitam segetem in communem præparat messem, ut in illa die pariter in exsultatione veniatis afferentes manipulos vestros [j], ministra illa seminis, et tu C ministerii seminator. Non enim defraudabitur consortio mercedis tuæ per meritum compensationis istius, qua non voluntati suæ obtemperans, sed saluti tuæ, hujus ipsius operis documento [16] probat judicium [17] fidei suæ, satis indicans, quanto et ipsa potiorem seculi contemtum quam usum judicet, quæ spiritalia tibi maluit, non hoc seculum Christo, sed te sibi præferens.

5. *Adjiciat Dominus super vos et filios vestros* [k]. *Misericordia* (*V.* not. 190) enim Domini promerita parentibus (*h*) *suscitabit*, ut scriptum est, *filios eorum, et locupletabuntur in bonis Domini.* Spero autem, quod *sicut uxor tua in lateribus domus tuæ sicut vitis abundans* [l] est, fructibus tibi pietatis exuberans, ut D *cadant a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis* [m]; **262** ita et filii tui mensam Domini tecum sicut novellæ olivarum circumsistere merebuntur : quos nunc arbitror divinæ sapientiæ, bonæ [18] conversationis vestræ escis, ut pullos aquilarum cibari, ut depopulatas præda parentum carnes, id est, carnales inimicitias, quæ adversantur spiritui, jam nunc edere discant, et spiritali voracitate consumere, et in superna virtutum confirmatis alarum remigiis evolare. Educentur sicut filii prophetarum, qui tumultuosam civitatis habitationem, ad componendam (*i*) pace silentii animam, declinantes, juxta Jordanis alveum sibi habitacula secreta metati sunt [n]. Consecrentur sicut filii Aaron, non tamen illi qui ignem alienum Domino accendentes exusti sunt igne divino [o], quo ipsi carebant ; sed ut Eleazar et Ithamar merito perpetui successores dignitatis paternæ, quia non degeneres sanctitatis heredes.

6. Ignem autem mihi alienum videtur accendere, quisquis corporeæ vel secularis alicujus cupiditatis ignem in sacrario sui cordis accendens audeat appropinquare altaribus Domini, quæ non recipiunt nisi illius ignis accensionem, de quo ait : *Ignem veni mittere in terram ; et quid volo* (*j*) *si jam accensus est* [p]? Hoc igne nos, Domine Jesu, semper accende, ut illuminemur sensibus, deflagremus in vitiis; hic enim solus, qui a te est ignis, igni (*k*) resistet æterno. Habentes autem cor ardens in via Domini [q], non alienum, sed suum ignem Domino accendimus, et inter ignes seculi, hoc igne muniti, sicut illi in camino pueri inter sibilantes impetu flammas [19] rorabimur et hymnum Domino inter incendia refrigerantia Dei Filio concinente cantabimus [r]. Ipse enim dixit in duorum quoque vel trium concordia se semper interfuturum [s]. Unde confidimus, quia et in medio domus tuæ diversatur, ubi et in vobis et in filiis unus numerosarum agitur cœtus animarum. In quo nos quoque, solo absentes corpore, spiritali præsentia (*l*) conseratis precamur, ut animæ nostræ hortulum sitientem non solum verbo, sed et precatu rigetis, quem neque nostris manibus, ut infirmi, neque conductis, ut inopes [20] excolere possumus ; et (*m*) qua via tuam viam quæramus non invenimus : quia [21] fodere non valemus, et mendicare erubescimus [t]. **263** Unde impensius adjutorio orationum vestra-

[a] Prov. xxxi, 12 et 13, juxta LXX. [b] Psal. cxxvi, 5. [c] Prov. xxxi, 22, sec. LXX. [d] Prov. xii, 4. [e] I Cor. xi, 3. [f] I Cor. ix, 17. [g] Matth. xxv, 15. [h] Matth. vi, 19. [i] Prov. xxxi, 31, sec. LXX. [j] Psal. cxxv, 6. [k] Psal. cxiii, 14. [l] Psal. cxxvii, 3. [m] Psal. xc, 7. [n] IV Reg. vi, 2. [o] Lev. x, 1. [p] Luc. xii, 49. [q] Luc. xxiv, 32. [r] Dan. iii, 24. [s] Matth. xviii, 20. [t] Luc. xvi, 3.

(*a*) Ita mss. codices : id est mulier de qua loquitur Sapiens in Proverbiis. Editi, *sapiens mulier.*

(*b*) LXX, *duplices vestes fecit viro suo.* S. Ambrosius lib. ii de Fide, *binas vestes.* Aquila et Theodotio, *peristramata;* Symmachus, *tapetia.* Paulinus noster dixit *pallia :* sunt enim vestes propriæ crassæ, ut chlamydes aut penulæ, inquit Nobilius in scholiis ad versionem LXX : hoc enim videtur valere χλαίνας.

(*c*) Ita reposuimus ex ms. codice Viennensi. Vide ea quæ præcedunt et subsequuntur. Ante erat *tibi.*

(*d*) LXX, *Mulier fortis.* Theodotio, *fortitudinis.* Symmachus, *abundantiæ.* Vulgata, *diligens.*

(*e*) Manuscripti codices Vatic. et Vien., *temperante Domino gratiam.* Utraque lectio recepta.

(*f*) Ms. codex Vaticanus, *ad propositi tui junctu sententiam.* Ms. Reg., *ad.... juncta sententia.*

(*g*) Manuscriptus codex Vien. et edit. Grin., *fenerat.* Utraque lectio bona.

(*h*) Ita emendavimus ex ms. codice Vien. Ante erat *suscitavit.* Vide seqq.

(*i*) Ms. Reg. cum editis quatuor, *pacem* ; mendose. Ms. Vien., *pacem silentii, a mari declinantes.*

(*j*) Sic ubique legit Paulinus noster. Vulgata, *nisi ut accendatur.*

(*k*) Ms. Vien., *resistit.*

(*l*) Ms. codex Vien., *conserti.*

(*m*) Ita ms. codex Vien., cum editis quatuor. Alii, *vita.*

rum indigemus: quia quis aut inutiles conducet operarios, aut tribuet non petentibus? nonnumquam tamen, qui agros inopes et incultos habent, desperatis ab ope vel manu sua fructibus spes omnes suas ad auxilia divina convertunt; et sæpe eventu juxta fidem præstito, compensante diligentiam religione, quos solers cultura deseruit, pia vota juverunt.

7. Orate ergo, ut Dominus omnipotens, qui *posuit flumina in desertum*, convertat *aridam* nostram *in exitus aquarum* [a]; percutiat et interrumpat duritiam cordis nostri, ut hanc quoque petram convertat in stagnum aquæ [b]. Atque utinam illo nos rore respergat [c], quo illud mysticum (*a*) in area vellus fecit. Ros (*V.* not. 191) enim qui ab illo est, sanitas est nobis. Orate, inquam, ut hortulum nostrum introire dignatus, exsurgere aquilonem jubeat, et austrum venire [d], quibus auras vitales afflantibus germina nostra vivescant (*V.* ep. 24, n. 18). Sed et si [22] vineam suam ingressus, arborem nostram sine fructu invenerit, parcat excidere; et misericordia differente, credat agricolæ intervenienti, qui extorquendum diligentia sua fructum de sterili ficulnea pollicetur [e]. Potens est enim ipse Dominus, *qui interpellat pro peccatis nostris*, et *qui vocat ea quæ non sunt, tamquam quæ sint* [f], facere et de nobis egenis et aridis arborem fructuosam, et animam inanem adipe verbi sui tamquam cophino stercoris opimare. Quia scriptum est: De ipsius gratia *pinguescent* (*b*) *fines* (*V.* not. 192) *deserti* [g]. Cophinus autem hic stercoris, qui de sterili fertilem arborem facit, specialiter mihi videtur humilitas spiritalis, qua contribulantes cor nostrum pœnitudine præteritæ vanitatis, evacuamus inania, et succum virtutis accipimus [23], qua, qui operibus justitiæ steriles eramus, reddimur fructuosi. Bonum ergo nobis intrare in recessus nostros, et humiliare in jejunio, quo jejunatur [24] ab operibus tenebrarum, animam nostram: ut ab hujus humilitatis stercore, quæ seculo vilis, Deo cara est, erigatur per eum qui *suscitat de terra inopem, et de stercore erigit pauperem* [h]. Gratia Dei vobiscum.

EPISTOLA * XLV.

264 *Augustino gratias agens pro libro vel epistola ab ipso recepta; prosequitur laudes Melaniæ senioris, et unici ejus filii Publicolæ nuper defuncti; nonnulla disserens de futura in cœlis actione beatorum post resurrectionem.*

Sancto Domini beatissimo, et unice nobis unanimo, ac venerabili patri, fratri, magistro Augustino episcopo, Paulinus et Therasia peccatores.

1. *Lucerna* semper est *pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis* [i]. Ita quotiescumque litteras beatissimæ sanctitatis tuæ accipio, tenebras insipientiæ meæ discuti sentio, et quasi collyrio (*c*) declarationis infuso, oculis mentis meæ purius video, A ignorantiæ nocte depulsa, et caligine dubitationis abstersa. Quod cum sæpe alias per munera epistolarum tuarum mihi donatum senserim, tum præcipue isto recentium litterarum libello, cujus mihi tam gratus quam dignus portitor fuit vir benedictus Domini frater noster Quintus (*V.* not. 193) diaconus, qui longo quidem posteaquam ad Urbem venerat intervallo, cum eo juxta solemnem meum morem, post Pascha Domini, pro apostolorum et martyrum veneratione venissem, benedictionem oris tui reddidit nobis. Verumtamen obliterato quod nesciente me Romæ consumserat tempore, recentissimus mihi visus est a conspectu tuo, ita ut tunc statim eum a te mihi venisse vix crederem, cum primum videbam, et cum mihi plenum odorem suavitatis tuæ in eloquiis B tuis cœlestis unguenti castitate fragrantibus offerebat. Fateor tamen venerandæ unanimitati tuæ, non potuisse me volumen ipsum, statim ut acceperam, Romæ legere. Tantæ enim illic turbæ erant, ut non possem munus tuum diligenter inspicere, et eo, ut cupiebam, perfrui; scilicet ut perlegerem jugiter, si legere cœpissem. Itaque, ut fieri solet, secura exspectatione convivii præparati, avidæ licet [1] mentis esuriem refrenavi, et spe certa capiendæ saturitatis (cum in manu tenerem panes desiderii mei in volumine devorando, quod postea voranti mihi et in ore et in ventre dulcissimum fuit) inhiantem in favos litterarum tuarum gulam facile suspendi, donec Urbe proficiscerer, et interponendum ad itineris stativa diem, quem in oppido Formiano habuimus, totum C huic operi manciparem, ut in deliciis epistolæ tuæ spiritalibus ab omni 265 fæce curarum et suffocatione turbarum liber epularer.

2. Quid ergo humilis et terrenus respondeam ad hanc sapientiam, quæ data est tibi desuper, quam hic mundus non capit, et quam [2] nemo sapit, nisi sapientia Dei sapiens, et Dei verbo eloquens? Itaque quia experimentum habeo Christi in te loquentis [j], *in Deo laudabo sermones* [k] tuos, et *non timebo a timore nocturno* [l], quia docuisti me in spiritu veritatis salubre [3] moderandi in occiduis mortalibus animi temperamentum, quo et illam beatam matrem et aviam Melaniam flevisse carnalem obitum unici filii (Publicolæ), taciturno quidem fletu, non tamen sicco a maternis lacrymis dolore vidisti. Cujus quidem mode- D stas et graves lacrymas, sicut propior vel æqualior animæ ejus spiritus, altius intellexisti, et perfectæ in Christo feminæ, salva virilis animi fortitudine, cor maternum de cordis tui similitudine melius ex æquo statu contemplatus es, ut eam primum pro naturali affectione permotam, deinde causa potiore compunctam flevisse perspiceres; non tam illud humanum, quod unicum filium conditione mortali defunctum in

[a] Psal. cvi, 33 et 35. [b] Exod. xvii, 6. [c] Judic. vi, 37. [d] Cant. iv, 16. [e] Luc. xiii, 8. [f] Rom. iv, 17. [g] Psal. lxiv, 13, sec. Psalt. Rom. [h] Psal. cxii, 7. [i] Psal. cxviii, 105. [j] II Cor. xiii, 3. [k] Psal. lv, 11. [l] Psal. xc, 5.

* Alias 44, quæ autem 45 erat, nunc 3. Scripta videtur anno 408, die 15 Maii.

(*a*) Ms Vien., *areæ*.

(*b*) Ita in Psalteriis veteri et Romano, apud S. Hilarium et S. Augustinum in commentario super psalmos, ita ut pro ὄρη videantur legisse ὅροι. Vulgata, *speciosa deserti*. Vide not. 192.

(*c*) Sic emendatum ex ms. codice Phimarconensi et edit. Bened. Verissima lectio. Ante erat *delectationis*.

præsenti seculo amisisset, quam quod propemodum in A seculari vanitate præventum, quia necdum illum deseruerat Senatoriæ dignitatis ambitio, non juxta sanctam votorum suorum avaritiam cogitaret assumtum, ut de conversionis gloria transisset ad gloriam resurrectionis, communem cum matre requiem coronamque capturus, si in hujus seculi vita matris exemplo saccum togæ, et monasterium senatui, prætulisset.

3. Verumtamen idem vir, ut antea (*a*) retulisse me puto sanctitati tuæ, his operibus locupletatus abscessit, ut maternæ humilitatis nobilitatem, si veste non gesserit, tamen mente prætulerit; ita enim secundum verbum Domini mitis moribus fuit et humilis corde [a], ut non immerito credatur introisse in requiem Domini, *Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico* [b], B *et mansueti possidebunt terram* [c], *placentes Deo in regione vivorum* [d]. Nam certe et illud Apostoli non solum tacito mentis affectu, sed et conspicuis (*b*) religiosus implevit officiis, ut cum esset altorum hujus seculi in ordine et honore collega, non tamen ut gloriosus terræ, alta saperet [e], sed ut Christi perfectus imitator humilibus consentiret, et tota etiam die misereri et commodare persisteret [f]. Unde et *semen* **266** *ejus potens in terra* [g] factum est, inter eos qui (*c*) *dii fortes terræ nimium elevati sunt* [h]: ut etiam de beatissima familiæ ac domus ejus visitatione sanctum hominis meritum reveletur. *Generatio*, inquit, *rectorum benedicetur*. *gloria* non caduca; *et divitiæ* non labentes *in domo ejus;* (*d*) domo quæ ædificatur in cœlis, non labore manuum, sed operum sanctitate. Sed cesso plura de C memoria tam dilecti mihi quam devoti Christo hominis enarrare, cum et pristinis litteris non pauca super eo narrasse me reputem [*], et nihil possim de beata hujus filii matre, et sanctorum (*e*) pari radice ramorum, Melanio (*V*. not. 138) melius aut sanctius prædicare, quam sanctitas tua in eam profari et disputare dignata est; ut quia ego peccator immunda labia habens, nihil dignum loqui potueram, ut longinquus a meritis fidei ejus, animæque virtutibus; tu ille vir Christi, doctor (*f*) Israel in Ecclesia veritatis, procurante in melius Dei gratia, parareris dignior tam virilis in Christo animæ prædicator, qui et mentem ejus divina virtute firmatam, ut dixi, spiritu propiore conspiceres, et mixtam cum virtute pietatem eloquio digniore laudares.

4. Quæ vero post resurrectionem carnis in illo seculo beatorum futura sit actio (*g*), tu me interrogare dignatus es. At ego de præsenti vitæ meæ statu et magistrum et medicum spiritalem consulo, ut doceas me facere voluntates Dei, tuis vestigiis ambulare post Christum, et (*h*) morte ista evangelica prius emori, qua carnalem resolutionem voluntario prævenimus excessu: non obitu, sed sententia recedentes ab hujus seculi vita, quæ tota tentationum plena, vel, ut tu aliquando ad me locutus es, tota tentatio est. Utinam ergo sic dirigantur viæ meæ post vestigia tua, ut exemplo tuo solvens calceamentum vetus de pedibus [*] meis, disrumpam vincula mea, et liber exsultem ad currendam viam; quo possim assequi mortem istam, qua tu mortuus es huic seculo, ut vivas Deo in Christo vivente in te, cujus et mors et vita in corpore tuo, et corde, et ore cognoscitur; quia non sapit cor tuum terrena, nec os tuum loquitur opera hominum; sed verbum Christi abundat in pectore tuo [i], et Spiritus veritatis effunditur in lingua tua superni fluminis impetu lætificans civitatem Dei [j].

5. Quæ autem virtus hanc in nobis efficit mortem, nisi caritas quæ *fortis est ut mors* [k]? **267** Sic enim obliterat nobis et perimit hoc seculum, ut impleat mortis effectum per affectum Christi, in quem conversi, avertimur ab hoc mundo, et cui viventes, morimur ab elementis hujus mundi. Nec tamquam viventes in eorum conspectu (*i*) visuque (*j*) decernimus [l]; quia portio nostra mors Christi est, cujus a mortuis resurrectionem non apprehendimus in gloria, nisi mortem hujus in cruce mortificatis membris et sensibus carnis imitemur [m]; ut jam non nostra voluntate vivamus, sed illius cujus voluntas sanctificatio nostra est, et qui ideo pro nobis mortuus est et resurrexit, ut jam non nobis, sed illi vivamus, qui pro nobis mortuus est et resurrexit, et dedit nobis pignus repromissionis suæ Spiritu suo, sicut pignus vitæ nostræ posuit in cœlis in corpore suo, quod est caput [*] corporis nostri. Unde nunc exspectatio nostra Dominus est [n], et substantia quæ ab ipso facta est apud ipsum, et in ipso, et per ipsum, (*k*) qui conformatus est corpori humilitatis nostræ, ut nos conformaret corpori gloriæ suæ, et secum in cœlestibus collocaret [o]. Propterea et qui digni fuerint vita æterna, erunt in gloria regni ejus, ut cum ipso sint, sicut Apostolus D ait, et cum ipso maneant, sicut et ipse Dominus ad

[a] Matth. XI, 29. [b] Psal. XXXVI, 37. [c] Matth. V, 4. [d] Psal. CXIV, 9. [e] Rom. XII, 16. [f] Psal. XXXVI, 26; Psal CXI, 5. [g] Psal. CXI, 2. [h] Psal. XLVI, 10. [i] Col. III, 16. [j] Psal. XLV, 5. [k] Cant. VIII, 6, sec. LXX. [l] Col. II, 20. [m] I Thess. IV, 3. [n] Psal. XXXVIII, 8. [o] I Thess. IV, 16.

(*a*) Ita ms. Phimarconensis codex et edit. Bened. Alias, *retuli ex voto sanctitatis tuæ.*

(*b*) Sic edit. Bened. Ed. Rosv., *religiosis*. Sacchin., *religionis.*

(*c*) Addita vox *dii* ex edit. Bened. cum mss. cod. collata.

(*d*) Ita edit. Bened. Ante erat *domus.*

(*e*) Juxta ms. codicem Phimarconensem et edit. Bened. emendavimus *pari*. Vera lectio, cum ante esset *patre*. Sic Paulinus noster epist. 32 ad Severum, n. 17, *pare Gervasio*; et epist. 18 ad Victricium, n. 3, *pare Paschasio, et te amborum magistro.*

(*f*) Hæc vox inserta ex editione Bened. Sic Paulinus ep. 50 ad August., n. 2.

(*g*) Expunximus vocem, *nostra*, quæ aberat a ms. codice Phimarconensi et edit. Bened., et quæ perperam addebatur in editione Rosv.

(*h*) Sic ms. codex Phimarc. et edit. Bened. Vide seqq. Ed. Rosv., *mortem istam evangelicam.*

(*i*) Ms. Phimarc., *usuque.*

(*j*) Editio Rosv., *decernimur*, male. Emendavimus ex edit. Bened. *decernimus*, et sic legendum; respicitur enim locus ad Coloss. II. v. 20: *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc tamquam viventes in mundo decernitis?*

(*k*) Ita edit. Bened. et Paulinus epist. 11, n. 2. At edit. Rosv., *qui conformatus est corpori gloriæ suæ, ut secum*, etc.

Patrem dixit : *Volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum* [a].

6. Sine dubio hoc illud est, quod in Psalmis habes : *Beati qui habitant in domo tua, in secula seculorum laudabunt te* [b]. Puto autem hanc laudationem vocibus concinentium esse promendam ; etsi immutabuntur sanctorum resurgentium corpora, ut sint sicut et Domini corpus post resurrectionem apparuit, in quo utique resurrectionis humanæ viva imago præfulsit ; ut Dominus ipse, qui in corpore ipso, quo passus fuerat et resurrexerat, quasi speculum contemplationis omnibus fuerit. Qui utique cum in eadem carne, qua mortuus et sepultus fuerat, resurrexisset, omnium omnia officia [7] membrorum expressa oculis et auribus hominum sæpe (*a*) collata exhibuit. Quod si etiam angeli, quorum simpliciter spiritalis est creatura, linguas habere dicuntur, quibus utique laudes Domino creatori cantant, et gratias referre non desinunt, quanto magis hominum, etsi spiritalia jam post resurrectionem corpora, manentibus tamen glorificatæ carnis omnibus membris, et per omnia membra formis et numeris suis, et linguas habebunt in oribus suis, et linguis effantibus dabunt voces, quibus divinas laudes, vel sensuum suorum gaudiorumque affectus **268** per verba depromant ? Forte etiam hoc gratiæ gloriæque [8] apposituro sanctis suis Domino, in seculis regni sui, ut tanto potioribus linguis et vocibus canant, quanto ad beatiorem naturam corporum beata immutatione [9] profecerint, ut in corporibus jam spiritalibus constituti, jam forsitan non humanis, sed illis angelicis atque cœlestibus, quales Apostolus audivit in paradiso, sermonibus eloquantur [c]. Et (*b*) ideo [10] forsitan homini ineffabiles eos sermones fuisse testatus est, quia sanctis, inter alias præmiorum species, jam novæ linguæ parantur. Quibus idcirco hominibus hujus seculi adhuc uti [11] non licet, ut jam his gloriæ suæ congruentibus immortales loquantur, de quibus dictum est : *Etenim clamabunt et hymnum dicent* [d] : proculdubio in cœlestibus, ubi cum Domino erunt, et *delectabuntur in abundantia pacis* [12] [e], gaudentes in conspectu throni, mittentes ante pedes Agni pateras et coronas, et canentes ei canticum novum, aggregati choris angelorum, virtutum, dominationum, thronorum, ut et ipsi cum cherubim atque seraphim, et quatuor illis animalibus (*c*) voce perpetua concinentes dicant : *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth* [f], et reliqua quæ nosti.

7. Hoc est ergo quod egenus et pauper ego ille insipiens et parvulus tuus, quem ut verus sapiens ferre consuesti, rogo ut me scientiam vel opinionem super hac tuam doceas, quia scio te illuminatum spiritu revelationis ab ipso duce et fonte sapientium, ut sicut præterita cognovisti, et præsentia vides, ita etiam de futuris æstimes [13] quid censeas de his cœlestium creaturarum, vel etiam super cœlos in conspectu Altissimi agentium, vocibus sempiternis, quibus tandem organis exprimantur. Quamvis enim Apostolus dicendo, *Si linguis angelorum loquar* [g], proprium quemdam illos suæ naturæ, vel, ut ita dixerim, gentis habere sermonem ostenderit, tanto humanis sensibus et eloquiis altiorem, quanto ipsa angelorum creatura et statio mortalibus (*d*) incolis et terrenis sedibus præstat : attamen forsitan linguas angelorum pro generibus vocum atque sermonum dixerit, sicut et de charismatum varietate disserens, inter dona gratiarum numerat genera linguarum, utique hoc in signo esse significans, quod multarum gentium sermone loqui singulis donaretur. Sed et vox Dei sæpe ad sanctos emissa de nube, ostendit posse loquelam esse sine lingua. Siquidem lingua corporis membrum sit pusillum **269** et magnum. Sed forte ex hoc ipso, (*e*) quia in hoc membro vocis officium Deus posuit, etiam incorporeæ angelorum creaturæ sermones et voces linguam vocaverit, sicut Scriptura assolet Deo quoque, secundum species operationum, nomina assignare membrorum. Ora pro nobis, et doce nos.

8. Frater noster carissimus et dulcissimus Quintus quam tarde ad nos remeat a vobis, tam cito a nobis ad vos redire festinat : instantiam vero ejus in litteris exigendis et hæc [14] epistola lituris quam versibus crebrior loquitur : commemorati exactoris (*f*) nimia festinatio schedam fecit. Nam pridie idus Maias venit ad nos ut rescripta peteret, et idibus ante sextam dimitti obtinuit. Videte ergo utrum eum commendaverim vel accusaverim hujusmodi testimonio. Forte enim, imo sine dubio laudabilis magis quam culpabilis judicabitur, qui a tenebris, quod in comparatione vestri luminis sumus, justissime refestinavit ad lucem suam.

[a] Johan. XVII, 24. [b] Psal. LXXXIII, 5. [c] II Cor. XII, 4. [d] Psal. LXIV, 14. [e] Psal. XXXVI, 11. [f] Psal. VI, 3. [g] I Cor. XIII, 1.

(*a*) Ms. Phimarc. et edit. Bened., *collatus*.

(*b*) Ita edit. Bened. Deerat *homini* in edit. Rosv., in qua *inde* pro *ideo*.

(*c*) Addidimus ex edit. Bened. *voce perpetua concinentes*.

(*d*) Sic emendamus ex ms. Phimarconensi et edit. Bened. Ante erat *in cœlis*.

(*e*) Ex Phimarconensi codice locus correctus. Sic edit. Bened. Ante erat *quia in hoc membro in quo est vocis officium, Deus possit etiam in corpore angelorum creare sermones, et voces linguam vocaverit*, mendose omnino. Vide quæ præcesserunt n. 6.

(*f*) Id est, *fecit festinatio exactoris* ut scheda potius lituris obsita sit quam epistola. Edit. Bened., *nimiam festinationem scheda fecit :* nullo sensu. Auctor Gallicæ versionis epistolarum S. Augustini pro *schedam* reponendum existimavit *schediam* contra fidem omnium codicum ; sed perperam. Hic enim accipitur *scheda* pro charta seu libello extemporaneo, non satis expolito, cujusmodi sunt quas tamquam relecturi reponimus. Vide Quintil. l. I, cap. 18, et Martial. l. IV. Nec admittendas putamus quasdam illius interpretis correctiones ad S. Paulini epist. III, 2, 1, v, 2, 3, et S. Augustini ep. 91, n. 5, cum his in locis optimus editionis nostræ sit sensus, qui codicum auctoritate fulcitur. Præterea quod ad prænotatum epistolæ in locum spectat, vid. epist. 29, n. 7, ubi consimili locutione de Zacharia sacerdote agens utitur Paulinus.

EPISTOLA XCV (AL. CCL).

A

AUGUSTINI AD PAULINUM ET THERASIAM.

Augustinus superiori epistolæ respondens agit de præsentis vitæ statu, nec non de qualitate corporis beatorum, deque membrorum officiis post resurrectionem.

(Hanc epistolam legere est tomo XXXIII, col. 351, nostræ Patrologiæ.)

EPISTOLA * XLVI.

274 *Petit doceri Græcas litteras a Ruffino. Fatetur se non recte Clementem vertisse. Postulat expositionem versiculi 11 capitis* XLIX *Geneseos.*

PAULINUS RUFFINO fratri salutem.

1. Vel breves nobis ab unanimitate tua litteræ, magno refrigerio sunt, sicuti in penuria fluviorum ager sitiens rore recreatur; unde refectos nos quamvis brevi epistola tua, attamen tua, per puerum communium filiorum fatemur: sed tamen rursus affectus, quia etiamnum nunc vos in æstu sollicitudinis, et incerto B morarum, Romam peti judicastis. Det nobis Dominus a Domino lætificari quamprimum de actu nostro, ut sicut anxiis compatimur, ita congaudeamus hilaritati, et incipiamus tamen sperare fructum præsentiæ vestræ, si vos certi esse de vestra sententia, vel Domini circa vos placito, cœperitis.

2. Sane, quod admonere dignaris affectu illo, quo nos sicut te diligis, ut studium in Græcas litteras attentius sumam, libenter accipio: sed implere non valeo, nisi forte desideria mea adjuvet Dominus, ut diutius consortio tuo perfruar. Nam quomodo profectum capere potero sermonis ignoti, **275** si desit a quo ignorata condiscam? Credo enim in translatione C sancti Clementis (*V.* not. 195), præter alias ingenii mei defectiones, hanc te potissimum imperitiæ meæ penuriam considerasse, quod aliqua, in quibus intelligere vel exprimere verba non potui, sensu potius apprehenso (*V.* not. 196), vel, ut verius dicam, opinata transtulerim. Quo magis egeo misericordia Dei, ut pleniorem mihi tui copiam tribuat, quia pro divitiis erit pauperi, ut micas a divitis mensa cadentes, avido famelici cordis ore, colligere.

3. In tempore sane, quo scripta hæc scribebantur, cecidit sub oculis, incidens proposita lectione, capitulum illud ex Genesi quo Judas a Jacob benedicitur [a]. Et quia Dominus opportunissimam hanc occasionem dederat, pulsare post tempus fores cordis tui placuit. Ergo si me amas, immo quia multum amas, D rogo ut scribas mihi, ut intelligis ipsam patriarcharum benedictionem. Et si qua ipse scis in eis ardua sensu, et digna cognitione, scire me velis: specialiter tamen de capitulo illo in quo ait, *Alligans ad vitem pullum suum, et ad* (a) *cilicium pullum asinæ suæ* [b]; quis suus sit pullus, vel quis asinæ pullus? et cur suus ad vitem, asinæ vero pullus ad cilicium alligetur?

EPISTOLA ** XLVII.

Ruffino Cerealem commendat. Petit in transitu visitari: simul exposcit reliquas benedictiones patriarcharum explicari, ut Desiderio presbytero possit satisfacere. Vide epistolam 43, n. 3 *et* 4.

PAULINUS fratri RUFFINO salutem.

1. Etsi incertum mihi fecit filius Cerealis, quod ad te perrecturus foret in tempore quo ad sanctum Petrum revertitur: tamen per eum qui æque tuus ac noster est, non scribere tibi, tam culpabile nobis, quam tibi triste futurum judicavimus. Itaque chartulæ damnum, si te forte non vidisset, quam officii, sicut credimus, si te viseret, præoptantes capessere, commisimus epistolam istam non casui, sed fidei. Credimus enim in Domino dirigendam ad te viam sermonis ac filii nostri, quia desiderantibus bonum omnia procedent in bonum (*Rom.* VIII, 28; *vid.* idem in epist. 5, n. 9); desiderat enim te, quantum debes desiderari ab intelligente commodum suum de consortio tui. Et ideo præsumo quia secundum fidem ac pietatem suam salvabitur in bonis desiderium ejus, et perveniet ad te, et tecum manebit, et geminabitur nobis apud Dominum in vobis salutare præsidium; cum **276** et tibi tam bonus filius, comes, discipulus, adjutor accesserit, et tu illi pater ac magister omnis boni donatus a Domino, ad efficacem orationum potentiam vires gratiæ spiritalis addideris. Nobis autem, etsi pro tua caritate præsumtio sit, quia remeaturus ad Orientem, non feres invisitatis nobis abire; tamen de peccatis nostris metus est, ne etiamsi tam nobis vicina, filia Babylonis (*id est* Roma; *vid.* epist. 29, n. 13) avertat. Quare Domino desideria nostra ac vota mandamus, ne secundum meritum nobis, sed secundum desiderium faciat, et dirigat ad nos viam tuam in via pacis suæ: quia non ambulantes in ea, in reprobum sensum damnati sunt, nec te desiderare merentur.

2. Sane importunitate qua ostium tuum vel media nocte pulsare consuevi, repulsæ metu ad verecundiam et modum postulandi coactus, nunc hoc circa me negotii tibi trado, ut benedictiones duodecim patriarcharum, cujus jam principium mihi, exposita circa personam Judæ prophetia, triplici, ut jussum est, interpretatione conscriptis paginis edidisti, per reliquos filios distributam digneris exponere; ut ipse per te fiam conscius veritatis, et magnæ gratiæ ac laudis autorem habeam; si his qui de me supra me (*forte add.* opinantes. *Videtur aliquid deesse*), propter operis (*forte add.* difficultatem; *vid.* ep. 43, n. 3 et 4, et 50, n. 15) consulendum me putaverunt, divina potius et tuo spiritu, quam de meo sensu inepta respondeam.

EPISTOLÆ *** XLVIII **** FRAGMENTUM.

Laudat illustrissimos sui seculi episcopos.

Si enim hos videas dignos Domino sacerdotes, vel Exsuperium Tolosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdigalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel

[a] Gen. XLIX. [b] Gen. XLIX, 11, juxta LXX.

* Alias 47; quæ autem 46 erat, nunc 7 et 8. Scripta circa annum 408.

** Alias 48; quæ autem 47 erat, nunc 46. Scripta anno 409.

*** Circa annum 409. Porro quæ erat epist. 48, nunc 47.

**** Huc adscitum ex Greg. Turon. Histor. Franc. lib. II, cap. 13.

(a) Ita S. Ambrosium et S. Augustinum legere annotat Nobilius in scholiis ad LXX, pro quo LXX et S. Cyprianus lib. I adversus Judæos, *ad helicem.* Græce τῇ ἕλικι, Vulgata, *ad vitem.*

Dynamium Engolismæ, vel Venerandum Arvernis, vel Alethium (*al.* Alithium) Cadurcis, vel nunc Pegasium Petragoriis; utcumque se habent seculi mala, videbis profecto dignissimos totius fidei religionisque custodes.

EPISTOLA * XLIX.

277 *Describit ingentia miracula, per quæ senex Valgius, postea Victor nominatus, ex naufragio servatus est: et Macarium rogat, ut eumdem jam et patronum ejus Secundinianum ab hominum importunitate tueatur.*

MACARIO (*V.* not. 197) (*a*) PAULINUS.

1. Opera *Domini prædicare honorificum est* [a]; quæ mihi causa hujus epistolæ fuit : quia patrisfamilias hujus, quem ad unanimitatem tuam prosequor, Secundiniani negotium, ut probabis, non potest sine Domini gloria et laude narrari. Sicut enim dixit in Evangelio : *Pater meus adhuc operatur, et ego operor* [b], ita et nunc facit : neque desinit bonus Dominus fidem nostram evidentibus veritatis suæ excitare ac vere provocare documentis. Itaque in diversis, ut scriptum est [c], argumentis apparens nobis salvator Deus, terra marique pro nobis operatur, et quod in singulis agit, multorum fidei salutique procurat. Vide enim quam admirabile et prædicabile opus sit, quod Jesus Dominus in uno sene cum angelis suis sanctis operatus est. Hæc enim causa est supradicti amici et fratris nostri [1], qui est vir in Christo fidelis. Hieme superiore compulsus in Sardinia, cum ceteris quippe navicularis, invehendas fiscalibus horreis fruges ministerio propriæ navis accipere, non exspectato tempore soliti commeatus (*V.* not. 64 et 198), ante æstivam temperiem onustum navigium vi publica urgente dimisit. Illico, ut mihi retulit, in proximo freto exorta tempestas, temere de portu solutam multarum navium classem, a cursibus destinatis retorsit, et fregit in littore. Hujus navem in quodam ejus insulæ loco, quem ad Pulvinos vocant, ne similiter illideretur, anchoris fundare conati sunt : sed hiemis ejusdem violentia prævalescente, rumpentibus vinculis, nautæ exterriti scaphulam [2] demiserunt; vel ut navi fortius continendæ renovatis et altius stabilitis anchoris subvenirent, vel ut seipsos, si possent, a discrimine navis eriperent. Sed illos statim cum fragili perfugio lembuli [3] sui arripuisse in scopulos procella dicitur, et superfusis fluctibus obruisse. Unum ex omni numero nautarum senem sentinando deputatum, vel metu immemores, vel ut vilem animam contemnentes, relinquunt. Interea destituta nautis et anchoris navis aufertur in pelagus.

2. Senex ille, qui nescierat se relictum, ut jactari volvique sensit, ab intimo navis 278 emergit, vacua omnia, mare undique, et undique cœlum videt : cum et metum et periculum misero solitudo cumularet, sex dies et noctes jejunus condidit [4]. *Fuerunt* enim illi *lacrymæ panes die ac nocte* [d] : tum ipsum jam

A mortis quam vitæ cupidiorem, finemque pœnarum animæ exitu desiderantem, misericors et miserator Dominus adire cominus, et verbi cibo animare dignatus est. Refert ipse adhuc lacrymans felicitatem periculi sui, nec sine lacrymis cordis et gaudio spiritus audiri potest, ut compellatus adeunte Christo, ut confortatus hortante sit, ut arborem jussus inciderit [5], quam excidi in eo tempore remedium navis erat; sed quod multi atque validissimi sine suo et navis periculo facere vix possunt [6], solus et debilis arripere non audens, Dei verbo ausus est. Bis tantum, et leviter, ut a senili manu tactus magis quam ictus securi, malus ita prosilivit a vulnere, ut longe extra navem in undas expulsus, tuto ceciderit. Deinde variis (*V.* not. 199), ut marina jactatio et navalis instructio poscit, B officiis, cum aut artemone armari oportebat, aut sentinam depleri (*id est*, vacuari, exhauriri) necesse erat, nomine Victoris vocatus a Domino, porrigere tantum specie agendi manum ad quamlibet operam jubebatur (*V.* ep. 5, n. 16). Non enim in multa et varia circa hunc senem mirabilium divinorum gratia hoc quoque Dei munus prætereundum videtur, quod etiam nomen accepit, quo nunc et regeneratione censetur, et ab hominibus et ab angelis scribitur : gentilitio enim signo Valgius vocabatur, qui nunc Victor a Domino dicitur, et est victor in Domino, qui illi aptum ad opera sua idipsum nomen imposuit; quia videlicet et in mari de tempestatibus atque naufragio per adjutorium Christi, et nuper in terra per ejusdem gratiam de peccatis et diabolo triumphavit; videC licet ut totus in Christo novandus, neque in nomine, neque in homine veteri permaneret.

3. Mira fides et ineffabilis pietas Domini Salvatoris, qui senem, si forte somno piger lentius ad gerenda consurgeret, et molli manu ante præpalpans, ne trepidus expergefieret, vellicata blande auricula suscitavit, cum (*b*) leviter adnitens senex a primo statim conatu suo manibus angelicis res effectas videret. Vix rudentem quasi ducturus attigerat, cum velum videret jam exsinuatum in contos suos : supparum (*V.* not. 200) stabat, vela navis faciebat. Aqua rimis navis accepta mergere tentaverat : et post unum vel alterum brevis sentinaculi haustum humore (*V.* not. 201) destrictô, siccataque navi quod ageret non habebat, stupens laborem sibi sine labore præcerpi [7], et actum D 279 suum occulta manu præveniri : si bene occulta dicitur, quæ tam perspicuum præstabat auxilium. Sed nec ipsi operatores simplicibus innocentissimi senis oculis subtrahebantur : nam sæpe vidit armatos, videlicet de exercitu cœli, milites excubare navigio, et cuncta nautici muneris administrare. Nec sane navem illam nisi angeli nautæ decebant, cui gubernaculum erat mundi gubernator. Ipse enim Dominus nunc suo vultu coruscus, ut in Apocalypsi [e] describitur, et coma fulgidus; nunc confessoris et amici sui, domini

[a] Tob. XII. 7. [b] Johan. V, 17. [c] Actor. I, 3. [d] Psal. XLI, 4. [e] Apoc. I, 14.

* Alias 36, quæ autem 49 erat, nunc Append. 1. Scripta anno 409, aut post.

(*a*) Sic editio Grin. At ms. Reg. *Paulini Epistola ad Macarium*, et edit. Bad., Grav. et Schot. addunt *in qua de senis naufragio stupenda narrat miracula.*

(*b*) Ita ms. codex Regius cum editis Grin. et Schot. Editi tres, *leniter*.

mei, communis patroni (*V.* not. 16) Felicis ore venerabilis in puppi sedebat, sicut nautico usu dicitur, ad temones, vel potius pro temonibus [8], quos cum anchoris pariter et nautis in illo naufrago littore navis amiserat: infelix feliciter, ut pro amissis omnibus viris et armis suis, aut Domini martyrem, aut Dominum martyris obtineret. Narrat gaudio lacrymans senex se ad ipsius pedes nunc Domini, nunc martyris gubernantis, sibi solitum procubare [9], etiam familiarius ipso allectante, in genibus quoque ac sinibus sacris beatum, et afflatibus divinis odorum [10] reclinati capitis pulvinar habuisse.

4. Dubitemus nunc patriarcharum sinus fidelibus in Christo servis patere, cum immensa ejus bonitas etiam catechumenum tunc istum vel suo, vel sancti sui, foverit gremio. Nam et in sancto suo ipse aderat, qui dixit, ut nosti, ad Patrem: *Ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut unum sint, sicuti et nos unum sumus* [11]. *Ego in eis, et tu in me* [a]. Et iterum ad apostolos, in quibus universo corpori suo dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* [b]. Quod quotidie nobis in manu (*V.* not. 202) et apostolorum suorum et martyrum, operante conspicuis virtutibus potentia, probat, ut credamus Dei Filium et Dominum nostrum Jesum ex resurrectione mortuorum regnantem in cœlis ad dexteram Patris [c], *vivorum* esse *Dominum, non mortuorum* [d]. Ergo cum et sancti sui confessoris effigie senem nautam fovebat, ipse aderat in sancto suo, et fessum atque depositum blandis mulcebat alloquiis; nec magis cibo quam verbo reficiebat, quia ipse est verus *panis, qui de cœlo descendit* [e] *dare escam omni carni* [f]. In omni enim homine opus suum diligit, et omnem, quantum in ipso est, *hominem salvum fieri vult* [g]: quia *mortem non fecit* vitæ dator et vita totus; *nec lætatur in perditione vivorum* [h]; qui mavult misericordiam quam sacrificium [i], nec personas accipit [j]; qui fecit omnes, sed pro meritis judicat; *quia Deus judex est*.

5. Denique non illi hic de calamitate naufragii, neque de senio et egestate nauta vilior **280** fuit; sed iis omnibus [12], quibus eum et socii spreverant, Christum movit, et viscera divina concussit. *Oculi* enim *ejus* semper *in pauperem respiciunt*. Profecto et *iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum* [k]. Cui forsitan ad precandum etiam voces propheticas Dominus et ipsa periculi causa dictaverit, ut clamaret [13]: *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Veni in altitudinem maris* [l], *non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum* [m]. *Cito anticipet me misericordia tua* [n], priusquam *infigar in limo profundi*, et *urgeat super me puteus os suum* [o]. *Respice in me, quoniam unicus*

A *et pauper sum ego* [p], et *factus sum similis pelicano solitudinis, sicut nycticorax* (*V.* not. 203) *in domicilio*, et ita in navi mea *sicut passer unicus super tectum* [q]. *Audivit Dominus, et misertus est ejus*, et misit angelos in circuitu ejus, *et factus est in salutem* [14] [r]. *Imperavit procellæ, et stetit in auram* [s]. *Increpuit mare, et siluerunt fluctus ejus*, et *deduxit eum in aquis multis* [t], *videntem opera Domini et mirabilia ejus in profundo* [u]. *Cibavit eum adipe frumenti*, et colloquente Christo, quasi *de petra, melle saturatus est* [v]. Respexit humilem, qui beavit pauperes spiritu [x]. Flentem affatus est, qui promisit lugentibus consolationem. Et qui esurientibus et sitientibus justitiam saturitatem dat, ipse hunc deficientem, qui panis, et justitia, et fons vitæ est, de se ipse irrigans pavit; nec alia istum pie-

B tate, quam omnem hominem in hujus mundi pelago volutantem, dedita Patri usque ad crucis mortem pietate miseratus est; quia videlicet unus homo universitatis portio, et universitas unius forma hominis et causa est.

6. Denique non solum navem [15], sed ipsum quoque, cujus causa navem tuebatur, regens, et in eo discreta (*id est* diversa; *vid.* ep. 50, n. 13) carnis et spiritus officia dispensans, noctu securum requiescere, die vigilare sollicitum jubebat, se pro dormiente vigilaturum, et vigilanti cooperaturum esse promittens. Nempe illum in iis verbis Domini recognosces affectum, quo semper ita spem nostram fovet, ut sollicitudinem non relaxet: ita infirmæ carni consulit, ut spiritus promptus esse non desinat. Et ideo sic dor-

C mire permisit seni fesso, ut ne seni quidem et fatigato sine vigilandi negotio securitatem remitteret; ne scilicet resolveretur in somnos intertes, et inciperet non solum corpore, sed et mente dormire. Quod metuens quidam sanctus ait: *Illumina oculos meos, Domine, ne umquam obdormiam* (a) *in mortem* [y]. Vicina enim morti labes est torpor animorum. Et tunc *dicet inimicus: Prævalui adversus eum* [z], si et mentis oculos somnus oppresserit. Recognoscimus ergo ipsum seni adfuisse, qui dixit dormitantibus suis: **281** *Vigilate, et orate, ut non veniatis in tentationem* [aa]; et iterum vigilantibus ait, jam scilicet excitatorum vigore securus: *Dormite jam, et requiescite* [bb]. Quod quidem non magis de corporeo somno quam de fidei firmitate dictum alibi docet, dicens: *Constantes estote,*

D *quia ego vici mundum* [cc]. Vera enim hominis hæc requies est, si fide constans, et victoria Christi ab omni hoste securus, pace unanime perfruatur; *Ipse enim quies nostra* [dd], qui pax nobis est, quippe pro nobis vigilat ut requiescat in nobis, et qui nunc vigilare nos pro quiete perpetua jubet.

7. Ipse Dominus hæc eadem pietatis suæ munera, quæ toto vult agi mundo, in hoc sene uno agere di-

[a] Johan. XVII, 22. [b] Matth. XXVIII, 20. [c] Marc. XVI, 19. [d] Matth. XXII, 32; Marc. XII, 27. [e] Johan. VI, 41. [f] Psal. CXXXV, 25. [g] I Tim. II, 4. [h] Sap. I, 13. [i] Matth. IX, 13. [j] Matth. XXII, 16; Marc. XII, 14; Luc. XX, 21. [k] Psal. XXXIII, 7. [l] Psal. LXVIII, 2, 3. [m] Psal. LXVIII, 16. [n] Psal. LXXVIII, 8. [o] Psal. LXVIII, 3 et 16. [p] Psal. XXIV, 16. [q] Psal. CI, 7 et 8. [r] Psal. XXIX, 11; Psal. XXXIII, 8. [s] Psal. CVI, 29. [t] Psal. CV, 9. [u] Psal. CVI, 24. [v] Psal. LXXX, 17. [x] Matth. V, 3. [y] Psal. XII, 14. [z] Ibid., 5. [aa] Matth. XXVI, 41. [bb] Ibid., 45. [cc] Johan. XVI, 33. [dd] Eph. II, 14.

(a) Sic ms. Reg. cum edd. Bad., Grav. et Grin. Græce, εἰς θάνατον. Edd. Rosv. et Sehot., *in morte*.

gnatus est, cum blandimento severus, nec sine freno timoris indulgens, aurem vellit, ut somnum corporis excuteret; sinum præbuit, ut quietem perpetuam ministraret. Viginti tres dies homo non modo a terris, sed et ab hominibus exclusus, omnium ventorum ludibrium, omnis terræ (Sic carm. 21, v. 222) exsul diversi maris hospes, et exsors generis humani [16], inter fluctus et belluas maris in vago erraticæ navis hospitio, jejuniis, senio, timore confectus, quæso te, numquid natura sua perduravit? Cui ergo obscurum sit Deum in illo fuisse? Eum dixi Deum, *qui facit mirabilia solus* [a]; qui *vocat ea quæ non sunt, tamquam quæ sint* [b]; cujus ope enabat toto navis secreta pelago, et invisibili gubernatore quasi vacua, et tamen gravi mole se promovens, clausis intra cameras suas homine cum frugibus, velut illa diluvio feta mundi seminibus arca, fluebat [17] [c]; nec uno mari jactata, cursum cum tempestatibus immutavit.

8. Primo ad Urbem acta, Romani portus pharum vidit: deinde Campaniam longis tractibus legit, mutatisque turbinibus, in Africæ littora transvolavit atque ab ipsis rursus abrepta, Siciliam transcurrit, circa quam concita et verticosa crebris, ut ferunt, insulis freta, et periculosos etiam sub gubernatore navibus cursus inter ambages et obices insularum tam directo otiosus senex inoffensoque navigio præterivit, ut quasi divina navis, et immisso divinitus spiritu sapiens, sua sponte cavenda vitaret, sequenda peteret, et utiliter ac perite per necessarios obitus flecteretur; vigesimo demum tertio [18] die, miserante jam Domino [19], finem errorum atque discriminum in Lucanis positura littoribus. Quibus propinquanti Dominus æternus, ut indefessa ejus bonitas usque ad terminum susceptæ sibi navigationis operaretur mirabilia sua, tacito suæ adspirationis instinctu compulsos a littore in duabus naviculis piscatores obviam misit, qui navem **282** hanc eminus conspicati, primo aspectu territi refugerunt, plenam enim armatorum, et liburnæ æmulam sibi visam ipsi postea retulerunt: deinde magnis et sæpe repetitis senis nostri vocibus aliquando revocati, ratione secum habita, et agente sic Domino, nihil sibi ab ea navi timendum, in quam vocarentur, intellexerunt. Accessere navigio vacuumque militibus esse, quod longe stipatum viderant, vix seni contestanti, et ascensa [20] tandem navi, suis oculis crediderunt. Ubi receptos senex prandio, quod pridie jussus a Domino præpararat, excepit, multaque mercede copiosis amissorum nautarum panibus saturavit atque donavit. Quibus stipendiis læti famulantibus lembulis suis quasi emeritam gravi e bello et de certamine coronatam, quippe ut superstitem naufragii, victricem ventorum et fluctuum navem ad portum suum remulco præeunte duxerunt. Quid de hac navi fecisset eorum vanitas, qui errore eo, quo colunt omne quod fingunt, factam Argonautarum infelicium puppem, fabulosis litteris sacraverunt, atque etiam nunc in cœlo videre se credunt, et inter astrorum choros numerant? Nec minore dementia vectricem draconis Epidauro [21] navem, illudente ipso, cujus (*a*) corporatum phantasma vexerunt, serpente, venerantur?

9. Sed fugiamus a fictis et alienis, neque mendacia et venena pereuntium nostræ veritatis lumini misceamus. Sunt nobis nostræ naves, ut dignus veris et domesticis utamur exemplis. Habemus et arcam Noe [d]. Habemus et navem Tharsi [e], navemque Tharsensis [f]. Sed illa, de qua Dei fugitivum prophetam ultor et custos cetus excepit (*V.* not. 204), eatenus huic navi comparari potest, quatenus ante sortem periclitata est [g]: tertia vero navis exemplo meo congruit hinc, quod apostolum et martyrem vexit, propterque ipsum et in ipso Christum recepit, vel cum illi totam perituræ navis multitudinem redonavit [22] [h].

10. Proponamus ergo nobis animo, et mente cernamus pulcherrimum divini operis spectaculum, videntes navem unam de multarum navium omniumque nautarum naufragio raptam, uno sene maria diversa peragrante, solam in pelago, et in ea solum. Jam illa nobis arca diluvii ante oculos, Ecclesiæ imago, versabitur [23], super orbem demersum una ubique diffusi maris facie [i], inter effusas cœli et abyssi aquas solide [24] toto innatans mundo, cujus ista imaginem multis modis in modulo minore gestavit. Nam ut illa omnigenum seminum [j], sic et ista variarum plena frugum fuit, cui præter onus publicum plura etiam de stipendiis et peculiis **283** nauticis inerant. Illa unam familiam ad generis humani reparationem: et ista unum hominem ad multorum fidem vexit [k]. Illi pacis ramum columba detulit [l]: huic pacem Agnus exhibuit. Illam, in imaginem sancti Spiritus, ales intravit [m]: et hanc, per imaginem confessoris sui, Christus accessit. Respiciamus et Jonæ navem, largiore hanc munere virtutis ejusdem servatam videbimus, et majore miraculo. Illa enim omnibus salvis præter unum: ista omnibus amissis, uno manente, servata est. Sed et cetum illum prophetæ viventis innocuum voratorem videtur hæc navis imitata, cum æque utero suo clausum hominem per maris alta gestaverit [n], et littori exposuerit incolumem; sicut illum indigestum jejuna prædæ suæ bellua jussis singultibus ab ergastulo spatiosi ventris excussum refudit Deo, quo jubente susceperat, et mysterio salutiferæ passionis expleto, tertia die in spem resurrectionis evomuit [o].

11. Navis vero illius turba felicior quæ Apostolo condonata est [p], non suis quidem meritis; nam et ipsi naufragium meruerunt, qui contemto Apostoli consilio navigarant. Sed non minus ex hoc possumus in divinis operibus navigio gloriari; cujus viris quamquam defuerit similis advocatus, tamen ipsi in unico

[a] Psal. LXXI, 18. [b] Rom. IV, 17. [c] Gen. VII, 17. [d] Gen. VII, 15. [e] Jon. I, 3. [f] Act. XXVII, 6. [g] Jon. I, 4. [h] Act. XXVII, 24. [i] Gen. VII, 17. [j] Gen. VI, 20. [k] Gen. VII, 7; I Petr. III, 20. [l] Gen. VIII, 11. [m] Gen. VIII, 9. [n] Jon. II, 1. [o] Jon. II, 11; Matth. XII, 39. [p] Act. XXVII, 24.

(*a*) Ita ms. Reg. cum edit. Schot. et Paulinus epist. 16 ad Jovium, n. 4, *in speciem corporatam stultis* *cogitationibus fingunt*. Edit. Rosv. hic habet *corporeum phantasma*.

nauta ipse Apostoli Deus adfuit gubernator, et quo (*Sach. forte* a quo) pro unius innocentis salute meruit liberari; quod illa, quæ Vas electionis in vinculis prima susceperat, ob Apostoli contemtum, et captivitatem, carceris crimine damnata non meruit. Illa vero navis cohors mihi videtur propter gratiæ mysterium liberata, ut de naufragio navis (*a*) aditæ [25] nudi evaderent; scilicet, ut eos a prioris navis, id est ab Adæ carnis peccato liberatos [a], et ipsis per quos (*b*) evaserant fluctibus expiatos, atque omnium, quas in mare abjecerant, id est secularium sarcinarum leves et undis quasi peccatis gravi et madida veteris hominis veste nudatos, integra et solida navis acciperet, quæ plenam fidei Ecclesiæ exhibens formam, tutos in portum Romamque pervexit. In quibus similiter mystica argumenta formantur. Nam mutata navis, novata in Christo vita est; et portus salutis Ecclesiæ, teste Græcia, nomen est Roma virtutis. Benedicamus ergo Deum [26], et *exsultemus in Deo nostro, qui in altis habitat, et humilia respicit* [b]; cui *non in viribus equi, neque in tabernaculis* (*c*) *viri*, sed in humilibus et *timentibus eum beneplacitum est* [c]; et *qui*, ut in isto [27] etiam sene ostendit, *sanat omnes contritos corde et alligat contritiones eorum* [d].

12. Nimis garrio, frater, sentio, sed quæso adhuc paucis feras me. Interrogare enim **284** libet, ullane te hujus seculi dignitate, quam hac Dei dignatione affici malles, qua senex iste perfunctus est? Beatioresne tibi videntur, qui purpura fulgent, qui gemma bibunt, toga fulciuntur, palmataque pinguntur; et hominibus commortalibus ac plerisque melioribus dominantes cupiditatum ac rerum suarum servi sunt; de Dei muneribus insolentes Deo; Christo egentes; peccato divites; vita steriles; morte fecundi? Quid huic, quæso, obfuit seni persona sentinatoris, et in nautis vilissima, inops habitus, et mastruca [28] Sardorum? Nam pellibus sutis vestiebatur, cum illum Dominus virtutum, Rex gloriæ, et alloquio suo beabat, et illuminabat aspectu, et gremio sopiebat: profecto et id ipsum in eo diligens, quod Eliæ meloten (*V.* not. 206), et prævii Johannis habitum veste setigera imitabatur [e]. Regem seculi videre propius, et ejus vel fastidioso sermone respergi, magna pars mundi tam beatum putat, ut si aliter non obtineat, etiam damnis emat, idque [29] adeptus, non modo hominum, sed et sui immemor fiat. Quantorum hic dignitate felicior, quem Rex regum honoravit? quantorum nobilitate nobilior, quem Christus agnovit? quantorum divitiis opulentior, cui tanta tot sanctorum bona pariter collata sunt, ut Christum videret sicut Israel, cum cœli Rege loqueretur facie ad faciem sicut Moyses [f]; et eadem propemodum familiaritate requiesceret in sinu Christi qua Johannes in pectore recumbebat [g]? Denique ut novum nomen acciperet, sicut amici Dei, quos in patriarchis et in apostolis bene nosti [h]. Te ego paulo ante interrogabam, an hujus gratia donari, omni hujus seculi gloriæ præoptares [30]: ipsos equidem *rectores harum tenebrarum* [i], si videre mereantur, prælaturos arbitror beatissimam senis et inopis nostri calamitatem suis miseris felicitatibus, et gaudiis perenne lugendis.

13. Quæras forsitan, quibus hic meritis vetus navita semper in tenebris ignorantiæ demoratus, et tam ab operibus justitiæ quam a scientia veritatis alienus obtinuisse videatur, quod paucissimis certe operariis, quamquam *a custodia matutina usque in noctem* [j] totius diei pondus et æstum sustinuerint [k], facile conceditur. Respondebit tibi Apostolus profecto, quia *sine pœnitentia sunt gratiæ et donationes Dei* [l]; et, *quia non ex operibus justificabitur omnis caro* [m]. Tempus est gratiæ, et fides ad justitiam deputatur, quia de lapidibus filii Abraham quotidie suscitantur [n]. *Nunc* enim *tempus acceptum, nunc dies salutis* [o], quo pacis et laudis hostias immolamus; et *sacrificium Deo spiritus contribulatus est* [p]. **285** Et in homine templum Dei [q], et in corde credenti [31] salutaria, et in defæcatis pectoribus sancta sanctorum. Quare *qui cor* (*d*) *contribulatum et humiliatum non spernit* [r], ipse nostrum senem placitam sibi naturalibus bonis hostiam in odorem suavitatis accepit [s]. Nam ingenita simplicitate tam purus animi semper fuisse perhibetur, ut peccare nescierit. Jam in extremæ ætatis senecta puer et malitia parvulus [t], non solum gratiæ, sed et mentis infantiam gerit. Nuper enim, ut supra (*n.* 2) dixi, renatus in Christo et Domino dedicatus est, per quem mala vitæ, per quem aquas mortis evasit.

14. Accipe igitur eum lætus in Domino, ut bonum Christi odorem [u], ut agnum mensis novorum, quem ad unanimitatem tuam, de rudi matris Ecclesiæ fetu, immaculatum candente lanitio pastor exigui gregis, sed magni pignoris munerator, ut (*e*) xenium (*V.* not. 207) spiritale transmisi. Non enim alium tali munere digniorem putavi, quam te, qui juxta Dei gratiam et operationem illum et aspicere et suscipere novisses. Videre enim mihi videor qua gratulatione, qua admiratione, qua fide et auditurus de illo, et visurus ipsum sis, cum quo navigasse angelos, cui martyrem gubernasse, quem in sinu Christi dormisse, cui Christum aurem vellicasse, nomen imposuisse reputaveris. Fateor tibi affectionem meam, dum nimium tam insignia in nostri temporis homine Dei gesta admiror, et diligo, pene in ipsum senem fuisse crudelem. Nam tam assidue aurem ipsius retractavi, ut pene detri-

[a] I Petr. III, 21. [b] Psal. CXII, 5. [c] Psal. CXLVI, 10, sec. Psalt. Rom. [d] Psal. CXLVI, 3. [e] IV Reg. I, 8; Matth. III, 4; Marc. I, 6. [f] Gen. XXXII, 30; Num. XII, 8. [g] Joh. XIII, 23. [h] Gen. XVII, 5, et XXXII, 28; Marc. III, 16. [i] Eph. VI, 2. [j] Psal. CXXIX, 6. [k] Matth. XX, 12. [l] Rom. XI, 29. [m] Rom. III, 20. [n] Matth. III, 9. [o] II Cor. VI, 2. [p] Psal. L, 19. [q] II Cor. VI, 16. [r] Psal. L, 19, sec. Psalt. Rom. et vetus. [s] Eph. V, 2. [t] I Cor. XIV, 20. [u] II Cor. II, 15.

(*a*) Ms. Reg., *addictæ*.

(*b*) Ita ms. Regius codex. Vide seqq. Ante erat, *evaserunt*.

(*c*) Alias, *tibiis*. Vide not. 205.

(*d*) Sic ms. codex Regius; et sic alibi Paulinus. Vide epist. 40, n. 4. Edit. Rosv., *contritum*.

(*e*) Ms. Reg., *exenium*. Vide not. 207.

verim. Voluissem quoque vel unius partem auris abscindere, nisi in illo vulneris, quæ mihi pignoris, res fuisset. Non enim alter [22] affectus homines ad Hierosolymam rapit, nisi ut loca, in quibus corporaliter præsens fuit Christus, videant atque contingant, possintque et de suo fructu edicere : *Introivimus in tabernacula ejus, et adoravimus ubi steterunt pedes ejus* [a]. Quamquam et altior et hic (*vid.* not. 208) intellectus habeatur, tamen et simplici sensu secundum litteram, cum res postulat, non abutendum est (*id est* utendum est, *seu* non oportet non uti. *V.* not. 31). Si ergo religiosa cupiditas est loca videre in quibus Christus ingressus, et passus est, et resurrexit, et unde conscendit, et aut de ipsis locis exiguum pulverem (*V.* not. 209), aut de ipso crucis ligno (*V.* not. 210) aliquid saltem festucæ simile sumere et habere, benedictio est, considera quanto major et plenior gratia sit, vivum senem vel testimonio divinæ veritatis inspicere? Si præsepe nati [b], si fluvius baptizati [c], si hortus orantis Magistri [d], si atrium judicati [e], si columna districti, si spina coronati [f], si lignum suspensi [g], si saxum sepulti [h], **286** si locus resuscitati evectique [i], memoria divinæ quondam præsentiæ, celebratur, et veterem veritatem præsenti fide comprobant in rebus exanimis viva documenta, quam religiose aspiciendus est hic, quem alloqui Dei sermo dignatus est, cui se facies divina non texit, cui nunc martyrem suum, nunc semetipsum Christus ostendit; in cujus vivente terra Dominici corporis videmus impressa vestigia, si fidelibus oculis et acie spiritali, quod in eo sinus Christi, quod manus contigit, perlegamus, et canitiem, quæ sæpe super Domini genu jacuit, sæpe Domini sinu tepuit, nostra manu sæpe mulcentes, et auriculam sæpe palpantes, quam cœlestes digiti (*a*) Domino jocante traxerunt?

15. Habes, mi frater (*b*), xenium meum, ede ipsum spiritu caritatis, et si loquacitatis meæ amaritudine nauseaveris, de gratia Domini et cœlestis historiæ suavitate fastidium temperabis. Certo autem scio, quæsiturum te et desideraturum aliquid, quo circa hunc hominem exerceas caritatem, qua diligis [23] Christum. Subest materia : tu studium piæ devotionis intende; et patrono hujus Secundiniano, cui navem Christus omnipotens pro hujus salute servatam jam desperanti reddidit, toto fidei tuæ effectu [24] adesto. Munus enim Christi adseres. Ne patiaris invidia diaboli per hominem improbum Secundiniano eripi, vel jam ereptum negari quod illi de naufragio redonavit Deus. Procurator Christiani viri fratris nostri Posthumiani esse dicitur, qui eam navem in Brutiorum littore, quo possessio senatoris adluitur, adlapsam, avarior mari et sine myoparone (*V.* not. 211) piraticam in terra agens occupavit, et captam vacuefecit : nam etiam nunc in ipso littore inanis manet, ut damnum oneris frustra in pelago servati et in terra perditi contestetur. Depositæ jam sæpe apud judicem provincialem super hoc latrocinio querelæ, sed Pharao noster induravit cor suum. Forte ut in ipso mirabilia fiant : et conventus per officia, primo vi rebellavit, postea Romam profugit. Hæc Secundinianum meum necessitas ad Urbem et itinere terreno peregrinari cum suo unico nauta coegit. Non ambigo fratrem nostrum Posthumianum et interventu tuo, et sua fide atque justitia, commovendum. Quare hoc moderamine intervenire debemus, quod profecto (*c*) facies, etsi nullus admoneam, ut pari labore defendas et excuses optimo Senatori, id est, Christiano viro reum suum; ita ut prædoni ipsi sufficiat impunitatis lucrum, nobis ab ipso Dei munera recipere contentis.

EPISTOLA * L.

287 *Augustino proponit quæstiones aliquot, primum de Psalmis, tum de Apostolo, et ad extremum de Evangelio.*

CAPUT PRIMUM. *Quæstiones ex Psalmis.* — 1. De paucis, quæ nunc jam ad navem currente litterarum perlatore, et mihi in ipsius festinatione properanti in mentem venerunt, ne sine corollario mihi rescribas, aliqua proponam. Quæ si forte lucida sunt, et mihi videntur obscura, nemo prudentum filiorum, qui forte de nostris [1] in hora lectiunculæ hujus circa te steterint, de insipientia mea rideat; sed potius benevolentia fraternæ caritatis faveat instruendo, ut efficiar videntium particeps, et ex doctrina tua illuminatis mentibus considerantium mirabilia de lege Domini.

2. Dic ergo mihi, benedicte doctor Israel, quod sit quid dicitur in psalmo decimo quinto : *Sanctis, qui in terra sunt ejus, mirificavit omnes voluntates suas inter illos. Multiplicatæ sunt* (*d*) *infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Quos ait sanctos? qui in terra sint [2] sancti? Num illos Judæos, qui filii carnis Abrahæ, et non filii repromissionis excluduntur a semine, quod in Isaac vocatum est [j]? Ideo sanctos in terra [k], quia sancti genere carnali; vita autem sensuque terreni sunt, quia terrena sapiunt, et (*e*) carnali observantia in vetustate litteræ consenescunt, non renascentes in novam creaturam [l]; quia non receperunt eum [m] per quem vetera transierunt, et facta sunt (*f*) nova [n]. Sic enim forte eos in hoc psalmo sanctos appellat, quomodo et in Evangelio justos, ubi dicit : *Non veni vocare justos, sed peccatores* [o] : id est, illos justos qui in sanctitate generis et littera legis gloriantur. Quibus dicitur : *Nolite gloriari* (*g*) *in patre Abraham, quia potens est Deus de lapidibus istis excitare filios Abra-*

[a] Psal. cxxxi, 7. [b] Luc. II, 7. [c] Matth. III, 13. [d] Johan. xviii, 1. [e] Marc. xv, 16. [f] Johan. xix, 2. [g] Johan. xix, 17. [h] Marc. xv, 46. [i] Marc. xvi, 6. [j] Rom. ix, 7. [k] Psal. xv, 3. [l] Gal. vi, 15. [m] Johan. i, 11. [n] Apoc. xxi, 4 et 5. [o] Matth. ix, 13.

* Alias 43; quæ autem 50 erat, nunc Append. 2. Scripta circa annum 410.

(*a*) Ms. codex Reg. cum editis 2, *jacente*, mendose; unde Sacchinus legit *Domini jacenti*.
(*b*) Ms. Regius codex, *exenium*.
(*c*) Ita ms. codex Regius. Editi, *facias*.
(*d*) Additum est *enim* ex mss. codicibus 2 Big. et edit. Bened.
(*e*) Mss. duo Big. addunt *ideo*.
(*f*) Expunximus vocem *omnia*, quæ aberat a mss. 2 Big. et edit. Bened.
(*g*) Manuscripti duo codices Bigotiani, *habere patrem Abraham*.

bæ[a]. Quorum forma in illo Pharisæo[b] proponitur, A qui justitias suas tamquam nescienti Domino recolens prædicabat in templo, non orans ut exaudiretur, sed exigens quasi debitum meriti pro operibus, bonis quidem, sed ingratis Deo; quia quod justitia ædificaverat, superbia destruebat: nec idipsum silentio, sed voce clamabat, ut appareret eum non divinis auribus loqui, qui[a] et ab hominibus vellet audiri. Atque ideo non placuit Deo, quia placebat sibi. Quoniam dissipavit Dominus ossa hominum sibi placentium. *Confusi sunt*, inquit, *quia sprevit illos*[c], qui cor humile et contribulatum non spernit[d].

288 3. Denique et in ipsa Evangelii parabola[e], qua pharisæi et publicani persona confertur, evidenter ostendit ipse Dominus quid in homine suscipiat, quid repellat, sicut scriptum est: *Quia Deus superbis* B *resistit, humilibus autem dat gratiam*[f]. Ideo protestatur magis justificatum abiisse e templo publicanum de confessione peccatorum suorum, quam Pharisæum de imputatione justitiarum suarum. Merito autem ille laudator sui repudiatus abscessit a facie Dei, qui cum ipso nomine peritiam legis præferret, oblitus fuerat in propheta dicentem Dominum: *Super quem habitabo nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos*[g]? Ille autem in corde contrito sui accusator accipitur, et obtinet veniam de confessis peccatis propter gratiam humilitatis, sancto illo Pharisæo, quales Judæi sancti sunt, reportante sarcinam peccatorum de jactantia sanctitatis. Ipsius nimirum sunt forma Judæi illi, de quibus Apostolus ait[h], quod suam justitiam statuere cupientes quæ ex lege est, C justitiæ Dei non sunt subjecti quæ est ex fide, quæ reputata est patri nostro Abraham ad justitiam[i], non ex operibus, quia secundum omnipotentiam Dei credidit Deo, apud quem ille vere justus est, qui ex fide vivit[j]: nec sanctus in terra est, sed in cœlo; quia non (*a*) in carne, sed in spiritu ambulat, cujus conversatio in cœlis est[k], non gloriantis in circumcisione carnis, sed in circumcisione cordis, quæ non littera, sed spiritu agitur invisibiliter: unde laus ejus non ex hominibus est[l], sed ex Deo[l].

4. Deinde quod jungit in eodem versiculo: *Miras fecit voluntates suas inter illos*[m]; credo ex eo dicit, quod ipsis primum lucernam legis accendit, et præcepta vivendi dedit. Notas enim, inquit, fecit vias suas Moysi, et filiis Israel voluntates suas[n]. Deinde D ipsum pietatis suæ sacramentum in ipsis operatus est[o], natus in carne ex Virgine Deus in gente ipsorum, et de carne ipsorum factus ex semine David homo[p]. Deinde virtutes sanitatum, quas in ipsis et coram ipsis perfecit. Qui per hæc non modo creditus non est, sed et blasphematus est ab eis cum dicerent: Hic homo si a Deo esset, non (*b*) curaret sabbatis[q]: et non ejicit dæmonia nisi in Beelzebub principe dæmoniorum[r]. Propter hanc mentem obdurata impietate cæcatam, *multiplicatæ sunt infirmitates* et tenebræ *eorum*[s].

5. Sed quid est, quod ait: *Postea acceleraverunt?* Utrum in pœnitentiam, sicut **289** illi in Actibus apostolorum[t], qui beati Petri prædicatione compuncti, crediderunt in eum quem (*c*) crucifixerant, et festinantes tanto expiari peccato, ad donum gratiæ (*d*) cucurrerunt? An vero, quia virtutes animæ ex fide et caritate Dei roborantur, illis impiis utroque vacuis *multiplicatæ sunt infirmitates* animæ ex impietate scelerum mortiferis languoribus occupatæ, Christus etenim lumen et vita credentium est[u], et sanitas sub pennis ejus[v]. Unde non mirum si et tenebræ et *infirmitates eorum multiplicatæ sunt* in interitum, qui vitam et lucem non receperunt, neque sub pennis ejus manere voluerunt. Quos, ut ipse flens in Evangelio suo protestatur, sæpe voluit congregare sub alas suas, sicut gallina congregat pullos suos[x], et noluerunt. Multiplicatis ergo infirmitatibus quo *acceleraverunt?* forte in crucem Domini conclamandam, et invito Pilato nefariis vocibus extorquendam, ut adimplerent mensuram patrum suorum[y]; ut isti Dominum prophetarum occiderent, quorum patres ipsos prophetas interfecerunt, a quibus hic mundi Salvator esse venturus nuntiabatur. *Postea acceleraverunt*[z]. Veloces enim pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio et infelicitas in viis eorum et viam pacis non cognoverunt, id est, Christum qui dicit: Ego sum via[aa].

6. In consequenti psalmo illud mihi exponi desidero, quid dicat: *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Saturati sunt porcina*, vel (sicut in quibusdam Psalteriis scriptum audio) *Saturati sunt filiis, et reliquerunt, quæ superfuerunt, parvulis suis* (*V.* not. 212).

7. Rursus in alio psalmo admirari soleo, Filium ad Patrem loqui intelligens, in psalmo quinquagesimo octavo, ubi de Judæis inimicis, de quibus supra dixerat: *Ecce ipsi loquentur in ore suo, et gladius in labiis eorum;* paulo infra dicit: *Ne occideris eos, ne quando obliviscantur* (*e*) *legis tuæ. Disperge illos in virtute tua, et destrue eos, Domine.* Quod in his usque in hodiernum diem videmus impleri. Destructi sunt enim a veteri sua gloria, sine templo, et sine sacrificiis, ac sine prophetis in omnium gentium dispersione viventes. Sed quid miramur, quod jam per Prophetam pro eis non occidendis rogabat, pro quibus et sub ipso tempore passionis jam ad crucem eum ducentibus precabatur, dicens: Pater, dimitte eis, non

[a] Matth. III, 9; Luc. III, 8. [b] Luc. XVIII, 11. [c] Psal. LII, 6. [d] Psal. LII, 19. [e] Luc. XVIII, 10. [f] Jac. IV, 6. [g] Isai. LXVI, 2. [h] Rom. X, 3. [i] Rom. IV, 2. [j] Rom. I, 17. [k] Philip. III, 20. [l] Rom. II, 28. [m] Psal. XV, 3. [n] Psal. CII, 7. [o] I Tim. III, 16. [p] Matth. I, 1. [q] Johan. IX, 16. [r] Matth. XII, 24. [s] Psal. XV, 4. [t] Act. II, 37. [u] Johan. VIII, 12. Johan. XIV, 6. [v] Malach. IV, 2. [x] Matth. XXIII, 3; Luc. XIII, 34. [y] Matth. XXIII, 32. [z] Psal. XIII, 3. [aa] Johan. XIV, 6.

(*a*) Ita mss. duo Big. Sic quoque Paulinus epist. 5, ad Severum, n. 17, cum præpositione *in*.

(*b*) Manuscripti duo Big., *curasset*.

(*c*) Sic mss. duo Big. et edit. Bened. Alias, *crucifixerunt*.

(*d*) Ita edit. Bened. cum. mss. 2 Big. Alii, *concurrerunt*.

(*e*) Sic cum Psalteriis veteri et Rom. Augustinus et Hilarius juxta Græcum, τοῦ νόμου σου.

enim sciunt quid faciunt [a]. Verum quod adjecit: *Ne unquam obliviscantur legis tuæ* [b], tamquam propter hoc necessaria esset etiam sine fide Evangelii vita **290** eorum, obscurum mihi fateor. Quid enim his ad salutem, quæ sola fide quæritur, prodest in legis memoria et meditatione versari, nisi forte propter honorem legis ipsius, vel generis Abraham [c]; ut etiam in parte terrena carnalis seminis ejus, quæ videtur secundum arenam maris computari, legis antiquæ littera [5] perseveret; (*a*) ne forte aliqui legendo legem illuminentur ad fidem Christi, qui [6] et legis et prophetarum finis est [d], et in omnibus eorum libris præfiguratus ac prophetatus elucet. Aut quia ex ipsis impiis eorum generatio ventura est electorum, qui de singulis tribubus electi, in duodenis millibus designantur [7], quibus ipsa revelatio beati Johannis [e] ex voce angeli prænuntiantis hoc testimonium perhibet, quia comitatui Regis æterni familiarius adhærebunt penitus immaculati, et humanæ conjunctionis expertes? De quibus specialiter ait: Sequuntur [8] Agnum quocumque ierit, quia cum mulieribus se non coinquinaverunt, virgines enim sunt [f].

8. In sexagesimo septimo præter alia illud mihi obscurissimum est, quod ait: *Verumtamen Deus* (*b*) *conquassabit capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis*: quid sit, *Verticem capilli* (*c*) *perambulare in delictis*. Non enim dixit, Verticem capitis; sed, *Verticem capilli*, qui sine sensu est. An repletum peccatis hominem vult ostendere? Scriptum est: Omne cor in dolore a pedibus usque ad caput. Et paulo infra quod ait: *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso* [g]. A quo *ipso?* Et numquid canes Dei dici possunt gentiles, quos ipse in Evangelio [h] canes nominat? Aut ne forte ipsos canes Dei dicat, quales existimari possunt, si qui in nomine Christiano gentiliter vivant, quorum pars cum infidelibus ponitur [i], quia Deum, quem verbis colunt, factis negant [j]?

CAPUT II. *Quæstiones ex Apostolo.*—9. Hæc interim de Psalmis; nunc et de Apostolo quodcumque proponam. Dicit ad Ephesios, quod in alia Epistola dixerat de gradibus vel ordinibus dispositionum Dei, operante Spiritu sancto divisiones gratiarum: *Et quosdam quidem dedit apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum* [k], et reliqua. Hoc opto distinguas mihi in hac diversitate nominum, quæ sit cuique nomini officiorum vel gratiarum proprietas. Quid proprium sit apostolorum, quid prophetarum, quid evangelistarum, quid pastorum, quidve doctorum: in omnibus enim his diversis nominibus **291** simile et prope unum doctrinæ officium video fuisse tractatum. Hos autem prophetas, quos post Apostolus posuit, non puto illos esse, qui ordine temporum ante apostolos fuerunt: sed illos, quibus jam sub apostolis per gratiam donabatur aut interpretatio Scripturarum, et inspectio mentium, aut prædictio temporis secuturi; ut Agabus cernebat, qui et famem instantem prædixit, et quæ [9] beatus Paulus in Hierosolymis passurus esset, et verbo denuntiavit, et signo zonæ ejus ostendit [l]. Inter pastores specialiter et doctores quid intersit, dignoscere volo, quia præpositis Ecclesiæ utrumque nomen adscribi solet.

10. Item quod ait ad Timotheum, *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*; quæso exponas mihi, quod discrimen sit in hac diversitate verborum, cum omnia mihi, quæ gerenda dixit, orationis officio convenire videantur.

11. Item quod ad Romanos ait, interrogo et rogo ut edisseras mihi. Multum enim cæcutire me fateor in hac Apostoli sententia de Judæis, quod ait: *Secundum Evangelium quidem, inimici propter vos; secundum electionem autem, carissimi propter patres* [m]: quomodo et iidem [10] inimici propter nos, qui credidimus ex gentibus, tamquam non potuerint gentes credere, nisi Judæi non credidissent? Aut ipse unus omnium creator Deus, qui omnes homines salvos fieri vult, et ad agnitionem veritatis venire [n], capax non fuerit [11] acquisitionis utriusque, nisi alterum pro altero possideret? Deinde (*d*) *carissimi* [12] *propter patres*: quomodo, aut unde, si carissimi non credant, et inimici Deo esse persistant? Nonne, inquit, qui oderant te Deus, oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos [o]. Certe hoc puto paterna vox loquitur ad Filium per prophetam in eodem psalmo, ubi supra de parte credentium dixerat: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum [p]. Quid autem illis prodest ad salutem, quæ non nisi per fidem et gratiam Christi capitur, si propter fidem patrum carissimi (*d*) Deo sint? cui bono diliguntur, quos necesse est propter hoc damnari, quod propter suam infidelitatem a prophetarum et patriarcharum parentum fide discrepantes, inimici sunt Evangelio Christi? Si ergo carissimi Deo, quomodo peribunt? et si non credunt, quomodo non peribunt? Si propter patres sine suo merito diliguntur, quomodo et propter patres **292** non salvabuntur? sed, etsi fuerint Noe, Daniel, et Job, in medio eorum, filios impios non salvabunt, soli salvi erunt [q].

12. Adhuc aliud obscurius mihi erue de profundo, et in vadum profer. In epistola Colossensium omnino intelligere [13] non possum quod ait: *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum, quæ non vidit, ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, et non tenens caput.* De quibus angelis dicit? si de

[a] Luc. XXIII, 34. [b] Psal. LVIII, 12. [c] Gen. XXII, 17. [d] Rom. X, 4. [e] Apoc. VII, 5. [f] Apoc. XIV, 4. [g] Psal. LXVII, 24. [h] Matth. XV, 26. [i] Matth. XXIV, 51. [j] Tit. I, 16. [k] I Cor. XII, 28; Ephes. IV, 11. [l] Act. XXI, 11. [m] Rom. XI, 28. [n] I Tim. II, 4. [o] Psal. CXXXVIII, 21. [p] Psal. CXXXVIII, 17. [q] Ezech. XIV, 14.

(*a*) Ita cum editis Grav. et Bened. mss. duo Big. At edit. Rosv., *ac forte*.

(*b*) Edit. Bened. et Grav., *conquassavit*, mendose. Græce, συνθλάσει.

(*c*) Sic cum edit. Bened. mss. Big. duo. Ed. Rosv., *perambulantium*.

(*d*) Ita cum edit. Bened. mss. Big. duo. Edit. Rosv. *carissimi sunt*.

inimicis et malis, quæ illorum religio, aut quæ humilitas; et quis magister [11] seductionis hujus, qui per obtentum nescio cujus angelicæ religionis, quasi visa et comperta doceat quæ non vidit? Sine dubio hæretici, qui doctrinas dæmoniorum et sequuntur [a], et promunt conceptis ab eorum spiritu adinventionibus, quæ non viderunt phantasmata quasi visa fingentes, et pestiferis disputationibus in corda male credula seminantes; hi sunt qui non tenent caput, id est Christum fontem veritatis, cujus doctrinæ quidquid adversatur, insanum est. Et hi cæci duces cæcorum [b], de quibus dici puto : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, et foderunt sibi lacus contritos, qui non tenent aquam [c].

13. Deinde in (*a*) subsequenti capitulo adjecit : *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis, quæ sunt omnia in interitum ipso usu, secundum præcepta et doctrinas hominum, rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione et humilitate ad non parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis* [d]. Quæ sunt ista, quibus et rationem sapientiæ inesse testatur Magister (S. Paulus; *vid.* epist. 30, n. 5) veritatis, et tamen ipsam veritatem religionis inesse abnegat? Anne forte [15] de talibus loquitur, de quibus ad Timotheum dicit : Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem [16] ejus abnegantes [e]? Rogo ergo specialiter hæc capitula duo de Colossensium [17] Epistola per singula mihi verba dissolvas, quia laudabilibus exsecranda permiscuit. Quid est enim [18] tam laudabile, quam ratio sapientiæ? et quid tam exsecrabile, quam superstitio erroris? Humilitas quoque et Deo placita, et maxime in vera religione laudabilis, cum ratione sapientiæ ipsis datur [19]; de quorum doctrinis et actibus dicitur nobis : *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, quæ sunt in interitum* [f], quia non sunt ex Deo : et omne quod non est ex fide peccatum est [g]. Deus autem dissipavit consilia sapientium, qui Deo stulti sunt per prudentiam carnis; quæ non potest legi Dei esse subjecta [h]. Scit enim cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt [i]. Qualem humilitatem, qualemque rationem sapientiæ superstitioni ex **293** hominum doctrinis venienti inesse dicat, requiro. Et quod ait : *Ad non parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis* [j]. Prorsus hæc parum intelligo : quia in eadem sententia magna mihi videtur esse discretio (*V.* ep. 49, n. 6). Arbitror enim eum de abstinentia qualibet ficta vel inutili, qualis solet ab hæreticis affectari, hoc dicere : *Ad non parcendum corpori.* Quod autem adjecit : *Non in honore aliquo;* quia sancti operis speciem, non in fide veritatis exercentes, nullius gloriæ honore vel fructu agunt [20], quod in magna erroris perversi reprehensione conficiunt, transfigurantes se in ministros justitiæ [k]. Sed quod adjecit, *Ad saturitatem carnis*, contrarium mihi videtur illi quod dicit: *Ad non parcendum corpori.* Videtur enim mihi ille non parcere corpori, qui carnem jejuniis domat, sicut Apostolus dicit [l] : *Lividum facio corpus meum, et in servitutem redigo* (*Gr.* ὑπωπιάζω; *Vulg.* castigo). A quo opere saturitas carnis aliena est. Nisi forte et ipsam saturandæ carnis curam, quæ maxime observantiam religionis prætendentibus probrosa est, non parcere corpori dixit, secundum illud honestatis præceptum, quod alibi dicit, ut unusquisque suum vas honorifice possidere noverit [m]; ut hostiam vivam et placentem Deo suum corpus exhibeat [n] : non in (*b*) saturitatem carnis; quia distensio corporis animæ sobrietatem necat, et inimica est castitati.

14. Restat ut aliquid et de evangelicis locis suggeram beatitudini tuæ; non quidem quanta legenti per otium occurrere solent; (nec enim nunc vacabit [21] dispersa per libros quærere, aut in reminiscendis memoriam ventilare :) sed vel pauca, quæ ad horam dictationis hujus in mentem veniunt, sciscitabor. De resurrectionis forma non grandem, sed plenam fidei instructione epistolam, qua secundæ consulationi meæ, dum Carthagini (*c*) hiemares (*V.* not. 213), rescripseras, si habes (*d*) relatam in schedis, rogo ut mittas, aut certe retexas eam mihi, quod tibi facile est. Nam etsi scripta non exstat, quia forte brevis epistola, ut tumultuaria tibi inter libros tuos haberi spreta sit, renova eam mihi eodem sensu promtam de thesauro cordis tui, et mitte ad me inter alia responsa quæ reddes mihi, ut spero; præstante mihi ac tibi commeatum (*V.* not. 64) dierum Christo, ut ea, quo labor tuus in me fructificet, accipiam, secundum hæc capitula Scripturarum; de quibus te, qui (*e*) vides quasi per Deum, interrogavi, ut audiam quid in te vel ex te mihi loquatur Deus [o].

15. Hoc autem rogo lucere mihi facias, **294** quomodo vel qua ratione Dominus post resurrectionem vel mulieribus, quæ primæ ad sepulcrum venerunt, vel postea illis duobus in via, deinde discipulis suis, et non agnitus sit, et agnitus. In eodem enim corpore resurrexit in quo et passus est. Et quomodo non eadem erat ejusdem corporis forma quæ fuerat? aut si eadem erat, quomodo non agnoscebatur ab his qui eam noverant? Illud vero sacramenti esse credo quod qui in via ambulantibus non fuerat agnitus, in fractione panis revelatus est [p]. Idipsum tamen tuo sensu volo tenere, non meo.

16. Et quod ad Mariam ait : *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.* Si cominus stante non sinebatur attingere, quomodo eum tangeret cum ascendisset ad Patrem, nisi forte fidei profectu, et mentis ascensu, qua Deus homini fit longinquus, aut

[a] I Tim. IV, 1. [b] Matth. XV, 14. [c] Jerem. II, 13. [d] Col. II, 21. [e] II Tim. III, 5. [f] Col. II, 21. [g] Rom. XIV, 23. [h] Rom. VIII, 7. [i] Psal. XCIII, 11. [j] Col. II, 23. [k] II Cor. XI, 15. [l] I Cor. IX, 27. [m] I Thes. IV, 4. [n] Rom. XII, 1. [o] Psal. LXXXIV, 9. [p] Luc. XXIV, 30.

(*a*) Mss. duo Big. et edd. Bened. et Grav., *in sequenti capite.*

(*b*) Ita mss. codices cum edit. Bened. At ed. Rosv., *saturitate.*

(*c*) Mss. 15, *exhiemarem.* Vide not. 213.

(*d*) Sic mss. 4 Vaticani, Bigotianus unus, et edit. Bened. Alter ms. Big., *reservatam.* Ed. Rosv., *relictam.*

(*e*) Sic emendavimus ex mss. codicibus Vaticanis quatuor et edit. Bened. Ante erat, *credendum est.*

proximus : et illa (*a*) dubitaverit de Christo, quem [22] hortulanum putaverat. Ideo fortassis audire meruit : *Noli me tangere* [a]. Indigna enim judicabatur ut tangeret manu Christum, quem necdum fide apprehenderat, nec intellexerat Deum, cum hortulanum putasset, de quo paulo ante ab angelis audierat : Quid quæritis viventem cum mortuis? *Noli* ergo *me tangere, quia* tibi *nondum ascendi ad Patrem*, cui adhuc tantum homo videor : postea me tanges, cum ad agnoscendum me credendo conscenderis.

17. De illis etiam beatissimi Symeonis verbis quid sentias, edissere mihi, ut sequar sensum tuum : quibus, cum ad videndum ex oraculo Deí Christum, agente Spiritu, venisset in templum, et acceptum sinu benedixisset infantem Dominum, ait ad Mariam : *Ecce hic positus est in ruinam et resurrectionem* [23] *multorum in Israel, et in signum cui contradicetur : et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur multorum cordium cogitationes* [b]. Numquid de passione Mariæ, quæ nusquam scripta est, hoc prophetasse (*b*) credendus est [24]? An vero de materno ejus affectu, quo postea in tempore passionis assistens cruci, qua hoc erat fixum quod ipsa pepererat, maternorum viscerum dolore confixa est : et animam illius illa, quæ ejus secundum carnem filium, ipsa spectante, confoderat, crucis rhomphæa penetrabat [25]. Video enim et in Psalmis de Joseph ita dictum esse [26] : Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus [c] sicut in Evangelio dixit [27] Symeon : *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius* [d]. Non ait, carnem, sed *animam*, in qua pietatis affectio **295** continetur, et doloris aculeus quasi gladius operatur : cum aut aliqua carnis suæ injuria afficitur, ut (*c*) Joseph, qui non mortis, sed injuriarum pertulit passiones, in servum venditus, et in reum vinculatus (*V*. carm. 21, v. 752), et carceri datus [e] : aut cum affectionis internæ tristitia vel dolore cruciatur, ut in Maria [f] ; quam utique ad crucem Domini, in quo tunc sui tantum corporis filium cogitabat, materna mens duxerat ; ut cum eum vidisset mortuum, humana infirmitate lugeret, sepeliendumque colligeret, nihil sibi de ipsius resurrectione præsumens, (*d*) quia subsecuturæ admirationis fidem in oculis posita passionis pœna cæcabat (*V*. not. 214). Quamvis eamdem astantem cruci suæ Dominus non morientis infirmitate trepidans consolatus sit, sed ipsam, qua obibat volens, in potestate habens mortem, plena virtute viventis, et constantia resurrecturi de cruce admonet, dicens de beato apostolo Johanne : Mulier, ecce filius tuus; itemque illi ibidem consistenti : Ecce mater tua [g]. Jam scilicet ab humana fragilitate, qua erat natus ex femina, per crucis mortem demigrans in æternitatem Dei, ut esset in gloria Dei Patris, delegat homini jura pietatis humanæ; et (*e*) ex discipulis suis adolescentiorem eligit, ut convenienter assignet virgini apostolo virginem matrem : duo pariter in eadem sententia docens, formam pietatis relinquens nobis, cum est [28] de matre sollicitus, ut quam relinquebat corpore, non relinqueret cura : sed nec corpore relicturus, quia quem videbat morientem, mox erat visura redivivum. Et illud, quod ad fidem omnium pertineret, salutiferum pietatis suæ [29] sacramentum, arcana divini ratione consilii sub hac voce (*f*) consignans, ut alii matrem delegaret pro matre habendam, et vice sua consolandam; atque illi vicissim novum filium vice corporis sui traderet, immo, ut ita dixerim, gigneret : quo ostenderet eam præter se, qui ex ea virgine natus esset, nec habuisse filium, nec habere : quia nec Salvator tantopere curam (*g*) desolationis habuisset ejus, si illi unicus non fuisset.

18. Sed redeamus ad verba Symeonis, in quorum clausula intellectum meum caligare fateor. *Et tuam*, inquit, *animam pertransibit framea*, vel *gladius*, *ut revelentur multorum cordium cogitationes* [h]. Secundum litteram hoc mihi penitus obscurum est, quia nec Mariam beatissimam usquam legimus occisam, ut de corporali gladio sanctus ille **296** ei futuram passionem prophetasse videatur. Sed et quod subjecit : *Ut revelentur multorum cordium cogitationes* [i]. Scrutans enim, inquit, corda et renes Deus. Et de futuro judicio Apostolus ait : Quia tunc manifestabit Deus operta cordium, et occulta tenebrarum. Itidem [30] Apostolus [j], spiritaliter exprimens arma cœlestia, quibus in interiori nostro debeamus armari, gladium spiritus dicit verbum Dei, de quo ad Hebræos ait : Vivus est sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : pertingens, inquit [31], usque ad divisionem animæ et spiritus, et reliqua quæ nosti. Quid ergo mirum, si istius verbi ignita vis, et ancipitis gladii penetrabilior acies [k], et sancti Joseph olim, et postea beatæ Mariæ animam pertransivit? nam neque in illius, neque in hujus corpore ferrum transisse cognovimus. Atque ut magis pateat ibi prophetam ferrum pro verbi gladio [32] posuisse, statim subsequente versiculo ait : Sermo Domini ignivit illum [l]. Sermo enim Dei et ignis, et gladius est, Verbo ipso Deo utrumque dicente de se : Ignem enim, inquit, veni mittere in terram, et quid volo nisi ut jam accendatur [m]? Item alibi dicit : Non veni pacem mittere, sed gladium [n]. Vides eum unam vim doctrinæ suæ diverso ignis et gladii nomine designasse. Aut quomodo Mariæ illata per gladium passio vel tribulatio perstaret [33]? Itaque hoc scire cupio quid ad Mariam

[a] Johan. xx, 17. [b] Luc. II, 34, 35. [c] Psal. CIV, 10. [d] Luc. II, 35. [e] Gen. XXXVII, 28, et XXXIX, 20. [f] Johan. XIX, 25. [g] Johan. XIX, 26. [h] Luc. II, 35. [i] Psal. VII, 10. [j] I Cor. IV, 5. [k] Ephes. VI, 17; Heb. IV, 12. [l] Psal. CIV, 18. [m] Luc. XII, 49. [n] Matth. X, 34.

(*a*) Mss. duo, *qui vides quasi Deum*. In editis quibusdam, *secundum Deum*.

(*b*) Ita mss. codices quinque, inter quos Bigotiani duo cum editis tribus Augustinianis, Amerb. Bad. et Erasm.

(*c*) Expunximus particulam *in*, quæ aberat a mss. codicibus et ab editis Grav. et Bened.

(*d*) Manuscripti sex, *quam*. Alii octo, *qua*. Vide not. 214.

(*e*) Mss. codices quinque, *ex discipulis adolescentior suis adolescentiorem eligit*.

(*f*) Ita mss. duo Big. Ante erat *designans*.

(*g*) Sic aliquot mss. et editi codices. Ed. Bened. cum ms. 1 Big., *desolatio*.

pertineret, *ut revelarentur multorum cordium cogitationes* [a] : aut ubi apparuit, quia ex eo quod *animam ejus* sive carnalis in ferro, sive spiritalis *gladius* in verbo Dei *pertransivit*, exinde multorum cordium cogitationes revelatæ sint [34]. Expone ergo hanc maxime de verbis Symeonis clausulam mihi, quia lucere non dubito sanctæ animæ tuæ, quæ de interioris oculi puritate meruit illuminationem Spiritus sancti, per quem scrutari et inspicere possit etiam alta Dei. Deus misereatur mei per orationes tuas, et illuminet vultum (*a*) suum super me per lucernam verbi tui [b], sancte Domine, beatissime frater in Domino Christo unanime [35], magister meus in fide veritatis, et susceptor meus in visceribus caritatis (*b*).

EPISTOLA CXLIX (*AL. LIX*).

AUGUSTINI AD PAULINUM.

Augustinus respondet ad quæstiones ex Psalmis, ex Apostolo et ex Evangelio propositas a Paulino superius in epistola 1.

(Vide hanc epistolam inter Augustinianas nostræ Patrologiæ tomo XXXIII, col. 630.)

EPISTOLA * LI.

313 *Eucherio et Gallæ in insula Lero degentibus scribit in testimonium animi et amoris, et eos multis laudibus extollit. Ab eo exposcit litteras in mutuæ amicitiæ signum.*

Sanctis et merito prædicandis, atque venerandis, et dilectissimis filiis EUCHERIO et GALLÆ, PAULINUS episcopus.

1. Benedictus Dominus Deus noster, qui dat votum optanti, et semper nostra superat vota, votisque respondet : qui insperanti mihi tam opportunam quam exoptatam occasionem præbere dignatus est, per religiosos juvenes, filios meos, conservos vero communes in Domino, Gelasium, et Augendum, et Tigridium, quos de sancto atque castissimo congregationis suæ numero, vir laudabilis, et præclarus in Christo frater noster, et compresbyter meus Honoratus, ad humilitatem meam vestræ dilectionis exemplo (*c*) refovendam, Domino inspirante, direxit. Sollicite enim pro caritate meritis vestris debita sciscitanti actum vel incolumitatem vestram (nam de actu pio atque cœlesti dubius esse non poteram), id quod animam meam reficeret responderunt, quia vos, Deo propitio, incolumes reliquissent, venerandi propositi opera curantes, ac studia exercentes, in corde uno, quo terrestria reliquistis, cœlum petentes.

2. Memineram enim quia filii mei, quos ante annum ad humilitatem meam mei gratia visitandam miseratis, locum habitationis vestræ, simul et domni venerabilis Honorati nobis innotuerunt : dicentes scilicet quia in proximis, brevi interjecta maris rupe, etiam cognominibus Lero et Lerino insulis degeretis. Unde, cum se isti filii nostri ex ea quæ Lerinum dicitur, venisse dixissent, recognovi et facile recordatus sum propinqui nominis insulam, in qua sanctitatem vestram ab istius mundi strepitu profugam manere jam noveram. Quamobrem sciens dilectioni
A vestræ gratum fore officium litterarum mearum, quia et a me vobis in perennem gratiam debitum est, libens amplexus sum hanc opportunitatem spiritalium filiorum, ut ad benedictam in Christo Domino unanimitatem vestram, epistolæ meæ portitores essent : quod ut filii vel ministri obedientiæ, sicut a Deo, vel secundum Deum docti sunt, promptissime receperunt. Suscipite ergo in his exiguis sermonibus parvitatis meæ, non exiguæ caritatis, insignia : et quasi quædam pignora animæ 314 vestræ, et testimonia animi et amoris in vos mei, hæc mea scripta retinete.

3. Spero autem de misericordia Christi Domini, quod incolumes hæc mea verba sumatis : et si deinceps opportunam et per hujusmodi tabellarios occasionem donaverit, rescribere impigrum habeatis. Quod sine
B dubio et per istos filios meos vestra fecisset affectio, si eorum ad me directæ profectionis conscii fuissetis. Nam cum ab eis hoc quærerem, quia vicinos esse vos noveram, ignorantibus vobis, se de monasterio suo navigasse dixerunt. Verumtamen quia sicut *regnum Dei non in sermone est, sed in virtute* [c]; ita et caritas, in cujus perfectione et plenitudine regnum Dei continetur vel acquiritur, in thesauro cordis et fidei virtute consistit; pro gratia familiari, vestræ unanimitatis scripta desidero. Ceterum de animorum vestrorum piissima affectione confidens, etiam tacentium mentibus me inhærere non ambigo. Non enim humana amicitia, sed divina gratia invicem nobis innotuimus, et connexi sumus per viscera caritatis Christi. Atque ideo necesse est perpetuam inter pectora nostra
C manere concordiam, quæ, Christo autore, conjuncta est. Quæ enim vis aut oblivio valeat separare quod Deus junxit?

4. *Benedicat vos Dominus ex Sion*, ea benedictione qua *benedicitur homo qui timet Dominum* [d], perpetui conjuges et parentes, cum benedicta vobiscum Deo progenie nobilissimæ sanctitatis vestræ. *Videatis quæ bona sunt Hierusalem* [e], et pariter *habitare* mereamini *in domo Domini in longitudinem dierum* [f], filii sancti, merito venerabiles, intima mihi caritate dilecti et semper desiderandi.

PASSIO S. GENESII ARELATENSIS.

1. Proprium atque indigenam Arelatensis urbis beatissimum Genesium (*V.* not. 215) martyrem, alumnum ejusdem jure nascendi, patronum virtute mo-
D riendi, celebrare jam a principio atque extollere, omnium fidelium studia, omnes religiosorum litteræ debuerunt, ut tanti meriti gloriosa documenta, consignata scriptorum fide, et vivacibus commendata monumentis, illibata atque integra ad posteros pervenirent; quæ admiratio semper faceret nova, et veneratio probaret antiqua. Sed quoniam succedentes sibi per incertum vitæ tempus ætates, tradere hæc invicem memoriæ mutuæ, quam mandare litteris, maluerunt : vel nunc oportet eadem fidelibus scriptis

[a] Luc. II, 35. [b] Psal. LXVI, 2. [c] I Cor. IV, 20. [d] Psal. CXXVII, 5 et 4. [e] Ibid., 5. [f] Psal. XXII, 7.

* Accedit huic editioni. Scripta ab anno 409 ad annum 426.

(*a*) Ita edit. Bened. cum mss. codicibus 2 Big. et 1 Germ. Ed. Rosv., *tuum*.

(*b*) Manuscripti plures, inter quos duo Big., addunt *Christi*.

(*c*) Ms. Vien., *requirendam*.

in tempora **315** secutura transmittere; ne ea, quæ adhuc viva recordatione rerum, ut sunt gesta, referuntur, evanescente per tempus vel tradentium, vel accipientium fide, fabulosa credantur.

2. Sanctus itaque Genesius in juventutis flore primævo, provincialis militiæ tirocinium suscepit, eam officii partem studio et arte complexus, quæ patronorum verba vel nova signorum velocitate, vel dexteræ, sonum vocis æquaret : spiritalem futuræ gloriæ imaginem præfigurans, ut qui præcepta divina celeriter audiret, ea fidelibus notis piæ mentis exciperet. Accidit autem, ut, cum ante tribunal exceptoris fungeretur officio, injusto atque sacrilego mandato persecutionis jussa ederentur, quæ devotus Deo repudiaret auditus, et imprimere ceris manus sancta respueret. Abjectis ergo tabulis ante pedes judicis, ministerium sacrilegum sacrata jam Domino mens refugit. Et, ut in nullo a præceptis evangelicis actus martyris deviarent, quibus declinare persecutionis impetum vel permittimur, vel jubemur, alia atque alia non solum latebra, verum etiam civitate mutata [a] (cum et alio loco scriptum sit, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma* [b]) ab ira se furentis judicis paulisper occuluit. Qui cum eum corripi protinus offerrique jussisset, neque investigatio ad procuratam latebram perveniret, crudelissimis pœnæ ministris, ut ubi repertus fuisset, gladio eum interficerent, imperavit. Quod ubi beato Genesio vel occultis nuntiis vel rumore compertum est, diversa latendi loca, ut exitus docet, non infirmitate spiritus, sed carnis trepidatione, mutavit.

3. Atque interim, licet superfluo, de præsumptæ fidei confirmatione sollicitus, quoniam nondum erat ex aqua et Spiritu sancto renatus, per fidos internuntios a Catholicæ religionis antistite donum baptismatis postulavit. Sed ille vel temporis angustiis impeditus, vel juvenili ætati diffidens, ardentia vota distulit, ac fideliter indicavit quod plenam consummationem etiam hujus muneris daret promta pro Christo cruoris effusio. Et hæc quidem cunctatio sacerdotis, divino, ut æstimo, promta nutu atque judicio provocata dispositaque est : ut circa ejus solemnem consecrationem officia humana cessarent, cui unius baptismatis duplex gratia, ex utroque scilicet Christi

A latere et aqua et sanguis [c], parabatur.

4. **316** Sed jam Dominus, qui per Spiritum sanctum futuri martyris servabat arcana, subeundæ constantiam passionis vel fecerat, vel videbat : neque patiebatur differri coronam, cum videret paratam esse victoriam. Itaque percussoribus suis eum obtulit, et iis, quorum in eumdem avida crudelitas inhiabat, ostendit. Atque is ubi se perspicit deprehensum, instinctu Domini Rhodanum petiit, et sancta fluvio membra committit, ut eum illic a contagione mortali, velut alterius Jordanis undis, occultus Baptista purgaret; et mutuo alternoque mysterio et aquis corpus, et aquas corpore consecravit. Atque hæc causa profecto exstitit, ut natandi adminiculo perveniret; qui exemplo beatissimi Petri ad Christum tendens, per summa gurgitum ambulare potuit [d].
B Transgressum continuo in ulteriora fluminis, et subeundi præmii passionis Christo sponsore securum, in eo loco, quem effusioni sanguinis gloriosi Dominus elegerat, quique nunc oratione assidua et votis numquam irritis frequentatur, percussor assequitur, exoptatoque gladii ictu festinantem ad Deum animam vinculis corporis, quibus tenebatur, absolvit : et utraque substantia propriæ originis elementa repetente, terrena interim terris membra commendat, et cœlestem spiritum emittit ad cœlum.

5. Providerunt tamen fideles temporis illius Dei servi, ut utramque fluminis ripam, geminatis urbibus ambiendam, unius martyris tutela muniret. Nam in ipso beatæ passionis loco consecrati cruoris vestigia
C relinquentes, in alterum fluvii latus honoratas reliquias transtulerunt, ut utrobique præsens S. Genesius, illic sanguine haberetur, hic corpore.

6. Hæc omnia fideliter, atque ut gesta sunt, vel comperta, vel dicta, libentibus devotisque animis, qui noveratis, recognoscite; qui ignorabatis, agnoscite; et gloriam tanti martyris, per singula annorum spatia crescentem, et in secula æterna victuram, mentis oculis contuentes, unusquisque pro viribus ad similia, si ita fides desideraverit, animos præparate, et ut beatus Genesius, throno Domini usque in vindictæ suæ tempus assistens, sacerdotibus, ministris, clero, nobisque omnibus, et ei qui instructioni vestræ ista composuit, patrocinetur, orate. Amen.

[a] Matth. x, 24. [b] Matth. xxvi, 41. [c] Johan. xix, 34. [d] Matth. xiv, 29; Johan. xxi, 7.

IN PAULINI NOLANI EPISTOLAS
VARIANTES LECTIONES
EX MANUSCRIPTIS ET EDITIS CODICIBUS.

IN EPISTOLAM PRIMAM.

1 Ita ms. Vien. Abest hæc particula ab aliis codicibus : eam requirunt sequentia.

2 Sic ms. Vatic. codex. Certe in sequentibus est ea particula, *in Domino*, *in Christo;* ideo hic eam reposuimus.

3 Ms. codex Vien., *omnium, et maxime*.

4 Ms. Regius codex, *sui*. Edd. Bad. et Grav., *suis*.

5 Ms. Reg., *Væ his*.

6 Ms. codex Regius cum editis Bad., Grint. et Schot., *subverteris*.

7 Ms. Vatic., *convertatur et incidant*.

8 Ms. Vien., *moto gradu*.

9 Ms. Vien., *eorum*.

10 Particulam *et*, quæ deerat in editis quatuor, addidimus ex mss. Reg. et Vien. et ed. Grin.

11 Abest vox *nostri* a ms. codice Regio.

12 Ita ms. Vien. Edd. tres, *sint sua*. Ms. Reg., *sint una*. Ceteri codd., *sint in sua*.

13 Ms. Codex Regius cum editis quatuor : *sobrius*

esto in omnibus, labora certamen bonum certare.

14 Abest verbum *devita* a ms. codice Regio et editis quatuor, LATINIUS. Forte addendum *fuge*, SACCHINUS S. J. Non inusitata est in longis hujusmodi periodis magnis etiam viris inconsequentia aliqua, et fortasse Paulinus prudens vel imprudens admisit. Quia tamen vero similius videbatur verbum librariis excidisse, hoc nobis commodissimum visum est ex secunda ad Timotheum unde totus hic locus desumtus est. Simile abruptum infra epist. 10, *Scito nunc istam;* etc.; *Hanc ergo*, etc.

15 Ms. Vien., *et in laqueum.*

16 Ms. Vien., *quæstiones, et aniles fabulas, aut impias.*

17 Ms. Reg., *sed omnes.*

18 Edd. quatuor., *ob.*

19 Ms. Vien., *ut Abraham fidelis imitatus excessum.*

20 Ms. Reg. et ed. Schot., *lactantium.* ¶ *Lactans*, Papiæ, *quæ lac præbet; lactens, cui lac præbetur.* Sed sæpe veteres scriptores utrumque confundunt, ut pluribus in locis operum S. Paulini, quod etiam ad hymnum Prudentii de passione B. Romani vers. 667 adnotat N. Heinsius, ubi legitur in plerisque veterrimis codicibus *lactantis*, pro *lactentis.*

21 Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *Barchinonensi.*

22 Ms. Reg., *aggere;* ms. Vien., *aggeri.*

23 Ms. Reg. cum editis tribus, *agam.*

IN EPIST. II.

1 Ms. Reg., *accipimus.*

2 Ms. Vien., *salutari.*

3 Ms. codex Vatic., *altari.*

4 Ms. Reg., *lactantes.*

5 Deest particula *et* in ms. Vien.

6 Ms. Vien., *sumus.*

7 Edd. tres, *unus spiritus.*

8 Dicitur etiam a S. Augustino serm. de Innocentibus, *Et ad unum qui unus est.* Simile quid epist. 1 (nunc 37) ad Victricium, *Ea veritate qua veritas est.* SACCHIN.

9 Ms. Vien., *socialia invicem membra.*

10 Ms. Vien., *fundamentis.*

11 Edd. tres, *verbi.*

12 Ed. Rosw., *quia aut vestrum.*

IN EPIST. III.

1 Ms. codex unus Bigotianus, *muneribus ita sumus provocati.*

2 Ms. duo Big., *Itaque sic fiducia.*

3 Ita ms. duo Vaticani cum edit. Bened. operum S. Augustini; alii duo mss. Vat. et duo Big., *Barcilonem.* Ante erat *Barcilonam.*

4 Ed. Bened., *vindicare;* sicut et supra n. 1 in fine, *vindicemus.*

5 Mss. duo Vatic., *collucens.*

6 Mss. Big. duo, *Tagaste.*

IN EPIST. IV.

1 Ms. 1 Big., *Ecclesiarum.*

2 Ms. 1 Big. et edd. 2, *constitutus es.*

3 Mss. codices Bigotiani tres et Vaticani duo, *toto:* male. Vide carm. 21, vers. 203, et epist. 16, n. 1.

4 Una Rosw. editio, *in portum.*

5 Expunximus vocem *ego*, quæ aberat a mss. codicibus et quatuor editis.

6 Ita mss. codices cum ed. Bened. Ante erat *et tali.*

7 Sic omnes codd. Ed. Rosw., *vere*, mendose.

IN EPIST. V.

1 Ita editi. Mss. codices, *spiritalia.*

2 Deest *suam* in ms. Reg. et edd. tribus.

3 Ms. Reg., *consiliis.*

4 Sic mss. Reg. et Vien. cum editis tribus. Alii, *magis nostri.*

5 Ita repositum ex mss. codicibus Vien. et Reg. Editi, *in tenebris.*

6 In ms. Reg. et edd. Bad. et Schot. deest *se.*

7 Ms. Vien., *fuerimus, pro quibus.*

8 Ed. Schot., *nequidem.*

9 Edit. Schot. *exhaustis corporis viribus.*

10 Ms. codex Regius cum editis Bad., Grav. et Schot., *Quid tamen.*

11 Abest *meam* a ms. codice Viennensi.

12 Ms. Vatic. et ed. Grin., *in vicem suam.*

13 Ms. codex Vien., *in gremio sancto communis patroni.*

14 Ms. Vatic., *impetrare conor.*

15 Ed. Schot., *existimare.* Ms. Reg. cum edd. Bad. et Grin., *æstimari.*

16 Vide epist. 49, n. 2, *sentinam depleri necesse erat.*

17 Ms. Reg. et ed. Bad., *nexus.*

18 Ed. Schot., *suscipit.*

19 Ms. Reg., *nec impedire.*

20 Ms. Reg., *licet.*

21 Id est *pede.*

22 Edd. Grav. et Rosw., addunt *de te.*

23 Ms. Vien. *circuibit.* Ed. Grin., *circumdabit.*

24 Sic Prudentius Apotheos., vers. 118. Deest *loci* in ms. Reg.

25 Ms. Reg. cum edd. Bad. et Schot., *in exultatione.*

26 Ms. Vien., *Domini nostri Jesu.*

27 Latinius legendum putat *locorum.*

28 Ms. Vien., *de cella nostra.*

29 Ed. Schot., *testem.*

30 Ms. Vien., *accipias.*

31 Mss. codices Reg. et Vien. cum edd. Bad., Grav. et Schot., *impendi ordinare digneris.*

IN EPIST. VI ET VII.

1 Mss. duo Big., *amici*, non male.

2 Mss. duo Big., *quod.*

IN EPIST. VIII.

1 Expunximus vocem *semper*, quam addebat editio Rosw. contra fidem aliorum codicum.

2 Ita mss. duo Big. Alias, *supra.*

3 Ostendit summam miseriam ambitiosorum qui emunt ancillas, id est, donis ambiunt gratiam feminarum vilium, quæ ipsis dominentur. SACCHIN. S. J.

4 Sacchin. fortasse *decori.*

5 Ita mss. Bigotiani codices duo, Vaticani 4, et ed. Bened. Ante erat *ac simulacra.*

6 Sic edd. Bened. et Grav. Alias, *affundam.*

IN EPIST. IX.

1 Ita ms. Vien. Alias, *sal terra vividum, referens.*

2 Mss. codices Reg. et Vien. cum editis tribus, *adnuere.*

3 Sacchin. consequentius videtur *abstinemus.*

4 Ed. Grin., *via peccati.*

IN EPIST. X.

1 Ms. Reg., *Quamquam.*

2 Ms. Reg., *de nostris.*

3 Ms. Reg. et edd. 4, *a tuo corde.*

4 Mss. Reg. et Vien. *adferens.*

IN EPIST. XI.

1 Ms. Reg. cum editis Bad., Grav., Grin. et Schot., *jocunditatis.* Et sic ubique iidem codices.

2 Mss. Reg. et Vien., *adfertur.* Et sic alibi.

3 Ita ms. Vien. Ceteri codices, *nec solum.*

4 Sic repositum ex ms. codice Viennensi. Alii, *sat habeas.* Et mox ex eodem ms. codice, *eligis;* alias, *eligas.*

5 Ita mss. Reg. et Vien. cum ed. Grin. Ceteri, *spiritualium.*

6 Ms. Vien. et ed. Schot., *adsumpsit.*

7 Ms. Reg., *singulatim.*

8 Ms. Reg. cum editis quatuor, *quia unus.*

9 Abest a ms. Vaticano hoc nomen, nec sane est necessarium. SACCHIN.

10 Ms. Vien., *viventem.*

11 Ms. codex Regius cum editis Bad. Grav. et Schot., *hircum cum peremtione.*

12 Ms. Vien., *ista tam brevi.*
13 Abest *te* a ms. Reg. et edd. Bad. et Grav.
14 Ms. Vien., *habeat si se.* Et mox idem ms., *si totum se Deo credat.* Alii, *si totum de se*, etc.
15 Ita mss. Reg. et Vien. Editi codices, *plena est perfectio.*
16 Ms. Vatic., *habemus.*
17 Ms. Vien., *nihil.*
18 Ed. Grin., *Deum.*

IN EPIST. XII.

1 Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *Sed et metuo.*
2 Ed. Scoth., *ope.*
3 Ita mss. codices Vat., Vien. et edd. Grin. et Rosw. Alii, *exhausit.* SACCHIN. : Forte sic scripsit autor *exclusit*, alludens ad Apostolum : *Ubi est gloriatio tua? exclusa est.*
4 Ms. Reg., *Dominum.*
5 Sic ms. codex Vien. Alii codd., *in qua.*
6 Ms. Vien., *ad Deum.*
7 Ms. Vien. et ed. Grin. in marg., *altipetax.*
8 Ms. Vien., *Deo.*
9 Ms. codex Vien., *prolongare.*
10 Ita mss. Reg. et Vien. et ed. Grin. Alii, *Exuperium.*
11 Sic repositum ex ms. codice Viennensi. Alias, *dignamini.*

IN EPIST. XIII.

1 Ms. codex Regius cum editis Bad. et Grav., *Olimpi.*
2 Ms. Reg., *ni caros.*
Sacchin. : An addendum *animo*, *quam sensu?* Cum enim comparetur sensus animi et corporis, non videtur hic *sensus* accipi pro *animo*, tamen nihil mutarim. Nam sensum pro mente aut virtute interiore sentiendi accipi, cum in sacris Litteris, ut, *aperuit illis sensum*, tum a sanctis Patribus, et maxime a Paulino certum est, ut epist. ad Ausonium, *Defore, Secreta ignitus penetrans cœlestia sensus.* Et cum sensus quid commune sit interiori et exteriori, melius absolute tribuitur ei qui præcipuus est. Quin adeo videtur hic Paulinus accipere pro quadam virtute sentiendi præsentia. Ait ergo, *Si verum est, nos interiori virtute potius quam oculis et auribus videre et audire*, etc.
4 Ita S. Paulinus n. 10. Vulgata cum S. Augustino in Speculo, *in mortuum.*
5 Sacchin. perfrigide : lege *justi.* Sensus est : Tanta res est cura sepulcri ob memoriam resurrectionis, ut Abraham qui omnia reliquerat, *solum tamen agrum sepulcro emerit.* Quo fuit exemplo justis comparandi sibi *æternam possessionem*, *nec terram avaritiæ, sed quietis.*
6 Ms. codex Regius cum editis Bad., Grav. et Grin., *conjunx.* Ita et alibi.
7 *Suscitat et desiderium* : sic cum ms. codice Regio edit. Chiffl. Alias, *suscitat ei desiderium.*
8 Vulgata Lat., *sapientiæ.*
9 Ms. Reg. et edd. Bad., Grav., Grin., *venerabilis, et non.*
10 Ms. reg., *notum ipsi.*
11 Sacchin. : An *qui sequimur.*
12 Latin. : forte *pauperum.*
13 Ms. Reg., *coartentur.*
14 Ms. Reg., *adtollebas.*
15 Particulam *et* addidimus ex ms. Vien. et edd. Grin. et Chiffl.
16 Ita omnes codices præter Rosv. in quo *trigesimos.*
17 Ita emendatum ex ms. codice Vien. et ed. Chiffl. Verissima lectio quam confirmant sequentia. In aliis codicibus, *exceperant.*
18 Sic ms. Vien. et ed. Chiffl. Ante erat *vel exterioribus.* Ms. Reg., *de exterioribus.*
19 Particula *et* addit ex mss. codicibus Reg., Vien., et ed. Chiffl.
20 Ms. Reg., *cum motus.*
21 Ita ms. Reg. cum edd. tribus. Ed. Rosv., *Salomonem.* Et sic ubique.
22 Ms. Reg., *muneraberis.*
23 Ms. Reg., *gloriatur.*
24 Sic mss. Reg. Vien. et edd. Bad., Grav. Grin. et Chiffl. Alii duo, *et qui accepisti.*
25 Ms. Reg. cum edd. Bad. Grav. et Grin., *qui specialiter.*
26 Ms. Vatic., *vitalium.*
27 Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *centuplo*, ut infra *duplo*, vel *triplo.*
28 Edd. Bad. et Grav. *civitate pietatem.* Latinius legendum docet *pietate civitatem.* Vulgata lectio, quam retinemus, optima et mss. ac tribus editis codicibus consentanea et Floro Lugdunensi in Catena in epist. Pauli lib. II. Vide præterea n. 43.
29 Addendum videtur *carnis* ex more autoris, quamvis etiam in Vaticano absit. Eodem modo periodo præcedenti deesse videtur aliquid tale, *sauciatus corpore*, ut opponatur, *sed invulnerabilis corde.* SACCHIN.
30 Ita ms. Reg., Florus in Catena, et ed. Chiffl. Alias, *verum nec.*
31 Ed. Schot. et Chiffl., *qui eumdem.*
32 Latinius, *fissis.*
33 Ms. Reg., *reddat.*
34 Ita mss. Reg., Vien. et Chiffl. Ceteri codices, *cujusque.*
35 Sic ms. Vien. et ed. Chiffl. Alii codd., *promisit.*
36 *A mortuis, ostendit.* Expunximus particulam *et*, quæ aberat a ms. Vien. et edd. Schot. et Chiffl.
37 Ms. Reg. et ed. Bad. et Grav., *conjunx.*

IN EPIST. XIV.

1 Ed. Grin., *vitæ.*
2 Sic. mss. Vien. et Reg. Editi codices, *alterum.*
3 Ed. Schot., *recipiantur.*

IN EPIST. XV.

1 Ms. Vien., *quia liberasti*; ms. Vatic., *qua liberas.*
2 Ita ms. Vien. Alii codices, *supra lectum.*
3 Ms. Reg. cum ed. Schot., *Basili.*
4 Ib. D *qua petitionem nostram in vestro.* ms. Reg. *qua qua*, etc. ms. Viennensis codex, *cum qua petitionem nostram vestro.*
5 Sic repositum ex ms. codice Viennensi. Ceteri, *recipimus.*
6 Ms. Vien. *abhorruit.*
7 Ms. Vien. *Domino.*
8 Ms. Reg. *testum.*
9 Expunximus particulam *a* quæ deerat in mss. Reg. et Vien.
10 Addidimus ex ms. Vien. particulam *in*, et bene, quia sequitur, *in ebrietate.*

IN EPIST. XVI.

1 Ms. Viennensis codex, *ad quam.*
2 Ita ms. Vien. Alii, *capessunt.*
3 Ed. Schot. cum Latinio, *naufragiorum.*
4 Ms. Reg., *Illis quod mare.*
5 Sic ms. Vien. Alias, *neglectum Deo.*
6 Ms. Reg., *quia mundus.* Ed. Grin. et Bignæus, *quæ mundus*
7 Ed. Schot., *idem opifex.*
8 Ms. Regius codex, *molem infusam atque permixtam.*
9 Ed. Schot., *et condidit.*
10 Ex Virgilio. ms. Vatic. et ed. Grin., *sopitam*, mendose.
11 Ms. Reg. cum edd. 4. *nomina quæque sint.*
12 Ita mss. Vatic. et Vien. Alias, *curis prudentiæ*, etc.
13 Sic ms. Vien. Abest quoque particula *et* in ms. Regio codice, sed habet, *operatur.* Alii codices, *operetur et patientia.*
14 Ms. Reg., *sentisse.*
15 Latinius, forte demendum *in.*
16 Sic ms. Vien. Alii codices, *ut et philosophus sis.*

[17] Ms. Reg. et ed. Grin., *Sirenes*.
[18] Ms. Vien., *dæmonas*.
[19] Ms. Vien., *si corporeæ*.
[20] Ms. Vien., *aut per*.
[21] Ed. Schot., *Patet etiam ex copia*. Latinius, forte *Patior et copiam*. Sacchin., lege *Facio et copiam*. Nec displiceat *Patior est copia*, mendose. *Patior ex copia*, vera lectio quam tuentur mss. codices et tres editi. Vide not. 51, 61.
[22] Addidimus *est* ex ms. codice Viennensi.
[23] Ms. codex Vien., *Omitte*.
[24] Ms. Reg., *adsumtos*. Edd. Bad. et Grav., *assumptos*.
[25] Ms. Vien., *phantasmatibus*.
[26] Ms. Reg., *decepit*.

IN EPIST. XVII.

[1] Ita ms. codex Regius. Editi, *Severo fratri unanimo, Paulinus*.
[2] Edd. tres, *domini*. Vide not. 52.
[3] Ms. Reg. cum editis quatuor, *totiens... quotiens*. Et sic ubique.
[4] Ms. Reg., *opinor*.
[5] Ms. Reg., *reum verum, qui*.

IN EPIST. XVIII.

[1] Ms. codex Vien., *quia illum*.
[2] Ms. Vien., *tamen ut in tuo*.
[3] Ed. Grin., *in Domino*.
[4] Ms. Reg., *verberamur*.
[5] Abest particula *in* a ms. codice Regio et editis tribus.
[6] Ita cum Sacchino reposuimus, postulante sensu. Alias *et*.
[7] Sacchin., *ut perducat*.
[8] Ms. codex Vien., *pinguesceret fides*.
[9] Ed. Grin., *cordis aspera*.
[10] Ms. Reg. et ed. Schot., *ut ubique*.
[11] Particula *in* abest a ms. Vien.
[12] Ita mss. codices Reg. et Vien. et sic hodie scribunt doctissimi viri. Ed. Rosv., *Rhotomagum*. Alii, *Rothomagum*. ¶ *Rotomagus* urbs ad Sequanam primatialis et metropolitana, cui subsunt sex episcopatus, totius Neustriæ seu Normanniæ caput : vocatur etiam in veteribus actis conciliorum et chartarum *Rotomus* et *Rodomus*.
[13] Ms. Vien., *audivimus*.
[14] Ms. codex Vien., *Nec*.
[15] Ms. Vien., *Hierusalem*.
[16] Ms. codex Vaticanus, *morari*.
[17] Ms. Reg. et tres edd., *requiescente*.
[18] Ms. Vien., et edd. Grin. et Schot., *voluptate*.
[19] Sacchin. Addita particula *et*, totam periodum expedit.
[20] Ms. Reg., *visitantium*.
[21] Ms. codex Vien., *illuminatio*.
[22] Mss. codices cathedr. eccl. Rotomagensis et eccl. collegiatæ S. Mariæ de Rotunda Rotomag. cum Breviario Rotomag. an. 1491, *Christus adduxit*.
[23] Tres iidem codices, *initiis*.
[24] Ms. M Rotund. et Breviar. Rotom. 1491, *in initio*.
[25] Ms. Reg., *antestitem*.
[26] Mss. C Rot., M Rotund. et B Rot., *vires*.
[27] Ms. Reg., *roboraris*. Edd. tres, *roborari*.
[28] Mss. codices C Rot., M Rotund. et B Rot. 1491, *immanissimis*.
[29] Ita mss. codices quinque. Ed. Schot., *accenso*. Tres edd., *incenso*.
[30] Vox illa abest a ms. codice Vaticano.
[31] Ms. M Rotund. et B Rot., *violavit*.
[32] Mss. tres cum B Rot., *artius*.
[33] Abest vox *Christum* a mss. C Rot., M Rot. et B Rot.
[34] Ed. Schot., *testimoniis*, favente ms. Regio codice.
[35] Mss. C Rot., M Rotund. et B Rot., *repleverat*.
[36] Deest *propheta* in ms. codice Regio et tribus editis. Sed et quatuor edd., *affectus est*.
[37] Ed. Schot., *a perfectione*.
[38] Ms. Reg., *Christum Dominum*.
[39] Ms. Reg., *antestitum*.
[40] Ms. Reg., *centenum*.

IN EPIST. XIX.

[1] Edit. Schot., *Uranii*.
[2] Abest *ita* a ms. codice Vaticano.
[3] Ms. Vien., *quia et hanc*.
[4] Ed. Grin., *etiamnum*.
[5] Deest *dudum* in ms. Vien.
[6] Ms. Reg. et ed. Grin., *respiciat e cœlo*.
[7] Ms. Vien., *qui ait*.
[8] Ms. Reg. cum editis quatuor, *tinguentibus*.
[9] Ms. Vien., *pueri mei quos*.

IN EPIST. XX.

[1] Ms. codex Vaticanus, *Loquamur*.
[2] Ms. Vien., *cum*.
[3] Reg. cum edd. Grav. et Schot., *consertim manemus*.
[4] Ed. Grin., *affectione liberam properavit*.
[5] Ms. Reg. cum editis tribus, *fide*. Ms. Vien., *fides*.
[6] Ms. Reg., *quod est*.
[7] Ms. Vien., *apud te est fons vitæ*.

IN EPIST. XXI.

[1] Ita mss. codices Reg. et Vien. cum editis quatuor. Ed. Rosv., *et levem et cursu ita ut cervis*.
[2] Ms. Vien. et ed. Grin., *Asahel*.
[3] Ms. Vien., *illum fratrum*.
[4] Sacchin., *pusilli nostri*.
[5] Edd. tres, *quam*.
[6] Ms. Reg. cum edd. Grav. et Schot., *quæ*.
[7] Ms. codex. Reg. cum editis tribus, *prioris*, etc.
[8] Bignæus, *faciem*. Ms. Vat. et Rosv. ed., *aciem*.
[9] Sic omnes mss. codices cum ed. Rosv. Editi quatuor, *accubator*.
[10] Ms. Reg. cum ed. Grin., *sensum... altiorem*.
[11] Ms. Reg., *Asael*.
[12] Ms. Vien., *benedixit nobis*.
[13] Ms. Regius codex cum editis quatuor, *tingueret*.

IN EPIST. XXII.

[1] Addidimus *ne* ex ms. Regio codice et editis tribus.
[2] Ms. Reg., *inspiratum*.
[3] Ms. Reg., *pallidi*. Ed. Grin., *compalliduli*.
[4] Ms. Vien., *illis faciat*.
[5] Ex omnibus mss. et editis codicibus addidimus verbum *est*, quod deerat in editione Rosv.
[6] Melius quam *noster* in ms. Reg.
[7] Ita ms. Vien. Alias, *Vergilio*.

IN EPIST. XXIII.

[1] Abest verbum *es* a ms. codice Viennensi.
[2] Ed. Rosv., *nobis ager est*.
[3] Sic emendatum in textu ex mss. codicibus Reg. et Vien. Ante erat in editis, *petrosus*.
[4] Abest *Sic* a ms. Viennensi codice.
[5] Ed. Grin., *et omnigenum*.
[6] Deest vox *ipso* in ms. Vatic.
[7] Ms. Vatic., *aut infirmus*.
[8] Mss. Reg. et Vien., *vindicavi*.
[9] Ms. Reg. et edd. Bad. et Grin., *quod*.
[10] Mss. codices, *adquisisset*.
[11] Particula *de* abest a ms. Vaticano codice.
[12] Ms. codex Regius cum tribus editis, *inritus*. Ed. Grav. in marg., *Inritus* pro *irritus* veteres dixere.
[13] Ed. Schot. in marg., *censibus*.
[14] Ms. Vien., *cellæ*.
[15] Ms. Vien., *nostræ*.
[16] Ed. Schot. in marg., *germina*.
[17] Sic mss. Reg. et Vien. cum edd. Bad. et Grin. Alias, *intra*.
[18] Ms. Reg. codex cum editis quatuor, *aut vividi*.
[19] Ms. Vatic., *Revertamur*.
[20] Ed. Grin., *cujus*.
[21] Ms. Vat., *monachorum*.
[22] Sacchin., fortasse *necessario*.
[23] Sacchin. in Vaticano ms. continuatur epistola

superiori, et apparet unam eamdemque esse epistolam, quanquam separato fortasse volumine scripta fuit.

24 Ms. Reg. et Vien., *adquiescunt;* et sic ubique.

25 Hæc vox abest a ms. codice Vaticano.

26 Ms. codex Vien., *pœna.*

27 Ms. codex Regius cum editis quatuor, *utramque substantiam.*

28 Ms. Reg., *qua homo.*

29 Inserta particula *et* ex ms. Reg.

30 Ms. codex Vien., *Hujusmodi enim homo.*

31 Ita repositum ex mss. Reg. et Vien. et ed. Schot. Ante erat *vindicabat.*

32 Ms. Reg. et ed. Grav., *ac sic,* non male.

33 Ms. Vatic., *ediderunt.*

34 Sacchin. forte aliquis intelligat, *in mortem,* usque ad mortem.

35 Ms. Vien., *nostra.*

36 Ms. Reg. cum editis quatuor, *non fi tam.*

37 Ms. codex Regius, *Quæ autem.* Editi, *Quæ quidem.* Ms. Vien., *Hæ autem:* hunc sequimur.

38 Editi codices quatuor, *Dejecimus.*

39 Desideratur in ms. Reg. particula *in.*

40 Sacchin. : Videri potest deesse *et gravitatis,* ut expleatur propositio eorum quæ sequuntur.

41 Ms. Reg., *Samuel.*

42 Deest *autem* in ms. Reg. et in edit. Schot.

43 Ms. Reg., *Abessalon.*

44 Ms. Vien. codex, *Qua omnium crinium comarumque discordia docemur ut in,* etc.

45 Abest *tamen* a ms. codice Viennensi.

46 In ms. Regio codice semper *Sampso,* indeclinabile nomen.

47 Sic ms. Reg., ed. Rosv. et Latinius. Vide not. 82. Alias *judicata,* mendose.

48 Ita mss. Reg. Vien. et edd. Bad. et Grin. Alii, *signarit.*

49 Ms. Reg. et ed. Bad., Grav., Grin. et Schot., *zaboli.* Semper in his *zabolus* et *zabolicus.*

50 Ms. Reg., *adfixa.*

51 Ms. codex Vatic., *et ecce nova sunt omnia.*

52 Ms. Reg. et ed. Grav. et Schot., *inluxit.* Et sic ubique.

53 Ita ms. Reg. cum edd. quatuor. Ed. Rosv., *Dirumpamus.*

54 Sic omnes codices præter Vat. et Rosv., in quibus, *participem etiam.*

55 Ms. Reg. cum. edd. 4, *lapides.*

56 Ms. Vatic. codex, *ne ex alto.*

57 Sic repositum ex ms. codice Vien. Ante erat *valeat.*

58 Ms. Reg., *Evilat.*

59 Mss. codices Reg. et Vien. cum editis Bad. et Grav., *multra.*

60 Ms. Reg., *adulescimus.* Edd. tres, *adulescemus.*

61 Abest *nunc* a ms. Vatic. et ed. Grin.

62 Ms. Reg. cum edd. Bad. et Grav., *inriserit.*

63 Ms. Reg., *ducitur.*

64 Ms. Reg., *contra.*

65 Ms. Reg. cum edd. tribus, *antemnam.* Et sic ubique.

66 Ms. codex Reg. et editi tres, *inlecebras.*

67 Ita ms. cod. Regius cum editis quatuor. Et sic fere ubique iidem codices.

68 Ms. Reg., *adferebat.* Vien. *afferebant.*

69 Mss. Reg. et Vien., *adtribuitione.* Vatic., *retributione.*

70 Ita ed. Grin. et S. Ambrosius in Lucam lib. VI, VII, unde pleraque hæc desumsit Paulinus. Edd. 3, *dispositio seculi,* mendose. Male reposuit Ducæus ex ms. codice Puteano, nunc Regio, *dispositi a seculo;* legitur enim *a seculi,* ex qua voce finalis littera *s* facile exciderit librarii incuria ob sequentis litteræ concursum. Itaque cum apud Paulum Ephes. III, 9, apud Ambrosium loco citato, et in edit. Grin. habeatur *a seculis,* faventibus quatuor codd. sic restituimus. Vide not. 89.

71 Ms. codex Reg., *temporum ævi.* Ms. Vien., *tempore ævi.*

72 Ms. Reg. cum edd. 3, *inrigaverat.*

73 Ed. Schot., *germinum.*

74 Deest *ejus* in ms. Reg.

75 Ms. Reg. et edd. Bad., Grav. et Schot., *inluminavit;* et infra *inluminatio, inluminator.*

76 Ms. Vat., *qui,* Ms. Vien., *quod.*

77 Ms. Reg., *qui ipsum.*

78 Sic omnes codices, præter Rosv., in quo *Deo.*

79 Ms. Reg., *Mittimus.*

80 Ita ms. Vien. codex et Ambrosius lib. VI in Lucam, c. 7. Alias, *honorem.*

81 Sic. ms. Reg. et edd. Bad. et Grav. Alii, *Dirupisti.*

82 Mss. duo et edd. tres, *inroret.*

83 Ms. Vien., *transitus.*

84 Ms. Reg. et ed. Schot., *vindicat.*

85 Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *incesti.* At vide infra *oscula casta.*

86 Ms. Vien., *osculum.*

87 Ms. Reg., *delectatio.*

88 Ms. Vien., *perunguentes.*

89 Ms. Reg., *scisset.*

90 Mss. Reg. et Vien., *adsumere.* Ed. Schot., *ut in... assumeret...*

91 Ms. Reg. et ed. Schot., *et addidit.*

92 Mss. duo, *adquisitam.*

93 Particula *in* abest a ms. codice Vien.

94 Sic restitutum ex mss. codicibus Vat. et Vien. Alias, *idem.*

95 Ms. Vien., *Dominum.*

96 Mss. duo et edd. tres, *inligari.*

97 Abest a ms. codice Vien.

98 Ms. Vien., *et idem.*

99 Hoc verbum ex ms. codice Vien. insertum.

100 Ms. Vat., *consequente eos.* Ms. Reg. et editi codices 4, *sequenti eos.*

101 Ms. Reg., *lenius.*

102 Mss. Reg., Vien. et edd. Bad., Grav. et Schot., *adsensor.*

103 Ed. Schot., *quia peccare numquam desinit.*

104 Ms. Vien., *et est.*

105 Additum *quid* ex ms. codice Viennensi.

106 Ms. Vien., *opes.*

107 Ed. Grin., *animi.*

IN EPIST. XXIV.

1 Ms. Reg. et edd. Bad. et Grin., *fecimus.*

2 Ed. Grin., *præ nimio.*

3 Ms. Vat., *possumus.*

4 Ms. Vien., *convenit.*

5 Ed. Schot., *audes.*

6 Sic repositum ex ms. codice Vien. Vide seqq. Alii, *quoniam omnem.*

7 Addita particula *et* ex ms. Vien. codice.

8 Ita mss. codices Reg. et Vien. cum editis quatuor. Alias, *operatur Deus.*

9 Ms. Reg., *Dominus.*

10 Ms. Vien., *perfecte vixerunt.*

11 Sic ms. Vien. codex, ms. Reg. cum editis quatuor, *sed eorum.* Deest *sed* in editione Rosv.

12 Ms. Reg. et edd. quatuor, *Dominicum verbum.*

13 Ms. Vien., *reservandis.*

14 Ms. Reg. cum editis quatuor, *sed de peregrinis.*

15 Ms. Reg., *qua.*

16 Ms. Vien., *terminasset, nec te falsi arguerem.*

17 Ms. Vien., *non tuleramus.*

18 Ms. Reg., *animæ nostræ visceribus;* nec male : in epistola enim 23 ad Severum, n. 38, *tunc anima nostra totis... visceribus accensa.*

19 Ms. Vien., *accersit.*

20 Ms. Vat. et ed. Schot., *quo.*

21 Ita mss. codices. At editi, *nostra Deus.*

22 Ms. Vien., *ut vis, meta...*

23 Ms. Vien., *tunc vincit.*

24 Ms. codex Vaticanus, *transnatarit.*

25 Ms. Reg., *sacramentum.*

26 Deest *nostri* in ms. Vien.

27 Ms. Vien., *in illo.*

[28] Ms. Vien, *deinde*.
[29] Ms. Reg. et editi codices quatuor, *quam Apostolus docet, quam etiam*, etc.
[30] Ms. Reg. et editi codices Bad. et Grav., *quod nobis impendiore*. Ed. Grin., *quod nobis impensiore*. Ed. Schot., *quæ nobis impensiore*.
[31] Ms. Vatic., *quod peccato*, id est corpus, inquit Sacchinus. Et mox idem ms. codex, *quod peccatum non fecit*.
[32] Ms. Vien., *in lege peccati*.
[33] Ms. Vat., *item dicit*.
[34] Ms. Vien., *incendat*.
[35] Ms. Vien., *dignamque... frugem*.
[36] Ms. Vat., *quia gratia*.
[37] Ms. Reg., *ego sum Deus*.
[38] Ita ms. Vien. Alii codices, *ut vicissim*.
[39] Additum *aut* ex ms. codice Vien.
[40] Ms. Vat., *servientes*.
[41] Ita ms. Vien. Alias, *propriæ armis opis*.
[42] Ms. Reg. et 3 edd., *calciabit*.
[43] Vox *quæ* abest a ms. codice Vaticano.
[44] Addita particula *ut* ex ms. codice Vien.
[45] Ms. codex Regius cum editis quatuor, *currendo*.
[46] Ms. Reg., *amicitior... inimicitior*.
[47] Ms. Vien., *detrahat in lege peccati*.
[48] Mss. codices Reg., Vatic. et editi Grin. et Schot., *zabolus*. Sacchinus : Desunt quædam in hanc, opinor, sententiam : *In promptu est ergo dignoscere unde victoria sit, ubi Christus cum spiritu, zabulus cum carne contendunt*.
[49] Ita ms. Reg. et edd. Bad. et Grin. Alii codd., *ut contra*. Vide præcedentia.
[50] Ms. Vien. et ed. Schot., *reviviscere*.
[51] Ms. Vat., *Excitabar*.
[52] Ms. Vien., *Quoniam tu*.
[53] Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *et terribilia*.
[54] Sic omnes codices præter Rosv., in quo *enarrant*. Vide seqq.
[55] Ms. Vien., *signis*.
[56] Ms. Vien., *quia*.
[57] Ms. Vien., *videmur*.
[58] Abest *etiam* a ms. codice Regio et editis quatuor.
[59] Ms. Reg., *at iste*.
[60] Ita ms. Reg. et edd. 4. Alias, *sed etiam*.
[61] Addita particula *et* ex ms. Vien.
[62] Ms. Vien., *Christum virum*.
[63] Sic ms. codex Vien. Alii, *actio sit sed in*.
[64] Addidimus particulam *et* ex mss. Reg. et Vien.
[65] Totus locus in ms. codice Vaticano sic habet : *quod fides nostra, si confirmati sumus spiritu principali, totidem nostri corporis elementa verbo Dei subiget : et sicut ille non multitudine, nec virtute*, etc.
[66] Ms. codex Regius, *propinquo in regibus victor*. Ms. Vien., *pro quinque regibus victor*. Ed. quatuor, *pro propinquo in regibus victor*. Vide not. 117.

IN EPIST. XXV.

[1] Ita ms. codex Vict. et edit. Mogunt. an. 1470. Alii, *etenim te*.
[2] Abest *enim* a ms. Vict. et edit. Mogunt. Ms. Vatic., *Aut cui... impendamus*.
[3] Sic ms. Vict. et editi tres. Alias, *illi*.
[4] *Eam* addidimus ex ms. codice Vict.
[5] Ms. Vatic., *in finem servare debemus*.
[6] Ms. Vatic., *mundi*.
[7] Ed. Mog., *protestatur*.
[8] Ita ms. Vict. et ed. Mog. Alias, *atque*.
[9] Edd. Rom. Erasm. et Ponc., *posse discerni*.
[10] Ed. Rosv., *ætatis tuæ fiducia*. Expunximus vocem *tuæ*, quæ aberat a mss. tribus et ed. Mog.
[11] Sic edd. Rom. Er. et Ponc. Alii, *ne differas*.
[12] Ms. Vict. et ed. Mog., *capias*.
[13] Ms. Vatic., *quod vim patitur*.
[14] Ms. Vict. et ed. Mog., *asserit*.
[15] Iidem codices, *dicit*.
[16] Hæc vox abest a ms. Vict. et ed. Mog.
[17] In ms. Vatic., *vel qui bonis orbantur, vel qui tales habent, ut non habentes invidere cogantur*.
[18] Ms. Vict. et ed. Mogunt., *de comitiva incipis militare*.

IN EPIST. XXVI.

[1] Edd. Rom., Erasm. et Ponc., *avolans*.
[2] Edd. 2, *spiritalia ;* et infra, *spiritalibus*.
[3] Ms. codex Victorinus et editi Rom. et Ponc., *Sareptenæ*.
[4] Sic ms. Vict. et edd. Rom., Er., Ponc. et sic ubique Paulinus. Alii codices, *dilecti in Domino*.

IN EPIST. XXVII.

[1] Ms. Reg. et ed. 4, *quia*.
[2] Ms. codex Regius cum editis quatuor, *inopinatos*.
[3] Ms. Reg. et edd. tres, *adlapsos*.
[4] Ms. Reg., *adquisitionis*.
[5] Ms. Reg., *novella*.

IN EPIST. XXVIII.

[1] Ms. Vien. codex, *nutriet epulis*.
[2] Ms. Reg. cum edd. quatuor, *præparabit*.
[3] Ms. Reg., *cujus famis*.
[4] Ms. Reg., *adtractu*, male; in epist. enim 29, n. 5, *blanditur attactibus*.
[5] Ms. Vien., *excusationem nostram debeo*.
[6] Ms. Vien. codex, *apposui diebus*. Et mox, *occupaveras diebus*.
[7] Ex ms. codice Viennensi et Latin. addidimus particulam *in*, quæ ab aliis codicibus aberat.
[8] Ms. Reg. cum edd. Bad. et Grav., *docimenta*.
[9] Ms. Vien., *tuo pectori*.
[10] Mss. codices Reg. et Vien., *dignior*.
[11] Ed. Schot., *Habe*.

IN EPIST. XXIX.

[1] Ed. Grin., *necessaria*.
[2] Ms. Reg., *arto ;* et infra, *arta*.
[3] Ms. Reg. cum editis tribus, *qua contra*.
[4] Ms. codex Regius cum editis quatuor ; *descissam*.
[5] Ms. Reg. cum editis tribus, *et habet*.
[6] Abest *bonum* a ms. codice Regio.
[7] Ed. Grin., *tantum*.
[8] Ms. Reg., *utilitate*, non male. Vide n. 3.
[9] Ms. Vien., *et hoc*.
[10] Ms. Reg. cum 3 edd., *et paulisper*.
[11] Ms. Reg. cum editis quatuor, *addidit*.
[12] Mss. codices Belg. et Reg., *sanctis*. Vide not. 100.
[13] Ed. Grin., *virtutis*.
[14] Ms. Reg. et edd. Bad., Grav., *invito*.
[15] Ita mss. Reg., Vien. et edd. Grin. et Schoth. Ante erat, *ad memoriam sibi potius*. Expunximus juxta codices quatuor vocem *sibi*, quia jam præcessit.
[16] Ed. Grin., *in itinere perverso rectum iter reperit*.
[17] Ms. codex Vaticanus, *jam inciperet*.
[18] Ms. Vien., *Domino*.
[19] Ms. codex Reg. cum editis Bad., Grav. et Schot., *concupiendo*.
[20] Ita mss. codices Reg. et Vien. cum editis quatuor. Alias erat in edit. Rosv., *et filium ut*.
[21] Ed. Grin., *jubemur*.
[22] Ms. Reg. cum 3 edd., *Sufficit*.
[23] Ms. Reg. cum edd. 4, *adversum*.
[24] Ms. Vien., *sed illi*.
[25] Ms. Reg. cum edd. 4, *operam*.
[26] Ed. Schot., *stantibus*. Compositum pro simplici passim apud Paulinum, ut simplex pro composito.
[27] Ms. Reg. et edd. tres, *habeat*.
[28] Ed. Schot., *transibo*.
[29] Ms. Vien., *quod*.
[30] Edd. Grav., Grin. et Schot., *Neapolin*.
[31] Ms. Reg. cum edd. Bad., Grav., Grin., *quidem in eo*.
[32] Ms. Reg. et edd. quatuor, *supra*.
[33] Ms. codex Regius cum editis Bad., Grav., Grin., *vertere*.

[24] Ms. codex Vien., *nesciret : et ut.*
[25] Sic omnes codices præter Rosv., in quo *diligite*, quod videtur typographi mendum.

IN EPIST. XXX.

[1] Ms. Reg., *artior.*
[2] Ms. Reg. et editi tres, *Ipso.*
[3] Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *adversum.*
[4] Ms. codex Regius cum editis quatuor, *suppetet.*
[5] Ms. Regius codex, *ignorantia excusatio.*
[6] Ms. Reg., *quia id.* Utraque lectio bona.
[7] Ita mss. codices. Editi, *quod bona.*
[8] Ed. Schot., *certe esse*, non male.
[9] Edd. Grav. et Grin., *illuminare.*
[10] Ms. Vat., *Atque.*
[11] Ms. Reg. et Bad., *transduxit.*
[12] Ms. Vatic., *refloreat.*
[13] Particula *in* addit ex ms. codice Viennensi. Vide n. 4.
[14] Ms. Vien., *Deo.*

IN EPIST. XXXI.

[1] Ms. codex Regius et tres editi, *reversatæ :* legendum forte *reservatæ*, quod videtur postulare sensus. Narrat enim (inquit Sacchinus) historiam quomodo post tempora passionis reservata sit crux, et demum inventa.
[2] Ms. Vien., *quia difficulter.*
[3] Ms. Reg., *omittenda.*
[4] Ms. Reg., *obdita.*
[5] Ms. codex Vien., *Facili*, non male.
[6] Ms. Vien., *potuisset.* Ms. Reg., *possit.*
[7] Sic mss. codices. Editi, *Deo.*
[8] Ita mss. codd. Edd. vero, *requisiisset.*
[9] Ms. Vien., *testificatio.* Ms. codex Regius cum editis quatuor, *testificatione.*
[10] Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *revelata est.*
[11] Ms. Reg. et ed. Grin., *repositam.*
[12] Ms. Vien., *Domini.*
[13] Particula *in*, quæ ab editis aberat, inserta ex mss. codicibus Reg. et Vien.
[14] Abest *qui* a ms. codice Regio et editis quatuor.

IN EPIST. XXXII.

[1] Ms. Vien. codex huic epistolæ hunc adscribit titulum : *Severo fratri unanimo Paulinus in Domino Deo Jesu Christo;* edit. Rosv., *Severo fratri unanimo Paulinus :* quem, cum a ms. codice Regio abesset, ideo expunximus quia hæc epistola cum 31 missa fuit in eodem fasciculo. Vide dissert. 1.
[2] Sic reposuimus ex mss. codicibus Reg. et Vien. et editis codicibus quatuor. Ed. Rosv., *tu es is.*
[3] Ed. Schot., *sic habe.*
[4] Ms. Vien. codex, *Sequentes basilicarum sunt.*
[5] Ms. Reg. cum editis codicibus quinque, *sanctum mole;* non male, ut puto, *sanctum* si referatur ad *opus.*
[6] Latinius, *niveo.*
[7] Ms. Vatic., *Tunc senior.*
[8] Ms. codex Regius et ed. Poelm., *pio... Christi.*
[9] Ms. Vatic., *Divinæ*, id est *animæ.* SACCHINUS. Magis tamen placent jam vulgatæ lectiones, quia significatur sacrosancta eucharistia; ut infra etiam in epigr., *Divinum veneranda*, etc.; et sequenti*: Pignora sanctorum*, et alibi.
[10] Ms. Reg., *eligas.*
[11] Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *æquiperas.* Et sic ubique.
[12] Sacchinus, an *participes?* ut conjungatur etiam cum *sumus.*
[13] Ms. Vien., *ascivit.*
[14] Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *qui.*
[15] Ms. codex Vatic., *sacrum.*
[16] Sacchinus, fortasse *nobis.*
[17] Ms. Reg., *socium.*
[18] Barthius, *Pulvere functorum*, legendum censet.
[19] Ms. Reg. et edd. Bad., Grav., Grin., *et cum.* Edd. Schot., *sed cum.*
[20] Ms. Vien., *quod.*
[21] Alias, *fabricaverunt.*
[22] Ita mss. codices Reg. et Vatic. cum edit. Rosv.; recte quidem ms. Vien. cum editis quatuor, *in tot epistolis.*
[23] Sic ed. Rosv. Tres mss. codices cum editis quatuor, *consignata.* (SACCHINUS : Et intelligi possit, *quasi signo eodem epistolæ conjuncta.* Malim tamen omnino *contignata*, quod Natal. 10 describit, cum ait :

Æmula conser tis jungunt fastigia tignis.

Et paulo post :

Per contextarum coeuntia tigna domorum.

[24] Ms. Vatic. et edit. Poelm., *ipsa petra.* SACCHINUS : Porro ex sententia videbantur intervallo aliquo disjungendi versus; nam et in apside aliis atque aliis locis verisimile est inscriptos fuisse.
[25] Ms. Reg. et edd. quatuor, *parietes.*
[26] Ms. Vien., *Hierusalem.*
[27] Ms. Reg. et editi quatuor, *alteræ.*
[28] Sola Rosv. editio, *ostiolum.*
[29] Ms. codex Vien., *ad interiorem sui frontem.*
[30] Cangius legendum censet *parat.*
[31] Ms. Reg., *alia post.*
[32] Ms. Vien., *munimenti.*
[33] Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *quod.*
[34] Latinius legendum putat *diatreta.*
[35] Ms. Reg. et edd. tres, *utrumque.*
[36] Ms. Vien. favente ms. codice Regio, *animas.*
[37] Sic cum Sacchino emendavimus. Ante erat *potius.*
[38] Ita mss. codices. Edit., *dissidium.*
[39] Ms. Reg., *in alio.*
[40] Ms. Vat., *vultus.*
[41] Ms. Reg., *circa absidam.* Utraque lectio bona.
[42] Ms. Reg., *absidæ.*
[43] Sic omnes tum mss. tum editi codices. Ed. Poelm. in marg., *meditandi in lege;* et ita in quibusdam bibliothecarum inscriptionibus legitur.
[44] Ms. Reg., *paramus.*
[45] Ms. Reg., *absida.*
[46] Ms. Reg., *si forte et jam.* Ms. Vien., *si forte eam.*
[47] Ms. Reg., *recte.*
[48] Abest titulus ille a ms. codice Regio et editis quatuor.
[49] Ms. Vatic., *Hæc simul.*
[50] Ms. Vien., *visibile.*
[51] Ita emendatum ex ms. codice Vien. et sic legendum censet Latinius. Ante erat *laborem.*
[52] Ed. Schot., *moliebar;* et infra, *molior.*
[53] Ita omnes codices. SACCHINUS : Sensus potest esse, ex eo quod fidem adepti sumus. An legendum, *ex affectu?* nam et venuste respondebunt invicem *affectu fidei... fidei profectum.*
[54] SACCHINUS : id est *merito*, usitata præsertim historicis locutione; quanquam mihi probabilius videatur *merito* scriptum a Paulino.
[55] Mss. codices Reg. et Vien., *si conductos nos*, mendose.
[56] Mss. Reg. et Vien., *patrifamilias*, male.
[57] SACCHINUS : *gratum*, quod commodum alicui est. Inde sæpe veteres ponebant *jucundum*, et *gratum*, ut illud ad delectationem, hoc ad usum referrent. Et S. Ambrosius in laudatione Satyri : *Publicum officium in secundis rebus jucundius est, in adversis gratius.* Hæc faciunt ut hoc loco lectionem veterem quæ et in ms. Vatic. est nequaquam putem mutandam in *gratuitum* aut *gratis*, quod prima specie sensus postulare videbatur.
[58] Ed. Schot., *fenerari.*
[59] Ms. Vien. et edd. quatuor, *adfers.*
[60] Ms. Reg., *magis vult.*
[61] Ms. Vien., *corripias*, male. Vide præcedentia.
[62] Ms. Reg., *attingis.*
[63] Ms. Vien., *Operando in præceptis.*
[64] Expunximus particulam *et* quæ aberat a mss. codicibus.
[65] SACCHINUS : Sensus videtur postulare, *et nunc egeno.*

[66] Mss. Reg. et edd. tres, *illic carnalia.*
[67] Ms. Vien., *rem futurorum.*
[68] Sic mss. codices Reg., Vien. et edd. quatuor. Bene. Vide infra.
[69] Ms. codex Vaticanus, *frustratæ.*
[70] Edd. 4, *Spiritus*, male.
[71] Ms. Reg., *ut umbret.*
[72] Addidimus *et* ex mss. Reg. et Vien.
[73] Deest *ab* in ms. Reg.
[74] Ms. codex Vien., *monetam imaginis suæ dignam.*
[75] Ms. codex Regius cum editis quatuor, *male cura, aut bene amore.* Ms. Vatic., *mali cura, aut boni amore.*
[76] SACCHINUS : Fortasse legendum *anima tunditur, mens conciditur*, nam de securi et malleo agitur. Verumtamen et amori compedes conveniunt : nec usitatum est allegoriæ verbum intermiscere, præsertim si quasi proprium sit.
[77] Ms. Vien., *sapientia et virtus Dei.*
[78] Ms. Reg., *sanitatis nostro genere.*
[79] Ed. Schot., *interiore homine, sanati.*
[80] Ms. Reg. cum edd. Bad. et Grav., *tulimus*, male. Vide præcedentia.
[81] Expunximus *Amen* in fine hujusce epistolæ : quæ vox a mss. codicibus abest, et in editis inserta videbatur ex Scriptura.

IN EPIST. XXXIII.

[1] Hic titulus abest a ms. codice Regio. et editis Bad. et Grav. Ed. Grin., *Alethio episcopo fratri Florentii, Paulinus.*
[2] Ms. Reg., *eloquium.*
[3] Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *qui nobis.*
[4] Ed. Grin., *aut tale*, favente ms. codice Regio.

IN EPIST. XXXIV.

[1] Edit. Grin., *Homelia*, etc. Ms. codex Vien. et Florus Lugd. in epistolas Pauli, lib. II Caten., cum Chiffl. edit., *Sermo sancti Paulini episcopi de Gazophylacio.* Editi tres codices, *Epistola*, etc. Ed. Rosv., *Epistola XXXIV, sive declamatio de Gazophylacio.*
[2] Ita mss. codices Reg. Vien. et ed. Chiffl. Alii, *vincula.*
[3] Sic iidem codices. Alii, *quod quam maxime.*
[4] Iidem codices, *Dominum fenerat.* Ceteri, *Deum fenerat.*
[5] Ms. codex Regius et edd. Bad. Grav., *trapezetæ.*
[6] Ed. Grin., *ferens.*
[7] Ed. quatuor addunt *Deo.*
[8] *In terra tuam*, id est *si cognoscas* pecuniam *in terra esse tuam temporaliter*, ad tempus tantum, *poteris in cœlo facere perpetuam.*
[9] Edd. Bad. et Grav., *Dominicorum talentorum.*
[10] Ita emendavimus ex ms. codice Vien. et edit. Chiffl. Ante erat *superantes.*
[11] Sic reposuimus ex iisdem codicibus duobus. Ante erat *quo digne.*
[12] Ed. Grin., *Propterea... obstringo.*
[13] Ms. Viennensis codex, *te expertus fidelem, de suis cœlestibus thesauris te divitem faciat.* Ms. Reg. et edit. Chiffl., *te expertum fidelem de suis cœlestibus thesauris divitem faciat*, mendose.
[14] Ms. Reg., *quid.* Ed. Bad. et Grav., *quod.*
[15] Ms. Vien. et edit. Chiffl., *videatur.*
[16] Ita mss. Reg. et Vien. cum edit. Chiffl. Ceteri, *in die mala ab ira.*
[17] Edd. Bad. et Grav., *sustinet omittere.*
[18] Sic ms. Vien. cum edd. Grin. et Chiffl. Alias, *osculantur.*
[19] Ms. Reg., *impressius.*

IN EPIST. XXXV.

[1] Ms. Reg. et edd. quatuor, *nunc et.*
[2] Edd. Grin. et Rosv. addunt *Vale :* quam vocem, cum a mss. codicibus nostris et editis tribus abesset, expunximus.

IN EPIST. XXXVI.

[1] Ms. Reg. et Bad., *adpetitur.* Edd. Grav. et Grin., *appetitur.*
[2] Ita mss. Reg. et Vien. cum ed. Schot. Et sic omnes codices ad epist. 22, n. 2. Ante erat *parcimonium.*
[3] In ms. Reg. et editis, *adsumtum.* In ms. Vatic., *absumptum.*
[4] Sic mss. Reg. Vien. et ed. Grin. Ante erat *et simus.*
[5] Ms. Reg. et editi quatuor, *ponit.*
[6] Ms. Reg. cum edd. Bad. et Grav., *vacuam*, male.
[7] Edd. Grin. et Schot., *consentit.*
[8] Ed. Schot., *sic adhæreat.*
[9] Latinius, forte *qui fecit.*

IN EPIST. XXXVII.

[1] Ms. Reg., *epistulam*; et infra, *epistulas.*
[2] Mss. Reg. et Vien., *adferens.*
[3] Ita emendatum ex mss. Reg. et Vien. Ante erat *supra mel.*
[4] Alias, *numquid.*
[5] Edit. Schot., *abfuissemus.*
[6] Ms. Reg., *Dominum.*
[7] Ms. codex Vaticanus, *ne convertamur.*
[8] Ms. Reg. et edd. tres, *infirmi*, male.
[9] Ms. Reg., *distinguis.*
[10] Sic mss. codices. Editi, *personarum trium.*
[11] Ms. Reg. et ed. Schot., *factus est.*
[12] Ita mss. Reg. et Vien. Edd., *alioqui.*
[13] Ms. Vien., *ore dicatur.*

IN EPIST. XXXVIII.

[1] Ms. Vien., *Deo dicis.*
[2] Ms. Vien., *reprobatam a Deo.*
[3] Ms. Vien., *merens.*
[4] Addidimus particulam *et* ex mss. Reg. et Vatic.
[5] Ita ms. Vien. cum edd. Grin. et Schot. Sic quoque omnes mss. et editi codices ad epist. 19 ad Delphinum, n. 3. Alias, *venerantissime.*
[6] Ms. Vien., *cœperunt.*
[7] Mss. Reg. et Vien., *tantum.*
[8] Ms. Vien., *ægritudines.*
[9] Addita particula *et* ex ms. Vien.
[10] Sic mss. Reg. et Vien. In editis aberant particulæ *et... est.*
[11] Ms. codex Vatic., *quod de divinæ.* SACCHIN. : malim *quo*, etc., *consilio.*
[12] Ms. Vien., *evomant.*
[13] Ed. Grin., *furi.*
[14] Ed. Grin., *expulsi.*
[15] Ms. codex Vien., *cilicio.*
[16] Ms. Reg. et edd. tres, *confundantur.*
[17] Ms. Vien. codex, *confessioni.*
[18] Ms. Reg. et edit. tres, *per quem.*
[19] Ms. Reg. et edd. quatuor, *velint.*
[20] Ed. Grin., *statuerant.*
[21] Ms. Vien., *veritate.*
[22] Abest *de* a ms. Vaticano codice, non male.
[23] An *induratis?* Ms. Vatic. et ed. Grin., *durantibus.*
[24] Tres edd., *iniquæ.*
[25] Recte. ms. Vien., *et sic illi miserrimi.* Ms. Vatic., ed. Grin. et Bign., *et similiter miserrimi.* Editi tres codd., *et si illi miserrimi.*
[26] Sic ms. codex Regius et tres editi. Vide epist. 9, n. 4. Ante erat *Nembroth.*
[27] Ita mss. Reg., Vien. et edd. 4. Deest *et* in edit. Rosv.
[28] Hæc desunt in ms. Viennensi codice.
[29] Optime. Ms. Reg. et Vien., *auctor et doctor.*
[30] Ms. Reg. et tres edd., *quotiens.*
[31] Ms. codex Vatic., *profectum... et intellectum.* Ms. Regius,... *intellectum.*
[32] Ms. Reg. *diabulo*, fere semper.

IN EPIST. XXXIX.

[1] Ita mss. codices Reg., Vien. et editi quatuor. Ed. Rosv., *trigesimum.*
[2] Ms. Vien., *exemplis et de ficu.*
[3] Ms. Vien. et ed. Schot., *zizania.* Bona utraque lectio.

[4] Ed. Schot., *ne ipse quidem.*
[5] Ed. Schot. addit *hortum.*
[6] Ed. Schot., *incurramus in contrarium.*

IN EPIST. XL.

[1] Ed. Chiffl., *in cælis.*
[2] Ita ms. Clun. et ed. Chiffl. Alias, *et nunc.*
[3] Sic iidem duo codices. In aliis deest *nos.*
[4] Mss. codices Nol. et Vatic., *fides non ficta.*
[5] Ita cum mss. ed. Chiffl. Alias, *ista epistola.*
[6] Expunximus vocem *te*, quæ aberat a mss. codicibus Cluniac., Vien. et ed. Chiffl.
[7] Sic ms. Cluniac. et ed. Chiffl. Ceteri codices, *nexi.*
[8] Expunximus verbum *est*, quod aberat a mss. codicibus Clun., Vien. et ed. Chiffl.
[9] Ita tres iidem codices. Alii, *dixit.*
[10] Sic ex ms. codice Clun. et edit. Chiffl. cum Sacchino emendatum. Alii codices, *ad exercitandam.*
[11] Abest *tantum* a ms. Clun. et ed. Chiffl.
[12] Ita mss. codices Clun., Vien. et Chiffl. Alias, *Domino.*
[13] Tres iidem codices, *hoc est ut tam*, male. Vide præcedentia.
[14] Sic omnes omnino codices. (Chiffl. Tamen legendum opinor *inanimati* vel *vanitati* : nihil tamen mutavi contra tot exemplarium fidem.) Sacchin., *aut iniquitati.*
[15] Ita mss. codices Clun., Vien. et Chiffl. ed. Ceteri, *Domino.*
[16] Tres iidem codices, *providendi.*
[17] Ms. Clun. et Chiffl., *nec amare.*
[18] Mss. Clun., Vien. et Chiffl. edit., *qui necdum pellicano.*
[19] Sic tres supradicti codices. Ceteri, *ut efficiamur nycticorax.*
[20] Tres iidem codices, *Feretis.*
[21] Codices tres iidem, *contemtum vestri.*
[22] Tres iidem codices, *corvus interpretatur.*
[23] Mss. Clun., Vien. et ed. Chiffl., *ipsi scilicet diabolo.*
[24] Codices iidem post *escam* addunt *quoque.*
[25] Tres iidem codd. addunt *homo*, sed frustra. Nam et Paulinus n. 7 hujusce epistolæ, *quotidianis interioris nostri periculis experimur.*
[26] Tres codices supradicti, *igne examinata* : quæ lectio etiam admitti posset. Vide epist. 42, n. 1.
[27] Ms. Clun. et ed. Chiffl., *provolemus.*
[28] Deest *superrolitantem* in ms. Clun. et ed. Chiffl.
[29] Mss. Clun., Vien. et ed. Chiffl., *ipse est et qui.*
[30] Ms. Vat., *sicut insidiantes.*
[31] Mss. Clun., Vien. et ed. Chiffl., *Deum vel qui.*
[32] Sic tres iidem codices. Ante erat *percurramus.*
[33] Sacchin., forte *inenarrabilibus.*
[34] Tres supradicti codices, *Et non in virtute.*
[35] Sic tres codices iidem. Alias, *Christum.*
[36] Tres iidem codices, *non nostra virtute, sed Christi.*
[37] Iidem codices tres, *videri.*
[38] Tres supradicti codices, *opportuno, quod est nunc.*
[39] Tres iidem codd. *confitebitur ei.*
[40] Iidem codices, *permanente.*

IN EPIST. XLI.

[1] Sic mss. codices Clun., Vien. et edit. Chiffl. Alii, *non cognoscerem.*
[2] Additum verbum *est* ex ms. codice Clun. et ed. Chiffl.
[3] Mss. codices Clun. et Vien. cum ed. Chiffl., *videntur esse animæ.*
[4] Iidem codices tres, *prudentes virgines habeat.*
[5] Sic Paulinus epist. 40 ad eosdem, n. 7, et epist. 43, n. 3. Tres supradicti codices, *illuminatur.*
[6] Tres iidem codices, *ne unquam*, male.

IN EPIST. XLII.

[1] Ed. Schot., *gestaverimus.*
[2] Mss. Reg. et Vien., *eum*, mendose.
[3] Ms. Reg., *exsuperavit.*
[4] Ms. codex Regius cum editis quatuor *reget*, minus bene.
[5] Ita mss. codices; et sic alibi Paulinus. Editi, *adimplet.* Vide epist. 40, n. 9, et epist. 43, n. 3.
[6] Ms. Reg, *adsumsit.*
[7] Ms. Vien., *minimorum.*
[8] Ms. Reg., *qui.*
[9] Ms. codex Vien., *qua idem est.*
[10] Ms. Vien., *quonium.*
[11] Ms. Reg., *vindico.*

IN EPIST. XLIII.

[1] Ms. Reg., *ei.*
[2] Ms. Reg. cum edd. Bad. et Grav., *disperabam.*
[3] Ed. Schot., *ne digito quidem.*
[4] Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *malivolam.*
[5] Ed. Grin., *ejusdem maledicto.*
[6] Abest *et* a ms. codice Vien.
[7] Sic ms. codex Reg. cum editis quatuor. Edit. Rosv., *omni me tempore, omni die fertilem*, etc.

IN EPIST. XLIV.

[1] Latin., forte *tam.*
[2] Ms. Reg. cum edd. quatuor, *possem*, male. Vide seqq.
[3] Iidem codices quinque, *conjunx.*
[4] Sic mss. Reg. Vien. et edit. Bad. Ante erat *dextræ.*
[5] Addidimus *et* ex mss. codicibus Reg., Vien. et editis quatuor.
[6] Vide not. 189. Edd. Grin. et Schot., *opere.*
[7] Ed. Schot., *manus aperiens.*
[8] Ms. Reg. et edd. quatuor, *fructu.*
[9] Ed. Schot., *jam salutaris.* ms. Reg. cum edd. Bad. et Grav., *insalutaris*, male.
[10] Ed. Grin., *sed quod.*
[11] Ms. Reg. et edd. 4, *duplicet*, male. Vide seqq.
[12] Ms. Reg. et edd. tres, *superinduetis.*
[13] Ms. Vatic., *in fundamentum.*
[14] Ms. codex Regius, *laborat.*
[15] Ms. codex Vien., *opibus*; male. Vide seqq.
[16] Ms. Reg. et edd. Bad., Grav. et Schot., *documento.*
[17] Ed. Schot., *indicium.*
[18] Ed. Grin., *et bonæ.*
[19] Ms. Reg., *intersibilante impetu flammis rorabimur*, mendose.
[20] Ms. Reg., *ut in opere.*
[21] Ms. Vien., *qui.*
[22] Ita ms. Vien. Alias, *Sed si.*
[23] Ms. Vien., *accipimus et qui.*
[24] Ms. Vien., *jejunetur.*

IN EPIST. XLV.

[1] Ita edit. Bened. Alias, *scilicet.* Utraque lectio bona.
[2] Sic edit. Bened. Ante erat *et qua.*
[3] Ita ms. codex Phimarconensis et ed. Bened. Alias, *salutare.*
[4] Sic edit. Bened. Alias, *repetam.*
[5] Ita edit. Bened. Ante erat *a pedibus.*
[6] Vox *caput* deest in ms. codice Phimarconensi.
[7] Sic edit. Bened. In edit. Rosv. deest vox *omnia.*
[8] Ita edit. Bened. Alias, *gloriæ gratiæque.*
[9] Sic edit. Bened. Alias, *mutatione.*
[10] Ita edit. Bened. Alias *inde.*
[11] Vox *adhuc* addita ex edit. Bened.
[12] Alii codd., *in multitudine pacis.*
[13] Ante erat *quid æstimes.* Expunximus *quid*, quod aberat a ms. codice Phimarc. et edit Bened.
[14] Sic edit. Bened. In edit. Rosv., *etiam hæc.*

IN EPIST. XLIX.

[1] Ita ms. Reg. Alias, *fratris qui.*
[2] Ms. Reg., *scapham.*
[3] Ms. Reg. et edd. tres, *limbuli*; et infra, *limbulis.*
[4] Ed. Grin., *sese condidit.*
[5] Ms. Reg. et edd. tres, *incideret.*
[6] Ed. Schot., *possent.*
[7] Ed. Schot., *præcipi.*

[8] Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *ad timones... timonibus*.
[9] Ed. Grin., *procumbere*.
[10] Edd. tres, *odorem*, male; nisi quis legat fortasse, *beatum ex afflatibus divinis odorem*. Sed prima lectio melior.
[11] Abest a ms. Reg. et edit. tribus.
[12] Latinius, forte *nominibus*.
[13] Ms. Reg., *ut clamarit*.
[14] Latinius, addendum *ei*.
[15] Ed. Schot., *solam navem*.
[16] Sic fere de Jona Paulinus in carmine 21 ad Cytherium de naufragio Martiniani, *Exsul soli, hospes sali*. Unde cum in ms. codice Regio et in editis Bad., Grav. Grin. inter opera S. Paulini habeatur titulus, *Paulini epistola ad Macarium*, non dubium est quin hæc epistola sit S. Paulini Nolani.
[17] Ed. Schot., *fluitabat*.
[18] Ms. Reg., *demum et tertio*.
[19] Ms. Reg., *jam Deo*.
[20] Ed. Schot., *conscensa*.
[21] Ms. Reg., *Epidaurio*.
[22] Ed. Schot., *condonavit*.
[23] Ms. Reg., *versabatur*.
[24] Ed. Schot., *sola*.
[25] Ms. Reg. *navis adictæ*. SACCHIN. : Lego, *epibatæ*. Vulgata lectio, *aditæ*, nullo sensu : *abditæ* proximum erat, ut quæ carcer fuerat Apostoli mergeretur et abderetur profundo; sed videbatur ingeniosior quam verior lectio. Affine erat *perditæ*, ut ad Cytherium : *Navarchus ipse perditæ princeps ratis*. Succurrebat *obito*, id est naufragio, ut ep. ad Jovium : *Naufragium salutis obeamus*. Item *navitæ*; postremo *salvi et nudi*, quod, secundum id quod posuimus, minime displicebat.
[26] Ed. Schot., *Dominum*.
[27] Ms. Reg., *ut in justo*.
[28] Ms. Reg. et ed. Bad., *mastruga*.
[29] Ms. Reg., *atque*.
[30] Ms. Reg. et editi tres codd., *præoptaris*.
[31] Ed. Grin., *credente*.
[32] Ed. Grin., *aliter*.
[33] Ms. Reg. et edd. Bad. et Grav., *quæ diligas*.
[34] Edit. Schot., *affectu*.

IN EPIST. L.

[1] Ms. 1 Bigot., *vestris*.
[2] Mss. duo Big., *sunt*.
[3] Mss. duo Big., *quia*.
[4] Ex edit. Bened. additum verbum *est*.
[5] Ms. Bigot. 1, *memoria*.
[6] Ed. Rosv., *et qui*.
[7] Ed. Rosv., *signabuntur*.
[8] Mss. duo codices Bigotiani, *Sequentur*.
[9] Mss. duo Big., *et quia*.
[10] Addita particula *et* ex edit. Bened.
[11] Ed. Rosv., *fuit*.
[12] Hic locus ex editione Bened. restitutus. Ante erat, *Deinde si carissimi*, etc.
[13] Sic edit. Bened. Ed. Rosv., *colligere*.
[14] Ita edd. Bened. et Grav. At ed. Rosv., *qui sit magister*.
[15] Sic edit. Bened. Alias, *ne forte*.
[16] Edd. Grav. et Bened., *Habentes autem*. In his infra deest *autem*.
[17] Mss. duo Big., *Colossensi*.
[18] Sic edd. Grav. et Bened. Ante erat *Quid enim*.
[19] Mss. duo Big., *dicatur*.
[20] Iidem codices mss., *agant*.
[21] Ita cum duobus mss. Big. edit. Bened. Alias, *vacabat*.
[22] Ms. Vatic. *quæ*.
[23] Mss. codices duo Big., *in resurrectionem*, ut in Vulgata : quæ tamen particula abest a Græco textu.
[24] Sic mss. 4 Vaticani et edit. Bened. Aliàs, *credendum est*.
[25] 1 Ms. Big., *penetravit*.
[26] Aberat *esse* in edit. Rosv.
[27] Mss. duo Big., *dicit*.
[28] Mss. duo Big., *cum esset*.
[29] Deest *suæ* in ms. codice Germanensi.
[30] Mss. duo Big., *Itidemque*.
[31] Abest *inquit* a duobus mss. Big.
[32] Mss. duo Big., *ferrum verbi pro gladio*.
[33] Ms. Germanensis codex, *hoc præstaret*.
[34] Bened. et Grav. edd., *sunt*.
[35] Mss. duo codices Bigotiani et Germanensis unus, *unanimis*.

OPERUM
SANCTI PAULINI
PARS POSTERIOR.
POEMATA.

POEMA PRIMUM *.

Dum adhuc degeret in seculo Paulinus, Gestidio volucres mittit.

327-328 PAULINUS domino merito suspiciendo GESTIDIO.

Injuria quidem est patrifamilias maritimis deliciis abundanti terrenum aliquid et agreste præbere; sed ego, ut et causa mihi esset apud unanimitatem tuam aliquid colloquendi, et aliquod sermoni huic obsequium viderer adjungere, pauculas de paucissimis, quas pueruli vespere inferunt, ficedulas misi : quarum cum erubescerem paucitatem, plura etiam versiculis verba subtexui, quasi vero numerum [1] loquacitate facturus. Sed quia utraque culpabilia sunt, tu utrisque benigne ac familiariter ignoscendo (*a*) facies, ut nec inhumana videatur paucitas, nec odiosa garrulitas.

Sume igitur pastas dumoso in rure volucres,
Quas latitans silicis sub tegmine callidus auceps,
Dum simili mentitur aves fallitque susurro,
Agmina viscatis suspendit credula virgis.
Tunc referens tenuem non parvo munere prædam,
Digerit aucupium tabulis, et primus opimis

* Scriptum ante annum 390.

(*a*) Ita editi cod. Schot. et Vinct. Ed. Rosv., *facis*

Ordo nitet sensim tenuatus ad ima tabellæ, A
Ut minus offendat macies; prælata saginæ
Gratia præventos pingui juvat alite visus.

POEMA II *.

In seculo adhuc agens eidem Gestidio mittit ostrea.

Pauperis ut placeat carum tibi munus amici,
Munera ne repules, quæ mittis ditia nobis.
Nam tibi quid dignum referam pro piscibus illis,
Quos tibi vicinum locupleti gurgite littus
329-330 Suppeditat, mira [a] specie formaque diremptos.
At mihi vix alto [a] vada per saxosa profundo
Rarus in obscura generatur [•] sphondylus alga.
Hinc te participans, bis quinque et bis tibi ternas
Transmisi æquoreo redolentes nectare testas,
Quas viscus prædulce replet bicolore medulla. B
Oro libens sumas; nec vilia dedigneris,
Quæ sunt parva modo, magno metitus amore.

POEMATIS III FRAGMENTUM. **

De regibus ex Suetonio collectis.

(Huc adscitum ex epist. 19 Ausonii ad Paulinum).

Europamque, Asiamque duo vel maxima terræ
Membra, quibus Libyam [b] dubie Sallustius addit
Europæ adjunctam, possit cum tertia dici,
Regnatas multis, quos fama oblitterat, et quos
Barbara Romanæ non tradunt nomina linguæ,
Illibanum, Numidamque Avelim, Parthumque Vononem,
Et Caranum, Pellæa dedit qui nomina Regum,
Quique magos docuit mysteria vana Nechepsus;
Et qui regnavit sine nomine mox Sesoostris. C
. . . .
Audax Icario qui fecit nomina ponto,
Et qui Chalcidicas moderate enavit ad arces.

POEMA IV ***.

Paulo post suam a seculo conversionem hac in oratione honestos mores a Deo postulat, ac felicem sibi et suis deprecatur posteritatem.

AD DEUM MATUTINA PRECATIO.

Omnipotens Genitor (*a*) rerum, cui summa potestas,
Exaudi si justa precor, ne sit mihi tristis
Ulla dies, placidam nox rumpat nulla quietem.
Nec placeant aliena mihi, quin et mea prosint
Supplicibus, nullusque habeat mihi vota nocendi,
Aut habeat nocitura mihi. [c] Male velle facultas D
Nulla sit, ac bene posse adsit tranquilla potestas.
Mens contenta suo, nec turpi dedita lucro,
Vincat corporeas casto bene conscia lecto
Illecebras; turpesque jocos, obscenaque dicta
Oderit illa nocens, et multum grata malignis
Auribus effuso semper rea lingua veneno.
Non obitu affligar cujusquam aut funere crescam.
Invideam nunquam cuiquam, nec mentiar umquam.
Adsit læta domus, epulis alludat [b] inemptis
Verna satur, fidusque comes, nitidusque minister,
Morigera et conjux, caraque ex conjuge nati.
Moribus hæc castis tribuat [a] Deus, hi tibi mores
Perpetuam spondent ventura in secula vitam.

POEMA V****.

331 332 *Varia Dei attributa enumerat, et gratiam a Deo precatur qua peccata vitet, ut Dei judicio securus occurrat.*

AD DEUM ALIA PRECATIO.

Omnipotens [d] quem mente colo, Pater unice rerum,
Ignorate malis, et nulli ignote piorum;
Principio extremoque carens, antiquior ævo,
Quod fuit aut veniet: cujus formamque modumque
Nec mens complecti poterit, nec lingua profari:
Cernere quem solus, coramque audire jubentem
Fas habet, et patriam propter considere dextram,
Ipse (*b*) opifex rerum, rebus causa ipse creandis;
Ipse Dei Verbum, Verbum Deus anticipator
Mundi, quem facturus erat: generatus in illo
Tempore quo tempus nondum fuit: editus ante
Quam jubar et rutilus cœlum (*c*) illustravit Eous:
Quo sine nil actum, per quem facta omnia, cujus
In cœlo solium, cui subdita terra sedenti,
Et mare, et obscuræ chaos insuperabile noctis,
Irrequies cuncta ipse movens, vegetator inertum;
Non genito [e] ex Genitore Deus, qui fraude superbi
Offensus populi gentes in regna vocavit:
Stirpis adoptivæ meliore propage colendus.
Cernere quem licuit proavis: quo Numine viso,
Et Patrem vidisse datum, contagia nostra
Qui tulit, et diri passus ludibria lethi,
Esse iter æternæ docuit remeabile vitæ.
Nec solam remeare animam, sed corpore toto
Cœlestes intrare plagas, et inane sepulcri
Arcanum vacuis adopertum linquere terris.
Nate Patris summi, nostroque [f] salutifer ævo:
Virtutes patrias Genitor cui tradidit omnes,
Nil ex invidia retinens, plenusque datorum,
Pande viam precibus, patriasque hæc perfer ad aures.
Da Pater invictam contra omnia crimina mentem
Vipereumque nefas nocituri averte veneni:

* Scriptum ante annum 390.
** Scriptum est ante annum 390.
*** Alias 3: quod autem erat 4, nunc 5. Scriptum circa annum 390.
**** Alias 4: quod autem 5 erat, nunc 6. Scriptum circa annum 930.
a Vide not. 216.
b Id est *Africam*. Vide carm. 27, v. 73, et not. 217.
• Vid. carm. 5, v. 64.

d Vide not. 218.
e Vide carm. 6, v. 168.
f Vide carm. 10, v. 5.
(*a*) Ms. Hieron. Alexandri et tres edit. Grav., Poelm. et Schot. in margg. habent: *Omnipotens solo mentis mihi cognite cultu.*
(*b*) Hi 9 sequentes versus desunt in editis codicibus Bad. et Mediolan.
(*c*) Edd. Grin. et Poelm., *illustraret.*

Sit satis, antiqnam serpens quod perdidit [a] Evam, A
Deceptumque [a] adjunxit Adam. Nos sera nepotum
Semina, veridicis ætas [a] prædicta prophetis
Vitemus laqucos, quos letifer implicat anguis.
Pande viam, qua me post vincula corporis ægri
In sublime feram : puri qua lactea cœli
Semita ventosæ superat vaga lumina lunæ :
Qua proceres abiere pii, quaque integer olim
Raptus [b] quadrijugo penetrat super æthera [b] curru
Elias, et solido cum corpore prævius Enoch.
Da, Pater, æterni speratam luminis auram,
Si lapides non juro deos, unumque verendi
Suspiciens altare sacri, libamina vitæ
Intemerata fero : si te Dominique Deique B
Unigeni [c] cognosco Patrem, mixtumque duobus
Qui super æquoreas volitabat Spiritus undas.
Da, Genitor, veniam, cruciataque pectora purga,
Si te non pecudum fibris, non sanguine fuso
Quæro : nec arcanis numen conjecto sub extis.
333-334 Si [d] scelere abstineo, errori ipse [e] obnoxius : et si
Opto magis, quam fido, bonus purusque probari,
Confessam dignare animam : si membra caduca
Exsecror, et tacitum si pœnitet, altaque sensus
Formido excruciat, tormentaque sera gehennæ
Anticipat, patiturque suos mens saucia manes.
Da, Pater, hæc nostro fieri [e] rata vota precatu :
Nil metuam, cupiamque nihil : satis hoc rear esse, C
Quod satis est : nil turpe velim, nec causa pudoris
Sim mihi : nec faciam cuiquam, quæ tempore eodem
Nolim facta mihi : nec vero crimine lædar,
Nec maculer dubio : paulum distare videtur
Suspectus, vereque reus. [f] Male posse facultas
Nulla sit, et bene [g] posse adsit tranquilla potestas.
Sim tenui victu atque habitu, sim carus amicis :
Et semper genitor sine vulnere nominis hujus.
Non animo doleam, non corpore, cuncta quietis
Fungantur membra officiis : nec saucius ullis
Partibus amissum quidquam desideret usus. D
Pace fruar, securus agam, miracula terræ
Nulla putem : suprema mihi cum venerit hora,
Nec timeat mortem bene conscia vita, nec optet.
Purus ab occultis cum te indulgente videbor,
Omnia despiciam, fuerit cum sola voluptas [7]
Judicium sperare tuum : quod dum sua differt
Tempora, cunctaturque dies, procul exige sævum
Insidiatorem blandis erroribus anguem.
Hæc pia, sed mæsto trepidantia vota reatu,
Christe (a) apud æternum placabilis assere Patrem,
Salvator, Deus ac Dominus, mens, gloria, Verbum,
Filius (b), et vero verum de lumine lumen,
Æterno cum Patre manens, in secula regnans;
Consona quem (c) celebrat modulato carmine plebes,
Et responsuris ferit aera vocibus : Amen.

POEMA VI. *

(De S. Johanne Baptista Christi Præcursore.)

Summe Pater rerum, cœlique æterna potestas,
Cum quo nostra salus, sanctorum gloria Christe,
Spiritus et Patri pariter Natoque cohærens,
Qui mentes linguasque regis, viresque ministras,
Promeruit quas sola fides : cui plena potestas,
Brutis ingenium, vocemque infundere mutis,
Præsta Evangelico ductum de fonte Johannem,
In nostra arenti decurrere carmina rivo.
Ille quidem tantus, quantum potuit dare mundo,
Qui nasci talem nova per miracula jussit :
Sed licitum magnis tenues impendere curas,
Nec dedignantur vilem cœlestia laudem :
Pars etiam meriti, meritum celebrare piorum :
Nec nova nunc, aut nostra canam : dixere prophetæ
Cuncta prius, sanctique viri sermone soluto
Promissum exortum, vitam mortemque sacrarunt :
Si mors illa fuit, meruit quæ sanguine cœlum.
335-336 Nos tantum modulis evolvere dicta canoris
Vovimus, et versu mentes laxare legentum :
Sic (nam magna licet parvis, antiqua novellis,
Perfecta indoctis conferre, [g] æterna caducis)
Inspirante Deo quidquid dixere priores,
Aptavit citharis nomen venerabile David,
Consona cœlesti pangens modulamina plectro :
Nos quoque fas meminisse Dei, quamquam obsita multis
Pectora criminibus cœlestem admittere sensum.
Zacharias Syria quondam de gente sacerdos,
Credita solemni curabat templa paratu.
Vita viri, pietate, fide, gravitate, pudore,
Obsequio condigna Dei conjux huic alma
Elisabeth prisca sanctorum stirpe virorum
Progenita, et tanto virtutibus æqua marito.

* Alias 5 : quod autem 6 erat, nunc 7. Scriptum circa annum 390.
[a] Vide not. 219.
[b] Vide not. 220.
[c] Vide carm. 24, v. 93.
[d] Vide in append. epist. 2 ad Celanc., n. 6.
[e] Vide carm. 14, v. 45.
[f] Vide carm. 4, v. 6.
[g] Vide ep. 13, num. 19.
(a) Editi cod. Grin., Poelm. et Schot. in margg., *Nate*, ut versu 26.
(b) Iidem codd. cum Grav. in margg., *Filius ex vero verus*.
(c) Sola Rosveyd. editio, *celebrant*, mendose. cum versu sequenti habeatur *ferit*, hic enim *plebes* singulari numero effertur.

Sed (quod in opprobrio [a] matrum posuere priores) A
Prole carens, sterilem ducebat mæsta senectam
Spemque omnem sobolis transacta excluserat ætas,
Forte sacrum sollenne Deo plebs cuncta ferebat,
Et plus antistes sacros adoleverat ignes,
Intima divinis decorans altaria flammis :
Ecce sacram propter [b] cœlestis nuntius aram
Adstitit, ac veste insignis, venerabilis ore,
Se cœlo missum vultuque habituque probavit,
Tum sancta in tales laxavit pectora voces :
Accipe, cœlesti Domino dilecte sacerdos,
Æterni mandata Dei, cui cura piorum
Perpetua est, jugis qui puro in pectore custos
Emeritum sanctis impendere scivit amorem. B
Ac primum : genus hic exstincto semine non vult
Interiisse tuum, fecundaque viscera fecit
Conjugis, effeto quæ jam cessabat in ævo.
Cur tamen addubitas, mortali tu quoque sensu,
Omnia posse Deum? sed credes, ille probabit.
Nascetur dignus tanto sponsore beatus
Perpetuusque puer, qui primò protinus ævo
Te major, sacras invicto in pectore vires
Autoris dono plus quam genitoris habebit.
Nec sane, nato quæ prima vocabula ponas,
Arbitrii jurisque tui est : Deus ipse profecto,
Qui nasci jubet, hunc idem jubet esse Johannem.
Nominis hic titulus, meritorum immensa propago, C
Quæ necdum genito potuit prænoscere solus,
Qui dabit, et tanto tribuet tibi gaudia nato :
Nec vero tribuet tantum tibi, gloria parva est
Intra unam conclusa domum; sed quantus ab ortu
Tenditur in seræ finita crepuscula lucis,
Totus prole tua tecum lætabitur orbis.
Quid mirum? cuncta vitiorum fæce carebit,
Cœlestem ducens sine labe et crimine vitam,
Vesano [c] servans abstemia pectora vino,
Omniaque evitans malesuadi pocula succi.
Cumque hominum generi vel post errata salutem
Spondeat, ab sancta quisquis renovabitur unda,
Ipse in se nihilum, quo purificetur, habebit.
Ac ne plura tibi variis ambagibus edam, D
Eliæ meritum doctus nescire sacerdos
Non potes, exosæ qui mortis lege remissa,
Æternam degit proprio cum corpore vitam,
Igneus excelsum quem vexit ad æthera currus,
Flammantum (a) rapido nisu glomeratus equorum :
337-338 Hunc tuus æquabit meritorum stemmate natus,
Tantumdem et laudis simul et virtutis habebit.
Ergo ad condignas tanto pro munere grates,
Ne dubiam suspende fidem, ne mota faventis
Ira Dei meritam statuat post præmia pœnam.
Hæc ait, et tenues elabitur ales in auras,
Fragrantemque sacro procul aera fundit odore.
Diriguit trepida confusus mente sacerdos,
Ac dum promissum cunctantia corda volutant,
Dum se diffidit tantum meruisse favorem,
Ut summi sit cura Dei, dimissus ut alto
Nuntius e cœlo, famulo tam clara referret
A Domino mandata suo, ludique veretur,
Somniaque illa putat, mores dum parcius æquo
Æstimat ipse suos, nec se meruisse fatetur :
Infidum facit ipsa fides, dum credere dignum
Se non vult, pœnas incredulitate meretur.
Protinus adstricta est dubitanti lingua palato,
Et motus oblita sui, molitaque vocis,
Articulare sonum, pigro torpore cohæsit.
Dumque cupit narrare suæ miracula plebi,
Conatus frustra, defixo obmutuit ore.
Mæstus abit, versatque inclusa mente dolorem,
Et veniam erratis arcano in corde precatur.
Quanta Dei pietas! quamque exorabile Numen!
Pœnituisse sat est. Rata qui dat, temporis ordo
Volvitur, et gravida (mirum) distenditur alvo
Elisabeth, sanctumque gerunt pia viscera pondus,
Et venit effeto munus juvenile sub ævo.
Inde aliud, sanctus Gabriel, qui nuntius idem
Zachariæ fuerat, multo majora volutans,
Ad (b) Mariam molitur iter, quæ sponsa marito,
Sed mage lecta Deo, mundi paritura salutem,
Virgo illibatum servabat casta pudorem :
Cui postquam insignis cœlesti forma decore
Constitit ante oculos, vultus demissa pudicos,
Tinxit suffuso rutilantes sanguine malas.
Ille ait : O toto quem solis circulus ambit,
Quæque fuere prius, quæ sunt, quæ deinde sequentur
Virginibus cunctis felicior orbe puella,
Magno lecta Deo, mater dicaris ut ejus,
Cujus et ille pater! felix age concipe pondus,
Impolluta viro, coituque immunis ab omni,
Verbo feta Dei : corpus tua viscera præstent
Illi, qui cœlum, terras, mare, sidera fecit :
Qui semper fuit, et nunc est et tempore in omni
Semper erit : mundi Dominus, lucisque creator,
Et lux ipse poli per te mortalia membra
Induet; atque oculos hominum, cœtusque subibit.
Imperturbatos tantarum in præmia laudum
Tolle animos, dabit ille tibi viresque, fidemque,
Qui voluit (nam cuncta regit, nutuque gubernat)
Filius esse tuus, Domini cum Filius esset.
Dixerat, et visus pariter terrasque reliquit,
Assuetumque sibi facili petit æthera nisu.
Implentur præcepta Dei, creditque puella
Protinus, atque auget meritum vitamque priorem

[a] Vide not. 221.
[b] Id est; *prope*. Vide carm. 9, v. 52.
[c] Vide epist. 22, num. 2.
(a) Sic editio Lugdunensis. Ed. Rosv., *Flammatum*.

(b) Ita in voce *Mariam* secundam syllabam corripit Prudentius Psychomach. v. 88; sæpe Paulinus. Vide carm. 22, v. 153.

Prompta fides : tacitis elementa latentia causis A
Divinum informant corpus, sacrandaque crescit
339-340 Sarcina : cœlestem Dominum pia confovet alvus.
Interea gravidam soboles, quamquam edita necdum,
Instigat Mariam sanctam, ut progressa revisat
Elisabeth, longo quæ jam venerabilis ævo,
Dilectum Domino puerum paritura gerebat.
Auscultat nato genitrix, vis tanta [a] fidei,
Et quo jussa venit : movit materna Johannes
Viscera, et implevit divino pectora sensu.
Jam vates, necdum genitus, conclusus in alvo,
Jamque propheta prius gesta et ventura videbat.
Illa ubi concepto fulgentem lumine longe
Conspexit Mariam, celeri procul incita gressu B
Obvia progreditur, venerataque brachia tendens,
Salve, o mater, ait, Domini, salve pia virgo,
Immunis thalami, coitusque ignara virilis,
Sed paritura Deum : tanti fuit esse pudicam,
Intactæ ut ferres titulos, et præmia nuptæ.
Cur mihi non meritæ, nec tanto munere dignæ
Officii defertur honos? cur gloria cœli,
In nostros delata Lares et vilia tecta,
Obscuris tantum lumen penetralibus infert?
Sed mitis placidusque suis cultoribus adsit,
Præstet (*a*) et hunc genitus [b], quem præstitit ante favorem.
Dixit, et amplexus ulnis circumdata junxit,
Jamque Deum venerata, pio dedit oscula ventri. C
Dic age nunc, Judæa nocens, et sanguine regis
Commaculata tui, verbis si nulla priorum
Est adhibenda fides, sacros si fallere vates
Creditis, et Mosen ipsum, si fallere David
Impia perversæ putat inclementia gentis,
Credite [c] non genitis : materna clausus in alvo
Quid videat, sancto matris docet ore Johannes.
Quis, precor, hunc docuit, quem casto viscere virgo
Contineat, quantus maneat nova secula partus?
Sed sanctis abstrusa patent, nec visa profanis.
Verum egressa modum latos petit orbita campos,
Atque oblita mei procurrere longius audet.
Spero, erit ut possim firmato robore quondam D
Hoc quoque per spatium fores agitare quadrigas.
Nunc (*b*) cœptum repetamus iter : mortalia dicat
Pagina mortalis : Dominum divina loquantur.
Jamque adeo exacto, quantum natura jubebat,
Tempore, matura puer inclytus editur alvo,
Et promissa Dei magna non credita pœna
Implet certa fides, et natus comprobat infans.
Conveniunt contingentes de more propinqui,
Ut puer veterum de nomine ducta parentum
Aptent collatis quæsita vocabula causis :
Sed negat arbitrium cognatis esse relictum,
Cœlestis jussi per natum conscia mater.
Ergo placet dudum præclusa voce silentem
Consuluisse patrem, promendi sola facultas
Indicii, quod lingua nequit, si littera signat.
Consulitur, sumit tabulas, scribitque Johannem.
Mirantur cuncti, nullumque habuisse priorum
Præscriptum nomen recolunt de stirpe parentum.
Quantum sera fides valuit! quia dextra notavit
341-342 Quod mens crediderat, peccati pœna remissa est.
Solvuntur vinctæ laxata repagula linguæ.
Respondet jam voce senex, proditque propinquis,
Tecta diu mandata Dei, spondetque futura,
Dum transacta probat. Talem fore quis dubitaret,
Quem Domini jussis, naturæ lege remissa,
Insolito exortu nasci potuisse videret?
Exemplum cunctis celebrandum incredulitatis
Ante oculos cunctis posuit, vel pœna parentis,
Vel venia : atque animis instat simul hinc metus, hinc spes.
Labitur interea cunarum tempus : in ipsis
Exstat divini species manifesta vigoris.
Blanditiæ, risusque silent, incertaque cessant
Murmura : serietas lascivi prævia sensus,
Jam tenera informat venturis moribus ora.
Inde ubi prima puer stabili vestigia nisu
Fixerat, et certam signarant verba loquelam :
Mos erat aut sancti dicta auscultare parentis,
Aut antiquorum præclara ediscere facta,
Vel quas ipse Deus leges interprete Mose
Condiderat, sacri quas servat [d] pagina saxi.
Hæc, et quæ teneram firmarent cetera mentem,
Tractabat recolens : neque enim ignorasse priora
Credendus, dederat Dominus cui nosse futura.
At postquam robur membris accessit ab ævo :
(Nam mens plena Deo tardos prævenerat annos :)
Illa sibi jam tum statuit discenda, docere
Quæ nequeunt homines : simul effugienda ciborum,
Et potus, sanctæ contagia noxia vitæ.
Tecta igitur sancti, quamquam immaculata, parentis
Deserit, ac turbas hominum, cœtusque nocentes
Effugit, ac solas loca tendit ad invia terras,
In queis se tantum mens impolluta videret,
Liberaque a curis sacra ad præcepta vacaret.
Vestis erat curvi setis conserta cameli,
Contra luxuriem molles [e] duraret ut artus,

[a] Vide not. 334.
[b] Vide not. 222.
[c] Vide carm. 5, v. 17.
[d] Id est, lex Decalogi sculpta in tabulis 2 lapideis.
[e] Id est, *induraret*. Simplex pro composito apud Paulinum. Vide carm. 8, v. 12, et ep. 23, n. 33.

(*a*) Sic emendavimus cum Gronovio. Ante erat *Præstitit hunc*. Vide not. 222.
(*b*) Edit. Lugd. et Rosv., *Huc*. Cui non succurrat attendenti, *Nunc cœptum?* Præcedentia satis ingerunt. J. F. Gronovius in Observat. Ecclesiast., c. 10.

Arceretque graves compuncto corpore somnos. A
Hunc vilis rigidos ad lumbos zona ligabat,
Præbebant victum facilem silvestria mella,
Pomaque, et incultis enatæ cautibus herbæ,
Arentemque sitim decurrens unda levabat.
Quis locus hic vitiis? aditum quem prava cupido
Invenit hæc inter sacra et penetralia mentis?
Quo peccet, qui nil cupiat? quo tendat iniqui
In latebras sensus, quisquis non indiget ullo?
Sic primi vixere homines, mundoque recenti
Hos autor dederat ventura in secula mores;
Inseruit donec sese malesuada voluptas,
Ac secum luxus, et amorem invexit habendi.
Hinc odia, hinc lites, hinc fraus, hinc livor, et iræ, B
Cædes, arma, cruor, conflictus, prælia, mortes:
Hinc offensa Dei, quam tartara sæva piabunt.
Verum ego cur nimium communes arguo culpas;
Immemor ipse mei, quem non [a] commissa gravare,
Sed veniam sperare decet? (a) mirabimur immo
Rectius invictum, nullique imitabile prisci
Exemplum secli, transgressum humana labore,
Semideumque virum, qui labe immunis ab omni,
Cum sua tam sævis cruciarit corpora pœnis,
Præscripsit quid nos vel post peccata deceret:
343-344 At postquam invictam firmans per talia mentem, C
Exegit largum tempus, statuitque reperta
Quæ fuerant quærenda, sibi vox edita cœlo est:
Jam satis impensum spatii, dilecte propheta,
Quo tibi prodesses: tempus tibi quæ data sentis,
Ut prosint aliis, et quæ jam perdita, servent.
Perge igitur sanctas puri Jordanis ad undas.
Hic quicumque hominum vitæ [b] commissa prioris
Pœnitet, et tandem sensu meliora volutat,
Ablue confessum: quisquis tibi mente fideli
Crediderit delere pio commissa lavacro,
Ille renatus erit, talis modo vita sequatur,
Quæ probet ablutos vitam damnasse priorem.
Paruit auditis famulanti mente Johannes,
Protinus et ripas jussi descendit ad amnis. D
Prædicat hic præcepta Dei sermone verendo,
Infunditque novam credentum in corda salutem.
Diluit infusis credentum crimina lymphis,
Absolvitque metus hominum, pœnasque remittit,
Atque ignem restinguit aquis: oblivia suadet
Errorum, præstatque novæ nova corpora vitæ.
O Pater, o hominum rerumque æterne creator,
Quot gradibus parcit pietas tua! quis pater unquam
Sustinet erranti toties ignoscere nato?
(b) Das genti sensum, quo vel bona vel mala noscant.
Non satis: innectis servandæ vincula legis,
Proponisque malis pœnas, et præmia justis.
Hæc quoque quis sprevit? redeat quandoque libebit,
In promptu venia est: sanctum patet ecce lavacrum,
Quod renovet vitam, veteresque oblitteret actus,
Quodque novos homines faciat. Quid quærimus ultra?
Et tamen ulterior venia est: violaverit ullus
Hoc quoque polluto prolapsus corpore donum.
Quamquam jam nimius longe processerit error,
Desinat, et redeat: cum se damnaverit ipse,
Absolvi meruit: si pœnitet, irrita culpa est,
O vere, quod ais, pondus leve, quodque cohæret,
Suave jugum, toties homini cum ignoscitur uni,
Et tamen erramus, finis nec criminis ullus
Humano generi: sed crescit laus tua; nam quo
Major culpa rei, parcentis gloria major.
Grates ergo tibi referat mens omnis, et omnis
Lingua canat, quantumque potest humana propago,
Si placuisse nequit, fieri vel grata laboret.
Panditur immensum, si demus vela, profundum
In laudes, Pater alme, tuas: sed conscia tanti
Mens oneris trepidat, propriasque haud inscia vires
Consulit, et dignis potius dicenda relinquit.
Reddamur cœptis: opus hoc tibi, sancte Johannes,
Quo renoves puras abluto corpore mentes.
Non hæc prima dedit Domini sententia, qua te
Admonuit claram mittens per nubila vocem:
Secula multa prius sancti Deus ore locutus
Isaiæ [c] vatis, veteris qui maximus ævi:
Mittam, ait, ante tuos oculos, o nate, ministrum,
Qui sentosarum purgans concreta viarum
Gressibus ille tuis, celsos subsidere montes,
Idem depressas faciet consurgere valles:
Diriget hic quæ prava, et leniet aspera, dura
Molliet, et totum coget planescere mundum.
345-346 Tunc, precor, donum summi Patris, alme Johannes,
Cum Christo promisse venis, teque imputat ille
Qui misit natum? tune, o prædicte prophetis,
Nominis angelici tu participatus honore?
Per te prima Dei sese clementia profert:
Prima tibi dandæ veniæ permissa potestas:
Te cum multa novæ peterent miracula plebis,
De te Christus ait: Concessum est visere talem,
Qualem nulla prius viderunt secla prophetam.
Dico ego, qui solus quæ gesta gerendaque novi,

[a] Vide vers. 262.
[b] Id est *peccata*. Vide vers. 248.
[c] Isaiæ XL, 3 et 4.

(a) Sic edit. Lugd. Edit. Rosv., *mirabitur*. Vide v. 254 et v. 285.
(b) Ita editio Lugdun. Ed. Rosv., *Da*, minus bene.

Inter mortales dederit quos femina partus, A
Quosque dabit sollemni hominum de more creatos,
Nullus erit possit qui se præferre Johanni.
Hæc de te ille refert, qui quælibet intima cordis
Humani, et cunctos seclorum ex ordine tractus
Pervidet, ut quæ sunt oculis subjecta videmus.

POEMA VII *.

PARAPHRASIS PSALMI I.

Paulinus, tunc Theologicorum arcanorum rudis, putabat Christianos omnes, quamvis malos, modo incolumem servassent fidem, salutem quamdam consecuturos.

Beatus ille, qui procul vitam suam
Ab impiorum segregarit cœtibus,
Et in via peccantium non manserit,
Nec in cathedra pestilenti sederit : B
Sed corde toto fixus in legem Dei
Præcepta vitæ nocte volvit et die,
Mentemque castis institutis excolit.
Erit ille ut arbor quæ propinqua flumini,
Humore ripæ nutriente pascitur,
Suoque fructum plena reddet tempore,
Et, fronde numquam defluente, pervirens
Stabit perenni vividum lignum coma.
Non hæc iniquos prosequetur gloria,
Sed ut favillam pulveris ventus rapit,
Sic ira iniquos verret a vultu Dei.
Idcirco tali dividentur ordine
Hominum per orbem dissipatorum greges,
Ut judicandi non resurgant impii,
Qui denegarunt debitum cultum Deo, C
Sed puniendi : nam suum crimen videns,
Non indigebit quæstione detegi,
Quoniam imminentem [1] præferent mortis notam,
Signum salutis non gerentes frontibus.
Peccator autem, non et impius tamen,
Quæ magna turba est, non resurget gloriæ,
Verum resurget deputanda examini.
Nec enim sedere cum piis judex potest,
Causas suorum redditurus actuum,
Varieque gestis aut probandus, aut reus.
Sine lege passim legis ignari cadent,
In lege lapsus, lege judicabitur.
Opus per omne curret [a] ignis arbiter,
Quod non cremarit flamma, sed probaverit, D
Illud perrenni præmio pensabitur.
Qui concremanda gesserit, damnum feret,
Sed ipse salvus evolabit ignibus.
Tamen subusti corporis signis miser
347-348 Vitam tenebit [*], non tenebit gloriam :
Quia carne victus, mente non versus tamen,
Etsi negarit debitam legi fidem,
Per multa sæpe devolutus crimina :
Tamen fidei nomen æternum gerens,
Numquam salutis exsulabit finibus.
Idcirco cuncti nunc in isto seculo,
Dum currit ætas, et dies ævi patet,
Rectas agamus semitas firmo pede,
Nec deferamur lubrico latæ viæ,
Præstat per arctum [a] dimicantes tramitem
Laboriosis introire nisibus.
Vias bonorum lætus agnoscit Deus,
At impiorum pronum iter delebitur.

POEMA VIII **.

PARAPHRASIS PSALMI II.

Cur gentes fremuere, et inania cur meditati
Sunt populi? adstiterunt proceres cum regibus acti
Adversum Dominum et Christum, vesana (a) frementes.
Vincula rumpamus, juga discutiamus eorum :
Qui manet æterno totis moderamine cœlis,
Irridebit eos, justaque loquetur in ira,
Terribilique minax verbo turbabit iniquos.
Ast ego Rex ab eo parili ditione creatus,
Præceptum Domini super almum prædico Sion [1].
Ipse ad me Dominus, Meus, inquit, filius es tu,
Teque hodie genui (b). Pete : sis mihi gentibus heres,
Et tua [b] fundatur totis possessio terris.
Ferrea virga tibi est, valido quia jure tumentes
Orbe regis toto populos : ceu vasa (c) recocto
Ficta luto frangens corda, ut meliora refornes.
Et nunc ecce omnes stratis advertite, reges
Mentibus, et quicumque hominum famulantia corda
Judicio regitis, rerumque tenetis habenas :
Deservite Deo trepidi, mixtoque fideles
Exsultate metu : fiat discordia concors,
Dissimiles socians affectus pectore in uno;
Ne timor affligat mentes, vel gaudia solvant,
Si careant læto, pavidi formidine lethi.
Discite justitiam, rectosque capessite mores,
Et justo trepidate Deo, gaudete benigno,
Nequando meritum Deus irascatur in orbem,
Vosque via justa juste pereatis abacti.
Amodo jam resilire via properetis iniqua,
Ecce brevi, cum magna potentis inarserit ira,
Ventilet ut totum divino examine mundum,
Segreget et paleas igni, frumenta saluti :
Tunc omnes, quibus est in eo spes fida, beati.

* Alias 6; quod autem 7 erat, nunc 8. Scriptum circa annum 390.

** Alias 7 : quod autem 8 erat, nunc 9. Forte circa idem tempus.

[a] Vide ep. 28, n. 2, et ep. ad Marcellam in append. 1, n. 7.

[b] Id est *effundatur*. Vide carm. 6, v. 230.

(a) Manuscriptus codex Regius cum editis Bad., Grin. et Poelm., *frementes :* quod placeret, nisi jam dictum esset *gentes fremuere*.

(b) Ex ms. codice Regio et editis Bad., Grav. et Schot. emendavimus *Pete*, juxta textum Scripturæ. Ed. Rosv., *peto*.

(c) Sic ms. codex Regius cum editis Grin. et Poelm. Edit. Rosv., *recocta*.

POEMA IX *.

PARAPHRASIS PSALMI CXXXVI.

349-350 Sedimus ignotos [a] diræ Babylonis ad amnes
Captivi, Judæa manus, miserabile flentes.
Cum patrium memori traheremus pectore Sion,
Et meritum justa suspiraremus ab ira
Exsilium : lentis qua consita ripa salictis,
Hospitibus populis umbras præbebat amicas.
Illic Assyriæ mediis in mœnibus urbis,
Obliti lætas per mœsta silentia voces,
De salicum ramis suspendimus organa nostra.
Namque dabat nobis durum gravis ira dolorem,
Quod solita in sancto depromi cantica templo
Hæc ad delicias sibi nos cantare jubebat
Impius ille, domo qui nos abduxerat, hostis.
Ergone divinas laudes et carmina castis
Apta choris, inter sacra barbara, fœdaque busta,
Inter et accensas funestis ignibus aras,
Heu! male de nostro lætis mœrore, canemus?
Deque pio ritu luxum faciemus iniquum,
Mystica ad hostilem modulantes cantica ludum?
Quo miseri nunc ore sacros cantabimus hymnos?
Quove loco Babylon poscit sibi cantica Sion?
Sed Domini carmen tellus aliena mereri
Non [b] capit, indignas sacra vox avertitur aures.
Si tamen ut captis dominus violentior instas,
Et, si tantus amor, Sion pia noscere vobis
Cantica, si pergis me cogere non tua fari,
Et divina tibi quænam sint cantica Sion,
Accipe quid captæ Deus ultor spondeat urbi.
Ne longum speres isto gaudere triumpho,
Impie; quo sacrum prodi tibi præcipis hymnum :
Ecce quis est hymnus Domini, quæ cantica Sion :
Si fuero oblitus mea mœnia, te mea cura,
Urbs Hierusalem, fiat mea non memor unquam
Dextra mei, mea lingua meis et adhæreat arens
Faucibus, æterno nisi te complectar amore :
Et nisi principio promissi in secula regni,
Lætitiæque meæ primo reminiscar in anno,
Te cunctis Hierusalem præponere terris.
Esto memor tum prolis Edom, ut versa vice nostrum
Aspiciat confusa diem, quo plebs tua claram
Mœnibus æternis [c] Hierusalem habitabit,
Cui nunc gens oblita tui, crudele minatur
Excidium, dicens : Invisam funditus urbem
Diruite et vacuate manu, vestigia donec
Nulla relinquantur, muris ad inane redactis.
Infelix miseræ Babylonis filia, felix
Qui tibi pro nobis in nos tua gesta rependet.
A Nec minus ille beatus erit, qui parva tenebit
Et simul elidet [a] solidæ tua [d] pignora petræ.
Si cupis exstincta Babylonis stirpe beari,
In te ipso primis gliscentia crimina flammis
Frange fide, jam propter [e] adest petra Christus; in ipso
Vipeream sobolem validis elide lacertis.
Nam Babylon nomen Confusio : filia cujus
Est caro, peccatis mater : quæ turba saluti
Noxia, corporeis ducit mala semina fibris.
351-352 Hæc vincenda tibi, si vis evincere mortem :
Namque tuis tales inclusos ossibus hostes,
Si permittantur crescendo assumere vires,
Difficili vinces luctamine : præripe [a] parvos,
B Dum rudis ex utero cordis per pectora capta
Reptat adhuc teneris vitiorum infantia membris:
Quæ nisi præcaveas, aucta virtute necabit
Concordem vitiis animam terrena propago.
Ne parcas igitur talem mactare catervam.
Non tibi crimen erit, nocituram perdere gentem,
Ultricemque malo perfundere sanguine petram :
Gaudet enim justus, si concidat impia proles :
Nam magis atque magis pius ista cæde piatur,
Si perimat peccata suis dominantia membris,
Et fracta in Christo vitiorum [f] plebe triumphet.

EPISTOLA XXIII **

AUSONII AD PAULINUM.

Paulino in Hispania degenti scribit Ausonius, ejusque conversionem tribuit animi levitati. Expostulat cum illo de intermissione litterarum, eumque ad se invitat. C

AUSONIUS PAULINO SALUTEM.

Discutimus, Pauline, jugum quod certa fovebat
Temperies: leve quod positum et tolerabile junctis.

(Vide hanc epistolam inter Ausonianas sub num. 23, tomo XIX nostræ Patrologiæ, col. 932.)

EPISTOLA XXIV ***

AUSONII AD PAULINUM.

Iterum de silentio Paulini queritur Ausonius, et violatæ amicitiæ crimen in ejus uxorem Therasiam refundit.

AUSONIUS PAULINO SUO SALUTEM.

Proxima quæ nostræ fuerat querimonia chartæ
Credideram quod te, Pauline, inflectere posset.

(Hanc epistolam legere est inter Ausonianas sub numero 22, tomo XIX nostræ Patrologiæ, col. 931.)

EPISTOLA XXV **** D

AUSONII AD PAULINUM.

Nihil respondente Paulino Ausonius tertio conqueritur epistola scripta anno 392; quæ excidit. Quartam hanc ad eum scribit eodem argumento.

AUSONIUS PAULINO SUO SALUTEM.

Quarta tibi hæc notos detexit epistola questus,
Pauline, et blando residem sermone lacessit.

(Videsis hanc epistolam inter Ausonianas sub numero 24, tomo XIX nostræ Patrologiæ, col. 934.)

* Alias, 8 : quod autem 9 erat, nunc 10. Forte circa an. 390.
** Scripta videtur anno 390.
*** Scripta anno 391.
**** Scripta videtur anno 393.
[a] Prudentius in Diptyco, n. 23.
[b] Id est *non capax est*, *non potest*. Vid. carm. 11, v. 67.
[c] Vide not. 225.
[d] Id est *liberos*. Vide carm. 18, v. 227.
[e] Id est *prope*.
[f] Id est *multitudine* seu *numero*.

POEMA X [*]

Quatuor supra memoratas epistolas quartum jam annum agens in Hispania Paulinus recepit, quarum primæ, tertiæ quæ intercidit, et quartæ respondet hoc carmine.

[1] AUSONIO PAULINUS.

361-362 Quarta redit duris hæc jam messoribus æstas,
Et toties cano bruma gelu riguit,
Ex quo nulla tuo mihi littera venit ab ore,
Nulla tua vidi scripta notata manu,
Ante salutifero felix [2] cum charta libello
Dona negata diu, multiplicata daret.
Trina etenim vario florebat epistola textu,
Sed numerosa triplex pagina carmen erat.
Dulcia multimodis [3] quædam subamara querelis
Anxia censuræ miscuerat pietas.
363-364 Sed mihi mite patris plus quam censoris acerbum
Sedit, (*a*) et e blandis aspera penso animo.
Ista suo referenda [4] loco tamen, et graviore
Vindicis heroi sunt agitanda sono.
Interea levior paucis præcurrit iambus,
Discreto referens mutua verba pede.
Nunc elegi salvere jubent, dictaque salute,
Ut fecere aliis [5] [a] orsa gradumque, silent [6].[7]

[b] Quid abdicatas in meam curam, pater,
Redire Musas præcipis?
Negant Camœnis, nec patent Apollini
Dicata Christo pectora.
Fuit ista quondam non ope, sed studio pari
Tecum mihi concordia,
Ciere surdum Delphica Phœbum specu,
Vocare Musas Numina;
Fandique munus munere indultum Dei,
(*b*) Petere e nemoribus aut jugis.
Nunc alia mentem vis agit, major Deus;
Aliosque mores postulat,
Sibi reposcens [c] ab homine munus suum,
Vivamus ut vitæ Patri.
Vacare vanis otio aut negotio,
Et fabulosis litteris
Vetat, suis ut pareamus legibus,
Lucemque cernamus suam:
Quam vis sophorum callida, arsque rhetorum, et
Figmenta vatum nubilant [8],
Qui corda falsis atque vanis imbuunt;
Tantumque linguas instruunt,
Nihil adferentes [9] ut salutem conferant,
Quod veritatem detegat [10].
Quid enim tenere vel bonum aut verum queant [11],
Qui non tenent (*c*) summæ caput,
A Veri bonique fomitem et fontem Deum?
Quem nemo nisi in Christo videt.
Hic veritatis lumen est, vitæ via,
Vis, mens, manus, virtus Patris,
Sol æquitatis, fons bonorum, flos Dei.
Natus Deo, mundi sator,
Mortalitatis vita nostræ, et mors necis.
Magister hic virtutum [12],
Deusque nobis, atque pro nobis homo
Nos (*d*) induendo se exuit,
Æterna jungens homines inter et Deum,
In utrumque se commercia.
Hic ergo nostris ut suum præcordiis
Vibraverit cœlo jubar,
Absterget [d] ægrum corporis pigri situm,
B Habitumque mentis innovat;
Exhaurit omne quod juvabat antea
Castæ voluptatis vice;
Totusque (*e*) nostra jure Domini vindicat
Et corda, et ora, et tempora;
365-366 Se cogitari, intelligi, credi, legi,
Se vult timeri et diligi.
Æstus inanes, quos movet vitæ labor
Præsentis ævi tramite,
Abolet [13] futuræ cum Deo vitæ fides.
Quæ, quas videmur [14] spernere,
Non ut profanas abjicit aut viles opes;
Sed ut magis caras, monet
Cœlis [15] reponi creditas Christo Deo,
Qui plura promisit datis;
C Contemta præsens [16] vel mage deposita sibi
Multo ut rependat fenore.
Sine fraude custos aucta creditoribus
Bonus æra reddet debitor;
Multaque spretam largior pecuniam
Restituet usura Deus.
Huic vacantem, vel studentem, et deditum,
In hoc reponentem omnia,
Ne, quæso, segnem, neve perversum putes,
Nec crimineris impium.
Pietas abesse Christiano qui potest?
Namque argumentum mutuum est
Pietatis, esse Christianum: et impii,
Non esse Christo subditum.
Hanc cum tenere discimus, possum tibi
D Non exhibere, id est patri,
Cui cuncta (*f*) sancta jura, cara nomina
Debere me voluit Deus?
Tibi disciplinas, dignitatem, litteras,
Linguæ, togæ, famæ decus,
[e] Provectus, altus, institutus debeo,
Patrone, præceptor, pater.

[*] Alias 9, 10, 12: Scriptum anno 393 in æstate.
[a] Id est *prooemium*.
[b] Hic olim incipiebat carm. 10.
[c] Vide not. 224.
[d] forte legendum *Abstergit*, ob seqq.
[e] Vide Auson. ep. 21, et 23.

(*a*) Ms. Lugdunensis codex cum editis 5, *Sederit, et blandis*. At omnes alii, *Sedit*, id est *Placuit*, ut in versu 178 et carm. 24, v. 543. Sic in principio quarti Æneidos.

(*b*) Ita ms. codex Regius cum editis Grav., Schot. et Poelm. cum Bad. Cæteri mendose, *Petere fonte. nemoribus, jugis*.

(*c*) Edd. Bad. et Vinet., *summum*.

(*d*) Manuscriptus codex Regius et ed. Schot. in marg., *Nos induendus induit*. Editi tres in margg., *Nosque exuendus induit*.

(*e*) Editi quatuor, *Totoque*.

(*f*) Editi quatuor, *sancto jure*.

Sed, cur remotus tamdiu degam, arguis, A
Pioque motu irasceris:
Conducit istud, aut necesse est, aut placet:
Veniale, (a) quidquid horum erit.
Ignosce amanti, si geram quod expedit:
Gratare, si vivam ut libet.

[a] Defore me patriis tota trieteride terris,
Atque alium legisse vagis erroribus orbem,
Culta prius vestræ oblitum consortia vitæ
Increpitas sanctis mota pietate [17] querelis.
Amplector patrio venerandos pectore motus,
Et (b) mihi gratandas salvis affectibus iras.
Sed reditum inde meum genitor te poscere mallem
Unde dari possit. Revocandum me tibi credam, B
Cum steriles fundas non ad divina precatus,
Castalidis supplex averso Numine Musis?
Non his numinibus tibi me patriæque reduces [18].
Quod datur, in nihilum (sine Numine nomina Musas
Surda vocas, et nulla rogas) levis (c) auferet aura,
Irrita ventosæ rapiunt hæc vota [19] procellæ,
Quæ non missa Deo vacuis in nubibus hærent,
Nec penetrant superi stellantem Regis in aulam.
387—368 Si tibi cura mei reditus, illum aspice, et ora,
Qui tonitru summi quatit ignea culmina cœli,
Qui trifido igne micat, nec inania murmura miscet, C
Quique satis cœlo soles largitur, et imbres,
Qui super omne quod est, vel in (d) omnia totus ubique
Omnibus infusus rebus regit omnia Christus,
Qui mentes tenet atque movet, qui tempora nostra
Et loca disponit; (e) quod si contraria votis
Constituat nostris, prece deflectendus in illa est
Quæ volumus: quid me accusas? si displicet actus
Quem gero agente Deo, prius est [(f) si fas] reus autor
Cui placet aut formare meos, aut vertere sensus.
Nam mea si repute quæ pristina, quæ tibi nota,
Sponte fatebor eum modo me non esse sub illo D
Tempore qui fuerim, quo non perversus habebar,
Et perversus eram, falsi caligine cernens,
Stulta Dei sapiens [20], et mortis [b] pabula vivens.
Quo magis ignosci mihi fas, quia promtius ex hoc
Agnosci datur, a summo Genitore novari,
Quod non more meo geritur; non arbitror, istis [21]
Confessus dicar mutatæ in prava notandum
Errorem mentis, quoniam sim sponte professus,
Me non mente mea vitam mutasse priorem.
Mens nova me fateor cepit [22], mens non meà quondam,
Sed mea nunc autore Deo, qui si quid in actu
Ingeniove meo sua dignum ad munia vidit,
Gratia prima tibi, tibi gloria debita (g) cedet,
Cujus præceptis partum est quod Christus amaret.
Quare gratandum magis est tibi quam queritandum,
Quod tuus ille, tuis studiis et moribus ortus,
Paulinus, cui te non inficiare parentem
Nec modo, cum credis perversum, sic mea verti
Consilia, ut sim promeritus Christi fore, dum sum
Ausonii; feret ille tuæ sua præmia laudi,
Deque tua primum tibi deferet arbore fructum.
Unde precor meliora putes, nec maxima perdas
Præmia, detestando tuis bona fontibus orta.
Non etenim mihi mens (h) vaga, sed neque participantum
Vita fugax hominum, Lyciæ qua scribis in antris [23]
Pegaseum vixisse equitem, licet avia multi
Numine agente colant, clari velut ante sophorum
Pro studiis Musisque suis: ut nunc quoque castis
Qui Christum sumsere animis [c] agitare frequentant [24],
Non inopes animi, neque de feritate legentes
Desertis habitare locis, sed in ardua versi
Sidera, spectantesque Deum, verique profunda
Perspicere intenti, de vanis libera curis
Otia amant; strepitusque [25] fori, rerumque tumultus,
Cunctaque divinis inimica negotia donis,
Et Christi imperiis et amore salutis, abhorrent.
Speque fideque Deum sponsa mercede sequuntur,
369—370 Quam referet certus non desperantibus autor,
Si modo non vincant vacuis præsentia rebus;

[a] Hic olim incipiebat carmen 12.
[b] Vide not. 225.
[c] Id est *frequentes agunt*.
(a) Edd. Lugd., Grav., Poelm. et Schot. in margg. cum Sacchino, *Vel aliud horum quidquid est.*
(b) Ms. Regius codex, *Hæ mihi gratandæ salvis affectibus iræ.* Hi 65 versus in ms. Reg. et edit. Bad. locum habent post versum *Moribus et monitu.*
(c) Sic legendum me monuit V. C. Nic. Heinsius, refragantibus codicibus in quibus *hoc feret.*
(d) Ita emendavimus ex ms. codice Vossiano et edit. Poelm., succurrentibus mss. Lugd. et Reg. et editis Bad. et Vinet., in quibus *regit;* et edd. Grav., Poelm. et Schot. in margg., in quibus legitur *in omnia ..... infusus .... Christus .... qui tempora.* Antea legebatur in editione Rosv.

Qui super omne quod est, et in omni totus ubique
Omnibus infuso rebus agit omnia Christo,
Quo mentes tenet atque movet, quo tempora nostra.

(e) Manuscriptus codex Vossianus in Anglia, *ne quid.*
(f) Ms. Voss. cum editis Lugd., Vinet. et Poelm. Grav. et Schot. in margg., *fiat.* Vulgata lectio magis placet.
(g) Ms. Reg. et edd. Bad., Poelm. et Vinet., *cedit.*
(h) Manuscriptus Regius codex cum editis Bad. et Schot. in marg., *demens* Sacch., an *præcipi tantum?*

Quæque videt spernat, quæ non videt ut mereatur, A
Secreta ignitus penetrans cœlestia sensus.
Namque caduca patent nostris, æterna negantur
Visibus, et nunc spe sequimur quod mente videmus,
Spernentes varias rerum spectacula formas,
Et male corporeos bona sollicitantia visus.
Attamen hæc [a] sedisse [26] illis sententia visa est,
Tota quibus jam lux patuit verique bonique,
Venturi æternum secli, et præsentis inane.
At mihi non eadem cui gloria, cur eadem sit
Fama? fides voti [27] par est, sed amœna colenti,
Nunc etiam et blanda posito locupletis in [b] acta [28]
Littoris, unde hæc jam tam festinata locorum,
Invidia est? utinam justus me carpere livor B
Incipiat, Christi sub nomine probra placebunt.
Non patitur tenerum mens Numine firma pudorem,
Et laus hic contemta redit mihi judice Christo.
Ne me igitur, venerande parens, his ut male versum
Increpites studiis, neque me vel conjuge carpas,
Vel mentis vitio: non anxia Bellerophontis
Mens est, nec Tanaquil mihi, sed Lucretia conjux.
Nec mihi nunc patrii est (ut vis) oblivio cœli,
Qui summum suspecto Patrem, quem qui colit unum,
Hic vere memor est cœli. Crede ergo, pater, nos
Nec cœli immemores, nec vivere mentis egentes, C
Humanisque agitare locis; studia ipsa piorum
Testantur mores hominum: nec enim impia summum
Gens poterit novisse Deum; sint multa locorum,
Multa hominum studiis inculta, expertia legum,
Quæ regio agresti ritu caret? aut quid (a) honestis
Improbitas aliena nocet? Quid tu mihi vastos
Vasconiæ saltus, et [c] ninguida Pyrenæi
Objicis hospitia, in primo quasi limine fixus
Hispanæ regionis agam, nec sit locus usquam
Rure vel urbe mihi, summum qua dives in orbem
Usque patet mersos spectans Hispania soles?
Sed fuerit fortuna, jugis habitasse latronum: D
Non lare barbarico rigui, mutatus in ipsos,
Inter quos (b) habui socia feritate, colonos.
Non recipit mens pura malum, neque levibus hærent
Inspersæ fibris maculæ: sic Vascone saltu
Quisquis agit purus sceleris vitam inter iniquos [29],
Nulla ab inhumano morum contagia ducit
Hospite. Sed mihi cur sit ab illo nomine crimen,
Qui diversa colo, ut colui, loca juncta superbis
Urbibus, et lætis hominum celeberrima cultis?
Ac si Vasconicis mihi vita fuisset in oris,
Cur non more meo potius formata, ferinos
Poneret [d] in nostros migrans gens barbara ritus?
Nam quod in (c) aversis habitacula ponis Hiberis
Urbibus, et deserta tuo legis oppida versu,
Montanamque mihi Calagurrim et Bilbilim acutis
Pendentem scopulis, collemque jacentis Ilerdæ
Exprobras, velut his habitem laris exsul et urbis
371-372 Extra hominum tecta atque vias: an credis Hiberæ
Has telluris opes, Hispani nescius orbis,
Quo gravis ille poli sub pondere constitit Atlas,
Ultima nunc ejus mons portio metaque terræ
Discludit bimarem celso qui vertice Calpen?
Bilbilis huic tantum, Calagurris, Ilerda notatur [30],
Cæsarea est Augusta cui, (d) cui Barcino amœna,
Et capite insigni despectans Tarraco pontum.
Quid numerem egregias terris et mœnibus [31] urbes,
Qua geminum felix Hispania tendit in æquor,
Qua (e) Betis Oceanum, Tyrrhenumque auget Hiberus,
Lataque distantis pelagi divortia complet,
Orbe suo finem ponens in limite mundi?
An tibi, mi domine illustris, si scribere sit mens,
Qua regione habites, placeat reticere nitentem
Burdigalam, et piceos malis describere Boios?
Cumque Marojalicis tua prodigis [e] otia thermis,
Inter et umbrosos donas tibi vivere lucos,
Læta locis, et mira colens habitacula tectis:
Nigrantesne casas et (f) texta mapalia culmo,
Dignaque [f] pellitis habitas deserta Bigerris?
Quique superba tuæ [32] contemnis mœnia Romæ
Consul, arenosos [g] num dedignare Vasatus?

[a] Id est *placuisse*. Vide vers. 12.
[b] Virgil. ἀκτή.
[c] Vide not. 226.
[d] Id est *deponeret*. Vide carm. 14, v. 81.
[e] Vide not. 227.
[f] Vide not. 228.
[g] Vide not. 229.

(*a*) Ita ms. Voss et edit. Vinet. Alii, *in istis*. Utraque lectio recepta.

(*b*) *Habui*, id est *habitavi*. Sic *habere* pro *habitare* usurpatum a Prudentio, lib. II contra Symmachum, v. 299. Vide Heinsium in notis.

(*c*) Ante erat *eversis*. Levi facta immutatione reposuimus, *aversis*, id est *remotis*.

(*d*) Ita editiones Constantini, Poelm. et Vinet. cum ms. codice Regio et edd. Schot. Ed. Rosv..... *Augusta cui Barcinnus amœna*.

(*e*) Prior syllaba in *Bœtis* perperam corripitur cum diphthongus sit; et priore longa legitur apud Lucanum, Statium, Silium, et omnes poetas. Ut igitur lex metri servaretur legerem:

Qua Bæti Oceanum, Tyrrhenumque auget Hibero.

Duos amnes denotat, quorum Bætis in Oceanum, Hiberus in Tyrrhenum mare sese exonerant. Vulgatam tamen retinuimus lectionem, quam Paulini esse arbitramur, cum eam codicum omnium tueatur auctoritas.

(*f*) Sic mss. codices Reg. et Voss. et editi Grav., Poelm. et Schot. in margg. Vide Nic. Heinsium in notis ad Nasonem. Alii, *tecta*, cum Rosv.

Vel quia Pictonicis tibi fertile rus viret arvis,
* Rauranum (a) Ausonias (b) huc devexisse (c) curules
Conquerar; et trabeam veteri sordescere (d) panno?
Quæ tamen augusta Latiaris in urbe Quirini
Cæsareas inter parili titulo palmatas
Fulget in attrito longum [33] venerabilis auro,
Florentem retinens meriti vivacis honorem.
Aut cum Lucani retineris culmine fundi,
Æmula Romuleis habitans fastigia tectis,
Materiam præbente loco, qui proxima signat,
In Condatino diceris degere vico?
Multa jocis pateant; liceat quoque ludere fictis.
Sed lingua mulcente gravem interlidere dentem,
Ludere blanditiis urentibus, et male dulces
Fermentare jocos satiræ mordacis aceto,
Sæpe poetarum, numquam decet esse parentum.
Namque **373-374** fides pietasque petunt, ut quod mala nectens,
Insinuat castis fama auribus, hoc bona (e) voti
Mens patris affligi, fixumque hærescere cordi
Non sinat, ut vulgus (f) scævo rumore malignum.
Ante habitos mores, non semper, flectere, (g) vitam
Crimen habet : namque est laudi bene vertere. Cum me
Immutatum audis, studium officiumque require.
Si pravo rectum, si relligiosa profanis,
Luxurie parcum, turpi mutatur [34] honestum;
Segnis, iners, obscurus ago : miserere sodalis
In mala perversi : blandum licet ira parentem
Excitet, ut lapsum rectis instauret amicum
Moribus, et monitu reparet meliora severo.
At si [35] forte (h) itidem, quod legi, et quod sequor, audis,
Corda (i) pio vovisse Deo, venerabile Christi
Imperium docili pro credulitate sequentem,
Persuasumque (j) Dei monitis, æterna parari
Præmia mortali, damnis præsentibus emta,
Non reor id (k) sano sic displicuisse parenti,
Mentis ut errorem credat, sic vivere Christo,
Ut Christus sanxit. Juvat hoc, nec pœnitet hujus
Erroris, stultus diversa sequentibus esse

A Nil moror, æterno mea dum sententia Regi
Sit sapiens. Breve (l) quidquid homo est, ut corporis ægri,
Temporis occidui, et sine Christo pulvis et umbra :
Quod probat aut damnat, tanti est, quanti arbiter ipse.
Ipse obit, atque illi suus est comitabilis error,
Cumque suo moriens sententia judice transit.
At nisi, dum tempus præsens datur, anxia nobis
Cura sit ad Domini præceptum vivere Christi,
Sera erit exutis homini querimonia membris,
Dum levia humanæ metuit convicia linguæ,
Non timuisse graves divini judicis iras,
B Quem Patris æterni solio dextraque sedentem
Omnibus impositum Regem, et labentibus annis
Venturum, ut cunctas æquato examine gentes
Judicet, et variis referat sua præmia gestis,
Credo equidem et (m) metuens studio properante laboro;
Si qua datur, ne morte prius quam crimine solvar.
Hujus in adventum trepidis mihi credula fibris
Corda tremunt, gestitque anima, id jam [36] cauta futuri,
Præmetuens ne vincta ægris pro corpore curis,
Ponderibusque gravis rerum, si forte recluso
Increpitet tuba vasta polo, non possit [37] in auras
Regis ad occursum levibus se tollere pennis,
C Inter honora volans sanctorum millia cœlo,
Qui per inane leves, neque mundi compede vinctos
Ardua in astra pedes facili molimine tollent,
Et teneris vecti per sidera nubibus ibunt,
Cœlestem ut medio venerentur in aere Regem,
Claraque adorato conjungant agmina Christo.
Hic metus est, labor iste, dies ne me ultimus atris
Sopitum tenebris sterili deprendat in actu,
375-376 Tempora sub vacuis ducentem perdita curis.
Nam quid agam? lentis si dum conniveo votis,
Christus ab ætheria mihi proditus arce coruscet,
D Et subitis Domini cœlo venientis aperto

* Vide not. 230.

(a) Tres mss. codices Lugd., Reg. et Voss. cum editis Grav., Poelm. et Schot. in margg., *Raraunum*. Vide not. 230.

(b) Manuscripti codd. Lugd. et Voss. et edd. Poelm. et Schot. in margg., *heu devenisse*.

(c) Ms. Voss., *secures*; non male. Vide not. 231.

(d) Omnes codices *fano*, seu *phano*. Scribendum utique *veteri panno*. *Pannus* enim passim apud scriptores antiquos ponitur pro *centone*, sive pro veste lacera e centonibus consuta. Sic apud Petronium.

Barbara contemtum prælia pannus habet.

Et,

Sola pruinosis horret facundia pannis.

Hinc *pannucea Baucis* apud Satyricum. *Pannus* et *purpura* nonnumquam inter se opponuntur, unde adagium, *pannum purpuræ insuere*. Ita et hic *trabea* et *pannus* sunt opposita. Paulinus carm. 21 ad Cytherium, v. 477; *Coeunt in unum purpuræ et panni gregem;* et epist. 29, num. 12, *Vidimus purpuream supellectilem pannis veteribus servientem*.

(e) Edd. Poelm. et Rosv., *noti*. Heinsius : leg. f. *voti.... patrii*.

(f) Ita ms. Voss. Alii codd., *sæva*, mendose. Vide, *scæva fabula*, carm. 11, v. 44.

(g) Sic omnes codices. Nec male, si legeretur *vitæ*.

(h) Ita ms. Voss. et ed. Lugd. Alias, *id idem*.

(i) Sacchinus et N. Heinsius suspicantur legendum *pie*; sed et supra *pio Christo*, ep. 32, n. 6.

(j) Mss. Lugd. et Voss., *sedet*.

(k) Ms. Reg. cum editis quinque, *sancto*.

(l) Ms. codex Vossianus, *quidquid homo est, homo corporis ægri*.

(m) Ita mss. Lugd. et Voss. cum edit. Vinct. Alii, *metuo*.

Præstrictus radiis, (a) obscura et tristia noctis A
Subfugia illato [38] confusus lumine quæram?
Quod mihi ne pareret vel diffidentia veri,
Vel præsentis amor vitæ, rerumque voluptas,
Curarumve [39] labor, placuit prævertere casus
Proposito, et curas finire superstite vita;
Commissisque [40] Deo ventura in secula rebus,
Exspectare trucem securo pectore mortem.
Si placet hoc, gratare tui spe divite amici:
Si contra est, Christo tantum me linque probari.

POEMA XI *.

Secundæ Ausonii epistolæ respondet carmine sequenti.

AUSONIO PAULINUS.

Continuata meæ durare silentia linguæ,
Te numquam tacito memoras; placitamque latebris B
Desidiam exprobras; neglectæque insuper addis
Crimen amicitiæ; formidatamque jugalem
Objicis, et durum jacis in mea viscera versum.
Parce, precor, lacerare tuum, nec amara paternis
Admiscere velis, ceu melli absinthia, verbis.
Cura mihi semper fuit, et manet, officiis te
Omnibus excolere, affectu observare fideli.
Non umquam tenui saltem tua gratia nævo
Commaculata mihi est; ipso te lædere vultu,
Semper et incauta timui violare figura.
Cumque tua accessi venerans, mea cautius ora
Composui, et læto formavi lumine frontem;
Ne qua vel a tacito contractam pectore nubem
Duceret in sanctum suspicio [1] falsa parentem. C
Hoc mea te domus exemplo coluitque [2] colitque,
Inque tuo tantus nobis consensus amore est,
Quantus et (b) in Christo connexa mente colendo.
Quis tua, quæso, tuis obduxit pectora livor?
Quo rumore (c) pias facilis tibi fama per aures
Irrupit [3] pepulitque animum contraque vetustam
Experta pietate fidem nova vulnera movit,
Læderet ut natis placidum malesuada parentem?
Sed mihi non fictæ mens conscia simplicitatis,
Nec patris inculti pietas rea, respuit omne
Immeritum, et falso perstringi crimine non fert;
Immunis (d) vero [4], gravius violatur iniquo
Vulnere, tam tenera [5] offensæ, quam libera culpæ.
Discussisse jugum quereris me, quo tibi doctis D
Junctus eram studiis. Hoc nec [6] gestasse quidem me
Assero: namque pares subeunt juga: nemo valentes
Copulat infirmis; neque sunt concordia frena,
Si sit compulsis mensura jugalibus impar.
Si vitulum tauro, vel equum committis onagro,
377-378 Si confers fulicas cygnis, et (e) ædona [a] parræ;
Castaneis corylos, æquas viburna cupressis,
Me compone tibi: vix Tullius et Maro tecum,
Sustineant [7] æquale jugum; si jungar amore,
Hoc tantum tibi me jactare audebo jugalem;
Quo modicum sociis magno contendit habenis
Dulcis amicitia æterno mihi fœdere tecum,
Et paribus semper redamandi legibus æqua.
Hoc nostra cervice jugum non scæva resolvit
Fabula, non terris absentia longa diremit.
Nec perimet, toto licet abstrahar orbe, vel ævo.
Numquam animo divisus agam; prius ipsa recedet
Corpore vita meo, quam vester pectore vultus.
Ego te per omne, quod datum mortalibus
Et destinatum seculum est,
Claudente donec continebor corpore,
Discernar orbe quolibet,
Nec orbe (f) longe, nec remotum lumine,
Tenebo fibris insitum,
Videbo corde, mente complectar pia
Ubique præsentem mihi.
Et cum solutus corporali carcere,
Terraque provolavero,
Quo me locarit axe communis Pater,
Illic quoque te animo geram.
Neque finis idem qui meo me corpore,
Et amore laxabit tui.
Mens quippe, lapsis quæ superstes artubus
De stirpe durat cœliti,
Sensus necesse est simul et affectus suos
Teneat [b] æque ut vitam suam;
Et ut mori, sic oblivisci [c] non capit,
Perenne viva et memor.

POEMA XII **.

DE S. FELICE NATALITIUM CARMEN I.

In eo carmine, quod scripsit in Hispania 14 Januarii die anno 394, paulo antequam Nolam peteret, auxilium S. Felicis implorat, ut ad ejus tumulum incolumis pervenire possit.

Inclite (g) Confessor, meritis et nomine Felix,
Mens pietate potens, summi mens accola cœli,
Nec minus in totis experta potentia terris,
Qui Dominum (h) Christum constanti voce professus,
Contemnendo truces meruisti evadere pœnas,

* Scriptum sub finem anni 393.
** Alias 14: quod autem 12 erat, nunc 10. Scriptum anno 394, die 14 Januar.
a Vide not. 232.
b Licentia poetica.
c Id est *non potest*. Vide carm. 9, v. 23.
(a) Non displiceret *obscuræ... noctis*, ut carm. 5, v. 15.
(b) Edit. quinque cum ms. codice Lugd., *in Christum connexa mente colendum*.
(c) Manuscriptus codex Regius, *pium*.
(d) Edd. 5, *merito*.
(e) Ms. codex Regius et tres editi in margg., *pica*. Vide not. 232.
(f) Edd. Lugd., Schot. et Vinet., *longum*. Poelm., *longo*. Sacchinus: forte, *Nec ore longe*, nam *orbe* præcessit; vel *Nec orbe longe, nec remotum limine*.
(g) Hi tres primi versus, quos exhibet editio Rosv., desiderantur in ms. codice Germanensi notato num. 540. Secundus et tertius desunt in editis quinque.
(h) Manuscriptus Germanensis codex notatus num. 540, *Jesum non vincta voce*.

A Devotamque (a) animam tormenta per omnia Christo,
Sponte tua jussus laxatis reddere membris,
Liquisti vacuos rabidis lictoribus artus,
Vectus in æthereum sine sanguine martyr honorem,
O pater, o domine, indignis licet, annue [1] servis,
Ut tandem, hanc fragili trahimus dum corpore vitam,
379-380 Sedibus optatis, et qua requiescis in [a] aula,
Hunc liceat celebrare diem, pia reddere [b] coram [2]
Vota, et gaudentes inter gaudere tumultus.
B Sit jam, quæso, satis merita impietate tulisse
Hanc pœnam tot jam quot te sine viximus annis,
Sede tua procul, heu! quamvis non mente remoti.
Jam desideriis immenso tempore fessis
Consule : jam vel sero [3] memor miserere tuorum :
Perque orbem, magni qui nos (b) procul æquore ponti
Disparat, obtritis quæ nos inimica retardant,
Pande vias faciles : et, si properantibus ad te
Invidus hostis obest, objecta repagula pelle
Fortior adversis, et amicos provehe cursus.
Seu placeat telluris iter, comes aggere tuto
C Esto tuis ; seu magna tui fiducia longo
Suadeat ire mari, da currere mollibus undis,
Et famulis famulos (c) a puppi suggere ventos,
Ut Campana simul Christo duce littora vecti,
Ad tua mox alacri rapiamur culmina cursu,
Inque tuo placidus nobis sit limine portus.
Illic dulce jugum, leve onus, blandumque feremus
Servitium sub te (d) domino ; etsi justus iniquis
Non egeas servis, tamen et patiere, et amabis
Qualescumque tibi Christo donante dicatos,
Et foribus servire tuis, tua limina mane
Munditie (e) curare sines; et nocte vicissim
Excubiis servare piis; et munere in isto
Claudere promeritam defesso corpore vitam.

POEMA XIII *.

DE S. FELICE NATALITIUM CARMEN II.

S. Felici gratias agit quod ejus auxilio salvus Nolam pervenerit; et describit populi concursum ad S. Felicis tumulum in festo illius die.

Felix, hoc merito, quod nomine; nomine et idem,
Qui [b] merito ; redit alma dies qua te sibi summus
Adscivit patriam confessum Christus in [c] aulam,
Tempus adest plenis grates tibi fundere votis.
O pater, o domine, indignis licet optime servis,
Tandem exoratum est, (f) inter tua limina nobis
Natalem celebrare tuum. Tria tempore longo
Lustra cucurrerunt ex quo sollemnibus istis
Coram vota tibi [d] coram mea corda dicavi,
Ex illo qui me [5] terraque marique labores
Distulerint a sede tua procul orbe remoto,
Novisti; nam te mihi semper ubique propinquum,
Inter dura viæ, vitæque incerta, vocavi [6].
Et maria intravi duce te, quia cura pericli
Cessit amore tui, nec te sine : nam tua sensi
Præsidia, in Domino superans maris aspera Christo :
381-382 Semper (g) eo et terris te propter tutus et undis.
(Hunc, precor, æterna pietate et pace serenum
Posce tuis, cujus magno stas nomine Felix.
Nunc juvat effusas in gaudia solvere mentes :
Cara dies tandem quoniam hic præsentibus orta est,
Semper et æternum nobis celebrata per orbem,
Quæ te sacravit terris et contulit astris.)
Ecce vias vario plebs discolor agmine pingit :
Urbes innumeras una miramur in urbe.
O felix Felice tuo tibi præsule Nola,
Inclita cive sacro, cœlesti firma patrono,
Postque ipsam titulos Romam sortita secundos,
Quæ prius imperio tantum, et victricibus armis,
Nunc et apostolicis terrarum est prima sepulcris.
Sis bonus o felixque tuis, Dominumque potentem
Exores, liceat placati munere Christi,
Post pelagi fluctus, mundi quoque fluctibus actis,
In statione tua placido consistere portu.
Hoc bene subductam religavi littore classem ;
In te compositæ mihi fixa sit anchora vitæ.

POEMA XIV **.

DE S. FELICE NATALITIUM CARMEN III.

D *S. Felicis potentiam adversus dæmones ostendit, ejusque apud Deum intercessionem implorat.*

Venit festa dies cœlo, celeberrima terris,
Natalem [e] Felicis agens, qua corpore terris
Occidit, et Christo superis est natus in astris,

* Alias 17 : quod autem 13 erat, nunc 21. Scriptum anno 395, die 14 Januar.

** Alias 18 : quod autem 14 erat, nunc 22. Scriptum anno 396, die 14 Januar.

[a] Vide carm. 32, v. 544.

[b] Vide carm. 13, v. 9.

[c] Vide carm. 32, v. 544.

[d] Vide carm. 12, v. 13.

[e] Vide Beleth. div. Offic. cap. 4.

(a) Tres sequentes versus, cum 15, 16, 17, 19, 20, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 29 et 30, absunt ab editis quinque.

(b) Ms. Germ., *tanto*.

(c) Editi codd. quinque, *a puppibus aggere*.

(d) Manuscriptus codex Germanensis, *domine*.

(e) Ms. Germ., *Munditiis*.

(f) Reposuimus *inter* ex ms. codice Germanensi et editis quinque. Rosveydus correxerat *intra*. Sed et *inter viscera* ex vetustioribus mss. ad Prudent. Cathemer. hymn. 4, v. 20, legi asserit Heinsius in notis non *intra*.

(g) Editi quidam, *Semper ego*. Post hunc versum addidimus sex sequentes ex ms. Germanensi codice pervetusto. Septem alii subsequentes, qui desunt in editis quinque, exstant in eodem ms. codice.

Cœlestem [a] nanctus [1] sine sanguine martyr honorem. A
Nam Confessor obit, pœnas non sponte lucratus,
Acceptante Deo fidam pro sanguine mentem;
Qui cordis taciti scrutator, ferre paratos
Æquiparat [2] passis, sat habens interna probasse,
Supplicium carnis justa pietate remittit [3],
Martyrium sine cæde placet, [(a) si promta ferendi
Mensque fidesque Deo caleat], passura voluntas
Sufficit, et summa est meriti, testatio voti.
Ergo dies, tanto quæ munere (b) rettulit alto
Felicem cœlo, sacris sollemnibus ista est :
Nam post [b] solstitium, quo Christus corpore natus
Sole novo gelidæ mutavit tempora brumæ, B
Atque salutiferum præstans mortalibus ortum.
Procedente die secum decrescere noctes
Jussit, ab hoc quæ lux oritur vicesima [5] nobis
Sidereum meriti signat Felicis honorem.
Denique nil impar his, qui fudere cruorem,
Testibus, et titulo simul et virtute (c) recepta,
Martyris ostendit meritum, cum jure potenti
Dæmonas exercet, devinctaque corpora solvit.
Nam sibi Felicem cæcis incumbere pœnis,
Pestiferi proceres tristi clamore fatentur,
383-384 Occultasque cruces gemitu testantur aperto,
Velatumque oculis mortalibus, at manifestum
Auribus et multo præsentem numine produnt,
Cum captiva intra deprensi corpora, Christum C
In sancto fulgere suo clamantque probantque,
Membrorum incussu tremuli, capitumque rotatu,
Tormentisque suis, sed non sua corpora torquent,
Clamantes proprios aliena per ora dolores
Orantum veniam : latet ultor, pœna videtur.
Tum si quos graviore malo violentior hostis
Vinxerit, ista dies divino munere [6] solvit.
Cernere tunc passim est sacra purgata medela
Pectora [b] liminibus sterni, jam mente refectos,
Gratantes jam voce sua : concurrit hiantum
Turba tremens hominum; mixtæ inter gaudia cunctis
Prosiliunt lacrymæ : præsens Deus omnibus illic D
Creditur : immensi Felix est gloria Christi.
Alma dies magnis celebratur cœtibus, [(d) omnes
Vota dicant sacris [c] rata postibus; omnia gaudent
Terrarum et cœli,] ridere videtur apertis
Æthra polis : vernum spirare silentibus auræ
Flatibus, et lætum plaga cingere lactea cœlum.
Nec modus est populis coeuntibus agmine denso,
Nec requies, properant in lucem a nocte, diemque
Exspectare piget, votis avidis mora noctis
Rumpitur, et noctem flammis funalia vincunt,
Stipatam multis unam juvat urbibus urbem
Cernere, totque uno compulsa examina voto.
Lucani coeunt populi, coit Appula pubes,
Et Calabri, et cuncti quos adluit [d] æstus uterque,
Qui læva et dextra Latium circumsonat unda :
Et qua bis ternas [7] Campania læta per urbes
Ceu propriis gaudet festis, quos mœnibus amplis
Dives habet Capua, et quos pulcra Neapolis, aut quos
Gaurus alit, læta exercent qui Massica, quique
Ufentem Sarnumque bibunt, qui sicca Tanagri,
Quique colunt rigui felicia culta Galesi,
Quos Atina potens, quos mater Aricia mittit.
Ipsaque cœlestum sacris procerum (e) monimentis
Roma Petro Pauloque potens, rarescere gaudet
Hujus honore (f) diei, portæque ex ore Capenæ
Millia profundens ad amicæ mœnia Nolæ,
Dimittit duodena decem per millia denso
Agmine : confertis longe latet Appia turbis.
Nec minus, ex alia populis regione profectis,
Aspera montosæ carpuntur strata Latinæ,
Quos Præneste altum, quos fertile pascit Aquinum :
Quosque suburbanis vetus Ardea mittit ab oris,
Quique urbem liquere Cales, geminumque Teanum,
Quam gravis Auruncus, vel quam colit Appulus asper :
Huc et olivifero concurrit turba Venafro,
Oppida Samnites duri montana relinquunt.
Vicit iter durum pietas, amor omnia Christi
Vincit, et alma fides : animisque locisque rigentes
Suadet acerba pati, simul aspera [e] ponere corda.
Una dies cunctos vocat, una et Nola receptat,
Totaque plena suis, spatiosaque limina cunctis;
385-386 Credas innumeris ut mœnia dilatari,
Hospitibus, sic Nola (g) assurgit imagine Romæ.

[a] Sic mss.
[b] Vide not. 233.
[c] Vide carm. 5, v. 58, et carm. 16, v. 10.
[d] Id est *mare*.
[e] Id est *deponere*. Vide carm. 17, v. 248.
(a) Hunc versum addidimus ex ms. codice Germanensi.
(b) Idem codex ms., *condidit*.
(c) Manuscriptus Germ. codex, *recepti*, non male.
(d) Hic versus additus est ex ms. codice Germ. Ante erat *cœtibus, ore Gaudent terrarum, et ridere*, etc.
(e) Ita ms. Germ. cum editis Grin. et Poelm. Alii, *monumentis*.
(f) Sic ms. Germ. codex cum ed. Schot. in marg. per synalepham; et hæc non est usitata. Ante erat *Dei* in editis quinque, quod favet nostræ lectioni; in ed. Rosv., *die*, nullo sensu.
(g) Ms. Germ., *adsurgis*.

(a) Tu quoque post Urbem titulos sortita secundos?
Nam prius imperio tantum et victricibus armis,
Nunc et apostolicis terrarum est prima [a] sepulcris.
Tu quoque perpetuas duplici sub honore coronas,
Ante sacerdotis, post martyris, omne per ævum
Felicis complexa tui, gemino bene cœlum
Contingis merito divini mater amici.
Te prius alma pio celebrans altaria cultu
Presbyter instituit, placido et moderamine rexit.
(b) Hinc quoque perpetuo decorat te nomine Felix.
Namque tuo meritum in gremio sacratus honorem,
Ducit odorifero pia conditus ossa sepulcro.
Aurea nunc niveis ornantur limina [a] velis,
Clara coronantur densis altaria lychnis.
Lumina ceratis adolentur odora [b] papyris,
Nocte dieque micant, sic nox splendore diei
Fulget : et ipsa dies cœlesti illustris honore,
Plus (c) micat innumeris lucem geminata lucernis.
Nos quoque felices, quibus istum cernere coram
Et celebrare diem datur, et spectare patroni
Præmia, præstantique suis tam grandia Christo
Gratari, et lætos inter gaudere tumultus.
Ferte Deo, pueri, laudem, pia solvite vota,
Et [c] pariter castis date carmina festa choreis,
Spargite [d] flore solum, prætexite limina sertis :
Purpureum ver spiret hiems, sit floreus annus
Ante diem, sancto cedat natura diei.
Martyris ad tumulum debes et terra coronas.
Ast illum superi sacra gloria luminis ambit,
Florentem gemina belli pacisque corona.
Hunc, precor, æterna nobiscum pace serenum
Posce diem, hoc iterum liceat gaudere reverso,
Annuaque hic et vota tuis et carmina festis
Reddere placati tranquillo numine Christi.
Hic amor, hic labor est nobis; hæc vota tuorum
Suscipe, commendaque Deo, ut cum sedula cura
Servitium nostrum longo tibi penderit ævo,
Tunc demum (d) placidos pietate laboris alumnos
Absolvas (e) mittente manu; positasque tuorum
Ante tuos vultus animas vectare paterno

A

Ne renuas gremio Domini fulgentis ad ora :
Quem bonitate pium, sed majestate tremendum,
Exora, ut precibus (f) plenis meritisque redonet
Debita nostra tuis, cum tu quoque magna piorum
Portio, regnantem Felix comitaberis Agnum :
Posce ovium grege nos statui, ut sententia summi
Judicis hoc quoque nos iterum tibi munere donet,
Ne male gratatis lævos adjudicet hœdis,
Sed potius (g) dextra positos in parte, (h) salutis
Munifico pecori, laudatisque [a] adgreget agnis.

POEMA XV *.

DE S. FELICE NATALITIUM CARMEN IV.

B

S. Felicis genus et originem describit, et sancta ejus munia in Ecclesia.

387-388 Annua vota mihi remeant, simul annua linguæ
Debita, natalis tuus, o clarissime Christo
Felix, natali proprio mihi carior; in quo
Quamlibet innumeris sint gaudia publica turbis.
Est aliquid speciale tuis, quod nos tibi Christus
Esse dedit, viles caro largitus amico.
Non quia tu dignus famulis tam vilibus esses,
Æternis dignate Deo [a] comes ire triumphis;
Sed quia nos inopes (i) justi [e] indignosque salutis
Sic voluit ditare Pater bonus, ut male dites
Criminibus versa in melius vice divitiarum,
C
Pro cunctis opibus cunctisque affectibus, et pro
Nobilibus titulis et honoribus omnia vanis,
Felicem caperemus (j) opes, patriamque, domumque.
Tu pater, et patria, et domus, et substantia nobis,
In gremium translata tuum cunabula nostra,
Et tuus est nobis nido sinus, hoc bene foti
Crescimus, inque aliam mutantes corpora formam,
Terrena exuimur stirpe, et subeuntibus alis
Vertimur in volucres divini semine verbi.
Te relevante jugum Christi leve noscimus, in te
Blandus et indignis, et dulcis Christus amaris.
Ista dies ergo et nobis sollemnis habenda,
D
Quæ tibi natalis: quia te mala nostra abolente
Occidimus mundo, nascamur ut in bona Christo.
Surge igitur cithara, et totis intendere fibris,

* Alias 19 : quod autem 15 erat, nunc 32. Scriptum anno 397, die 14 Januar.
[a] Vid. not. 234.
[b] Vid. not. 235 et 236.
[c] Id est *simul*. Vid. carm. 15, v. 334.
[d] Vide not. 237.
[e] Id est *justitiæ*.
(a) Hi tres versus desiderantur in ms. codice Germanensi. Ii, paucis quibusdam vocibus immutatis, jam reperiuntur in Natalitio carmine 2 S. Felicis, v. 28, 29 et 30.
(b) Manuscriptus Germ. codex cum editis Grav. et Schot., *Nunc*.
(c) Ms. Germ., *nitet*.
(d) Manuscriptus codex Germ., *placitos*.
(e) Sic emendavimus ex ms. Germanensi codice et editis quinque. Edit. Rosv., *Absolvat*.
(f) Ms. Germ., *lenis*.
(g) Ms. Germ. cum editis quinque, *dextræ*. Vitiata Rosv. editionis interpunctio, *in parte salutis*, *Munifico pecori*.
(h) Ms. codex Germanensis, *piorum*.
(i) Ms. codex Germ., *æqui*.
(j) *Opes*. Sic mss. duo Germ. et Schol. in marg. et recte, pro *substantia*, ut in sequenti versu, et jam præcessit *opibus*. Legitur quoque natal. 8 S. Fel., v. 556, *Felicis opes*.

Excita vis animæ tacito mea viscera cantu, A
Non tacita cordis testudine, dentibus ictis,
Pulset amor linguæ, plectro (a) lyra personet oris.
Non ego Castalidas vatum phantasmata Musas,
Nec surdum Aonia Phœbum de rupe ciebo,
Carminis incentor Christus mihi : munere Christi
Audeo peccator (b) sanctum et cœlestia fari.
Nec tibi difficile, Omnipotens, mea solvere doctis
Ora modis, qui muta loqui, fluere arida, solvi
Dura jubes. Tu namque asinam reboare loquendo [a],
Perfectamque tibi lactentes [b] [*] condere laudem
Fecisti, et solidam [*] solvisti in flumina rupem, B
Et terram sine aqua subitis manere fluentis
Jussisti, deserta rigans in spem populorum,
In quorum arentes animas pia gratia fluxit,
Quos Christus vivo manans petra fonte refecit.
Unde ego pars hominum minima, isto munere fretus,
Roris, Christe, tui vivos precor aridus haustus.
Da verbum de fonte tuo; tua non queo fari
Te sine; namque tui laus martyris, et tua laus est,
Qui facis Omnipotens homines divina valere,
Fortiaque infirmis superans, de carne triumphas,
389-390 Aerios (c) proceres vincens in corpore nostro. C
Quare ades, ut duce te repetens ab origine pergam
Felicem narrare tuum, cui nobile ductum
Ex Oriente genus : nec enim magis altera tellus
Felicis patriam decuit, quam quæ patriarchas,
Quæque pios tulerat, Christi sacra vasa, prophetas.
Unde et apostolicis fundens sua (d) flumina linguis,
Totum Evangelii sonus emanavit in orbem.
Debitus inde Deo Felix, genitore profecto
Italiam necdum genitus, tamen in patre venit :
Civis ut affectu nostris oriretur in oris;
Nec cuiquam natum nisi nobis se meminisset.
Sic pater Abraham Domini præcepta secutus, D
Mutavit patrias externo cespite terras,
[(e) Deposuitque sacrum Chananæis semen in arvis;
Unde peregrinas subeunte [*] propagine terras,]
Mystica Felicem nobis transmisit origo,
Quem perfecta fides illa radice profectum
Prodidit, ut nobis esset pia vena [*] fidei.
Felix nunc etiam posita cum carne quiescit,
Spiritus in Christo vivens, operantibus altæ
Virtutis meritis Abrahæ semine mutat
Duritiam lapidum, quos suscitat in bona vitæ.
Hac igitur genitore Syro generatus in urbe,
Dilectam coluit patriæ sub imagine Nolam,
Sede beans placita : multoque relictus in auro,
Dives opum viguit, quamvis [*] non unicus heres.
Hermia cum fratre sui cognomine patris
Terrenas divisit opes; cœlestia solus
Obtinuit Felix; geminos sententia discors
Divisit fratres : Hermiam mundus [d] abegit,
Felicem Christus sibi sustulit : ille caduca
Maluit, hic (f) solida : præsentibus ille cohæsit,
Iste solum cœlo vertit, patrimonia regnis :
Ille heres tantum proprii patris, iste coheres
Christi. Sed quis tam variam miretur ab uno
Sanguine progeniem, veterum inter sancta parentum
Pignora qui relegat populorum stirpe duorum
Fecundam pugnas uteri doluisse Rebeccam?
Conquestamque Deo gravidi luctamina ventris?
Cum jam tunc fremeret sanctæ intra viscera matris,
Quæ nunc intra uterum mundi discordia sævit.
Hispida Judæis (g) hirti sectantibus Esau
Perfidia, addictis populo servire minori.
At nobis lævem per (h) lenia pacis Iacob,
Qua via lucis agit, meliore sequentibus ortu.
Ergo pari dispar fratrum de sanguine sanguis :
Hermias, velut asper Edom terrena secutus,
Squaluit in vacua captivus imagine mundi,
Duraque Idumæi prælegit (i) rura parentis,
391-392 In gladio vivens proprio, vanæque laborem
Militiæ sterilem tolerans, qui [e] Cæsaris armis
Succubuit, privatus agens ad munia Christi.
At meus æterni satus arma capessere Regis,
In patris Israel migravit nomina Felix :
Seseque a puero pia mens cœlestibus edens,
Instituit servire Deo; nec gratia pauper
Adfuit, et quantum sitiebat corde capaci
Lucis hians animus, tam largiter influa traxit
Dona Dei. Primis [e] lector servivit in annis.
Inde gradum cepit, cui munus voce fideli

[a] Num. XXII, 28.
[b] Psalm. VIII, 3.
[c] Vide not. 334.
[d] Id est *rapuit*.
[e] Vide not. 238.

(a) Ed. Rosv., *cor*.
(b) Ms. 1 Germ., *sancta*.
(c) Hic versus desideratur in uno Germanensi codice ms. Alter, *Aerios proceres*, recte, id est *dæmones*. Sic amat loqui Paulinus; in epistola enim 24 ad Severum, num. 14, *hostis aerii;* et in epist. 23 ad eumdem, n. 20, *principum aeris hujus*. Alias, *Assyrios proceres*.
(d) Edit. Rosv., *fulmina*, refragantibus aliis mss. et editis codicibus. Utraque lectio bona.
(e) Hi duo versus adduntur ex mss. codicibus 2 Germ.
(f) Hic Paulinus syllabam natura brevem, positione longam fecit ob duas subsequentes consonantes. Vide eamdem licentiam carm. 24, v. 508.
(g) Sic mss. codices. At editi, *hirtis sectantibus*, *Esau*, mala interpunctione. Sed quid sibi vult *Hispida Perfidia?* Num forte legendum *perfidiæ?*
(h) Ita mss. codices Germ. cum ed. Schot. Alii, *lævia*.
(i) Sic restituimus ex veteri Badiana editione. Alias *jura*.

Adjurare malos, et sacris pellere [7] verbis.
Quod quia perspicua meriti virtute (a) gerebat,
Jure sacerdotis veneranda insignia nanctus [8];
Mente loco digna meritum decoravit honorem.
Sed ne sola (b) sacrum caput infula comeret illi,
Exstitit et potior geminandæ causa coronæ.
Dira profanorum rabies exorta furorum;
Cum pia sacrilego quateretur [a] Eclesia bello,
Præcipueque illos populo deposceret omni [9]
Impietas, quorum pietas insignior esset :
Tunc senior sanctis (c) Nolanam legibus urbem
Maximus (d) e placido (e) formabat episcopus ore,
Presbytero Felice potens; quem mente paterna
Complexus veluti natum, sedisque (f) fovebat
Heredem; subita (g) sed tempestate fugatus,
Non cedente fide, petiit deserta locorum.
Tunc magis atque magis, quæsito antistite [10], felix
Claruit oppositus gladiis, solusque [b] fidei
Invidia affectus : nec spectabatur honore;
Major honore fides tantum quia [11] causa [c] fidei.
Tunc petitur, sua cum draco lividus excitat arma,
Proruere id cupiens, quo surgimus, et cadit ipse.
Ergo truces pœnas, fugiente antistite, solus,
Vel primus de plebe, quasi de corpore vertex,
Competitur Felix. Hunc omnes vincere certant;
Et quasi præcelsam obsessis in mœnibus arcem
Facta mole petunt; cujus munimine victo
Cetera jam facili cadat urbs (h) prostrata ruina.
O digna infidis dementia! creditur uno
Exstinguenda fides, totus quam credidit orbis.
Heu misera impietas! infernis [12] cæca tenebris,
Quo ruis? in quem tela moves? an credis in uno
Mortali constare Deum? et, si corpora solvas,
Vim simul et mentem divinam posse aboleri?
Quæ mundi per membra meat, qua nasceris ipse,
Indignusque aleris, cujus de numine pendet
Vincere vel vinci; cujus virtute vel unus
393-394 Fortior innumeris : pietate armatus inermi,
Armatos ferro, sed inermes pectora Christo,
Prosternit (i) superante fide, quæ conscia veri
A Cœlestis, vitam præsenti morte futuram
Comparat, et victo victricem corpore mentem
Læta Deo referens gaudentibus invehit astris.
Quid juvat ergo pium tanta quod mole furoris
Felicem vesane petis? manet intus operto
Mens invicta Deo; nec jam tibi sola resistit
Terreni natura hominis; Deus ipse repugnat
Quem petis, atque tuis [d] serpens antique venenis
Ipse offert se per famulorum corpora Christus,
Teque tuis nectens laqueis, in cæde suorum
Sternit, per mortis speciem de morte triumphans.
Sed fera corda (j) suus stimulis furialibus error
Sanguinea flagrare [13] siti, sanctumque cruorem
B Urgebat, veluti sceleris deposcere palmam.
Ergo ubi sacrilegos excepit Nola furores,
Intentosque (k) piis expavit civibus enses,
Quæritur excussa Felix venerandus in urbe.
Nec refugit, celso jam spirans sidera flatu,
Et tacitis acuens stimulis in prælia mentem,
Impavidus trepidum servabat pastor ovile,
Exemplo Domini, promptus dare pro grege vitam [e].
Ergo alacer sævos perstat quasi murus in hostes;
Et canis, florente fide, revirescit in annis,
Totus in astra animo, Christi memor, immemor ævi,
Corde Deum gestans, et plenus pectora Christo.
C Nec jam se capit ipse; sacer majorque videri,
Sidereumque [f] oculis et honorem fulgere vultu.
Illicet arripitur gaudens; sævisque furentum
Protrahitur (l) manibus, sed (qui mos hostis iniqui,
Cui potior labor est (m) animas quam corpora nostra
Perdere), dilatum gladio terroribus ante
Tentat, et in mortem surgit gradibus pœnarum [14].
Primus supplicii de carcere texitur ordo.
Ferrea junguntur tenebrosis vincula claustris;
Stat manibus colloque chalybs, nervoque [g] rigescunt
D Diducente pedes : sternuntur fragmina testæ,

[a] Vide not. 239.
[b] Vide not. 334.
[c] Vide ibid.
[d] Vide not. 59.
[e] Johan. x, 15.
[f] Licentia poetica. Vide carm. 25, v. 98.
[g] Vide not. 241.

(a) Ita emendavimus ex duobus mss. Germ. et sic Sacchinus legendum censebat. Ante erat *regebat*, male; non enim dicitur *exorcistæ munus regere.*

(b) Sic restituimus ex mss. codicibus 2 Germ. Ante erat :

Sed ne sola viro sacrum caput infula velet.

Aldhelmus carm. de Paulo apostolo :

Infula virgineo quem comit sacra pudore.

Ita enim scribendum e membranis admonet V. C. J. F. Gronovius in Ecclesiast. Observat., c. 15. Aldhelmus de Eustochio :

Infula quam nitidæ comebat casta juventæ.

(c) Ms. 1 Germ., *Nolam qui.*

(d) Ita mss. codices duo Germ. et edd. Grav. et Schot. in margg. Alii, *et placido.*

(e) Sic ms. codex unus Germ. cum edd. Grin. et Poelm. Ms. alter Germ., *firmabat.* Alii, *formavit.*

(f) Alias, *vovebat.* Vide not. 240.

(g) Ms. codex unus Germ., *sub tempestate.*

(h) Ita mss. duo codices Germ. Editi, *constrata.*

(i) Sic ms. unus Germanensis. Alii codd., *Prosternet.* Vide seqq.

(j) Mss. duo et editi quinque, *suis.* Alii, *suus.*

(k) Sic emendavimus ex duobus mss. codicibus Germ. Ante erat *Intentusque.... ensis.*

(l) Ita emendatum ex mss. duobus Germ. et ed. Schot. At alii, *Pertrahitur.* Correctio nostra confirmatur ex epist. 29 ad Severum, num. 11.

(m) Sic mss. duo Germ. Alias, *animos.*

Arceat ut somnum pœnalis acumine lectus.
Nec requie tamen est vacuus, nec luminis expers
Confessor, cui jam sociatus in omnia Christus
Compatitur, virides gravior cui pœna coronas
Multiplicat; spatiante [15] polum qui mente peragrat.
Seque ipsum, vincto quamvis in corpore, liber
Spiritus antevolat summi in penetralia Christi,
Præmeditante anima certis sua præmia votis.
Ergo beata sacris Felicem passio pœnis
Urgebat gravibus vinclis et carcere cæco:
Quantasque ex homine induerat caro subdita pœnas,
Tantas a Christo recipit patientia palmas.
Maximus interea [a] solis in montibus æger,
Contentus fugisse manus feraliaque ora
Carnificum, diversa, at non leviore, ferebat
Martyrium cruce, quam si ferro colla dedisset,
395—396 Membraque tormentis, aut ignibus: acrior illum
Cura sui gregis urit et afficit; uritur igne
Frigoris, et gelido cœli de rore rigescit,
Panis inops tectique simul, noctemque diemque
Pervigil intenta jungit prece tempus utrumque.
Dumosa dum stratus [16] humo compungitur artus
Sentibus, et mentem curis, intusque forisque
Dimicat, et ruris spinas in corpore perfert,
Tristitiæ patitur spinas in pectore mæsto.
Duris dura tegens, cruciatu mentis acerbo
Membrorum tormenta levat, sensumque doloris
Corporei (*a*) excludit cordis [17] dolor. Attamen ægra
Materies terræ (licet inconcussa maneret
Vis animæ, (*b*) spernente fide labentia carnis),
Victa hieme atque fame, duroque attrita cubili,
Deficiente suam linquebat corpore mentem,
Altius e vacuis fessi senis hausta medullis
Frigora pellebant glaciato sanguine vitam.
Mota Patris summi pietas antistite tanto,
Non tulit obscuro consumi funere corpus.
Quanquam et ut Eliam, (*c*) sic istum pascere posset,
Esciferas volucres jejuna per avia mittens;
Posset et ut Mosen [18] secreto operire sepulcro.
Sed soli hoc dederat Deus uni munus amico,
Arcana tellure tegit, quia jure decebat.
Tantus honos illud corpus, quod comminus ore
Fulserat, et sermone Dei [b] ut mortalia functus
Jura, Deo (*d*) tantum frueretur teste sepulcri.
Ergo sacerdotem confessoremque sereno
Lumine respiciens, tacitis tabescere silvis
Non tulit ulterius mitis Pater; et quia digno
Condignum comitem meritis sociare parabat,
Felicem numero de carceris eligit omni,
Cujus id apponat [19] meritis opus, ut senis almi
Membra levet, revocetque animam, revehatque refotum,
Attonitisque ovibus cari solatia reddat
Pastoris. Venit ergo micans jam nocte silenti
Angelus, et tota vinctorum in plebe reorum
Felicem solum, pietas cui sancta reatum
Fecerat, alloquitur [20]: fugit atri carceris horror.
Voce simul sacri Felix et luce ministri
Excussus tremit, et verbum trahit aure fideli.
Ac primum, velut eludentis [21] imagine somni
Accipiat mandata Dei, stupet anxius: et se
Causatur non posse sequi prohibente catena,
Insuper et claustro simul et custode teneri
Carceris obsessi. Sed vox divina morantem
Increpitans, jubet excussis assurgere [22] vinclis.
Et subito, ut molles manibus fluxere catenæ,
Sponte jugo cervix ferrato exuta [23] levatur,
Prosiliuntque pedes laxato caudice nervi.
Mira fides! salvis reserato carcere claustris,
Sopito custode, fores interritus exit,
Perque ipsos via fit, per quos via clauditur; ibat
Angelus, et tacitæ per amica silentia noctis
Lux et iter Felicis erat. Nonne unus in omni
Christus adest sancto? sicut viget omnibus idem
397-398 Spiritus in Christo genitis, sic ipsa piorum
Gratia concordat. Veterem remeare recenti
Historia (*e*) video speciem, qua jussus abire [24]
Bisseno (*f*) sublimis in agmine discipulorum
Petrus, sponte sua vinclis labentibus, eque
Carcere processit clauso, qua prævius illum
Angelus, Herodi prædam furatus, agebat.
Sic meus, educente Deo, geminata per atra
Carceris et noctis, reliquis obscura, sed uni
Illustrata [25] sibi, Felix impune per ipsos
Custodes, constante premens vestigia passu,
Callibus ignotis directus, jussa petebat.
Et postquam emensus secretos avia saltus
Rura (*g*), locum fessi senis invenit; ægra trahentem
Jam tenui cernit mæstus suspiria flatu.
Et primo ut cari cognovit membra parentis,
Fusus in amplexum, dat vultibus oscula notis,
Et tentat [26] gelidis revocare fovendo calorem
Artubus, et crebris afflatibus oris anheli
Reddere viventes tepefacto corpore sensus.
Sed neque clamatu est neque pulsu mobile corpus,
Jam simile exanimo: modicus tamen ultima vitæ
Flatus, et internæ prodit trepidatio fibræ.
Anxius intuitu tali pia pectora Felix,

[a] Vide carm. 16, v. 8.
[b] Vid. carm. 32, v. 15.
(*a*) Ms. codex unus Germ., *Corporis*.
(*b*) Ms. 1 Germ., *superante:* utraque lectio bona.
(*c*) Manuscriptus codex 1 Germ., *sanctum quoque*.
(*d*) Sic emendatum ex mss. codicibus duobus Germ. Ante erat *tanti*, nullo sensu.
(*e*) Ita emendavimus ex mss. duobus Germ.
(*f*) Sic reposuimus ex duobus mss. codicibus Germ. pervetustis. In editis, *princeps super*.
(*g*) Ita emendatum ex ms. codice Germanensi. Alter, *Jura*. Editi *Pura*. Correctio nostra confirmatur ex carm. 20, v. 29, *avia rura*.

Distrahit exsangues artus, et lurida cernens
Ora fame, nec habens quidquam quo rebus egenis
Ferret opem, non igne procul, neque comminus [17] esca.
Ut dape tabentem recrearet et igne rigentem.
Quærenti, et multa Christum prece convenienti,
Quanam ope, quave via jussum complere valeret
Servitium, subitam omnipotens de (*a*) sentibus uvam
Edidit, et capiti jussit pendere propinquam,
Ut facile [a] attiguo posset decerpere ramo
Natum sponte cibum. Divinitus ergo refectus,
Mente pia oblato lætatur munere Felix;
Decerptumque [18] manu morientis ad ora racemum
Admovet: et quoniam strictis jam dentibus ille
Et sentire negat dulces et sumere victus [19],
Exprimit humentes acinos, succumque liquentem
Instillat, digito diducens arida labra;
Donec et adspirante Deo conatibus ægris,
Et luctante manu, rigidos paulisper hiatus
Laxavit, tenuemque aditum dedit oris aperti,
Quo rorem exiguum resoluta infunderet uva.
Hinc animæ sensus, calor ossibus, atque oculis lux,
Vitaque tota redit: quæque hæserat obsita siccis
Faucibus, exercet solitas jam lingua loquelas,
Postquam vocis iter patefecit lubricus humor.
Ergo reviviscens, notissima comminus ora,
Felicis videt ora sui, amplexusque vicissim,
Conqueritur tardum: Nam te promiserat, inquit,
Adfore jamdudum Dominus mihi, pars mea Felix;
Præcipuum, Felix, pignus mihi, quæ rogo tantæ
Aut ubi te tenuere moræ? si corpore cessi
399-400 Ad tempus fragili, solido tamen esse fidelis
Pectore duravi. Docet et locus et status ipse,
In quo me cernis vitæ istius ima trahentem,
Non mortis fugisse metu, Christoque meam me
Præposuisse animam: fugi, non lucis amore,
Sed [b] fragile hoc metuens infirmi corporis; atqui [20]
Tecta petens, alia vixissem tutus in urbe,
Si mihi vile fides, et (*b*) cara [21] hæc vita fuisset.
Ignotos montes, desertaque nuda petivi,
In gremio Domini dulcis mea colla reponens,
Ipso ut [c] deficerem teste, aut ut pascerer ipso.
Nec frustra, ecce vides, fuit hæc fiducia nobis:
A Adfuit Omnipotens, et te mihi mittere [d] legit,
Per quem dona mihi sua redderet: utere, fili,
Præceptis pietatis opus mandantibus, et me
Suscipiens humeris, commune ad ovile reporta.
Impiger optato gavisus munere Felix,
Carum onus, ut Christi pondus leve, sumit, et adfert
Tam (*c*) volucri cursu, tamquam magis ipse feratur,
Nec ferat; et vere Christus fert ipse ferentem,
Et (*d*) pedibus pietate citis Deus addidit alas.
Nocte [e] eadem pariter tot munera percipit unus,
Et simul exsequitur Felix; sua rumpere jussus
Vincla, sacerdotem reficit, revehitque refectum,
Deponitque sui tutum sub culmine tecti,
B Unica quod servabat anus; tam celsus et isto
Maximus exstabat merito Confessor, ut illi
Turba domus, summa et census, anus una maneret.
Pulsatis foribus Felix hanc excitat [22]; illa
Ad primos (*e*) pavefacta sonos, vix nota renoscit
Alloquia, et dominum tectis assumit [23] apertis,
Voce graduque tremens, quatiente timore senectam.
Cui Felix: Cape depositum hoc, quod conscia mecum
Sidera noctis, et angelicæ sub principe Christo,
Me tradente, manus tradunt tibi; sume fideli
C Hanc Domini gemmam gremio, quam tempore summo
Incolumem nobis Domino sub judice reddas,
Quo nunc teste capis. Subit istis Maximus orsis,
Felicemque suum revocans: Cape tu quoque, dixit,
Muneris, o mi nate [24], vicem, quam me tibi jussit
Reddere compositum, qui te mihi jussit adesse
Deposito. Tum deinde sacram Felicis amati
Imponit capiti dextram, simul omnia Christi
Dona petens: velut ille patrum venerabilis Isac
Rore poli natum, et terræ benedixit opimo [f];
Felicem Christo sic Maximus ore paterno
Ore et apostolico benedicens et locupletans,
Immarcescibilis redimivit honore coronæ
D Perpetuisque opibus, quas et modo cernimus, auxit.

POEMA XVI [*].

DE S. FELICE NATALITIUM CARMEN V.

S. Felicis historiam prosequitur.

401-402 Tempora temporibus subeunt, abit, et venit æstas;
Cuncta dies trudendo diem fugit, et rotat orbem:

[*] Alias 20: quod autem 16 erat, nunc 12. Scriptum anno 398, die 14 Januar.
[a] Vid. carm. 16, v. 168.
[b] Vide carm. 21, v. 603.
[c] Id est *morerer*.
[d] Id est *elegit*. Vide carm. 32, v. 522, et ep. 32, num. 6.
[e] Licentia poetica. Vide ep. 32, n. 5, v. 8.
[f] Gen. XXVII, 28.

(*a*) Sic mss. codices cum edd. Grav. et Schot. in margg. Editi quinque, *vitibus*.
(*b*) Sic ms. unus Germanensis codex. Alii, *carum*, incongrue omnino; nec enim attendendum ad præcedentia.
(*c*) Ms. 1 Germ. *volucer*.
(*d*) Ita mss. duo Germ. et edd. Grin. et Poelm. melius. Alii, *It pedibus*.
(*e*) Ms. 1 Germ., *stupefacta*.

Omnia prætereunt, sanctorum gloria durat
In Christo, qui cuncta novat, dum permanet (*a*) in se.
Tandem igitur revoluta dies mihi nascere, toto
Exoptata dies anno, quæ dulcia festa,
Et mea vota novas; quæ me sollemnia poscis
Munera, natalem referens, quo millia gaudent
Innumeri populi; quo me specialia tangunt
Gaudia, quo famulæ rata debeo [1] munera linguæ
Felici (*b*) libare meo, cui mente dicata
In Domino Christo sum deditus : hunc et amoris
Obsequio celebrare per annua carmina sanctum
Fas mihi. Dicam igitur merita, et causas meritorum,
E quibus obtinuit cœlestum præmia laudum,
Æternosque dies, et magni nomen honoris.
Jam [a] prior hoc (*c*) primos vobis liber edidit actus
Martyris, unde domo, vel qui genus, et quibus altus
In studiis, quo deinde gradu per sancta vocatus
Munia maluerit Christo servire perenni,
Quam patrias errare vias [2] per devia mundi :
Nam pater emeritis sub Cæsare vixerat armis,
Diximus et tetro toleratas carcere pœnas,
Quas confessor obit, mortem quoque ferre paratus,
Ni Deus anticipans gladios, solvisset iniquis
Emissum vinclis, aliosque vocasset ad actus;
Ut (*d*) prius ad sacram remearet episcopus aulam
Maximus, in [b] solis qui saltibus ultima vitæ
Æger anhelabat, grassante fugatus ab hoste :
Quem jussus proprio subvexit corpore Felix,
Pauperis et tecti delatum in sede locavit;
Pensatisque sibi, sancto senis ore beati,
Officiis benedictus abit; paucisque diebus
Delituit proprii tacitus sub culmine tecti,
Non tacita Dominum cœlestem mente fatigans,
Quem prece directa, penetrans super astra, propinquo
Pulsabat merito, pacem procedere poscens.
Interea fluxere dies, pax visa reverti.
Deseruit latebram Felix, tandemque sereno
Confisus cœlo, lætis se reddere lætum
Fratribus, et placidæ committere cœperat urbi.
Gratabantur oves Christi, pastore recepto.
Ille gregem pavidum de tempestate recenti
Mulcebat monitis cœlestibus, et duce verbo
Anxia corda regens, firmabat amore [c] fidei;
Contemnenda docens et amara et dulcia mundi;
Nec concedendum terroribus; obviaque ipsis
Ignibus aut gladiis [3] promptos inferre monebat
403-404 Pectora; et ipse suis addebat pondera verbis [4],
Confessor passus, quæ perpetienda docebat;
Omnibus eloquio simul exemploque magister.
Non tulit hæc Malus ille diu : sed inhorruit atris
Crinibus, et (*e*) rabidis inflavit colla venenis;
Immisitque suum scelerata in pectora virus,
Ureret ut nigras Felicis gratia mentes.
Inseruit stimulos, et mentibus arsit iniquis
Vipereæ (*f*) furor invidiæ; petit improba (*g*) primam
Ira domum; cunctis amor impius in scelus ardet.
Felicem sitit impietas : sed ab ædibus absens
Forte suis media steterat securus in urbe,
Fraternis de more suo vallatus amicis,
Et pia verba serens populi credentis in aures.
Ecce ad eum, strictis quærentes ensibus, adsunt.
Cum subito, aut illis corda hostibus, aut huic ora
Vertuntur, notum non agnovere furentes,
Felicemque rogant, Felix ubi cernitur, et non
Cernitur; ipse, nec ipse vir est; cum sit prope, longe est.
Ignotus notusque suis fit civibus idem,
Discernente fide vultum credentibus, ipse
Hostibus alter erat : persensit [5] et ipse faventis
Consilium Christi; ridensque rogantibus infit :
Nescio Felicem quem quæritis. Illicet illi
Prætereunt ipsum; discedit at ille platea,
Illudente [6] canes Domino frustratus hiantes.
Nec longum emensis spatium, et scitantibus illis,
Qua Felix regione foret, quidam increpat, et dat
Indicium, ignarus causæ, credensque furore
Dementes, qui non vidissent comminus ipsum,
Ad quem contiguis fecissent verba loquelis [7].
Perculsi novitate doli, graviusque furentes
Mox redeunt, perque ipsa viri vestigia currunt.
Jamque propinquabant, sed præcurrente tumultu
Urbis, et attoniti clamoribus undique vulgi
Admonitus Felix, instantia vulnera flexu
Declinat, medioque procul se devius aufert.
Namque (*h*) locum nanctus, spatio qui forte patenti
Panditur effugium, celebri seductus ab urbe,
Sic quoque non longinquus erat sectoribus atris,
Qui prope conspicuo subductus ab ore sequentum,
Infestos utcumque timens vitaverat enses;

[a] Id est *Nat.* 4.
[b] Vide carm. 15, v. 98.
[c] Vide not. 334.
(*a*) Ms. codex unus Germanensis, *ipse*. Utraque lectio bona.
(*b*) Sic repositum ex duobus mss. codicibus Germ. Editi, *libata*, minus bene.
(*c*) Iidem codices mss. Germanenses duo, *primus*; et recte quidem hoc sensu : *primus liber prior hoc*, id est, *liber proxime hunc præcedens jam vobis edidit actus Martyris*.
(*d*) Ms. 1 Germ., *pius*.
(*e*) Sic emendavimus ex duobus mss. codicibus Germ., refragantibus editis, in quibus mendose omnino legitur *rapidis*. Vide v. 199, *rabida monstra*, et alibi, *rabidis lictoribus*.
(*f*) Ms. unus codex Germ., *Vipereus*.
(*g*) Ita edd. sex. Tres in margg. cum mss. 2 Germ., *primum*. Sed poetica magis vulgata lectio quam retinemus.
(*h*) Mss. duo codices Germ., *E spatio*, *nanctusque locum qui forte parenti*. Tres edd. in margg., *parenti*.

Et capiendus erat, quia nullius obice claustri, A
Ille repellendis locus obsistebat iniquis.
Nam [8] foribus nullis, in publica rostra [9] patebat
Semiruti paries malefidus fragmine muri.
Sed divina manus sese sanctum inter et hostes
Opposuit, miroque locum munimine sepsit.
Non strue saxorum, neque ferratis data valvis
Claustra, per humanas quibus atria claudimus artes :
Rudere sed subito concrevit sordidus [10] agger,
Jussaque nutantes intendit aranea telas,
Et sinibus tremulis (*a*) in totum struxit apertum,
Desertæque dedit faciem sordere ruinæ.
405—408 Quæ simul occurrit minitantibus, obstupuerunt [11],
Defixoque gradu, (*b*) sibimet dixere vicissim : B
Nonne furor tentare aditus, aut credere quemquam
Hac intrasse hominem, minimi qua signa dedissent
Vermiculi? modicæ rumpunt hæc retia muscæ,
Nos penetrasse virum (*c*) per clausa putamus inepti,
Et tenerum tanto non ruptum corpore textum?
Ille magis nostris manibus modo debitus index,
Qui nos in deserta doloso callidus astu
Induxit, versumque alio, mentitus in isto
Felicem latitare situ, quo nostra maligno
Verteret arma dolo, capiti fugientis amicus.
Ergo recedamus : nam stare diutius istic,
Risus erit vulgi, demensque notabitur error, C
Scrutatum [12] hac hominis latebras contendere gressum,
Qua vel mole putri, vel araneolis obductis,
Monstrat inaccessos humus incalcata recessus.
Nec mora, discedunt propere in diversa frementes :
Sed Deus, ut Scriptura canit ᵃ, vesana minantes
Irridebat eos cœlesti Christus ab arce;
Felicemque suum sacris velaverat alis.
Qui Domini tutus gremio candentia tela
Discutiebat ovans galea, scutoque ᵇ fidei,
Et gladium verbi confessor in ore gerebat.
Armatus pietate manus, et pectora plenus
Casta Deo, insignis meriti thorace tegebat.
O multis divina modis Sapientia dives,
Semper ab infirmis confundens fortia mundi!
Vix populos altis defendunt mœnia muris,
Et fretos valido munimine sæpius hostis
Opprimit, adversisque expugnat montibus urbes.
Nunc et ab armatis protexit aranea sanctum
Defensante Deo; teneris stetit hostis abactus
Cassibus; aerio cessit vis ferrea filo.
A Vana salus hominum, virtus mea non mihi virtus,
Si caream virtute Dei. Quo vasta gigantum
Robora? quo Pharii reges? ubi magna (*d*) Hiericus?
Omnibus exitio sua gloria, qua tumuerunt,
Cassa fuit. Neque vero suis virtutibus ista,
Sed magis infirmis divina potentia fregit.
Ille gigas [13] pueri funda pastoris obivit,
Ut canis; illam urbem sonitus solvere tubarum;
Littorea jacuit rex ille superbus arena,
Divitias regni pendens in funere nudo.
Sic ubi Christus adest nobis, et aranea (*e*) muro est :
At cui Christus abest, et murus aranea fiet.
B Digressis igitur cum facta silentia turbis,
Secretoque fugæ fidas nox alta tenebras
Præbuit, egreditur Felix, mutatque latebram :
Illa [14] canens Domino : Media si mortis in umbra
Ingrediar, mala non metuam, quoniam tua mecum
Dextra, per infernum non expers luminis ibo ᶜ.
Ergo (*f*) Dei ductu capit in regione remota
Compluvium, angusto brevia inter tecta ᵈ cubili,
Quo vetus arebat tecto cisterna profundo.
Propter ᵉ in attiguis habitabat femina tignis
407 — 408 Sancta Deo mulier, quæ confessoris operti
Nescia, Felicem Christo quasi conscia pavit.
Mira canam, ingenium Domini pascentis alumnum,
Ignara pascente suum. Nunc sedula panes,
Nunc alias de more, sibi quas coxerat escas,
Mentis in excessu divino facta paratu
Importabat eo, Felix ubi teste latebat
Velatus Domino; sed nec cum tenderet illo [15]
Noverat ingressum; nec cum (*g*) discederet inde,
Introitus erat illa sui memor : utque paratos
Intulerat victus, propriis licet illa cibando
Serviret manibus sancto, tamen inscia tanti
Muneris, hoc [16] de corde suo novisse nequibat,
Quod non mente sua, sed Christi numine agebat,
Proque loco latebræ, et strictæ [17] super ora lacunæ,
Appositos ingressa cibos linquebat, eosque
D Se posuisse domi credens, ita semper abibat,
Ponendæ memor, et positæ mox immemor escæ.
O mulier benedicta Deo, velut una volucrum,
Quæ quondam mundo abductum pavere prophetam.
Tu quoque secreto pavisti martyra tecto,
Sicut avis Domino parens, et nescia sancti,
Conscia servitii : (*h*) quid gesseris, et cui tandem

ᵃ Psal. II, 1 et 4.
ᵇ Vide not. 334.
ᶜ Psal. XXII, 4.
ᵈ Vid. not. 242.
ᵉ Id est *prope*. Vide carm. 21, v. 305; et 22, v. 118.
(*a*) Mss. duo Germ., *intutum*. Bona utraque lectio.
(*b*) Edd., *simul et*. Ex duobus mss. codicibus reposuimus *sibimet*, id est, *sibi invicem dixere*.
(*c*) Ita mss. duo Germ. Ed. Schot. proxime accedit, *per clusa*. Alii, *præclusa*.
(*d*) Mss. duo Germ., *Hierico*
(*e*) Ms. 1 Germ., *murus*.
(*f*) Ms. codex 1 Germ., *die ducto*.
(*g*) Manuscripti duo codices Germ., *discesserat*.
(*h*) Ita mss. duo Germ. Edd., *quod*.

A Servieris, gaudens illo sub tempore nosces,
Cum Deus ipse suo pro confessore coronam
Justitiæ Christus reddet tibi, tunc tua Felix
Ipse tibi referet sub judice prandia Christo,
Quæ Deus ad dulces sacrati martyris usus
Transtulit, ut quondam coctas messoribus escas,
Angelica per inane manu pendente propheta
Misit jejuno rabida inter monstra prophetæ;
Non fera monstra, fides quia vicerat alma leones,
Sanctaque frenabant avidos jejunia rictus.
Sex illum totos perhibent [18] ex ordine menses
Expertem cœtus hominum vixisse sub illa
Culminis obscuri simul angustique latebra,
Nil opis humanæ indiguum, solamine Christi
Semper abundantem : qui tempore fertur in illo
B Sæpe illum sermone suo dignatus adisse :
Sæpe sua pavisse manu, cœloque dedisse
Pocula, non pluvialis aquæ; quam nubila passim
Omnibus effundunt; sed (*a*) quem specialiter uni
Gratia Felici (*b*) mittebat ab æthere rorem,
Nam nimiis, ut fit, tunc torrida solibus æstas,
Et puteum quoque siccarat, qui parta latenti
Pocula præbuerat. Sed ne sitis ureret illum
Carnea, qui Christum sitiendo, ferebat et istam
Corporis afflicti [19] pœnam, delata sereno
Inque globum (*c*) tenuis nubes collecta, per arctum
Impluvii [a], dulcem sitientis in ora liquorem
Infudit, quasi pressa manu; cœloque vocandum,
Velleris ætherei succo lactante refecit.
C Quid mirum, si nunc terrena (*d*) labe solutum
Christus alat, positum quem in corpore sanctus alebat
409 - 410 Spiritus; et cui panis erat, Verbum Deus ipse
Cœlestum panis, quo vescitur angelus omnis?
Tempus ut hoc abiit, pax reddita condidit enses,
Felicemque Deus monuit prodire latebra,
Qui (*e*) dudum placidas mundi clamoribus aures
Struxerat, humanis ducens oblivia rebus.
Ut novus in lucem jam desperantibus exit,
Et patria tamquam redivivus in urbe videtur.
Et multi dubitant agnoscere, et ante rogantes,
Verane te facies? (aiunt) tunc ille beatus
D Redderis heu tanto nobis post tempore Felix?
Qua regione venis? cœlo datus, an paradiso?
Redditus in terras habitacula nostra revisis?
Ille fidem firmat, coram se corpore adesse,
Servatum vixisse Deo; dat gaudia cunctis;
Laudibus et meritis populo celebratur ab omni.

Functus erat, (*f*) longum perfunctus episcopus ævum
Maximus, et numerus [b] ductu pastoris egebat.
Felicis nomen totum balabat ovile,
Quem confessoris redimibat adorea Christo;
Quemque salutiferum spondebat lingua magistrum,
Vitaque doctrinæ concors; sed ut hoc quoque palmam
Justitiæ ferret, meritum sublime quieto
Corde premens, velut indignus, non audet honore
Crescere, testaturque seni mage debita Quinto;
Quod prior [20] ille gradum socii meruisset honoris
Presbyter : hæc septem distabat summa diebus.
Ergo sub hoc etiam Felix antistite vixit
Presbyter, et crevit meritis, qui [21] crescere sede
Noluit : ipse illum tamquam minor omnia Quintus
Observabat, et os linguam Felicis habebat.
Ille gregem officio, Felix sermone regebat,
Multa aliis sanctum Christi virtutibus auxit
Gratia Felicem, nec pace minora subegit
Prœlia, quam validis confessor gesserat armis.
Corpoream tristi sub tempestate salutem
Spreverat, idem et opum simul et contemtor honorum
Secura sub pace fuit. Non ille tenendi
Securus meriti, sed cautior ut bona vitæ
Parta tueretur, postquam discrimina mortis
Vicerat, et scopulos inter tranquilla timebat.
Diximus ut mortem calcarit, et ambitionem ;
Nunc aliam confessoris cognoscite palmam.
Vicit avaritiam : nam prædia multa (*g*) domosque
Divitiis locuples patriis [22] possederat heres;
Confessor proscriptus erat, sed pace reducta,
Et sua, si vellet, deposcere jura licebat :
Maluit ille tamen verbum curare Magistri [c],
Cuncta licent, non cuncta juvant [d] : licito utile præfert;
Et quasi terrenæ contagia ducere labis,
Horruit amissos in jura reposcere fundos.
Multi (*h*) obtundebant, præ cunctis nomine prisco [23]
Archelais (*i*), tam sancta fide, quam stemmate [24] clara,
Dives opum vidua, et sanctum pietate fideli
Felicem venerans, atque illi cara vicissim.
411 - 412 Hæc illum juxta meritum venerata colebat,
Utque ferunt, junctum sibimet pro jure sodali
Usurpans animum, crebris pia corda querelis

[a] Vide not. 167.
[b] Id est *populus*. Vide carm. 23, v. 27.
[c] Id est *apostoli Pauli*. Vid. ep. 30, n. 5.
[d] I Cor. VI, 12.

(*a*) Sic emendavimus ex mss. duobus codicibus Germ. et editis quatuor. Edit. Rosv., *quam*, male.
(*b*) Ms. unus Germ. codex, *defudit*.
(*c*) Ita ms. unus Germ. codex, meliùs quam editi, *tenuem*. Hic versus desideratur in alio ms. Germ. codice.
(*d*) Sic repositum ex mss. duobus Germ. Vera lectio, quæ infra confirmatur ex versu 272, *terrenæ contagia ducere labis*. Ante erat *mole*.
(*e*) Ita mss. duo codices Germ. et ed. Schot. Alii, *Qua*. Et mox iidem duo mss., *Et patria*. Alias, *Ut*.
(*f*) Sic mss. duo Germ. Editi, *largum*.
(*g*) Mss. duo Germ., *domusque;* sic ubique iidem codices, *domus* pro *domos*.
(*h*) Ms. 1 Germ., *obtendebant*.
(*i*) Mss. duo Germ., *Archelaus;* sic forte Paulinus dixerit, ut *Melanius* pro *Melania*.

Sæpe fatigabat, cur debita promptaque reddi A
Jura recusaret, quæ dispensare recepta,
Mercedis magnæ cum fœnore posset [25] egenis.
Plurima de propriis quoque rebus munera sæpe
Obtulit; ille pio contentus ad omnia sensu [26]
Femineam placido ridebat pectore curam,
Cœlestum sibimet sat conscius ipse bonorum,
Quæ pro terrenis sibi compensata tenebat.
Unde potens, caris instantibus hæc referebat:
Cogitis ut repetam terrena, perennia perdam?
Præstat, opes salvo desint, quam vita opulento:
Dives egebo Deo, nam Christum pauper habebo.
Divitiis inopem (a) ditabit gratia Christi.
Hunc retinens animum, (b) tria macri jugera ruris,
Nec proprio sub jure tenens, conducta colonus B
Ipse manu coluit, famulo sine, pauperis horti
Possessor: sed et has [27] de cespite dives egeno
In Dominum confudit opes; cum paupere semper
Collectum divisit olus, cum paupere mensa
Una dies illi curam consumsit habendi.
Unica vestis eum, sæpe et vix unica texit.
Si geminas habuit, nudum meliore refovit.
Sæpe novo miseros vertit velamine pannos.
Felicisque habitu pauper mutatus ab atro
Enituit; contra mendici tegmine Felix
Sorduit, exornans inculto corpore mentem.
Hac vivens pietate Deo maturus, et ævi
Et meriti plenis clausit sua secla diebus,
Mutavitque piæ, non clausit, secula vitæ.

POEMA XVII *. C

AD NICETAM REDEUNTEM IN DACIAM.

S. Nicetam Dacorum episcopum, qui ad Natalem S. Felicis Nolæ occurrerat, abeuntem miris laudibus prosequitur.

413-414 Jamne abis, et nos properans relinquis?
Quos tamen sola regione linquis,
Semper adnexa [1] sine fine tecum
Mente futuros [2]?
Jamne discedis revocante longe
Quam colis, terra? sed et hic [a] resistis,
Sancte Niceta [b]: quoniam et profectum
Corde tenemus.
I, memor nostri, remaneque vadens
Spiritu præsens, animis vicissim
Insitus nostris, trahe, ferque tecum D
Quos geris in te.
O nimis terra [3] et populi beati!
Quos modo a nobis remeans adibis;
Quos tuo accedens pede visitabit
Christus et ore.
Ibis Arctoos procul usque Dacos,
Ibis Epiro gemina videndus,
Et per Ægeos penetrabis æstus
Thessalonicen.
Appulis sed nunc via prima terris
Te vehet, longo spatiosa plano,
Qua Canusino medicata flagrant
Vellera fuco.
Ast ubi paulum via proferetur,
Det, precor, mites tibi Christus æstus,
Et levis spiret sine nube siccis
Aura Calabris.
Sicut antiqui [b] manibus prophetæ
Per sacramentum crucis, unda misso
Dulcuit ligno [c], posuitque [d] tristes
Merra (c) liquores;
Sic tibi cœlum modo temperetur,
Et (d) levi sudo tenuatus aer,
Flatibus puris placide salubres
Spiret in auras.
Qui solet flatu gravis e palustri,
Anguium tetros referens odores,
Solvere in morbos tumefacta crasso
Corpora vento.
Quem potens rerum Dominus fugari,
Sive mutari jubeat: suoque
Nunc sacerdoti bona sanitatis
Flabra ministret.
Sicut Ægypto pereunte quondam
Noctis et densæ tenebris operta,
Qua Dei vivi sacra gens agebat,
Lux erat orbi.
415-416 Quæ modo in toto species probatur
Orbe, cum sanctæ pia pars fidei
Fulgeat Christo; reliquos tenebris
Obruat error.
Sic meo, qua se feret actus ora,
Cuncta Nicetæ Dominus secundet:
Donec optato patriam vehatur
Lætus ad urbem.
Perge, Niceta, bene qua recurris,
Prosperos Christo comitante cursus,
Quem tui dudum populi fatigant
Nocte dieque
Te reposcentes, ut ager levandis
Cum satis imbrem sitit, utque molles
Cum suas matres vituli represso
Lacte requirunt.
Unde nos justis precibus tuorum,
Qui suum recte repetunt parentem,
Cogimur victo, licet inrepleti,
Cedere voto.
Et quia spes jam rapitur tenendi,

* Alias 30: quod autem 17 erat, nunc 13. Scriptum videtur anno 398, in æstate.
a Id est, *remanes*.
b Vide not. 345.
c Exod. xv, 25.
d Id est *deposuit*.
(a) Ita ms. 1 Germ., melius quam alii *ditavit*.
(b) Mss. duo Germ., *modici tria*.

(c) Sic emendavimus ex optimo ms. codice Germanensi. Ex hujus codicis lectione pariter emendatus est locus epistolæ 37, n. 1, Poem. 23, vers. 342 et 345. LXX. ἐκ μεῤῥας, Exod. xv, 25. Origen. homil. 7, itemque S. Augustinus quæst. 56, *Non poterant aquam bibere de mera*. Vide not. 214.
(d) Ms. Germ., *Ut*.

Urget affectus placitis favere :
Jam vias illas licet oderimus [a] [5]
Quæ rapiunt te,
Odimus quamvis, (*a*) sed easdem amamus.
Odimus quod te retrahunt : amamus
Quod tuum nobis procul attulerunt
Cernere vultum.
Quas (*b*) prius stringi superante amore,
Nunc tibi sterni faciles precamur,
Prævio terris pelagoque summi
Nomine Christi.
Qui tibi factis iter omne campis,
Arduos montes reprimat, cavasque
Impleat valles, salebras adæquet,
Jungat hiatus.
Te per Hydruntum (*c*) Lupiasque vectum,
Innubæ fratrum simul et sororum
Ambient (*d*), uno Dominum canentes
Ore catervæ.
Quis mihi pennas daret ut columbæ [b],
Ut choris illis citus interessem :
Qui Deum Christum duce te canentes
Sidera pulsant ?
Sed licet pigro teneamur ægri
Corporis nexu, tamen evolamus
Mentibus post te, Dominoque tecum
Dicimus hymnos.
Nam tuis intus simul implicati
Sensibus, vel cum canis, ac precaris :
Cum tua de te prece cumque voce
Promimur et nos.
Inde jam terris subeunte ponto
Adriæ stratus sinus obsequetur,
Unde procumbet, zephyroque leni
Vela tumescent.
417 - 418 Ibis illabens pelago jacenti,
Et rate amata titulo salutis [c],
Victor antemna crucis [d] ibis, undis
Tutus, et austris.
Navitæ læti solitum celeusma [e]
Concinent versis modulis in hymnos,
Et piis ducent comites in æquor [6]
Vocibus auras.
Præcinet cunctis, tuba ceu resultans,
Lingua Nicetæ modulata Christum,
Psallet (*e*) æternus citharista toto
Æquore David.

A Audient *Amen* tremefacta cete,
Et sacerdotem Domino canentem
Læta lascivo procul admeabunt
Monstra natatu.
Undique alludent patulo verentes
Ore delphines, sine voce quamquam,
Æmula humanis tamen eloquentur
Gaudia linguis.
Nam Deo quid non sapit atque vivit,
Cujus et verbo sata cuncta rerum?
Hinc Dei laudem maris ima noscunt
Mutaque clamant.
Testis est nobis veteris prophetæ [f]
Bellua, ad nutum Domini profundo
Excita, ut mersum caperet, deinque
B Redderet haustum.
Sed modo ad nostrum ferus ipse vatem
Auribus tantum pia devorabit
Cantica (*f*) : impastam saturabit [7] alvum
Carmine pastus.
Qua libet pergas iter, et per undas,
Perque tellurem, licet, et per hostes,
Ibis armatus galea salutis,
Vertice Christo.
Advolet missus Raphael, ut olim
Tobiæ Medis [g]; ita prosequendo
Ipse Nicetæ comes usque Dacos
Angelus adsit.
Ducat hunc æque famulum suum dux
C Ille, qui quondam profugum (*g*) minacis
Fratris a vultu Deus in salutem
Duxit Iacob [h].
Namque Niceta fugitivus æque est;
Quod semel fecit patriarcha, semper
Hic facit, mundo fugiens ad alti
Mœnia cœli :
Et gradus illos, quibus ille vidit [a]
Angelos versa vice commeantes [i],
Iste (*h*) contendit superante nubes
Scandere vita :
419 — 420 Per crucis scalas properans in astra
Qua Deus nitens ad humum coruscis
E thronis spectat varios labores,
D Bellaque mentis.
Tuque, Niceta, bene nominatus
Corporis victor, velut ille dictus

[a] Licentia poetica. Vide not. 342.
[b] Psal. LIV, 7.
[c] Vide not. 245.
[d] Vide not. 246.
[e] Vide not. 247.
[f] Jon. II, 1.
[g] Tob. V.
[h] Gen. XXVIII, 13.
[i] Gen. XXVIII, 12.
(*a*) Edd. quinque, *tamen has.*
(*b*) Mss. codices Germ. et Reg., *peradstricti.* Sed melius respondet *prius stringi* huic quod sequitur, *Nunc sterni.*
(*c*) Ms. Germ., *Lipias.* Ms. codex Regius cum editis quatuor, *Lepias.*
(*d*) Ms. Germ., *ambiant.*
(*e*) Ed. Rosv. *alternis.* Emendavimus ex ms. codice Germanensi, *æternus,* succurrentibus mss. Reg. et editis codicibus Bad., Grav., Schot. et Poelm., qui præferunt *æternis*, nullo sensu. SACCHIN. : Lego *æternus.* Et sane aptissime David dicitur *æternus citharista*, quandoquidem ore omnium psallit, qui ejus psalmos decantant; id consecutus non modo ut in cœlo per se, sed in terris etiam per alios in seculum et in seculum seculi Deum laudet, quod optabat et spondebat dum viveret.
(*f*) Manuscriptus Germ. codex, *Carmina.*
(*g*) Mss. Germ. et Reg., *superbi.* At omnes edd., *minacis*, aptius ad Scripturæ sensum.
(*h*) Ita ms. Germ. Alii, *contentus.*

Israel, summum quia vidit alto
Corde satorem [a],
Unde Nicetes meus approbatur
Israelites sine fraude verus,
Qui Deum cernit (*a*) solidæ fidei
Lumine Christum.
Hic Deus noster, via nostra semper,
Sit comes nobis, sit et antecessor :
Semitis lumen, pedibusque nostris
Sermo lucerna [b].
Qua per obscuri vada cæca secli [9],
Luminis veri face dirigamur,
Donec optatos liceat salutis
Tangere portus,
Quos modo undosum petimus per æquor,
Dum vagæ mentis fluitamus æstu :
Terreo, tamquam fragili carina,
Corpore vecti.
Sed gubernaclo [c] crucis hanc regente
Nunc ratem, in nobis pia vela cordis
Pandimus, Christo referente littus
Flamine dextro.
Ergo dux idem modo prosequatur
Te via, qua nunc properas revertens
Ire Niceta, patrioque reddat
Limine tutum [10].
Sed freto emenso superest viarum
Rursus in terra labor, ut veharis
Usque felices, quibus es sacerdos
Præstitus oras.
Tu Philippæos Macedum per agros
Per Tomitanam gradieris urbem,
Ibis et Scupos [d] patriæ propinquos
Dardanus hospes.
O quibus jam tunc resonabit illa
Gaudiis tellus ubi tu rigentes
Edoces Christo fera colla [11] miti
Subdere gentes!
Quaque Riphæis Boreas in oris
Alligat densis fluvios pruinis,
Hic gelu mentes rigidas superno
Igne resolves.
Nam simul terris animisque duri,
Et sua Bessi nive duriores,
Nunc oves facti duce te gregantur
Pacis in aulam.
Quasque cervices dare servituti,
Semper a bello indomiti negarunt,
Nunc jugo veri domini subactas
Sternere gaudent.

A Nunc magis dives pretio laboris
Bessus exsultat [12] : quod humi manuque
Ante quærebat, modo mente cœlo
Colligit aurum.

421—422 O vices rerum! bene versa forma!
Invii montes prius, et cruenti,
Nunc tegunt versos [e] monachis latrones
Pacis alumnos.
Sanguinis quondam, modo terra vitæ est,
Vertitur cœlo pia vis latronum,
Et favet Christus supera occupanti
Regna rapinæ.
Mos ubi quondam fuerat ferarum,
Nunc ibi ritus viget angelorum :
Et latet justus, quibus ipse latro
B Vixit in antris.
Præda fit Sanctis vetus ille prædo,
Et gemit versis homicida damnis :
Jure nudatus, spoliante Christo,
Criminis armis.
Interit casu satanæ vicissim
Invidus Cain, redivivus Abel
Pascit effusi pretio redemtos
Sanguinis agnos [f].
Euge, Niceta, bone serve Christi,
Qui tibi donat lapides in astra
Vertere, et vivis sacra templa saxis
Ædificare.
Avios saltus, juga vasta lustras,
Dum viam quæris, sterilemque silvam
C Mentis incultæ superans in agros
Vertis opimos.
Te patrem dicit plaga tota (*b*) Borræ :
Ad tuos fatus Scytha mitigatur,
Et sui discors fera te magistro
Pectora ponit [g].
Et Getæ currunt, et uterque Dacus :
Qui colit terræ medio, vel ille
Divitis multo bove (*c*) pilleatus [h]
Accola ripæ.
De lupis hoc est vitulos creare,
Et bovi junctum palea leonem
Pascere, et tutis cava viperarum
Pandere parvis [i].
Namque mansueto pecori coire
D Bestias pulsa feritate suades,
Qui feras mentes hominum polito
Imbuis ore.
Orbis in muta regione per te
Barbari discunt resonare Christum

[a] Gen. xxxii, 28.
[b] Psal. cxviii, 105.
[c] Vide not. 248.
[d] Vide not. 259.
[e] Vide ep. 31, n. 12.
[f] Gen. iv.
[g] Id est *deponit*. Vide carm. 14, v. 81.
[h] Vide not. 250 et 251.
[i] Isai. xi, 7 et 8.
(*a*) Ms. Germ. et ed. Grin., *solido*.
(*b*) Ita ms. Germanensis codex. Perperam alii codices, *Boreæ*. Ed. Schot. in marg., *Borrhæ*. Nos vero ex ms. codice Germ. pervetusto correximus *Borræ*, eo confidentius quo, præter necessitatem metri, eamdem vocem ad vetustiores codices Prudentii castigatam moneat N. Heinsius in notis ad Psychomach. v. 817, *algida Borræ*.
(*c*) Sic emendavimus ex ms. codice Germ. Ante erat *pelleatus*. At recte *pilleatus*, sive *pileatus* : *Pilleari* enim apud Ulpianum dicitur in Collat. legis Mosaicæ tit 2, estque, *pileo donari*. Henricus Valesius in notis ad excerpta, *pileatus*, pag. 205 B de Legationibus. Sed vide quid hic significet *pilleatus* in not. 251.

Corde Romano, placidamque casti
Vivere [13] pacem.
Sic tuo mitis lupus est ovili,
Pascitur concors vitulus leoni,
Parvus extracto trucibus cavernis
Aspide ludit.
423-424 Callidos auri legulos [a] in aurum
Vertis, et (*a*) Bessos [b] imitaris ipse,
E quibus vivum fodiente verbo
Eruis aurum :
Has opes (*b*) condens Domino perenni,
His sacrum lucris cumulans talentum,
Audies : Intra Domini perennis
Gaudia lætus [c].
His, precor, cum te domus alma sancto
Ceperit fratrum numerosa cœtu
In choris, et nos pietate cari
Pectoris abde.
Nam Deo grates, quod amore tanto
Nos tibi adstrinxit per operta vincla,
Vis ut internam valeat catenam
Rumpere nulla.
Unde complexi sine fine carum
Pectus, hæremus laqueo fideli ;
Quaque (*c*) contendas, comites erimus [d]
Mente sequaci.
Caritas Christi bene fusa cœlo,
[(*d*) Cordibus nostris ita nectit intus,
Ut nec abjuncto procul auferamur
Orbe remoti :
Nulla nos ætas tibi labis unquam,]
Orbis aut alter, neque mors revellet ;
Corporis vita moriente, vita
Vivet [14] amoris.
Dum graves istos habitamus artus,
Mente te semper (*e*) memori colemus :
Tu petes (*f*) simus simul in perenni
Tempore tecum.
Namque te celsum meritis, in altum
Culmen imponet [15] pretiosa virtus :
Inque viventum super urbe magnis
Turribus addet.
Nos locis, quantum meritis diremti,
Eminus celsis humiles (*g*) patronis,
Te procul sacris socium catervis
Suspiciemus.
Quis die nobis dabit hoc in illa,
Ut tui stemus lateris sub umbra,
Et tuæ nobis requietis aura
Temperet ignem [e] ?

A Tunc, precor, nostri nimium memento,
Et patris sancti gremio recumbens,
Roscido [f] nobis digito furentem
Discute flammam.
Nunc abi felix tamen et recedens
Semper huc ad nos animo recurre :
Esto nobiscum, licet ad paternam
Veneris urbem.
425-426 Non enim unius populi magistrum,
Sed nec unius dedit esse civem
Te Deus terræ, patria ecce nostra
Te sibi sumit.
Nunc tuos æqua pietate utrisque
Divide affectus, et amore nobis,
Civibus vultu, gemina morare
Civis in ora.
B Forsan et major patria hæc habenda,
Non manufactis ubi contineris
Pectorum tectis ; hominesque vivam
Incolis urbem.
Sicut antistes, ita dignus almi
Hospes es Christi, quia Christianis
Mentibus consors, habitas herile
Accola templum.
Jam vale nobis, et in omne nostri
Diligens ævum, bonus usque finem
Duc bonum cursum, positamque justis
Sume coronam.

POEMA XVIII *.

DE S. FELICE NATALITIUM CARMEN VI.

De morte, sepulcro, ac miraculis S. Felicis.

C Lex mihi jure pio posita hunc celebrare quotannis
Eloquio famulante diem, sollenne reposcit
Munus ab ore meo, Felicem dicere versu,
Lætitiamque meam modulari carmine voto,
Et magnum cari meritum cantare Patroni,
Quo per iter durum, qua fert [1] via pervia paucis
Alta per arcta petens superas penetravit ad arces.
Concordate meis, precor, et complaudite, fratres,
Carminibus, castoque animos effundite luxu.
Gaudia sancta decent et carmina casta fideles :
Nam cui [2] fas hominum, cui Christus [3] amorque timorque,
D Non gaudere hodie ? et vacuum [4] procedere voti ?
Qua quis possit ope, ingenii, linguæque, reique ;
Cœlicolas Christo quando adgaudere ministros,
Ipsa [5] etiam festo produnt elementa colore ?

* Alias 21 : quod autem 18 erat, nunc 14. Scriptum anno 399, die 14 Januar.

[a] Id est *qui legunt aurum ex venis*.
[b] Vide not. 252.
[c] Matth. xxv, 21.
[d] Licentia poetica. Vide not. 342.
[e] Luc. xvi, 24.
[f] Vide carm. 20, v. 270.

(*a*) In editis *versos*. Non dubium quin juxta mss. codices Germ. et Reg. legendum sit *Bessos*, de quibus superius. Vide not. 252. Quidam codices, *imitare in ipsis*.

(*b*) Mss. Germ. et Reg., *condis .... cumulas*. Sed melius alii codices, *condens .... cumulans, Audies*.

(*c*) Ita omnes codices, præter Rosv., in quo *Quoque*. Utraque lectio bona. Vide carm. 16, v. 116.

(*d*) Hosce quatuor versus addidimus ex ms. codice Germanensi, qui omnino necessarii erant ut perficeretur sensus. Desunt in aliis codicibus, et in ipso ms. Regio 800 annor.

(*e*) Ms. Germ., *memores*.

(*f*) Idem ms. codex Germ., *Tu pete ut simus*.

(*g*) Ms. Germanensis codex, *patronum*, non male.

Cernite lætitiam mundi in splendore diei A
Elucere sacris insignibus; omnia lætus
Candor habet, siccus teneris a nubibus imber
Ponitur, et niveo tellus velatur amictu.
Quæ nive tecta, solum nive, silvæ, et culmina, colles:
Cuncta senis sancti canos testantur honores;
Angelicaque docent et luce et pace potiri
Felicem placida clarum in regione piorum,
Lactea quæ tacito labuntur vellera cœlo.
Christe, Deus Felicis, ades; da nunc mihi verbum
Sermo Deus, da perspicuam, Sapientia, mentem.
Non opis humanæ (a) facundia dicere laudes
Posse tuas: tua namque tui sunt gaudia sancti.
Cedo, alii pretiosa ferant donaria meque B
Officii sumtu superent, qui pulcra tegendis
Vela ferant [a] foribus, seu puro splendida lino,
Sive coloratis textum fucata figuris.
427-428 Hi læves titulos lento poliant [6] argento,
Sanctaque præfixis [7] obducant limina lamnis.
Ast alii pictis accendant lumina ceris [b],
Multiforesque cavis lychnos laquearibus aptent,
Ut vibrent tremulas funalia pendula flammas.
Martyris hi tumulum studeant perfundere nardo,
Et medicata [8] pio referant unguenta sepulcro.
Cedo equidem et (b) vacuo multis potioribus auro,
Queis gravis ære sinus relevatur, egente repleto,
Qui locuplete manu promptaria ditia laxant [9], C
Et variis animam sponsantes [c] dotibus adstant,
Mente pares, ope diversi; nec segnius illi
Fercula opima cibis, cervis aulæa ferisque [10]
Larga quidem, sed mutua dicant: ego munere linguæ,
Nudus (c) opum, famulor, de me mea debita solvens,
Meque ipsum pro me, vilis licet hostia, pendo.
Nec metuam sperni, quoniam non vilia Christo
Pauperis obsequii libamina, qui duo lætus
Æra piæ censum viduæ laudata recepit.
Tunc quoque multa Deo locupletes dona ferebant,
Implentes magnis æraria sancta talentis.
Sed Christus spectator erat, qui corda ferentum D
Inspiciens viduæ palmam dedit; illa diurni
Rem victus, geminos (quod ei substantia [d]) nummos
Miserat in sacram, nil [11] anxia corporis, arcam.
Propterea ex ipso venturi Judicis ore
Ante diem meruit facti præcerpere laudem,
Præferrique illis, quorum stipe vicerat aurum,
Munere pauper anus, sed prodiga corde fideli.
Ergo, boni fratres, quibus hæc dignatio, et iste
Consensus, placidis advertite mentibus aures,
Nec qui, sed de quo loquar, exaudite libenter.
Despicienda quidem, tamen et miranda profabor,
Despicienda meo ingenio, miranda beati
Felicis merito; quod dicere non sine Christi
Laude licet: quia quidquid in hoc miramur, ab illo est,
Unde piis virtus, et per quem vita sepultis.
Præteritis cecini patriam, genus, acta, libellis,
Et tota sanctum repetens ab origine (d) dixi
Felicem, donec perfectæ tempora vitæ
Clauderet, et posito desertis corpore terris,
Tenderet æterni merita ad consortia regni.
Sed quia non iidem tumuli, qui membra piorum,
Et merita occultant; animarum vita superstes
Corporibus functis, quæsitos corpore fructus,
Et post corporeos obitus non mortua, sentit
Læta (e) bonos, cruciata malos, quos rursus in ipsum
Tempore venturo corpus revocata, remixto
Corpore, communi metet [12] indiscreta receptu.
Longa igitur mihi materies; quantumque erit ævi,
Tantum erit et verbi super. O si dicere [13] gesta
Felicis (f) liceat, totumque efferre per orbem
429-430 Nomina sic meriti, o si copia tanta sit oris,
Quanta operum [14] meritique manet! Nam tempore ab illo,
Quo primum ista dies Felicem fine beato
Condidit, et carnem terris, animam dedit astris;
Ex illo prope cuncta dies operante videtur
Confessore Dei, probat et sine corpore vivum
Christus, ut ostendat majorem in morte piorum
Virtutem, quam vim in vita superesse malorum.
Ecce vides tumulum sacra Martyris ossa tegentem,
Et tacitum obtento servari marmore corpus:
[(g) Nemo oculis hominum qua corpore cernimus exstat]
Membra latent positi, placida caro morte quiescit,
In spem non vacuam redivivæ condita vitæ.
Unde igitur tantus circumstat limina terror?
Quis tantos agit huc populos? quænam manus urget
Dæmonas? invitosque rapit? frustraque rebelli

[a] Vide not. 253.
[b] Vide not. 254.
[c] Vide not. 255.
[d] Id est *bona* seu *divitiæ*.
(a) Ita mss. duo codices Germ. Editi, *facunde*.
(b) Ms. 1 Germ. codex, *vano*.
(c) Mss. duo codices Germ., *Nullus*. Bona utraque lectio. Vulgata confirmatur carm. 18, v. 337, *Nuda boum*.
(d) Mss. duo Germ., *duxi*.
(e) Sic emendavimus ex mss. duobus codicibus Germ. et recte; id est, *anima corpore exuta sentit læta fructus bonos, anima cruciata fructus malos, quos tempore futuro in ipsum corpus revocata metet*. Edd. Grin. et Poelm., *quos*. Ante erat nullo sensu, *Lætæ bonis, cruciatque malos, quod*.
(f) Mss. duo codd. Germ. et editi quinque *pateat*; et duo mss. addunt post *pateat*, *si copia tanta sit oris*.
(g) Versus ille additus est ex mss. cod. 2 Germ.

Voce reclamantes compellit adusque sepulcrum A
Martyris, et sancto quasi (a) fixos limine sistit?
Respicio hanc aliquando diem, quam mœsta relicto
Orbe fuit, quam læta polo, cum Christus amicam
Assumens animam casto Deus hausit ab ore!
Addidit ornatum cœlis, nec pignore terras
Orbavit: superi Felicis mente fruuntur,
Corpore nos; animæque potentis spiritus illic
Vivit, et hic meritum; sed totum funeris almi
Præsentare juvat, quem Nola impendit, honorem.
Namque sacerdotem sacris, annisque parentem
Perdiderat, sed eum cœlis habitura patronum
Urbs devota pium: spe (b) solabatur amorem. B
Totis ergo quibus stipatur conflua turbis,
Currit in obsequium, populos effusa fideles.
Tunc dolor et pietas coeunt (c) in pectora cunctis;
Admixta pietate fides gaudetque doletque.
Et licet (d) accitum Christo super æthera tolli
Felicem credat, tanto tamen ipsa relinqui
Præceptore dolet; quodque unum in funere sancto
Inter et exsequias restat solamen amoris,
Postquam depositum tumulandi in sede feretrum,
Certatim populus pietatis circumfusus
Undique densato cœtu sita membra coronat,
Relligiosa pie pugna exercetur amantum: C
Quisque alium premere, et propior consistere certat
Relliquiis, corpusque manu contingere gaudet.
Nec satis est vidisse semel, juvat usque morari,
Luminaque expositis, et qua datur, oscula membris
Figere; dat meritam Christo plebs consona laudem,
Moliturque sacrum solii Felicis honorem.
Qua muris regio et tectis longinqua vacabat,
Fusus ibi læto ridebat cespite campus,
Uberius (e) florente loco, quasi præscia jam tunc
Semper honorandi mundo (f) venerante sepulcri
Gaudebat sacro benedici corpore, seque D
Veris (g) amœna habitu, quo dignior esset (h) humando
Martyre, graminibus tellus sternebat odoris.
431—432 Ast illum placido scandentem celsa volatu,
Et casto assumtum de corpore, læta piorum
Turba per æthereas [11] susceperat obvia nubes;
Angelicique chori septemplicis agmina cœli,
Totis, qua cœlum patet, occurrentia portis,
Regis in adspectum, summique parentis ad ora,
Sidereo volucrem læti vexere triumpho.
Tum niveas sacrum caput ornavere corona:
Sed tamen et roseam Pater addidit indice Christo,
Purpureoque habitu niveos duplicavit amictus;
Quod (i) meritis utrumque decus. Nam [16] lucida [a] sumsit
Serta, quasi placido translatus in æthera leto[17],
Sed meruit pariter quasi cæsi martyris ostrum
Qui confessor obit. Tenet ergo et præmia passi,
Quod promta virtute fuit; nec pacis honore
Ornatuque caret, quia non congressus obivit.
Facta igitur rata justa [18] pium texere sepulcro
Funus [b]; at in sanctis divinitus insita membris
Gratia non potuit cum carne morique tegique:
Illico sed positis ex ossibus (j) ecce micat lux,
Quæ medicis opibus meriti dare signa potentis
Hactenus ex illo non umquam tempore parcit.
Et toto, quo mundus erit, fulgebit in ævo
Lux eadem, sancti cineris per secula custos.
Martyris hæc functi vitam probat; et bona Christi
Ad tumulum Felicis agens, diffundit in omnes
Felicis late terras mirabile nomen.
Dignatam tanto præ cunctis urbibus unam
Hospite nobilitat Nolam; quam gratia Christi
Felicis meritis ita dilatavit, ut aucta
Civibus ecce novis; et mœnibus hic etiam [19] urbs sit
Pauper ubi primum tumulus, quem tempore sævo,
Relligio quo crimen erat, minitante profano
Struxerat anguste, gladios trepida inter et ignes
Plebs Domini, ut seris antiqua minoribus ætas
Tradidit, ingentem parvo sub culmine lucem
Clauserat; et tanti tantum sacer angulus olim
Depositi possessor erat, qui lucis opertæ
Conscius, ut quidam fons ædibus exstitit amplis,
Et manet in mediis quasi gemma intersita tectis,
Basilicas per quinque sacri spatiosa sepulcri
Atria diffundens, quarum fastigia longe
Adspectata instar magnæ dant visibus urbis.
Quæ tamen, ampla licet, vincuntur culmina turbis;
Quod crescente fide, superundat gratia Christi,
Quæ populis medico Felicem munere præstat
Vivere. Qui perstans etiam post corporis ævum

[a] Id est *candida*.
[b] Id est *cadaver*, seu *corpus exanime*. Vide carm. 32, v. 41.
(a) Ms. 1 Germ., *fixus limite*.
(b) Ita mss. duo Germ. Alii, *sed spe solatur amorem*.
(c) Sic mss. duo Germ. et edd. Grin. et Poelm. Alii, *in pectore*.
(d) Ms. unus Germ., *acceptum*.
(e) Ita mss. duo Germ. Edd. *Liberius*.
(f) Sic edd. Grin. et Poelm. faventibus mss. 2 Germ. Alias, *veneranda*.
(g) Ms. 1 Germ., *amœno*.
(h) Ita mss. duo codices Germ. Editi, *humato*.
(i) Sacchinus cum ed. Schot. in marg., *Pro meritis*.
(j) Mss. duo Germ., *emicuit lux*.

Præsidet ipse suis sacer ossibus; ossaque sancti A
Corporis in tumulo non obsita pulvere mortis,
Arcano æternæ sed prædita semine vitæ,
Vivificum spirant animæ victricis odorem;
Quo medicina potens datur exorantibus ægris.
Quanta resurgentes virtus et gloria cinget,
Conjectare licet, cum gratia tanta sepultos
Ambiat; et quanto rediviva decore micabunt
Corpora, in obscuris cum sit lux tanta favillis!
Quid nobis minimis horum præstare coronæ
Sufficient [20], quorum, et cineres dant commoda vivis?
Cernere sæpe juvat variis spectacula formis
Mira salutantum, et sibi quæque accommoda [21] votis
433—434 Poscentum; videas etiam de rure colonos B
Non solum gremio sua pignora [a] ferre paterno,
Sed pecora ægra manu sæpe introducere secum,
Et Sancto quasi conspicuo mandare licenter.
Moxque datam sua confisos ad vota medelam
Experto gaudere Deo, et jam credere sana,
Et vere plerumque brevi sanata sub ipso
Limine læta suis jumenta reducere tectis.
Sed quia prolixum et vacuum percurrere cuncta,
Quanta gerit Felix miracula nomine [22] Christi,
Unum de multis opus admirabile promam
Innumeris paribus, sed ab uno pende relicta,
Quæ virtus eadem gessit, distantia causis.
Pandite corda, precor, brevis est injuria vobis, C
Dum paucis magnum exiguisque opus eloquor orsis.
Et memores viduæ primo sermone relatæ,
Quam Deus e pretio mentis, non munere cernens,
Antetulit multum mittentibus, omnia dantem:
Me quoque ferte levi dicentem magna relatu.
Et mea namque illis sunt æmula verba minutis,
Queis pretium pietas pervilibus [b] aurea fecit.
Quidam homo re [c] tenuis, plebeius origine, cultu
Rusticus, e geminis angustam bubus alebat
Pauperiem mercede jugi; nunc subdere plaustris D
Suetus eos, oneri pacta regione vehendo,
Nunc operæ pretium sub aratra aliena locatis
Paupertatis habens reditum; spes anxia resque
Tota inopi par illud erat. Non carior illi
Progenies, aut ipse sibi: sed pignora [d] et ipsos
Ducebat; neque cura minor saturare juvencos,
Quam dulces natos educere; parcior immo
Natis, quam pecori caro; non gramine vili
Illos, aut sterili palea, sed tegmine aprico
Algidus, et de farre sibi natisque negato
Esuriens pascebat, egens sibi, dives in illis,
Quorum fecundus labor exsaturabat [23] egentem.
Hos igitur tam cara (a) suæ solamina vitæ,
Nocte miser quadam somno graviore sepultus,
Amisit taciti furto prædonis abactos;
Exsurgensque die reduci, de more jugandos
Infelix primo in vacuis præsepibus intus,
Moxque foris frustra notis quæsivit in agris:
Illico sed fessus cassis erroribus ultro
Atque citro, postquam nullis vestigia signis
Certa videt, spebus frustrata indage peremtis,
Humanam desperat opem, et pietate repletus,
Adspirante Deo depressam in pectore fracto
Erigit in cœlum mentem; et mox corde refecto,
Præsumente fide spem voti compotis haurit,
Sanctaque Felicis rapido petit atria cursu,
Ingressusque sacram magnis cum fletibus aulam,
Sternitur ante fores, et postibus [e] oscula figit,
Et lacrymis rigat omne solum, pro limine sancto
Fusus humi, et raptos nocturna fraude juvencos
A Felice pio, velut a custode reposcit,
Increpitans, miscetque precantia verba querelis:
Sancte Deo Felix, inopum substantia, semper
Pro miseris felix, et semper dives egenis,
Te requiem fessis Deus, afflictisque levamen,
Te posuit mœstis ad saucia corda medelam [24],
435—436 Propterea tamquam gremio confisa paterno,
In te pauperies [f] caput inclinata [25] recumbit.
Felix sancte meos semper miserate labores,
Nunc oblite mei, cur me rogo, vel cui nudum
Deseris? amisi caros tua dona juvencos,
Sæpe tibi supplex quos commendare solebam;
Quos tua perpetuo servabat cura favore,
Pascebatque mihi. Tua nam custodia salvos,
Dextraque sufficiens illos præstabat opimos,
Quos misero mihi nox hæc abstulit. Heu quid agam nunc?
Quo deceptus eam? quem criminer? An tibi de te
Conquerar? immemoremque mei accusabo patronum?
Qui mihi sopito tam densum irrepere somnum,
Ne mea sentirem perfringere claustra [26] latrones,
Passus es? et nullo fregisti dura pavore
Pectora? nec lucem tenebris furtoque dedisti?
Aut ullis profugos curasti prodere signis?
Quo modo discurram? quo deferar? Omnia cæcis
Structa mihi latebris; nunc et mea tecta videntur
Clausa mihi, abductis ubi desolatus alumnis
Nil habeo, quod habere velim; quod dulce videnti,

[a] Id est *liberos*. Vide v. 226 et 228.
[b] Vide not. 256.
[c] Id est *opibus*.
[d] Id est *liberos*. Vide v. 200.

[e] Vide not. 257.
[f] Virgil. XII Æneid.
(a) Ms. unus Germ., *sibi*.

A

Dulce laboranti non irrita gratia præstet,
Oblectans inopem censu fructuque peculi.
Hos ubi nunc quæram miserandus? quando vel usquam [27]
Inveniam tales? aut unde parabo repertos?
Qui solos habui contentæ rusticus illos
Paupertatis opes? Ipsos igitur mihi redde,
Nolo alios. Nec eos ulla regione requiram,
Hic mihi debentur: hæc illos limina reddent,
In quibus ipsum te supplex adstringo, tibique
Hæreo; cur quæram, aut ubi, quos ignoro latrones?
Debitor hic meus est; ipsum pro fure tenebo
Custodem: tu, sancte, reus mihi, conscius illis:

B

Te teneo; tu scis ubi sint, qui lumine Christi
Cuncta et operta vides, longeque absentia cernis,
Et capis, includente Deo, quo cuncta tenentur.
Atque ideo occulti fures, quacumque latebra
Non tibi celantur, nec de te evadere possunt,
Quos et jam manus una tenet. Deus unus ubique,
Christi blanda piis, sed iniquis dextera vindex.
Redde igitur mihi, redde boves et corripe fures.
Sed non quæro reos, abeant, non nescio mores
Sancte tuos, nescis (a) male facta rependere, mavis
Emendare malos venia, quam perdere pœna.
Conveniat nobis igitur: sic divide mecum
Quæ tua, quæ mea sunt; indemnis stet mea per te

C

Utilitas, justeque tuas clementia partes
Vindicet [28]; æquatoque tuum libramine constet
Judicium: tibi solve reos, mihi redde juvencos.
Ecce tenes pactum, famuli jam nulla morandi
Causa tibi; accelera tantis me solvere curis.
Nam mihi certa manet sententia cedere * nusquam [29]
Donec subvenias, nec ab isto poste refigi;
Ni (b) properas, isto deponam in limine vitam,
Nec jam repperies, cui reddas sero reductos [30].
Talia voce quidem querula, sed mente fideli
Plorantem, totoque die sine fine precantem,
Audivit lætus non blando supplice martyr,
437-438 Et sua cum Domino ludens convitia risit;

D

Poscentisque fide, non libertate dolentis
Motus, opem properat; paucis mora ducitur horis.
Interea labente die, jam vespere ducto,
Nec precibus dabat ille modum, nec fletibus; una
Vox erat affixi [31] foribus, Non eruar istinc:
Hic moriar, vitæ nisi causam protinus istic
Accipiam: tandem tamen, ut jam plurima tutum
Nox secretum adytis fieri cogebat; et ille
Temporis oblitus, damni memor, ostia prono
Ore premens, toto prohibebat corpore claustra.
Sed multis frustra (c) pulsatum vocibus aures
Aggreditur violenta manus; tandemque revellit [32]
Turba reluctantem, et sancta procul exigit aula.
Pulsus ab æditius flet amarius, et sua lugens
Tecta petit, resonant plangore silentia noctis,
Questibus (d) et magnis late loca sola resultant:
Donec et invitus pervenit, et atra silentis
Ingrediens tuguri penetralia, rursus ab ipso
Culminis introitu taciti, ut præsepia vidit
Nuda boum, et nullos dare tintinnabula pulsus,
Excussa ut cervice boum crepitare solebant,
Mollius aut lentis cava linguis æra ferire,
Armentum reduces dum gutture ruminat escas [33]:
His gravius, tamquam rescisso vulnere, planctum
Integrat: et quamquam neget ægro cura quietem,
Pervigili (e) tamen hæc dat solamenta dolori,
Ut bubus stabulata suis loca corpore fuso
Pressa superjaceat; nec duro fracta cubili
Membra dolent, juvat ipsa injuria; nec situs horret
Sordentis stabuli, quia notum reddit odorem
Dilecti pecoris, nec fœtor fœtet amanti.
Si qua illi extremo tulerant vestigia gressu
Aspicit [34], et palpante manu calcata retractans
Ingemit, et refricat [35] totis jam frigida membris
Signa pedum; mentemque suam, licet eminus absit
Corpore, sacratam Felicis mittit ad aulam,
Felicem fletu, Felicem nomine clamans:
Nec desperat opem, nec parcit fundere vota.
Nox medium transvecta polum perfuderat orbem
Pace soporifera, reticebant omnia somno,
Solum [36] illum sua pervigilem spes curaque habebat.
Ecce repente suis strepitum pro postibus [37] audit,
Et pulsas resonare fores; quo territus amens
Exclamat, rursum sibi fures adfore credens:
Quid vacua incassum crudeles ostia vultis
Frangere? Jam nullus mihi bos; quid quæritis ultra?
Prævenere alii, mea tantum vita superstes
Quæ sociis vestris ut præda cassa remansit.
Dixerat hæc metuens: sed [38] nullo fine manebat
Liminibus sonitus; quo crebrescente, nec ulla
Respondente sibi pulsantum voce, propinquat
Suspensus cunctante gradu, et dat postibus aurem
Sollicitam, et rimis acies per hiantia claustra,
Qua tenebris albus cœli color interlucet,

* Id est *discedere*.

(a) Ms. unus Germ. codex et edd. 4, *mala facta*.

(b) Ms. 1 Germ. cum editis quinque, *Ni properes*.

(c) Mss. duo codices Germ., *pulsantum*.

(d) Ita mss. codd. cum ed. Schot. Alii, *Questubus*.

(e) Sic cum Sacchino ms. codex Germanensis unus. Ceteri, *Et vigili*.

Inserit, exploratque diu; nec adhuc sibi credit, A
Quid videat: nec enim sublustri lumine noctis
Pura fides oculis, dubio tamen ipsa per umbras
439-440 Corpora pulsantum trepidos auferre pavores,
Spemque (*a*) boni cœpere novis promittere formis.
Non homines pulsare videt; sed quod videt esse
Verum, non audet sibi credere. Magna profabor,
Quamquam parva Deo miracula, cui sapit omne
Rerum animal sensu, quo jusserit ipse Creator
Omnigenum pecus. Ecce gerens duce Numine mentem
Par insigne boum, non nota per avia nocte
Venerat ad notas nullis rectoribus ædes, B
Sponte quasi, non sponte tamen, quia Numinis actu
Ereptos potiore manu prædonibus illos
Egerat occultis Felix moderatus habenis.
Et postquam attigerant assueti culmea tecti
Culmina [39]; gaudentes reditu, expertasque timentes
Sat (*b*) memori terrore manus, quasi sponte timerent
Instantem sibi raptorem, quatere ostia junctis
Frontibus, et tamquam manibus sic cornibus uti,
Ut dominum excirent sonitu. Sed territus ille,
Rursus ut hostili circum sua claustra tumultu,
Tuta etiam timuit; rursus sapientia bruto C
Adspirat pecori causam sentire morantis,
Atque intellectum domini reserare timentis.
Edere mugitum, de quo formidine pulsa
Panderet exclusis aditum securus alumnis.
Ille inopina videns divini insignia doni,
Hæret adhuc, trepidumque etiam sua gaudia turbant,
Credere non audet; metuit non credere; cernit
Coram, (*c*) et caligare putat; dum respicit ad se,
Diffidit tantum sese potuisse mereri:
Sed contra reputans, a quo speraverit [40], audet
Credere, cognoscens Felicis gesta patroni.
Jamque rubescebant rumpente * crepuscula mane, D
Noctis et extremæ fuga rarescentibus astris,
Luce subobscura vel sublucentibus umbris,
Cœperat ambiguos rerum reserare [41] colores.
Tunc demum nota specie sibi bubus apertis,
Ut primum cœpere oculis clarescere setæ,
Certior exsultat, removens et pessula claustris,
Ostia laxato stridentia cardine solvit.
Dum facit hoc, juncti simul irrupere juvenci,
Et reserantis adhuc molimina prævenerunt.
Dimoto faciles cesserunt obice postes,
Oblatumque sibi mox ipso in limine regem
Cognoscunt hilares lætum, lambuntque vicissim
Mulcentem, labrisque manus palpantis (*d*) inundant,
Atque habitum totum spumosa per oscula fœdant,
Dum (*e*) complectentis domini juga cara benignum
Molliter obnixi blanda vice pectus (*f*) adulant.
Illum dilecti pecoris nec cornua lædunt,
Et collata quasi molles ad pectora frontes
Admovet, et manibus non aspera lingua videtur,
Quæ lambens etiam silvestria pabula radit.
Sed tamen hæc inter, non vano corde, fidelis
Rusticus officii meminit, neque curat anhelos
441—442 Ante boves stabulis inducere, postque laborem
Atque famem, recreare cibo, quam ducere secum
Illuc, unde suos meruit. Venit ergo reductos
Ducens, nec tacitis celat sua gaudia votis:
Et referens densas trahit ad sua verba catervas;
Ingrediturque sacras cunctis mirantibus ædes.
Quos miser hesterno amissos deflerat, eosdem
Præsentes hodie ducit; sanctique triumphum
Martyris ostentat [42] populis; ducuntur et ipsi
Per medios cœtus, modo furum præda, juvenci,
Et modo Felicis spolium; dat euntibus ingens
Turba locum, et muto celebratur gloria Christi
In pecore. Ille autem, qui tanti muneris alto
Causa fuit Domino, mediis in liminibus stans
Flensque iterum, sed lætitia, modo debita Sancto
Vota refert, non ære gravi, nec munere surdo,
Munere sed vivo linguæ mentisque profusus,
Voce pia largum testatur pauper honorem [43]:
Debitor et Christo satis isto pignore solvit,
Immaculata suæ cui sufficit hostia laudis.
Captivos en, Sancte, tuos tibi plebe sub omni
Victor ago, et supplex iterum tibi mando tuendos:
Conserva reduces, dignatus reddere raptos.
Sed tamen in me nunc ipsum, bone respice Martyr:
Namque vides quod agas tibi adhuc superesse, sed in me,
Qui prope [44] cæcatis oculis tua comminus adsto
Limina; nam multo mersi mea lumina fletu;
Non solum damno, sed et inter gaudia plorans.
Demsisti causam lacrymarum, tolle modo orta
Vulnera de lacrymis; miseratus, Sancte, meorum
Damna boum, miserere itidem [45] modo damna oculorum.

* Id est *erumpente*.
(*a*) Hic versus desideratur in duobus mss. codicibus Germ.
(*b*) Sic emendatum ex tribus mss. codicibus, 2 Germ. et 1 Barth. Ante erat *Stant*.
(*c*) Mss. tres codd. et ed. Schot., *Comminus, et caligare putat*, male. Vide carm. 32, v. 203.

(*d*) Ita correximus ex ms. Germ. uno codice. Alter, *inhumant*, forte id est, *humidas reddunt*. Ante erat *inudant*.
(*e*) Sic mss. duo Germ. Edd., *complectentes*.
(*f*) Ita emendavimus ex duobus mss. codic. Germ. Editi, *adorant*.

Donasti reduces pecudes [46] mihi, rursus et illis A
Redde meos oculos. Nam quid juvat esse reductos,
Si languente acie præsens præsentibus absim?
Talia præsentes populi risere querentem.
Sed procul admotæ secreti Martyris aures
Suscepere pias ab inepto supplice voces,
Moxque refecta sacram senserunt lumina dextram.
Inde [47] domum gaudens oculis bubusque receptis,
Collaudante [48] Deum populo, remeabat, et illum
Læta sequebatur gemini victoria voti.

MURATORII
IN S. PAULINI TRES NATALES SEQUENTES
PROLEGOMENA.

443-444 Tandem apertum in diem quatuor * Paulini episcopi Nolani poemata perduxi, diu ab omnibus litterarum cultoribus desiderata, diu etiam deplorata. Hæc tanti viri monumenta hucusque nobis invidit sæva temporum edacitas, quæ inter illustres rapinas hoc quoque magnum involverat eloquentiæ pignus. Maxime dolendum profecto est tot veterum Patrum divitias excidisse, quibus et ecclesiastica historia, et fidei catholicæ dogmata promoveri feliciter possent; sed in earum potissimum jactura dolorem nostrum exercere juvat, quæ ab eloquentissimis, sanctissimisque Patribus elaborata fuere, quorum ope ævi nostri heterodoxos evertere, et meliorem ad frugem revocare fas esset. Quantus autem fuerit Paulinus noster et orator, et poeta, et sanctus, tum ejus scripta, tum omnium illustrium scriptorum documenta testantur. Eximiam illius sanctitatem non attingam, utpote quæ satis apertos laudatores invenerit S. Ambrosium ep. 30 ad Sabin., Sulpic. Severum in fine Dialog., Greg. Turon. lib. de Glor. confess., cap. 107, Greg. Magnum lib. III Dialog. aliosque ejus res gestas prosecutos, ac etiamnum in Fastis ecclesiasticis commendetur. Mirum sane videri debet, virum senatoria dignitate, ac ipso consulatu olim auctum, innumeris præstantem opibus seculo ita renuntiasse, ut universæ Christianorum reipublicæ sanctitatis exemplum exstiterit, quod inquit ad eum scribens Augustinus ep. 34, et ep. 39 ad Licentium. Ejus in oratoria arte excellentiam commendavit Hieronymus in ep. 13 his verbis: *Si quasi extrema manus operi tuo induceretur, nihil pulchrius, nihil doctius: nihil dulcius, nihilque Latinius tuis haberemus voluminibus.* Tum addit: *Magnum habes ingenium, et infinitam sermonis supellectilem, et facile loqueris et pure*, etc. Reliqua mitto, ut ejusdem in poesi præstantiam magno viri magni testimonio ostendam. Ausonius Paulinum inter paucos carum habuit, totusque in eo semper fuit, ut illi dignitates compararentur, ejusque nomen famæ commendaretur. Itaque ad eum scribens ep. 20 hæc habet:

Et, quæ jamdudum tibi palma poetica pollet,
Lemnisco ornata est, quo mea palma caret.
Cedimus ingenio, quantum præcedimus ævo,
Assurgit Musæ nostra Camœna tuæ.

Hinc disce, quantum in poesi nominis Paulino foret, cui Ausonius præclarissimus alioqui vates assurgeret. Idem Ausonius ad Paulinum ep. 1: *Jam quid, ait, de eloquentia dicam? Liquido adjurare possum nullum tibi ad poeticam facundiam Romanæ juventutis æquari.* Sed viri tanti nunquam satis laudandi panegyrim texere non lubet. Ad ejus igitur librorum seriem explicandam me confero. Ejusdem quinquaginta ad plures epistolæ exstant, tum poemata varia, ac præcipue 10 Natales in honorem S. Felicis conditi. Hæc et alia S. episcopi opuscula typis sæpe commissa fuere, ita tamen ut omnium venustissima habeatur Antuerpiensis editio anni 1622, quippe quæ notis Frontonis Ducæi, et Heriberti Rosveidi, ac Paulini vita per P. Sacchinum elaborata abundet. Parisiis demum anno 1685 in duos tomos digesta prodiere Paulini opera ad mss. codices recognita, notisque variorum illustrata studio Johannis Baptistæ Le Brun, quæ ad manus meas, quod valde dolui, deferri nondum potuerunt. Emiserat etiam Petrus Franc. Chiffletius V. C. e soc. Jesu anno 1662 librum, cui titulum fecerat *Paulinus illustratus*, eruditeque admodum res gestas, librosque sancti hujus exornarat. Nemini tamen hucusque ea poemata intueri contigit, quæ ex Ambrosianæ bibliothecæ latebris omnium primus in lucem produco. Testatur Paulinus in ep. ad Severum nona, se quotannis *Natalitium carmen* S. Felici pangere consuevisse. Decem vero ex his Natalibus tantum exstare opinio erat, quum in publicum prolatus est Dungali, qui anno Christi circiter 821 florebat, liber adversus Claudium 445—446 Taurinensem *de Cultu sacrarum imaginum*, quem Ludovico Pio imperatori, ejusque filio Lothario inscripsit. Plurima ibi memorat vir disertus ac pius S. Paulini carmina, inter quæ nonnulla ex Natalibus XI, XIII, XIV et XV libata, quibus sacrarum imaginum, reliquiarumque cultus mirabiliter comprobatur. Vetustissimum hujus scriptoris exemplar et nostra bibliotheca servat. Istius igitur monitu alios quoque Natales Paulinum procudisse innotuit. Sitim auxit fragmentorum pretium visisque aliquot undæ guttis continuo totus in votis fons fuit. Itaque dum uberrimam manuscriptorum codicum seriem lustro, quæ in Ambrosiana asservatur, incidit in manus meas antiquissimum volumen, in quo Venantii Fortunati, Prosperi, Juvenci, Aratoris, aliorumque veterum Christianorum

* Intelligit Natales XI, XII et XIII, necnon poema Paulini ultimum: illis enim quatuor opusculis hæc prolegomena præfixa leguntur tomo I Anecdotorum Muratorii. EDIT.

carmina continebantur. Tres et decem S. Paulini Natales ibi exaratos inveni, quos cum Dungali fragmentis collatos germanum protinus tanti scriptoris fœtum mihi, et orbi litterario sum gratulatus. Codex venerandam sapit vetustatem: Characteres quadrati, ac minutissimi miraque venustate rectis lineis inter se distincti, seculo, ut arbitror, nono elaborati fuere. Quindecim porro Natales Paulinum cecinisse hucusque creditum, quum expresse carmina Dungalus tum ex XIV tum ex XV citarit. Verum auctor iste, aut librarii in illo exscribendo decepti fuere; quæ enim carmina ex Natali XIV hausta referuntur, omnino rejicienda in XIII, codex noster et rerum ordo evincunt. Itaque Natalis apud Dungalum XV hinc inscribendus erit decimus quartus, quem in membranis nostris descriptum non fuisse vehementer dolemus. Nostro præterea in codice simul confunduntur primus, et alter Natales, ac idcirco reliqui numero uno ab editis discrepant, ita ut hic septimus dicatur, qui apud alios octavus numeratur, quo ordine reliqui procedunt; sed amanuensium incuria id factum; quum penitus inter se distinguendi sint primus, et secundus. Subsequitur in laudato codice aliud Paulini Poema absque titulo, quod uti summa refertum eruditione et ego produxi. Post hæc S. Martini vita cum hujusmodi inscriptione exhibetur: *Incipit opus Paulini Petrecordii, de Vita S. Martini episcopi versibus.* Unde Bellarmini de Script. eccl., Sirmondi ad Sidon. Apoll., Labbæi de Script. eccl., aliorumque sententia confirmatur, qui horum carminum auctorem faciunt *Paulinum Petricorium*, seu *Petricordium*, qui 30 aut 40 annis ab obitu Paulini nostri florebat. Parum accurate scripsit Ughellus tom. VI Ital. sacr. illorum scriptorem poematum fuisse S. Paulinum juniorem, Nolanum itidem episcopum; hic enim circa an. Ch. saltem 520 episcopatu illo est auctus, Petricordium vero, ut dixi, circa an. 460 scripsisse certissimum est. Ceterum satis mirari nequeo cur hosce Natales partim neglexerint, partim summo studio veteres protexerint. Beda, Notkerus, Ado, Marcellus presbyter antiquissimus, atque ipse Gregorius Turon., aliique in Actis SS. die 14 Januar. relati, S. Felicis vitam ac miracula illustrarunt; neminem tamen ex iis plures quam decem hucusque editos Natales vidisse apparet, quum ea tantum miracula exhibeant, quæ in eis laudantur, alia etiam relaturi, si in promptu reliquos tres habuissent, aut quatuor. Vix unus Dungalus inventus, qui horum aliquam mentionem injecerit. Lubentius igitur ab eruditis laborem nostrum exceptum iri speramus, quum thesaurum tam diu nobis ereptum, ac pene desperatum tandem subduxerimus voracitati temporum. Hæc autem omnia notis ac disceptationibus pro viribus enucleanda censui, tum ne reliquis Paulini operibus, quæ eruditorum studio hucusque ornata visuntur, in aliquo cederent, tum ut poeseos merito aliqua per me ratione satisfieret. Ut enim ea omittam, quæ hinc adversus novatores, reliquiarum sanctorumque cultum improbantes adferri possunt, certe nusquam majorem quam in hisce tribus saltem poematis, invenias eruditionem. Hic ethnicorum superstitio, hic sanctorum monumenta explicantur, resque gestæ Paulini velut in unum compendium coactæ illustrem scriptoribus seriem eruditionis præbebunt. Quod ad annos spectat, quibus recitati fuerint hujusmodi Natales, sententiæ Chiffletii part. 2, cap. 9, Paulini ill. propositæ acquiescendum puto, primum nempe ad an. Ch. 394 pertinere, quum nondum Nolam se contulisset Paulinus, alterum deinde in an. 395 cadere, quo sanctus jam Nolæ redditus erat, tertium in an. 396, et sic de reliquis; etenim quotannis Natalem cecinit Paulinus. Id autem ex Natali XIII potissimum probatur. Ibi præclarissima de Gothis relata victoria, cæsusque Rhadagaisus memoratur, quæ an. 405 *Stilicone II et Anthemio coss.* contigere, uti Prosper in Chronico testatur; ac propterea sequentem annum 406 respicit Natalis XIII. Si ergo reliquis elapsis annis Natalem suum affigas, primum comperies in annum 394 incidere; similiter undecimum anno 404, duodecimum anno 405 esse tribuendos. Unum tantummodo lectores monitos velim, nimirum consulto hosce versus una cum amanuensium erroribus a me fuisse descriptos; conqueri enim sæpe solent doctissimi viri fidem manuscriptis non servatam, germanasque lectiones emendantium opinione, aut audacia plerumque vitiari. Idcirco omnium ingenio quædam castiganda reliqui, nonnullis etiam inter notas manum apposui.

(*Hactenus Muratorius. Audiatur nunc Joannes Aloysius Mingarellius ex cujus editione tres Natales de quibus agitur exscribere maluimus.* EDIT.)

IN NATALITIA PAULINI CARMINA

PRÆFATIO.

1. Edidit jamdudum ex Ambrosianæ bibliothecæ codice Lud. Ant. Muratorius vir et ingenio, et eruditione clarissimus tria S. Paulini Nolanorum episcopi carmina in S. Felicem (*a*), quorum antea quædam duntaxat fragmenta exstabant apud Dungalum in libro quem is adversus Claudium Taurinensem de cultu sacrarum imaginum scripsit (*b*): qua de re summam apud litteratos homines gratiam iniit Muratorius, ac magnis laudibus a Casimiro Oudino, aliisque exornatus est. At cum in apographum et mendis ubique plenum, et mutilum alicubi atque imperfectum incidisset, fieri omnino non potuit, ut ea in lucem emitteret plane emendata. Quocirca cum codicem ipse præ manibus habuerim, cujus ope quamplurima menda expungere liceret, ac plures nondum editos versus adjungere, statui ea carmina rursus in isto nostrorum Anecdotorum tomo evulgare.

(*a*) Tom. I Anecdotorum, qui editus est Mediolani anno 1697.

(*b*) Exstat hic liber in Bibliotheca Patrum, et inscribitur *Responsa adversus Claudii sententias.*

2. Codex porro iste quo usus sum chartaceus est, ac sæculo, ut equidem opinor, xiv a Lippo Plathesio (a) exaratus. In eo occurrunt primum tredecim Paulini carmina in S. Felicem, tum alia Prudentii, quorum indicem habes in extrema pagina (b). Decem priora Paulini cum Veronensi editione anni 1736 dum conferrem, aliquam in iis lectionum varietatem deprehendi, quæ cum alicui usui futura sit, si quando nova eorum editio perficienda erit, visum est mihi illa loca in quibus varietas nonnulla est hic adnotare.

3. In carmine 1, versu 4, noster codex habet, Christum non vincta voce. Vers. 36, Munditiis curare sines. In secundo carmine nulla est varietas.

4. In carm. 3, vers. 4, noster codex habet, cœlestem nactus. Vers. 5, pœnam non sponte. Vers. 11, Deo caleant. Vers. 13, munere condidit alto. Vers. 15, Qua post solstitium. Vers. 22, virtute recepti. Vers. 38, divino numine solvit. Vers. 39, Cernere nunc passim est sacris purgante medela. Vers. 48, Æthra polis. Vers. 55, totque uno compulsa examine vota. Vers. 59, Et bis terdenas Campania. Vers. 61, Neapolis et quos. Vers. 65, Quos Antina potens. Vers. 66, monumentis. Vers. 68, hujus honore die. Vers. 77, Huc et olivifera. Vers. 83, Toto plena sui spatio, spatiosaque cunctis. Vers. 85, Nola assurgis. Tres versus, nempe 86, 87 et 88, desiderantur. Vers. 95, Nunc quoque perpetuo. Vers. 103, Plus nitet innumeris. Vers. 111, sit florens annus. Vers. 128, Ut precibus lenis. Vers. 135, Et potius dextre positos in parte piorum.

5. In carm. 4, vers. 2, noster codex habet, o carissime Christo. Vers. 9, inopes justi, indiguosque salutis. Vers. 29, Pulset amore lyræ. Vers. 37, tibi lactantes. Vers. 55, Imo et apostolicis fundens sua flumina linguis. Vers. 64, Unde peregrinas obeunte. Vers. 74, multoque reliquit in agro. Vers. 102, prælegit jura. Vers. 123, sedisque vovebat. Vers. 127, invidia effectus. Vers. 128, fides quia tantum. Vers. 149, prosternet superante. Vers. 181, Primus suppliciis de carcere sumitur ordo. Vers. 207, Dumosa prostratus humo. Vers. 226, Arcana tellure tegi. Vers. 269, Custodes cunctante premens. Vers. 294, Demissumque manu. Vers. 318, corporis, atquin. Vers. 320, Et carum vita fuisset. Vers. 331, tam volucer cursu. Vers. penult., immarcescibili.

6. In carm. 5, vers. 1, noster codex habet, Et venit ætas. Vers. 11, Felici librare meo. Vers. 12, deditus : hunc etiam oris. Vers. 18, Martyris, unde domum. Vers. 46, dulcia mundo. Vers. 54, in pectora vivus. Vers. 57, petit improba primum. Vers. 63, Ecce et eum. Vers. 84, Attonitus Felix. Vers. 86, E spatio nactusque locum, qui forte paventi. Vers. 100, sordibus agger. Vers. 102, intutum struxit. Vers. 133, Opprimit, eversæque exponunt montibus urbes. Vers. 139, magna Hierichо. Vers. 140, Omnibus exitii sua gloria, qua tumuerunt, Causa fuit. Vers. 167, discesserat inde. Vers. 169, Intulerat satagens propriis. Vers. 190, Non fera jam feritas hominem circumstetit almum. Frenarunt avidos jejunia sancta leones. Sex illum, etc. Vers. 199, aquæ, quæ nubila passim. Vers. 201, Gratia Felici defudit. Vers. 212, Inque globum tenuem. Vers. 215, Compluvii dulcem sitientis in ore liquorem. Vers. 230, Maximus, et pecudes ductu pastoris egebant. Quem confessoris, etc. Nam versus intermedius 231 desideratur in nostro codice. Vers. 241, quia crescere sede. Vers. 264, præ cunctis nomine claro Archelai tam sancta fide, quam nomine clara. Vers. 274, modici tria jugera ruris.

7. In carm. 6, vers. 11, noster codex habet, amorque, timorque est. Vers. 20, Quæ nive tecta solum nive silvas, culmina, colles Compta senis sancti canos testatur honores. Vers. 28, tua namque tui sunt gloria Sancti. Vers. 30, Officii sumptus superent : hi pulchra tegendis. Vers. 39, Ut medicata. Vers. 45, Fercula opima cibis, ceras, aulæa, lucernas Larga quidem, sed multa dicant. Vers. 47, Nullus opum famulus. Vers. 50, qui duo totum. Vers. 62, quibus hæc dignatio, et istic consessus. Vers. 71, ab origine duxi. Vers. 83, Tantum erit et verbis super hoc quo dicere gesta Felicis pateat, si copia tanta sit oris, Quanta operum meritique manet. Nam tempore ab illo. Vers. 113, pium spes solabatur amorem. Vers. 126, Quisque alium præstare, et propius consistere certat, Vers. 146, Tum nivea. Vers. 147, Pater addit judice Christo. Vers. 158, Ex ossibus emicuit lux. Vers. 165, terras venerabile nomen. Vers. 166, Dignatam et tanto. Vers. 187 Corporis e tumulo. Vers. 208, Felix miracula numine Christi. Vers. 219, pietas et vilibus. Vers. 260, In te paupertas caput acclinata. Vers. 269, quem criminer? aut ubi de te. Vers. 276, qua modo discurram? Vers. 297, Quos et te manus una tenet. Vers. 298, Christus blanda piis. Vers. 301, nescis mala facta. Vers. 313, Nec jam repperies, reddas cui errore reductos. Vers. 324, ut jam plurima totum. Vers. 365, Ut prædæ cassa remansit. Vers. 389, quasi pone timerent. Vers. 394, rursus sapientia bruto. Vers. 403, Cominus, et caligare putat. Vers. 433, ad sua vota catervas. Vers. 450, tibi mando tuendos.

(a) In prima codicis pagina vetusta manu scriptum est : *Iste liber est ... scriptus a Domino Lippo de Plathesiis viro devoto et docto.*

(b) In fronte codicis hæc scripta olim fuerunt : *In hoc libro ... sunt ista per ordinem. Primo quatuordecim libri in metris compositi a sancto Paulino civitatis Nolæ episcopo, et confessore, qui facti sunt in quatuordecim annis, scilicet pro quolibet festo unus, quorum materia est de sancto Felice presbytero, et confessore, et patrono civitatis Nolæ, et de ejus festo, quod brumale est, scilicet die 14 Januarii, videlicet die sancti Felicis in Pincis presbyteri, et martyris Romæ. Et inter hæc carmina sunt multa de Deo, et sanctis, et aliis rebus spiritualibus et devotis. Sequitur Apotheosis, id est de Divinitate, Prudentii poetæ clarissimi. Ejusdem Prudentii carmen vel liber contra hæreticos Patripassianos.... Liber ejusdem contra Unionitas.... Ejusdem Prudentii carmina vel liber contra Judæos. Ejusdem Prudentii carmen vel liber adversus hæreticos et infideles Homuncionitas ... Liber ejusdem Prudentii de natura animæ ... Liber ejusdem contra Phantasticos... Ejusdem Marcioqenia ... Ejusdem liber contra Marcionitas ... Liber dictus Psychomachia.*

8. In carm. 7, vers. 5, noster codex habet, Ducat concretum terris canentibus annum. Vers. 24, Tu minimam repleas. Vers. 35, Et subito præcedens. Vers. 39, Donetur variare modis, et pacta quotannis Carmina, mutatis uno licet ore loquelis Promere. Vers. 45, Cernimus illa diem. Vers. 83, vegetior hostis. Vers. 95, sedeant contegmina membris. Vers. 96, quis ambigat? Vers. 134, Sustinet, et solido. Vers. 164, cuspide trino. Vers. 227, potens Domino. Vers. 232, vitam veniendo redemit. Vers. 277, sufferre tomum duramus. Vers. 278, acumine ferri. Vers. 279, sordibus unctum. Vers. 287, quod solido et crasso totum complebat operti.

9. In carm. 8, vers. 69, noster codex habet Ad consternandas. Vers. 93, servata Nineve. Vers. 96, quæ mala sanctis. Vers. 126, numeri virtute potentes. Vers. 144, Provida pollutas. Vers. 162, Terrentem magnos late populos. Vers. 168, Et opima Nineve. Vers. 175, altaria coram. Vers. 178, Attrita cum plebe. Vers. 179, Tam gravis exitii. Vers. 181, Pro meritis, nec norat eum. Vers. 207, Venerando in corpore membra. Vers. 245, Et rupta in fluvio sitientem caute. Vers. 259, Ceu aliquando feræ. Vers. 261, Naturam mutante Deo. Vers. 265, Atque suos cantare, reos ardere ministros. Vers. 289, Sanctis fons omnibus unus, Et regnum commune Deus: non una prophetis, Martyribusque sacris opera: et diversa fuerunt. Vers. 300, Qui fecit gelidos. Vers. 311, Dape, facili. Vers. 322, Immanes domitare feras. Vers. 325, Et morbis corpora frangunt, Qui desideriis hominem flammantibus urunt, Peccatisque vorant. Vers. 334, ut incensum restinguat. Vers. 336, Mira manus, et virga potens. Vers. 342, quo myrrham tristem. Vers. 345, tristia myrrhæ. Vers. 359, agere, in Christoque potentem. Vers. 363, toto redivivus corpore Felix. Vers. 368, distinctos actu. Vers. 384, ac sentire medelas. Vers. 389, Felicis et ipsa, Vers. 394, pavor et terrore. Vers. 396, incendia tectis. Vers. 397, recalent incendia flammæ.

10. In carm. 9, vers. 6, noster codex habet mihi te lucere diebus. Vers. 24, Neque enim ille dies fit. Vers. 79, Currens aereo modulabilis. Vers. 92, Spiritum ab Unigena Sanctum Patre procedentem. Vers. 105, Numine potabit. Vers. 107, Dominus; sic ipsa diebus. Vers. 149, mihi carius anno. Vers. 156, anima, edicatque quod olim. Vers. 161, temporis annus Ver agit. Vers. 163 noster codex habet, Unctus adest Domini. Vers. 164, Nicetas. Vers. 180, Niceten ridere mihi. Vers. 209, agminis, et patriarchæ. Vers. 214, fore præcecinistis. Vers. 240, dignius ore. Vers. 245, Lumine conspicuum. Vers. 254, Unde interraso. Vers. 292, quo me tua dextra. Vers. 308, credere pinna. Vers. 318, meditanti suggerit ignem. Vers. 353, cura sumus gemini? qui jure. Vers. 361, dum te circum agitans. Vers. 370, hunc res poscere cultum Ipsa videbatur. Vers. 395, Conspice sursum. Vers. 401, altaria tuta. Vers. 415, Huic dubius gemino Didymi. Vers. 433, in arma vocavit, Et paribus compsit victoria celsa coronis, Parque salutiferis, etc. Vers. 459, Jure pio signant. Vers. 460, sanctæ tamen unica pacis. Vers. 490, Nec mirere sacris spatiis. Vers. 506, Teque sacris, psalmisque simul devota litante. Vers. 521, amne refuso. Vers. 555, Per totam vigiles. Vers. 564, irrepsit rudibus. Vers. 581, pictura ludere. Vers. 629, vigilare parato.

11. In carm. 10, noster codex habet, versu 2, solennia voto. Vers. 10, Illic adjunctis. Vers. 25, lumine Tobis. Vers. 32, culmine turris. Vers. 40, A tribus egressus. Vers. 45, interpositisque columnis. Vers. 47, Aspectare lacus. Vers. 59, spatiabile pandit. Vers. 151, quam liquerat illis. Vers. 188, castifico socians. Vers. 234, Et moribus istius ævi. Vers. 276, post corporis usum. Vers. 282, terra, quis in me Rubus. Vers. 314, Ut qui corde.

12. Hæc sunt, quæ in prioribus decem Paulini carminibus animadvertenda censuimus. Quod vero spectat ad tria postrema, quæ rursus nunc edimus, in his plus quam trecenta loca emendavimus, ac præterea tertio et decimo carmini post septuagesimum versum tres et quinquaginta versus addidimus, qui in eo quem Muratorius adhibuit, Ambrosianæ bibliothecæ codice desiderabantur. Ac nostrum quidem hocce additamentum brevibus scholiis illustravimus: alia vero carmina non item, quod luculentissime a Ludovico Muratorio explicata jam sint. Quanti autem additamentum ipsum faciendum sit, ex ejus lectione cognosces: sed illud hic prætereundum non est, Tobiæ librum, et eum, qui Ecclesiasticus inscribitur, quos libros heterodoxi ut apocryphos rejiciunt, a Paulino ut sacros atque divinos in eo citari, ut in scholiis ostendemus.

13. Atque hic ego præfandi finem facerem, nisi aliquid de ea, qua usus sum, horum poematum inscriptione dicendum esset. Vulgo enim sic inscribi solent, Natalis I, Natalis II, et ita deinceps. Ita certe inscripsit Muratorius. At mihi quidem ea inscriptio numquam probari potuit: idque multis de causis. Primum enim etsi quotannis Paulinus in emortualem, seu, ut rectius cum Ecclesia loquar, in natalem S. Felicis diem carmen scriberet, quomodo tamen carmina ipsa Natales dici possint, equidem, ut dicam id quod res est, ne intelligo quidem. Dungalus sane in eo quem dixi libro cum passim hæc ipsa Paulini poemata in medium proferat, nusquam tamen ea Natales appellat, sed semper aut libros, aut carmina. Nostri autem codicis exscriptor primum quidem sic ea inscripsit: De vita S. Felicis carmen anni primi, carmen anni II, etc.; postea vero, quasi eum hujus inscriptionis pœniteret, sic inscripsit: Liber I, Liber II, etc. Natalis vero nomen nusquam apud eum occurrit. At quid plura? Paulinus ipse quamvis multis in locis de hisce poematis mentionem faciat, tamen ne semel quidem ea Natales appellat, sed libellos, aut Natalitios libellos. Nam carm. 12, vers. 306, ita canit:

Sed nostris ante *libellis*
Præterita, in præsens semper servata canetur.

Et carm. 13, vers. 52 :

Et quia præteritis magis illa *libellis*
Dicta mihi.

Et vers. 55 :

Hunc animo texam gratante *libellum*.

Et vers. 104 :

Sit caput herous, fundamentumque *libello*.

Quin imo in epistola 28 ad Severum scripta eodem modo locutus est : « Habes ergo, inquit, *libellos* a me duos, unum versibus Natalitium de mea solemni ad Dominædium meum (ita vocat Paulinus S. Felicem, quasi Dominum ædis) cantilena, cui corpore ac spiritu quotidie, lingua autem quotannis pensito dulcissimum voluntariæ servitutis tributum in die consecrationis ejus, etc. » Pauca hæc te monendum censui, humanissime lector, antequam ad ipsa Paulini carmina venias : quid enim necesse erat me plura dicere, cum tam multa de iis doctissime scripserit Muratorius? Vale.

POEMA XIX.

CARMEN XI (*a*) IN S. FELICEM.

447-448 Sidera (*b*) si cælo, si possunt (*c*) gramina terris
Defore, mella favis, aqua fontibus, uberibus lac :
Sic poterunt linguis laudes cessare piorum,
In quibus et vitæ virtus (*d*), et gloria mortis
Ipse Deus pro quo vitam voluere pacisci,
Et moriendo piam sancire fidem populorum,
Mercarique sacrum pretioso sanguine regnum,
Sanguine, quo totum spargentes martyres orbem
Gentibus innumeris semen cæleste fuerunt (*e*).
Horum (*f*) de (*g*) numero procerum confessor in ista
Urbe datus Felix longe lateque per orbem (*h*)
Nominis emicuit titulo. Sed Nola sepulti
Facta domus tamquam proprio sibi sidere plaudit.
Omnis enim, quacumque manet (*i*) mandatus in ora
Martyr, stella loci (*j*) simul, et medicina colentum est.
A Namque tenebrosum veteri caligine mundum,
Languentesque animas miseratus in orbe creator
Sic sacra (*k*) disposuit terris monumenta piorum,
Sparsit ut astrorum nocturno lumina cælo.
Et licet una fides, par gratia, et æmula virtus
Martyribus cunctis maneat, tamen omnibus iisdem
Dissimiles operum formas exstare videmus.
Atque alibi tacitis (*l*) meritum sublime sepulcris
Excolimus memores, alibi clamantia signa
Conspicuas miramur opes. Ubi credo mali plus
Durior impietas retinet, majorem ibi morbus
Poscit opem gravior, vel adhuc ubi cæcior altam
Perfidiæ noctem trahit error, et ægra laborat
B In populo titubante fides, ibi lumina prorsus
Accendi majora decet, mundique tenebras
Illustrante Deo perimi, mentesque retusis
Attonitas oculis, trepidasque intendere ad ipsos
Divini veri radios, caligine tetra
Solvere, collyrioque medentis (*m*) inungere Christi.

(*a*) In codice bibliothecæ S. Salvatoris Bononiæ, quem *nostrum codicem* vocabo, primum Paulini carmen in S. Felicem sic inscribitur : *Beati Meropii Paulini episcopi Nolani de Vita S. Felicis carmen anni primi. Liber primus.* Undecimum vero istud carmen sic inscribitur : *Incipit Liber XI.*

(*b*) Sex primos hujus carminis versus citat Dungalus in *Responsis adv. Claudii Taurinensis sententias.*— Priora hæc carmina retulit etiam Dungalus diaconus, qui seculo Christi nono librum *de Cultu imaginum* adversus Claudium Taurinensem scripsit, eumque Ludovico et Lothario Augustis nuncupavit. Hæc ejusdem præclarissima verba omnino sunt oculis omnium C subjicienda : *Paulinus*, ait, *episcopus vir eruditissimus et sanctissimus, sicut et multi de eo testati sunt, nobilem librum* XV *carminibus distinctum in honore, et laude S. Felicis martyris edidit, in quo quanta miracula, et virtutes per ipsius merita, et intercessiones divina largiente clementia ad suum fieri cotidie tumulum, et maxime die natali ejus anniversario disseruit, non facile a quoquam excerpi, aut deflorari potest, quia cuncta flores, aromata, rosæ, lilia suaveolentia, ac melliflua sunt.* Animadverti tamen supra in prolegom. deceptum Dungalum, qui 15 a Paulino elucubratos Natales asseruit, quum revera 14 tantum cecinerit; ipse enim Dungalus unum ex eis in duos inconsiderate divisit. MURATORIUS.

(*c*) In codice bibliothecæ Ambrosianæ, quo usus est Muratorius, quemque *Muratorii codicem* posthac vocabo, scriptum est : *Sidera si cælo possunt, si gramina terris*, etc. Utraque lectio probabilis videtur. Dungalus tamen legit ut est in nostro codice.

(*d*) In Muratorii codice scriptum est : *In quibus et vita, et virtus.* At vero Dungalus legit ut est in nostro codice, cujus lectionem secutus sum.

(*e*) In cod. Mur. legitur *fuere :* quod parum refert.

(*f*) Dungalus citat hunc versum, et alios, qui sequuntur usque ad versum 19.

(*g*) Emendavi ex nostro codice. In Mur. cod. scriptum est *Horum pro numero.* At Dungalus quoque legit *Horum de numero.*

(*h*) Tanta fuit per orbem S. Felicis fama, ut ex quavis terrarum parte Nolam populi venerabundi confluerent. Miracula crebra sanctum quotidie commendabant; ipsaque Roma, tot licet sanctorum cœtu sublimis, tota pene suis e sedibus solvebatur, ut gloriosi confessoris sepulcrum inviseret. Hoc sæpe repetit Paulinus, ac potissimum Natali II. S. Damasus papa sancto hu c se quondam voto obstrinxerat, cujus rei testem epigramma reliquit nostra quoque ad tempora transmissum. Videnda super his Acta SS. tom. I die 14 Januar. MURATORIUS.

(*i*) In cod. Mur. legitur *jacet :* in nostro *manet :* quo modo legit etiam Dungalus.

(*j*) Nostri codicis lectionem amplexus sum. In cod. Mur. legitur *locis.* Dungalus legit ut est in nostro codice.

(*k*) Hunc versum mendose sic legit Dungalus : *Sic sua disposuit terris munimenta piorum.*

(*l*) Noster codex habet *tacitum.* At codicis Mur. lectio mihi magis placet.

(*m*) Mur. cod. habet *medentes.* At legendum est *medentis*, ut est in nostro codice. Id enim exposcit ipsa quoque metri ratio.

Quod per apostolicas curandis sensibus artes
A Cote pia teritur, quia lene jugum, et leve Christi
Est onus ad Christum puro jam lumine versis,
Atque evangelico suffusis pectora succo.
Quo bene purgantur nebulæ, quibus interiorem
Obducunt aciem mundi fallentis amores,
Qui magnum per inane vagos sine remige sensus
Circumagunt, hebetantque gravi caligine captos
Mollibus illecebris, ut frangant robora vitæ,
Sectenturque vagas (*a*) per gaudia lubrica pompas.
449-450 Hos (*b*) igitur nobis cupiens avertere morbos
Omnimedens Dominus, sanctos mortalibus ægris
B Per varias gentes medicos pietate salubri
Edidit; utque suam divina potentia curam
Clarius exereret, potioribus intulit illos
Urbibus, et quosdam licet oppida parva retentent
Martyras (*c*): at (*d*) proceres Deus ipsos mœnibus amplis
Intulit, et paucas functos divisit in oras,
Quos tamen ante obitum toto dedit orbe magistros.
Inde Petrum, et Paulum (*e*) Romana fixit in urbe,
Principibus quoniam medicis caput orbis egebat
Multis insanum vitiis, cæcumque tenebris.
Sed potiore Deo nostram reparare salutem,
Quam Satanæ (*f*) captos etiam nunc fraude tenere (*g*):
Rarescunt tenebræ mundi, et jam pene per omnes
Prævaluit pietas, et mortem vita subegit.
Crebrescente fide victus delabitur (*h*) error,
Et prope jam nullis sceleri, mortique relictis
Tota pio Christi censetur nomine Roma (*i*),
Irridens figmenta Numæ, vel fata Sibyllæ.
Cumque sacris pia turba refert (*j*) pastoribus Amen
Per numerosa Dei regnantis ovilia lætum.
Laudibus æterni Domini ferit æthera clamor
Sanctus, et incusso Capitolia culmine nutant (*k*).
In vacuis simulacra (*l*) tremunt squalentia templis
Vocibus icta piis, impulsaque nomine Christi.

(*a*) Ita scriptum est in nostro codice. At in codice Mur. legitur *cavas*, id est *inanes*, ut recte explicat Muratorius qui notam subjungit sequentem. — *Cavas*, id est inanes. Virgil. VI Æneid. :

Et ni docta comes tenues sine corpore vitas
Admoneat volitare cava sub imagine formæ,
Irruat, et frustra ferro diverberet umbras.

Et alibi :

Nox atra cava circumvolat umbra.

(*b*) Hunc versum et alios qui sequuntur usque ad 55 citat Dungalus. — Theophridus abbas in serm. 1 de SS. Reliqq. *Has*, ait, *singulis provinciarum, et civitatum populis dedit in solatium, ut dum importunis urgentur incursibus hostium visibilium, et invisibilium, per harum defensentur meritum.* Infra : *Sic et Deus noster videns hostium multitudinem per totum volitare aerem, et pugnam adversus adoptionis suæ filios struere multiplicem, humanæ miseriæ misericorditer consulit, et multiplicatis super arenam patrociniis civitatem suam, id est Ecclesiam custodit, et protegit.* Muratorius.

(*c*) Mur. codex et Dungalus habent *martyres :* noster vero cod. *martyras.*

(*d*) In Mur. codice scriptum erat *ad proceres.* Recte autem Muratorius suspicatus fuerat legendum esse *at proceres :* ita enim legitur in nostro cod., et apud Dungalum.

(*e*) S. Leo in serm. de Nat. apost. Petri et Pauli apposite ad hanc rem : *Beatissimus Petrus princeps apostolorum ad arcem Romani destinatur imperii, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.* Vide reliqua. Muratorius.

(*f*) In Mur. codice legitur *quam Satana captos*, etc.

(*g*) Lectionem codicis Mur. secutus sum. Noster habet *teneri.*

(*h*) Mur. codex habet *dilabitur;* noster *delabitur.*

(*i*) Haud ita stricte sumenda Paulini verba, ut Romæ tum nullos superfuisse paganos credamus; siquidem non uno cecidit ictu superstitionis imperium, sed temporis beneficio id obtentum, quod statim a Constantino sacra fidei documenta, principumque exempla, evincere haudquaquam potuerant. Certe ex paganorum grege consules, senatores, aliique magistratus fuere assumti pene ad hæc usque tempora, hoc est ad annum Chr. 404. Quin et ipse Paulinus nondum profana religione expeditus consul processerat. Emissæ vero per hæc eadem tempora plures a piissimis imperatoribus leges, queis ethnicismus confodiebatur, satis innuunt, nondum illi, ut Taciti verbis utar, magnum diem impositum fuisse. Videndus hac de re codex Theod. tit. *de Paganis*,
C etc. Quin immo et anno 410, sex videlicet abhinc annis, Roma barbarorum irruptione sub Alarico eversa S. Augustino scribendi præclarissimos de Civ. Dei libros causam præbuit, ut a paganorum contumeliis Christi fidem tueretur. Inquit autem magnus doctor lib. I, cap. 1 : *An non etiam illi Romani Christi nomini infensi sunt, quibus propter Christum barbari pepercerunt? Testantur hoc martyrum loca, et basilicæ Apostolorum, quæ in ipsa vastatione Urbis ad se confugientes suos, alienosque* (videlicet paganos Romæ degentes) *receperunt.* Muratorius.

(*j*) Emendavi ex nostro codice. Nam Mur. pro *refert* legit *ferat.* — Id moris in Ecclesia primitiva invaluit, ut post sacras antistitis preces populus concordi voce responderet *Amen.* Egregius in hanc rem est S. Justini martyris locus in Apol. pro Christianis secunda, quæ revera prior dicenda est : Οὗ συντελέσαντος, inquit is, τὰς εὐχάς τε, καὶ τὴν εὐχαριστίαν, πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων Ἀμήν : *Ubi ille,* (id est episcopus) *preces, et eucharistiam absolvit, to-*
D *tus qui adest populus fausta approbatione acclamat dicens, Amen.* Quod etiam antiquissimus doctor infra repetit. Tertullianus lib. de Spectac. cap. 25 ad Christianum ait : *Eo ore, quo Amen in Sanctum protuleris, gladiatori testimonium vis reddere?* Ipse Paulinus in precatione Matut. de Deo loquens :

Quem celebrant modulato carmine plebes,
Et responsuris ferit aera vocibus Amen.

Consule præter hæc Bonam, Rer. Liturg. lib. II, cap. 5. Muratorius.

(*k*) Num *fulmine*, hoc est piarum vocum fragore? Muratorius.

(*l*) Eadem ferme verba exhibet S. Hier. in præf. ad II lib. Comment. in Ep. ad Galat. : *Romanæ*, inquit, *plebis laudatur fides. Ubi alibi tanto studio, et frequentia ad ecclesias et ad martyrum sepulcra concurritur? Ubi sic ad similitudinem cœlestis tonitrus Amen reboat, et vacua idolorum templa quatiuntur?* Muratorius.

Diffugiunt trepidi desertas dæmones ædes.
Lividus incassum serpens fremit ore cruento
Lugens humanam jejuna fauce salutem.
Seque simul pecudum jam (a) sanguine defraudatum
Prædo gemens frustra siccas circumvolat aras.
Sic (b) Deus et reliquis tribuens pia munera terris
Sparsit ubique loci magnas sua membra per urbes.
Sic dedit Andream (c) Patris, Ephesoque Johannem (d),
Ut simul Europam, atque Asiam curaret in illis,
451-452 **Discuteretque graves per lumina tanta tenebras.**
Parthia Matthæum (e) complectitur, India Thomam (f)
Lebbæum Libyes (g), Phryges accepere (h) Philippum,
Creta Titum sumpsit (i), medicum Boetia (j) Lucam.

(a) In Mur. codice scriptum erat *quem*: in nostro autem *jam*: quo modo legendum esse suspicatus fuerat Muratorius.

(b) Hunc versum et alios qui sequuntur usque ad 84 citat Dungalus.

(c) Patræ urbs Achaiæ. Ibi consummasse martyrium Andreas dicitur in ejus Actis apud Sur. tom. VI. Hieronymus in ep. 148 ad Marcellam: *In omnibus locis versabatur* (Jesus), *cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrico, cum Tito in Creta, cum Andrea in Achaia.* Vide Bar. in Martyr. Rom., et Florentin. in Martyr. Hieron. Muratorius.

(d) Ephesi occubuisse Johannem mille monumenta testantur. Euseb. Cæs. lib. III, cap. 35 Hist. eccl. Polycratis Ephesini episcopi epistolam refert, in qua idem asseritur. Vide Baron. in Martyr. ad diem 27 Decembr. Hinc celebris Ephesina Ecclesia, et inter apostolicas relata primatem, seu exarchum nulli subditum patriarchæ quondam jactavit. Tertull. cap. 36 Præscript.: *Proxime*, inquit, *est tibi Achaia? habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum.* Venantium Fortunatum his juvat addere canentem lib. VIII, carm. 4:

Nobilis Andream mittit Achaia suum,
Præcipuum meritis Ephesus veneranda Johannem
Dirigit.

Muratorius.

(e) M. Antonius Columna in libello de Vita et Gestis S. Matthæi: *Illud*, ait, *certe inter historicos convenit, in Regia Ethiopiæ civitate B. Apostolum martyrio coronatum, ibique diu sacrum mansisse corpus.* Pro martyrii loco adsentiri aliquantulum possem, siquidem Metaphrastes eidem adstipulatur, unaque cum eo Venantius Fortun. lib. v, carm. 1, ubi ait:

Mattheus Æthiopes attemperat ore vapores,
Vivaque in exusto flumina fudit agro.

Verum de sepulturæ loco Columna decipitur. Qui enim Paulinus noster Parthiam Matthæi sepulcrum complecti dixisset, si in Æthiopia illud conditum fuisset? Parthi, Æthiopesque nimium diversi, ut eorum nomina confundantur. Sed audiamus iterum Venantium lib. VIII, carm. 4:

Inde triumphantem fert India Bartholomæum,
Matthæum eximium Naddaver alta virum.

Idem etiam innuit carm. seqq.:

Quos Patra, quos Ephesus, Naddaver arce tenet.

Ut igitur concilientur viri tanti, urbem Naddaverem in Parthia positam arbitrarer, quo S. Matthæi ossa post mortem fuerint translata. Cur enim hic audiatur Abdias omnium judicio scriptor apocryphus, qui hanc urbem Æthiopica in regione statuit? Si hujusmodi auctoritatibus agendum, Dorotheum et ego reponerem pseudographum et ipsum auctorem, qui in libello de XII apostolis Matthæum asserit *Hierapoli Parthiæ* defunctum, seu *Hierapoli Syriæ*, ut prodit in fragmento quodam Gulielmus Cave lib. de Script eccl. Sed aperte Paulino subscribunt Anonymus apud Œcumenium dicens: *Matthæus evangelista Evangelium Hebraica lingua conscriptum tradidit. Obdormivit autem in Hiera civitate Parthiæ, et ibi sepelitur.* Hippolytus in Indiculo XII apost. scribit: *Matthæus obdormivit Hiereæ Parthorum civitate.* Freculphus tom. II, lib. II, cap. 46, Matthæi sepulcrum ita signat: *Primum evangelizavit in Judæa, postmodum in Macedonia prædicavit; requiescit in montibus Parthorum.* C. V. Bollandus ad diem 24 Febr. ex codice a mille annis exarato notitiam refert de locis SS. apostol., ibique dicitur: *Natalis S. Matthæi apostoli, qui passus est in Persida.* Martyr. Hieronym. a Florentinio editum hæc habet: *In Persida Natalis S. Matthæi apostoli et evangelistæ.* Alius item indiculus vetustissimus apud Florent. pag. 159 *in Persida* passum testatur Matthæum. Parthia certe Persidi adjacebat, immo, ut Plin. lib. VI, cap. 25, ait: *Persis in Parthorum jampridem translata est nomen.* Et Persidem Parthia complectebatur, ut etiam erudit. et C. V. Baudrandus amicus meus in Lexico geograph. monuit. Unde opinioni meæ aliud suffragium accedit, dum in Parthia sepultum Matthæum una cum Paulino affirmo. Patet etiam in Parthis prædicasse S. apostolum, ut par sit credere, relictos ibi discipulos eidem e vivis sublato, ejusque ossibus in urbem Naddaverem reportatis parentare potuisse. Muratorius.

(f) Obiisse hunc apostolum ibidem præter alios auctores testatur S. Hieron. de Script. eccles., qui et urbem Calaminam locum martyrii assignat. Ejus corpus Edessam deinde translatum, uti videre est apud Baron. in Martyr. ad diem 3 Julii. Laudata a Bollando notitia hoc etiam asserit: *Natalis S. Thomæ apostoli in India, et translatio corporis ejus in Edessa.* Muratorius.

(g) Lebbæus idem est ac Thaddæus, qui alio etiam nomine Judas nuncupatur. S. Hieron. in cap. X Matth.: *Thaddæum apostolum ecclesiastica tradit Historia missum Edessan ad Abagarum regem Chosidenæ* (Osrhoene legendum potius) *qui ab evangelista Luca Judas Jacobi dicitur, et alibi appellatur Lebæus, quod interpretatur corculum, credendumque est eum fuisse trinomium.* At a Paulino dissident reliqui scriptores in constituendo loco, ubi sacrum illius corpus servetur. Venant. Fortun. carm. 4. lib. VIII:

Hinc Simonem, et Judam lumen Persida gemellum
Læta relaxato mittit ad astra sinu.

Dorotheus Tyrius in lib. de XII Apost.: *Judas Jacobi, qui et Thaddæus, et est Lebbæus Edessenis, et universæ Mesopotamiæ Evangelium Domini prædicavit. Sub Augaro Edessenorum rege in Beryto occisus, et cum honore sepultus.* Florentin. in not. ad martyr. Hieron. quædam producit martyrologia antiquissima, quibus *in Perside*, aut *in Suanis civitate Persarum* occisus Thaddæus dicitur. Ego censerem hos de mortis loco intelligendos, Paulinum vero de sepulcri loco. Muratorius.

(h) Hierapoli in urbe Phrygiæ sepultum Philippum discimus etiam a Venantio Fortun.

Læta suis votis Hierapolis alma Philippum
Producens.

Cui adde Hieron. de Script. eccles.: *Philippus apostolus in Phrygia prædicat Evangelium Domini Jesu. Sepelitur Hierapoli cum filiabus honorifice.* Vide Baron. in Martyr. ad diem 1 Maii. Muratorius.

(i) Episcopum Cretæ fuisse Titum, ibique etiam sepulturam nactum docet Hieronymus, ceterique scriptores, ac Menologia, ut eamdem recoquere crambem nihil sit opus. Muratorius.

(j) In Mur. cod. legitur *Boethia*; in nostro *Boetia.*

Marcus, Alexandrea (*a*), tibi datus, ut bove pulso (*b*)
453-454 Cum Jove (*c*), nec pecudes Ægyptus in Apide demens,
In Jove nec civem coleret (*d*) male Creta sepultum,
Nec Phryges exsectis (*e*) agerent Cybeleia Gallis
Impuram fœdo solantes vulnere matrem,
Et tandem castis (*f*) fronderet montibus Ida
Intactas referens (*g*) securo vertice pinus:
Vana nec ulterius mutos (*h*) jam Græcia Delphos
Consuleret, spernensque suum calcaret Olympum
Altius in Sion gradiens, ubi collis alumni

Dungalus mendose legit hunc versum: sic enim legit: *Creta Titum sibi sumpsit, Antiochia, et Ostia Lucam.* — Hactenus depravatam lectionem e Dungalo hauseramus, quum ita in ejus codicibus, ac præsertim in antiquissimo Bibliothecæ nostræ legatur:

Creta Titum sibi sumsit, et Antiochia, et Ostia Lucam.

Rosweidus in notis ad hunc locum ita ait: *Mirum a Paulino asseri Lucæ reliquias servari Antiochiæ, et Ostiæ, quum Martyrologium Romanum 9 Maii dicat ejus reliquias translatas ex Achaia Constantinopolim. Nisi tantum velit Antiochiam, et Ostiam Lucam Evangelii proseminatorem habuisse egregium, fors et reliquias aliquas ejus aliunde expetierint.* Verum vulneris hujus sanitatem codici nostro debemus. Revera in Bœothia, seu Achaia sepultus est Lucas. Gaudentius Brix. in serm. habito in Dedic. Eccles. *Johannem in Sebaste provinciæ Palæstinæ, Thomam apud Indos, Andream, et Lucam apud Patras Achaiæ civitatem tumulatos refert.* Lucæ dein reliquias una cum Andreæ apostoli ossibus Constantinopolim de Achaia translatas meminit Hier. de Script. eccles. Quibus alia documenta addi possunt. Hinc pseudo Dorotheum arguas, dum Ephesi mortuum ac sepultum Lucam somniat. Ceterum medici titulus Lucæ a Paulino alibi aptatur, nempe Natal. 9:

Hic medicus Lucas prius arte, deinde loquela
Bis medicus Lucas.

MURATORIUS.

(*a*) Ita legitur in nostro codice: in codice autem Muratorii *Alexandria.* — Alexandrinam Ecclesiam Marcus a S. Petro illuc missus fundavit, eamque suo etiam sanguine, tumuloque beavit. Id a Hieronymo docemur omnibusque Martyrologiis. MURATORIUS.

(*b*) Apud Ægyptios celebris quondam fuit cultus Apidis, quem bovis specie figurabant. Huic quotannis longa cæremoniarum series impendebatur. Solin. cap. 32: *Inter omnia, quæ Ægyptus habet digna memoratu, præcipue bovem mirantur. Apim vocant. Hunc ad instar colunt numinis, insignem notæ albæ macula, quæ dextero ejus lateri ingenita corniculantis Lunæ refert faciem*, etc. Historiam de hisce Ægypti superstitionibus texere possem; præstat tamen lectorem ad ea dimittere, quæ congesserunt Vossius in libris de Theolog. gentil., Salmas. in Exercit. Plin. ad Solini locum supra relatum; Diodor. Sic. lib. I; Eus. Cæs. de Præp. evang. cap. 11, Herodot., etc. Ego quoque ad quartum Paulini poema plura notabo. MURATORIUS.

(*c*) Illato per Titum in Cretensem urbem Evangelio, inde pulsus est Jupiter. Quod si ad Ægyptios hujus mentionem referas, ille est Jupiter Ammon, quem summa illi veneratione prosequebantur. Plutarch. de Isid. et Osir. Ammonem ait esse ἴδιον παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διος; *proprium nempe apud Ægyptios Jovis nomen.* Herodot. in Euterp.: Ἀμμοῦν γὰρ Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία; *Ammonem enim Ægyptii appellant Jovem.* MURATORIUS.

(*d*) Jovem Cretæ regem fuisse, ibique sepulturæ datum, atque ad divinitatis fastigium ab infelici ethnicorum errore perductum ipsi fatentur gentiles, inter quos Lucianus in lib. de Sacrific. ita ait: Οἱ δ' αὖ Κρῆτες οὐ γενέσθαι παρ' αὐτοῖς, οὐδὲ τραφῆναι μόνον τὸν Δία λέγουσι, ἀλλὰ καὶ τάφον αὐτοῦ δεικνύουσι; *Rursus autem Cretenses Jovem affirmant non modo vixisse apud sese, nutritumque fuisse, verum etiam sepulcrum illius ostendunt.* Idem asseruit Callimachus in hymno ad Jovem duobus his versibus:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δ' οὐ θάνες: ἐσσὶ γὰρ αἰεί.
Mendaces semper Cretenses, namque sepulcrum
Construxere tuum, o rex; non es morte peremptus
Ipse, sed es semper.

Vide Clement. Alex. in Orat. hortatoria ad Græcos, Demetrium Scepsium apud Scholiast. Apollon. lib. III, et reliquos mythologos. MURATORIUS.

(*e*) Cybeleia Cybeles, seu Berecynthiæ magnæ deorum Matris dies festi erant. Hujus Deæ sacerdotes *Galli* nuncupati virilibus carere in Atidis memoriam cogebantur. Paulinus noster in poem. 4 ita ait:

Hic habet et matrem captam pastoris amore,
Sed melior Pastor, castum servare pudorem
Qui voluit, sprevitque Deam, cui sæva viriles
Abscidit partes, etc.
Nunc quoque semiviri mysteria turpia plangunt, etc.

De Gallis etiam meminit Lucanus lib. I:

Crinemque rotantes.
Sanguineum populis cecinerunt tristia Galli.

Herodian. lib. I: *Inde Phryges olim Orgia colebant ad ipsum fluvium Gallum, a quo etiam sacerdotes Cybeles cognominantur.* Vide Panvin. lib. II Descript. civ. Rom., et ea, quæ ad quartum poema retuli. Plura etiam de Gallis et Archigallis dixi ad inscriptionem quamdam Juliani J. C., quam in marmorum collectione nova sum editurus. MURATORIUS.

(*f*) Cybele potissimum in Ida monte colebatur apud Phryges, quia ibi nefandos Atidis amores exercuerat. Hinc Virgil. lib. X Æneid.

Alma parens Idæa Deum.

A *Cybelo* etiam Phrygiæ monte putatur Cybele nomen traxisse. MURATORIUS.

(*g*) *Pinus in tutela Matris deum est*, inquit Servius ad lib. IX Virgil., ubi hæc leguntur Cybeles Jovem alloquentis verba:

Pinea sylva mihi varios dilecta per annos
Lucus in arce fuit summa.

Arnobius etiam lib. V contra Gent.: *Quid sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus in deum Matris intermittitis sacrario?* Et eod. lib. ad finem: *Pinus illa solemniter, quæ in Matris infertur Sacrum Deæ, nonne illius imago est arboris, sub qua sibi Atis virum demessis genitalibus abstulit? Et quam memorant Divam in solatium sui consecravisse mœroris?* Multa super his videas apud V. G., mihique supra omnes carissimum Benedictum Bacchinum in singulari dissert. de Sistris. MURATORIUS.

(*h*) Emendavi ex nostro codice, qui habet *mutos.* In Mur. codice scriptum est *multos:* at recte suspicatus est Muratorius legendum esse *mutos.* — Unos adhuc novimus Delphos Apollinis oraculo celebres. Quid est igitur, quod multi hic memorantur? Poetice locutus hoc in loco videtur Paulinus, ut pro Delphis oracula, aut templa Phœbo præcipue dicata intelligat. Est hoc poetarum. Scimus etiam Apollini Pythio plura delubra fuisse sacrata. Delphosque antiquitus Pythum appellatos. Pausan. in Phocicis: Κρόνῳ δέ, ait, ὕστερον, καὶ Πυθὼ τὴν πόλιν, οὐ Δέλφους μόνον ἐκάλεσαν οἱ περιοικοῦντες. *Sequenti vero tempore urbem Delphos non solum, sed etiam Pytho incolæ nuncuparunt.* Quare pro Delphis multa Apollinis Pythii templa hic intelligenda non inepte venirent. Dæmonem Delphicum obmutuisse nato Christo ferunt Orosius lib. I, Cedrenus, et Niceph. Callist. lib. I, cap. 17. De silentii causa rogatum respondisse aiunt:

Me puer Hebræus divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub Orcum.

Lene jugum celso fastigat (a) vertice Christus.
Fugit et ex Epheso (b) trudente Diana Johanne
Germanum comitata suum, quem nomine Christi
Imperitans Paulus pulso Pythone (c) fugavit.
Fugit ab (d) Ægypto Satanas, ubi mille figuras (e),
Nomina mille sibi variis accommoda monstris
455-456 Sumpserat; ut Serapi (f) sanctum formaret Ioseph,
Nomine ferali abscondens (g) venerabile nomen,
Cum tamen ipsa fidem simulacri forma doceret,
Qua modius capiti (h) superest, quia frugibus (i) olim
Ante famem Domino sic inspirante coactis
Innumeras gentes Ægypti ex ubere pavit,
Et steriles annos annis saturavit opimis.
Sed ne ultra sanctus coleretur honore profano,
Mens arcana Dei devotæ pectora plebis
Immissis acuit stimulis, cultumque nefandi
Dæmonis everso (j), fractoque Serapide (k) clausit.
Non Pelusiacis vaga saltibus Isis Osirim (l)

Hinc arbitrarer in textu latere mendum, ac propterea pro *multos* reponendum *mutos*. Muratorius.

(a) Hoc est *acuit*. Silius lib. v:

Mediamque per alvum
Sensim fastigans compressa cacumina nectit.

Et apud Cæsarem in Comment. *fastigatus leviter collis legitur*. Muratorius.

(b) Plin. lib. xxxvi, cap. 14: *Magnificentiæ vera admiratio exstat templum Dianæ Ephesiæ.* Censebatur autem hoc templum inter septem mundi miracula. Paulus apostolus, ut habetur in Actis apost. cap. xix, delatus Ephesum hæc ait: *Magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur, et destrui incipiet majestas ejus, quem tota Asia et orbis colit.* Illuc demum S. Johannes venit, ac Dianæ silentium imposuit. Prochorus licet apocryphus scriptor in Joannis Historia id multis prodit cap. 4 et 5. Muratorius.

(c) Cap. xvi Act. ap. hæc habentur: *Factum est autem euntibus nobis ad orationem puellam quamdam habentem spiritum Pythonem obviare sibi, quæ quæstum magnum præbebat dominis suis divinando*, etc. *Dolens autem Paulus, et conversus spiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea, et exivit eadem hora.* Apollo Pythius oraculis clarus habebatur; quicumque igitur spiritu malo obsidebantur, ac in divinationem erumpebant, Pythium in se habere dicebantur. Hoc autem a muliere illa expulso Paulinus Apollinem fugatum recte memorat. Pythii vero cognomen a Pythone interfecto, vel a πυθέσθαι hoc est *a consulendo* Phœbus traxit. Muratorius.

(d) In Mur. codice legitur: *Fugit et Ægypto*: in nostro: *fugit ab Ægypto*. Utraque lectio probabilis. — Ægyptiorum deorum numerus erat infinitus. Longam horum seriem texit Diodor. Sic lib. i Biblioth., Juvenalis sat. 5:

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? Crocodilon adorat
Pars hæc; illa pavet saturum serpentibus Ibim;
Effigies sacri nitet aurea Cercopitheci.

Tertull. cap. 34 Apolog.: *Ægyptiis permissa est tam vanæ superstitionis potestas, avibus, et bestiis consecrandis, et capite damnandis, qui aliquem hujusmodi Deum occiderit.* Videndi Lucian. de Imag., Clemens Alexandr. lib. iii Pædag., cap. 2, Minutius Fel. in Dialog., et in primis Constantinus Manasses in Annal., ubi ab Ægyptiis coli asseruit.

Αἰλούρους, καὶ πιθήκους
Ἴβεις, καὶ τράγους, βόαστε, κυνάς, καὶ κροκοδείλους,
Καὶ τ' ἄλλα προσοχθίσματα τῆς σφῶν φρενοβλαβείας,
Felles, et simias,
Ibes, et hircos, et boves, canes, et crocodilos,
Et alias abominationes ab errore mentis profectas.

Hanc S. Hieron. lib. iv Comment. in Esaiam. cap. xi aiebat *Gentem Ægyptiorum in tantum idololatriæ, et vanissimæ superstitioni deditam, ut accipitres, noctuas, canes, et hircos, et asinos divino nomine consecrarent*, etc. Muratorius.

(e) Ita scriptum est in nostro codice: in codice autem Muratorii, *sub mille figuris*, quæ lectio mendosa est.

(f) In Mur. codice scriptum est *Serapis*; in nostro *Serapi*: utra lectio sit melior, judicet lector. — Josephum patriarcham in Ægypto celebrem vana incolarum superstitio in Serapidem converterat. Julius Firmicus de Error. profan. relig., cap. 14, id pluribus asserit; nomenque Serapidi inditum prodit. *Nam quia Suræ pronepos fuerat, ex qua nonagenaria Abraham indulgentia Dei susceperat filium, Serapis dictus est Græco sermone, hoc est* Σαρᾶς ἀπό. *Sed hoc invito Joseph accidit, immo mortuo*, etc. *Hic in Ægypto colitur, hic adoratur, hujus simulacrum Neocororum turba custodit, et ad memoriam vetustatis errans populus ordinem sacrorum in honorem integerrimi, ac prudentissimi hominis constitutum contentiosa hodie animositate custodit.* Post Firmicum Rufinus Paulino coævus id quoque testatus est lib. ii Hist., cap. 23, de Serapidis simulacro loquens: *Quidam in honorem nostri Joseph formatum perhibent simulacrum ob divisionem frumenti, qua famis tempore subvenit Ægyptiis.* Vide Baronium ad ann. 389. De hac re præclaram dissertationem non ita pridem emissam Romæ a viro eruditissimo patre Bonjour per litteras monuit V. C. Ant. Magliabechius, eique Paulinum quoque nostrum favere gratulor. Muratorius.

(g) Emendavi ex nostro codice, qui habet *abscondens*. In codice enim Mur. legitur *abscindens*.

(h) Serapidis statua modio capiti superimposito effingebatur. Hanc effigiem reperire est apud Cartarium de Imag. deor., et apud Fulv. Ursin. in Scipionis numismate. Rufinus supra laudatus ibidem ait: *Post hoc revulsum cervicibus, et depresso modio trahitur caput.* Et infra: *Alii Jovem putant, cujus capiti modius superimpositus.* Suidas quoque verbo Σαράπις inquit: Οἱ δὲ τὸν Νεῖλον ἔφασαν εἶναι. διὰ τὸ ἔχειν μόδιον ἐν τῇ κεφαλῇ: *Alii vero Nilum esse dicebant, eo quod modium in capite gestaret.* Macrob. cap. 20 lib. i Saturn., hujus falsi numinis meminit, sed pro modio *calathum* ejus capiti affingit. Ad Theodosii usque tempora stetit Ægyptii Serapidis templum. Dirutum deinde jacuit, ut Rufinus, Socrates, ceterique narrant Historici. Casalius de profan. rit. cap. 13. Serapidis effigiem exhibet, sed quum ejus capiti modius desit, incertum mihi videtur, an illius Numinis sit simulacrum. Certe plures Serapidis figuras profert clar. Patinus in impp. Numism. pag. 153 in Tito et in Hadriano, ac omnes cum modio intueri licet. Id etiam tetigit Plutarch. in libell. de Isid. et Osir. Muratorius.

(i) Lectionem codicis Mur. secutus sum. In nostro legitur *fructibus*.

(j) Ita legendum puto cum nostro codice. At in Mur. codice legitur *averso*.

(k) Id innuit quod ævo suo peractum fuerat; Serapidis enim simulacrum sub Theodosio M. eversum. Muratorius.

(l) Osiris a Typhone interemtus fuit, ac in frusta discerptus. Isis conjugem occisum ulta cum luctu, ac ejulatibus ejus reliquias quæsivit, inventasque sepulcro reddidit. Hinc profanus apud Ægyptios ritus quotannis repetebatur. Ovid. lib. ix Metam.

Et regale decus, cum qua latrator Anubis,
Sanctaque Bubastis, variisque coloribus Apis,
Sistraque erant, numquamque satis quæsitus Osiris.

Minutius in Octav.: *Considera denique sacra ipsa, et ipsa mysteria; invenies exitus tristes, fata, et funera, et luctus, atque planctus miserorum deorum. Isis perditum filium cum Cynocephalo suo, et aliis sacerdotibus*

Quærit aruspicibus (*a*) calvis, qui pectore tunso (*b*) A
Deplorant aliena suo lamenta dolore,
Moxque itidem insani sopito gaudia luctu (*c*)
Vana gerunt eadem mentiti fraude repertum,
Qua non amissum (*d*) sibi quæsivere vagantes.
Heu quo stultitiæ merguntur gurgite mentes
457-458 Luce Dei vacuæ! nam quid, rogo, cæcius illis,
Qui non amissum quærunt, nusquamque manentem
Inveniunt, planguntque alii quod non dolet ipsis?
Elige quid facias miser error. Quid colis? aut quid
Plangis? non coeunt quæ jungis: luctus honorem B
Non sequitur: lamenta colis, lugendaque credis,
Quæ divina putas. Si dii sunt (*e*), nec miseri sunt;
Aut si sunt miseri (*f*), dii non sunt, atque homines sunt,
Et miseri: miserare (*g*) igitur mortalia passos,
Aut lætus (*h*) venerare deos: nam cæcus aperte est
Hic furor, aut miseros colere, aut lugere beatos.
Ergo dea est Isis? mulier dea? si dea, corpus
Non habet, et sexus sine corpore (*i*), vel (*j*) sine sexu
Partus abest (*k*). Unde ergo illi quem quærit (*l*) Osirim?
Atque ubi quærat eum (*m*), nescit dea. Sed dea numquam
Esse potest mater, nec femina. Nam Deus unus,
Virtus trina Deus, Pater unus, et unus in ipso
Filius: ex ipso simul unus (*n*) cum Patre Verbi

luget, plangit, inquirit; et Isiaci miseri cædunt pectora, et dolorem infelicissimæ matris imitantur. Mox invento parvulo gaudet Isis, exsultant sacerdotes, Cynocephalus inventor gloriatur. Sed cur perditum filium vocat Minutius? Osiridem profecto maritum Isidis testantur antiqui omnes, ac potissimum Synesius in lib. de Provid., et Plutarchus in lib. de Isid. et Osir. Non juvat his immorari, quum tantum a se ipsis discrepantes ipsimet Ægyptii inveniantur in sacrorum suorum Historia, ut ne venditent quidem fabulas sale mixtas, sed nugas proferant ineptissimas. Pro Minutio stat Lactantius lib. I Instit., cap. 21, ubi inquit: *Isidis sacra sunt, quatenus filium vel perdiderit, vel invenerit; nam sacerdotes ejus sua pectora tundunt, lamentantur, deinde puer producitur, quasi inventus, et in lætitiam luctus mutatur.* Filium autem C Isidis Horum nomine deperditum ab Iside, simulque quæsitum suspicor ex verbis Athanasii in Orat. contra gentes: Ἐν γοῦν Αἰγύπτῳ ἔτι καὶ νῦν ὁ περὶ Ὀσίρεως, καὶ Ὥρου, καὶ Τύφωνος, καὶ τῶν ἄλλων θρῆνος τῆς ἀπωλείας ἐπιτελεῖται. *Certe in Ægypto nunc etiam de Osiride, Horo, Typhone, aliisque ut deperditis, et exstinctis deploratio solemnis peragitur.* MURATORIUS.

(*a*) Lampridius in Commodo: *Sacra Isidis coluit, ut et caput raderet, et Anubin portaret.* Idem repetit Spartianus in Pescenn. Nigro. *Vidimus sacra Isidis ferentem, quibus Commodus adeo deditus fuit, ut et caput raderet, et Anubim portaret.* Hieron. in Ezech. cap. XIII: *Perspicue demonstratur rasis capitibus, sicut sacerdotes, cultoresque Isidis ac Serapidis, nos esse non debere.* Ambros. quoque in Ep. ad Sabin.: *Ipsi capita, et supercilia sua radunt, si quando Isidis suscipiunt sacra.* Hujus ridiculi moris causam tradit Plutarchus de Isid. et Osir. De vocabulo *calvi* ad rem facit Martialis distichon lib. XII epigr. 29:

Linigeri fugiunt calvi, sistrataque turba,
Inter adorantes cum stetit Hermogenes.

MURATORIUS.

(*b*) Julius Firmicus præclarissimus scriptor, de Errore profan. relig. cap. 2, Isiaci sacri summam his perstringit verbis: *In adytis habent idolum Osiridis sepultum. Hoc annuis luctibus plangunt, radunt capita, ut miserandum casum sui regis turpitudine dehonestati defleant capitis, tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum reserant cicatrices, ut annuis luctibus in animis eorum funestæ, ac miserandæ necis exitium renascatur,* etc. Lactant. lib. I Div. Inst.: *Sacerdotes Isidis deglabrato corpore pectora sua tundunt, lamentando sicut ipsa, cum filium perdidit, fecerat.* Commodus quoque referente Lampridio Isiacos pineis usque ad perniciem pectus tundere cogebat. Athenag. in Apolog.: Αἰγύπτιοι τύπτονται ἐν τοῖς ἱεροῖς τὰ στήθη, *Ægyptii pectus tundunt in sacris suis.* MURATORIUS.

(*c*) Mur. codex habet *planctu*; noster *luctu*.

(*d*) Minutius in Octav.: *Nec desinunt annis omnibus vel perdere, quod inveniunt, vel invenire, quod perdant. Nonne ridiculum est, vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas?* MURATORIUS.

(*e*) In Muratorii codice ita scriptum est: *Quæ divina putas, si dicis, nec miseri sunt. Aut si sunt miseri, dii non sunt, atque homines sunt, Et miseri*, etc. In nostro autem codice ita: *Quæ divina putas. Si dii sunt, nec miseri sunt. Et miseri*, etc., desideratur scilicet versus. Itaque, collatis invicem duabus hisce lectionibus, sic legendum statui ut superius legitur.

(*f*) E Julio Firmico lib. de Proph. relig. Error. hæc hausit verba Paulinus: *Si dii sunt illi*, inquit is cap. 8, *quos colitis, cur eos lugetis? Cur annuis luctibus eos plangitis? Si lacrymis et luctu digni sunt, cur eos divino honore cumulatis? Unum itaque e duobus facite, aut nolite eos lugere, si dii sunt, aut si luctu eos dignos putatis, ac lacrymis, deos eos appellare nolite, ne luctibus ac lacrymis vestris majestas divini nominis polluatur.* Epiphanius etiam in Anchorato cap. 106: Ἄλλος δὲ Ἡράκλειτος Αἰγυπτίοις φησίν: Εἰ θεοί εἰσι, διὰ τί θρηνεῖτε αὐτούς; *Alius vero Heraclitus Ægyptiis ita objicit: Si dii sunt, quos colitis, cur illos lugetis?* MURATORIUS.

(*g*) Mur. cod., *miserere*. At legendum est *miserare*, ut est in nostro codice.

(*h*) Legendum est *lætus*, ut est in nostro codice: at Mur. codex habet *lætos*.

(*i*) Corruptum carmen. Ego emendatis verbis ita legerem:

Ergo dea est Isis? Mulier dea? Si dea, corpus
Non habet, et sexum sine corpore, vel sine sexu
Corpus habet?

D Ut sit sensus. Si dea est Isis, quomodo corpus, a quo divinitas abhorrere deprehenditur, habet illa? Si corpore carentem dicitis, quo pacto sexus illi erit sine corpore? Sed legendum potius *Partum habet.* MURATORIUS.

(*j*) Mur. cod. habet *aut sine sexu*. At metri ratio ostendit legendum esse, ut scriptum est in nostro codice, cujus lectionem secutus sum.

(*k*) Mur. cod., *Pars habet*, quæ lectio sine controversia mendosa est: et legendum ut est in nostro codice, cujus lectionem posui.

(*l*) Mur. cod., *quærat*: noster vero, *quærit*: quam lectionem sequor. — Et hic insciti exscriptores offenderunt. Corrigo sic:

Unde ergo illi, quod cum quærit Osirim,
Aut ubi quærat eum, nescit dea?

MURATORIUS.

(*m*) In Mur. cod. mendose scriptum est *cum*. Noster habet *eum*: et ita legendum est.

(*n*) Spiritus sanctus hic *Spiritus Verbi* nuncupatur,

Spiritus: hæc tria (*a*) sunt Deus unus nomina semper.
Sola Dei natura Deus: quod Filius, et quod
Spiritus, et Pater est: sed Filius ex Patre natus,
Spiritus ex Patre (*b*) procedens. Nihil hic habet ulla (*c*)
Commune, aut simile in rebus natura creatis.
Ast (*d*) Carthago potens Cypriano martyre floret (*e*),
Cujus et ore simul profusi, et sanguine fontes
Fecundaverunt Libyæ sitientis arenas.
Nec procul inde Uticam (*f*) collatis Candida Massa
Martyribus magno venerandæ cædis acervo
459-460 Extulit; unus enim (*g*) benedicti cespitis agger
Corpora multa tegens alte caput extulit arvis,
Et meritis altos (*h*) testatur monte sepulcri.
Inde Deo dudum jam fertilis Africa Christo
Multiplicat largas tanto de semine fruges,
Et parit egregios (*i*) verboque, fideque magistros.
Nec (*j*) minor Occiduis effulsit gratia terris.
Ambrosius Latio (*k*), Vincentius exstat Iberis.
Gallia Martinum (*l*), Delphinum Aquitania (*m*) sumpsit.

aut si aliter legendum censes, ut illud *Verbi* referendum sit ad *Patrem*, *ex ipso* referendum esset ad Filium, a quo Spiritus procederet, ac propterea de processione S. Spiritus a Filio argumentum hinc quoque duci posset. Priorem tamen sensum tuetur S. Augustinus tract. 99 in Johann., ubi ait: *Cur non credamus, quod etiam de Filio procedat Spiritus sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus?* Verum vide quæ inferius adnotavi. Muratorius.

(*a*) Mur. cod. habet *trina:* sed mendose: itaque Muratorius sic emendandum locum censuit: *Hæc trino Deus unus nomine semper.* At nostri codicis lectio non est immutanda, in quo legitur: *hæc tria sunt Deus unus nomina semper.*

(*b*) Prioribus Ecclesiæ seculis quum in controversiam non adduceretur, an ex Filio quoque procederet S. Spiritus (id enim hæretici, ut Bellarminus ait, concedebant, quemadmodum ex Basilio lib. II contra Eunomium in concilio Florentino evictum est) contenti erant catholici ex Patre Filium procedentem dicere. Nusquam tamen a solo Patre procedentem affirmare ausi sunt; quin immo et complures expresse Spiritum a Filio procedere scripserunt, ut pluribus exemplis ostendunt Bellarminus lib. II de Christo, cap. 24, 25, etc., Leo Allatius et alii. Ego in reliquis Anecdotorum libris Venantii Fortunati expositionem in symbolum *Quicumque* producam, qua idem etiam expressum reperietur. In alio item vetustissimo Ambrosianæ bibliothecæ codice ante mille, et plures annos scripto, symbolum idem sum nactus, ubi vulgata occurrunt verba: *Spiritus sanctus a Patre et Filio non factus, non creatus, nec genitus, sed procedens.* Quare Græculorum, ipsorumque Novatorum querelam retundere fas erit, quibus particula *Filioque* sero addita videtur. Nil igitur, uti superius dixi, obstat, si apud veterum nonnullos *e Patre* Spiritum procedere audiamus, quum, licet de Filio sileatur, nihil in nos eorum silentium pugnet. Sic Bachiarium audiemus antiquissimum philosophum, qui seculo Christi, quantum ex Gennadio colligere possumus, quinto florebat, in Apologia sua *Patris*, non vero *Filii* meminisse. Hanc item Apologiam in Anecdotis meis veluti eximium vetustatis arcanum Deo favente proferam. Illud etiam animadverti in expositione Fidei, quæ inter S. Hieronymi opera habetur, Rufinoque presbytero adjudicatur, itidemque in symbolo, quod a quibusdam Hieronymo, ab aliis Pelagio, et in vetustissimo Ambrosianæ codice papæ Damaso tribuitur, non addi particulam *Filioque*, uti volumina typis consignata habent, sed eam a nuperis exscriptoribus nimium scrupulosis adjectam. Verum lectorem ad secundum Anecdotorum volumen remitto, ubi de his fusius. Nunc animadvertisse sufficiat Paulinum hunc S. Spiritus e Filio processum alibi affirmare, siquidem ita canit Natal. IX:

Spiritum ab unigena sanctum, et Patre procedentem.

Hoc est *a prole unigena*, quæ alia non est, quam Filius. Hoc certe miror tanti scriptoris testimonium nulli observatum fuisse. Muratorius.

(*c*) Mur. cod., *illa*. At legendum est *ulla*, ut est in nostro codice.

(*d*) Mur. codex habet *Et:* noster vero *Ast.* Dungalus, qui citat hunc versum, et duos, qui proxime sequuntur, legit *At.* — Cypriani sanctitas, et fama doctrinæ adeo se per orbem propagavit, ut apud Latinos non tantum, sed et apud Græcos antiquis temporibus celeberrima fuerit illius solemnitas. Exstant de illo sermones quidam S. Augustini, et duo S. Maximi. Quinque etiam alios ejusdem Taurinatis episcopi in S. Cypriani laudem proferam in reliquis Anecdotorum libris. Muratorius.

(*e*) Dungalus legit *gaudet*; Mur. cod. et noster *floret*.

(*f*) Celebris est Catonis fato, amplitudine et antiquitate inter Africanas urbes Utica. De ea sic Appianus: Ὑτίκη Λιβύης μεγίστη μετὰ Καρχηδόνα πόλις. *Utica post Carthaginem maxima urbs Africæ.* Sub Valeriano trecenti martyres, ut fatentur quævis martyrologia, seu ut S. August. tract. in psal. XLIX, centum quinquaginta tres in fornacem conjecti gloriose occubuerunt. Hinc cinerum sacrorum massa in summa veneratione habita. Vide Baron. in Martyr. ad diem 24 Septemb.; Prudentius in hymno 13 de S. Cypriano.

Corpora candor habet, candor vehit ad superna mentes,
Candida massa dehinc dici meruit per omne sæclum.

Muratorius.

(*g*) Mur. codex mendose habet *unum etenim.* Noster recte *unus enim.*

(*h*) Noster cod. *alto*. Sed leg. est *altos*, ut in cod. Mur.

(*i*) Ita me Deus amet, quum Paulinus religioni sibi aliquantulum duceret, sanctos in vivis agentes laudibus extollere, quod saltem potuit, tacite laudavit. Hic itaque S. Augustinum, qui tum Hipponensem urbem, immo totum orbem *verboque fideque* illustrabat, innui certo certius arbitror, et forte etiam Alipium egregium virum, ac tum temporis Tagastensem episcopum, quos omnes Paulinus arcta familiaritate complectebatur. Consule Augustini, Paulinique amœbæas epistolas. Muratorius.

(*j*) Hunc versum et 5 sequentes citat Dungalus.

(*k*) Doctorem tantum nullus est ex antiquis, qui dignis non extulerit laudibus. Unum producam Venantium Fortunatum lib. VIII, carm. 4, ut ejus vulneri opem feram. Commendat ille

Vitalem, et reliquos, quos cara Ravenna sepultat
Gerunsium, Ambrosium Mediolane tuum.

Hactenus depravata lectio; sed ex codice optimo Ambrosianæ bibliothecæ lectionem genuinam restituo: *Gerbasium, Ambrosium*, etc., scilicet S. Gervasii Fortunatus meminit, cujus corpus ab Ambrosio repertum Paulinus infra memorat. Muratorius.

(*l*) Ad S. Martini memoriam illustrandam non est meum plura congerere. Ejusdem res gestas a Paulino Petricordio, Sulpicio Severo, aliisque magnis scriptoribus pete. Satis sit adnotasse paucis ante annis tantum virum ad superos concessisse. An. 397, an vero 400 aut 401, is annus fuerit inquirendum aliis relinquo. Muratorius.

(*m*) Mur. cod., *Aquitanica;* noster *Aquitania:* quam

Multaque præterea per easdem largiter oras
Semina sanctorum positis diffusa sepulcris
Illustrant totum superis virtutibus orbem,
Et toto antiquum detrudunt orbe draconem,
Qui genus humanum per nomina mille deo-
[rum (*a*),
Quæ tamen ex obitis mortalibus et sibi sumpsit
Ipse, suisque dedit coluber, quibus arte no-
[cendi
Princeps in vacuo tetrum gerit aere regnum,
Dæmonibusque caput nobis inimicus oberrat.
Sic (*b*) itaque et nostra hæc Christi miserantis
[amore
Felicis meruit muniri Nola sepulcro,
Purgarique simul, quia cæcis mixta ruinis
Orbis, et ipsa simul (*c*) moriens in nocte jacebat
Saxicolis polluta diu cultoribus, in qua
Prostibulum Veneris (*d*) simul, et dementia
[Bacchi (*e*)

lectionem probo. Dungalus tamen legit *Aquitanica*. — Burdegalensis episcopus fuit Delphinus, Paulinique nostri admodum familiaris. Ad illum etiamnum quinque Paulini epistolæ exstant, in queis etiam testatur poeta noster se ab hoc viro sancto baptizatum. Hinc autem disce Delphinum anno Christi 404 inter vivos non exstitisse, quippe viros sanctitatis fama post mortem præclaros hic tantum Paulinus recenset. MURATORIUS.

(*a*) Videtur aliquid desiderari.

(*b*) Hunc versum et tres qui proxime sequuntur citat Dungalus.

(*c*) Codex noster mendose habet *jam* pro *simul*. Emendavi ex Mur. codice. Apud Dungalum mendose legitur *Orbis, et ipsa moriens in nocte jacebat*.

C (*d*) Vetus ænigma de quadam muliere Clodia nomine usurpatum legitur : *In triclinio Coa, in cubiculo Nola*. Quod eruditorum consensu nil aliud portendit, quam Clodiam in triclinio, convivisque lascivo ore, verbisque procacibus sic usam, ut Venerem, quæ in insula Coo colebatur, penitus exhiberet; in cubiculo vero in omne libidinis genus Nolanorum more incubuisse. Et revera Nolana lascivia in adagium translata est, ac propterea Ausonius in epigr. 70 Crispæ cuidam fœdissimos objicit amores hisce verbis :

Et quam Nolanis capitalis luxus inussit.

Campani autem populi, inter quos Nolani, antiquitus Osci appellabantur, hoc est *quasi obsceni*, ut Porphyrionis antiquissimi scholiastis verba ad Horatium testantur; et Festus Oscis frequentissimum fuisse spurcarum libidinum usum asserit. Jure itaque Paulinus Nolæ positum *Veneris prostibulum* inquit. MURATORIUS.

D (*e*) Ambrosius Leo lib. III, cap. ult. de Nola. Ejusdem regionis vindemiam eleganter expressit. Inter alia hæc ait : *At vero vindemiatores ea die, qua pro quoque vindemiam faciunt, atque per totum vindemiæ tempus Baccho deo pleni esse, ac furere prorsus videntur.* Subdit : *Clamor vero captum omnem hominis superat, atque qui vix audientibus creditur, num omnino furentium est. In agro quin etiam, in quo vindemiant, semper pudibunda vindemiando inclamant, obscenissimas quasque partes suis nominibus pronuntiantes, Veneres vel obscenissimas se optare exclamant, eas jactant, minitantur*, etc. Quis certe crederet iis in oris tantas ethnicismi reliquias tamdiu durasse, ut nostra ad usque tempora illic orgia celebrarentur, et sub Christianis mutato tantum nomine Bacchus coleretur? Proh summum dedecus! *Quale enim*, ut cum Tertulliano lib. de Cor. mil., cap. 6, loquar, *haben-*

A **Numina (*f*) erant miseris, fœdoque nefaria ritu**
Sacra celebrabat sociata libido furori.
Et quia erat vitæ locus hic, ubi nec pudor us-
[quam,
Nec metus ullus erat? Quis enim peccare ti-
[meret,
Hic ubi sanguineus furor, atque incesta libido
Relligionis erant (*g*), et erat pro numine crimen
His qui crediderant esse ullum in crimine nu-
[men (*h*)?
461-462 **Atque erat in toto quasi sanctior**
[agmine cultor,
Qui Veneris sacris pollutius incaluisset.
Plenus et (*i*) ille Deo, reliquisque beatior es-
[set (*j*),
B **Qui magis infuso sibi dæmone sævius in se**
Desipiens (*k*), propriisque litans furialia sacra (*l*)
Vulneribus sanam meruisset perdere mentem.

dum est apud homines veri Dei, quod a candidatis diaboli introductum, et ipsis a primordio dicatum est, quodque jam tunc idololatriæ initiabatur ab idolis, et idolis adhuc vivis? MURATORIUS.

(*f*) Mur. cod. habet *Numen;* noster *Numina*.

(*g*) Mur. cod. habet : *Relligiones erant :* quæ lectio sane mendosa est. Noster codex habet : *Relligionis erat.* Sed ad metri rationem servandam legendum puto *Relligionis erant*.

(*h*) Totus iste versus, *His qui crediderant esse ullum in crimine numen*, in codice Muratorii hic deerat : legebatur vero post versum 212, loco omnino non suo. Itaque nostri codicis lectionem secutus hic eum posui.

(*i*) Noster codex habet *at ille*, codex vero Muratorii *et ille.* Hanc lectionem secutus sum.

(*j*) Noster codex habet *esse :* at ex quo verbo pendet istud *esse*? nisi subaudire velis *putabatur*. Ego lectionem cod. Mur. secutus sum.

(*k*) Non possum me continere, quin egregium proferam S. Maximi Taurinatis episcopi locum ex sermone *de idolis auferendis*, quem una cum aliis ejusdem sancti in ceteris Anecdotorum libris orbi propediem Deo favente communicabo. Inquit ille : *Cum matutinum vigilaveris, et videris saucium vino rusticum, scire debes quoniam, sicut dicunt, aut dianaticus est, aut haruspex est; insanum enim numen amentem solet habere pontificem; talis enim sacerdos parat se vino ad plagas deæ suæ, ut dum est ebrius pœnam suam miser ipse non sentiat. Hoc autem non solum de intemperantia, sed et de arte faciunt, ut minus vulnera sua doleant, dum vini ebrietate jactantur.* Tum haruspicum vestes, furoremque describens addit : *More gladiatorum paratus ad pugnam ferrum gestat in manibus, nisi quod gladiatore pejor est, quia ille adversus alterum dimicare cogitur, iste contra se pugnare compellitur.* Multa dein insignia in hanc rem addit, quæ silentio præterire propositum suadet. Tibull. de femina sacrificante agens :

Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inepta deam.

Expressius hæc asserit Prudentius in Hymn. S. Romani :

Sunt sacra, quando vos ipsi exciditis,
Votivus et cum membra detruncat dolor,
Cultrum in lacertos exerit fanaticus,
Sectisque matrem brachiis placat deam.

MURATORIUS.

(*l*) Ita omnino noster codex. In cod. vero Muratorii legitur, mendose, *propriis litans furalia sacræ*.

O cæcis mens digna animis, et numina digna
Aversis servire Deo (*a*). Venus, et nemus (*b*) illis
Sit (*c*) Deus : ebrietas demens, amor impius illos
Sanctificent : abscissa colant (*d*), miserique (*e*) pudorem
Erroris fœdi Matris mysteria dicant.
Digna fides illis, quibus almo in lumine veri,
Legibus et castis, et magno nomine Christi
Nulla fides, et nullus amor, ideoque nec ullum
Indignæ pretium vitæ est in sanguine Christi.
Sit Deus his venter (*f*), vel cetera gaudia carnis,
Queis (*g*) Deus ipse Deus non est, quibus in cruce Christi
Gloria nulla subest, quia non dignatur adire
Degeneres animos virtus crucis. Inde beatis (*h*)
Felix, ut reliqui diverso martyres orbe,
Nolanis medicus fuit, estque perennis ope ista :
Nec modo Nolanis, sed et omnibus, a quibus idem
Imploratus erit, dabit isto jure salutem,
Si crucis alma fides in pectore supplicis adsit (*i*).
Ista fides genus humanum curatque, piatque :
Hæc ubi defuerit medicina, morabitur illic
Omne mali regnum, nec in illo desinet umquam
Cypris (*j*) adulteriis, furiis regnare Lyæus,
In quo defuerit Christi pudor, et crucis ardor.
Ignis enim divinus inest, ubi vis crucis intus
Ardescente fide cruciat male conscia corda,
A Vivificatque (*k*) animam vitiis in carne peremptis.
Hostibus his (*l*) obtrita diu, corruptaque tantis
Pestibus ingentem poscebat (*m*) Nola medelam.
Atque ideo pensante Deo discrimen, opemque,
Felicem accepit medicum, qui vinceret omnem
Quamlibet antiquam miserorum in cordibus atris (*n*)
463-464 Perniciem, et meriti virtute potentior alti (*o*)
Vulneribus ductum super ulcera putria callum
Scinderet, ut saniem suffusa (*p*) labe coactam
Exprimeret sinibus ruptis, ac deinde lacunam
Vulneris expleret plana cute ducta cicatrix.
Ergo ubi Nolanis Felix, ut stella tenebris,
Fulsit ab ore Dei veniens, verbumque medendi
B Ore gerens tamquam venturo sole serenus
In matutino lætum jubar exserit ortu
Phosphorus, occiduisque novus præfulget in (*q*) astris
Nuncius instantis cessura nocte diei.
Sic jam Evangelio totum radiante per orbem,
Et propiante (*r*) Deo cunctis mox judice terris
Adventus vexilla sui prætendit ubique,
Perque suos Christus sua signa coruscat (*s*) amicos.
Ex quibus hac voluit sibi prælucere sub ora
Felicem, ut nostras isto depelleret (*t*) umbras
Sidere, et antiquos ista quoque pelleret urbe
Dæmonas (*u*), ut pulsis hominum de corde colonis

C

(*a*) Mur. cod. sic habet : *O cæcis mens digna animis, et numine, digna Adversis servire deis!* Ego nostri codicis lectionem secutus sum.

(*b*) Nemora, quæ alio nomine *luci* appellabantur, apud antiquos magna superstitione coli solebant. *Nemus Aricinum*, ubi Dianæ simulacrum conditum, *Lucus Martis* apud Athenienses, et in Ponto et alia nemora passim memorata audimus. Ovid. lib. II Fast.

Lucus Aventino suberat niger ilicis umbra,
Quo possis viso dicere : Numen inest.

Claudian. de Rapt. Pros. l. III, lucum venerabilem refert prope flumen Acym, additque numen loco, religionemque fuisse. Propert. el. 10, lib. IV : *Lucoque abscede verendo.* His addam Apuleium in Apolog. pag. 377 ita loquentem : *Iste vero nec diis rurationis, qui eum pascunt, ac vestiunt, segetis ullas, aut vitis, aut gregis primitias impartit, nullum in villa ejus delubrum situm, nullus locus, aut lucus consecratus.* Et hæc in re satis nota sint satis. Hanc eruditionem supra omnes illustravit Pinto Ramirez in Spicileg. sacro, tract. 1, cap. 6, quem consule. MURATORIUS.

(*c*) Mur. codex, *Sint.*

(*d*) Tum in Isiacis, tum in Orgiis nefandus hic ritus inoleverat, ut virilia colerentur, quæ Phallum nominabant antiqui. Diodor. lib. I Biblioth. hæc omnia explicat : *Virilia*, inquit, *Osiridis a Typhone in flumen abjecta esse aiunt, quod sociorum nemo hæc recipere vellet. Quæ tamen ab Iside recepta divinis sunt honoribus affecta. Nam in templis effigiem eorum adornatam coli præcepit, et cæremoniis, sacrificiisque deo isti peragendis honoratissimus ut esset effecit. Idcirco et Græci postquam sacrorum Bacchicorum, et Orgiorum solemnitates ab Ægyptiis accepere, membrum id in mysteriis, initiationibus, et sacrificiis dei hujus Phalli nomine honorant.* MURATORIUS.

(*e*) Murat. codex, *miserique;* noster, *miserumque.*

(*f*) Respicit cap. III Epistolæ I Pauli ad Philipp., ubi de inimicis crucis Christi ait Apostolus : *Quorum finis interitus, quorum Deus venter*, etc. MURATORIUS.

(*g*) In nostro cod., *quis* pro *queis.*

(*h*) Mur. cod., *beatus.* Utraque lectio probabilis.

(*i*) In nostro cod., *assit.*

(*j*) In Mur. cod., *Cypres.* At legendum *Cypris*, ut est in nostro codice.

(*k*) In Mur. cod., *vivificans* pro *vivificatque.*

(*l*) In nostro cod., *iis.* Sed legendum est *his*, ut est in cod. Mur. Attamen quemadmodum vers. 259 vox *iisdem* est duarum syllabarum, ita fieri potest ut *iis* adhibuerit Paulinus ut unam syllabam. Vide et vers. 268 et 313, et carm. 10 vers. 331.

(*m*) In nostro cod., *puscebat.* At perspicuum est legendum esse *poscebat.*

(*n*) Post vocem *atris* est in Mur. cod. iste versus : *His qui crediderant esse unum in crimine numen.* De D quo versu diximus pag. superiore.

(*o*) In Mur. cod., *altis.*

(*p*) Ita Mur. cod. At in nostro codice pro *suffusa labe* mendose legitur *suffusus a labe.*

(*q*) Ita noster codex. At in Mur. cod., *præfulgurat astris.*

(*r*) In Mur. cod., *propitiante Deo.* At nostri codicis lectio verior. Vide carm. 12, vers. 409.

(*s*) Eleganter, atque meliorum exemplo id usurpatum. Virgil. lib. XII Æneid.:

Æneas instat contra, telumque coruscat.

Iterum ibidem :

Hinc atque hinc oditque moras, hastamque coruscat.

Græcorum quidem ad imitationem hoc factum, sed venuste admodum. MURATORIUS.

(*t*) Ita noster codex. At Mur. cod., *decerperet :* quod videtur mendum.

(*u*) Mur., *Dæmones.*

Talibus intraret puras Deus incola mentes, A
Et vice mutata nobis pietate solutis
Nostra prius nostros premerent modo vincla leones
Frustra in oves Christi victa (*a*) feritate frementes.
Et manet hæc nobis etiam nunc gratia, quæ nos
Peccatis prece sanctorum exorante resolvit,
Atque iisdem sanctis ultoribus alligat illos,
Discruciatque hostes, qui nos vincire solebant.
Hi modo ut illato (*b*) deprensi lumine fures,
Atque in vincla dati, nunc ignea flagra piorum,
Ut meruere, ferunt, aut jam infernis (*c*) male trusi
Carceribus trepidant, vicinum instare fatentes
Judicium Domini solis sibi triste, suisque
Omnibus, in Satanæ partem quos sæva voluntas B
Verterit, et Satanæ sociaverit æmula vita.
Istic nequitiæ socios homines, ibi pœnæ.
Ecce dies accepta Deo : modo vera salutis
Lux micat : omnia jam nobis bene versa videmus :
Diffugere doli, cecidit Bel, interit error,
Quique colebantur totis quasi numina templis
Dæmones, hi per templa Dei torquentur inermes;
Et qui divinos audebant sumere honores,
Hi modo ab humana (*d*) plectuntur gente subacti.
Namque isti, quos (*e*) nunc celebri Felicis in aula
Torqueri, clamare, rapi per capta videmus
Corpora, corporibus vincti retinentur in ipsis,
In quæ se trusere ipsi, pœnamque volentes
Humanam, invenere suam. Nunc ergo reorum C
Personæ (*f*) exululant pœnis, qui numine falso
Dii fuerant, et qui mentito numine vivos (*g*)
Ante Dei cultum sibi nil cæleste videntes
Dediderant homines, hi nunc ubi lumine Christi
Vera fides patuit, non possunt ferre sepultos.
Sed magis ut pateat, quia nunc hi qui cruciantur
465-466 Dæmones ante fores, aut ante sepulcra piorum,
Iidem sunt illi, quibus olim serva litabat
Gens hominum, et sacros demens libabat (*h*) honores,
Ipsa docet vocum species : nam sæpius illa
Voce gemunt, solitum ut noscas clamore furorem.
Sic plerumque velut resoluto (*i*) laxius ore,
Dente fremunt, spumant labris, horrentque capillis.
Utque manu prensante comam excutiuntur in altum,
Et pede pendentes stant crinibus : interea illic
Sacrorum memores veterum, quibus exta solebant
Lambere cæsarum pecudum, aut libamine pasci,
Lascivosque choros hederatis (*j*) ducere pompis,
Nunc etiam sua testantes sacra illa fuisse,
In quibus insanos dabat ebria turba tumultus,
Euhoe Bacche sonum (*k*) fractis imitantur anheli
Vocibus, et lento jactant sua colla rotatu.
Sed quia non poterat mortalis (*l*) unius ætas
Sufficere, ut longo contagia tempore tracta
Dilueret paucis, quos corpore viveret, annis
Confessor Felix, et presbyter, ore magister,
Elogio martyr (*m*), merito officioque sacerdos (*n*);
Omnipotens Dominus finitum corporis ævum

(*a*) Mur., *vincta*. At melior lectio nostri codicis.

(*b*) Mur. cod., *Hi modo tam lato*. Sed nostri codicis lectio verior.

(*c*) Noster codex habet *inferni*. At mihi magis placet lectio cod. Mur.

(*d*) Piissimi imperatores Constantinus, ejusque successores plurimas in paganos leges emiserant, quæ codicem Theod. tit. de Pagan., etc., consulenti patebunt. In his autem gentilium sacra, dæmonumque cultus omnino interdicuntur, quod hic per poetam nostrum innui arbitror. MURATORIUS.

(*e*) S. Felicis mirabilem in fugandis immundis spiritibus alibi canit, ac præcipue Natal. III, ubi inquit :

Martyris ostendit meritum, cum jure potenti
Dæmonas exercet, devinctaque corpora solvit;
Nam sibi Felicem cæcis incumbere pœnis
Pestiferi proceres tristi clamore fatentur,
Occultasque cruces gemitu testantur aperto.

MURATORIUS.

(*f*) Hunc versum, et alios quatuor, qui proxime sequuntur, citat Dungalus.

(*g*) Hunc versum mendose legit Dungalus, nimirum sic : *Defuerant et qui mentito nomine vivos*, etc. — Scriberem potius : *mentito numine vivo*. MURATORIUS.

(*h*) Mur. cod., *litabat*; noster, *libabat*.

(*i*) Mur. cod., *disoluto* : quæ lectio omnino mendosa est.

(*j*) In Dionysiacis mos erat hedera caput redimire. Hinc Seneca in Œdip. act. II, in choro : *Te caput Tyria cohibere mitra, Hederaque mollem baccifera religare frontem*. Hæc ille ad Bacchum. Statius item lib. I, Sylv. 2, vers. 233 : *Atque hederis redimita cohors*. Vide comment. Delrii in Senec., ibid., reliquosque mythologos. Ne in re satis nota putidus videar, pluribus parco. MURATORIUS.

(*k*) Mur. cod., *Euhoe Bacchisonum* : quæ lectio fortasse verior.

(*l*) Noster codex habet *Mortalis* : quæ lectio mihi vera videtur, quamvis in codice Mur. legatur *mortalibus*, et ultima syllaba vocis *mortalis* sit brevis.

(*m*) Felicis Nolani tormenta, passionemque prioribus in Natalibus expressit Paulinus. Exprimuntur et illa in Actis editis. Non tamen in persecutione mortem obiit sanctus ille. Hinc *Elogio tantum martyr* dicitur, uti etiam alibi *sine sanguine martyr* appellatur. Primæva in Ecclesia vero martyris nomen etiam iis D tribuebatur qui tormentis superstites erant, ut manifeste ex lib. Tertull. ad martyras colligitur. Cyprianus *ad martyras et confessores Jesu Christi* epistolam 9 dedit, et ep. 12 ait : *De hoc et ad clerum, et ad martyras et confessores litteras feci*. Ep. quoque 15, *Litteras*, inquit, *feci quibus martyres et confessores consilio meo, quantum possem, ad Dominica præcepta revocarem*. Quidam igitur viventes adhuc martyris appellatione distinguebantur, quia ad sanguinis usque effusionem Christum constantissime fuerant confessi. Scribit in hanc rem Cyprianus laudatus ep. 30 : *Illud præterea vellemus addiscere, si martyres non propter aliud martyres fiunt, nisi ut non sacrificantes teneant Ecclesiæ usque ad effusionem sanguinis sui pacem*. MURATORIUS.

(*n*) *Sacerdotis* vox pro *episcopo* hic capienda; siquidem superius *presbyter* dicitur S. Felix. Revera tantum pro grege Christi egerat hic sanctus, ut antistitis nomen promereretur. Sic Natal. XIII ait Pauli-

Felici potiore via persistere fecit,
Continuans medicos operosi martyris actus,
Virtutes ut eas idem celebraret humatus,
Quas in carne manens Christi virtute gerebat,
Atque ita susceptæ nec mortuus abforet urbi
Corpore, cum tantum positi sanator adesset
Spiritus, et desideriis latitaret amantum
Ad tempus cari facies subtracta patroni;
Prompta sed ægrorum semper medicina saluti
Afforet. Inde perennis honos, et gloria sanctum
Felicem meritis sine fine (*a*) virentibus ambit:
Et licet a veteri (*b*) tumulis absconditus ævo,
Qua mortalis erat, lateat telluris operto;
Viva tamen vegetante Deo, membrisque super-
[stes
Gratia divinum spirantia martyris ossa
Clarificat populis merito vivente sepulti:
Et magni solium (*c*) breve confessoris adorat
Jugiter e variis congesta (*d*) frequentia terris.
Sed Deus ut cunctorum hominum sator, omnibus
[istam
De sanctis indulsit opem procedere terris:
Ut jam de tumulis agerent pia dona beati
Martyres, et vivos possent curare sepulti.
467-468 Nec satis hoc donum Domino fuit,
[ut sua tantum
Nomine, sive opibus loca martyres illustrarent:
Ex iisdem tumulis etiam monumenta (*e*) piorum
Multiplicans multis tribuit miserator eosdem
Gentibus. Et referam varias ab origine causas,
Ex quibus hæc orta est variis benedictio terris
Nam quia non totum pariter diffusa per orbem
Prima fides ierat, multis regionibus orbis
Martyres abfuerant (*f*), et ob hoc, puto, munere
[magno
Id placitum Christo nunc inspirante potentes,
Ut Constantino primum sub Cæsare factum est,
Nunc (*g*) famulis retegente suis, ut sede priori (*h*)
Martyras (*i*) accitos transferrent in nova terræ
Hospitia: ut sancto non olim antistite factum
Novimus Ambrosio (*j*), qui fultus munere tali,
Postquam ignoratos prius, et tunc indice Chri-
[sto (*k*)
Detectos sibimet mutata transtulit aula,
Reginam (*l*) prompta confudit voce (*m*) furentem.
Nam (*n*) Constantinus proprii cum (*o*) conderet
[urbem
Nominis, et primus Romano in nomine regum
Christicolam gereret, divinum mente recepit
Consilium, ut quoniam Romanæ mœnibus urbis
Æmula magnificis strueret tunc mœnia cœptis,

nus additam Felici in cœlis coronam antistitis. Vide quæ ibidem notavi versu 568. MURATORIUS.

(*a*) Ita Mur. codex. In nostro mendose legitur *sinper*.

(*b*) Septem sequentes versus retulerat etiam Dungalus, iique Rosweido visi erant ad Natalem IX referendi; sed verum intueris eorum situm. In antiquo Dungali codice, quem Ambrosiana bibliotheca asservat, ex Natali XI dilucide citati reperiuntur. MURATORIUS.

(*c*) Animadvertere juvat quibus verbis debitam sanctis venerationem Paulinus exprimat. Certe is ait eorum sepulcra adorari:

Et magni solium breve confessoris adorat.

Cui si tot alia Paulini adjicias hac de re testimonia, profecto novatorum querelas miraberis, quibus tantam bilem movet idem sanctorum cultus in Ecclesia catholica etiamnum servatus. Paulinum itaque, ceterosque sanctos, velint nolint, idololatris accenseant oportet, quum nos passim hujusmodi laborare morbo gens cæca exclamet. MURATORIUS.

(*d*) Mur. cod., *confecta*. Melior nostri codicis lectio.

(*e*) Ita noster codex. Mur., *monimenta*.

(*f*) Ita Mur. In nostro cod., *affuerant*: quæ lectio mihi non probatur.

(*g*) Mur. codex, *tunc*: quæ lectio non videtur contemnenda.

(*h*) Noster codex habet *priorum*: quæ lectio mihi minus arridet.

(*i*) Mur. cod., *Martyres*.

(*j*) Celebrem refert, suisque peractam temporibus SS. corporum Protasii et Gervasii inventionem, quæ Mediolanensium antistiti Ambrosio contigit. De illa S. August. lib. Conf. IX, cap. 7, hæc habet: *Tunc memorato antistiti tuo* (Ambrosio) *per visum aperuisti, quo loco laterent martyrum corpora Protasii et Gervasii, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui reconderas*. Sidon. Apoll. ep. 1, lib. VII: *Ambrosium duorum martyrum repertorem* appellat. Videnda etiam Ambrosii ipsius ep. 14 ad Marcellinam sororem, et Paulinus alter in Ambrosii Vita. Fusissime autem omnium Jo. Petrus Puricellius, quo accuratius nemo res Mediolanensium prosecutus est, hanc rem tractat in diss. Nazar. et in Monum. Basil. Ambros. Horum sanctorum reliquias ad se ipsum ab Ambrosio transmissas meminit poeta noster in ep. 12 ad Sever.; dum enim reliquias recenset in Fundana basilica per se conditas ait:

Quosque suo Deus Ambrosio post longa revelat
Secula Protasium cum pare Gervasio.

MURATORIUS.

(*k*) Per visionem S. Ambrosio revelata SS. Protasii et Gervasii corpora testatur etiam, ut nuper vidimus, S. Augustinus præter ipsum Ambrosium ad Marcellinam ep. 14. Molinæus tamen famosus inter Calvinistas minister, lib. VII contr. Perron., cap. 11, totam hujus inventionis historiam inter commentitias fabulas rejicit. Vir sane et fronte, et mente destitutus, qui tantos auctores piissimi hujus eventus testes quasi impiissimos impostores traducere est ausus. S. Aug. iterum hanc rem divinitus factam asseruit lib. XXII de Civ. Dei, cap. 8 ubi agens de SS. Protasii et Gervasii corporibus ait: *Quæ cum laterent, et penitus nescirentur, episcopo Ambrosio per somnium revelata reperta sunt*. MURATORIUS.

(*l*) Ariana labe infecta imperatrix Justina, ut Paulinus, qui Ambrosii vitam scriptis consignavit, expressum nobis reliquit, Ambrosium oderat, viresque plurimum ejus inimicis augebat. Viso autem tanto miraculo per sanctissimum antistitem patrato, coercuit exinde furorem, et a catholicorum persecutione abstinuit. Hæc quoque Augustinus habet cap. 7, l. IX Confess.: *Unde opportune promeres ad coercendam rabiem femineam, sed regiam*, etc. *Inde illius inimicæ* (Justinæ scilicet) *animus, etsi ad credendi sanitatem non applicitus, a persequendi tamen furore compressus est*. MURATORIUS.

(*m*) Mur. cod., *luce*. At verior nostri codicis lectio.

(*n*) Hunc versum et alios qui sequuntur usque ad 362 citat Dungalus.

(*o*) Et Mur. codex et noster habet *cum*. Dungalus legit *dum*.

His quoque Romuleam sequeretur dotibus urbem, A
Ut sua apostolicis muniret mœnia lætus
Corporibus : tunc Andream (*a*) devexit Achivis,
Timotheumque Asia : geminis ita turribus (*b*) exstat
Constantinopolis (*c*) magnæ caput æmula Romæ,
Verius hoc similis Romanis culmine muris,
469-670 Quod Petrum, Paulumque pari Deus ambitione
Compensavit ei, meruit quia sumere Pauli
Discipulum cum fratre Petri. Jam quanta per istam
Sanctorum per longa viam divortia terræ
Creverit utilitas ad nostræ munia vitæ,
Ipsa docent hodieque loca, in quibus illa beati B
Rheda capax (*d*) oneris posita statione resedit,
Omnibus in spatiis quacumque aut mansio sanctis
Corporibus, requiesque fuit vectantibus illos
Sacratos cineres, miris clamantia signis (*e*).
Nam divina manus medica virtute per omnes
Est illic (*f*) operosa (*g*) vias, qua corpora sancta
Impressere sacro vestigia viva meatu.
Inde igitur suadente fide data copia fidis
Tunc comitum studiis, quædam ut sibi pignora vellent
Ossibus e sanctis merito decerpere fructu (*h*),
Ut quasi mercedem officii, pretiumque laboris
Præsidia ad privata domum sibi quisque referrent (*i*).
Ex illo sacri cineres quasi semina vitæ
Diversis sunt sparsa locis, quaque (*j*) osse minuto
De modica sacri stipe corporis exiguus ros
Decidit in gentes : illic (*k*) pia gratia fontes,
Et fluvios vitæ generavit gutta favillæ.
Inde in nos etiam stillavit copia Christi
Dives et in minimis : nam hoc quoque (*l*) sumpsimus istic
Carnis apostolicæ (*m*) sacra pignora pulvere parvo (*n*),

(*a*) Mirum in modum discrepant auctores in assignando tempore, quo SS. Andreæ, Timotheique corpora Constantinopolim fuere translata. Alii enim Constantino, alii Constantio pium opus adjudicant. Certum tamen crediderim, id sub Constantino contigisse, quum Hieronymus duobus in locis id expresse tradat. Advers. Vigilant. agens ironice hæc habet : *Sacrilegus fuit Constantinus imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, et Lucæ, et Timothei transtulit Constantinopolim.* Idem quoque de Script. eccl. in Luca : *Sepultus est*, ait, *Constantinopoli ; ad quam urbem vigesimo Constantini anno ossa ejus cum reliquiis Andreæ apostoli translata sunt de Achaia.* Illud quidem verum, eumdem scriptorem in Addit. ad Euseb. Chron. an. 19 Constantini ita locutum : *Reliquiæ apostoli Timothei Constantinopolim invectæ.* Sed exscriptorum vitio potius quam Hieronymi memoriæ tribuendus error. B. Petrus Damiani serm. 16 de S. Marco : *Vigesimo anno Constantini Cæsaris Lucas de Achaia Constantinopolim translatus est una cum sacris B. Andreæ apostoli reliquiis.* Certe Euseb. lib. IV de Vit. Constantini, cap. 60; inquit : Αὐτὸς γοῦν αὐτῷ εἰς δέοντα καιρὸν τῆς αὐτοῦ τελευτῆς τὸν ἐνταυθοῖ τόπον ἐταμιεύετο τῆς τῶν Ἀποστόλων προσρήσεως κοινωνὸν εἰς τὸ ἑαυτοῦ σκῆνος. *Is igitur in opportunum venturæ mortis diem hic locum sibi divina dispensatione præparavit, qui apostolorum appellatione innotescit, ad suum sepulcrum.* Igitur ecclesiam apostolorum Andreæ et Lucæ Constantinus ædificari mandavit, ut ibi tum apostolorum ossa, tum suum corpus requiem haberent. Hoc alii multi, et meliores tradunt. Sed lectorem ad D lib. IV, cap. 5, Constantinop. Chr. cl. viri Du Cangii remitto. Is rem hujusmodi supra cunctos diligentissime examini subjecit. MURATORIUS.

(*b*) Sancti regnorum propugnacula, turresque merito vocantur. In hanc rem optime conferri possunt Basilii Magni verba in Or. in XL martyr., ubi de reliquiis eorumdem loquens similia habet : *Hi sunt*, inquit, *qui nostram regionem administrant, et veluti turres quædam cohærentes securitatem ab hostium incursu exhibent, non uno loco se ipsos includentes, sed multis jam locis hospites facti, et multas patrias exornantes.* Theophrid. abbas serm. 1 de SS. reliqu.: *Unicuique locorum sicut et huic nostro abunde magnas sanctorum reliquias accommodat, quatenus dum ab indigenis digne, ac familiaribus honorantur, iidem indigenæ earum perpetua defensione firmentur.* MURATORIUS.

(*c*) *Secundam*, et *novam Romam* Constantini urbem dictam pluribus probat eruditionis fons Du Cangius lib. I Const. Chr., cap. 6. Socrates de Constantino loquens lib. I cap. 16, hæc habet : Χρηματίζειν δὲ δευτέραν Ῥώμην νόμῳ ἐκύρωσεν : *Lege denique sancivit, ut secunda Roma Constantinopolis diceretur.* Eaque lex marmoreæ columnæ incisa : quod etiam asserunt Chron. Alex., et Theophanes an. 25 Constantini. Secunda synodus œcumenica an. Ch. 381 celebrata Constantinopolitanæ urbis episcopo post Romanum privilegia honoris concedit, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν τὴν Ῥώμην, *eo quod ipsa sit nova Roma.* Apposite vero C ad Paulini verba cecinit Claudian. in Rufin. lib. II :

Urbs etiam magnæ quæ dicitur æmula Romæ.

Vide Gothofr. ad l. I C. Th. de Jure Italiæ. MURATORIUS.

(*d*) Sanctorum reliquias in lecticis collocatas transferri consuevisse et nos docuit Paulinus alter in Vita S. Ambrosii ; agens enim de SS. Protasii et Gervasii translatione ait : *Sed ubi SS. martyrum corpora sunt levata, et in lecticis posita, multorum ibi sanatæ ægritudines perdocentur.* MURATORIUS.

(*e*) Post hæc verba excidisse versus videtur. MURATORIUS.

(*f*) Ita Mur. At in nostro codice legitur *illis* ; quæ lectio minus placet. Dungalus quoque legit *illic.*

(*g*) Ita noster codex. At in cod. Mur., *operata* : quo modo Dungalus quoque legit.

(*h*) Apud Dungalum mendosa est hujus loci lectio.

(*i*) Ita in nostro codice : at Murat., *referret* : quo modo legit etiam Dungalus.

(*j*) Dungalus mendose legit *quacunque.*

(*k*) Ita noster codex. At Muratorius : *Decidit, ingentes illic pia gratia fructus*, etc., quo modo legit etiam Dungalus.

(*l*) Emendandum carmen, *Nam nos quoque.* MURATORIUS.

(*m*) Plures apostolorum reliquias in basilicis Nolanis repositas sæpe testatur Paulinus. In ep. 12 ad Sever. agens de reliquiis in basilica S. Felici sacra conditis ita canit :

Sancta Deo geminum velant altaria honorem,
Cum cruce apostolicos quæ sociant cineres.

De basilica Fundana loquens ait :

Hic et apostolicas præsentat gratia vires
Magnis in parvo pulvere pignoribus.
Hic pater Andreas, et magno nomine Lucas.

MURATORIUS.

(*n*) Mur. cod., *pulvere Patrum.*

A Quæ Sanctus nostri Dominusque, paterque cubilis,
Et custos animæ nostræ, et tutela salutis
Felix vicina sibi cominus æde recepit,
Quæ reliquis ejus (a) ætate recentior aulis
Exiguos cineres, et magnos servat honores,
Servaturque magis custodibus ipsa patronis :
Absit enim, ut servari unquam videantur egere:
Qui servare solent tamen, et curare suorum
Commoda alumnorum patrio dignantur amore,
Atque dicatorum (b) sibi tutamenta locorum
Dirigere (c) : hoc sanctis studium pietatis inesse
Spiritibus miranda fide documenta dederunt.
Unde (d) recens etiam paucis opus eloquar orsis :
Dignum etenim sancti Felicis munera in ipso
Natali ejusdem gratantibus edere verbis.
Non peregrina locis (e), neque tempore prisca profabor :
471-472 Finibus in nostris, et in ista sede patratum
Nuper opus referam, quod forte renoscere (f) vobis
Promptum erit ; in medio quoniam res lumine gesta est.
Credo ex hoc numero vestrum prope nullus in isto
Sit novus auditu, quia per longinqua remotis
Fama volans ierit (g). Certe affueratis in ista
Urbe aliqui per idem tempus, quo contigit, ut fur
Illicitis animo stimulis agitatus avaras
Mitteret in sacra dona manus, et ab omnibus unam
Improbus, et demens venerandæ insignibus aulæ
Eligeret prædæ speciem crucis (h), inscius illam
Indicio sibi, non spolio fore, quam velut hamum
Piscis edax hausit capta capiendus ab esca.
B Quis, rogo, latronem tam grandi (i) spiritus auso
Impulit, armavit, cæcavit, præcipitavit,
Ut nec ad excubias vigilum, nec ad ipsa (quod est plus)
Quæ cineres (j) reverenda tegunt altaria (k) sacros,

(a) Hæc eadem est basilica, quam descripsit Natali IX ad Nicetam episcopum, eamque vix perfectam fuisse tum temporis innuit hisce versibus, quibus Nicetæ ad se opportune delato gratulatur, ut

Imperfecta juvet precibus, perfecta sacerdos
Dedicet.

Tum illam elegantissimis carminibus describit, et reliquias ibi collocatas recensens addit :

Namque et apostolici cineres sub cœlite mensa
Depositi placidum Christo spirantis odorem
Pulveris inter sancta sacri libamina reddunt.

Hanc eamdem basilicam Nat. X his verbis designat, simulque eosdem apostolorum cineres memorat :

Currimus ergo fide tantum, et prece supplice mixti
Ad vicina mei Felicis limina, et inde
Contiguam paribus votis adcurrimus aulam,
Atque ab apostolici cineris virtute medelam
Poscimus.

MURATORIUS.

(b) Nescio quid adversus ecclesiarum nostrarum dedicationes obmurmurent heterodoxi, quum illas Deo in honorem sanctorum dedicemus. Sed animadvertant, quæso, quam nostro mori suffragetur Paulinus. MURATORIUS.

(c) Mur. cod., *Diligere.*

(d) Mur., *Inde.*

(e) Mur. cod., *Non peregrina loquar.* At nostri codicis lectio venustior.

(f) Mur. cod., *agnoscere.*

(g) Mur., *ivit :* quæ lectio mihi arridet.

(h) In cod. Mur. legebatur *cruce.* At Muratorius recte subrogavit *crucis*, ut est in nostro codice.

(i) Mur. cod., *tam grandis.* Nostri vero codicis lectio videtur præferenda.

(j) Altaribus quibusque subesse martyrum corpora, aut ossa solebant. Quin et absque illis aræ sacrari nequibant. Expressus est can. 14 concilii Carthag. V id interdicentis. S. Hieron. contra Vigilant. hæc habet ironice : *Male facit ergo Romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria.* Synodus VII œcum., can. 7 : Ἐπίσκοπος χωρὶς ἁγίων λειψάνων καθιερῶν ναὸν καθαιρείσθω, ὡς παραβεβηκὼς τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις. *Episcopus absque sacris reliquiis consecrans templum deponatur, ut ille, qui ecclesiasticas traditiones transgreditur.* Hoc aliæ synodi statuere. Præterire etiam nolo egregium S. Ambrosii locum in ep. ad Marcellinam, ubi SS. Protasii et Gervasii inventione exposita ita ad populum se dixisse ait : *Succedant victimæ triumphales in locum ubi Christus hostia est. Sed ille super altare, qui omnibus passus est ; isti sub altari, qui illius redempti sunt passione,* etc. MURATORIUS.

(k) Rosweidus in addend. ad notas in Paulini locum ep. 12 ad Sever. : *Reliquiis apostolorum et martyrum intra absidem trichora sub altaria sacratis,*
C prioribus Ecclesiæ temporibus unicum altare in templis fuisse censet. Salmas. in Solin. Polyhist. pag. 1213 hæc ait : *De trichoris altaribus nugæ, Unicum tantum altare in templis Paulini tempore habebatur.* Tum laudata verba ita corrigit : *intra absidem trichoram sub altari sacratis.* Verum non ita certum est unum altare antiquitus sacris in ædibus constitutum. En ipse Paulinus in una basilica memorat :

Quæ cineres reverenda tegunt altaria sacros.

Ipse in ep. 12 ad Sever.:

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus
Compositis sacra cum cruce martyribus.

Iterum :

Sancta Deo geminum velant altaria honorem,
Cum cruce apostolicos quæ sociant cineres.

Verum quidem est, Paulino rationem carminis suadere potuisse, ut plurali numero pro singulari uteretur. Sed ab ipso etiam pluralem numerum soluta in
D oratione usurpatum ostendam. Agit in ead. ep. de consecranda una basilica, ad quod opus martyrum reliquiæ satis erant : *Quorum martyrum,* inquit Paulinus, *venerandus cinis si sine crucis consortio subjiciatur altaribus, hic apertus titulus indicabit.* Sed et in ep. 11 ad Sever. de basilica per Helenam Augustam Hierosolymæ condita ait: *Dignoque mox ambitu consecratur condita in passionis loco basilica, quæ auratis corusca laquearibus, et aureis dives altaribus arcano positam sacrario crucem servat.* Verum audiamus et magnum Ambrosium in ep. 4, lib. II, ad Marcellinam. Refert ille celebrem de Portiana basilica adversus Arianos defensa historiam. Inclusus ipse cum plebe immissos per vim armatos intrepidus sustinebat, quum repente nunciatur pax ab imperatore reddita : *Certatim,* inquit, *hoc nunciare milites, irruentes in altaria osculis significare pacis insigne.* Ergo non unum altare, sed plura. S. Greg. M. l. V, ep. 50 ad Pallad. Ecclesiæ meminit, in qua 13 *altaria* collocata. In cœmeteriis

Pulveris et sancti virtutem halantia fragrant, A
Corde repercusso fugeret, neque numine tantum,
Sed specie simul, et pretio (*a*) præstantia ferret?
Multa etenim suberant (*b*) alia, ut novistis, in ipso
Ornamenta loco, quæ sumeret, ut crucis auro
Parceret : intus enim latitabant mystica vasa
Sumendis mandata sacris. Sed præter et aulæ
Ipsius in spatio variis insignia formis
Munera erant de more sita hæc, quæ cernitis illic
Omni prompta die, vel circumfixa per omnes
Ordine diverso (*c*) quasi candelabra columnas,
Depictas exstante (*d*) gerunt quæ cuspide ceras,
473-474 Lumina ut inclusis (*e*) reddantur odora papyris.
At medio in spatio fixi laquearibus altis (*f*)
Pendebant per ahena cavi retinacula lychni,
Qui specie arborea (*g*) lentis quasi vitea virgis
Brachia jactantes, summoque cacumine rami
Vitreolos gestant tamquam sua poma caliclos (*h*),
Et quasi vernantes accenso lumine florent,
Densaque multicomis imitantur sidera flammis,
Distinguuntque graves numerosa luce tenebras,
Et tenerum igniculis florentibus æthera pingunt :
Dumque tremunt, liquidos crines, crebrumque coruscant,
Assiduis facibus sparsa caligine noctis
Ambiguam faciem miscent lucem inter, et umbras,
Et dubium trepidis conspectibus aera turbant.
Ergo isthæc (*i*) licet in patulo sibi prompta videret,
Tutius et furanda sibi, quoniam minus esset
Criminis, et pretii suspensam altaris ab ora (*j*)
Longius, argentoque levem emandare (*k*) lucernam :
Sed miser, ambitiosus, et ipsa in fraude superbus
Tamquam vile nefas argentea sumere furto
Sprevit, et audacem porrexit in aurea dextram,
Quæ simul e variis (*l*) scite distincta lapillis
B Viderat, et magnis inflarat pectora votis,
Ut pariter gemmis gauderet dives, et auro.
Sed tantum sceleris magni cumulatur (*m*) iniquo
Pondere : peccato mansit gravis, et levis ære :
Sacrilegum sua pœna manet, sua præda latronem
Deseruit. Spolio furti, non crimine nudus
Vivit inops fructu, sed vulnere fraudis abundans.
Quamquam illum non hoc magno sine numine Christi,
Consilioque putem permissum crimen adisse (*n*):
Ut quia vel quicquam de sacris tollere rebus

item, quæ sub ethnicorum imperio ecclesiæ erant, idem e-t observare. Unum ex iis describit Aringhus Rom. Subterr. l. III, c. 22, et non pauca altaria martyrum tumulis superposita monet. Quanto id usitatius futurum fuit, quum religioni libertas reddita, pluraque sanctorum corpora in una eademque ecclesia plerumque conderentur! Ad alia propero. MURATORIUS.

(*a*) Apud Muratorium deest vox *pretio*, quam posui ex nostro codice.

(*b*) Consule diss. XVI de ecclesiarum Ornamentis, quam ad hæc explicanda, ne in notis nimium prolixus essem, ad libri calcem reservatam volui. MURATORIUS.

(*c*) Ita noster codex. At Muratorii codex habet *dimenso*. — Candelabra antiquitus in Christianorum sacris adhibita. Id satis in præf. diss. probavi. Juvat nunc apponere S. Clementis auctoritatem in ep. ad Jacob., licet enim tanti pontificis illam esse genuinam fetum et ego vix arbitrer, adhuc apud antiquos venerabilis fuit ; ait igitur : *De vasis sane sacris ita gerendum est : altaris palla, canthara, candelabrum, et velum, si fuerint vetustate consumta, incendio dentur.* Quam vero magnifica forent candelabra, hinc disce, ubi dicuntur columnarum ad instar exstructa. MURATORIUS.

(*d*) Ita noster codex. At Mur., *exstare*.—Non ausim *exstare* illud aut corrigere, aut immutare. Aliorum id erit. Olim quoque pingebantur cerei, idemque mos in Ecclesia perdurat. Paulin. Natal. VI :

> Ast alii pictis accendant lumina ceris.

MURATORIUS.

(*e*) Idem Paulin. Natal. III cecinit :

> Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Mos fuit tum ethnicis, tum Christianis scyrpum papyri speciem cera circumdare, atque ex illo candelas efformare. Plinius cap. 27, lib. XVI, de scyrpis loquens : *E quibus detracto cortice candelæ luminibus, et funeribus serviunt.* Sunt etiam Antipatri carmina apud Suidam in hanc rem:

> Λαμπάδα κηροχίτωνα Κρόνου τυφῆρεα λύχνον
> Σχοίνῳ, καὶ λεπτῇ σφιγγόμενον παπύρῳ.

C Quæ sic verto : *Lampadem, ceream tunicam habentem, Saturni ardentem lucernam, junco et levi constrictam papyro.* MURATORIUS.

(*f*) Virgil. lib. I Æneid. ita :

> Dependent lychni laquearibus altis
> Incensi.

Ipse Paulinus Nat. VI :

> Multiforesque cavis lychnos laquearibus aptent.

Et Natal. IX :

> Tectoque superne
> Pendentes lychni spiris retinentur ahenis,
> Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
> Funibus, undantes flammas levis aura fatigat.

MURATORIUS.

(*g*) Lucernas graphice describit, quæ *lumiere* Italice nuncupantur, quæque Mediolani arte mira elaborari solent. Hæ pluribus constant ramis, aut brachiis ab uno stipite, aut a medio orbe in circulum tendentibus. Singuli rami cereis suis in cacumine gravantur, et pendentes circum undique crystalli baccas ita gerunt, D ut lumen in illas impingens nobili varietate iteretur. MURATORIUS.

(*h*) Noster cod., *calillos*. Mur., *caliclos :* quam lectionem probo, ut sit positum *caliclos* pro *caliculos*.

(*i*) Mur. cod., *Iste ergo*. At nostri codicis lectio verior.

(*j*) Etiam ævo Paulini suspendebantur lampades ad altaris latus. Hinc ille Natal. III :

> Clara coronantur densis altaria lychnis.

MURATORIUS.

(*k*) Mur., *emendare*. Noster cod., *emandare :* quæ lectio videtur retinenda. Nisi forte legere malimus *amandare :* ut infra, vers. 658.

(*l*) Mur., *et variis ;* noster cod., *e variis :* utraque lectio probabilis.

(*m*) Mur., *cumulatus ;* noster cod., *cumulatur :* mihi prior lectio magis placet.

(*n*) Mur. cod., *adesse :* at legendum est *adisse*, ut est in nostro codice.

Mente recepisset, sineretur ad illa venire,
In quibus admissi impietas insignior esset.
Ante dies paucos idem confugerat illuc (*a*)
Militiam simulans fugere, et susceptus amice
Hospes ab æditui (*b*) sacram curantibus aulam.
Toto pene latens ibi (*c*) mense cubilia, somnos,
475-476 Tempora custodum simul exploraverat. Et cum
Cepisset (*d*) placidas (*e*) meditati criminis horas,
Nocte nefas tacita arripuit, nulloque labore,
Nec strepitu foribus clausis inclusus, ut unus
Servantum, quibus hospes erat, primos ubi somnos (*f*)
Non vigiles Vigiles cœpere silentibus umbris
A Carpere, et oppressis oblivia ducere curis :
Ille locum sumens sceleri (*g*), qua (*h*) noverat usu
Expositam (*i*) lychnis per noctem ex more parandis
Machinulam gradibus scalas præbere paratis (*j*),
Et male securo sibi tunc (*k*) custode relictam :
Quæ (*l*) crucis instar erat, quod et est modo perpete virga
Directum, geminos transverso limite (*m*) gestans
Cantharulos (*n*) : unum de calce catenula pendens
Sustinet : in tribus his scyphulis (*o*) inserta (*p*) relucent

(*a*) Ecclesiarum immunitatem, seu asylum multis exemplis illustrat V. C. Gothofr. tom. III, cod. Th. tit. 45, l. I de his qui ad Eccl. confug. Hanc statuerunt postea impp. Theodosius ac Valentinianus l. IV eod. tit : *Pateant*, inquiunt, *summi Dei templa timentibus. Nec sola altaria, et oratorium templi circumjectum ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita*, etc. Idem exprimitur in altera Theodosii Jun. lege, super quibus consulendus laudatus Gothofredus. MURATORIUS.

(*b*) Æedituus apud veteres *æditimus* etiam dicebatur, et sacræ ædis custos hoc nomine insigniebatur. Ab ethnicis ad Christianos vocabulum translatum. Æditui autem nil aliud sunt quam ostiarii, quorum ordo in Ecclesia Dei ab ipsis ejus incunabulis viguit. Hinc apud Græcos ostiariorum ordo Νεοκόρων τάξις appellatur, quod nomen proprie *æditaum* sonat. Paulini vero nostri locus in ep. 6 ad Sever. ab his lucem accipiet. Inquit is : *Repentina vi multitudinis, sed credo ipsius ordinatione correptus, et presbyteratu initiatus sum, fateor, invitus, non fastidio loci* (*nam testor ipsum, quia et ab æditui nomine, et officio optavi sacram incipere servitutem*) *sed*, etc. Vides itaque etiam Paulini tempore ostiarii munus primum clericatus gradum exstitisse. MURATORIUS.

(*c*) Mur. cod., *ubi* : utraque lectio probabilis.— In lege superius memorata imperatores immunitatem multis etiam ecclesiæ adjacentibus locis concesserant, rationemque pietatis hanc adferunt : *Hanc autem spatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipso Dei templo, et sacrosanctis altaribus confugientium quemquam mane, vel vespere cubare, vel pernoctare liceat.* Fur igitur iste in ipsa basilica somnos carpere non solebat. MURATORIUS.

(*d*) Mur., *cœpisset* : quæ lectio sane est mendosa.

(*e*) Mur. cod., *placitas* : at nostri codicis lectio melior.

(*f*) Hinc disce ostiariis necessitatem impositam in ecclesiis noctu cubandi, ibique vigilias ducendi. Consule Hallier. p. 2, art. 1, cap. 1 de sacr. Elect., et Morin. de sacr. Ordin. Etiamnum in metropolitana Mediolani ecclesia id moris retinetur. MURATORIUS.

(*g*) Mur. cod. paulo aliter, *ille locum sceleri sumens*. Mallem legere *sumpsit* quam *sumens*.

(*h*) Mur. cod., *quam*; noster codex, *qua*.

(*i*) Mur. cod., *adpositam*.

(*j*) Mur. cod., *paratam*.

(*k*) Mur. cod. pro *tunc* habet *jam*.

(*l*) Mur. cod., *qua* : et ita revera videtur legendum. — Instar hic sumendum pro imagine, forma, aut figura. Id alibi in hoc Natali occurrit :

> Ante tamen, quia res hoc postulat, ipsius instar
> Enarrabo crucis.

Nat. XIII :

> Ipsius instar erit Domino puer iste beatus
> Arboris.

B Hoc est *imago*. Fuit hoc etiam Latio meliori vocabulum. Virg. l. VI Æneid. :

> Quantum instar in ipso est !

Videlicet *exemplar*. Ulpian. in l. *Si stipulatio*, *ff. de novi op. Nuntiat.* ait : *Si proponatur instar quoddam, et quasi facies quædam operis facta*. MURATORIUS.

(*m*) Limes transversus alius non est quam trabs transversa, quæ lateralia crucis brachia constituit. Hanc infra ita designat :

> Quaque cacumen habet, transverso vecte jugatur.

S. Aug. tract. 118 in Johann.: *Crux lata est in transverso ligno, quo extenduntur pendentis manus.* Duo itaque ex his cantharulis crucis sanctæ lateralibus brachiis superponebantur. Crucem elegantissime elaboratam Aringhus profert lib. II, cap. 22, pag. 381 Rom. Subterr., in cujus brachiis candelabra duo itidem superposita cernuntur. Hujus ad instar sitos fuisse crucis Paulinianæ cantharulos crediderim, C quum nulla catenæ mentio occurrat, qua hi regerentur, uti de alio mox videbimus. Hincmarus Rem. episc. in S. Remigii Vita apud Surium id. Janu. ait : *Assumta igitur palla de beati sepulcro, componunt eam in modum feretri, accensisque super cruces cereis, atque super ceroforariis dant voces in canticis*. MURATORIUS.

(*n*) In Mur. codice legebatur *cartarulos*. At legendum est *cantharulos*, ut est in nostro codice : quod Muratorius conjecerat. — Necessario vox corrigenda, ac reponendum *cantharulos*. Canthari autem species lucernæ fuere, quæ in ecclesiis suspendebantur aliarum lampadum more. Anastas. Bibl. sæpe illorum meminit, et expresse in Silvestro : *Pharum cantharum*, ait, *ex auro purissimo ante altare, in quo ardet oleum nardinum pisticum, ubi candelæ ardent*. In Leone 3 : *Canthara habentia in medio ceros ex argento deauratos. Pharocanthara* alibi etiam occurrunt, et *canthara cerostrata*. Cl. V. Jo. Ciampinus Urbis ac litterarum decus, in eximio opere de Musivis canthari D figuram exhibet. Frequentius tamen candelabra per hanc vocem designata arbitror. Hac significatione canthari nomen in Ambrosianæ Ecclesiæ Ritualibus perdurat. Beroldus vetustissimus hujusce ritus scriptor, qui in metropolitanæ archivo, et in bibl. Ambros. ms. asservatur, vocabulum non raro usurpat, ut candelabra designet. Exscribam quædam loca : In sabbati S. ritibus hæc ait : *Et tunc duo diaconi de circumstantibus accendunt cereos, quos tenent cum cantharis de igne, qui est super candelabrum majus*. Infra : *Duo diaconi portant duo candelabra, quæ vocantur canthara cum cereis desuper accensis*. Item Paschatis die : *Diaconi portant candelabra, quæ vocantur canthara*. Et pluries alibi. MURATORIUS.

(*o*) Mur., *Sustinet in tribus. His scyphulis*, etc. At rectius noster codex, ut mihi quidem videtur.

(*p*) Mur. cod., *incerta*. At melior lectio nostri codicis.

Lumina, cum fert festa dies (*a*): tunc vero sine usu
Luminis ad speciem tantum suspensa manebant (*b*).
Sed paulo crucis ante decus de lumine (*c*) eodem
Continuum scyphus (*d*) est argenteus aptus ad usum.
Hunc importuno sibi lumine prædo micantem
Protinus exstinguit : namque id quoque noverat idem
Sæpe solere mori, cum stuppa perarida longam
Conderet (*e*) in noctem consumpto lumen olivo,
Nec miraturum vigilem, si forte tenebras
Cerneret obducto subducere culmina (*f*) lychno,
More putaturus noctem, non crimine factam.
Non igitur quasi fur, quod erat latro, sed quasi custos
Aufert illicitam securus prædo rapinam,
Nec fugit impavidusque manet. Tegit una latentem
Cellula (*g*) de multis, quæ per latera undique magnis
Appositæ tectis præbent secreta (*h*) sepultis
Hospitia. Harum una fur abditus (*i*) ; atque ubi mane
Claustra patere videt, reserata prosilit aula,
477-478 Et latebram linquens portat scelus : ire parabat
Romuleam, ut post jam captus narrabat, ad urbem,
Illic infandæ acturus commercia fraudis.
Interea ignaris nostris nox illa, diesque
Totus abit (*j*) : sero solitum jam vespere munus
Curantes posuere gradus : ut scandere cœpit
Facturus lychnum, nihil invenit : orba manebat
Virga crucis solitæ pulcro spoliata monili.
Pavescunt (*k*) miseri, neque damnum criminis audent
Prodere, noscentes etiam sibi jure (*l*) reatum
Competere : abscedunt trepidi, fugiuntque, latronem
Sectantes profugum : nusquam vestigia lapsi
Ulla legunt : omnes adeunt diversa viarum,
Scrutanturque sitos diverso littore portus.
Effluxere dies frustra quærentibus octo,
Sive decem, et cunctis vacua jam indage reversis (*m*) ;
Unus quærentum puer irritus ipse laboris
In cassum fusi (*n*) longa regione redibat,
Et prope jam Nolam veniens subsistit in ipso
Aggere, et ingenti gemitu, fletuque profuso
Felicem clamans præsumit corde fideli
Non remeare domum, nisi cum cruce : moxque peractum
Promptus iter relegit : fit et (*o*) illicet obvius illi
Quidam homo, qui furem, non furem, sed quasi civem
Norat : eum (*p*) noster primus rogat, unde viator
Afforet ; ille refert : rursus de fure rogatur (*q*),
Si vidisset eum : respondit at ille, propinquis
Inde locis agere, et regio tunc illa (*r*) prope illos (*s*),
Dum loquerentur, erat monti conjuncta Vesevo (*t*),
Quintus ab urbe lapis Nola. Sed vesperis ortus
Consilium differt. Placet ut lux crastina rursus
Jungat utrumque sibi ; fit mane , revertitur index ;
Perducit nostros , capitur fur , præda refertur.
Forte sacrata dies illuxerat illa beati
Natalem Prisci referens , quem et (*u*) Nola celebrat,

(*a*) Etiam in diurnis sacris cereos accendi consuevisse hinc disce ; de qua re consule diss. XVI. *Incerta* vero lumina relucere dicuntur, quia interdiu accensa solaris luminis vigore ita premuntur, ut vix ardere cera videatur. MURATORIUS.

(*b*) Noster codex, *manebat*. Mur., *manebant*.

(*c*) Mur., *de limine*.

(*d*) *Scyphus* tum sacrum vas, in quo vinum ad missæ sacrificium detinebatur, tum etiam candelabri, lampadisve species fuit, ita a calicis similitudine appellatus. Cap. XXV et XXXVII Exodi, et alibi hoc sensu usurpatur *scyphorum* vox, et in Græca editione κρατῆρες dicuntur. MURATORIUS.

(*e*) Noster codex mendose habet *Conderat*.

(*f*) Mur., *culmine*. At nostri codicis lectio retinenda.

(*g*) Recurre ad Diss. XVII, ubi etiam in ecclesiis privatos homines sepulcri locum invenisse ostendi, simulque hanc vocem pro viribus illustravi. MURATORIUS.

(*h*) Mur., *secura*. At nostri codicis lectio elegantior.

(*i*) Mur. cod., *abditur* ; quæ lectio fortasse est melior.

(*j*) Mur. cod., *obit*. Nostri codicis lectio concinnior.

(*k*) Mur., *pallescunt* : quod magis placet.

(*l*) Mur., *posse* ; noster cod., *jure*.

(*m*) Mur., *recursis*. At multo elegantior nostri codicis lectio.

(*n*) Noster codex habet *fusus*. At multo melior lectio Muratoriani codicis.

(*o*) Mur., *atque* pro *fit et*.

(*p*) Mur. legit : *Norat eum. Noster primus rogat*, etc. Mihi magis arridet nostri codicis lectio.

(*q*) Mur., *rogatus*. At legendum ut est in nostro codice.

(*r*) In Mur. codice versus claudicat : sic enim se habet, *Inde locis agere, et regio prope ipsos*. Itaque emendandus est iste locus ex nostro codice.

(*s*) Mur. , *ipsos* ; noster codex , *illos*. Malim legere *ipsos*.

(*t*) In Mur. codice legitur *Besævo*. At noster habet *Vesevo*. Norunt omnes sequioribus seculis pro littera *V* adhibitam fuisse litteram *B*. Sic infra carm. 12, vers. 313, Muratorii codex habebat *Veneventum* pro *Beneventum*. — Græcorum aliquorum more *V* consonans per *B* effert. Apud hos non raro Βεσούβιος, et Βέσβιος nuncupatur Vesuvius. Celebre est Agellii effatum de iis Virgilii versibus : *Vicina Vesævo ora jugo* ; ait enim poetam scripsisse prius *Nola jugo*, at ob negatum a Nolanis aquæ petitæ beneficium pro *Nola* reposuisse *ora*. Fidem servamus auctori. Vesuvium montem ab urbe Nola quinque passuum millia distare docet quoque Ambr. Leo lib. II de Nola, cap. 3. MURATORIUS.

(*u*) In Muratorii codice deest *et*, sed addendum est ex nostro codice.

Quamvis ille alia Nucerinus (a) episcopus urbe A
Sederit : ecce ipsam sancti Felicis in aulam,
Quam tunc solemni populus stipabat (b) honore,
Post sacra jam solvente pios antistite cœtus,
Tempore proviso divinitus egredientis
Plebis in occursum subito introducitur ille
Furaces post terga manus nodata revinctus.
Lætitia populus, formidine prædo repletur,
Utque novum ad monstrum tota concurritur urbe.
Turba furens odiis popularibus ibat in illum,
Lætitia mœstos (c) miscebat et ira tumultus.
Pertimui, fateor, ne forte diabolus illa
Qua solet invidia violaret sanguine pompam,
Et pejore prius curaret vulnere vulnus.
Eripitur populo, cellaque includitur ipsa B
479-480 (Quod sic forte reo capto tunc accidit), in qua
Delituit rapta cruce; qua post ipse reperta
Clauditur, ut vivat. Tunc ergo mente (d) recepta
Ipse suum facinus reus, atque obstacula cœpit
Mirandis narrare modis, fassusque per illos
Octo decemve dies, quibus ire paraverat urbem
Romuleam, implicitis ita se pedibus retroactum,
Semper ut ire parans, semper retrahente rediret
Nescio quo, rursusque illam remearet ad oram
Vesevi (e), qua jussus erat quasi carcere claudi
Angelica nectente manu : tamen ille putabat
Arbitrii miser esse sui (f), quod corpore liber
Esse videbatur, quem non exstante catena
Fortior arcanis retinebat dextera vinclis.
Ultor eum digno Felix errore ligabat,
Et tali amentem (g) vertigine circumagebat,
Semper ut abscedens nusquam discederet, et cum (h)
Prosiliente gradu cœpisset abire, rediret.
Mira fides! Ibat stando, remanebat eundo,
Nescius, hoc ipso, pro quo fugitare parabat,
Ne fugeret, fieri, et secum sua vincla manere,
Inruptamque (i) sibi proprium scelus esse catenam.
Namque sinu clausæ mandaverat insita prædæ
Pondera, et hinc avidus (j) quasi captus mente latebram
Quærens, luce tamen campis errabat apertis,
Seque latere putans exstabat in æquore (k) claro.
Conscia sic mentem impietas cæcaverat, ut nec
Effugeret fugiens, nec celaretur aberrans.
Sensibus (l) adversis metus hinc, stupor inde nocentem
Miscuerant animam, vitabat strata viarum;
Secretos metuebat iners accedere saltus :
Ipsa etiam in silvis sibi forte silentia tantum
Clamatura nefas metuens, aut tristia formis
Occursura putans ultricum monstra ferarum.
Inde miser celebri sejunctus (m) ab aggere juxta
Devius in quodam (n) spatiabatur sibi rure
Securum ignaris simulans sub corde (o) timorem,
Ut facinus sub veste (p) premens : nam vestis in altum
Succinctæ sinibus clausum mandaverat aurum.
Nam neque vel tacitæ furtum committere terræ
Ausus erat, specubusve cavis de more latronum,
Indicium metuens credendæ fraudis avarus.
Inde suæ tantum tunicæ sua furta nefandus
C Crediderat, qua restrictum nodarat (q) amictum
Suspendens fluidam nudato poplite vestem.
Hanc sibi prædo penum (r) sceleris tunc semet in ipso
Struxerat, et digne tali est formidine vinctus,
Crederet ut nullis miseri consortia furti,
Ut sceleris tanti contagia solus haberet,

(a) Nuceriæ duæ. In Umbria una, in Picentibus altera. Postrema hæc *Nuceria paganorum* nominatim dicta, ejusque episcopus fuit S. Priscus. Ughellus tom. VII Ital. sacræ hæc de illo profert : *S. Priscus primus hujus Ecclesiæ episcopus censetur sub Nerone coronatus, cujus dies festus agitur* 9 *Maii in Martyrol. Rom., de quo Bar. in notis, estque Divus tutelaris.* In Martyrol. hodierno nil tamen de hoc sancto occurrit, unde Ughellum suspicari licet hallucinatum, ac pro Ferrario Baronium, ejusque notas memorasse. Illi cathedralis a Nucerinis dicata, ac tutelaris apud illos est semper habitus. Agunt de hoc sancto ad diem 9 Maii in Act. SS. cl. viri Henschenius, et Papebrocius, qui tamen incertam fatentur hujus historiam, siculi incertissimum etiam est martyrii tempus. Ego Nucerinis gratulor, quod illustrem ante tot secula S. episcopi memoriam primus e tenebris eruerim. Quam enim celebris ille fuit, cujus natalitius dies non Nuceriæ modo, sed et in aliis urbibus Paulini tempore colebatur. MURATORIUS.

(b) Mur. cod., *stipavit.*

(c) Mur. cod., *incertos* pro *mœstos*, quod est in nostro codice.

(d) Mur. cod., *Tunc ego ut mente recepta*, etc. At nostri codicis lectio retinenda.

(e) Mur. cod., *Besævi*, ut supra vers. 510.

(f) In Mur. legitur *tui*, quod est fortasse typographi mendum.

(g) Mur., *mentem.*

(h) Ita noster codex. At Muratorii codex hic omnino mendosus est; in eo enim legitur : *Semper ut abscedens nusquam descendere tectum Prosiliente gradu cœpisset abire rediret.*

(i) Noster cod., *Insumptamque.*

(j) Mur. cod., *avidam*. At legendum ut est in nostro codice.

(k) Et Muratorii codex, et noster habet *in æquore claro*. At Muratorius ad hunc locum hæc adnotat : D *Mendum certe exscriptoris, ac positum pro æthere, aut* aere claro. Verum pace doctissimi viri dictum sit : ego nullum hic mendum esse puto : constat enim etiam ab elegantissimis poetis, Virgilio, Ovidio et aliis, *æquor* positum esse modo pro *campo plano*, modo pro *aere.*

(l) Mur., *sentibus*. At legendum puto ut est in nostro codice.

(m) Mur., *seductus*. At nostri codicis lectio verior.

(n) Mur. cod., *Devius in quodam*. Noster codex *devius in id quod*. Priorem lectionem sequor.

(o) Mur., *sed corde*. Noster codex, *sub corde.*

(p) Noster codex mendose habet *reste* pro *veste.*

(q) Mur. legit *quare strictum nudarat amictum*. At legendum *qua restrictum nodarat amictum*, ut est in nostro codice.

(r) Muratorii codex habebat *Hanc sibi prædo pœnam*, etc. Muratorius sic emendavit : *Hanc prædo pœnam*. At lectio nostri codicis videtur verior.

Et sinus illius (*a*) fieret custodia furti,
481-482 Cujus sacrilegam fuerat manus ausa rapinam.
Ipse suum sibi ferret onus, solumque gravaret,
Pollueretque suæ letalis sarcina prædæ,
Ut nihil ex illo vacuum impietate maneret,
Qui spolium sceleris sacris ex ædibus actum
Includens habitu cincto substringeret (*b*) ipsum,
Atque suis signum prætenderet ipse catenis.
Namque brevi captus mutavit cingula vinclis,
Utque aurum sinibus discincta veste solutis
Decidit, ex ipsa fuerat qua cinctus habena
Vinctus eas, quas in sacra dona tetenderat audax
Prædo manus, proprii captus nodamine lori
Rettulit et prædæ vacuas, et reste (*c*) repletas.
Verum si penitus totam spectare velimus
Ordinis exacti seriem magis ac magis omni
In specie, vel qua latuit scelus, atque reclusum (*d*)
Claruit, admiranda Dei cernemus operta
Felicem gessisse manu. Jam plurima retro
Diximus, ut fugiens non fugerit, utque redactis
Passibus emensos sua per vestigia cursus
In cassum totiens volvente relegerit orso
Longinquis exclusus, et ad vicina recussus (*e*).

A

Nunc aliud Felicis opus, quod dextera Christi
Edidit, ut meritum cari monstraret alumni,
Commemorabo pari specimen mirabile signo,
Quod reus ipse tremens confesso prodidit ausu (*f*).
Ante tamen, quia res ita (*g*) postulat, ipsius instar
Enarrabo crucis, qualem et pictura biformem
Fingere (*h*) consuevit, baculo vel stante bicornem,
Vel per quinque tribus dispansam cornua virgis.
Forma crucis (*i*) gemina specie componitur, et nunc
Antennæ (*j*) speciem navalis imagine mali,
Sive notam Græcis solitam signare trecentos

B

Explicat existens, cum stipite figitur uno,
Quaque cacumen habet, transverso vecte jugatur.
Nunc eadem crux (*k*) dissimili compacta paratu
Eloquitur Dominum tamquam monogrammate Christum.
Nam nota, qua bis quinque notat numerante Latino
Calculus, hæc Græcis chi scribitur, et mediam rho (*l*),

(*a*) Descripserat modo Paulinus tunicam, quæ vulgaribus hominibus in usu fuit. De illa audiendus Quintilianus lib. XI : *Cui laticlavi jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant.* Cingebant autem Romani tunicam, et prout libebat, illam contrahebant, aut dimittebant, interdum ita laxabant, ut sinu facto ibi celare aliquid possent. Inquit supra Paulin. :

Vestis in altum
Succinctæ sinibus clausum mandaverat aurum,
Suspendens fluidam nudato poplite vestem.

Hoc idem fieri solitum docet Plutarchus in Coriolano, ubi candidatos olim sine tunicis ad comitia accessisse ait, ne incluso in eisdem auro suffragia mercarentur : Ἄζωστον ἐβούλοντο προϊέναι, καὶ ἀχίτωνα τοῖς πολίταις τὸν δεόμενον αὐτῶν. *Discinctum volebant, ac sine tunica ad cives accedere candidatum.* Ovid. Amor. lib. I :

Quid puerum Veneris pretio prostare jubetis ?
Quo pretium condat, non habet ille sinum.

Horat. lib. II, sat. 3 :

Ferre sinu laxo, donare, et ludere vidi.

Super his consule Oct. Ferrar. de Re vest. MURATORIUS.

D

(*b*) Mur., *contingeret.* Noster codex, *substringeret.*
(*c*) Mur., *rete.* Noster codex, *reste :* quod magis placet.
(*d*) Mur., *vel qua latuit, quave arte reclusus.* Utraque lectio probabilis.
(*e*) Mur., *recursus.* At nostri codicis lectio mihi magis arridet.
(*f*) Mur., *auso.* Utraque lectio probabilis.
(*g*) Mur. cod. pro *ita* habet *hæc :* at nostri codicis lectio melior.
(*h*) Mur., *pingere.*
(*i*) Elegantissima est crucis ista descriptio. Hanc duplici modo effingi dicit. Alius crucem exhibet ejus ad instar, in qua Christus redemptionem nostram consummavit; alter vero monogramma, Græcis Latinisque notum profert. Singula dispiciamus. MURATORIUS.

(*j*) Muratorius legit *Antemnæ.* In nostro codice ita scriptum est, ut queas legere *antennæ* et *antemnæ.* At equidem legendum puto *antennæ.* — Minutius in Octav. : *Signum sane, ait, crucis naturaliter visimus in navi, cum velis tumentibus vehitur.* Auctor poematis C de Paschate quod S. Cypriano adscribitur, sed a Beda Victorino Pictav. vindicatur :

Arboris hæc species uno de stipite surgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos,
Sicut plena graves antennæ carbasa tendunt.

S. Justinus Apol. 2 : Κατανοήσατε πάντα τὰ ἐν τῷ κόσμῳ. εἰ ἄνευ τοῦ σχήματος τούτου διοικεῖται, ἢ κοινωνίαν ἔχειν δύναται. Θάλασσα μὲν γὰρ οὐ τέμνεται ἢ μὴ τοῦτο τὸ τρόπαιον, ὃ καλεῖται ἱστίον, ἐν τῇ νηὶ σῶον μένει. *Considerate omnia, quæ in mundo sunt, an sine signo hoc* (cruce) *gubernentur, aut possint præbere sui visum. Mare etenim non secatur, nisi trophæum hoc, quod appellatur malus, salvum in navi maneat.* Auctor. serm. 56, tom. III op. S. Ambr., seu ille S. Maximus, seu Ambrosius sit, id luculenter asserit. Origen. Hom. 8 in divers. inquit : *Antemnæ navium, velorum cornua sub figura nostræ crucis volitant.* MURATORIUS.

(*k*) Monogramma Christi nomen fuit compendiose scriptum. Hoc in antiquis vexillis, quæ Labara nuncupantur, usitatum fuit, sed præ ceteris sanctiori consilio Constantinus Magnus usurparit, ex quo Christianorum albo primus nomen suum dedit. Euseb. lib. II, cap. 8 de Vit. Const., hoc signum τῶν ἄλλων τιμιώτερον, *aliis pretiosius ac sanctius*, habitum asserit. Videndus Gretser. in egregio opere de S. Cruce lib. II, cap. 38 et seq. Brentius hæreticus perquam famosus monogramma aiebat nullam habere formam crucis, sed significare tantum hanc vocem *Christus.* En ut illum Paulinus noster arguit, dum ita loquitur :

Nunc eadem crux dissimili compacta paratu
Eloquitur Dominum tamquam monogrammate Christum.

Est hoc plane crucis exhibere figuram. Effingebatur autem ita monogramma ☧. MURATORIUS.

(*l*) Forte scribendum : *Et medium est rho;* seu potius, *Et media est rho.* MURATORIUS.

Cujus apex et signa tenet (*a*), quod rursus ad ipsam A
483-484 Curvatum virgam, facit ο (*b*) velut orbe peracto.
Nam rigor obstipus (*c*) facit ι quod in Hellade (*d*) iota est.
Tau (*e*) idem stylus ipse brevi retro acumine (*f*) ductus
Efficit, atque ita sex, quibus omni nomine nomen
Celsius exprimitur, coeunt elementa sub uno
Indice, et una tribus firmatur (*g*) littera virgis.
Sex itaque una notas simul exprimit, ut (*h*) tribus una
Significet virgis Dominum simul esse ter unum.
Et Deus in Christo est, quem sumpto corpore nasci B
Pro nobis voluit trinæ concordia mentis.
Idque sacramenti est, geminæ quod in utraque virgæ
Ut diducta (*i*) pari fastigia fine supinant,
Infra autem distante situ parili pede constant,
Affixæque sibi media compage cohærent,
Et paribus spectant discreta cacumina summis (*j*).
His intermedio (*k*) coeuntibus insita puncto
Virga velut (*l*) sceptrum regale superbius exstat,
Significans regnare Deum super omnia Christum,
Qui cruce dispansa per quatuor extima ligni (*m*)
Quatuor attingit (*n*) dimensum partibus orbem,
Ut trahat ad vitam populos ex omnibus oris.
Et quia morte crucis cunctis Deus omnia Christus
Exstat in exortum vitæ, finemque malorum,
Alpha crucem (*o*) circumstat, et ω, tribus utraque virgis

(*a*) Ad efformandum Christi Græcum nomen, hoc est Χριστὸς, utique septem elementa concurrunt, quæ tamen sex melius vocantur quia unum sigma utrobique inservit. Quum vero adnumerarit Paulinus ΧΡΙΤΟ, nihil de Σ addit. Num pro *signa* scribendum *sigma?* Hoc autem elementum dupliciter olim effingebatur, modo enim Σ et modo C exaratum invenimus. Illud in nummis antiquioribus Græcis observare est; alterum, testante Spanhemio diss. 2 de Præst. et Us. numism., post Domitiani tempora ita in usu fuit, ut prioris vestigia vix deprehendantur. Adsunt etiam in inscriptionibus quibusdam Christianorum notæ istæ ΧC, hoc est ΧΡΙCΤΟC, *Christus*. Sed quomodo sigma istud in monogrammate exprimitur? ut verum fiat, quod hic Paulinus canit : C

Atque ita sex, quibus omni nomine nomen
Celsius exprimitur, coeunt elementa sub uno
Indice.

Et infra :

Sex itaque una notas simul exprimit

Neque enim Σ ibidem cernitur. Propterea censeo, alteram ejusdem *sigma* figuram nempe C, in monogrammate constitutam fuisse si partem lineæ rectæ, partemque convexæ litteram rho constituentium sumamus. Seu potius C id est sigma efformatur in hemicyclo litteræ P, nempe in Ɔ, qui si reflectatur exhibet verum C. Aliter Paulinus explicari nequit. Muratorius.

(*b*) Et Muratorii codex, et noster habet *facit* ω. At scribendum est *facit* ο, ut recte monet Muratorius. In voce enim Χριστὸς, quam spectat Paulinus, non est ω μέγα, sed ο μικρόν.

(*c*) Noster codex habet *obstipuus*. At legendum *obstipus*, ut legit Mur.

(*d*) Mur., *Ellade*. At legendum *Hellade*, ut est in nostro codice : nam ἡ Ἑλλάς scribitur cum spiritu denso. D

(*e*) Noster codex habet *taut*, at mendose. — Posito iota si lineam transversam ejus cacumini superponas, habes T, cujus altera pars in sinum curvata integrum deinde P præbebit. Animadverti autem in antiquis labaris aliquantulum protendi summam lineam ipsius rho ad sinistram, quæ protensio etiam Paulino dicitur brevis. Hujus observationis exempla ab Aringho petes in Rom. subterr. l. IV, c. 27, pag. 175 et 178; l. VI, c. 50, p. 685; l. III, c. 22, pag. 524. Annulum etiam præfatus Aringhus exhibet, in quo monogramma ita expressum, ut integrum quoque tau ibi conspicias. Sex itaque litteras, quod infra Paulinus asserit, in monogrammate delineatas nancisceris. Neque sensus, neque carmen hic sibi constant. Potius igitur legendum *Tau idem stylus, ipse brevi retro acumine ductus*. Ubi τὸ *idem* refertur ad *stylus*, nempe *idem stylus I efficit tau*. Muratorius.

(*f*) Muratorii codex habet : *Tau idem stylus ipse brevi retro a cacumine ductus*. Noster vero codex : *Taut idem stylus ipse retro acumine ductus*. Utraque lectio est vitiosa, ut ostendit metri ratio. Itaque ex utraque tertiam conflavi, quæ mihi genuina videtur. Muratorius vero sic emendaverat : *Tau stylus ipse brevi retrorsum acumine ductus*. At prima syllaba vocis *acumine* brevis est.

(*g*) Muratorii codex *formatur*. Utraque lectio probabilis. — Virgæ duæ ad constituendum X, una vero dumtaxat ad efformandum P concurrunt. Et hinc sublime Triadis mysterium educit Paulinus. X duabus constare virgis subjecta docent carmina :

Idque sacramenti est, geminæ quod in utraque virgæ
Ut deducta pari fastigia fine supinant,
Infra autem distante situ parili pede constant,
Adfixæque sibi media compage cohærent.

(*h*) Mur. codex, *Et tribus una Significat*, etc. At nostri codicis lectio elegantior.

(*i*) Murator. cod., *deducta*. Noster codex, *diducta :* et ita legendum puto.

(*j*) Mur. cod., *summi*. At noster codex habet *summis*, quo modo legendum esse suspicatus fuerat Muratorius.

(*k*) Pro duabus hisce vocibus, *His intermedio*, et Muratorii codex, et noster habet tres alias voces, *Has inter medio*. At ita legendum videtur, ut emendavit Muratorius.

(*l*) Mur., *quasi*. At malim cum nostro codice legere *velut*.

(*m*) An ex ligno monogramma efformari solitum? Ne crede. Hic itaque legendum duco *extima Signi*. Muratorius.

(*n*) S. Ambr. serm. 56, seu, ut melius dicam, S. Maximus ita scribit : *Cœlum quoque ipsum hujus signi figura dispositum est; nam cum quatuor partibus, hoc est oriente, et occidente, et meridiano, et septemtrione distinguitur, quatuor quasi crucis angulis continetur*. Greg. Nyss. orat. de Christi Resurr. hæc de cruce ab Apostolo memorata habet : *Novit enim ea figura quatuor cornibus e medio provenientibus descripta potentiam, ac providentiam illius, qui ex ipsa pependit, declarari*. S. Hier. (seu quis alius sit auctor ille) in cap. XI Marci : *Ipsa species crucis quid est nisi forma quadrata mundi?* Muratorius.

(*o*) In plurimis Græcorum numismatis, atque in multis veterum Christianorum sepulcralibus notis monogramma invenias cum litteris A et Ω utrinque locatis, hoc modo α ☧ ω apposite ad illud Apocal. cap. I : Ἐγώ εἰμι Α καὶ Ω, λέγει ὁ κύριος ὁ Θεὸς ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν. *Ego sum alpha et omega, principium et finis*,

Littera (*a*) diversam terna (*b*) ratione figuram A
Perficiens, quia perfectum est mens una, triplex vis.
Alpha (*c*) itidem mihi Christus, et ω, qui summa supremis
Finibus excelsi pariter complexus, et imi
Victor et inferna, et pariter cœlestia cepit,
Effractisque abysis cœlos penetravit apertos,
Victricem referens superata morte salutem.
Utque illum patriæ junxit victoria dextræ,
485-486 Corporeum statuit cœlesti in sede tropæum (*d*),
Vexillumque crucis super omnia sidera fixit.
Illa igitur species, quam fur agitatus avaris
In cassum furiis pendente refixerat unco,
Pollutaque manu sancta amandaverat aula, B
Hoc opere est perfecta, modis ut consita miris
Æternæ crucis (*e*) effigiem designet utramque :
Ut modo si libeat spectari cominus ipsam
Prompta fides oculis : nam reddita fulget in ipso,
Quo fuerat prius apta loco, et velamine clausi (*f*)
Altaris faciem (*g*) signo pietatis adornat.
Ergo eadem species formam crucis exerit illam,
Quæ trutinam (*h*) æquato libratam stamine (*i*) signat,
Subreptoque (*j*) jugum concors temone figurat,
Sive superciliis (*k*) a fronte jugantia vultum
Lumina transversis imitatur cornibus arbor
Ardua, qua Dominus mundo trepidante pependit
Innocuum fundens pro peccatore cruorem.
Huic autem solido quam pondere regula duplex
Jungit, in extrema producti calce metalli
Parva corona (*l*) subest variis circumdata gemmis.

primus et novissimus. Clemens Alex. lib. I Παιδαγ. : εἰκότως γάλα αὖθις ὑπισχνεῖται τοῖς δικαίοις ὁ κύριος, ἵνα δὴ σαφῶς ὁ Λόγος ἄμφω δειχθῇ Α καὶ Ω, ἀρχὴ, καὶ τέλος. *Merito rursus lac justis pollicetur Dominus, ut manifeste Verbum utrumque esse ostendatur, alpha et omega, principium et finis*. MURATORIUS.

(*a*) Tres virgæ A componunt. Duæ etenim in cacumine coeuntes tertiam sinu complectuntur. Similiter omega tali figura delineatum tres exhibet virgas, queis magnum Trinitatis mysterium aperitur. MURATORIUS.

(*b*) Mur. cod., *trina*. Utraque lectio probabilis.

(*c*) Hunc versum et alios septem qui proxime sequuntur citat Dungalus.

(*d*) Ita Mur. codex. At noster habet *trophæum*. Prior lectio mihi magis placet. Dungalus duos hosce C versus, 654 et 655, inverso ordine citat. — Ita codex noster, et ad veræ orthographiæ amussim. Bulengerus in opusc. de Spol. bell. *trophæum* potius legendum censet propter usus constantiam, neque tamen diffitetur, rectius *Tropæum* dici. Verbum e Græcia prodiit, a qua ita exprimitur τρόπαιον videlicet *tropæum*. Ger. Jo. Vossius in Etymol. hanc lectionem tuetur. Sane vetusti codices ita legunt, quos et ego consului, et Virgilianus codex antiquissimus in Florentina magni ducis biblioth. asservatus sub cura cl. viri, eximiique in re litteraria fulgoris Antonii Magliabechii *tropæum* non *trophæum* inscriptum habet. Neque ipsa dissentiunt marmora. Vide Dausquium in orthogr. MURATORIUS.

(*e*) Non purum putumque monogramma fuit crux a Paulino descripta, verum vulgaris etiam crucis imagini junctum erat. Omnia percurri monogrammatis exempla tum in vetustis nummis, tum in sepulcralibus monimentis, neque mihi utramque hanc effigiem simul copulatam nancisci fas fuit. Unum tantum, at- D que egregium hujus eruditionis testimonium occurrit apud Aringhum in Rom. Subterr. lib. II, cap. 10, pag. 311. Exhibetur ibi marmorei sarcophagi ex Vaticano cœmeterio effossi icon, in quo 12 apostolorum imagines eleganter delineatæ cernuntur. Media inter illos geminatæ crucis forma conspicitur, eodem plane modo quo crux vulgaris efformatur, nempe transverso ligno. Ab hastæ rectæ superiori cacumine sacrum attollitur monogramma venusta corona circumdatum. Hujus ad instar Paulinianam crucem elaboratam autumo. MURATORIUS.

(*f*) Et Muratorii codex, et noster habet *clausi*. At Muratorius suspicatur legendum esse *clausa*.— Forte scripsit Paulinus : *Velamine clausa altaris faciem*, etc. quod puriorem sensum efficeret. Solebant autem altaria velo claudi ad ejus similitudinem, quod olim fuit in Salomonis templo ante sancta sanctorum II Paralipom. III, quodque περιπέτασμα τοῦ ἀδύτου, *velum adyti* vocabatur. Theodoretus lib. I Hist., cap. 31 : Διεκοσμεῖτο δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον βασιλικοῖς τε παραπετάσμασι. *Ornabatur autem et divinum altare regiis velis*. Conc. Tolet. cap. 7 : *Qui insana temeritate abrepti altaria nudantes sacratis vestibus exuunt*. Anastas. in Steph. 2 ait : *In circuitu altaris fecit tetravela octo*. Item : *super altare in ecclesia S. Laurentii coopertorium fecit*. MURATORIUS.

(*g*) Cruces in altaribus antiquitus collocabantur, quidquid obmurmurent heterodoxi. S. Jo. Chrys. orat. *quod Christus sit Deus*, ait : *in mensa sacra crux*. Egregius porro est in hanc rem Sozomeni locus lib. II, cap. 3 Hist. eccl., ubi narrat Probiano cuidam, qui ex ethnico Christianus factus, crucis tamen virtutem non admittebat, oblatum per visionem fuisse Σταύρου σύμβολον τῶν ἀνακειμένων ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ τῆς ἐνθάδε ἐκκλησίας, *crucis signum, seu effigiem, quæ in sacro ejus ecclesiæ altari collocata erat*. Hanc quidem historiam mendacissimi centuriatores cent. 4, c. 13, superstitiosam vocant, et a Constantini tempore alienam, a Sozomeno confictam, vel stulte pro vera acceptam. Sed nos non morantur eorum calumniæ. Sigebert. ad an. Ch. 451 crucem auream in altari fuisse docet, quum episcopus Casatensis missam celebraret. Hæc recte animadvertit Gretser. cap. 13, lib. II de S. Cruce. Quibus adde quæ habet can. 3 concil. Turonensis habiti an. 567 (non ut quidam putant 570) : *Ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur*. Qui canon profecto de cruce in altari posita intelligendus. Hinc lucem accipit Paulini carmen de cruce.

Altaris faciem signo pietatis adornat.

MURATORIUS.

(*h*) Ms. ita se habebat : *Quæ trutinam æquatæ librata stamine*, etc. Emendavi. Recurre ad ea quæ disserui in diss. XXI. MURATORIUS.

(*i*) Mur. codex mendose sic habet : *Quæ trutinam æquatæ librata stamine*, etc. At noster codex : *Quæ trutinam æquato libratam stamine*, etc. Quo modo emendaverat Muratorius.

(*j*) Et Muratorii codex, et noster habet *subreptoque*. At Muratorius legendum censet *subrectoque* : cui equidem assentior. — Ita scribendum duxi (*id est* subrectoque jugum), non *subrepto*, ut in ms. Consule eamdem Diss. XXI. MURATORIUS.

(*k*) De his in præd. diss. XXI. MURATORIUS.

(*l*) Cruces corona circumdatæ pingi solebant. Idem nos edocet Paulin. ep. 12 ad Sever., ubi sic ait :

Cerne coronatam Domini super atria Christi
Stare crucem, duro spondentem celsa labori
Præmia; tolle crucem, qui vis auferre coronam.

Hæc quoque crux Domini tamquam diademate cincta A
Emicat æterna vitalis imagine ligni.
Hanc fur ille sui toto de corpore furti
Intactam ferro, quo cetera fregerat, unam
Liquit, et ut capto tunc, discinctoque refusis
Vestibus elapsæ ceciderunt fragmina prædæ.
Visa rei species tunc inventoribus ipsis
Ancipiti motu confudit pectora. Gaudent
Inventis, sed fracta dolent : tum (*a*) quærere causam
Incipiunt, cautum simul, audacemque latronem
Mirantes, cæcum fractis, cautumque relictis.
Tunc ille attonitis crimen, numenque fatetur :
487-488 Mente etenim totum considerat (*b*) : hoc tamen unum
Numine servarat, quo crux inclusa vetabat
Quamlibet audacem segni virtute latronem.
Ipse fatebatur mentis scelus, atque crucis vim,
Contestans, quotiensque manus armasset in illam (*c*)
In cruce consertam socia compage coronam
Ceu fractas (*d*) totiens ictu cecidisse recusso,
Brachiaque ægra sibi nervis stupuisse solutis.
Hic libet in miserum paucis insurgere furem.
Infelix, quæ tanta tuam dementia mentem
Verterat, ut tanto reprehensus lumine veri
Non festinares omnem prævertere cursu
Indagem revolans, ut furtum sponte referres?
Tantane vis animum tenebris oppressit avarum (*e*),
Auderes illam ut gremio tibi condere partem,
Quam totiens arcente Deo violare timebas?
Dic mihi, qua pavor ille tuus fugiebat? et unde?
Rursus ut intrepidum præceps audacia sensum
Tam male durabat, pavidus, contemptor et idem
Ejusdem sceleris specie (*f*) diversus abibas,
Perfidiæque fidem diviso pectore miscens
Virtutem crucis, et signum inviolabile Christi
Credebas metuendo crucem contingere (*g*) ferro.
Et quod noscebas metuens, portando negabas.
Sed tamen impietas tua nec tibi profuit (*h*), et nos
Stultitiam confesse tuam, divinaque signa
Fecisti magno crucis exsultare triumpho.
Ergo relinquamus captum jam incessere (*i*) furem,
Cui satis ad pœnam est spoliatæ fraudis egestas.
Nunc (*j*) ad te, veneranda Dei crux, verto loquelas,
Gratantesque tua concludam laude profatus. B
O crux magna Dei pietas, crux gloria cœli,
Crux æterna salus hominum (*k*), crux terror iniquis,
Et virtus justis, lumenque fidelibus. O crux,
Quæ terris in carne Deum servire saluti,
Inque Deo cœlis hominem regnare dedisti :
Per te lux patuit veri, nox impia fugit.
Tu destruxisti credentibus eruta fana
Gentibus, humanæ concors tu fibula pacis
Concilians hominem medium (*l*) per fœdera Christi.
Facta hominis gradus es, quo possit in æthera ferri.
Esto columna piis tu semper, et anchora nobis,
Ut bene nostra domus maneat, bene classis agatur C
In cruce fixa (*m*) fidem, vel (*n*) de cruce nacta coronam.

Ibidem :

Ardua florifera crux cingitur orbe coronæ.

Iterum :

Crucem corona lucido cingit gyro,
Cui coronæ sunt corona apostoli.

De coronis item crucem ambientibus hæc ibidem sunt :

Sanctorum labor, et merces sibi rite cohærent,
Ardua crux, pretiumque crucis sublime coronæ.

Greg. Nazianz., in Julian. orat. 1, idem expressit : Τὸν δ' οὖν λεγόμενον, ὅτι θυομένῳ τὰ σπλάγχνα τὸν σταυρὸν ἀναδείκνυσι στεφανούμενον, *Ferunt, quum Julianus sacrificaret, victimarum exta coronatam crucis effigiem illi ostendisse.* D Harum crucium exempla in pluribus Christianorum impp. numismatis occurrunt. Vide quæ Aringh. in Rom. subterr. habet, et Gretser. lib. II, cap. 11, de S. Cruce, et ex eo Rosweid. in not. ad prælaudatam Paulini epistolam. MURATORIUS.

(*a*) Mur., cod., *cum*. At legendum *tum*, ut est in nostro codice.

(*b*) Mur. cod., *Mente etenim consederat : hoc tamen unum*. At versus claudicat : itaque Muratorius sic emendaverat : *Mente etenim placida consederat : hoc tamen unum :* addens de suo illud *placida*. Sed sic omnino legendum, ut est in nostro codice.

(*c*) Ita Mur. codex, cujus lectionem amplexus sum. In nostro codice ita legitur : *quotiensque manus armasset, ut illam*, etc.

(*d*) Hic quoque Muratoriani codicis lectionem secutus sum. Nam in nostro codice legitur *Ceu fracta*.

(*e*) Mur. cod., *avaris*. At nostri codicis lectio retinenda.

(*f*) Mur. cod., *speciem*. At legendum puto ut est in nostro codice.

(*g*) Mur. cod., *confringere :* quæ lectio fortasse melior.

(*h*) In Muratorii codice deerat vox *profuit*, quam ipse addidit. Et recte quidem : nam et in nostro codice legitur.

(*i*) Noster codex habet *cessere*. At Mur. codex *incessere :* quo modo legendum puto.

(*j*) Hunc versum et alios usque ad finem carminis citat Dungalus.

(*k*) Mur. cod., *hominis*. At melior lectio nostri codicis, quam sequitur etiam Dungalus.

(*l*) Mur. cod., *medii :* quæ lectio mihi magis placet. Dungalus tamen legit *medium*.

(*m*) Mur. codex habet *nixa*, noster *fixa*. Dungalus quoque legit *fixa*.

(*n*) Mur. cod., *Et de cruce*. Noster vero, *vel de cruce*, quo modo legendum est : alioquin versus pede laborabit. Et sane Dungalus quoque legit *vel*.

MURATORII

AD S. PAULINI NATALEM DUODECIMUM

PRÆFATIO.

439-490 Anno Christi 405 Natalem hunc cecinit S. Paulinus. Tria vero sancti Felicis miracula complectitur. Quidam beato confessori suem voverat, divisisque inter pauperes exiguis victimæ partibus votum completum arbitratus abibat. Mirabiliter e cœlo tactus ex equo ruit, pedesque secretis compedibus laborare dolet. Ad S. Felicis basilicam rursus defertur. Ibi sanctum precibus, et carnium distributione demulcet, pristinaque sanitate divinitus donatur. Apuli quidam agricolæ alterum suem S. Felici votivum Nolam trahere conantur. Animal sagina oppressum pio desiderio obstat, primoque in itinere gressu destituitur. Hi aliter votum completuri ad S. Felicis pergunt. Insciis ipsis per plura passuum millia, nulloque hominum ducente, sus sponte Nolam defertur. Miraculum cuncti stupent, et hostia improvisa Nolanos pauperes alunt. Postremum prodigium agricolis aliis accidit. Juvencam et ipsi glorioso confessori vovent. Hæc plaustro jungi renuit, et e dominorum manibus furiosa dilabitur. Sponte dein ipsorum iter comitatur, et non sine miraculo mansuefacta se ad securim sistit. Omnia fuse, atque eleganter a Paulino canuntur.

POEMA XX. A

CARMEN XII IN S. FELICEM (*a*).

Sæpe boni domini caris famulantur alumnis
Mente pia, et (*b*) patrio subjecta tuentur amore
Mancipia, hisque favent cura propiore fovendis,
Quos magis indiguos opis, et virtute carentes
Affectu rimante vident. Et si quis eorum,
Moris ut humani solemnis postulat usus,
Votum aliquod celebrare velit, neque possit egenis
Id patrare opibus, studio curatur herili
Servus inops, cui dives opum, queis (*c*) pauper egebat,
Contulerit dominus cumulandæ impendia mensæ.
Hæc mihi conditio est data sub Felice patrono : B
Nulla mihi ex me sint, ut sint mihi cuncta per illum;
Namque ad Natalem nunc ipsius, ut quidem et ante
Præteritis, quibus ista dies mihi floruit, annis,
Non erat unde epulum votis (*d*) solemne pararem,
Instabatque dies, nec adhuc mihi prompta facultas
Ex aliquo suberat : subito ecce patronus abundans
Unde dapem largam struerem (*e*) geminos dedit una
Cum nutrice (*f*) sues, quorum de carne cibatis
Pauperibus, nos materiam ex animalibus iisdem
Sumpsimus, egregiis quoniam miracula signis
Per pecudes ipsas nuper Deus edidit, alta
Destimulans ratione homines attendere Christo,
491-492 Nec desiderium carnis præferre fidei (*g*):
Namque ad avaritiæ nostræ lacrymabile probrum
Per (*h*) pecora humanæ rationis egentia summum
Signa dedisse Deum, series recitanda docebit.
Non afficta canam, licet arte poematis utar :
Historica narrabo fide sine fraude poetæ :
Absit enim famulo Christi mentita profari.
Gentibus hæc placeant, ut falsa colentibus, artes:
At nobis ars una (*i*) fides, et musica Christus,
Qui docuit miram sibimet concurrere pacem
Disparis harmoniæ quondam, quam (*j*) corpus in unum
Contulit assumens hominem, qui miscuit almum

(*a*) In nostro codice sic inscribitur istud carmen : *Incipit lib. xii.* Lege quæ diximus ad titulum superioris carminis.

(*b*) In Mur. codice deest conjunctio *et*.

(*c*) In nostro codice pro *queis* legitur *quo*. Sed prior lectio genuina videtur.

(*d*) In Mur. codice, *voti*. At legendum fortasse *votis*, ut est in nostro codice.

(*e*) Mur. codex sic habet : *Unde dapem instruerem, geminos dedit una*. Itaque versus claudicat : et legendum est ut emendavi ex nostro codice.

(*f*) Mur. cod., *Cum junice*. Utraque lectio probabilis. — Junix est bos femina teneræ ætatis, quæ jam cessavit vitula esse, necdum tamen ad summam magnitudinem pervenit. Persius sat. 2 :

> Tot tibi quam in flamma junicum omenta liquescant.

Plautus, Mil. 6 :

> Quam mox ad stabulum junix recipiat sese pabulo.

Papias :

> Junices, boves juvenes.

Alexander Jatrosophista lib. II Passionum :

> Qualia sunt bubula, et de junice pedes.

(*g*) Vocabulum hoc sæpe Paulinus usurpat pen. longa. In Paneg. :

> Et genus humanum passim sine lege fidei.

C Nat. V :

> Ovans galea, scutoque fidei.

Et alibi. MURATORIUS.

(*h*) Mur. cod., *Et pecora*. At legendum, ut est in nostro codice, ut sententia constet.

(*i*) Idem Paulin. Nat. IX dixerat :

> Sic Deus omnisonæ modulator, et arbiter unus
> Harmoniæ, per cuncta movet quam corpora rerum.

Infra Nat. XIII cytharæ exemplum allatum repetit :

> Omnes ex nobis cytharam faciamus in unum
> Carmen diversis compositum fidibus.

MURATORIUS.

(*j*) In nostro codice sic legitur : *Disparis harmoniæ : quo tamquam corpus in unum*, etc. At multo nitidior lectio Muratorii, quam secutus sum.

Infusa virtute Deum, ut duo conderet in se,
Distantesque procul naturas redderet unum.
Ut Deus esset homo, Deus est homo factus ab ipso,
Qui Deus est, genitore Deo, cui gratia non est,
Sed natura, quod est summi Patris unicus hæres,
Solus (*a*) habens proprium, quod munere præstat habere
His quibus alma fides dederit divina mereri.
Ille igitur vere nobis est musicus auctor,
Ille David verus, citharam qui corporis hujus
Restituit putri (*b*) dudum compage jacentem,
Et tacitam ruptis antiquo crimine chordis
Assumendo suum Dominus reparavit in usum,
Consertisque Deo mortalibus, omnia rerum
In speciem primæ fecit revirescere (*c*) formæ,
Ut nova cuncta forent, cunctis abeunte veterno.
Hanc renovaturus citharam Deus ipse magister,
Ipse sui positam suspendit in arbore ligni,
Et cruce peccatum carnis perimente, novavit.
Atque ita mortalem numeris cælestibus aptam
Composuit citharam variis ex gentibus unam,
Omnigenas populos compingens corpus in unum.
Inde lacessitis fidibus de pectine Verbi
Vox Evangelicæ testudinis omnia complet
Lande Dei : toto Christi chelys aurea mundo
Personat innumeris uno modulamine linguis,
Respondentque Deo paribus nova carmina nervis.
Sed referam ad mea cœpta pedem; nam tempus, et hora est
Promissas offerre dapes, apponere vobis
Prandia sollicitas caste sumenda per aures.
Non (*d*) veteri repetam, quæ sum dicturus, ab ævo.
Ante dies paucos istic spectata profabor.
Venerat huc quidam placitum sibi solvere votum
Urbis Abellinæ de finibus advena nostris
Sedibus. Hic porcum studio curante paratum,
A Dilatumque diu, ut simul annis, atque sagina
Cresceret, huc illinc (*e*) perduxerat; atque ubi venit,
Pingue pecus voti (*f*) jugulat de more voventum.
Fama suis magni per egentum (*g*) accenderat acrem
Ora (*h*) famem et cuncti magnæ spe partis hiantem (*i*)
Tendebant ad opima senes convivia faucem (*j*).
Interea largitor inops non partibus æquis
Dividit (*k*) incisas carnes, medium suis aufert
Sinciput, et tantum secti coquit intima ventris,
Solaque pauperibus cæsi vitalia porci
Dividit, ac (*l*) totum sibi corpus habere reliquit, B
Et votum complesse putat, lætusque redire
Incipit, ausus eas jumento imponere secum
493-494 Relliquias, et in his placiti se pignora voti
Sancta referre domum male credulus, in quibus idem
Damnum animæ, nodumque viæ portabat avarus.
Denique mox nec mille viam permissus abire
Passibus, elucente die, simul aggere plano,
Non tenebris pavitante, nec offendente salebris
Lapsus equo, et quasi fixus humi se tollere rursus
Ad consistendum reparato robore surgens
Non potuit, cœpitque pedes clamare ligatos,
C Idque probare jacens, plantis quasi compede junctis (*m*).
Hic aliud mirum casu sociatur in ipso :
Nam dum illum tanta cum debilitate jacentem
Mœsta propinquorum circumstat turba suorum,
Jumentum, cui sola oneri porcina manebat,
Ascensore sui vacuum, et ductore relictum
Sponte sua sese nullo flectente refrenans,
Tamquam offendiculi causam cognosceret ultro
Aut aliquem prohibere viam, qua cœperat ire,
Vidisset, sic fugit iter, cursumque retorsit,

(*a*) In Mur. cod., *Solum et habens*. At multo elegantior lectio nostri codicis.

(*b*) Mur. cod., *Patri*. At melior lectio quæ est in nostro codice.

(*c*) In nostro codice legitur *reviviscere*. At præferendam puto lectionem codicis quo usus est Muratorius, quod secunda syllaba vocis *reviviscere* sit longa.

(*d*) In nostro codice legitur *non*. At codex Mur. habet *nec*.

(*e*) Mur. codex habet *illuc*. At malo cum meo codice legere *illinc*, nempe ex urbe Abellina.

(*f*) Votorum ac oblationum usum, quæ sanctis exhibebantur, elucidavi diss. XVIII, ad quam lectores dimitto. MURATORIUS.

(*g*) Hic locus valde corruptus est apud Muratorium, qui in Ambrosiano illo codice sic legit : *Fama suis magnopere gentum accenderat acrem*, etc. Noster codex habet *Fama suis magna per egentum accenderat acrem*; quæ lectio multo minus mendosa est, sed mendosa est tamen : mendum autem tolletur, si pro *magna* legas *magni* aut *magnæ*.

(*h*) Et Mur. codex, et noster habet *ora*. At Mura-D torius emendandum hunc locum censuit, et legit *ore :* quia scilicet superioris versus mendosam lectionem habebat. Sed legendum est *ora*.

(*i*) Mur. cod., *hiantes*. Utraque lectio probabilis.

(*j*) Mur., *fauces ;* nam antea legerat *hiantes*. At noster codex habet *faucem*. Sed utraque lectio, ut dixi, est probabilis.

(*k*) Post versum 77 deerant in codice Muratorii tres versus, quos ex nostro codice addidi. Sic enim erat scriptum in Muratorii codice : *Interea largitor inops non partibus æquis Dividit, et totum sibi corpus habere relinquit*. Nim. librarius a primo *dividit* ad alterum transiit.

(*l*) Mur. pro *ac* habet *et*, quod nihil admodum refert.

(*m*) Mur. codex habebat *conjunctis*. Sed legendum est *junctis*, ut postulat metri ratio et ut est in nostro codice. Ita emendaverat etiam Muratorius.

A Et properante gradu recucurrit ad hospita tecta (a)
Omnibus antevolans, quos lapsi attenta tenebat
Cura viri, quem (b) paulatim quasi corpore fracto
Nitentem, et genibus rigidis prodire negantem,
Cæcaque vincla pedum pariter (c), meritumque ruinæ,
Et causam pœnæ (d) lacrimosa voce fatentem
Luce palam manibus grave subvectantibus ægri
Corpus, fida cohors sanctas referebat in aulas
Orantem medici Felicis ad ipsa reduci
Limina, mox illic certam (e) reperire medelam.
Illum homines interque manus, interque catervas
In sacra vectatum mirantibus atria turbis,
Dispositi trino (f) per longa sedilia cœtu
Obstupuere senes, inopum miserabile vulgus,
Et socio canæ (g) residentes agmine matres.
Præterea multi, sua quos devotio sanctis
Ædibus attulerat diversis eminus oris,
Viderunt insigne pium, cum tempore eodem,
Imo die, tam mira foret mutatio rerum.
Idem homo, qui paulo ante suo digressus ab iisdem
Liminibus gressu, nunc ipse redux alienis
Infertur pedibus, subvecto corpore pendens.
Parte alia stratus, nullo servante sequentum,
Hospitis ante fores etiam nunc carne suilla
Stabat onustus equus, neque (h) quisquam notior illi (i)
Astiterat, cui cura foret relevare gravatum
Fasce suo, et notis reducem subducere tectis.
495-496 Ille tamen velut humana ratione repletus
Quærentique suos, et protinus opperienti
Astiterat similis, certo vestigia servans
Fixa loco, simul aure micans, et naribus efflans
Assuetorum hominum notos quærebat odores.
Mirum erat hospitibus, quænam fuga, qui status ille
B Esset equi, notumque animal faciebat amicis
Ambiguum nova forma rei (j), neque quisquam erat index (k)
Accidui, cunctis illum stipantibus intus,
Qui fuerat manibus sanctam (l) portatus in aulam
Martyris, æger ubi sancto pro limine fusus
Corpore projecto, et complexis postibus (m) hærens,

(a) Mur. cod., *ad hospita tecti*. At melior lectio nostri codicis.

(b) In Mur. cod., *quæ*. At legendum *quem*, ut est in nostro codice; quod vidit etiam Muratorius.

(c) Mur. cod. multo aliter : *Cæcaque vincla, pedem amissum, meritumque ruinæ*. Mihi quidem nostri codicis lectio magis probatur.

(d) Hic quoque diversa est lectio codicis Muratorii : in eo enim legitur : *Illius*, *et pœnæ*, *lacrimosa voce fatentem*.

(e) Et Muratorii codex, et noster habet *certam*. Mihi tamen placet Muratorii conjectura, qui *legere* (inquit) *mallem* : certum reperire, *Græca plane poeticaque elegantia*.

(f) Triplex hominum cœtus in veteribus Ecclesiis cernebatur, ibique omnes per longa sedilia dispositi piis precibus operam dabant. Vid. Dodwel. Diss. Cypr. quinta, n. 24. Ex ecclesiarum reditibus forte unusquisque alebatur. *Senes* primo memorantur, deinde *inopum miserabile vulgus*, postremo *canæ matres*. De prioribus utique nil dicendum habeo, nisi quod eos ecclesiis inservisse crediderim, ut ad veteris legis instar oblationes ad altare deferrent. Hic usus etiamnum in metropolitana Mediolani ecclesia servatur, *veglonesque* vocantur a Beroldo nostro ms., ac in pluribus aliis vetustis diplomatis. Pauperes ex ecclesiarum proventibus nutriri solitos fuisse expresse docet conc. Antioch. can. 25, Chrysost. passim, Possidius in Vita S. Aug., aliique innumeri Patres, ut res majori claritate non egeat. MURATORIUS.

(g) Hic diaconissas intelligi pene certum duco, quarum gradus et usus in Ecclesia non paucis seculis viguit. Hæ vero nonnisi ætate admodum provectæ ad id muneris admittebantur, secundum Apostoli præceptum I Timoth. V : *Ut eligantur viduæ non minus sexaginta annorum, neque bigamæ*. Id confirmat Tertull. lib. de vel. Virg., et lex 27 cod. Theod. de Ep. et Cler. De ministerio earum plura docebit Hallier. de sacr. Elect. part. 2, sect. 5, cap. 2, et Morin. de sacr. Ord. Earum vestigia in Ambrosianæ Ecclesiæ ritibus permanere certum est mihi, quum viduæ illæ, quæ hic *veglonissæ* nuncupantur, oblationes ad sacrum altare deferendo inserviant : quod itidem veterum diaconissarum munus fuit, ut S. Hier. in cap. XIII Matth. docet. Tam vero illæ quam istæ ex ecclesiæ proventibus alebantur, testante id can. 103 conc. Carth. IV, Apost. Constit. lib. III, cap. 1, 2, 3, etc., Balsamone in cap. 18 et 24 epist. Basilii ad Amphiloch. Inter alios audiatur S. Hier. in Isai. c. III. *Nec ecclesiasticis vidua sustentatur alimentis*, *nisi quæ* 60 C *annorum est*. MURATORIUS.

(h) Mur. cod., *nec* : quod nihil refert.

(i) Ita Mur. codex. At in nostro legitur *illa* : quæ lectio videtur mendosa.

(j) Mur. codex sic habet. Noster vero, *Ambigui nova forma feri* : quam lectionem quis neget esse mendosam ?

(k) Mur. codex mendose habet *neque quisquam erat inde Accidui*. Itaque ad vocem *Accidui* hæc adnotavit Muratorius : *Verbum*, *et error correctione indigent*. Verum vox *inde* emendanda est ex nostro codice, non vero vox *Accidui*. Nam Paulinus sicut in Natali IV, versu 291, ex *attigit* facit *attiguum*, ita hic ex *accidit* facit *acciduum*.

(l) Murator. cod., *sacram*.

(m) Sacris ecclesiarum januis oscula figere usitatum Christianis fuit. S. Jo. Chrys. hom. 30 in Ep. II ad Corinth. : Ναός ἐσμεν τοῦ Χριστοῦ. Τὰ τοίνυν πρόθυρα φιλοῦμεν τοῦ ναοῦ, καὶ τὴν ἔσοδον, ἀλλήλους φιλοῦντες. Ἢ D οὐχ ὁρᾶτε ὅσοι καὶ τὰ πρόθυρα τοῦ ναοῦ τούτου φιλοῦσιν, οἱ μὲν κύψαντες, οἱ δὲ τῇ χειρὶ κατέχοντες καὶ τῷ στόματι τὴν χεῖρα προσάγοντες. *Templum Christi sumus. Itaque templi vestibula et aditum osculamur, cum alii alios osculamur. An non cernitis quotnam homines etiam hujusce templi vestibulis osculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admoventes?* Clarius id exprimit Prudent. in hymn. 2 S. Laurent. Περὶ στεφάνων.

Ipsa et senatus lumina
Quondam luperci, et flamines,
Apostolorum, ac martyrum
Exosculantur limina.

Paulinus infra :

Dum postibus hæret in ipsis
Felicis sancti, lambensque per oscula tergit.

Idem Natal. VI dixerat :

Sternitur ante fores, et postibus oscula figit.

Oscula figebat supplex, fletuque lavabat,
Seque recognoscens proprii caput esse doloris,
Tales se se ipsum dabat accusando querelas.
O mihi (a), qui talem merui desumere pœnam
Hac in sede (b) miser, qua, si miser adveniat quis,
Efficitur felix! Sed justum, parque maligno
Me fateor merito exitium cepisse, patique,
Ut reus ipsa (c) inter modo limina puniar ardens
Exurente pedes simul, et stringente dolore,
In quibus, heu demens! oblati munera voti
Fraude fidem violans converti in damna salutis.
Est tamen, est aliquid, fateor, quod dicere possim
Jam mihi mutari grata vice tristia lætis,
Atque ipsas animo jam prosperiora tuenti
Infractis cœpisse malis dulcescere pœnas,
Ex quibus hæc nunc ipsa mihi bene gratia venit,
Qua (d) factum est mihi nunc, ut tam cito tangere rursus
Limina Felicis misero veneranda liceret.
Nam mihi si nullus, vel si levis iste fuisset
Casus, ut arreptum possem pertendere cursum,
Tunc magis infelix de prosperitate fuissem:
Mansisset (e) mihi culpa nocens, neque vulnus adactum
Intus in ossa animæ sensissem carne rebelli,
Occultasset enim meriti discrimen iniqui
Corporis illæsi vigor, et vinxisset inertem
Mens durata reum, nisi lapsum pœna ligasset.
Ergo potens medice in Domini (f) tu nomine Christi,
Felix, jam satis hoc tibi sit, Dominoque potenti,
Quod non ira mihi, pietas sed amica saluti
Supplicium peperit, devincto (g) ut corpore culpa (h)
Solveret: ecce malum servum, refugamque (i) voracem
Jure retraxisti, injectis pro crimine vinclis.
Debitor infelix teneor, constringor, aduror,
Propositus cunctis divini forma timoris.
Mentibus hæc omnes trepidis (j) attendite, quæ nunc
Me miserum reliquis documento ferre videtis.
A Numquid enim hoc errore carent aliqui? Sed in uno
Exemplum fieri placuit, quo sit mea pœna
In (k) præjudicium quibus emendatio non est.
Sed jam parce tuo misero, precor, optime Felix,
497-498 Parce libens, succurre favens: dolor ultimus urget
Clamosas iterare preces: festinus adesto,
Ne mors præveniat medicum festina morantem.
Sed scio, quod Domini manus hæc, quæ verberat, et quæ
Parcet more suo: mihi tantum tu modo fesso (l),
Jamque fatiscenti propera laxare catenam,
B Quam tu, sancte, vides, ego sentio: sicut operto (m)
Clam tacitus vinclo fugitivi membra ligasti,
Sic invisibili medicina solve reversum.
Talia clamantem, dum postibus hæret in ipsis
Felicis sancti, lambensque per oscula tergit,
Attonitis illum pia turba et cernit, et audit
Cœtibus: ipse jacens etiam nunc erigitur spe,
Increpitatque moras omnes, et tarda suorum
Obsequia, afferri porcum, totasque jubet mox
Pauperibus reddi partes, sibi vivere tantum
Concedi petit atque inopum saturamine pasci.
Certatim socii cito jussa fidelia curant.
Itur ad hospitium notum, deponitur illic
Sarcina jumento, carnes in frusta secantur,
Et divisa coquit spumantibus ignis aënis (n).
C Cocta importantur patulis numerosa catinis.
Exsaturata fames inopum gratantia reddit
Verba Deo, et veniam petit, ut placata datori.
Nec mora: confestim voti ratione soluta
Debitor ille intus meritæ compage (o) catenæ
Solvitur, et pedibus Domino miserante refectis,
Tamquam liber equus, vel ruptis cassibus ales
Evolat, et cervi salientis imagine currit.
Mira fides oculis obtenditur. Omnia gaudent
Tam facili pietate Dei, tantumque valenti
Felicis merito, ut coram adsit (p) Christus in illo,
Pro meritis hominum moderans in utroque potenter,

Et lacrymis rigat omne solum, pro limine sancto
Fusus humi.

MURATORIUS.

(a) Mur. cod., *Hic ego*. Noster, *o mihi* pro *heu mihi*.

(b) Mur. cod., *Factus et inde miser*. Noster, *hac in sede miser*: quæ lectio magis arridet.

(c) Mur. cod., *ipse*. At multo pulchrior nostri codicis lectio.

(d) Murat. cod., *quod factum mihi nunc*. At legendum censeo ut est in nostro codice.

(e) Mur. cod., *mansissetque*. Recte Muratorius ita emendavit, ut est scriptum in nostro codice.

(f) Mur. cod., *in Domino*. At mihi magis placet nostri codicis lectio, qui habet *in Domini*.

(g) Mur. cod., *devinctam ut corpore*. At mihi magis probatur lectio nostri codicis.

D (h) Mur. cod., *culpam solveret*. Noster vero, *culpa solveret*.

(i) Mur. cod. *servumque, fugamque voracem*. At melior lectio nostri codicis.

(j) Mur. cod., *Mentibus hæc trepidis omnes*. Utraque lectio optima.

(k) Mur. cod., *Et præjudicium*. At legendum videtur ut est in nostro codice.

(l) In nostro codice legitur *Parcit, in ore tuo est. citus ergo patronus adesto*. At emendandum hunc locum putavi ex codice Muratorii.

(m) Noster codex habet *aperto*. Emendavi ex codice Muratorii.

(n) Mur. cod., *Et divisa coquit lymphis spumantibus ignis*. Ego nostri codicis lectionem secutus sum.

(o) Noster codex habet *compago*. Emendavi ex codice Muratorii.

(p) Noster codex habet *assit*.

Ut resipiscenti medicus sit, et ultor iniquo. A
Cernite enim, quantæ fuit (*a*) illa injuria fraudis,
Qua miser ille prius diviserat inter egentes,
Seque, suem, atque istic (*b*) ubi totum reddere votum
Debuerat, solum caput, intestinaque porci
Carpserat, et reliquam (*c*) toto sibi corpore partem
Fecerat imprudens, atque improbus, et tamen ipsa,
Qua miser extiterat, factus mox fraude beatus
Commutante Deo pietatis verbere culpam.
Talis enim censura Dei est : sic temperat alti
Pondera judicii Deus arbiter, et pater, et rex,
Omnibus ut placidam (*d*) moderato examine libret
Justitiam, et levior mixta bonitate potestas
Ante reos moneat stimulo, quam fulmine perdat (*e*),
Ut si profuerit præmissi (*f*) verberis ictus,
Salva salus homini redeat commissa pigenti (*g*).
At siquis sacro (*h*) monitus terrore flagelli
Noluerit sentire plagam, incuratus abibit,
Servatusque neci perfectam sentiet iram.
Ille igitur miser ante, dehinc mox ipse beatus
Tali sanatus carnemque, animamque medela.
Sed (*i*) quia cognovit causam, agnoscensque jacentem
Pœnituit, merito curam sibi memet in ipso (*j*)
Repperit, inque brevi est (*k*) expertus utrumque, quod omnes (*l*)
Justa lege manet divinæ pacis, et iræ
Jus, et opus, maneat vindex ut (*m*) jure superbos
Pœna reos, pietas servet miserata fatentes.
499-500 Ergo relaxatis alacer vestigia vinclis
Idem ex incolumi cito debilis, et cito liber,
Ex modo captivo læta cum voce redibat,
Exultans (*n*) velut ille olim, quem matris ab alvo
Claudentem (*o*) in verbo Domini Petrus, atque Johannes
Jusserunt validis in saltum assurgere (*p*) plantis.
Dignus et hic pauper Speciosæ limine portæ (*q*),
B Quem Deus ipse Petri Deus, et Felicis, eadem
Nunc verbi virtute sui sanavit apud nos
De casu (*r*) claudum modo, qua sanaverat olim
Ex utero claudum : qua (*s*) nunc ope lætus abibat,
Quique preces mœstas (*t*) in vulnere (*u*) fuderat intus,
Ecce foris sano reddebat corpore grates.
Quidnam ego Felici possim redhibere patrono ?
Quas illi referam tanto pro munere digne (*v*)
Tam cito de tanto sanatus vulnere grates?
Non pretium statui (*x*) medico, aut fastidia lecti
Tristia substinui, neque per scalpella, vel ignes,
Aut male mordaces vario de gramine succos,

(*a*) Noster codex habet *sit*. Emendavi ex codice Mur.

(*b*) In nostro codice scriptum est *istis*. At legendum ut est in cod. Mur.

(*c*) Apud Muratorium est *reliquum*. At mendum videtur esse typographi.

(*d*) Mur. cod. habet *tacitam*, noster vero *placidam* : quæ lectio videtur potior.

(*e*) Mur. cod., *Ante reos moneat, stimulo quam fulminet ullo*. At legendum existimo ut est in nostro codice.

(*f*) Hic versus in Mur. codice omnino corruptus erat : sic enim in eo scriptum est : *Ut si profuerit præmiis, sine verberis ictu*. Emendavi ex nostro codice.

(*g*) In Murat. cod. sic scriptum est : *Salva salus hominis redeat compage remissa* : quorum verborum quæ sit sententia non video. Itaque nostri codicis lectionem secutus sum.

(*h*) Mur. cod., *sacri*; noster, *sacro* : utraque lectio probabilis.

(*i*) Et Mur. codex, et noster habet *sed*. At Muratorius mallet legere *se* : quod et mihi probatur.

(*j*) Ita noster codex. At in Mur. cod. multo aliter, nimirum : *meritum curæ sibimet simul ipse*.

(*k*) Noster codex habet *inque brevem expertus*. At hic Muratoriani codicis lectionem secutus sum : ita enim postulat et metri ratio, et loci sententia.

(*l*) Mur. cod., *omne*. At legendum *omnes*, ut est in nostro codice.

(*m*) Mur. cod., *uti* : quod mendum sustuli lectionem nostri codicis secutus.

(*n*) Mur. cod., *insultans*.

(*o*) Hoc est *claudicantem*. Vox certe nova, neque Paulino digna, de quo ait S. Hieron. ep. 13 ad eumdem scribens : *Si quasi extrema manus operi tuo induceretur, nihil dulcius, nihilque Latinius tuis haberemus voluminibus*. An scribendum *plaudentem*, an potius *claudum ante?* Historia nota est in Act. apost. cap. III. MURATORIUS. C

(*p*) Mur. cod., *exsurgere*.

(*q*) Ibid. in Act. : Ὃν ἐτίθουν καθ' ἡμέραν πρὸς τὴν θύραν τοῦ ἱεροῦ τὴν λεγομένην ὡραίαν. *Quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa*. MURATORIUS.

(*r*) Mur. cod., *Excessu*; noster vero, *de casu*.

(*s*) Mur. cod., *ista*, noster vero, *qua*.

(*t*) An *mœstus ?* MURATORIUS.

(*u*) Mur. cod., *pro vulnere*; noster, *in vulnere*.

(*v*) Mur. cod., *pro tanto munere dignas*. Ego nostri codicis lectionem secutus sum.

(*x*) Celebres admodum sunt Plinii Senioris cap. 1 lib. XIX in medicos querimoniæ ; neque minorem plausum assequutus est Leonardus a Capua peritissimus nostri ævi iatrosophista in lib. *de medicinæ ac medicamentorum Incertitudine*, quem annis præteritis interdictum vidimus, ac dolemus. Huic addere lubet Bernardinum Ramazzinum V. C., et de medicina D optime meritum, qui in diss. *de Constitutionibus annor.* 1692, 93 *et* 94, num. 25, crudelibus medicis subirascitur, incertamque eorum in medendo methodum eleganter castigat ; *gentem rusticam, quæ magis parocho quam medico fidit*, fortunatam appellans. Eruditissimus quoque Harvæus non ita pridem dissertationem emisit *de medicorum Dolis, Mendaciis*, etc. S. Bernardus in ep. 321 ad fratres de S. Anastasio : *Propterea*, inquit, *minime competit religioni vestræ medicinas quærere corporales, sed nec expedit saluti*. Ibidem ad remedia spiritualia, quibus major quam humanis inest virtus, confugiendum potius docet. Hunc doctoris melliflui locum frustra Jo. Molanus in suo Diario, cap. 34, mitigare nititur. Refert etiam S. Hier. in Hilarion. Vita adductam ad hunc sanctum fuisse mulierem, quæ omnem substantiam in medicos se erogasse querebatur ; cui Hilarion : *Si quæ medicis dando perdidisti, pauperibus elargita fuisses, curasset te verus medicus Jesus Christus*. MURATORIUS.

Sævior et morbis, et vulneribus medicina
In corpus grassata meum est, velut accidit illis,
Quos humana manus suspecta visitat arte,
Semper et incerto trepidos solamine palpat.
En ego per breve nunc spatium perlatus ad ipsum (a)
Felicis sancti solium, et projectus in ipso
Limine tam gelido, quam duro in marmore fractus,
Atque dolens jacui, et solus mihi sermo precandi,
Sola fides medicina fuit: nullum affore vidi,
Et sensi medicum. Quisnam hic medicus, nisi Christus
Ipse, vel a Christo Felix de nomine Christi,
Et virtute potens? Neutrum illo in tempore sensi,
Et tamen ipse fuit præsens in utroque, velut me
Peccantem argueret cito, sanaretque dolentem.
Par modus in specie varia mihi castigantis,
Parcentisque fuit Domini. Sanator, et ultor
Luminibus latuit, pœna atque medela refulsit.
Nunc ego jam pleno perfectis ordine votis
Ibo domum gaudens medico, tutusque (b) patrono
Æternum Felice mihi; non jam (c) ulla verebor
Occursura mihi, velut ante, pericla viarum:
Namque periclum aberit, quia causa soluta pericli est (d).
Non resoluta fides me vinxerat, et modo solvit
Rite soluta fides (e): tamen alliget, oro, tuus me
Semper amor, Felix: istam mihi necte catenam,
Qua tibi me numquam nec mors, nec vita resolvat.
Verum omnes quicumque meos videre dolores,
Inque tuo merito magnis insignibus altam
Conspexere manum Christi, cognoscere debent,

501-502 Quantum illis mea pœna boni providerit, ut jam
Præcaveant de terrenis sibi parcere rebus,
Et, lucra dum captant, acquirere damna salutis.
Nam si de vili pecudis mihi carne alimentum
Pauperibus fraudasse malum (f) fuit, et quid in illis,
Qui male divitias multo (g) amplectuntur amore?
Defossisque suo pariter cum corde metallis
Incubitant, atque hæc latitare superflua produnt,
Quæ proprio longe secreta tuentur ab usu?
Quid facient? quidnam pro se tibi, Christe, loquentur?
Tantorum qui partem inopum invasere, nec ullam
Apposuere sibi de re superante salutem?
Unus abit missus. Nunc mensæ grata secundæ
Fercula ponemus: sed quamvis rursus eamdem
Diverso carnem conditam jure feremus.
Namque aliud vobis (h) iterum, quod de sue mirum
Lusit opus Felix, mira novitate retexam.
Tempore res prior est: sed nostris ante libellis
Præterita, in præsens tempus servata canetur.
Nec refert, quod opus quo sit sub tempore gestum;
Unus erit quoniam variis operator in annis,
Qui diversa facit sanctorum in laude suorum
Omnibus in terris rerum miracula Christus.
Agricolæ quidam de nostris longius oris
Appula trans urbem Beneventum (i) rura colentes
De grege setigero multis a fœtibus unum
Lactea adhuc tenero pulsantem sumina (j) rostro
Excerpsere sibi, et curatum tempore multo
Paverunt in vota suem, et cœpere paratum
Ducere sacratam (k) sancti Felicis ad aulam,
Corpore de magno ut multos mactatus (l) egenos

(a) Noster codex mendose habet *ad illum*. Itaque Muratoriani codicis lectionem sequor.

(b) Mur. cod., *totusque*, sed mendose: itaque emendavi ex nostro codice.

(c) Mur. cod. sic habet: *Æternum Felice, nec amplius ulla verebor.*

(d) Mur. cod., *quia causa est nulla pericli*. Ego nostri codicis lectionem probo ob verba quæ proxime sequuntur.

(e) In codice Muratorii deerat versus quem ex nostro codice addidi. Sic autem scriptum erat in Mur. codice: *Namque periclum aberit, quia causa est nulla pericli. Non resoluta fides tamen: alliget, oro, tuus me*, etc.

(f) Mur. cod., *malo;* at melior nostri codicis lectio.

(g) Mur. cod., *vano;* noster, *multo.*

(h) Noster codex habet *nobis*. At legendum *vobis*, ut est in cod. Mur.

(i) Mur. cod., *Veneventum*. Lege quæ diximus ad carm. 11, vers. 510.

(j) *Sumen*, *inis*, mamilla a sugendo dicitur. Lucil. Satyr. lib. IV, apud Nonnium:

> Quod si nulla potest mulier tam corpore duro
> Esse, tamen tenero maneat succussa lacerto,
> Et manus uberior lactanti in sumine sidat.

Lamprid. in Alex. Severi Vita: *Jussit, ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem.* Casaubonus in notis *suminatam* pro *saginatam* explicat, ita tamen ut meliorem sensum arbitretur, si textum corrigat sic legendo: *Ne quis suem suminatam occideret.* Revera *sumen* de suillis mammis proprie usurpatur, et ex illo quoddam farcimen efformabatur Plinio ac Martiali sæpe memoratum. Salmasius ad eumdem Lampridii locum *Suminatam* censet pro *scropha* intelligendam, et *lactantem* esse *tenerum porculum*. Plin. lib. XI, cap. 37, *sumina* olim sub abdominis appellatione venisse affirmat, quem consulere cuique liberum facio. MURATORIUS.

(k) Mur. cod., *sancitam*. At legendum est *sacratam*, ut est in nostro codice.

(l) Oblationes votivas in pauperum subsidium conferri solitas non semel repetit Paulinus, quia martyribus id admodum placebat. Et sane in Ecclesia laudabilis olim fuit agaparum usus, quo nomine pia intra ecclesias convivia distinguebantur. In iis autem pauperes ex divitum mensa participabant, et caritatis ardor fovebatur. Sed quum inde multa incommoda fluerent, agapæ e Christianorum cœtu sublatæ. Oblationum tamen usus aliquatenus permansit, easque in martyrum honorem factas S. Aug. memorat lib. VIII, cap. 7, de Civ. Dei, in quarum partem pauperes etiam vocabantur: *Quæcumque*, ait ille, *exhibentur*

Pasceret, et saturo gauderet paupere martyr. A
Sed gravis arvina (a) porcus superante pedum vim (b)
Non potuit se ferre diu, primoque viarum
Limine succubuit sibimet, neque deinde moveri
Voce, manu, stimulis potuit : liquere jacentem,
Hospitibusque suis commendavere relictum
Mœrentes domini : mens anxia nutat in anceps :
Nam voti revocare viam pia pectora nolunt :
Rursum (c) Felicis veneratum limina longe (d)
Ire pudet vacuos devoti muneris. Ergo
Ambiguis talis sententia mentibus hæsit,
Ut (e) totidem lectos eadem (f) de gente (g) minores
Ad sua vota legant (h), quot erat provectus in annos B
Ille, sua pressus qui mole manebat iners sus (i).
503-504 Quod devota fides obstricti debita voti
Maturare parans tali ratione putavit,
Pluribus ut modicis unum pensaret opimum.
Ergo sacrum hunc (j) venere locum, votisque patratis
Hospitium rediere suum non cominus istinc.
Nam tum forte domos, quæ circa martyris aulam (k),
Implerat (l) solitis densata (m) frequentia turbis.
Propterea (n) procul hinc secreto in rure remotam
Contenti subiere casam, qua mane parabant
Ad reditum proferre pedem, cum prima ruberet C
Parturiens aurora diem : tuguri fore aperta (o)
Hospes homo egreditur tecto, notumque suem vir
Conspicit ante fores mirando astare (p) paratur,
Tamquam se missum a (q) domino loqueretur adesse,
Atque salutanti similis vestigia lambit
Gaudentis domini, et gestu subgrunnit alumno
Blandus, et olfaciens motando dat oscula rostro,
Seque, quasi votum debere agnoscat herile,
Ingerit, et tardos invitat gutture cultros.
Quo duce, quæso, vias ignotis finibus egit,
Quosve pedes, tam longe ut posset currere, sumpsit,
Qui brevibus spatiis in primo fine viarum
Defecit fluidæ depressus mole saginæ (r) ?
Certe nulla manus tantum pecus aggere longo,
Nec sinus advexit, nec mens sua tam spatiosam
Ignota regione viam penetrare subegit (s),
Quando homines etiam et mentis ratione vigentes,
Perque ignota regi (t) faciles interprete lingua,
Si tamen hi careant duce, quo via luceat illis,
Cæcus in externis (u) regionibus implicat error.
Quisnam igitur direxit iter suis ? unde voluntas,
Qua dominos sequeretur, ei vel sensus ut esset
Conscius ad votum se longa ætate coactum (v) ?
Unde hæc cura fuit pecori, quæ rara fideles
Excitat, ut tamquam proprio culpabilis actu (x)
Pigra remansisset sancto sus cincta (y) timore,
Contractam remanendo sibi, veniendo piare
Curaret culpam, et vitium pensaret inertis
Desidiæ, quamvis sero comitata profectos

religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra, vel sacrificia mortuorum, tamquam deorum. Quicumque etiam epulas suas eo deferunt (quod quidem a Christianis melioribus non fit, et in plerisque terrarum locis nulla talis est consuetudo) tamen quicumque id faciunt, quas cum apposuerint, orant et auferunt, ut vescantur, vel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari ibi eas volunt per merita martyrum in nomine Domini. MURATORIUS.

(a) Mur. cod., *Sed grave sagina.* Quæ lectio omnino mendosa est : itaque emendavi ex nostro codice.

(b) Mur. cod. mendose habebat *porcus superante pedumque.* Locum emendavi ex nostro codice.

(c) Mur. cod., *rursus*, quod nihil refert.

(d) Noster codex mendose habet *longo.*

(e) Mur. cod. habet *Et*; noster *Ut* : quam lectionem probo. D

(f) Unam de duabus syllabis fecit Paulinus. MURATORIUS.

(g) Mur. cod., mendose habet *eadem de grege.* Locum restitui ex nostro codice.

(h) Murat. cod., *legunt.*

(i) Murat. codex, *ineptus*; noster, *iners sus* : et ita legendum est.

(j) Mur. cod., *huc*; noster, *hunc.*

(k) Noster codex habet *aulas.* Malui sequi lectionem cod. Mur.

(l) Quanta gens ad S. Felicis venerationem coiret, sæpe monuit Paulinus. In Nat. III, postquam multos enumeravit populos Nolam idcirco confluentes, addit :

Una dies cunctos vocat, una et Nola receptat,
Totaque plena suis, spatiosaque limina cunctis,
Credas innumeris ut mœnia dilatari
Hospitibus. Sic Nola assurgit imagine Romæ.
MURATORIUS.

(m) Noster codex mendose habet *denseta.*

(n) Noster codex, *præterea.* Mihi magis placet lectio codicis Muratorii.

(o) Mur. codex mendosus hic erat : in eo enim legebatur *tuguri forte aperti.* Nos locum restituimus ex nostro codice.

(p) Ita scriptum est in nostro codice. In codice vero Mur., *adstare.* At prior lectio melior.

(q) Mur. cod. habet *se missum Domino.* At nostri codicis lectio mihi probatur.

(r) In nostro codice versus 355 ponitur post versum 356. Ita enim in eo scriptum est : *Defecit fluidæ depressum mole saginæ Qui brevibus spatiis in primo fine viarum.* At ego malui sequi lectionem codicis Mur.

(s) Et noster codex, et Muratorii habet *subegit.* At Muratorius mallet legere *coegit.*

(t) Noster codex mendose habet *Per que ignota rei.* At legendum est ut habet Mur. codex.

(u) Mur. cod., *extremis.* Mihi magis arridet lectio nostri codicis.

(v) Mur. cod., *paratum*; noster, *coactum.*

(x) In mur. cod. scriptum est *astu.* At legendum *actu*, ut est in nostro codice.

(y) In nostro codice legitur *sancto subjecta timore.* At malui sequi lectionem codicis Muratorii : ad quodnam enim nomen refertur adjectivum femininum *subjecta* ? an ad *pecus*, quod commemoratur versu 367 ? At ibi *pecus* est nomen neutrum. Itaque si quis legere velit *subjecta* pro *sus cincta*, oportet ut in versu 367 legat *pecudi*, non vero *pecori*.

Obsequio dominos? Patet admirabile monstrum A
Cælesti ditione datum tanto (*a*) suis auso,
Solus ut iret iter longum, tantoque fuisse
Ingenio porcum, ignotis ut tramite recto
Digereret spatiis : quid et hoc tam (*b*) grande quod illum
Transbeneventanis (*c*) huc finibus advenientem
Publica seu medii constrata (*d*) per aggeris audax
Miserit, occursus nusquam cepere (*e*) frequentes,
505-506 Sive per occultos egit (*f*) vestigia saltus,
Nulla manus ferro, fera vel fuit obvia morsu.
Quæ solum duxit manus, aut protexit euntem?
Nempe oculos aliqua celatus nube fefellit,
Aere (*g*) vel raptus vento mage, quam pede venit, B
Et subito hospitium domini delapsus ad ipsum (*h*)
Constitit ignoto pro limine quadrupes hospes.
Dicam aliud, prope vicini mirabile signi.
Nam genere abjunctam pecus armentale juvencam
Quidam homines æque longinqua huc (*i*) sede profecti
Secretam primo lactantis (*j*) ab ubere matris
Nutrierant nostris votivo munere pactam
Pauperibus, magna quos istic (*k*) plebe coactos
Larga ope multorum Felicis gratia pascit.
Ergo ubi jam membris vitula exultavit adultis
Facta per excretum jam corpus idonea voto,
Promovere domo : sed, qui mos esse videtur C
Persolvenda piis longe sua vota ferentum
Martyribus, plaustro subjunctam (*l*) quo veherentur,
Aggressi hanc voluere jugo subjungere (*m*), quamvis
Insuetam, tamen ut mitem, jamque ante subactam (*n*)
Usibus humanis, quibus illam e congrege cœtu
Sustulerant domini parvam, tectisque, cibisque
Miscuerant : hinc ut domita feritate putantes
Sub juga se facilem docili cervice daturam,
Sollicitant palpante manu, et conantur in arctum (*o*)
Ducere : at illa sibi solitos alludere tactus
Credula consentit primum, sequiturque vocantes.
Verum ubi jam propiata jugo conspexit habenas,
Cervicique suæ persensit lora parari,
Indignata dolis (*p*), et permutata repente
Fit fera, nec cervice jugum, nec vincula collo
Suscipit, et victis manibus, lorisque recussis
Prosilit a cœtu retinentum, et devia longe
Rura petit, fugiens dominos, assuetaque tecta,
Nec procul ex oculis hominum de more ferino
Se rapit, et cæcis fugitivam saltibus abdit;
Nam fugiens dominos abeuntes eminus astans (*q*)
Sic fugit, ut non se patiatur rure relinqui.
Denique ubi junctum (*r*) gemino bove currere (*s*) plaustrum
Conspicit, humanum sapit, et quasi conscia voto

(*a*) In Muratorii codice hic versus claudicabat : deerat enim vox *tanto*, quam supplevi ex nostro codice.

(*b*) In Mur. codice scriptum est *quod et hoc quam grande*. Nostri codicis lectionem sequutus sum.

(*c*) In Mur. codice legitur *Trans Veneventanis*.

(*d*) Mur. codex habet *se strata*; noster *constrata*. — Viæ olim *stratæ* appellabantur, unde nomen Italicum *strada*, eo quod silicibus sternerentur. Hinc Paulin. Nat. XIII :

> Cum tacita inspirans curam mihi mente juberes
> Muniri, sternique viam ad tua tecta ferentem.

Idem sanctus in carm. ad Cyther. de Via Appia :

> Post hæc et ad nos pergere incœptat viam,
> Qua sternit aggerem silex,
> Cui munitor Appius nomen dedit.

Tibullus quoque ad Messal. scribens :

> Namque opibus congesta tuis hic glarea dura D
> Sternitur, hic apta jungitur arte silex.

Propterea Procopius lib. II de Bello Pers., pag. 46, ait: Στράτα ἡ ἐστρωμένη ὁδὸς τῇ Λατίνων καλεῖται φωνῇ. *Strata Latino sermone via vocatur silicibus constrata.* Neque hoc inferiorum seculorum inventum fuit, sed ipsos melioris seculi Latinos vocabulum istud auctores habuit. Virgil. I Æneid. *Strata viarum* ait. Lucretius quoque :

> Strataque jam pedibus populi detrita viarum
> Saxea conspicimus.

Hinc noster Nat. XI :

> Vitabat strata viarum.

Strata, æ, absque alio additamento usurpabatur etiam Paulini ævo, namque in l. VI cod. Theod. de Imag. imper., edita ab Honorio et Theod. AA., ita habetur : *Absit, ut nos instructionem viæ publicæ, et pontium, stratarumque operam inter sordida munera numeremus.* Vide Gothofr. ad eamdem legem ; Du Fresnium in Gloss. Lat., verb. STRATA ; Isidor. l. XV, c. 16; et Juvenc. lib. II. MURATORIUS.

(*e*) Muratorius legit *numquam cæpere*; noster vero *nusquam cepere* : quam lectionem sequor.

(*f*) Mur. codex mendose habebat *igitur*. Sed legendum est *egit*, ut est in nostro codice.

(*g*) In Mur. codice scriptum erat *aera*. At Muratorius recte emendaverat legens *aere*, ut legitur in nostro codice.

(*h*) In nostro codice scriptum est, *Et subita hospitium domini delapsus ab aura*. At sequi malui lectionem codicis Mur.

(*i*) In Mur. codice scriptum est, *hac*; in nostro *huc*. Ego istam lectionem sequor.

(*j*) Mur. cod., *lactentis* : quam lectionem emendavi ex nostro codice.

(*k*) Mur. cod., *ista* : quod mendum sustuli, nostri codicis lectionem secutus.

(*l*) In Mur. codice scriptum erat *plaustrum subjungere*. Muratorius emendavit sic legens : *plaustro subjungere*. Attamen hiulcus adhuc erat verborum concursu. Itaque legendum *plaustro subjunctum*, ut est in nostro codice.

(*m*) Mur. cod., *submittere*. Utraque lectio probabilis.

(*n*) Emendavi ex nostro codice. Mur. cod. habet *tamen ut mitem jam mente subacta*.

(*o*) Mur. cod., *in artum*.

(*p*) Mur. cod., *dolos* : quæ lectio sit melior judicet lector.

(*q*) Mur. cod., *adstans*.

(*r*) Mur. cod., *vinctum*; noster, *junctum*.

(*s*) Mur. cod., *currere*; noster, *tendere*.

Deberi sese, comes (*a*) incipit esse profectis.
Nec longe comes est, tardis comes orbibus ire
Spernit, et excursu velut exultante (*b*) gementes
Prætervecta rotas lenti moliminis agmen
Respicit ante volans, nec jam timet ad juga cogi,
Invisoque prius fit amica, et prævia plaustro,
Donec sacratam ventum Felicis ad aulam est (*c*).
Illic sponte gradum sistit, seseque vocanti
Applicat, et tamquam voti rea gaudet in ipso
Stare loco, propriam cui debet victima cædem.
Illa rebellis, et humanis non subdita vinclis
Ducitur ad placidam nullo luctamine mortem
Intemerata jugis summittens colla securi,
A Pauperibus factura cibos de corpore cæso,
Læta suum fundit dominorum in vota cruorem.
507-508 Quorsum isthæc? numquid pecudum [(*d*) est, ut Apostolus inquit,
Cura Deo? Sed qui propter nos omnia fecit,
Omnia pro nobis operatur in omnibus auctor,
Atque per ignaras (*e*) pecudes operantia nobis
Signa facit, brutas per clara insignia mentes
Sollicitans firmare fidem, et confidere vero,
Ut Dominum dociles linguis in verba solutis
Non taceant homines, quem signis muta lo- [quuntur.

(*a*) In nostro codice scriptum est *comis*. Ego legendum censeo *comes*, ut est in cod. Mur. Nam prima syllaba vocis *comis* est longa.

(*b*) Mur. cod., *insultante*. Utraque lectio probabilis.

(*c*) Vocula *est* deest in cod. Muratorii : quod parum refert.

B (*d*) S. Paulus I ad Corinth. cap. IX : Ἐν γάρ τῷ νόμῳ Μωσέως γέγραπται : οὐ φιμώσας βοῦν ἀλοῶντα. Μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ θεῷ. *Scriptum est in lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo?* MURATORIUS.

(*e*) Emendavi ex nostro codice. Mur. cod. habet *ignotas*.

MURATORII

AD S. PAULINI NATALEM DECIMUM TERTIUM

PRÆFATIO.

509-510 Supra alios Natales procul dubio præclarissimus est decimus tertius, tum propter uberrimam eruditionem, resque gestas Paulini fuse illic explicatas, tum etiam propter eximios viros, piasque feminas, quæ Nolæ constitutæ episcopo canenti aderant, pretiumque solemnitatis augebant. Annus quo Natalis pronunciatus, est vulgaris epochæ 406, uti Chiffletius, parte 2 Paulini illustrati, solidis argumentis ductus probat, ac Prosperi Chronicon testatur. Etenim ibi Radagaisus cum suo exercitu ad internecionem profligatus dicitur *Stilicone u et Antemio consulibus*, anno nempe 405. Igitur sequenti anno pacem Italiæ redditam canit Paulinus, ac in anno propterea 406 figendus Natalis. Nunc videamus quinam sint illustres ii viri ac feminæ, quibus præsentibus elegantissimum carmen recitavit poeta noster. Decem una cum Paulino fuisse, proditur hisce versibus :

Ergo novem cuncti socia cum prole parentes
Pectore concordi simus ut una chelys.
Æmilius veniat decimus. Tunc denique pleno
Concinet in nobis mystica lex numero.

Singillatim itaque eorum nomina recolamus. Primi omnium memorantur

Turcius ore pio, florente Suecrius ævo.

Turcius idem est ac Apronianus V. C., qui postea his versibus commendatur :

Apronianum Turciæ gentis decus
Ætate puerum, sensibus carnis senem.

Suecrius (si tamen pure hoc nomen in codice refertur) aut Asterium Turcii Aproniani supra relati filium exhibet, de quo Paulinus infra :

Ast alind mihi par lumen in Asterio est.

Aut Pinianum V. C., de quo mox. Sequuntur puellæ duæ :

Similesque puellæ,
Alfia, qualis erat soror illa Philemonis olim,
Nobilis in titulo, quam signat Epistola Pauli;
Et simul Eunomia æternis jam pacta virago
In cœlo thalamis.

Unius puellæ nomen elucescit, Eunomiæ nempe, quæ Turcium Apronianum ac Avitam parentes habebat. Alterius vero supplendum, hoc est Melaniæ junioris, cui Albina mater; hæc etenim una propter ætatem teneram matrisque præsentiam puella dici potuit. Hoc autem infra melius exprimitur :

Matribus his duo sunt tribus uno pignora sexu,
Flos geminus, Melani germen, et Eunomia.

Germen Melani pro Melania ponitur, seu quia ex filio senioris Melaniæ prodierat, seu, ut rectius dicamus, poetarum ac præcipue Græcorum more, quibus familiare est pro nomine recto similia usurpare. Sic *βίη Πριάμοιο, vis Priami*, id est *Priamus ; ἴς Τηλεμάχοιο. robur Telemachi*, idest *Telemachus*, apud Homerum ; *fortis equi vis*, hoc est *equus*, apud Lucretium ; et *odora canum vis* pro *canes* apud Virgilium reperiuntur. Quum itaque certum sit, Melaniam hic innui, dubium in Alfiæ nomine exortum est mihi. Siquidem soror

Philemonis non *Alfia*, sed Græce Ἀπφία, et in Vulgata versione Latina *Appia* recte dicitur, unde si sensus hic habendus : *Qualis fuit Alfia soror Philemonis*, corrigendum nomen, ac *Appia* reponendum. Verum in eam potius sententiam traherer, ut Alfia Melaniæ nomen quoque fuerit ; sicque legerem, ut post *Alfia* ponendum comma arbitrarer. Nomen hoc veteribus notum, ut nos non pauca docent marmora, ac ipse textus id præ se ferre videtur; cum enim inferius dicat : *Et simul Eunomia*, oppido nos monet, expressum superius fuisse et alterius puellæ nomen. Hisce succedit Albina ejusdem Melaniæ mater :

> Prima chori Albina est.

Et infra de Melania sermonem habens eam *Albina cum matre* copulat. Inde subsequitur *Hærasia : Compar et Hæresia*, seu, ut diss. 5 dicemus, Therasia illa sit, ac ita corrigendus textus : **511-512** *Cum pare Therasia*. Hæc in seculo Paulini conjux fuit, cum quo dein continentiam amplexa piissimam etiam tum Nolæ vitam ducebat. Avita mulier alia dein memoratur :

> Jungitur huic germana jugo, ut sit tertia princeps,
> Agminis hymnisonis mater Avita choris.

Avita autem Turcii Aproniani conjux erat, et ex eo duos genuerat filios, Asterium nempe, ac Eunomiam supra laudatos. Post hos Pinianus V. C. sequitur Melaniæ junioris maritus :

> Huic propinquat socius æquali jugo
> Ævo minor Pinianus, par fide.

Æquale jugum illi cum Turcio facit ; ambo enim conjugati erant. Si istis Paulinum ipsum adjicias, ac *Æmilium*, decem habebis procul dubio illos quos versu supra laudato innuebat ipse poeta. Quibus positis, elucescit cur ille cecinerit :

> Ergo cohors hæc tota simul, tria nomina matres,
> Quattuor in natis, in patribus duo sunt.

Albina, Avita, ac Therasia matres erant. Licet nullum pignus Therasiam matrem tunc commendaret, ejus ætas tamen, et receptus olim in Hispania filius nomine hoc illam distinguebat. Duæ filiæ matribus erant, Melania Albinæ, Eunomia Avitæ : quod Paulinus melius expressit :

> Matribus his duo sunt tribus uno pignora sexu,
> Flos geminus, Melani germen, et Eunomia.

Subsequuntur duo filii mares, Pinianus videlicet ac Asterius. Hic Turcium naturalem parentem, ille Paulinum spiritualem patrem profitebantur, unde ait idem sanctus :

> Cum patre Paulino pater æque Turcius iste est,
> Sed me ætas, soboles hunc facit esse patrem.

Ergo quatuor nati ac duo patres aperte produntur. De his autem omnibus dissertationes singillatim posuimus, ad quas lectorem remittimus. Ceterum fama sanctitatis piissimæque vitæ quam ducebat Paulinus, Nolam illustres illos Romanos adduxerat, ut ibi, abdicato seculo, sibi ac Deo unanimiter viverent. Nimirum illic monasticam vitam profitebatur Paulinus, pluresque sub ejus regimine melioris tutiorisque instituti rudimenta haurire gestiebant. Hinc animadvertes Pinianum a S. Augustino, et quidem episcopo, fratrem appellatum, quo nomine utique illum S. doctor non compellasset, nisi monachus saltem laicus iste fuisset. Auctor Vitæ S. Melaniæ apud Sur. die 31 Januar. Pinianum ac Melaniam in Siciliam navigasse ait, *partim quidem ut agros qui illic erant venderent, partim autem ut sanctissimum episcopum Paulinum viserent, qui erat eis Pater secundum spiritum*. En ut optime universa congruunt. In eo tamen decipitur auctor iste, quod clarissimam hanc catervam ad Paulinum officii tantum gratia perrexisse [*innuat*]; illud enim iter ab eis susceptum fuit, tum ut instantes Urbi Gothos declinarent, tum ut vitam ibi suam perpetuo Christi servitio manciparent. Certe Paulinus inquit :

> Hos ergo Felix in suo sinu abditos
> Mandante Christo condidit tectis suis,
> Mecumque sumsit sempiternos hospites.

Infra subdit :

> Socios in tecta recepimus, et nunc
> Omnes jure pari Felicis jura tenemus,
> Felicisque patris gremio conjuncta fovemur
> Pignora.

Tantum enim emicuerat in Paulino viro antea nobilissimo ac ditissimo rerum sæcularium repudium, ut unus Paulinus ferme in perfectionis exemplum proponeretur. Vide ep. Augustini 34 ad eumdem Paulinum, et 39 ad Licentium, rursusque 59 ad ipsum Paulinum. Consule Hieronymum itidem in ep. 34 ad Julianum, et Sacchinum in Paulini Vita, part. 2. Quod autem illustris hic cœtus diu Nolæ moratus non fuerit, in causa fuisse videtur ingruentium iterum barbarorum motus, qui servitutem Italiæ minitantes anno postea 310, impetu funestissimo ipsam Urbem ingressi, cædibus atque rapinis implevere, atque adeo Campaniam ipsam vastavere. In hoc insuper Natali cum plura proponantur ad tanti antistitis res gestas illustrandas, omnia pro viribus meis in Diss. 9 et sequentibus expendi.

POEMA XXI.

CARMEN XIII IN S. FELICEM (*a*).

513-514 Candida pax (*b*) grata nobis (*c*) vice temporis annum
Post hiemes actas tranquillo lumine ducit,
Signatamquè diem (*d*) sancti Felicis honore
Securis aperit populis. Gaudere serenis
Mentibus, abstersa diri caligine belli,
Suadet ovans Felix, quia pacis et ipse patronus
Cum patribus Paulo, atque Petro, et cum fratribus almis
Martyribus regem regum exoravit amico
Numine Romani producere tempora regni,
Instantesque Getas (*e*) ipsis jam faucibus Urbis
Pellere, et exitium, seu vincula vertere in ipsos,
Qui minitabantur (*f*) Romanis ultima regnis.
Nunc igitur pulsa formidine, ut (*g*) imbribus actis,
Respicere expulsas nubes, præsentia rerum
Præteritis conferre juvat. Quam tetra per istos,
Qui fluxere, dies, elapso nox erat anno,
Cum furor accensus divinæ motibus iræ
Immisso Latiis arderet in urbibus (*h*) hoste!
Nunc itidem placidi spectata potentia Christi
A Munera (*i*) : mactatis pariter (*j*) cum rege profano
Hostibus, Augusti pueri (*k*) victoria pacem
Reddidit, atque annis tener idem, et (*l*) fortis in armis
Prævaluit virtute Dei, et mortalia fregit
Robora, sacrilegum Christo superante tyrannum.
Sed quid ego hinc modo plura loquar? quod non speciale
Esse mei Felicis opus res publica (*m*) monstrat?
Pluribus (*n*) hæc etenim (*o*) causa est curata patronis,
Ut Romana salus et publica vita maneret.
Hic Petrus, hic Paulus proceres, hic martyres omnes,
B Quos simul innumeros (*p*) magnæ tenet ambitus Urbis,
Quosque per innumeras diffuso limite (*q*) gentes
Intra Romuleos veneratur Eclesia fines,
Sollicitas simul impenso duxere precatu
Excubias. Felix meus hic (*r*), velut unus eorum,
In precibus pars magna fuit; sed summa petiti
Muneris ad cunctos, nulli privata refertur.
515-516 Ergo pedem referam ; sat enim mihi pauca locuto (*s*),

(*a*) In nostro codice carminis titulus hic est : *Incipit liber XIII.*

(*b*) Anno præterito, hoc est an. Ch. 405, *Stilicone* II *et Antemio coss.*, ut Prosper in Chronico asserit, est ingens de Gothis relata victoria, ac idcirco anno præsenti 406 pacem Italiæ redditam canit Paulinus. Addidi illud *lætum*, ut carmen in ms. laborans supplerem. MURATORIUS.

(*c*) Emendavi ex nostro codice. In Mur. codice versus claudicabat : ita enim in eo scriptum erat, *Candida pax grata vice temporis annum*. Muratorius de suo addiderat vocem *lætum* post vocem *pax*.

(*d*) Emendavi hunc locum ex nostro codice. Nam in Mur. codice mendose scriptum erat *signatumque pio*.

(*e*) Paul. Orosius lib. VII, cap. 37 Hist., eadem de Rhadagaiso Gothorum rege habet : *Hoc igitur*, ait, *Romanis arcibus imminente, fit omnium paganorum in Urbem concursus*. Et infra : *Hic jam receptus sinu Italiæ Romam e proximo trementem terrore quassabat.* S. August. de Civ. Dei lib. V, cap. 23, hanc Gothorum irruptionem tangit : *Cum Rhadagaisus*, inquit, *rex Gothorum agmine ingenti et immani jam in Urbis vicinia constitutus, Romanis cervicibus immineret.* MURATORIUS.

(*f*) Paulino adstipulatur Orosius supra laudatus : *Qui* (Rhadagaisus), *ut mos est barbaris gentibus, omnem Romani generis sanguinem diis suis propinare devoverat.* MURATORIUS.

(*g*) In Mur. cod. scriptum erat *et*. Emendavi ex nostro codice, qui habet *ut*.

(*h*) Noster codex pro *in urbibus* mendose habet *militibus*. Itaque secutus sum lectionem cod. Mur.

(*i*) In Mur. codice scriptum est *munere*. Lectionem nostri codicis secutus sum utpote minus obscuram.

(*j*) Iterum audiamus Orosium, Rhadagaisi cædem his verbis testantem : *Igitur rex Rhadagaisus solus spem fugæ sumens clam suos deseruit, atque in nostros incidit, a quibus captus, et paulisper retentus, deinde interfectus est.* Augustinus quoque loco citato barbarum hunc interemptum affirmat. MURATORIUS.

(*k*) Natus erat Honorius Augustus coss. *Richomere et Clearcho*, videlicet an. Ch. 384, ut Marcellinus in Chron., Idacius, Socrates lib. V, cap. 12, asserunt, quamquam Claudianus in IV consul. ejusdem Honorii obstare videatur. Igitur anno 405 vigesimum primum ætatis suæ annum complevit, ac vigesimum et alterum iniit. Nihilo secius *puer* Paulino dicitur, poetica certe libertate. Vide quæ infra adnotavi ad
C vers. 158. MURATORIUS.

(*l*) In nostro codice deest vocula *et*, quam supplevi ex codice Mur.

(*m*) Muratorius legit unam vocem *respublica*. Noster vero codex habet duas : *res publica*, et ita legendum censeo.

(*n*) Hunc versum et alios qui sequuntur usque ad 36 citat Dungalus.

(*o*) Prodigiose Gothos ad internecionem cæsos, aut in vincula redactos fatentur quicumque hanc fidelium Romanorum tetigere victoriam. S. Aug. serm. 29 in Luc. : *Deus ostendens, quia non in istis sacrificiis est ipsa temporalis salus, ipsa regna terrena mutat. Victus est Rhadagaisus, adjuvante Domino, miro modo.* Et Oros. loco laudato : *Conterritum divinitus Rhadagaisum in Fæsulanos montes cogit.* MURATORIUS.

(*p*) Dodvellus inter protestantes vir erudit. *de Paucitate martyrum* dissertationem emisit; sed quantum ille a vero aberraverit hic unus Paulinus docet, cum innumeros in Urbe una martyres extitisse affirmet.
D Huic omnino consentit Prudent. in hymno 11 ad Valerian. de Hippolyto :

Innumeros cineres sanctorum Romula in Urbe
Vidimus, o Christo Valeriane sacer.

Idem in hymno S. Laurentii :

Vix fama nota est
Quam plena sanctis Roma sit,
Quam dives Urbanum solum
Sacris sepulcris floreat.

Idem etiam tradidit S. Leo Magnus
MURATORIUS.

(*q*) In nostro cod. et apud Dungalum scriptum est *limite*; in cod. Mur. *lumine*. Prior lectio mihi probatur.

(*r*) Mur. cod. et Dungalus, *his*. Noster vero codex habet *hic*. Neutra lectio videtur improbanda.

(*s*) Emendavi ex nostro codice. Mur. codex habet *locutum*.

A Unde nihil proprium meritis Felicis adesset :
Nec reticere tamen potui, quia portio laudis
Hinc (*a*) quoque Felici suberat, quod summa potestas,
Rexque potens regum Christus Deus omnibus una
Annuerat sanctis, quibus in grege supplice mixtum
Felicem parili audivit pietate benignus.
Parcam igitur propriis adjungere publica donis
Munera, privatosque canam Felicis honores,
Quæque suis proprie egerit (*b*) hic in sedibus, edam.
Unde igitur faciam texendi carminis orsum?
Quæ bona Felicis referam? quæ multa per omnes
B Passim agit, expediam magis, anne domestica dicam
Munera, quorum ego sum specialis debitor illi?
Hæc potius repetam, mihi quæ collata, meisque
Sat memini, et quia præteritis magis illa libellis
Dicta mihi; quæ partim aliis, permixtaque nobis
Præstitit, ex his nunc opibus, quas largiter in nos
Contulit, hunc animo texam gratante libellum,
Et contra solitum (*c*) vario modulamine morem,
Sicut et ipse mihi varias parit omnibus annis
Materias, mutabo modos, serieque sub una,
Non una sub lege dati pede carminis ibo.
Nam quia fecundo sancti Felicis in agro
Emersere novi flores, duo germina Christi,
Turcius (*d*) ore pio, florente Suerius (*e*) ævo,
Et pariter sanctæ matres, similesque puellæ,
Alfia (*f*) qualis erat soror illa Philemonis olim
Nobilis, in titulo quam signat Epistola Pauli,
Et simul Eunomia (*g*) æternis jam pacta virago
In cœlo thalamis, quam matris ab ubere (*h*) raptam
Festino placitam sibi Christus amore dicavit,
Unguentoque sui perfudit nominis, unde
Tincta comam (*i*), et meritis sanctis caput uncta pudicum
Spirat eo sacros sponsi cælestis odores.

(*a*) Emendavi ex nostro codice. Mur. habet *hoc* pro *hinc*.

(*b*) Noster codex mendose habet *gerit*. Itaque lectionem cod. Mur. secutus sum.

(*c*) Reliquos Natales heroico versu prosequutus est Paulinus; hunc vario metro absolvit. Hanc illi mentem obvenisse crediderim, ut Piniani nomen poemate complecteretur; non enim illud hexametris salva metri ratione includi poterat. Ita Rutil. Numatianus in Itiner. cum Volusiani nomen illæsis prosodiæ legibus carmini commendare non posset, satis habuit desiderium suum testari. Ait ille :

> Optarem verum complecti carmine nomen,
> Sed quosdam refugit regula dura pedes.

Est hic ille Rufus Volusianus Albinæ inferius memorandæ avunculus, de quo consule diss. meam IV. MURATORIUS.

(*d*) In nostro codice scriptum est *Turtius :* sed mendose. — Vide diss. I. MURATORIUS.

(*e*) In Murator. cod. scriptum est *Suecrius :* in nostro *Suerius*. — Adeat lector diss. II. MURATORIUS.

(*f*) Et Mur. codex, et noster habet *Alfia*. Censet autem Muratorius in præfatione ad hoc Paulini carmen, Melaniæ juniori *Alfiæ* quoque nomen fuisse, eamque hoc in loco designari : adeo ut post vocem *Alfia* incisi nota, seu κόμμα adscribendum sit, ac *Philemonis soror* cum ipsa Alfia, seu Melania comparetur. *Quum enim* (inquit ipse) *inferius dicat Paulinus*, et simul Eunomia, *oppido nos monet expressum superius fuisse et alterius puellæ nomen*. A tanto viro ægre equidem dissentio : attamen si licet mihi, quod sentio, libere dicere, vix adduci possum ut credam Melaniam juniorem *Alfiæ* quoque nomine vocatam esse. De hac enim sanctissima femina sæpe meminerunt Augustinus, Hieronymus, Paulinus hic noster in epistolis, Palladius, aliique veteres scriptores : nec quisquam tamen eam usquam *Alfiam* vocat. Quare verisimile mihi videtur nomen istud *Alfia* et in Ambrosiano codice, quo usus est Muratorius, et in nostro corrupte depravateque scribi, ac legendum esse, *Apphia qualis erat soror illa Philemonis*, etc., adeo ut *Apphiæ* nomine Philemonis soror indicetur, quæ in Vulgata Novi Testamenti translatione *Appia* dicitur. Pauli enim apostoli locus, quem Paulinus respicit, in Græco exemplari sic se habet : Παῦλος δέσμιος Χριστοῦ Ἰησοῦ, καὶ Τιμόθεος ὁ ἀδελφὸς Φιλήμονι τῷ ἀγαπητῷ, καὶ συνεργῷ ἡμῶν, καὶ Ἀπφίᾳ τῇ ἀγαπητῇ: id est, *Paulus vinctus Christi Jesu, et Timotheus frater Philemoni dilecto et adjutori nostro, et Apphiæ dilectæ :* in Vulgata autem translatione additur vox *sorori :* quod additamentum Paulinum quoque in ea legisse apparet. Jam vero cum Philemonis soror *Apphia* vocetur a Paulo, conjicere licet Paulinum quidem scripsisse *Apphia qualis erat*, etc., librarios
C vero pro *Apphia* exscripsisse *Alfia*. Quod si quis malit, a Paulino scriptum esse *Appia*, ut legitur id nomen in Vulgata translatione, non repugnabo. At enim, inquies, Paulinus postquam dixerat, *similesque puellæ Appia, qualis erat*, etc., paulo post subjungit, *Et simul Eunomia*, etc. Dubitandum igitur non est quin alterius puellæ nomen, præter Eunomiæ, superius expressum ab eo fuerit, quæ una cum Turcio, Suerio et Eunomia Nolæ esset. At respondere possem, Paulinum proxime ante ea verba, *similesque puellæ*, etc., hæc alia scripsisse :

> Fecundo sancti Felicis in agro
> Emersere novi flores, duo germina Christi,
> Turcius ore pio, florente Suerius ævo.

Itaque recte eum postea subjunxisse :

> Et simul Eunomia.

Verum, ut nihil dissimulem, equidem arbitror inter versum 65 et 66, aut inter 63 ac 64, aliquos versus desiderari cum in Muratorii codice, tum in nostro :
D si enim locum hunc a versu 60 ad 71 attente legeris, sententiam mutilam omnino atque imperfectam esse comperies.

(*g*) Plura de hac S. virgine retuli in diss. III. MURATORIUS.

(*h*) Hunc pium Christianorum usum illustratum infra reperies in not. ad vers. 315. Nunc sufficiat Prudentius in hymno S. Laurentii :

> Videmus illustres domos
> Sexu ex utroque nobiles
> Offerre votis pignora,
> Clarissimorum liberum.

MURATORIUS.

(*i*) Hic locus quam maxime corruptus erat : nam in Murat. codice scriptum est *Tincta comas animæ, et mentis caput uncta pudicum Debere quemquam plaudere, et confidere*. Itaque in eo desiderabantur tres et quinquaginta versus, quos primus in lucem edo.

Hæc Melani (*a*) soror est (*b*) simul, et quasi filia (*c*), cujus A
Hæret ovans lateri germanum nacta magistrum.
Quæ simul astrictæ divinis dotibus ambæ
Virtutum varias ut viva monilia gemmas
Mentibus excultis specioso pectore gestant.
Has procerum (*d*) numerosa cohors, et concolor uno
Vellere virgineæ sequitur sacra turba catervæ.
Eunomiam hinc Melani doctam sub principe voce
Formantem modulis psalmorum vasa (*e*) modestis
Auscultat gaudens dilecto Christus in agno,
Quod modulante Deo benedictas parvula princeps (*f*) B
Sanctorum comites casto regat ore choreas.
Hæc igitur mihi (*g*) meditanti congrua suasit
Gratia multimodis inluso carmine metris
Distinctum variis imitari floribus hortum :
Sicut Felicis gremium florere repletum
Lumine diverso quasi rus admiror opimum
Hospitibus multis in eum Christo duce missis,
Felicique patri denso simul agmine natis
Pignoribus, subito ut totis habitacula cellis
Per fines crevisse suos, et sobria castos
Tecta sonare modos tandem sibi vocibus aptis
Gaudeat, hospitiisque suis et corpore, et ore
Ipse sinu pleno dignos miretur alumnos,
Et virtute pares animas in dispare sexu :
Sicut olivarum fecundo in colle novella (*h*)
Lætatur senior (*i*) divino a semine Christi
Plantator cernens inter sua rura colonos.
Floreat ergo novo mihi carminis area prato,
Laudibus et Domini, qui conditor oris, et artis
Omnimode est, vario famulans pede musica currat.
Jamque intertextis elegus succedat iambis,
Sit caput herous, fundamentumque libello.
Castis (*j*) agendus gaudiis, et hostiis (*k*)
Dies refulsit laude Felicis sacer.
Quod laude dixi, morte dictum dicite,
Quia mors piorum jure laus vocabitur,
Pretiosa Domino quæ Deo rependitur.
Unde et propheta dicit in verbo Dei,
Vitæ probatæ (*l*) in exitu laudem dari.
Et ante mortem prædicandum neminem
Salomonis ore (*m*) sermo divinus docet,
Laudanda quamvis quidam in hac vita gerant
Nec possit alibi, quam sub isto seculo

(*a*) Binæ memorantur a vetustis scriptoribus feminæ eodem Melaniæ nomine appellatæ : altera senior dicitur, junior altera. Senior quidem ab Augustino in epistola ad Paulinum nostrum, a Paulino ipso in epistola 29 ad Severum, atque, ut alios prætercam, a Palladio in Lausiaca historia magnis laudibus extollitur. C Filius celebri huic matronæ fuit, quem Publicolam Chiffletius nominat : qua de re miratus Muratorius, *nescio*, inquit (tom. I Anecd. Lat., pag. 146), *quarum tabularum auctoritate fretus Chiffletius Publicolam eum appellet*. At ex Lausiaca Palladii Historia nomen hocce deprompsisse videtur pereruditus ille vir : ubi enim de seniore hac Melania Palladius sermonem habet, hæc scribit (cap. 117) : Καὶ τὸν Ποπλίκολα δὲ υἱὸν κατηχήσασα τὸν νεώτερον, ἤγαγεν ἐπὶ τὴν Σικελίαν, id est, *cum vero Poplicolam juniorem filium Christianæ fidei mysteriis imbuisset, in Siciliam eum duxit*. Melaniæ ergo filius Poplicola, seu Publicola nobilissimam juvenem Albinam uxorem duxit, filiamque ex ea suscepit Melaniam juniorem, de qua hoc in loco loquitur Paulinus. Illud itaque probare non possum, quod monachi S. Mauri in adnotationibus ad 124 S. Augustini epistolam scripserunt, *Albinam* scilicet *Melaniæ senioris filiam* fuisse. Nam Palladius cap. 118 de Melania seniore loquens D hæc scribit : Στηρίξασα δὲ καὶ τὴν ἰδίαν ἐκγόνην Μελανίαν τὴν νεωτέραν σὺν τῷ αὐτῆς ἀνδρὶ Πινιάνῳ· κατήχησεν δὲ καὶ Ἀλβίναν τὴν ἑαυτῆς νύμφην, γυναῖκα δὲ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς, hoc est : *Quum autem suam quoque neptem juniorem Melaniam una cum ejus viro Piniano confirmasset, Albinam etiam nurum suam, filii vero sui uxorem* fidei *mysteriis imbuit*. Sed ut ad Melaniam juniorem revertar, ea inter sanctas mulieres numeratur in Martyrologio Romano. A vetustis autem scriptoribus modo Melania dicitur, modo Melanium, et Græce Μελάνιον : ut *Glycerium*, *Dorcium*, *Philotium*, *Eustochium*, quarum feminarum nomina apud Terentium, aliosque scriptores occurrunt. At nomen *Melanius*, quod in adnotationibus ad 44 Paulini epistolam memorat Rosveydus, commentitium videtur. Ex nomine *Melanium* genitivum *Melani* efformat hoc in loco Paulinus veteres poetas imitatus, apud quos legimus *benefici* pro *beneficii*, *ingeni* pro *ingenii*, etc.

(*b*) Melaniæ junioris soror germana non fuit profecto Eunomia : Eunomiæ enim parentes fuerunt Turcius Apronianus, et Avita : Melaniæ vero Publicola Melaniæ senioris filius, et Albina. Itaque Eunomiam Melaniæ sororem a Paulino dici opinor, quod ejus esset consobrina. Eunomiæ enim mater Avita Melaniæ senioris soror fuit, ut testatur Palladius cap. 118; Melania vero senior Melaniæ junioris avia.

(*c*) Quia scilicet Eunomia Melaniæ quasi parenti dicto audiens erat.

(*d*) *Proceres* vocat Paulinus Pinianum, *Æmilium*, aliosque qui Nolæ una cum Paulino ipso sanctissimam vitam vivebant.

(*e*) Præ oculis habuisse videtur Paulinus illud psalmi LXX : *Nam et ego confitebor tibi, in vasis psalmi veritatem tuam.*

(*f*) Quum hoc carmen scripsit Paulinus, Melania annos circiter quatuor et viginti nata erat. Orta est enim anno circiter 382, ut probat Tillemontius : istud autem carmen recitavit Paulinus anno 406, ut ostendit Muratorius.

(*g*) Hic versus emendatione indiget : nam claudicat.

(*h*) Locutio ex psalmo CXXVII desumpta, in quo legitur : *Filii tui sicut novellæ olivarum.*

(*i*) *Seniorem* appellat S. Felicem, quem carm. 11 *presbyterum* vocaverat ; πρεσβύτερος enim Latine *senior* dicitur.

(*j*) Ante hunc versum in nostro codice legitur. *Incipit liber XIIII*, quasi hic aliud carmen incipiat : quod tamen falsum esse constat ex superioribus versibus 103 et 104.

(*k*) Hostiis laudis scilicet, vel potius sacrificiis eucharisticis.

(*l*) Respicere videtur Paulinus illud Tobiæ (cap. III, vers. 1) : *Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, si in probatione fuerit, coronabitur.*

(*m*) Respicit Paulinus illud Ecclesiastici (cap. XI, vers. 30) : *Ante mortem ne laudes hominem quemquam*. Librum enim qui *Ecclesiasticus* inscribitur Salomoni tribuerunt plures Ecclesiæ Patres, quamvis a Jesu Sirachi filio scriptus videatur.

Laus præparari, quæ canenda in exitu est. A
Sed credo, quoniam tota res vitæ istius
Fluitans et anceps lubrico pendet statu,
Brevique nostram vertit ætatem rota,
Surgensque, cadensque per salebrosas vias,
Quibus hujus ævi cursus explicandus est :
Iccirco nos magistra providentia
Monet, ante finem nec sibi, nec alteri (*a*)
Debere quemquam plaudere, et confidere,
Quamvis honesta rectus incedat via,
Tamen timere semper offensam pedis,
Donec peractis usque metam cursibus
Palmam petitæ comprehendat gloriæ.
Quare beatos martyras (*b*), quos extulit
Perfecta virtus in coronam cælitem
Justis honoris debiti præconiis B
517-518 Celebramus omnes nos eorum [posteri
Confessione Christiani nominis,
Quibus profuso sanguine ob sanctam fidem
Proseminarunt frugis æternæ bonum,
Ut si ambulemus martyrum vestigiis,
Paribus (*c*) parentum perfruamur præmiis.
Hinc ergo sanctis, sive confessoribus,
Seu (*d*) consecratis passione testibus (*e*)
Dies sacratos (*f*), in quibus functi diem
Mortalis ævi morte vitali suum
De labe mundi transierunt ad Deum,
Populi fideles gaudiis solemnibus
Honore Christi gratulantes excolunt.
Ut iste sancti pace Felicis dies,
Quo clausit olim corporis vitam senex
Confessionis ante functus prælia,
Sed incruento consecratus exitu
Post bella victor pacis assumptus die
Vocante Christo liquit exultans humum,
Et in supernas transitum fecit domos,
Non defraudatus a corona martyris (*g*),
Quia passionis mente votum gesserat.
Nam sæpe agonem miles intravit potens,
Victoque semper hoste confessor redit (*h*) :
Sed præparata mente contentus Deus
Servavit illum, non coronam martyris
Negans, sed addens et coronam antistitis (*i*)
Ut incruento palmam adeptus prælio
Et præliati possideret præmium
Confessionis purpurante laurea,
Vittaque pacis in sacerdotis stola
Redimitus idem bis coronatus foret
Confessor, atque presbyter Felix Dei.
Hic ergo, votis (*j*) quem recolimus annuis (*k*),
Non est agonis, sed sepulturæ dies,
Quo separata ab invicem substantia
Animæ (*l*) volavit ad Deum, in terram caro
Reversa tumulo conquievit abdita.
Et merito sanctis iste natalis dies (*m*)

(*a*) Hic desinunt tres et quinquaginta versus, quos ex nostro codice supplevi.

(*b*) Murat. codex habet *martyres* : noster *martyras*. C

(*c*) Nostri codicis lectionem secutus sum : nam in Muratorii codice scriptum est *partis*.

(*d*) Mur. codex habet *sive*. At legendum est *seu*, ut est in nostro codice : hanc enim lectionem exposcit metri ratio.

(*e*) Μαρτύρ Græce, Latine *testis* dicitur. Frequentius tamen usurpata vox Græca. August. lib. XXII contra Faust., cap. 76, hujus nominis significationem expressit : *Per quorum*, ait, *confessiones*, *passiones*, *et mortes hoc Deo placuit attestari*, *martyres appellantur*, *qui Latine testes dicuntur*. Isidor. lib. VII, cap. 11 : *Martyres*, *seu testes ideo vocati sunt*, *quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt*. MURATORIUS.

(*f*) Quam apertis hic verbis doceat, laudet, ac suadeat Paulinus festos dies in sanctorum honorem institutos, etiam lippis patet. Id alibi tetigit, hic plenis testatur encomiis. Totius vero Ecclesiæ catholicæ calculo quam hic pius olim probaretur usus, impudenter tamen Lutherus in libello de Form. miss. : *Omnium*, ait, *sanctorum festa prorsus abroganda putamus*. Et in lib. de Cærem. eccl. servand. : *Festa sanctorum in universum aboleantur*. Cui non pauci heterodoxi dant manum. Nos catholici cum Paulino, reliquisque sanctis Patribus sentientes, sacra celebrabimus sanctorum festa ; illi vero duce Luthero contenti novam credulis venditabunt sententiam. MURATORIUS. D

(*g*) Alibi innuimus S. Felicem martyrio vitam non consummasse ; ac propterea vocatur iste in Nat. XI, *Elogio martyr*, et alibi *sine sanguine martyr*. In Natali vero VI hæc ipsa canit de Felice in cœlum assumto.

Tum nivea sacrum caput ornavere corona,
Sed tamen et roseam Pater addidit, judice Christo,
Purpureoque habitu niveos duplicavit amictus,
Quod meritis utrumque decus. Nam lucida sumsit
Serta quasi placido translatus in æthera letho,
Sed meruit pariter quasi cæsi martyris ostrum,
Qui confessor obit.

MURATORIUS.

(*h*) Murator. codex habet *rediit* ; noster vero *redit*.

(*i*) Jure hanc in cœlis adeptus coronam Felix, quia oblatam respuerat in terris. Exposcebat illum populus post S. Maximi obitum in antistitem ; at ille (sunt Paulini verba Nat. V) :

Velut indignus, non audet honore
Crescere, testaturque seni mage debita Quinto.
Ergo sub hoc etiam Felix antistite vixit
Presbyter, et crevit meritis, qui crescere sede
Noluit.

MURATORIUS.

(*j*) S. Felici sacer dies postrid. id. Jan. celebratur, quemadmodum etiam ævo Paulini factum. Wandelbert. testis accedit :

Quam nonam et decimam constat Februi ante kalendas
Esse diem, Felix sacer, et confessor honorat.

MURATORIUS.

(*k*) Emendavi ex nostro codice : nam Murat. codex habet *annus*.

(*l*) Mur. codex habet *anima* : at legendum est *animæ*, ut est in nostro codice.

(*m*) Apud antiquos familiare fuit diem sanctorum emortualem *Natalis* nomine exprimere, quia tum cœlo revera nascebantur. Noster vates Nat. III,

Venit festa dies cœlo, celeberrima terris,
Natalem Felicis agens, qua corpore terris
Occidit, et Christo superis est natus in astris.

S. August. serm. 10 de sanctis, seu quisquam alius est illius auctor, eamdem profert rationem : *Digne natalem istorum colimus*, *quos beatius æternæ vitæ mundus edidit*, *quam mundo maternorum viscerum partus edidit*. Euseb. Gallicanus, seu Cæsarius, hom. 50 de S. Genesio : *Beatorum martyrum passiones natales vocamus dies*, *quando eos martyrii vita*, *et gloriæ*

Notatur, in quo lege functi carnea
Mortalitatis exuuntur vinculis,
519-520 Et in superna regna nascuntur [Deo,
Secumque lætam spem resurgendi ferunt.
Ego semper istum sic honoravi diem,
Magis hunc putarem ut esse natalem mihi,
Quam quo fuissem natus in cassum die.
Lugendus (*a*) etenim est ille dignius (*b*) mihi
Dies, in istud (*c*) quo creatus seculum
Peccator utero peccatricis excidi
Conceptus atris ex iniquitatibus,
Ut jam nocentem pareret me mater mea.
Maledictus ergo (*d*) sit dies quo sum miser
Ad iniquitates ex iniquis editus.
Benedictus iste sit, Natalis et mihi,
Quo mihi patronus natus in cælestibus
Felix ad illam exortus est potentiam,
Qua me valeret fæce purgatum mea
Laxare (*e*) vinclis, et redemptum absolvere
De luctuosa morte natalis mei.
Eadem (*f*) recurrit sen per hæc cunctis dies
Acto per orbem circulis anno suis :
Verum quotannis innovante gratia
Diversitatem munerum, quæ dat suo

A Christus sodali, donet ut Felix mihi,
Mutatur, et non ipsa quæ cunctis venit,
Varias meorum carminum causas ferens.
Videamus ergo, quid mihi hoc anno novum
Attulerit, unde vocibus vernem novis.
Non ibo longe, nec procul sumam mihi
Præterita tempore, aut locis absentia.
Adsunt, tenentur ipsa dona cominus :
Videtis omnes munera hoc anno data (*g*)
Nobis in uno juncta Felicis sinu
Mancipia Christi, nobiles terræ prius,
Nunc vero cælo destinatos incolas,
Quos Christus ipse, qui crearat (*h*) divites,
Hoc pauperavit (*i*) seculo, in regnum ut suum
Terreni honoris arce dejectos vehat.
B Apronianum (*j*) Turciæ gentis decus,
Ætate puerum (*k*) sensibus carnis senem,
Veteri togarum nobilem prosapia,
Sed clariorem Christiano nomine,
Qui (*l*) mixta veteris, et novi ortus gloria
521-522 Vetus est senator curiæ, Chri-[sti (*m*) novus,
Huic propinquat socius æquali jugo.
Ævo minor est (*n*) Pinianus (*o*), par fide,
Et ipse prisco sanguine illustris puer,

fides, dum ingerit morti, genuit æternitati. His adde Petrum Chrysol. serm. 129, Belet. de div. Off. cap. 4, Amalar. lib. IV, cap. 35, de Eccl. Offic., Raban. lib. II de Instit. cler., cap. 43, Honor. Augustodun. lib. III, cap. 17, Albin. comment. in Johan. Evang. lib. VI, cap. 38, aliosque non paucos. De his consule dissert. XIX, infra. MURATORIUS.

C

(*a*) Mur. codex mendose habet *legendus :* itaque emendavi ex nostro codice.

(*b*) Murat. codex habet *dignus :* itaque versus apud eum claudicat. Legendum est ergo *dignius*, quo modo legitur in nostro codice.

(*c*) Et Mur. codex, et noster habet *istum*.

(*d*) S. Jobum imitatur diei qua natus erat maledicentem. Præter Origenem (seu alius ille sit auctor) lib. III in Job audiendus S. Gregorius lib. IV Moral., cap. 7, Jobi verba explicans, atque ita concludens : *Quid est ergo diei nativitatis maledicere, nisi aperte dicere: Dies mutabilitatis pereat, et dies æternitatis erumpat?* Juvat etiam adducere verba Philippi in hunc locum. Philippus iste Gennadio memoratus, ac S. Hieronymi discipulus commentarium in Job edidit, quem nobis infesta ætas eripuit. Quædam illius fragmenta ex vetustissimo bibliothecæ Ambrosianæ codice Saxonicis characteribus exarato in reliquis Anecdotorum libris producam, quorum unum in præsentia omittere nolo : *Quidam*, ait, *dicunt tempora nativitatis humanæ, quia præterierunt, non posse maledici. Certe ex superfluo maledicuntur, quia suis jam sunt peracta transcursibus. Sancti autem inflati spiritu propheticæ maledicunt diem nativitatis humanæ, quod quidem non sine tribulatione sua faciunt; sentiunt quippe in se compatiendo generi humano justitia Dei sententiam mortis inlatam*, etc. MURATORIUS.

D

(*e*) Noster codex habet *laxatum :* quæ lectio est mendosa : itaque emendavi ex codice Muratorii.

(*f*) Duo isti versus, nempe 190 et 191, in Mur. codice inverso ordine leguntur in hunc modum : *Acto per orbem circulis anno suis Eadem recurrit semper hæc cunctis dies*.

(*g*) Igitur anno 406 Nolam concesserat sancta hæc Romanorum cohors. MURATORIUS.

(*h*) Mur. Cod. habet *creavit :* noster vero *crearat :* quæ lectio mihi magis placet.

(*i*) Pauperare est inopem facere. Vox melioribus etiam nota Latinis. Horat. II serm., sat. 5

Et piet quivis oculos mihi citius, quam te
Contemtum cassa nuce pauperet.

Plaut. in Pseud. 20 :

Nam boni viri
Me pauperant, improbi alunt.

Eamdem vocem in Mil. Glor. repetit. Chromat. Aquileiens. episcop. hom. 2 : *Qui se causa religionis ad fidei seculo pauperarunt.* MURATORIUS.

(*j*) Noster codex mendose habet *Appronianum*. — De illo in diss. I. MURATORIUS.

(*k*) Summa dignum est animadversione, quod hic Turcius *puer* nuncupetur; infra enim ait Pinianum Turcio ætate minorem fuisse. At Pinianus circa an. Ch. 406 trigesimum, et quod excurrit, vitæ suæ annum agebat. Quum enim auctor vitæ S. Melaniæ apud Surium die 31 Jan. Pinianum asserat una cum Melania Deo continentiam vovisse, dum illi ætatis annus 24 excurreret, atque id an. Dom. 399 contigerit, uti ostendi in Diss. VI, manifesto colligitur, Pinianum an. 406, trigesimo saltem in anno ætatis constitutum. Quare quum Turcius etiam *puer* vocetur, quia tamen Pinianum ætate præcellebat, *pueri* vocabulum a Paulino amplificari admodum videtur. Hic ipse Pinianum infra, Julianum in ejus epithal., et Honorium imperatorem, dum annus ætatis vigesimus secundus illi foret, eodem *pueri* cognomine afficit. Id quidem nescio, an usum obtinuerit apud Græcos Latinosve auctores; sed in sacris Bibliis quandoque *pueri* appellantur ii qui virilitatem jam attigere. Crediderim, forsan hanc vocem a Paulino de iis usurpari, qui nuper baptismum suscepissent; ait enim in ep. 36 ad Macarium de sene quodam recenter baptizato : *Jam in extrema ætatis senecta puer, et malitia parvulus, non solum gratiæ, sed et mentis infantiam gerit.* MURATORIUS.

(*l*) Noster codex habet *quo*. At Murat. cod. lectionem sequi malui.

(*m*) Mur. codex habet *Christo ;* noster *Christi*.

(*n*) Vocula *est* deerat in Mur. codice : itaque versus claudicabat. Eam addidi ex nostro codice.

(*o*) In nostro codice mendose scriptum est *Pinnia-*

In principe Urbe (*a*) consulis primigenus (*b*). A
Valerius ille (*c*) consulari stemmate
Primus Latinis nomen in fastis tenens,
Quem Roma pulsis regibus Bruto addidit,
Valeri modo hujus Christiani consulis
Longe retrorsum generis auctor ultimus.
O vena felix ! Ille gentili licet
Errore (*d*) functus hoc suæ stirpis bonum
Non capiat atro mersus inferni lacu;
Sed nos fideli contuentes lumine
Retroacta, vel præsentia humani status
Miramur opera conditoris ardui,
Et præparatos a vetustis seculis
Successionum mysticarum lineis
Pios (*e*) stupemus impiorum filios.
Tamen in tenebris impiarum mentium B
Lucis videmus emicasse semina
In tempore ipso noctis antiquæ sitis,
Quibus probata (*f*) quamlibet gentilibus
Mens, et voluntas lege naturæ fuit.
Hinc in quibusdam nunc eorum posteris
Veterum subinde vena respondet patrum ;
Ut ille quondam Piniani nunc mei
Auctor supremus in libertatem suis
Post regna dura (*g*) vindicandis civibus
Lectus (*h*) nepotis hujus ortum prætulit,
Qui mente avita persequens superbiam
Potiore causa servitutem depulit
A semetipso corporis victor sui,
Pulsoque regno diaboli e membris suis
Jam spiritali pace peccati jugum
Fidelis animæ casta libertas terit,
Et in hoc parentis aliquid illius refert
Puer iste Christi consulatum militans,
523-524 Quod liberandis consulens munus [pium
Redemptionis opere (*i*) dispensat Deo
Prisci parentis æmulator hactenus,
Quod servitute liberat domesticos,
Ut ille cives. Sed quod ille gesserat
In Urbe et una (*j*), et parvula (*k*) primis adhuc
Romæ sub annis, hic modo in multis agit
Diverso in orbe constitutis urbibus,
Passim benignus et suis, et exteris.
Nam liberorum (*l*) plurimis cervicibus
Servile sanctis opibus expellit jugum,
Quos ære vinctos in tenebris carceris
Absolvit auro de catena fœneris.
Hos ergo Felix in suo sinu abditos
Mandante Christo condidit tectis suis,
Mecumque sumpsit sempiternos hospites.
His nunc utrimque lætus adjutoribus
Trium sub una voce votum dedico,
Uno loquente spiritu in affectu trium (*m*).
Magnificate Deum mecum, et sapientes honestis
Unanimes pueri psallite carminibus.
Ut decachorda sonent pulsis psalteria nervis,
Et paribus coeant dissona fila modis.
Sic pia compagis nostræ testudo resultet,
Tamquam uno triplex lingua sonet labio.

nus. — De hoc illustri viro infra consule diss. vi. Muratorius.

(*a*) Cur consulem *in Urbe principe*, nimirum in Urbe Roma, vocat ? An alibi tum temporis consules, ut ad eorum distinctionem Urbis nomen fuerit apponendum ? Ita sane. Ad exemplum Urbis in civitatibus imperii præclarissimis consules vocabantur supremi magistratus. Burdigalæ constitutos consules nos docuit Ausonius de Clar. Urb. in fine :

Diligo Burdigalam, Romam colo, civis in hac sum,
Consul in ambabus. Cunæ hic, ibi sella curulis.

Exhibet Gruterus septem inscriptiones pag. 429 et seq. L. Licinio cuidam positas, qui ter consul Barcinone fuerat. Memoratur itidem apud illum pag. 351, num. 5, alius *in colonia Astigitana* consul vi *Allius Mamercus*. Sic Sidonius Apollin. consul appellatus fuit, quum revera in patria sua tantum hoc peregerit munus. Muratorius.

(*b*) Noster codex mendose habet *primi genitus*.

(*c*) P. Valerius postea Poplicolæ cognomentum D adeptus inter primos consules numeratus fuit. Ita nos omnes fasti docent, Livius, Plutarchus in ejus Vita, Sigonius et reliqui Romanæ scriptores historiæ. Is Brutum collegam hostili transfixum hasta publice laudavit, legesque in populi favorem condidit. Ex istius familia Pinianus prodierat. Muratorius.

(*d*) Muratorii codex habet *terrore;* noster vero *errore*.

(*e*) Emendavi ex nostro codice : nam apud Muratorium mendose legitur *post stupemus*, etc.

(*f*) Acris inter Pelagianæ ac Jansenianæ historiæ scriptores intercedit quæstio, nempe utrum gentilibus solo naturæ lumine bonum aliquod opus patrare licuerit, an vero omnia eorum facta nomen peccati mererentur. De hujusmodi quæstione legendus magnus Augustini clypeus et gloria Em. Norisius in Vindiciis Augustin. § 4, Gonet. disp. 1 de Necess. gratiæ, sect. 5, art. 3, Maced. in lib. advers. Calvin., aliique plurimi præstantissimi theologi. Apostolus ad C Rom. ii ita scribit : *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*. S. August. de Spir. et Lit., cap. 27 et 28, aliqua ab infidelibus opera bona fieri asserit, additque rationem, *quia non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta permanserint*. Hinc Paulinus in Ethnicis ait quædam *lucis emicasse semina*, eisque propterea aliquam in seculo mercedem, quum secundum naturæ documenta operantur, a Deo concessam consentiunt plerique auctores. Muratorius.

(*g*) Hoc est post durum regum imperium, quibus Roma diu paruerat. Muratorius.

(*h*) Noster codex habet *lecti;* Mur. vero cod., *lectus*.

(*i*) In Murator. codice legitur *ope :* quo modo si legamus, versus claudicat. Legendum est ergo *opere*, ut legitur in nostro codice.

(*j*) Florus lib. i, cap. 9, enarrata regum ab Urbe expulsione ita loquitur : *Liber jam hinc pop. Rom. prima adversus exteros arma pro libertate corripuit, mox pro finibus, deinde pro sociis, tum pro gloria, et imperio, lacessentibus assidue usquequaque finitimis; quippe cum patrii soli gleba nulla esset, sed statim hostile pomœrium, mediusque inter Latium et Tuscos quasi in quodam bivio collocatus, omnibus portis in hostem incurreret*, etc. Muratorius.

(*k*) Noster codex habet *et una parvula*.

(*l*) Emendavi ex nostro codice. Apud Muratorium mendose legitur *Nam et libertorum*, etc. — Consule diss. vi. Muratorius.

(*m*) Cetera in nostro codice desiderantur. Ac dolendum sane est quod Lippus Platesius totum hocce carmen non exscripserit : plura enim alia menda illius ope expungere liceret quæ in Muratorii codice reperiuntur. — Abhinc ad finem usque carminis, Muratorii textum et notas, quas illius nomine signari jam inutile foret, exhibemus. Edit.

Tres etenim numero sumus iidem, mentibus unum. A
Et plures coeunt in tribus his animæ.
Quarum cœlestis liber indita nomina servat;
Prima chori Albina est, compar et Hærasia,
Jungitur hoc germana jugo, ut sit tertia princeps
Agminis, hymnisonis mater Avita choris.
Matribus his duo sunt tribus uno pignora sexu,
Flos geminus Melani germen, et Eunomia.
Hæc eadem et nobis maribus sunt pignora; nam quos
Discernit sexus, consociat pietas.
Cum patre Paulino pater æque Turcius iste est,
Sed me ætas, soboles hunc facit esse patrem.
Diverso ex ævo nomen sociamur in unum,
Et non ambo senes, sed tamen ambo pares. B
Ergo cohors hæc tota simul, tria nomina matres,
Quattuor in natis, in patribus duo sunt.
Nam puer hinc Melani conjux in corpore Christi,
Cui Deus a pinu nomen habere dedit,
Natus ut æternæ vitæ puer arbore ab illa
Susciperet nomen, quæ sine fine viret.
Pinus enim semper florente cacumine perstans
525-526 Semper amans celsis alta comare jugis;
Non mutat speciem cum tempore, namque sub æstu
Et nive par sibimet stat viridante coma.
Fertilis et fructu validæ nucis intus ad escam
Lac tenerum crispo tegmine mater habet.
Pinguis odoratum desudat thæda liquorem,
Ut nec in ipso arbor robore sit sterilis.
Hæc igitur typus est æterni corporis arbor,
Pulchra, ferax, vivax, ardua, odora, virens,
Istius instar erit Domine puer iste beatus
Arboris, ut maneat gratia perpes ei.
Jamque Deo plantatus agit, sanctoque profectu
Fructiferum adtollit pinus ut alta caput.
Eminet hic proprio mihi filius in grege primus;
Ast aliud mihi par lumen in Asterio est.
Quem simul unanimes vera pietate parentes
Infantem Christo constituere sacrum.
Ut tamquam Samuel primis signatus ab annis
Cresceret in sanctis votus alente Deo.

V. 278. *Tres etenim*. Hæc omnia explicui in præf. ad hunc Natalem.

V. 281. *Albina*. Adeat lector diss. IV, ubi multa de hac præclarissima femina.

V. 281. *Compar et Herasia*. Legendum prorsus *compare Therasia*, seu *cum pare Therasia*. Vide diss. v.

V. 283. *Avita*. De ista quoque dissertationem III institui.

V. 285. *Flos geminus*. In præf. ad hoc poema elucidavi totum.

V. 291. *Ambo pares*. Mihi magis arrideret hæc lectio: *sed tamen ambo patres*.

V. 294. *Melani conjux*. Ad ea recurre, quæ fusius tractavi in diss. VII.

V. 298. *Pinus enim semper*. Virgil. in Culice:

Bumastusque virens, et semper florida pinus.

Columella, lib. IX, de pabulis apum disputans ait: *Posthæc frequens sit incrementi majoris surculus, ut rosmarinus, et utraque cytisus; est enim sativa, et altera suæ spontis; itemque semper virens pinus, et minor ilex*. Hunc Columellæ locum Petrus Victorius lib. XXV, cap. 5 Variar., Pontan. in Virgil. ad IV Georg., v. 112, non de pinu arbore, sed de quodam virgulti genere interpretantur, cui perpetua insit viriditas. Salmasius ad Solin., pag. 279, tum apud Virgilium, tum etiam apud Columellam legendum censet *tinus*, non *pinus*. Verum arguuntur viri tanti Paulini testimonio, aperte arborem, non virgultum, pinum D semper florentem appellantis:

Natus ut æternæ vitæ puer arbore ab illa
Susciperet nomen, quæ sine fine viret.

Hæc infra expressius habet. La Cerda ad citatum locum Georg. pinum deliciis destinatam, ac in hortis sæpe locum invenisse evincit, nimirum ad apum utilitatem, quibus mediocres pinos Virgilius et Columella destinant.

V. 304. *Desudat thæda*. Ita in codice nostro et in vetustis mss. legitur, quamquam Stephani *tedam* absque diphthongo scribere maluerint. Thæda Græce δαΐς, vel δᾴς, quasi fax, seu lampas vocatur. Est autem thæda pini morbus; nempe quum arbos illa nimia succi abundantia luxuriat, in lignum materiemve oleaginosam ad incendium accommodam migrat. Theophrast. de Caus. Plan. lib. v, cap. 15: Τάχα δὲ καὶ γένα τινι δένδρων καὶ οὐ κακουμένης, ἀλλ' εὐθηνούσης, οἷον τῆς λεύκης, ὅταν αἱ ῥίζαι δᾳδωθῶσι. *Arborum autem genus etiam aliquod forte est, cui corruptio sponte, nec ullo pacto læso, sed bene vigenti eveniat, ut pino, quum radices in thædam mutatæ fuerint*. Ex hoc ligno faces parabantur, quæ in nuptiis potissimum præferri solebant. Hinc Ovid., Ep. 12, *Pinea tæda* inquit. Columella lib. v, cap. 10: *Fissuram cuneo thædæ pineæ adigito*. De thædis multa Salmas. in Solin. cap. 35.

V. 312. *Mihi filius*. Pinianum spiritalem Paulini filium C etiam innuit auctor Vitæ S. Melaniæ apud Surium die 31 Januar., de Piniano ac Melania ejus conjuge in Siciliam profectis inquiens: *Ut sanctissimum episcopum Paulinum viserent, qui erat eis pater secundum spiritum*.

V. 313. *Asterio*. De isto multa in diss. II.

V. 315. *Infantem*. Nostrorum temporum heterodoxi interdum invehuntur in monachismum, ac in religiosorum vota. Verum non ita sentiebant priorum seculorum Christiani, quando et ab ipsis incunabulis Deo dicare pueros puellasque solebant. Hoc de Asterio Paulinus affirmat, dixeratque ante de Eunomia:

Et simul Eunomia æternis jam pacta virago
In cœlo thalamis, quam matris ab ubere raptam
Festino placitam sibi Christus amore dicavit.

Augustinus in psal. LXXV hunc eumdem morem nobis insinuat: *Alii virginitatem*, ait, *ab ineunte ætate vovent, ut nihil tale vel experiantur, quale illi experti sunt, et reliquerunt, et isti voverunt plurimum*. Sic SS. virginum præclarissimæ, ut Tæcla, Agnes, Cæcilia, Agatha, Catharina, etc., a teneris, ut aiunt, unguiculis Deo dicatæ fuere. S. Melania quoque Piniani uxor, uti habent ejus acta die 31 Januar. ap. Sur., filiam vix natam Deo dicavit: *Nascitur ei puella. Ea, quum primum lucem adspexit, castitatis Soli consecrata fuit, Melania offerente primitias Domino, qui ipsam dederat, ut sic vel consuetudinem habens matrimonii, videretur plurimum tribuere virginitati*. Hinc explicare facillimum erit Hincmari Rem. episcopi locum in Vita S. Remigii, ubi ait, sanctum hunc, *postquam per viginti et duos annos in clericali conditione, in episcopatu vero septuaginta et quatuor continentissime ministravit, nonagesimo sexto ætatis anno terræ corpus reddidisse*; nam vix natus Remigius Deo sacratus fuit, atque idcirco ab ipsa ejus nativitate clericatus illius anni ab Hincmaro dinumerantur.

Prima parente Christi sub nomine murmura solvit, A
Et Domini nomen prima loquela fuit.
Jamque parente Deo regnis cœlestibus ortus
Sidereo pariter nomine, et ore micat.
Hunc puerum, et fratrem fecit pia gratia patri,
Nam pariter sancto flumine sunt geniti.
Quos natura gradu diviserat, hos Deus almo
Munere germanos in sua regna vehet.
Ergo novem cuncti socia cum prole parentes,
Pectore concordi simus ut una chelys;
Omnes ex nobis cytharam faciamus in unum
Carmen diversis compositam fidibus.
Æmilius veniat decimus. Tunc denique pleno
Concinet in nobis mystica lex numero.
Hoc etenim numeri in capite, in testudine pacis B
Viva salutiferum chorda loquetur opus.
Huic cytharæ plectrum Felix erit. Hoc decachordam
Christus ovans cytharam pectine percutiet.
Quæ cythara in nobis Christo modulante sonabit
527 - 528 Plenam perfectis sensibus armoniam.
Sic pax nostra Deo totis sit consona fibris,
Simus ut uniti corpore, mente, Fide.
Talis enim cytharam sanctis homo legibus implet
Omnibus ad vitam compositus numeris.
Cujus vita sacræ concordat ad omnia legi,
Omnis enim inrupto flamine chorda canet.
Nunc ad te, venerande parens, æterne patrone, C
Susceptor meus, et Christo carissime Felix,
Gratificas verso referam sermone loquelas.
Multa mihi variis tribuisti munera donis;
Omnia, præsentis vitæ rem, spemque futuræ
Quæ pariunt, tibi me memini debere, cui me
Mancipium primis donavit Christus ab annis.
Si mihi flumineis facundia curreret undis,
Oraque mille forent centenis persona linguis,
Forte nec his opibus conlato fonte refertus
Omnia Felicis percurrere munera possem,
Quanta suo Dominus donavit Christus amico,
Et mihi confessor famulo transfudit alumno.
Quæ quibus ante feram donis diversa, sed æquis
Grandia ponderibus concurrunt multa, nec ex his
Quid potius memorare legam, discernere possim.
Judicii facilis discrimen copia turbat.
Si prima repetens ab origine cuncta revolvam,
Quæ pietate pari vario mihi præstitit ævo,
Ante queam capitis proprii numerare capillos,
Quam tua circa me, Felix bone, dona referre.
Tu mihi cœlestum, si possem adtingere, rerum
Prima salutiferis jecisti semina causis.
Nam puer occiduis Gallorum advectus ab oris,
Ut primum tetigi trepido tua limina gressu,
Admiranda videns operum documenta sacrorum
Pro foribus fervere tuis, ubi corpore humato
Clauderis, et meritis late diffunderis altis,
Toto corde Fidem divini nominis hausi,
Inque tuo gaudens adamavi lumine Christum.
Te Duce fascigerum gessi primævus honorem,
Teque meam moderante manum, servante salutem,
Purus ab humani sanguinis discrimine mansi.
Tunc etiam primæ....... libamina barbæ
529-530 Ante tuum solium, quasi te carpente, totondi;
Jam tunc præmisso per honorem pignore sedis

V. 318. *Parente Christi.* Pro *Christi* nomine *Dei* nomen repono. Sed infra repetitur :

Jamque parente Deo.

V. 321. *Sidereo.* Asterius ab *astro*, hoc est *sidere* deducitur; hinc *nomen sidereum* Asterio esse Paulinus ait.

V. 326. *Ergo novem.* Vide præf. ad hoc poema.

V. 330. *Æmilius.* De isto prolixam disceptationem habes Diss. VIII.

V. 344. *Nunc ad te.* Dungalus in respons. ad Claud. Taurin. hos versus ex Natali XIV citat, aliosque itidem ex eodem Natali se decerpsisse fatetur, qui tamen omnes codicis nostri beneficio ad unum et eumdem Natalem XIII pertinere dignoscuntur. Inde ortus error, Paulinum quindecim Natales elucubrasse, quum solum quatuordecim potius sint reputandi. D

V. 351. *Si mihi flumineis.* Celebriores poetas poeta noster imitatur, qui hujusmodi verbis sunt usi. Homerus :

Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,
φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

Neque si mihi decem linguæ quidem, decem et ora essent, vox et infrangibilis, æreum et mihi pectus inesset. Virgil. VI Æneid. :

Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Ferrea vox.

Ovid. lib. I Trist., eleg. 4, Silius lib. IX, Claudian. in Paneg. Olybr. et Prob., et alii cecinere. Persius tamen, sat. 5, hunc morem ridere videtur, inquiens :

Vatibus hic mos est centum sibi poscere voces,
Centum ora, et linguas optare in carmina centum.

V. 367. *Nam puer.* Sunt qui in dubium revocarunt, an Paulinus in Aquitania cunas fuerit sortitus; sed præter alias auctoritates id evincentes, en idem astruitur.

Nam puer occiduis Gallorum advectus ab oris.

Paulinus ergo suum apud Gallos ortum traxit. Infra quoque asseritur :

Te revocante soli quondam genitalis ad oram
Sollicitæ matri sum redditus.

Hæc de se ipso in Galliam profecto loquitur, ubi præterea innuit, parentem suam etiam tum in vivis egisse. Addit se, licet in Hispania morantem, *Galla* tamen *mente* vixisse. Ceterum Nolam se adhuc puerum concessisse superius iterum testatus est Paulinus, S. Felicem ita alloquens :

Tibi me
Mancipium primis donavit Christus ab annis.

V. 374. *Te Duce fascigerum.* De consulatu S. Paulini prolixe egi in Diss. IX.

V. 376. *Purus ab humani.* Carmen emendandum, ac *sanguinis* vocabulum aut tollendum, aut in metro anteponendum. Placeret

Purus ab humanæ cædis discrimine mansi.

V. 377. *Tunc etiam primæ.* Pes in versu desideratur. Aut epitheto igitur *libamina* sunt jungenda, aut quid aliud interponendum exempli causa, *Tunc etiam primæ, ut mos est, libamina barbæ.* Mos antiquis fuit,

Campanis metanda locis habitacula fixi,
Te fundante tui ventura cubilia servi.
Cum tacita inspirans curam mihi mente juberes
Muniri, sternique viam ad tua tecta ferentem;
Adtiguumque tuis longo consurgere tractu
Culminibus tegimen, sub quo prior usus egentum
Incoluit, post hæc geminato tegmine crevit
Structa domus, nostris quæ nunc manet hospita [cellis.
Subdita pauperibus famulatur porticus ægris,
Quæ nos impositis super addita tecta colentes
Sustinet hospitiis, inopumque salubria præstat
Vulneribus nostris consortia sede sub una,
Commoda præstemus nobis ut amica vicissim,
Fundamenta illi confirment nostra precantes,
Nos fraterna inopum foveamus corpora tecto.
Ergo ubi bis terno ditionis fasce levatus
Deposui nulla maculatam cæde securim,
Te revocante soli quondam genitalis ad oram
Sollicitæ matri sum redditus. Inde propinquos
Trans juga Pyrenes adii peregrinus Iberos.
Illic me thalamis humana lege jugari
Passus es, ut vitam commercarere duorum,
Perque jugum carnis duplicata salus animarum
Dilatam unius posset pensare salutem.
Ex illo quamvis alio mihi tramite vita
Curreret, atque alio colerem procul absitus orbe,
Qua maris Oceani circumsonat unditus æstu:
Galla mente tamen numquam divulsus ab ista
Sede fui, semperque sinu Felicis inhæsi,
Inque vicem sensi Felicem adsistere nostris
Rebus in omne bonum, per cuncta, domique, [forisque,
Conficienda. Mihi res, et defensio rerum.
Unus erat Felix placato Numine Christi,
Semper et avertens aversa, et prospera præstans.
Tu Felix semper felix mihi, ne miser essem,
Perpetua pater, et custos pietate fuisti.
Cumque laborarem germani sanguine cæsi,
Et consanguineum pareret fraterna periclum
531-532 Causa mihi, censumque meum jam [rector adisset,

quum primum ex ephæbis prodirent, barbam tondere, eamque deo alicui aut penatibus dicare. Theseus Delum hujus rei causa profectus est, ut in ejus Vita Plutarchus docet. Statius Thebaid. lib. VIII:

> Ille genas Phœbo, crinem hic pascebat Iaccho.

Dio lib. LXI de Nerone agens ait: Τρίχας ἐς σφαιρίον τι χρυσοῦν ἐμβαλὼν ἀνέθηκε τῷ Διὶ τῷ Καπιτωλίνῳ. *Barbam in sphæram quamdam auream conjiciens dedicavit Jovi Capitolino.* Quod idem Suetonius hisce verbis prodiderat: *Gymnico, quod in septis edebat, inter Buthysiæ apparatum barbam primam posuit, conditamque in auream pixidem, et pretiosissimis margaritis adornatam, Jovi Capitolino consecravit.* De hoc more videndi Bisciol. Hor. Subcesiv. lib. VII, cap. 5, Alex. ab Alex. Dier. Gen. lib. I, cap. 26, et lib. III, cap. 27, et alibi, Cœl. Rhodig. lib. XIX, cap. 22, Tiraquell. de Jure primig., Adrian. Jun. lib. II de Coma, et alii. Quod ethnici fecere, id et in Christianos translatum hinc discimus. Illi diis suis; isti sanctis martyribus, aut ipsi Deo summo dicabant. E Vita S. Willelmi Ducis edita per V. C. Mabillonium cap. 23 edocemur barbam Deo fuisse consecratam a monachis, qui eam ponebant. Barbæ apud Christianos benedictio fiebat, quum illa tondebatur. Ademarus Cabanensis apud Beslium, pag. 328, de Jordano episc. ait: *Crastino die barbam benedici jubet, et detondi.* De quo more consule Du Fresnium in Diss. 22 ad Joinvillam, pag. 273. Paulinus itaque ante S. Felicis tumulum barbam primam secari voluit, eamque forte S. confessori dicavit.

V. 380. *Campanis.* Ad ea recurre, quæ fusissime tractavi in Diss. X, ne hic morosus nimium evaderem.

V. 395. *Ergo ubi bis terno.* S. Ambr. ep. 58: *Scio,* inquit, *plerosque gentilium gloriari solitos, quod incruentam de administratione provinciali securim revexerint.* De hisce Paulini muneribus vide infra Diss. X.

V. 397. *Soli quondam genitalis.* Nimirum Galliæ, seu Aquitaniæ, ex qua ortum suum traxerat Paulinus.

V. 398. *Inde propinquos.* Burdigalæ in clarissima Aquitaniæ urbe natus est Paulinus, quod Uranius in ejus Vita testatur; aut Hebromagi in castello eidem urbi proximo, ut Ausonius in ep. ad eumdem Paulin. innuit. Hinc est quod Paulinus propinquos vocat Iberos.

V. 400. *Illic me thalamis.* Therasia, de qua Diss. V vide, Paulino conjux obtigit. Hæc probabili nimium conjectura in Hispaniis nata, fuitque ejus patria fortasse Complutum, nam in Paneg. Celsi Paulinus ait de filio sibi nato:

> Quem Complutensi mandavimus urbe propinquis
> Conjunctum tumuli fœdere martyribus.

V. 406. *Qua maris Oceani.* Facili negotio versus emendandus, neque enim Paulinus unquam illud *unditus* excogitavit; sed verbum aliquod mutandum. Petrus Bernardonius elegantissimus poeta, summoque vir præditus ingenio, ita legendum hunc versum censet:

> Qua maris Oceani circumsona tunditur æstu:

ac propterea corrigendum etiam superiorem, ut sibi sensus constet:

> Atque aliam colerem procul absitus oram.

Sed quamnam Hispaniæ regionem colebat Paulinus? Ausonium audiamus, qui nostro poetæ in ep. 24 querulus hæc objicit:

> Me Punica lædit
> Barcino, me bimaris juga ninguida Pyrenæi.

Et infra:

> Nunc tibi trans Alpes, et marmoream Pyrenem
> Cæsareæ Augustæque domus Tyrrhenica propter
> Tarraco, et ostrifero superaddita Barcino ponto.

Verum istæ urbes Tyrrheno tantum mari alluuntur, non vero Oceano. Equidem arbitror in Vasconia plerumque egisse Paulinum. Erat hæc Hispaniæ pars prope Oceanum in Aquitaniæ finibus. Ipse poeta fidem facit in ep. 4 ad eumd. Auson.:

> Quid tu mihi vastos
> Vasconiæ saltus, et ninguida Pyrenæi
> Objicis hospitia? In primo quasi limine fixus
> Hispanæ regionis agam.

Non ita tamen Paulinus ibi constitit, quin reliquum Hispaniæ Tarraconensis tractum sæpe inviseret. Hoc alia ejusdem carmina suadent. Ego ad alia progredior.

V. 418. *Jam rector.* Provinciis Romani imperii rectores præficiebantur, quibus summa potestas in sontes et patrimonia erat. Est tit. in cod. Theod. lib. I de Off. rector. provinciæ, ubi de his plura. Agunt etiam de illis l. 1 Off. præf. præt. Afr., § Deo nobis, l. illicitas, ff. de Off. præsid., et alia imperatorum edicta. Vide Gothofr. in Not. dignitat., Pancirol. ad not. utriusque imp., et Bulenger. in Imp. Rom.

Tu mea colla, pater, gladio, patrimonia Fisco A
Eximis, et Christo Domino mea, meque reservas.
Nam quo consilio rebus capitique meo tunc
Christus opem tulerit, Felicis cura potenter
Adfuerit, docuit rerum post exitus ingens,
Quo mutata mea est sors, et sententia vitæ,
Abjurante fide mundum, patriamque, domum- [que,
Prodita diversis egit commercia terris,
Portandamque crucem distractis omnibus emit.
Res igitur terræ regni cœlestis emit spem;
Spes etenim fidei carnis re fortior. Hæc spes
Perpetuam, quæ nixa Deo est, rem parturit; [at res
Carnea cœlestem perimit spem; quæ tamen et [rem B
Si superet vincente fide, non protinus aufert,
Sed bene mutatam divino jure reformat,
De fragili æternam referens, terrisque remotam
In cœlis statuens, ubi fidus credita custos
Christus habet; neque tantum isto, quo sum- [serit istinc,
Depositum numero servat, sed multiplicato,
His, qui crediderint, commissa talenta rependet
Fœnore, seque credentibus efficiet rem.
Et quæ res hac re poterit pretiosior esse?
Si totus mundus mihi res privata fuisset,
Num potior Domino foret hæc possessio Christo?
Et quis me tantæ vel spe modo possessorem
Præstitit esse rei? Quis me rem compulit istam
Spernere pro Christo, ut Christum mihi verteret C [in rem?
Quis nisi tu, semper mea magna potentia, Felix
Peccatis inimice meis, et amice saluti?
Tu mihi mutasti patriam meliore paratu,
Te mihi pro patria reddens. Tu carnea nobis
Vincula rupisti. Tu nos de labe caduci
Sanguinis exemptos terræ genitalis ab ora
Ad genus emigrare tuum, et cœlestia magnis
Fecisti sperare animis. Tu stemmata nostra
Mutans de pravis mortalibus inter amicos
Cœlestis Domini, et libro signata perenni
Nomina, translato mortalis originis ortu,
Deleri facies morti, transcripta saluti.
Quid simile his habui, cum diceret esse senator,
533-534 Qualia nunc istic habeo, cum dicor [egenus?
Ecce mihi per tot benedicti martyris aulas,
Et spatiis amplas, et culminibus sublimes,
Et recavis alte laquearibus ambitiosas,
Inriguas et aquis, et porticibus redimitas,
Undique, ubique simul, quodcumque per ista [beati
Nomine Felicis colitur, celebratur, habetur,
Omnibus in spatiis domus est mea. Nec locus [ullus
Ædibus illius conjunctus, et insitus exstat,
Qui mihi non quasi res pateat mea. Sed quid [in isto
Munere me jactem, si rem Felicis amati
Visibili lapidum tecto vernaculus hospes
Possideam? Quanto plus est mihi, quód mihi [Felix
Ipse Dei dono domus est, in quo mea vivat
Vita, domum nullis lapsuram possidet annis?
Nam quod Felicis domus et mea sit domus, ipso
Permittente sui licitas mihi juris habenas,
His etiam probat officiis audacia nostra,
Hospita quod socios in tecta recepimus, et nunc
Omnes jure pari Felicis jura tenemus,
Felicisque patris gremio conjuncta fovemur
Pignora, quæ nostis, quos cernitis, et modo in [ipsis
Felicis tectis mecum metata tuentes
Hospitia, oblitos veterum præcelsa domorum
Culmina, et angustis vicino martyre cellis
Tutius in parvo spreta ambitione manentes.
Christus enim juxta est modicis, avertitur altis,
Pauperis et tuguri magis arta tigilla frequentat,
Quam præcelsa superbarum fastigia rerum
Ergo ut componam, quæ nunc colo, tecta relatis
Culminibus, quæ nunc habeo, aut habuisse re- [cordor,
Si placet, arbitris sibimet componite justis.

V. 426. *Egit commercia*. Mallem *egi commercia*, uti etiam in sequenti carmine : *distractis omnibus emi*.

V. 439. *Seque credentibus*. Adderem *ipsum*, ut sit completum carmen : D

> Fœnore, seque ipsum credentibus efficiet rem.

V. 446. *Mea magna potentia*. Virgiliana imitatio. Ait Venus Æneid. lib. I ad Cupidinem :

> Nate, meæ vires, mea magna potentia solus.

Statius lib. I Theb. ita Venerem inducit loquentem :

> Sed dabitur juveni, cui tu mea summa potestas,
> Nate cupis.

V. 449. *Tu carnea nobis*. Sanctum castitatis propositum innuit, quo se una cum conjuge Therasia Christo dicaverat. Ut enim ad sacerdotium promoveretur, ab uxoris toro sejungendus erat. Hæc prisca Ecclesiæ consuetudo multis conciliorum canonibus roborata invenitur. S. Hier. in ep. ad Pammach. : *Episcopi, presbyteri, diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici*. Idem sæpe repetit, et præsertim contra Vigilantium. Arator Subdiac., cap. 30 :

> Ecclesiæ nunc alma fides sine fine pudicos
> Pontifices jubet esse suos.

De hac quæstione plures plura, et præcipue Bellarm. lib. I de Clericis, Allatius de Consens. utriusque Eccl. Propterea Therasiam *de conjuge sororem Paulini factam* inquit Idacius in Chron.

V. 483. *Vicino martyre*. In his eisdem Cellis a se exceptam fuisse Melaniam seniorem scripsit Paulinus in ep. 10 ad Sever. : *Tugurium vero nostrum, quod a terra suspensum cœnaculo uno, porticu cellulis hospitalibus interposita, longius tenditur, quasi dilatatum gratia Domini non solum sanctis, qui illam plurimi comitabantur, sed etiam divitum illorum catervis non incapaces angustias præbuit*.

V. 486. *Arta tigilla*. Tigillum est *tignum parvum*, seu exigua trabs, ac propterea parum sibi constat sensus. Emendare placet : *magis arta tegella*. Tegellum nuncupatur *parvum tegmen*, pusillumve tectum. Hoc poetæ menti magis consonat.

Quæ tam pulcra domus? Quis ager tam fertilis? aut quid A
In re mortali fuerit mihi, quam modo in ista
Paupere contribuit Christus, per quem mihi abundat
Dives inexhausto reditu possessio Felix?
Ut vero ex veteri relegam mea prædia censu,
Quicquid erat magnum quondam mihi qualibet in re,
Terra erat, et vacuæ species ventosa figuræ,
Sive aurum, gemmæque forent, erat illa supellex
Vile bonis pretium, pretiosum virus avaris.
Ac modo cassus opum; nec opum, sed verius expers
Damnatorum onerum; secura liber habendi
Paupertate fruor, nec habent inimica sequentum B
Vincula, quo teneant nudum. Facile levis exit
Corpore, quem nullis suffocat amoribus illex
Per varias species mundi fallentis imago.
O veneranda mihi et toto pretiosior orbe
535-536 Pauperies Christi! thesauro cœlite ditas
Quos spolias opibus, terræ quasi rudere purgas,
Destruis in nobis terrena, æterna vicissim
Construis in pretium vitæ; dispendia terræ
Vertis vere novo, versa vice detrimenti,
Ut lucri nobis servata pecunia damnum,
Non servata lucrum faciat, sed more sinistro
Fusa eadem damno est. Nec enim sine nomine Christi
Præceptoque cuiquam sua fundere prodest; C
Nam vere pereunt vitiis impensa profanis.
Luxus, et ambitio magno discrimine morbi
Crimen avaritiæ pensant, quia par in utroque
Causa subest mortis, quam sic maculosa libido
Perficit, et rerum mundi malesuada cupido.
His me divitiis inopem cupis, optime Felix,
Ut facias vitæ locupletem, et paupere cultu
Exsortem reddas mortis sine fine luendæ
Divitibus mundi, quibus auri lethifer usus
Parturit æternos sociis cum vermibus ignes.
Non solis tibi nos junctis vis degere tectis,
Quos et in æternæ tibimet consortia vitæ
Enutrire paras, et ad illam ducere formam,
Quam tu sub Domini perfectus imagine Christi
Gessisti in terris homo quondam ex divite pauper.
Nam cui paupertas tua, quam pro nomine sancto
Proscriptis opibus gaudens confessor adisti,
Ignorata manet, et qua præditus usque senectam
Conducto Felix coluisti semper in horto?
Propterea similes tibi niteris efficere omnes
Paupertate pia, quos suscipis hospite tecto;
Dissimilis nec enim tibi posset forma coire.
Quantum etenim discors agno lupus, et tenebris lux,
Tantum dispescunt via divitis, et via Christi.
Nam via lata patet, quæ prono lubrica clivo
Vergit in infernum, qua dites urget avaros
Molibus impulsos propriis in Tartara ferri.
At via, quæ Christi est, quæ confessoribus almis
Martyribusque patet, paucis iter ardua pandit.
Non capit ergo via hæc furfos, excludit onustos.
Propterea famulum, sectatoremque beati
Martyris adstringi decet, exutumque molestis
Compedibus tenuem de paupertate salubri,
Atque levem fieri, ut portam penetrare per artam

V. 494. *Inexhausto reditu. Reditus*, non *redditus* pro proventu apud optimos auctores in usu fuit: Ovid. lib. IV de Ponto, eleg. 5:

Aut populi reditus positam componat ad hastam.

Uberiores reditus Velleio Paterculo dicuntur lib. II Hist., et *populi reditus* Plinio lib. XVI, cap. 37, memorantur.

V. 496. *Quicquid erat magnum.* Vir profecto ditissimus olim Paulinus fuerit. Præter alios auctores aperte Ausonius innuit ep. 24 ad eumdem:

Ne sparsam raptamque domum, lacertaque centum
Per dominos veteris Paulini regna fleamus.

S. Eucherius in ep. de Contemtu Mundi: *Paulinus quoque Nolanus episcopus, peculiare et beatum Galliæ nostræ exemplum, ingenti quondam divitiarum censu*, etc. Venant. Fortun. in Vita S. Martini, lib. II, hæc de Paulino habet: D

Dives agris, opulens famulis, locupletus acervis,
Vir censu vastus, lare celsus, et ore rotundus,
Ditior ipse fide, pro Christo fit sibi pauper,
Et dedit innumeros redimentes crimina nummos.

Mitto Augustin. lib. I, cap. 10, de Civ. Dei, Prosper. in Chron. ad annum 4, Arcad. et Honor., Greg. Turon. de Gl. conf., cap. 107 et reliquos.

V. 503. *Facile levis exit.* S. Hieronymus in ep. 13 ad Paulinum nostrum: *Denique*, ait, *et tu, audita Salvatoris sententia: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me: verba vertis in opera, et nudam crucem nudus sequens expeditior, et levior scandis scalam Jacob.*

V. 514. *Nec enim sine nomine.* Idem S. Hier. lib. III in Matthæum: *Non dixit Christus: qui reliquistis omnia, hoc enim et Crates fecit philosophus, et multi alii divitias contemserunt; sed qui sequuti estis me: quod proprium apostolorum est atque credentium.*

V. 515. *Præceptoque cuiquam.* Carmini deest aliquid. Scriberem: *Præceptoque ejus cuiquam.*

V. 526. *Junctis.* Fortasse *junctos.*

V. 530. *Quondam ex divite.* De S. Felice idem Paulinus Nat. IV dixerat:

Multoque relictus in auro
Dives opum viguit, quamvis non unicus hæres.
Hermia cum fratre sui cognomine patris
Terrenas divisit opes, cœlestia solus
Obtinuit Felix.

V. 534. *Conducto Felix.* De eod. S. confessore Paulin. Nat. V:

Tria macri jugera ruris
Nec proprio sub jure tenens, conducta colonus
Ipse manu coluit, famulo sine, pauperis horti
Possessor.

Eadem habent Beda, et Marcellus presbyter in S. Felicis Vita.

V. 539. *Tantum dispescunt. Dispescere* pro *dissidere*, vox inusitata. Fortasse *tantum discordant*, ut carmen superius docet, in quo dicitur *agno lupus discors.*

V. 545. *Via hæc furfos.* Placet conjectura hoc in loco Petri Antonii Bernardonii, amœnissimi poetæ, meique supra omnes familiaris, cui legendum videtur *fartos*, litteris nimirum in codice parumper vitiatis. Hoc autem verbum proprie, *plenos*, *gravesque cibo* significat, ac poetæ menti omnino convenit.

Possit, et excelsum Domini conscendere montem. A
Sed quid ego imprudens discernere pondera rerum?
Pro magis hæc ego pono tuis, pater optime, donis.
Quamlibet hæc quoque sint mihi grandia, parva tamen sunt,
537-538 Si potiora loquar. Quota portio namque tuorum est
Erga nos operum reputatio muneris hujus,
Quod terram hospitio dederis, habitandaque tecta
Condere præstiteris, cum tu, pater, et tua nobis
Viscera præbueris? Nam quid nisi viscera nobis
Intima prompsisti, quibus interiora sepulcri,
Sancte, tui excitis ab operto pulvere causis
Pandere dignatus speciali nos tibi amore
Insertos tanto voluisti prodere signo,
Ut tacitam et fixam per tot retro secula sedem
Corporis, alme, tui subito existente favilla
Pulveris in nostro servari tempore velles?
Ergo illas Felicis opes in laudibus ejus
Transcursu properante legam, quasi dona minora,
Multa suo nobis quæ jam gremio susceptis
Sedulus adtribuit, neque parcet prodigus in nos
Jugiter affluere innumeris ope divite donis.
Non ea suppeditans tantum, quibus indiget usus
Corporis, illa etiam, quibus et nunc gratia nobis
Quæritur, et post nos retinetur nomen honoris,
Addidit, ut tantis numquam retro condita seclis
Nostro opere exstructas adcrescere, vel renovari,
Porticibus domibusque suas permitteret aulas.
Ille etiam proprii nobis secreta sepulcri
Sancta revelavit. Paucis venerabile munus
Eloquar, ut magnæ pietatis luceat instar,
Qua nos indignos tanto dignatus amore est,
Ut prope ad arcanum permittens nostra verendum
Lumina ceu propriis sua proderet ossa medullis.
B Ergo suam toto vobis loquar ordine causam,
Qua tribuit vicina suis nos cernere membris,
Atque ipsam positi contingere corporis arcam.
Nota loci facies cunctis manet, ut super ipsum
Martyris abstrusi solium, claudente sepulcri
Cancello latus in medio, sit pagina quædam
Marmoris, adfixo argenti vestita metallo.
Ista superficies tabulæ gemino patet ore
539-540 Præbens infusæ subjecta foramina nardo,

V. 563. *Per tot retro secula.* Dissertationem XIV adi, in qua de S. Felice. Ibi adversus vulgarem opinionem de ejus martyrii tempore plura diximus.

V. 588. *Cancello.* Cancellis circumdari hominum sanctitate illustrium sepulcra solebant. Paulinus Nat. VII:

Excussum de plebe rapi, admotumque sacratis
Ante fores Sancti cancellis corpore verso.

Greg. Turon. lib. VI Hist. Franc., cap. 10: *Qui fures ponentes ad fenestram absidæ cancellum, qui super tumulum cujusdam defuncti erat*, etc. Paulus in libello, quem S. Augustino obtulit serm. 31 de Divers. ait: *Orabam ego quotidie cum magnis lacrymis in loco, ubi est memoria gloriosissimi martyris Stephani. Die autem dominico Paschæ, sicut alii, qui præsentes erant, viderant, dum orans cum magno fletu cancellos teneo, subito cecidi.* S. Ambr. in ep. ad Marcellinam: *Formidantibus etiam clericis jussi eruderari terram eo loci, qui est ante cancellos SS. Felicis et Naboris*, etc. Quod idem repetit Paulinus alter in Ambrosii Vita. Noster vero infra de aperiendo S. Felicis tumulo ait:

Est primus labor illis
Cancellos removere loco.

V. 588. *Sit pagina quædam.* Ita scripsi, quum in ms. haberetur: *Sed pagina quædam.* Sanctorum sepulcra argento aut auro olim tegebantur. Celebris est hic Mediolani ara, ubi SS. Ambrosii, Protasii et Gervasii corpora conduntur, quam Angilbertus archiepiscopus aureis cooperuit laminis. Anno 1468, referente Spondano de Cœmet. sacr. lib. I, part. 3, cap. 4, Romæ in sacello S. Petronillæ reperta est arca marmorea candidissima in se duas capsas ligneas continens, unam grandiorem, alteram pueruli capacem, utramque laminis argenteis contectam, signoque crucis insignitam. Aut ipsæ arcæ ex argento efformari solebant, harumque exempla petes ab Aringh. in Rom. Subterr. Anno 1695 Ticini sub confessione, seu altari S. Augustini repertus non dissimilis sarcophagus capsas duas in se continens, quarum altera ex purissimo argento. Diu quæsitum, an ossa inclusa Augustini forent; sed res adhuc in incerto.

V. 590. *Gemino patet ore.* Sanctorum tumuli ita conditi, ut corpora in capsulis inclusa penitus humi laterent; superiore vero parte aperiebatur in pavimento *foramen* unum, aut geminum, quod in Vita S. Quintini apud Surium 31 Octob. et apud alios *fenestella* nuncupatur, cui circumpositi cancelli, de quibus supra. Hujusmodi imaginem conspicere est in S. C Caroli sepulcro hic Mediolani. Per hæc foramina pallæ, oraria, Brandea (hoc nomine apud veteres velamina quædam donabantur) oleaque immittebantur, ut universa per tumuli contactum virtute ex sanctorum reliquiis effluente imbuerentur. Greg. Turon. lib. II de Glor. mart., cap. 46, de sepulcro S. Venerandi ait: *Super quod caput quicumque vult per fenestellam immittit precans, quæ necessitas cogit.* Idem de Glor. conf., cap. 37, lib. I, Sepulcrum SS. Petri et Pauli describens: *Qui orare desiderat, reseratis cancellis, quibus locus illo ambitur, accedit super sepulcrum, et sic fenestella parvula patefacta*, etc. Metaphrastes apud Sur. 11 Jul. S. Euphemiæ reliquias adinventas refert. In ejus autem sepulcro arca erat, *parvum foramen habens, in quod cum ego quoque indignus aliquando ausus essem manum inferre, et loculum tetigissem, sensi bonum odorem, et gratiam apprehendi.*

V. 591. *Præbens infusæ.* Pius iste mos Christianorum erat, ut oleum nardumve ad sanctorum sepulcra deferrent, queis liquoribus curationum gratia D communicabatur. En quid Paulinus de hac nardo ferat:

Quæ cineris sancti veniens a sede reposta
Sanctificat medicans arcana spiritus aura.

Infusam nardum solebant reportare immittentes.

Quique loco dederant, nardum exhaurire parantes
Ut sibi jam ferrent.

Dixerat Nat. VI:

Martyris hi tumulum studeant perfundere nardo,
Et medicata pio referant unguenta sepulcro.

Quot autem virtutes oleum ac nardus e SS. martyrum tumulis asportata operarentur, pluribus evincere possem. Augustinus unus sat erit, qui lib. XXII, cap. 8, de Civ. Dei, hæc de filio quodam defuncto habet: *Cumque corpus jaceret exanime, atque a gementibus et plangentibus exsequiæ pararentur, amicorum ejus quidam inter consolantium verba suggessit, ut ejusdem martyris oleo corpus perungeretur.* Factum

Quæ cineris sancti veniens a sede reposta A
Sanctificat medicans arcana spiritus aura.
Hæc subito infusos solito sibi more liquores
Pocula de tumulo terra subeunte biberunt,
Quique loco dederant nardum exhaurire parantes,
Ut sibi jam ferrent, mira novitate repletis
Pro nardo jaculis cumulum erumpentis arenæ
Inveniunt, pavidique manus cum pulvere multo
Faucibus a tumuli retrahunt. Nova res movet omnes,
Et studium accendit subiti disquirere causam
Prodigii. Placet ergo diem condicere certam,
Scrutari et penitam submoto marmore sedem.
Hoc etenim, fateor, nimis anxia cura timebat,
Ne quid forte pio de corpore pulvis haberet, B
Quem manus e tumulo per aperta foramina promptum
Hauserat, et varia concretum sorde ferebat
Cum ossiculis simul, et testis cum rudere mixtis.
Inde metus hominum per mutua verba putabant,
Ne fortasse sacram sancta de carne favillam
Bestiola occultis aliqua interclusa cavernis
Altius exspueret, sicut deserta per agros
Monstra solent terram rostris fodere intus acutis,
Et foveas circum cumulos effundere nigros;
Sic et ab interno sancti Felicis operto,
Quo magis hoc mirum foret, intervalla dierum
Fecit congestæ miranda eruptio terræ.
Ergo die placita multis opus utile rebus
Arripitur. Cunctos transmittit episcopus ad nos
Presbyteros. His fabra manus spectantibus instat
Jussa sacerdotum facere. Est primus labor illis
Cancellos removere loco, curaque sequenti
Hærentes tabulas resolutis tollere clavis.
Verum ubi depressam sub tegmine marmoris arcam
Vidimus inrupta solii compage manentem,
541-542 Tunc secura fides dubio de corde periclum
Erroris pepulit, cum tactu oculoque probaret,
Incolumi solio numquam rimante sepulcro
Undique vallatum valido munimine corpus
Martyris emeriti nullis patuisse piaclis,
Et dignum retinere suæ pia carnis honorem
Ossa, quibus sanctus numquam desistit adesse
Spiritus, unde piis stat gratia viva sepulcris,

est, et revixit. Hunc morem oleique benedicti virtutem videant Agiomachi, quam recte ipsi calumnientur. Nos ad alia festinamus.

V. 592. *Quæ cineris sancti.* Rem hanc mire illustrant Paulini Petricordii carmina lib. v de Vita S. Martini, ubi sic ait:

> Namque ut sæpe solent præcauto corde fideles
> Vasa oleo opplere, et servandæ adducta saluti
> Vel justis offerre viris, vel condere sanctis
> Relligione locis quibus aut operatio præsens
> Martyris emeritos prodit virtute patronos.
> His persæpe locis, quibus hoc vicinia præstat,
> Pacificum exponunt per vascula pura liquorem
> Desuper infusi mutandum nectare roris,
> Quo fluit in sanctum cœlestis gratia succum.

Reliqua sileo apud præfatum auctorem legenda.

V. 598. *Pro nardo jaculis.* Mendum fortasse latet. *Jaculum* tamen ita explicarem, ut esset vas aut spongia aliqua in sepulcralem arcam per foramen injecta, ut inde immissa nardus, oleumve extraheretur: *Jaculum enim dicitur, quod ut jaciatur fit,* teste Varrone. Sic Plautus, Trucul. 3, *Rete jaculum* vocat:

> Tentant benignusne, an bone frugi fies, quasi in piscinam
> Rete qui jaculum parat, quando abiit rete pessum abducit.

Melius tamen ita emendarem paucis mutatis:

> Mira novitate repletis
> Pro nardo vascl s cumulum.

Vasclum pro *vasculum* dicere figura syncope sinit: *Maniplis* pro *manipulis*, *duxti* pro *duxisti*, *dispostus* pro *dispositus*, *tablis* pro *tabulis*, *soldis* pro *solidis*, et sexcenta hujusmodi usurparunt antiqui poetæ. Hanc autem lectionem mirabiliter firmant Paulini alterius carmina nuper laudata;

> Pacificum exponunt per *vascula* pura liquorem.

V. 599. *Cum pulvere multo.* Solitum tamen antiquitus fuit e sanctorum tumulis pulverem asportare, cui curationum virtus haud minor, quam ipsis reliquiis inerat. Beda lib. I Hist. Angl., cap. 3, beati Ceaddæ episcopi tumulum hisce describit: *Est autem locus sepulcri tumba lignea in modum domunculæ facta, coopertum habens foramen in pariete, per quod solent hi qui causa devotionis illo adveniunt, manum suam immittere, ac partem pulveris inde assumere.* De hac re consulendus Jo. Ferrandus e soc. Jes., lib. I, cap. 3, Disquis. reliq.

V. 603. *Scrutari et penitam.* Id est *intrinsecam. Penitus* adjectivum exemplis meliorum non caret. Plaut. Asin. 3: *Age, quæso, hercle usque ex penitis faucibus.* Catull. in carm. nupt.: *At non minus quam tu* C *pectore uritur intimo flamma, sed penita magis.* Hinc *penitissimus* et *penitior* apud veteres Latinos.

V. 605. *Ne quid.* In ms. est *Et quid.* Emendavi.

V. 621. *Jussa sacerdotum.* Primis Ecclesiæ sæculis *sacerdotis* nomen episcopis solis tribui solitum. Mos iste paulatim fractus, et inde ad presbyteros vox passim delata; unde Rabanus lib. I de Instit. cler., cap. 5: *Sacerdos vocari potest sive episcopus sit, sive presbyter.* Cui præivit Honorius Augustod. lib. I, cap. 182. Apud veteres vero, puta apud Cyprianum, Augustinum aliosque, solis semper aut plerumque defertur hoc nomen episcopis. S. Ambrosius lib. v, ep. 30: *S. Damasus Romanæ Ecclesiæ sacerdos.* Greg. Turon. lib. de Glor. conf., cap. 107, de Paulino nostro loquens: *Decedente sacerdote apud Nolanam urbem, ipse in locum episcopi subrogatus.* Paulinus ipse in Epith. agens de Æmilio Beneventano episcopo hæc ait:

> D Posterius natus senior, quia sede sacerdos
> Gestat apostolicam pectore canitiem.

Supra:

> Sancta sacerdotis venerando pignora pacto
> Junguntur.

Hoc est Memoris episcopi. De hac re vide etiam la Cerda in Advers. sacr., cap. 39, n. 13. Appellabantur vero presbyteri *secundi ordinis sacerdotes*, ut videri potest apud Sidonium, ep. 25, lib. IV, et apud alios. Episcopi vero *primi ordinis sacerdotes* dicti. Hæc tamen vox presbyteros ipsos hic significare posset, quum plurali numero efferatur, et Nolæ tunc temporis unus memoraretur episcopus. Non ausim nihilominus asserere; sed potius pro *sacerdotum sacerdotis* reponendum arbitrarer.

V. 628. *Incolumi solio.* Octo sequentia carmina perperam ex Nat. XIV retulit Dungalus. Tu vide quanto hæc emendatiora nunc prodeant.

Quæ probet in Christo functos sine morte sepultos A
Ad tempus placido sopiri corpora somno.
Ergo reformato Felicis honore sepulcri
Omnia sollicite munita relinquimus, ut jam
Usque diem Domini, quo debita principe Christo
Excitis pariter radiabit gloria sanctis,
Inconcussa suo requiescant ossa cubili,
Quæque animam sanctam manet in regione superna
Pax, eadem in terra teneat venerabile corpus.
Quid superest quod adhuc referam? quasi vero vel ipsa,
Quæ cecini, digne ediderim, vel cuncta profusi
Munera retulerim pleno sermone patroni?
Multa latent, numero memori tamen omnia nobis B
Pectore fixa sedent, et plurima jam memorata,
Plura etiam memoranda manent. Sed maxima multis
Excerpenda monet moderandi regula libri.
Omnibus exstructis operum, quæ stare videntur,
Diversis exstare modis excelsa per aulas,
Et per vestibula extensis circumdata late
Porticibus, solum simul omnia munus aquarum
Tecta videbantur mœstis orare colonis.
Ipsum etiam, fateor, querula jam voce solebam
Felicem incusare meum, quasi segniter istis
Instaret votis, quod aquæ consortia nobis
543-544 Tam longum socia pateretur ab Urbe negari.
Verum inconsulta properantes mente trahebat C
Consilio potiore moras in tempora nectens
Congrua, sic etenim justa ratione petebat
Ordo operum, prior esset ut his perfectio cœptis,
Quæ circa sanctas venerandi martyris aulas
Sedula multijugo molimine cura parabat;
Cumque manum summam factis divina dedisset
Gratia, tunc pleno finitis ordine votis
Condita perductos rivaret in atria fontes.
Denique ut impleto stetit hic opus omne paratu,
Non extincta diu nostri sitis arida voti,
Moxque volente Deo populi prius aspera corda
Consensum facilem proclivi corde dedere.
Dicam igitur modo munus aquæ. Da nunc mihi, Felix,
A Domino exorans Verbo mihi currere verbum
Tam facili eloquio, quam largo flumine fontes
In tua vestibula, atque domos manare dedisti:
Omnia, quæ nobis te suffragante benignus
Contribuit Dominus, tali decoravit et auxit
Munere, quo fontes sitientibus intulit arvis.
Illa pio rursus petra Christus ab ubere fluxit,
Antiquæ referens donum pietatis, ut omnem
Insolito siccam prius inroraret arenam,
Et terram sine aqua subitis manare fluentis
Efficeret, sanctasque sui Felicis in aulas,
Hospitibus populis diversa gente coactis,
Per puteos simul, atque lacus, conchasque capaces
Largiter infusis nova currere pocula rivis.
Quis mea te fons summa daret deserta rigare,
Pumiceumque mei cordis perrumpere saxum,
Exque petra fundare domum, et de te bibere undam,
Quæ pareret vivam mihi sicco in pectore venam

V. 639. *Excitis pariter.* Quum tempore Paulini haud ita exploratum foret, statimne a morte, an post extremum Judicium piorum animæ ad visionem Dei, gloriamque perennem admitterentur, Paulinum suspicabar in hujusmodi quæstione ambiguum stetisse, et aliorum quorumdam Patrum itidem hic ancipitum exempla fuisse sequutum. Ex hoc versu satis ejus opinionem deprehendisse mihi videbar, et evidentius ex ep. 12 ad Sever., ubi de Claro, homine sancto jam defuncto, ita canit:

Sive Patrum sinibus recubas, Dominive sub ara
Conderis, aut sacro pasceris in nemore;
Qualibet in regione poli situs, aut paradisi,
Clare, sub æterna pace beatus agis.

Verum P. Eustachius a S. Ubaldo congr. erem. S. Aug. Excalc. V. C. et exquisita eruditione refertus, Paulinum, si ejus verba expendantur, recte sensisse me monuit. Et revera sanctum poetam hoc versu completam illam beatitatem innuisse, qua post supremum judicii diem corpore etiam glorificati fruentur sancti, facile nobis persuadere possumus. Memorata vero nuper carmina ad Severum de loco dumtaxat, ubi nunc detineantur fidelium animæ, Paulinum ambigere testantur; gloriam enim sanctis ante corporum resurrectionem collatam tantum abest ut eat inficias, quin illam expresse asserat, quum ait:

Qualibet in regione poli situs, aut paradisi,
Clare, sub æterna pace beatus agis.

Hinc ejus opem apud Deum implorat. Sæpe vero S. Felicem cœlo redditum canit Paulinus. Nat. I inquit:

Vectus in æthereum sine sanguine martyr honorem.

Nat. III:

Occidit, et Christo superi est natus in astris,
Cœlestem nactus sine sanguine martyr honorem.

Nat. VI expresse S. Felicis gloriam testatur:

Superi Felicis mente fruuntur,
Corpore nos, animæque potentis spiritus illic
Vivit, et hic meritum.

Defunctum Felicem ait per angelos delatum

Regis in adspectum, summique parentis ad ora.

Tribus illum coronis donatum exhibet, subditque:

Tenet ergo et præmia passi
Quod prompta virtute fuit, nec pacis honore
Ornatuque caret.

Igitur de loco ubi fidelium animæ detinerentur, non D vero de eorum beatitate aliquantulum dubitasse Paulinus videtur.

V. 655. *Ipsum etiam, fateor.* Hunc aquarum defectum tetigit Paulinus Nat. IX:

Forsitan hæc inter cupidus spectacula quæras,
Unde replenda sit hæc fontibus area dives,
Cum procul urbs, et ductus aquæ prope nullus ab Urbe
Exiguam huc tenui demittat limite guttam.
Respondebo: nihil propria nos fidere dextra,
Nil ope terrena confidere: cuncta potenti
Deposuisse Deo, et fontes præsumere cœlo.

V. 685. *Per puteos.* Hic est Nolanæ urbis usus, illatas per aquæductum undas, puteis et lacubus excipere, futurum æstivo tempore solatium. Capacius Hist. Neap. in fin. de aqua Nolam ex urbe Abella derivata agens hæc ait: *Non modo agrum alluit, atque ita ut, cum per rivos derivetur, immittatur in puteos, qui passim ubique conspiciuntur, cujusque aquarum bonitate, et frigiditate Abellani æstivis caloribus maxime cum*

Æternum salientis aquæ? Sed et hæc mihi gutta A
Eloquii tenuis, quo te loquar, inde profecto
Ducitur, unde etiam fluviis exundat origo.
Nam quis vel modico te summa potentia summi
Christe Patris fari sine te queat? Ipse tuus te
Inspirat Christus dici quo lumine lumen
Et patris et nati par cernimus, ut duce sancto
Adspirante Deum fateamur cum Patre Christum.
Sed quia dum vivi fontis gero nomen in ore,
Gutta meum stillavit in os de flumine Verbi,
Forte aliquem referent ex hinc mea labra saporem,
Et nunc munus aquæ non siccis faucibus arens
Lingua, sed uberius velut humectata loquetur.
Omnibus instructis operum, quæ multa videntur,
Postulat iste locus devotæ nomen Abellæ
Indere versiculis, nam digna videtur honore
Nominis hujus, ut in laudem Felicis et ipsa
Laudetur, quia pro Felicis honore laborem
Sponte sibi sumpsit, quod desudare sub æstu
Rupibus abruptis requiem, pretiumque putavit.
545-546 Parva quidem hæc muris, sed sancto magna feretro
Urbs opere hæc nostræ hinc sex millibus absita Nolæ
Altijugos montes interjacet, ex quibus ortas
Cominus haurit aquas, et in unam suscipit arcam:
Unde per insertos calices sibi prima fluentum
Vindicat, et reliquo Nolanam profluit urbem
Flumine, multa rigans et in agris prædia passim.

Sed redeam ad grates operis pro munere habendas;
Namque operis ad aquæductum, quem longa vetustas
Ruperat, ad sua vasa iterum formasque vocandum
Præbuit ubertim gratas operas. Locus altis
Insertus scopulis, nullo neque calle viarum
Jumentis etiam penetrabilis esse negabat;
Unde etiam mercede manum reperire paratam
Difficile immensi faciebant ardua montis;
Quo major mercedis honor locupletat Abellam,
Quod promte famulata sacro Felicis honori
Effusa pietate manus impendit inemtas.
Cernere erat trepidas tota de plebe catervas
B Ordinis et populi simul una mente coactas
Mane novo excitos ad opus concurrere lætos,
Certatimque alacres in summa cacumina ferri,
Et sub fasce gravi cophini cervice subacta,
Cæmentisque simul dumosa per ardua vectos,
Sole sub ardenti crebros iterare recursus,
Et tota, quam longa dies æstate moratur,
Tendere ab aurora seras in vesperis horas,
Pervigilesque animis, modica vix nocte refectis
Corporibus, rursum ante diem fabrilia ad arma
Surgere, nec sentire Deo vegetante laborem.
Denique sic operis processit gratia magni,
Ut tamquam ludo paucis opus omne diebus
Sumeret explicitum perfecto munere finem;
Formaque longinquis a montibus aggeris, arto

C

voluptate recreantur, sed ad Nolanorum quoque cisternas, soluto pretio, deferatur.

V. 695. *Ipse tuus te.* Lectio sensusque non parva in caligine sedent. Medelam tamen aliis intentandam relinquo.

V. 705. *Nomen Abellæ.* Legendum *Abella*, non *Avella*, quippe quod apud Ptolomæum ac Strabonem, ut observat Cluver. in Ital. antiqua, lib. IV, p. 1185, scribitur Ἄβελλα, non vero Ἀουέλλα. In marmore vetusto apud Capacium legitur POPULUS ABELLANUS. Virgilius quoque, Æneid. lib. VII, Abellam memoravit:

Et quos melliferæ despectant mœnia Abellæ.

Servius tamen ad hunc Virgilii locum *maliferæ* legendum monet, *nam Nolæ Punica mala nascuntur.* Vide præterea Justinum Trogi abbreviatorem lib. XX, et Plinium lib. III, cap. V.

V. 711. *Sancto magna feretro.* Nondum rescire datum est mihi, quodnam sancti corpus olim Abellæ D condereter, quicquid in hanc rem laboris impenderit eruditissimus vir, mihique multum commendandus Hercules Barussius, qui nullum prætermisit, dum Neapoli ageret, officium, ut hujus eruditionis cognitionem attingeret. In codice nostro ita legitur: *Sed sancto mihi magna feret.* Ego defectum supplevi in postremo verbo, illudque *mihi* metro suadente expunxi.

V. 712. *Urbs opere.* Error fortassis in voce, quem tollere non audeo. Geminæ nunc temporis numerari possunt Abellæ. Nova una, vetus altera. Illa vix passuum sex millibus Nolana ab urbe distat; hæc vero, ut ait, Capac. Hist. Neap. lib. II, cap. 30, *vestigia vetusta prodit, quæ haud a nova longius absunt, murorum, turriumque reliquiis perspicua, 24 fere stadiorum ambitu circumscripta.*

V. 713. *Altijugos montes.* Capacius loco laudato hæc habet: *In montium et collium theatro posita sedet Abella in Campana planitie, et quamvis hyeme montium juga rigeant, tanta nihilominus afflatur aeris amœnitate, ut nunquam accolæ frigorum injurias pertimescant.*

V. 714. *Cominus haurit aquas.* De rivulis qui ex Abellanis montibus cadunt, et Nolam usque deferuntur, legendus Ambrosius Leo de Nola lib. I, cap. I, et Capacius loco memorato.

V. 715. *Per insertos calices.* Quid sit calix in aquæductibus glossæ et reliqui lexicographi silent. Frontinum tamen habeo docentem lib. de Aquæd. Romæ: *Est autem,* inquit ille, *calix modulus æneus, qui rivo vel castello inditur. Huic fistulæ applicantur, longitudo ejus habere debet digitos non minus 12, lumen, idest capacitatem, quanta imperata fuerit. Excogitatus videtur, quoniam rigor æris difficilior ad flexum non temere potest laxari, vel coarctari.* Hanc vocem usurpat infra laudatus auctor: *Procurator calicem ejus moduli, qui fuerit imperatus, adhibitis libratoribus signari cogitet.* Et rursus: *Circa collocandos quoque calices observari oportet, ut ad lineam ordinentur, nec alterius inferior calix, alterius superior ponatur.* Denique hæc notanda refert: *In quorumdam fistulis ne calices quidem positi fuerunt.*

V. 721. *Gratas operas.* Sic legendum arbitror pro eo quod est in ms. *gratis operis.*

V. 733. *Cophini.* Cophinus est viminea fiscella, aut quid simile. Vox apud evangelistas non modo, sed apud Latinos quoque meliores occurrit. Juvenal. sat. 3, v. 13:

Nunc sacri fontis nemus, et delubra locantur
Judæis, quorum cophinus, fœnumque supellex.

Idem repetit in sat. 6, v. 542. Egregiam de *cophino* eruditionem, nempe signum Judaicæ servitutis fuisse, pete a Laurentio Ramirez de Prado in Pentecont., cap. 40. In subsequenti versu pro *vectos* lego *vectis.*

V. 744. *Formaque. Formæ canales structiles sunt,*

A

Quæ fuerat longe prius interrupta veterno,
Undique fonticulis diversa ex rupe receptis
Collectam revocaret aquam sitientibus olim
547-548 Urbibus, et pleno per milia multa viarum
Tramite formarum, et nostri Felicis inundans
Læta novum calicem fluvio superante repleret.
Et quod divini documentum muneris egit
Largior æstivis huc mensibus unda cucurrit,
Quam prius hybernis ex imbribus ire solebat.
Hic ego te modo jure ream, mea Nola, patrono
Communi statuam, et blandæ pietatis ab ira
Mente manens placida motum simulabo patronum,
Filiolam increpitans veteris sub voce querelæ.
Nam mihi, Nola, tui consortia justa petenti
Fontis, eo turbata metu, quasi dura negabas
Hospitium communis aquæ; divinaque jura
Respicere oblita, humanis mea vota putabas
Viribus, et mihi te, Felicem oblita, daturam
Credebas; ac, si tribuisses, mox tibi siccam
Subducto patriam potu fore mœsta gemebas;
Idque etiam moto damnabas sæpe tumultu,
Nescia divinis opibus promotos fore fontes,
Sicut et experta es. Nam mox Deus ipse creator
Arguit ignavas Christo diffidere mentes,
Cum tibi post placitam pacem ut jam fluminis usum
Felici consorte pie partita teneres;
Quo magis exsuperante tuam bonitate querelam
Argueret. Non, ut metuebas, ille sitire
Divisa te fecit aqua, sed ut auctor, et altor
Rerum hominumque simul, qui condidit omnia verbo,
Ostendit tibi rem esse suam, quam tu ejus amico
Ut propriam Domino rerum diffisa negabas.
Vidisti certe [nam te res ipsa fateri
Compulit] æterni sublimia jura parentis,
Cis potens . . . . meritum cum larga sub æstu
Effueret, damnoque pio, quo martyris aulis
Tradideras partem, subitos crevisse meatus,
Laxatoque suis in faucibus ubere fontis
Jussa fluenta tibi cum fœnore reddita multo
Mœnibus influxisse tuis; et tempore in ipso,
Quo totiens undæ possessor egere solebas,
In multum referente Deo quod sumpserat a te,
Fluxit abunda tuis aqua potibus, atque lavacris.
Quodnam igitur tanto pro munere munus, Abella
Pauper opum, referam tibi? Saltem carmine nostro
Obsequium nomenque tuum dum prædico signans,
Hoc pensabo tibi pretium mercedis honore,
Felicis sancti scribaris ut addita semper
Laudibus, et tanti memoreris alumna patroni,
Cujus donorum tibi portio maxima facta est.

B

Nunc tuus iste labor, quo te Felicis adegit
Spiritus, ut tota tibi plebe vel ordine concors
Adgredereris opus magno sudore parandum,
549-550 Tempore et æstivo durum duplicante laborem,
Molis ut antiquæ per iniqua cacumina formam
Præteritis notam seclis, jam vero sine usu
Deficientis aquæ, superactis undique multa
Congerie sylvis inter juga vasta latentem
Exuis aggeribus densis, oblitaque dudum
Munia restituis; sparsasque per avia venas,
Pumiceis alte quæ sorbebantur arenis,
Colligis, et sua quamque sequi vestigia rursus
Cogis aquam, et reducem formæ matricis in ora

C

Invehis; et dudum vacuos cessante meatu
Exundare facis fluctu remeante canales;
Atque diu querulam subductis fontibus urbem
Jam desperato perfundis flumine Nolam.
Quæ fruitur Felicis aquis (quia copia non est
Hæc ipsi sua nunc urbi, quam nuper adepta est
Felicis studio) modicæ pro munere guttæ
Ex ope divina largis ditata fluentis.
Ergo et tu mecum parvam quasi mater Abellam
Nola fove, quoniam ut cognoscis, et ipsa tuarum,

et arcuati, ut ait Vitruvius. Nomen hoc Sidon. Apoll. lib. VIII, cap. VII, usurpavit : *Cujus mihi non solum formas, verum etiam naumachias videbar epotaturus.* Frontin. lib. I et II, Cassiod. ep. 21 et 31, Symmach. ep. 33, lib. X, Ammian. lib. XXVIII, et alii meminere. Anonymus de Aquæduct. : *Nunc nomina aquarum, quæ usibus æternæ Urbis formarum constructionibus advectæ sunt, indicemus.* Palladius lib. IX, tit. 11 : *Aqua si per formam ducetur, solidandus est canalis, ne per rimas possit elabi.* Hinc magistratus, cui *comes formarum*, et *curator formarum* nomen erat, in inscriptionibus vetustis non raro occurrens. De hoc vide clarissimum Du Fresnium in Gloss. med. et inf. Lat.

D

V. 748. *Per milia multa. Milia* pro *milliaria* vox nescio an melioribus nota, sed ævo Paulini usurpata. Hac noster supra usus fuerat :

Urbs opere hæc nostræ hinc sex millibus absita Nolæ.

Adhibitam quoque invenio a Rutilio Numatiano, lib. II, qui Paulini ætate floruit :

Intervalla viæ fessis præstare videtur
Qui notat inscriptus : Millia multa lapis.

Ego a Græcis Latio illatum hoc nomen arbitror; apud illos enim in usu fuit Μίλιον pro *mille passibus*, quod vocabulum Strabo lib. VII usurpavit. De hac voce Suidas ait : Μίλιον μέτρον τῆς γῆς. Τὰ δέκα μίλια ἔχουσι σταδία π'. *Milium mensura terræ. Decem milia habent* 80 *stadia.* Idcirco Constantinopoli μιλλιάριον appellabatur locus, unde viæ numerabantur, et ubi itinerum meta fuerat sita, ad instar *Milliaris Aurei*, quod Romæ antiquitus erectum fuit, de quo vide erudit. Du Fresnium lib. I CP. Christ., cap. 24. Palladius propterea Paulino synchronus in Hist. Laus., cap. 6, 20 et 77, *milii* vocem pro *milliari* usurpat, quam Latinus ejus interpres admodum vetustus retinuit. In codice nostro per unicum L scribitur hoc vocabulum. Ego non immutavi, quum maxime ad Græcorum lectionem accedat.

V. 763. *Credebas.* Forsan verbum aliqua indiget emendatione. Certe sensus clarior evadere posset.

V. 789. *Pauper opum.* Abellæ pauperiem tetigit etiam Silius Italic. lib. VIII :

Sorrentum, et pauper sulci Cerealis Abella,

Filia cum tua sit, tamen est tibi mater aquarum, A
Cujus ab indigenis tibi montibus affluet omnis
Copia, quæ fueras felicibus ante superba,
Et qua post studio meliore ministra fuisti.
Gaude igitur, mea Nola, tibi et gratare, profusis
Viribus exultans Christo, qui te per amicum
Dilectumque suum Felicem finxit, et auxit
Natura famulante tuum manus alta decorem.
Cerne tuam faciem, qua nunc nova pœnituisti,
Ut noscas, dederisne aliquid Felicis honori,
An magis a Felice Dei cumulata colaris?
Asper ubi nudis arebat calculus arvis,
Nunc mutata viret madefactis gratia glebis.
Non istos tantum fontes tibi, Nola, profudit
Felicis merito tibi dives gratia Christi: B
Cœlifluos etiam fontes huc ad tua duxit
Mœnia, Felicisque sinu gaudente locatos
Diffluere in multas effusis amnibus urbes
Urbe tua jussit. Famulos Christi loquor istos,
Par inlustre Deo, par nobile nomine Christi
Albina cum matre tuis modo finibus ortos,
Pignora cunctorum sanctorum, et gaudia cœli
Piniadæ Melani cum fœdere par benedictum.
Hos Deus et natos Felicis, et ubera fecit,
Ubera divinæ bonitatis proflua lacte,
E quibus omnis inops alimenta fluentia sumit,
Omnis item dives documenta salubria sumit.
Hi sunt ecce pio Christi de flumine fontes,
Qui non visibili per terram gurgite manant,
De viva miserantis aqua pietatis abundant. C
Hos tu, Christe, tibi præsta ubertate perenni
Scaturire tui Felicis in ubere fontes,
Et numquam has ullo tenuari sidere venas.
551-552 Influe pectoribus semper tibi, Christe, dicatis,
Felicique tuo de peccatoribus ipsi
Mandatis tribue, ut numquam pietas tua nostris
Visceribus fontem hujus opis subducat, et ipse
Fons a fonte tuo Felix nos largus inundet,
Semper ut in nobis saliat, rex Christe, tuus fons,
Et nos de miseris et egenis sorte tui jam
Nominis obtineat felices vivere Felix.

POEMA XXII.*

Jovium docet providentiæ divinæ omnia subjacere; fatum vero et fortunam nihil esse. Illum ad Scripturæ sacræ lectionem hortatur. D

Jam mihi polliceor sacris tua carmina libris
Condere, teque Dei flammatum numine Christi
Ora soluturum summo facunda parenti.
Incipe divinis tantum dare pectora rebus,
Subrectosque (a) Deo sensus attollere terra,
Mox oculis cœlo nova lux orietur aperto,
Intrabitque sacer tacito per (b) aperta meatu
Spiritus, et læto quatiet tua viscera flatu.
Eia age tende chelym, (c) fœcundum concute pectus,
Magna (d) movens: abeat solitis impensa facultas
Carminibus: major rerum tibi nascitur ordo.
Non modo judicium Paridis, nec bella gigantum
Falsa canas: fuerit [1] puerili ludus in ævo
Iste tuus quondam; decuerunt ludicra parvum.
Nunc animis gravior, quantum provectior annis,
Aspernare leves maturo corde Camœnas,
Et qualem castis jam congrua moribus ætas,
Atque tui specimen venerabile postulat oris,
Suscipe materiam, divinos concipe sensus.
Si decus e falsis aliquod nomenque tulisti
De vacuis magnum rebus, cum ficta vetustis
Carminibus caneres, vel cum terrena referres
Gesta triumphantum laudans insignia regum.
Non equidem ex illis tu laudem sumere dignus,
Quos magis ornabas opulenti munere verbi.
Quanto major ab his cedet tibi gloria ceptis,
In quibus et linguam exercens, mentem quoque sanctam
Erudies, laudemque simul vitamque capesses?
Dumque leges (e) catus, et scribes miracula summi
Vera Dei, propior disces, et carior ipsi
Esse Deo: quem dum credens miraris, amare
Incipies, et amando Deum redamabere Christo.
Hactenus illa tuæ vanos tuba vocis in usus
Persona, divinos [2] modo celsius intonet [3] actus.
Nosse (f) moves causas rerum et primordia mundi?
Ne vagus innumeros (Epicuri somnia) mundos,
Quos atomis demens per inane parentibus edit,
Irritus in vacuum spatiato pectore quæras;
Legifer antiquo venerandus nomine Moses,
Compositus prima referens ab origine mundum,
Instituente Deo, curas tibi solvet inanes,
Formatumque hominem limo, et spiramine sacro
553-554 Afflatum referens, cujus sis munere cunctis
Celsior in terra spirantibus, ipse docebit.
Ne te ceu [4] lapides Pyrrhæ, argillamve Promethei [5]

V. 820. *Copia quæ fueras.* Ita in codice.

V. 826. *Pœnituisti. Pœniteo* apud veteres Latinos usurpatum, ac propterea eleganter quoque a Paulino usurpatur. Testis est vetustiss. Priscian. lib. XI de Temp. et Form. particip., ubi de imperson. loquens, ait : *Sciendum tamen, quod hæc omnia inveniuntur perfectorum declinationem habentia in usu veterum teste Capro, pigeo, pudeo, tædeo, pœniteo.* Monuit etiam utriusque linguæ peritissimus vir, et summa refertus eruditione Michael Maddius magni viri Caroli Mariæ Maddii filius, apud Pacuvium se legisse *pœnitebunt.*

V. 840. *Piniadæ.* Hoc est Piniani, qui forte alterius Piniani filius erat, secundum patronymicorum nominum normam. Vide quæ dixi in Diss. VI.

* Alias subjungebatur epist. 16. Huc adscitum est. Scriptum ante annum 400, forte an. 398 aut 399.

(a) Mss. Vien., *Subjectos.* Ms. Reg. et ed. Poelm., *Subreptos.*

(b) Ita ms. Vien. et edit. Schot. t. V Bibl. PP., pag. 978. Alii, *operta.*

(c) Ms. Vien., *facundum.*

(d) Ms. codex Viennensis, *vomens.*

(e) Ms. Vien., *caute.*

(f) Ms. Vien., *volens.*

Contemnas, quem summa manus vultuque ani- A
[moque
Sublimem et propria dignatus imagine finxit.
Cognosces (*a*) ibidem (ne pergas tradere fatis
Arbitrium nostri) quæ nos sententia leto
Vinxerit, et cujus vitam sub lege trahamus.
Si mentem cœlo jacis altius, et super astra
Scire cupis quid sit, vel quid fuerit prius ævo;
Et mundo et seclis docet ulteriora Johannes [a].
Principio Verbum, inquit, erat: Deus obside
[Verbo
Gaudebat, Verbumque Dei simul et Deus idem
Verbum erat Hoc Verbum est, sine quo nihil,
[omnia per quod
Facta vigent, quod cuncta regit, cui subdita pa-
[rent B
Omnia, et æterno natura omnis famulatu
Strata Deo (*b*) Numen geniti et genitoris adorat.
Cunctaque per gentes, in majestate paterna
Regnantem Dominum jam lingua fatetur Iesum:
Nomine quo fundata salus stat nostra, fidesque
Nititur, æternæ tendens in secula vitæ [b].
Hujus divino mortales munere fulti
Assequimur fragilem castis evincere factis
Naturam, et rigidæ disrumpere vincula mortis:
Et non corporeis in corpore legibus uti,
Sectantes divina Dei vestigia Christi:
Mente animam corpusque sacris moderante sub
[armis,
Mens quoniam subjecta Deo capit arma salutis,
Inque animam carnemque suam regnum obtinet; C
[et fit
Jure potens homo quisque sui: qui deditus uni
Æternum (*c*) Domino proprios regnator in artus
Efficitur, vitiis invictus et osor iniqui;
Fortior adversis virtutibus, ordine justo
Verus homo, quia mente potens, in qua ratio-
[nis
Lumen habet, famulos nullo certamine sensus
Temperat, et placidis sua pectora flectit habenis:
Tu, cui mens generosa superni (*d*) seminis
[igne
Ardet, in æthereos animo conscende recessus,
Et gremio Domini caput insere: mox inhianti
Proflua lacte sacro largus dabit ubera Christus
Divinoque tuam perfundet lumine mentem; D
Ut videas pulsa caligine magna tremendi
Jura Dei, quibus omniparens sapientia Christus,
In sese ipse manens semper novat omnia rerum.
Atque ut vult, operum Deus arbiter ipse suorum,
Continet et mutat species, et tempora vitæ
Porrigit aut retrahit; cœlum, mare, sidera, ventos,
Qua fecit virtute regens. Docet exitus ingens
Ægypti, mersusque mari refluente tyrannus. [c]
Et prius ipse graves elementa per omnia motus
Expertus quem cuncta tremant, cui cuncta mi-
[nistrent [d].
Tempore namque uno tellus communis habe-
[bat
Judæos, quæ sola Deo tunc lecta fuit gens [d];
Et tamen illa Dei gravis hostibus ira superbis
Permixtos inter populos discreta cucurrit.
Jam scio, non dicis, quod fors incerta procellas
Et mare casus agat, mare cum discedere jussum
Discessisse legas, siccamque rigentibus undis
555-556 Inter aquas patuisse viam, rursus-
[que solutum
Æquor ad imperium sancti virgamque prophetæ
In liquidos remeasse sinus [e]. In utroque maris
[vis
Paruit, ut sanctis iter et vindicta daretur.
Quid profugus Tharsum vates, quem sorte
[pericli
In mare dejectum spatioso bellua rictu
Cepit, et innocuum vasta (*e*) eructavit [f] ab
[alvo [g];
Nonne docet ditione Dei mare et astra moveri?
Namque Deum frustra fugiens, quem cuncta te-
[nentem
Nemo fugit, movit cœli simul et maris iras.
Omnipotentis enim Domini natura rebellem
Cognoscens, timuit per se quasi conscia tutum [7]
Ferre reum, et ventis fugitivum vinxit, et undis.
Iste propheta Deo lectus terrere minaci
Peccantes monitu [8] populos; postquam grave
[dixit
Exitium, fregitque reos, avertit et iras
Numinis; impenso lavit sua crimina fletu,
Extremumque diem fugit bene versa (*f*) Ni-
[nive [h].
Num rex ille habuit fatum, qui morte pro-
[pinqua [8]
Oravit Dominum, quem leges noverat unum
Flectere posse suas, consumtum ut tenderet
[ævum
Longius, et meruit tria ducere lustra, superstes
Annis ipse suis, et non sua vivere secla?
Nunc tria miremur texentem Fata [i] Plato-
[nem,
Aut Arati numeros, aut picta Manethonis astra?
Dicant, quæso, ubi tunc rapidas nascentibus
[horas

[a] Johan. I.
[b] Philip. II, 1.
[c] Exod. XIV.
[d] Psal. LXXV, 1.
[e] Exod. XIV.
[f] Vide not. 258.
[g] Jon. I.
[h] Isai. XXXVIII, 5.
[i] Vide not. 259.
(*a*) Sic mss. Reg. et Vien. cum edit. Schot., pag. 978. Alii codd., *itidem*.
(*b*) Ita ms. Viennensis. Alii codices, *geniti nomen genitoris*.
(*c*) Ms. Vien., *Æterno*.
(*d*) Ms. codex Vaticanus, *luminis*.
(*e*) Sic ms. Reg. et edit. Schot. ms. Vatic., *jactavit*. Alii, *ructavit*. Vide not. 258.
(*f*) Ita mss. Reg., Vien. et edit. Schot., p. 979. Editi quinque, *Ninevæ*.

Ponebant, et quæ quibus ibant sidera signis, A
Cum pius Ezechias (*a*) fidi virtute (*b*) precatus,
Verteret astrorum (*c*) cursus, cœlique meatus
Turbaret (*d*) jussis retroacto lumine solis [a]?
Vel ducis imperio sancti cum sisteret idem
Dilata sol nocte diem, ut victoria sacri
Profligaretur populi, stetit orbe (*e*) recurso
Libra poli, ut magnos caperet lux aucta triumphos.
Quid soboles, virtusque Dei, et sapientia Christus,
Nonne satis vanis curas erroribus aufert?
Nosque simul monitis et factis edocet, unum
Cuncta Deum regere, et nihil ut sine mente putemus
Principis esse Dei, dicens non arbore frondem, B
Aere non volucrem sine jussu decidere? et cum
Omnipotens verbo sternit mare, vel pede calcat,
Et verbo morbos abigit, vel dæmonas urget,
Aut reduces animas in corpora functa remittit,
Jamque diu exanimos tumulis jubet ire reclusis,
Integratque putres vita remeante sepultos :
Nonne potestatem propriam satis indicat autor
Qui solus naturam omnem vitamque gubernat [b]?
His, precor, his potius studiumque operamque legendis
Scribendisque vove; cane grandia cœpta Tonantis,
Scribe creatarum verbo primordia rerum,
557-558 Et chaos ante diem, primæque crepuscula lucis; C
Quæque dehinc variis elementa per omnia seclis
Dicta vel acta Deo per sancta volumina disces,
Quæ docuit tabulis legalibus indita Moses;
Aut evangelici quæ lex nova Testamenti
Signat operta prius retegens mysteria (*f*) Christi.
Tunc te divinum vere memorabo poetam,
Et quasi dulcis aquæ potum tua carmina ducam.
Cum mihi nectareos summis a fontibus haustus,
Præbebunt Dominum rerum recinentia Christum,
Atque tuam pollere Deo testantia mentem,
Ut simul oris opes a te mentisque capessam;
Et quem (*g*) cognatum junctum mihi fœdere lætor, D
Gratuler et sancta sub relligione propinquum,
Nec cum mortali solvendis corpore vinclis
Perpetuo sanctum complectar pignore fratrem.
(*h*) Lege felix Jovi in Christo Jesu Domino nostro

POEMA XXIII. *

DE S. FELICE NATAL. CARMEN VII.

Obsessos a dæmone liberat S. Felix. Theridio oculum restituit.

Ver avibus voces aperit, mea lingua suum ver
Natalem Felicis habet, quo lumine et ipsa
Floret hiems, populis gaudentibus; et licet atro
Frigore tempus adhuc mediis hiberna pruinis
Ducat, concreto terris canentibus anno :
Ista luce tamen nobis pia gaudia lætum
Ver faciunt, cedit pulsis a pectore curis
Mœror hiems animi : fugiunt a corde sereno
Nubila tristitiæ. Sicut cognoscit amicos
Mitis hirundo dies, et pinnis candida nigris
Ales, et illa piæ turtur cognata columbæ,
Nec nisi vere novo resonant acalanthida dumi
Quæque sub hirsutis mutæ modo sepibus errant,
Mox reduci passim lætantur vere volucres,
Tam variæ linguis, quam versicoloribus alis;
Sic et ego hunc agnosco diem, quem sancta quotannis
Festa novant justo magni Felicis honore.
Nunc placidum mihi ver gaudente renascitur anno,
Nunc libet ora modis et carmina solvere votis,
Vocibus et vernare novis : Deus influe cordi
Christe meo, et superis sitientem fontibus exple.
Sed de te vel gutta meis aspersa medullis,
Flumen erit. Quid enim mirum, si rore pusillo
Et minimam [1] repleas animam, qui corpore parvo
Factus homo, æterno complesti semine mundum,
Et totum gutta servasti sanguinis orbem?
Annue fons verbi Verbum Deus, et velut illam
Me modo veris avem, dulci fac voce canorum,
Quæ viridi sub fronde latens solet avia rura
Multimodis mulcere modis, linguamque per unam
Fundere non unas mutato carmine voces.
Unicolor plumis ales, sed pictà loquelis;
Nunc teretes rotat illa modos, nunc sibila longis
Ducit acuta sonis, rursum quasi flebile carmen
559-560 Inchoat, et (*i*) subito præcidens fine querelam

* Alias 22; quod autem erat 10, nunc 16. Scriptum anno 400, die 14 Januar.

a Jos. x, 12.

b Matth. x, 29; Luc. viii, 24; et Matth. xiv, 25; Ibid. iv, 24; Luc. vii, 15; Johan. xi, 39 et 44.

(*a*) Sic Bad. edit. et Sachin. Ceteri codices, *fidei*. Sed secundam syllabam in voce *fidei* semper producit Paulinus.

(*b*) Mss. Vatic. et Vien., *precatu* : quæ lectio etiam admitti potest.

(*c*) Ms. Reg. et edit. Poelm. in marg., *casus*.

(*d*) Ex ms. Viennensi et ex Sacchino emendavimus *jussis*, id est, imperio suo turbaret cœli meatus retroacto sole : imperio autem, quia ipse elegit signum. Ante erat *jussi*. Ms. Reg., *jussit*, mendose.

(*e*) Sic mss. Reg. et Vien. cum editis Grav. et Poelm. At ms. Vaticanus codex cum editis tribus, *recusso*.

(*f*) Ita ms. Vien. Ceteri codices, *Christo*.

(*g*) Sic mss. Reg. et Vien. cum tribus editis. Alii, *cognato*.

(*h*) Hæc desunt in ms. Vien. Edit. Schot., *Vale felix*, etc.

(*i*) Ita restitutum ex ms. codice Germ. Ante erat *sicut*.

Attonitas [a] rupto modulamine decipit aures.
Sed mihi juge fluat de te tua gratia, Christe.
Et tamen illius mihi deprecor alitis instar
Donetur variare modos, et jam mihi pacta [a]
Carmina, mutatis uno licet ore Camœnis [b],
Promere; diversas quia semper gratia dives
Materias miris Domini virtutibus addit,
Quas Deus in caro Christus Felice frequentat,
Clara salutiferis edens miracula signis.
Cernitur illa dies spectari sueta per omnem
Vipeream sobolem, sævos cum dæmonas urget,
Occultaque manu (*a*) clamosos verberat hostes.
Sed tamen hac ipsa mirum in virtute notatur,
Quod licet in toto cruciatos dæmonas anno
Exagitet, jubeatque hominum discedere membris,
Producat plerosque tamen, quo longior hostes
Pœna malos agitet; velut illi, qui meruere
Vasa Malis fieri, ut meritum [c], tardante medela,
Plenius omne luant (*b*) dilato tempore crimen:
Sive hoc natali studet indulgere diei,
Ut paucis alias det opem, quo [c] plura benignus
Natali det dona suo. Nam cum ista propinquat
Elabente dies anno, tunc crebrior instat
Et gravior. Videas tunc ægra examina cogi
Densius, et certam repeti prope festa salutem.
Tunc solito gravius succensi dæmones ardent,
Flebiliusque ululant, et vi majore subacti:
Ultima jam tormenta gemunt: nec abire sinuntur
Excessu facili, sed miris ante agitati
Et variis male suppliciis, tolluntur in altum,
Suspensi solito sublimius, et (*c*) quatiuntur
Aeris in vacuo, vinclisque latentibus hærent
Pœnali per inane mora; per non sua quamvis
Corpora, vexatos hostes sua pœna fatigat.
Solvuntur pœnis, cum pœnas ferre videntur
Corpora, et immunes animæ spectant aliena
In membris tormenta suis: homo dæmone capto
Liber agit, [(*d*) species pœnarum in corpore tantum est;
Sensus abest,] quia non hominis, sed dæmonis est crux.
Hostis amare quid insultas, qua spe uteris in nos?
Ecce Redemptoris nostri Malus arte vicissim
Luderis illusor; dolus et tuus in tua cedit
Vincla tibi; capiens caperis, nectensque ligaris.
Fit laqueus laqueatus homo, et sua præda latronem
Decipit; et capti captivus corporis escam
Dum petit illicitam, letalem devorat hamum.

A His etiam potiora tamen spectata profabor.
Ante alios illum, cui membra vetustior hostis
Obsidet, ad sacri pia lumina martyris, ægra
Excussum de plebe rapi, admotumque sacratis
Ante fores sancti cancellis, corpore verso
Suspendi pedibus spectantem tecta supinis.
Quodque magis mirum atque sacrum est [a], nec in ora relapsis
561-562 Vestibus, ut rigidis, aut ad vestigia sutis,
Corporis omne sacrum casto velatur operto [b]:
Scilicet ut divini operis reverentia tectis
Corporibus maneat, nec pœna dæmon in ipsa
Qua cruciatur ovet, nudis prodendo pudorem
Artubus, illæso gravius torquetur honesto,
B Recta licet versis sedeant cum tegmina ’ membris.
Mira hæc sunt, et magna: quis abnegat? et tamen usu
Nota magis, minus audita miranda videntur,
Quamlibet et visu reverenda, et grandia facto.
Ergo minuta mei simul et nova facta patroni
Auscultate, precor, Dominus quæ Christus in illo
Multimoda virtute gerit, quibus omnibus unam
Confirmare fidem nobis studet; ut per aperta
Arcanum documenta Deum videamus adesse,
Resque hominum et mentes studio curare paterno
Cœlestem Dominum, qui condidit omnia verbo.
Det mihi prima meus narrandi exordia frater
Theridius: nam quod potiusve priusve canendum
C Suscipiam Felicis opus, quam quod mihi tectis
Ipse meis quibus est, idem Dominædius egit?
Ex illa modo nocte diem cadit annus in istam.
Nostis eum morem (*e*) quo jejunare solemus
Ante diem, et sero libatis vespere sacris,
Quisque suas remeare domos. Tunc ergo solutis
Cœtibus a templo Domini, postquam data fessis
Corporibus requies sumta dape, cœpimus (*f*) hymnis
Exsultare Deo, et psalmis producere noctem.
Interea meus iste choro digressus amico,
Ut spirante foris aura depelleret æstum,
Quem fumosa dabat ceratis cella papyris,
Porticus angusti qua tenditur agmine tecti.
Nocte licet nullo via lumine cæca lateret,
D Hic tamen intrepido per cognita limina passu,
Heu! (nam vicini incautus discriminis) ibat.
Comminus in medio tecti cameram inter humumque
Nutabat solitus (*g*) lychnum [c] suspendere funis,
Innectens trijugum supremo stamine ferrum,
Quo vitreæ inseritur penetrabilis ansa lucernæ,

[a] Vide not. 261.
[b] Pro *operimento*.
[c] Vide not. 262.
(*a*) Sic emendavimus ex ms. Germanensi codice et ed. Schot. in marg. In editis quinque mendose, *cum nosset*; inde Rosweydus correxerat *communes*. Vide not. 260.
(*b*) Ita ms. Germ. Edd. decreto.
(*c*) Sic emendavimus ex ms. codice Germ. Alii *patiuntur*.
(*d*) Hunc versum addidimus ex ms. cod. Germ. Ante erat *Liber egit, quia*.
(*e*) Ita restitutum ex ms. Germ. Ante erat *ut*, contra legem metri.
(*f*) Ms. Germ. cum editis tribus, *hymnos*.
(*g*) Sic emendavimus ex ms. codice Germ. faventibus Latinio et Ducæo. In editis, *lignum*, male. Vide not. 262.

Auritusque calix tribus undique figitur uncis.
Funditus albet aqua, super undam flavet olivo.
Stat liquor in (*a*) liquidis, subjecto lubricus humor
Fonte natat, neque juncta coit mixtura fluoris.
Et mirum, quod pingue natat; neque densa solutum
Rumpit materies elementum, sed leve crassum
Sustinet, ut solido dilutior unda fluento,
Subsistensque oleo, liquidis aqua fundamentum est.
Tantaque confusis intus discordia succis
Lucet, ut admistos videas distare liquores,
Communique sinu calicis discrimine claro
Quæque sui laticis (*b*) servet natura colorem.
Mergitur in medio plumbum tripes, et cavus illo
Exstat apex uncti stipatus fomite lini.
Stuppa madens liquidum tenui face concipit ignem,
Et circumfusum spatio stagnantis olivi,
In vitreis exile vadis funale coruscat,
563-564 Et tremulo vibrans a vertice lumen acutum,
Leniter umbrosam jacit in penetralia lucem,
Et placido densas aperit splendore tenebras.
Hoc [a] tamen emensa fuerat jam nocte remotum,
Productas quoniam pueris vigilantibus horas,
Consumto bibulum defecerat unguine lumen.
Sed puer, exstincto abstulerat qui lumine lychnum,
Quem deponendo funem laxarat, eumdem
Neglexit solito adductum restringere nodo.
Laxior hinc humili fluitabat linea tractu,
Gratæ lucis inops, et cæci plena pericli.
Nam laquei summum dentata minantibus uncis
Armabatur, et his male tunc fuit obvia fratri,
Pene male, at nutu Christi bene, qui bene vertit
Feralem nobis memoranda in gaudia casum.
Ergo (videte manum Christi) male pendulus ille
Per tenebras solito funis submissior [a] infra
Aeris assuetum spatium pendebat; et inde
E capitis regione pari libramine factus,
Ut status [a] hujus erat, securam, heu! cuspide trina
Excepit faciem venientis, et induit unco
Occurrens oculum, teneroque per intima lapsus,
Mucro subit cilio; qua vix solet arte medendi
Cauta manus lævem trepido moderamine molem
Ducere, palpebramque levi suffundere tractu.
Percussus subito tam duri verberis ictu,
Exclamat, trepidasque manus turbatus ad ipsum
Fert oculum; et pariter clausum cum lumine ferrum
Continet, ut reprimat, vel si cadat, ut labentem
Excipiat globulum, qui luminis intima servans,
A Intra folliculum teretem liquido interfuso
Sub vitrea nigri latet albus imagine pupi [b],
Hic veluti radix oculum subeunte medulla
Fulcit, et humecto venarum fomite pascit,
Dum parili fontes oculorum sidere constant.
At si forte gravi morbo disrupta, vel ictu
Heu! male dissiliat membrana fluentis ocelli,
Prosilit iste globus, succoque relictus alente
Deserit aridulam vacuata luce lacunam.
Interea puer excussus clamore dolentis
Accurrit, stratum somno fugiente relinquens,
Accensamque manu prætendit ad ora lucernam.
Clauserat hic manibus vultus, et fronte supina
Contigero [c] similis juveni spectabat in altum,
Ut daret immotum librato corpore funem,
B Vulneris arbitrio trepidantia membra gubernans,
Dum timet adverso vulnus diducere motu,
Captivique oculi ex uno, quo liber agebat,
Lumine discrimen sociali parte cavebat,
Nec tamen audebat ducendum attingere ferrum,
Ne simul hærentem ductu mucronis et orbem
Extraheret, neque jam poterat sub lumine fixi
Ferre moram teli, sed desperante medelam
Ex ope mortali, divina mox ope Felix
Imploratus adest, quem tanto in vulnere pendens
Advocat, et tali depromit voce querelam:
Hei mihi! quanta meos urgent peccata labores,
Qui tantam merui plagam Felice patrono,
C Vicinoque simul, Felicis et insuper ipso
Natali miser excipere? Heu! magno reus ingens
Crimine, quem tunc pœnâ ferit, cum solvere suevit.
565-566 Sancte, precor, succurre tuo: scio proximus adstas,
Et de contigua missis (*c*) huc auribus æde
Audisti, Felix, fletum infelicis alumni;
Sive modo excelso lateri conjunctus adhæres
Ante thronum magni regis confessor, amicus,
Pauperis hanc venerande tui trans nubila vocem
Accipis aure Dei, neque temnis, sed petis illic
Quam mihi deportes Christo miserante salutem.
Ergo veni, Felix, animæque perenne patronus [**],
Nunc pro corporeo medicus mihi curre periclo.
D Curre, precor, sanctasque manus oppone minanti
Lapsum oculo, et fixum quod conspicis erue ferrum,
Quod propria revocare manu non audeo, ne me
Lumine [d] despoliem, dum conor solvere telo.
Sic etenim penitus mihi sentio fulmen adactum
Inserto sub operta oculi penetralia clavo,
Ut tantum divina manus, quæ condidit ipsos
In nobis oculos, quæ te quoque dextra potentem
Sanifera virtute dedit, qua dæmonas atros
Excruciando domas, qua corporis omne caduci

[a] Id est *statura*. Vide not. 263.
[b] Id est *pupilla*.
[c] Vide not. 264.
[d] Vide ep. 43, n. 4.

(*a*) Mss. Germ., *in liquido*.
(*b*) Ms. Germanensis codex, *servat*.
(*c*) Ita ms. Germ. tum edd. tribus. Editi codices duo, *hunc*.

Pellere tormentum potes alto nomine Christi, A
Omnipotente potens Domino, quo præsule nunc me
Suscipe sanandum; nec te mea crimina vincant,
Sed magis a te victa cadant. Nam dignior isto
Vulnere sum, fateor, placidi quam munere Christi.
Sed Domini ipsius verbum factumque memento.
Qui peccatoris vitam moriendo [11] redemit.
Justitiæ si jure velis decernere mecum,
Non sum uno tantum, sed lumine dignus utroque
Multari, ut talis facie sim, qualis et intus
Corde tenebroso, de quo male visibus utor
Corporeis, cæcus justis [a], oculatus iniquis,
Et peccatorem luscum fateor decet esse,
[(a) Si deceat talem esse tuum. Quocumque ligatus B
Crimine fit dignus venia, jam si tuus esse
Cœperit:] ut dudum cœpi pars esse tuorum,
Quos ego non patriæ telluris amore secutus,
Sed desiderio, quo me tibi, sancte, dicarem,
Per maris et terræ contemta pericula veni;
Exemploque boni, cognatæ vincula terræ,
Ut tibi servirem, rupi, consortibus illis
Cum quibus et me jacto tuum; quod et hac ope monstra,
Ne perdam tanto confixum vulnere lumen.
Da, precor, indigno famulo tam nobile munus
In laudem Domini: præsta hoc insigne diei
Sancte tuo, ut, confessa tibi quem gloria Christi
Luminis æterni natalem in secula fecit, C
Hunc habeam natalem oculi (*b*) [pariterque celebrem
Felicem et lumen mihi de Felice receptum.
Talia dum plorat simplex, manus ecce beati
Prospera mox Felicis adest,] dubiamque timentis
Adspirans tacite firmat mentemque manumque,
Ne timeat tuto ausurus producere ferrum.
Vix hoc conatus fuit, et quasi lubricus uncus
Ex oculo cadit absque oculo; tantum unda secuta
Evomuit lacrymis, quem suppuraverat, æstum.
Mox oculus tanti purgatus nocte pericli,
Tam puro enituit speculo, quam nunc quoque sanus
567-568 Cernitur æterni collucens munere Christi. D
Et puto plus hodie solito niteat, quia lumen
Addidit ipse dies qui reddidit. Ergo fideles
Cernite nunc animis tanti discriminis instar,
Et pariter tanti perpendite muneris actum.
Vir jam maturo gravis ævo, et corpore celsus,
Staminis uncino quasi piscis inhæserat hamo;
Et vice suspensus lychni pendebat aperto
Sed non sponte oculo, quem diducebat inuncans
Subfixo clavus cilio, neque vulnus agebat,
Divina prohibente manu, quæ fecerat illic
Innocuamque aciem ferri, simul et leve pondus;
Qua pituita gravis, pilus intolerabilis, et qua
Nec minimæ perferre atomum [b] duramus arenæ,
Hac grave et incurvo, quis credat? acumine ferrum,
Insuper et lychno concretis sordibus uncto
Fixum, impune diu tenuem pressisse metallo
Pupillam, et nullo temeratum vulnere visum.
Quæ tam subtilis digitis manus, aut opis arte,
Quæ se tam tenui potuit discrimine junctis
Inserere; et medio palpebræ oculique subactum,
Inter utramque viam fragili per utrumque meatu
Illæso penetrans oculo, suspendere ferrum,
Quod solidi crasso totum complebat opertu [12]
Orbem oculi, figens acie, nec vulnere lædens;
Quæ manus hoc potuit [13], nisi quæ manus omnia fecit?
Spiritus ille Dei penetrator ubique per omnes
Naturas rerum, tenui subtilior omni,
Perdita cæcatis qui lumina reddidit, et qui
Ex utero cæcum nova lumina fecit habere,
Vultum imperfecti natura corporis implens
Arte Creatoris, qua totum perficit orbem;
Filius ille Dei, manus et sapientia Patris,
Omniparens rerum fons: et constantia Christus.
Ipse illum quondam non plenæ matris in alvo
Finxerat, ut posthac homo factus et ipse Creator
Hoc quoque divinis opus admirabile signis
Adderet, ut vacuos expleret visibus orbes.
Denique humi sputans limum facit, unde negatos
Nascenti obtutus credenti reddat [14] alumno:
Materiaque [b] eadem defecta in parte peroraat
Semiperactum hominem, qua toto corpore finxit;
Ut seipsum nostra venisse in carne probaret,
Qui cum Patre Deo communis imaginis ore
Compositum limo, et flatu formaverat [15] Adam.
Ipse opifex, lux nostra, Deus, Felicis amici
Natalem tanta voluit decorare medela;
Ut confessoris meritum sublime potenti
Munere monstraret, non ut cumularet honorem
Martyris hoc opere, ingentes cui contulit olim
Nobilibus titulis benedicto nomine palmas,
Quas indefessis in eo virtutibus omni
Tempore continuat Domini clementia Christi.
Sed nobis voluit specialem tempore in isto
Lætitiam donare Deus, propriique patroni
Tale aliquod propriis operans signum dare servis,
Quo nos siderei proprios Felicis alumnos
Proderet, ut merito illius curaque doceret
Vivere, quo nostram servans custode salutem,
Sæpius infestum nocturnis casibus hostem
A nostris pariter membris et mentibus arcet.
Denique jam nostri gaudemus honore pericli,

[a] Virgil. lib. VIII.
[b] Vide carm. 15, v. 334.
(*a*) Hi duo versus additi sunt ex ms. codice Germanensi.
(*b*) Tres hosce versus supplevit ms. Germanensis codex.

569-570 Cernentesque pari splendentem lumina A [visu,
Quem pene amisso deformem vidimus uno,
Lætamur (*a*) tactis hoc sospite [a] fratre medullis,
Quem tanto (*b*) nobis donavit munere Christus.
Jure oculis hunc æquo meis, in lumine cujus
Felicis manus in Christo mea gloria fulget.
O felix casus, bona vulnera, dulce periclum,
Per quod cognovi me curam martyris esse.
Tanti namque fuit lumen mihi pene perisse,
Ut modo Felicis de (*c*) lumine lumen haberem.

POEMA XXIV.

De naufragio Martiniani scribit ad Cytherium, quem laudat quod filium suum Sulpicio Severo instituendum tradiderit.

MEROPIUS (*d*) PAULINUS CYTHERIO FRATRI IN CHRISTO SALUTEM. B

Martinianum spiritu fratrem mihi,
Unaque germanum fide,
Quem tu disertis prosecutus litteris
Ad nos venire (*e*) miseras,
Nunc vix salutis compotem factum suæ
Scriptis inanem perditis,
Sed caritatis indicem plenum tuæ
Ut os tuum suscepimus.
Et veriorem litteris epistolam
De corde signatam tuo.
Cum te referret spiritali littera,
Et mente et aure legimus.
Tunc ambo nexi ad invicem dextras [b] damus
In osculo pacis sacræ,
Et immolamus hostiam laudis Deo,
Gratesque Christo reddimus.
Quo liberante, nostra sospes e mari
Intrarat [1] hospes limina :
Nam dira passus, et tamen miracula
Expertus in periculis.
Patria profectus cognita causa tibi
Iter pedestre legerat :
Sed longa secum spatia terrarum putans,
Vertit viæ sententiam,
Et otiosam fluctuandi nauseam
Pedum labori prætulit.
Narbone solvit per trucem ponti viam
Fragili carinæ credulus.
Hinc ille gressu vir piger [2] versa vice
Fit navigandi pœnitens.
Jamque [3] ut profectus continenti littorum [4]
In alta processit freta,
Jam nocte densa, sed sereno lucida
Ridente tranquillo maris,
Cum sola cursus ordinarent sidera
Absente tunc luna polo;
571-572 Navem repente temporis longo [5] putrem
Usus vehendi deserit,
Laterumque laxis solvitur compagibus,
Undasque rimis accipit.
Cunctis soporem suaserat tranquillitas,
Tantum gubernator vigil
Labente [c] blandis classe securus vadis
Iter secabat spumeum,
Et fortiores provehendis cursibus
Auras vocabat sibilo.
Interea navis altius decrescere
Crescente pletura sui,
Tabulisque sese latius laxantibus
Incurrit unda largior;
Quibusque nulli de salo fluctus erant
In nave fluctus nascitur,
Et dormientum membra jam subterluens
Udo rigore suscitat.
Ut sensit unus, mox et alter, omnibus
Formido somnum discutit.
Timent pavore mortis, et causas adhuc
Timoris ignorant sui.
Qua miseri fugiant pelagus infestum via?
Merguntur in navi sua.
Si concitata ferveant ventis freta,
Navi teneretur salus;
Intra carinæ viscera infuso mari,
Quo vita captetur loco?
Quis portus illis, queis et in navi mare est,
C Quod intus pressos enecat?
Sed aura, portus, et salus cunctis Deus
Manum paternam porrigit,
Et inter alta medii dorsa gurgitis,
Pietatis expandit sinum,
Quo abrupta mortis incidentes excipit,
Et in vado vitæ locat.
Scapham sequacem quadriremis machinæ
Ad hanc opem paraverat :
Ut quos ab illa plebe [d] navigantium
Servare legisset [e] Deus,
Susciperet illa, quæ dehiscentem mari
Classem adnatabat comminus.
Hanc ipse navis rector, et cum littore
In alta primo solveret,
D Novatianus ille, discissam fidem
In corde portans naufrago,
Homo mortis, et apta morti cogitans
De more suo voluit,
Ut esset onerum portio, in navem suam
Properat statim conscendere;
Et cum periclo stringeretur ultimo,

* Alias 13 : quod autem 21 erat, nunc 18. Scriptum forte anno 400.

[a] Vide not. 265.

[b] Vide not. 266.

[c] Virgil. VIII Æneid. Vide not. 267.

[d] Id est *numero*.

[e] Id est *elegisset*.

(*a*) Mss. codices Belgic. et Germ. cum editis tribus, *testis hoc hospite*. Vulgata lectio concinnior et verior visa est. Vide not. 262.

(*b*) Sic ms. Germ. et ed. Grin. et Poelm., optime. Ceteri codices, *Quem tanto ille bonis*.

(*c*) Manuscriptus Germanensis codex, *munere*. Utraque lectio bona.

(*d*) Ita ms. Reg. In editis deest MEROPIUS.

(*e*) Ed. Schot., *jusseras*.

Molitus est expellere,
Ut fune rupto quo cohærebat rati,
Dimitteretur æquori.
Sed plurimorum voce victus obvia,
Ab utroque mansit irritus,
Quia prævalebat omnium sententia
Autore Christo fortior,
Ut mox salubri barca [a] perfugio foret
Puppi superstes obrutæ.
Inusitata naufragii facies erat,
Mors navis, et pax æquoris.
573-574 Foris sedebat in freto tranquillitas,
In nave tempestas erat.
Non saxa classem, non procella fregerat :
Sed his vetustas fortior
Clavante ferro firma ligni [b] robora [c]
Ævo terente solverat.
Cœlum serenis enitebat (*a*) vultibus,
Astris renidebat mare.
Verum quid illis læta ventorum simul
Pelagique præstabat quies,
Quos deserebat in profundo marmoris
Vectura dilapsæ ratis?
Bibit unda navem, navis undam combibit,
Sorbentur, et sorbent aquæ.
Inebriati navitæ potu salis,
Tristi necantur crapula.
Ridebat aliis mitis unda navibus,
Unique sævibat rati.
Sed in periclo plurimorum cernere est
Cœlestis actum examinis.
Commune cunctos una quos navis vehit
Periculum mortis manet;
Et ecce variis dividuntur casibus,
Ad mortem et ad vitam dati.
Quod ne putetur forte permixtim bonis
Simul tributum vel malis,
Constat perisse Christianum neminem,
Et interisse perfidos.
Namque aut maligno corde Judæus perit,
Reus aut superbi schismatis.
Quemcumque Christi recta signavit fides,
Hunc vita cognovit suum.
Tamen fuere Christianis additi,
Necdum hoc sacrati nomine,
Quos de profundo juncta servavit fuga,
Quia Christianis hæserant.
Nam cum infideli plebe [c] navigantium
Nullus fidelis mersus est.
Ut clara magni veritas mysterii
Ostendit in paucis Deus,
Quod fine mundi dividendis gentibus
Discrimen in cunctos erit,
A Cum prænotatos ora vexillo crucis
Transibit ultor angelus [d].
Sic nave in illa nemo morti traditus,
Qui veritate præditus.
Vixere juncti Christianis impii,
Vincente noctem lumine.
Nam Christianos aggregare mortuis,
Virtute (*b*) [e] cassa mors fuit.
Quia fronte signum Christianis emicat
Quo mors subacta corruit.
Navarchus ipse perditæ princeps ratis
Pereuntibus primus fuit.
Namque ante pelago quam periret naufragus,
Jam mente naufragaverat.
Bis mersus ille, quem carina fluctibus
B Demersit, error inferis.
Potuisset ille se periclo abrumpere,
575-576 Sed debitum morti caput
Captiva dignis mens avari vinculis
Adstrinxit in finem ligans.
Nam ne superstes navis et mercis foret,
Necem saluti prætulit.
Martinianum jam supremo stamine
Mergentibus mixtum viris
Tumultuantis excitat turbæ sonus,
Somnoque mortis excitat.
Qui tunc remoto fessus in proræ sinu, et
Securus innocentia,
Jonas ut olim ventre navis abditus
Somnos anhelabat graves [f].
C Sed excitatus (*c*) luctuosis undique
Pereuntium clamoribus,
Pedibusque turbæ membra quassus omnia,
Duro cubili prosilit.
Plerisque mersis intus in navis utero,
Laterum per oras, qua solent,
Ut vela tollant, sive contis subrigant,
Nautæ expediti currere.
Tabulis adhuc supernatabat extimis
Operta navis gurgite;
Viam salutis hac via rimantibus
Martinianus jungitur,
Et agente Christo de globo mortis fugax
Comes fit evadentibus,
D Seseque saltu mittit in cymbam procul,
Quæ plurimis portus fuit.
Et pene morti derelictus hæserat,
Cum classe mergendus mari,
Nisi Christus illum ceu manu prensum sua
Rapuisset e mortis lacu.
Sicut recussis fugit olim vestibus
Joseph furentem feminam,
Sic hic, relictis omnibus, nudus, fuga

[a] Vide not. 268.
[b] Id est *quercus*.
[c] Id est *numero*. Vide v. 74, et carm. 10, v. 71.
[d] Apoc. VII, 2 et 3.
[e] Vide not. 269.
[f] Vide not. 270.
(*a*) Ms. Regius codex cum editis quinque, *nubibus*.

(*b*) Ms. codex Regius et ed. Schot. in marg., *Mors cassa virtutis fuit*. Vide not. 269.
(*c*) Ita emendavimus ex editione Schot. in marg. monente Heinsio in notis ad Prudentium, ubi eodem sensu *ejulatus flebiles*. Sic et Paulinus noster carm. 14, v. 26, *tristi clamore*

Evasit infidam ratem [a].
Et sicut olim jussa Jonam obvio
Excepit ore bellua,
Et hiulca late lubricum per guttura,
Transmisit in ventrem suum,
Incolume corpus dente suspenso vorans,
Et quem vorabat non edens [b]:
Sic hunc ab alta nave in undas cernuum
Suscepit occurrens scapha,
Tutoque (a) vexit fida per noctem sinu,
Donec referret portui.
Sed mentione magni vatis edita,
In quo pii mysterii
Imago mortem triduani funeris
Reduci salute prætulit,
Paucis reflexo carminis vestigio
Recurrere ad Jonam libet [c].
577-578 Commenta Domini mira : mersus æquore
Intactus undis fluctuat.
Vivit voratus, quique glutivit manet
Vivente jejunus cibo.
Et præda cum sit, esca non est belluæ,
Domoque ventris utitur.
O digna sancto claustra fugitivo Dei!
Capitur mari, quo fugerat,
Altumque vastæ missus in ventrem feræ,
Vivo tenetur carcere.
De nave jactus perit, et undis navigat,
Exsul soli, et hospes sali;
Spatiatur antro belluini corporis
Captivus, et liber reus.
Nam liber undis, intra mare (b) et exter maris [d],
Natat in natante bellua,
Claususque quamquam corpore exit ad Deum
Volans propheta spiritu.
Corpus tenetur corpore, at mentis fugam
Terrena vincla non tenent.
Inclusus alvo carcerem rumpit prece,
Auresque pertingit Dei;
Orationi liber, et vinctus fugæ
Fide sua sese arguit.
Nam qui putarat per mare evadi Deum,
Et nave celari Deo,
Nunc iste et intra belluam mersam mari
Adesse credat arbitrum.
Jam me referre flexilis verbi pedem
Oportet ad Jonam meum,
Quem more ceti cymba suscepit capax,
Uteroque conclusum suo
Vexit trementem frigore et formidine,
Salvumque terræ reddidit.
A Mirum renarrat, se per illud temporis,
Cum puppe præceps ardua
Saliens in illam decidisset nauculam
Eoque venisset loci,
Quo cymba [9] multam duxerat rimis aquam
Olente sentinæ lacu,
Statim fovente frigidos artus Deo,
Quiete sopitum sacra.
Nudumque et udum, fugere quæ somnus solet,
Dormisse [10] lecto mollius.
Spatioque toto quo relatus littori est,
Somno fuisse deditum,
Nec aqua excitatum qua madebat, nec gelu
Quod nuditate traxerat:
Licet esset anni tempus autumnus tepens,
B Sed naufragis hiems erat,
Quos perditorum dura damna tegminum,
Gelidusque quassabat tremor.
Aliud stupendum, quo fidelem gratiam
Martiniani colligas,
Dilecte frater, accipe, et lauda Deum,
Sanctumque fratrem amplectere:
Ut adlabentem portui sensit ratem,
Stridente arena littoris,
Abeunte somno fit sui tandem memor,
Recipitque sese, (c) expergitur,
579-580 Et adjacentes pectori tangit suo
Epistolas Apostoli.
Hunc in pavore codicem, sed nesciens,
Rebus relictis sumserat.
C Vel ille codex spiritu vivens sacro
Non sentienti adhæserat.
Metire, quæso, quis nisi Christus suo
Dedit hunc ministro præsulem?
Testatur iste nec cogitatum sibi
Illo pericli tempore,
Ut implicatam sarcinis membranulam
Meminisset illinc tollere.
Quod si subisset in metu mentem suam,
Non et vacasset quærere.
Sed in suarum litterarum corpore
Paulus magister [e] adfuit,
Amansque puro corde lectorem sui
De mortis abduxit manu:
Iterum eximendos e maris fundo viros
D Largitus est Paulo Deus.
Quæ quondam in ipso navigante Apostolo
Fuit potestas gratiæ,
Hæc nunc per ejus suffragata [f] litteras
Martiniano, et ceteris,
Qui Christianis tunc cohæserunt fuga,
Discrimen a discrimine

[a] Gen. XXXIX, 12.
[b] Jon. II, 1.
[c] Matth. XII, 40.
[d] Vide not. 271.
[e] Vide ep. 30, n. 5.
[f] Vide not. 361.

(a) Sic emendavimus cum J. F. Gronovio in Observat. ecclesiast., c. 10; satis enim liquidum est ita scripsisse Paulinum. Vide epist. 4, n. 4, *tuto excipe sinu*; et ep. 16 ad Jovium, n. 1, *tutissimis sinibus exceperat.*

(b) Addidimus *et* ex editione Schot. ut constaret versus, et ita legendum monet Barthius. Vid. not. 271. Vide. v. 34.

(c) Ita emendatum ex ms. codice Regio. Ante erat *expergitus.*

Tutum paravit, ut fideles impiis
Discriminarat naufragos.
Ergo ut biremis applicata littori
Exposuit humentes viros,
Vitam tenentes, et requirentes simul,
Opem saluti flagitant,
Ne sæviori fluctibus terræ dati
Algu perirent et fame.
Sed propter [a] inde posita Gallorum solo
Massilia Grajum filia,
Alumna sanctæ civitas Ecclesiæ,
Pandebat humanos sinus.
Urbem hanc petentes (a) naufragi casum indicant,
Ali tegique postulant.
Martinianum suscipit fraternitas [b],
Tectoque apricat et cibo.
Sed copiosa caritate pauperes
Stipem pusillam commodant.
Exigua [c] largus [11] pensat affectus data :
Orando ditant hospitem,
Et spiritali divitem viatico
Cum pace dimittunt sua.
Caligis tamen iste vilibus donatus est,
Ne nautico erraret pede,
Qui maluisset confoveri excalceus [12],
Quam calceari frigidus.
Sed ire terra, quamlibet passus mare,
Nudi pudore respuit,
Reputans et illud, ne putaretur lucri
Amore nudum fingere,
Si veste Teucer pannea pervaderet
Castella, vicos, oppida,
581 - 582 Qualia vagari per mare et terras solent
Avara mendicabula [d],
Qui dejerando, monachos se vel naufragos,
Nomen [e] casumque venditant.
Verum iste noster Christianus, quamlibet
Et naufragus vere foret,
Similis putari præcavens fallentibus,
Aliosque falli non volens,
Non vult viatoris sine re nomen novum
Acquirat impostor sibi;
Mavultque vitæ ferre jactum [f] navigans,
Quam frontis æstum inambulans.
Panno ergo sordens, calceamento nitens,
Fluitare rursus eligit,
Repetitque (b) portus, et [g] terræ tuto viæ
Prævertit [h] intutum maris;
Ut nave tectus usque voti littora,
Velut expeditus navita,
A De nuditatis nauticæ consortio
Nudi pudorem evaderet.
Favens fideli rex Deus constantiæ,
Prosequitur audacem fidem,
Vicesque mutans, dura succedentibus
Adversa pensat prosperis,
Solidoque navem paginatam [i] robore [13]
Ad pervehendum præparat;
Pacem procellis imperat, nubes fugat,
Cursumque in aura dirigit :
Tali quiete temperans cœlum et mare,
Ne pace cursus hæreat,
Periculosa nec ratem flatu gravi
Perurgeat velocitas.
Sic iste Christo blandiente molliter
B Emensus asperum mare,
Longinquiorem portum ab Urbe adlabitur,
Cui Centumcellas [j] nomen est;
Ac inde navi promovendus longius,
Intraret ut portum [k] [14] phari.
Vix iste credens se potitum littore
Telluris optatæ sibi;
Navi relicta lætus insultat solum,
Romamque festinat pedes :
Illic amica tecta fratrum, civium,
Optatus hospes invenit :
Respirat animo, conquiescit corpore;
Dat accipitque gaudia,
Patria fruentes invicem reddunt sibi;
Deo fatentur gratias.
C Martinianus mœsta gaudens indicat,
Tolerata narrans fratribus.
Lacrymas in ipsis gratulationibus
Miscent refuso pectore.
Theridius [l] aberat inde tunc mecum meus,
Vir, munus a Christo mihi,
Vir pacis, et vir legis, et vir gratiæ,
Requies, voluptas, mens mea,
Hujus cohospes mente Paulinus pia
In Urbe servabat domum :
Martinianum hic veste nudat naufraga,
Et veste cooperit sua;
583 - 584 Donumque tunicæ, qua sodalem ornaverat,
Geminat cucullæ munere.
D Largitor ipse tunc vicissim, ut naufragus,
In veste mansit unica.
Post hæc et ad nos pergere incœptat viam,
Qua sternit aggerem silex,
Cui munitor Appius nomen dedit:
Terit terentem tramitem,
Qui veste trita navigator venerat,

[a] Id est *prope*.
[b] Ἀδελφότης. Vide not. 272.
[c] Vide not. 273.
[d] Vide not. 274.
[e] Licentia poetica.
[f] Id est *jacturam*.
[g] Forte licentia poetica.
[h] Id est *Prætulit*. Vide ep. 13, n. 19.

[i] Vide v. 103 et Var. Lect.
[j] Vide not. 275.
[k] Vide ep. 49, n. 8.
[l] Vide ep. 16, n. 1, et ep. 27, n. 1.
(a) Ms. codex Regius cum editis quinque, *naufragii*. Duc. : Forte legendum *naufragi* loco *naufragii*; ut ante dixit, *Discriminarat naufragos*.
(b) Ed. Schot., *portum, et terræ*.

Pedes viator exterit [a].
Sed ne vel ista penitus immunis via
Solitis vacaret casibus,
Impune pigram non tulit sententiam,
Qua tendere ingressu piget.
Ab urbe Capua, quæ loco sedis meæ
Bis dena distat millia,
Nanctus vacantem sarcina mulum (ut solent
Jumenta revocari domum)
Parvo breve per iter ære conductum sedet;
Medioque mox spatio viæ
Muli pavore sessor excusus procul
Vectore subducto cadit.
In ora lapsus, ora non lædit sua;
In saxa fusus et rubos,
Nec sente vultum, nec lapide artus contudit,
Felicis exceptus manu;
Qui jam propinquantem ædibus fratrem suis
Non passus occursu mali,
Suis periclum in finibus capessere,
Hostem removit invidum,
Et hunc fidelis compotem voti, suis
Confessor induxit locis.
Nostrisque juxta sedibus gratum intulit
Felix patronus hospitem.
Patriam hic rogatus indicat, casus refert,
De te beata nuntiat:
Referensque paucos de tuis scriptis logos [b],
Quasi labra melle asperserit;
Sic de favorum mihi tuorum guttulis
Dulcissimum gustum offerens,
Magis coegit, quas aventi non dabat,
Desiderari litteras,
Sed cum ipse causa litterarum venerit,
Et litteras vidi tuas,
Non atramento calami, sed mentis stylo
In fratre præscriptas bono;
Ignotus ante, mox ut esse cognitus
Cœpit, fit et carissimus.
Ab intus ejus emicabat gratia,
Sermone mentis nuntio.
Bonus, inquit, omnis de bono profert bona,
Et arborem fructu vides:
Sic iste verbo suavis, et castus fide,
Et fronte honesta lucidus,
Dulci benignæ caritatis flumine
In nostra fluxit viscera.
Super hæc amicum merito se jactans tuum.
Quo plus amaretur dabat.
Nec enim ulla nocti et lumini concordia est;
Lupus nec agno congruit.
Hinc et propheta, Sicut, inquit, alites
Pares in unum [c] convolant,
585 - 586 Sic semper apta qualitate moribus
Justitia concurrit bonis.
Martinianum sic tibi longe parem

A Germana mens contexuit,
Speculumque mentis et fidei instar tuæ
Est talium dilectio.
Benedictus autor fonsque sanctorum Deus,
Non stulta jam tantum, neque
Infirma mundi defluentis eligit,
Ut alta mundi destruat:
Sed, ut ipse dixit, cuncta jam sursum trahens,
Et alta mundi vendicat.
Quoniam ipse fecit et pusillum et maximum,
Utrosque jungit gratia,
Et quos Creator opere in uno condidit,
Hos recreat uno munere.
Communis omnes clausit infidelitas,
Medeatur ut cunctis fides.
B Ut fiat omnis subditus mundus Deo,
Omnisque lingua et dignitas
Super omne Jesum nomen unum in gloria
Regnare fateatur Patris.
Huic jam et potentes seculi curvant genu,
Deduntque cervices Deo,
Regemque Christum confitentur principes,
Et sceptra submittunt cruci.
Coeunt in unum purpuræ et panni gregem,
Pastore concordes Deo.
Commune regnum, sanguis unus omnibus,
Summis et imis Christus est,
Qui te decorum gloriosis seculi
Honore, litteris, domo,
Ditavit humili corde, ut æternam tibi
C Conferret altitudinem;
Et ut coheres divitum cœlestium,
Esses amator pauperum.
Beatus es nunc mente pauper, sed spei
Dives, qua gaudent pauperes,
Qui defraudati lubricis mundi bonis,
Cœli fruentur gaudiis.
Hos inter alto in Abrahæ patris sinu
Secretum [d] ab igne divitum, et
Refrigerantem roribus vitæ locum,
Deus vivorum præparat.
Insigne tantæ jam spei certum tibi
Magno coruscat pignore,
Plantata Domino in atriis Hierusalem [e] [18],
Tui propago germinis.
D Namque ut fideli te patri componeret,
A te poposcit filium,
In semine Isac semen adscribens tuum,
Ipsumque ut Isac expetens,
Quem tu (a) Abramææ caritatis æmulus,
Vivam dedisti victimam,
Deoque tradens jam peremisti tibi,
Ut salvum haberes firmius.
Nunc iste vobis exter, et vester manet,
Terrestris exsors seculi.
De matris alvo promtus ante, quam patrem

[a] Id est *terit*.
[b] Λόγους, id est *sermones*.
[c] Vide not. 276.

[d] Vide ep. 49, n. 6.
[e] Vide ep. 18, n. 5, et Var. Lect.
(a) Ms. Reg. et edd. quinque, *Abramiæ*.

Matremque cognosset suam,
587-588 Bonumve saperet, aut malum discerneret.
Beatus elegit bonum.
Et nunc in aula parvulus ludit Dei,
Et ore lactenti canit:
De ventre matris, et die prima mihi
Tu, Christe, protector meus [a].
Audistis et vos, quod beatis dicitur:
Potens erit semen tuum [b].
Habes et illud: Ventris a fructu tui
In sedibus ponam meis [c].
Qui sermo David quamlibet Christum sonet,
In Christo et illis concinit,
Qui Christiani corporis collegio
In sede ponentur Dei.
Vobis et Annæ sternitur consortium
Infantis exemplo sacri.
Samuel et iste crevit in templo Dei,
Nunc agnus, et pastor dehinc.
Contexat illi sedulæ matris manus
Ephod [16] staturæ congruum,
Quem spiritalis in Dei verbo sacris
Doctrina texat liciis.
Sitque in superna veste Reginæ aureis
Intextus ipse fimbriis,
Sanctumque Christo Nazaræus [17] verticem
Pastis [d] adornet crinibus,
Animæque pulcrum crine virtutis caput
Armetur operosa fide [e].
Nec hujus umquam desecans novacula
Ascendat in damnum comæ.
Et ut ille Samson vi capillorum potens
Virtute crinitus sacra,
Sternat leonem strangulatum fortibus
Orationum brachiis,
Dulcemque fructum nobilis victoriæ
Decerpat ore mortui.
Sed hoc ab exemplo monitus caveat sibi
Aliena adire fœdera.
Allophyla mulier est mihi lex carnea,
Blandis dolosa retibus.
Si lege mentis ista sit lex fortior,
In jura peccati trahet;
Malesuada verbis fraudis arte dulcibus,
Animum virilem effeminat;
Excæcat oculos mentis, et radit caput,
Spolians et exarmans fidem.
Hac parte Samson nolo sit noster puer:
Nec misceatur copulæ,
Quam consequatur protinus captivitas,
Infirmitas, et cæcitas.
Licet ille fortis postea receperit
A Robur recretis crinibus,
Manuque ductus de mola ad ludibrium
Hostilis exsultantiæ,
In cæcitate corporis mente intuens
Vocarit ultorem Deum.
Et restituto mox capillis robore,
Prostravit (a) hostilem domum;
Cujus columnas fortior saxis manus
589-590 Ut clausit amplexu gravi,
Collapsa fulcris tecta subductis humo
Cecidere in ipsum; sed tamen
Et morte in ipsa præpotens heros Dei
Hostes ruina miscuit;
Et gloriosa morte pensavit sibi
Vitæ subactæ dedecus:
B Qui [18] servus hoste gloriante vixerat,
Hoste obruto victor cadit,
Et plura moriens interemit millia,
Quam vivus interfecerat.
Imitetur istam filius noster volo
Sic morte mortem, ut permanens
In carne carnem vincat, et vivat Deo,
Peccata carnis opprimens.
Sed nolo carnis gaudiis, ut noxiæ
Dolis subactus feminæ
Addicat animum, (b) postea fiat hostium
Virtute nudus gratiæ.
Samuel in ista parte sit, qua jugiter
Sanctus, neque accisus comam
Per tota vitæ tempora irrupto sacrum
C Pertexat ævum stamine,
Et inchoatam servitute infantiam
Usque ad senectam pensitet.
Occidat Amalech, et pie sævus Deo
Peccata carnis immolet,
Quibus peremtis interit quoque zabulus,
Invisus æternum Deo.
Saül in hoc deficiat et regnet David;
Pusillus altum destruat,
Ut non sit altus spiritu superbiæ,
Nec lividus zeli malo:
Sed humile (c) cordis [f], celsa virtutum gerens,
Ascendat in regni thronum,
Et illa Samson gesta, quæ priora sunt,
Sequatur ut restes novas,
D Ceu fila rumpat, nec fidem prodat suam;
Ne perdat ignavus comam,
Crinitus operum viribus cœlestium,
Præmtenta rumpet vincula,
Palos refiget; mille prosternet viros,
Una subactos dextera:
Quia nostra virtus, et caput Christus Deus,
Qui dextera et virtus Dei est;

[a] Psal. LXX, 6.
[b] Psal. CXI, 2.
[c] Psal. CXXXI, 11.
[d] Vide not. 277.
[e] Id est *bonis operibus et fide*.
[f] Id est *humilitatem cordis*. Vide carm. 15, v. 318.

(a) Omnes codices, *Prostravit*, ex nova periodo. Sacchinus: Si conjungas superiori, lege *Prostrarit*.

(b) Ducæus emendandum putat *præda*. At omnes codices *postea*. Vide not. 278.

(c) Sic emendavimus ex ms. Regio et veteri Badiana editione. Ante erat *humili corde*, violata lege metri.

Virtute cujus mille serpentem dolis
Nos appetentem vincimus.
Sit fortis anima mortificans asinum [a] suum,
Pigri jumentum corporis.
Decoctus humor sobriis laboribus
Pallore vultum lividet,
Et tribulata carne victrix castitas
Consumat ignes [b] criminum.
Exterior etenim noster ut corrumpitur
Terente continentia,
Tunc innovatur qui intus est victi potens [c]
Infirmitate corporis.
Tunc mille a latere, dena a dextris millia [d]
591-592 Arente maxilla cadent,
Si mala nostra salva fiat otio,
Quæ est usu edendi mobilis :
Quia succulenti corporis licentia
Retunditur jejuniis.
Et tunc triumphus, fonsque nobis nascitur
In arefactis ossibus.
Maxilla telum prælianti quæ dedit,
Dat æstuanti poculum,
Jejuna succi carnis ossa mortuæ
Sancto rigante spiritu.
Sed quæ ante sanctis in figuram gesta sunt;
Nobis in actum scripta sunt [e],
Ut quod parentes gestitarunt corpore,
Nos actitemus spiritu.
Fluxere vetera, cuncta facta sunt nova,
Vacuavit umbram veritas.
Adest salutis jam dies, hiems abit
Et terra vernat floribus [f].
Audita jam vox turturis, tempus canit
Incisionis adfore.
Epulemur ergo vetere fermento sine
In veritatis azymis [g];
Quia Pascha nostrum Christus immolatus est,
Intraque nos regnum Dei est.
Quare vetustis absoluti legibus,
Jam non in umbra degimus.
Quos nube legis, et statutorum jugo,
Quasi comarum sarcina
Christus levavit ipse Deus, ille et suis
Factus redemtis in caput.
Quo capite liberi super tetrum caput
Dracone victo incedimus [h].
Illos decebat impedimentum comæ,
Umbraculumque verticis,
Quibus tegebat corda velamen, sacra
Obnubilans mysteria.
At nos remoto litteræ velamine

A In luce corporis sui
Enubilatam [i] veritatem cernimus,
Faciem revelati fide.
Puer ergo noster legis atque gratiæ
Alumnus, ex utroque sit
In spiritalem comparatus gloriam,
Ut (a) vetera promat et nova.
Fortis pudicis actibus crines agat,
Ferrumque damni [j] nesciat,
Ut a machæra noxiorum dogmatum
Conservet intactam fidem.
Sed rursus idem et evangelico desuper
Mentem retectus lumine,
Ponat [k] capillos oneris et velaminis
Servus fidei, et liber fide.
B Hunc lacte primo per prophetarum ubera
Lex pædagoga nutriat.
Hunc angelorum pane dulcis gratia
Et melle de petra cibet [l].
Inebrietur sobriante poculo
De fonte sancti Spiritus.
593-594 Et ipse tu mox copulatus filiis
Ut palma florescas Deo.
Et ecce conjux in jugo Christi, tua,
Ut vitis exundat bona [m]
Domui, Deoque : costa [n] fortis hæc tibi
Lateribus in domus tuæ,
Curas mariti sustinens, curans fidem,
Sancti corona conjugis,
In castitate liberos enutriens
C Vitam novellantes Deo.
Hunc namque vestra vite fusum palmitem
Sic credo firmandum Deo,
Radicis ipse ramus ut radix sua
Secum suam stirpem trahat.
Ut ille quondam providentia Dei
Distractus in servum puer,
Ad arva frugum [o] missus est, ut et patrem
Præiret et fratres suos,
Qui mox per orbem consecutura fame,
Patris altor et fratrum foret.
Sic iste forsan in sacram [p] panis domum
Vos antecessit filius;
Ut et parentes pascat et fratres suos
In istius mundi fame.
D Ubi terra tribulos parere nobis largior,
Eget bonorum frugibus :
Et hic spadoni venditus dici potest,
Qui castitatis servus est;
Et qui in Severi jus manumque est traditus
Spadonis ob regnum Dei,

[a] Vide not. 279.
[b] Vide not. 280.
[c] II Cor. IV, 16, et XII, 10.
[d] Psal. XC, 7.
[e] I Cor. X, 11.
[f] Cant. II, 11.
[g] I Cor. V, 8.
[h] Psal. XC, 13.
[i] Vide ep. 23, n. 22.
[j] Id est *damnosum*. Vide v. 703. Vide not. 281.

[k] Id est *Deponat*. Vide carm. 14, v. 81.
[l] Psal. LXXX, 17.
[m] Psal. CXXVII, 3.
[n] Vide not. 282.
[o] Id est *frugifera*. Vide v. 674.
[p] Bethlehem.
(a) Ita correximus ex ms. codice Regio et editis quinque, postulante metro. Ed. Rosv., *veteri*, mendose.

Quo nutriente, roboratus in fidem,
Et charitatem masculam,
Irretientis [19] seculi pompam illicem,
Ut impudentem feminam
Casto superbus respuit fastidio,
Nudaque vitavit fuga,
Et antevertit [a] gaudiis letalibus [20]
Pœnas salutares pati.
Ut ille quondam, sic modo iste carcerem
Pro castitate perferat;
Ut a juventa singulariter sedens,
Tacitaque seclusus domo,
Amet quietæ tecta solitudinis,
Spinis et aures sepiat.
Domibus ciborum præferat luctus domum,
Ut gaudium fletu serat;
Seseque duris sponte nectat legibus,
Culpæ ut resolvat vinculis,
Patientiæque compedem imponat sibi,
Nec sede, nec sensu vagus.
Et tunc ab humili celsa promerebitur:
Quia qui superbos deprimit,
Humiles inaltat, dansque parvis gratiam,
Resistit arrogantibus.
Sic ille Joseph ante parvus factus est,
Ut magnus esset: et nisi
Servus fuisset, non fuisset in sui
Tellure servitii potens.
Ubi sustinuerat servitutem et carcerem,
Ibi regnum opesque nanctus est.
Sed sustinendo iniquitatis vincula,
Justitiæ cepit præmia.
595 - 596 Sit et hic probatus corporis custos sui
Ut claustra teneat carceris.
Si vitia carnis strinxerit Christi metu,
Quasi [b] vinculatis [c] præerit,
Aliisque mundi carceri inclusis adhuc,
Et alligatis seculo,
Ut liber ipse; jamque commissus sibi,
Magister et custos erit.
Namque ille jure qui suam servaverit,
Aliorum habet custodiam;
Non ut tenebris permanere carceris,
Seu liberos vinctos velit:
Sed ut receptos doceat exemplo suo
Mundi catenis exui,
Et facile, propriis absolutus vinculis,
Solvi docebit crimine,
Bonusque mentis vir gubernator suæ,
Et Ecclesiæ [d] navem reget.
Nam quomodo ille præsidebit proximis,
Præesse qui nescit sibi?
Sed sermo lapsus decucurrit longius,
Revertar ad Joseph meum.

A Castus beatæ flore vernet gratiæ,
Ut paradisi lilium:
Ut corde puro cœlitis prudentiæ
Potum pudicus hauriat;
Responsa dubiis exserat mortalibus,
Arcanus interpres Dei,
Et emicante gloria famæ bonæ
Notescat in regis domo.
Placitusque regi spiritu prudentiæ,
Sumatur in regni ducem:
Possessionis regiæ princeps eat,
Præfectus in magna domo,
Stolam sed iste byssinam et torquem aureum
Gerat, apta Christo insignia;
Textam supernæ gratiæ vestem induat,
B Stolatus innocentia.
Contexta bysso vestis irruptam fidem
Signat valenti stamine,
Nam fila byssi fortiora et sparteis
Feruntur esse funibus.
Pro torque, collo caritatis aureæ
Prædulce circumdet jugum [e],
Quod suave Christo, nec molestum, pondere
Adstringit colla, non premit.
Hæc inter idem dona sumat, regii
Insigne juris, annulum,
Comtusque trino Trinitatis munere,
Curru vehatur regio.
Regalis etenim currus est Christi caro,
Corpusque sanctum Ecclesia,
C Quo vehitur ipse millibus lætantium [f]
Agitator Israel [g] Deus.
Imitare Christum: fac bonum, vita malum,
Cœli vitam in terris age [h].
Et ipse te rex ponet in currum suum,
Regnique consortem dabit.
Et summa regni jura committet sui,
Pandetque thesauros suos.
Sed ante digna largietur pignora,
Ut regiis insignibus
597 - 598 Ornatus altum regis ascendas thronum,
Reseresque regales penus,
Sapientiæ monile, gloriæ stolam,
Fideique gestans annulum,
D Sed ut ille totam vir per Ægyptum potens
Fuit exter Ægypti solo;
Et iste, mundi viribus potentior,
Sit fortis Ægyptum super,
Ægyptiorum sed peregrinus domo,
Sic mixtus, ut non mixtus sit,
Distetque sanctum, sede communi licet,
De gente non sancta genus,
Tantumque (a) in isto, tamquam in Ægypto situs,

[a] Id est *prætulit*. Vide v. 344.
[b] Vide ep. 50, n. 17.
[c] Vide eamdem licent. v. 871.
[d] Vide not. 239.
[e] Matth. XI, 30.

[f] Psal. LXVII, 18.
[g] Vide not. 283.
[h] Psal. XXXVI, 27.
(a) Ms. codex Regius cum editis quatuor, *Nam tunc in isto*. Edit. Schot., *Nam nunc*.

Sic demoretur seculo,
Alienus ut sit seculi negotiis
Cœlestis urbis incola,
In carne vivens, vita carnis exsulet,
In lege mentis ambulans,
Totamque regni crediti terram sibi
Peragret in libris sacris.
Et sicut ille vir Dei Joseph pius
Memphitieos fines obit,
Et ampliatis horreis lætas opes
Fecunditatis congerens,
Exuberantum dives annorum bonis,
Jejuna pavit tempora :
Sic iste noster in sacratis Litteris
Perambulet regnum Dei.
Scriptura namque sancto flata Spiritu
Regni perennis mater est,
Et iste cura spiritali providens
Struat ampla mentis horrea,
Ut dilatato larga vitæ perpetis
Alimenta condat pectore;
Et cum vitali divitem substantia
Perfecerit terram suam,
Tunc tu ut fruaris filii potentia
Tamquam Israel ibis senex,
Et introibis lætus, accito simul
Cognationis agmine.
Pascetque natus in domo regis tuam
Partis [a] senectam panibus.
Ut pullus aquilæ dicitur [b] repascere
Cura parentes mutua,
Quos vis senectæ rursus implumes facit,
Nidoque pascendos refert :
Donec replumi vestiantur corpore,
Pennisque florescant novis.
Versi vicissim more naturæ novo
Sunt filiis pulli senes.
At cum veterno defæcata fecerit
Novos juventa præpetes,
Desueta (a) longo remigia pennarum senio
Natis magistris inchoant,
Mixtique pullis convolant altoribus
Leni per auras impetu;
Liquidum sereno tractibus lentis iter
Secare sublimi juvat.
599-600 Placideque sudum ventilantes aerem,
Ala pares immobili
Dum se sequuntur, et vicissim præeunt [c] [21],
Serto coronant circulo,

A Utroque [22] regni cœlitis [d] mysteria
Mutæ loquuntur alites,
Sacrum potentis explicant [e] instar crucis
Suspensa pennis corpora.
Volatus autem circumactus ambitu
Spondet laboris præmium.
Sic iste pullus [f] gratiarum filius,
Vestræ salutis prævius,
Avium per alta commeantum nubila
Sit spiritalis æmulus.
Cornibus, et alis arduæ fultus crucis
Volet in coronam gloriæ.
Qui fonte proprio est derivatus, ut suam
Fons totus in venam fluat,
Vestrumque proni rivulum sequamini,
B Ut (b) flumen e cunctis eat
Benedicta proles, sancta radix, et bonæ
Rami feraces arboris.
Deo dedistis nutriendum filium;
Et ille sic vobis alit,
Vos ut vicissim nutriat (c) canos puer;
Senibus [23] magister parvulus,
Pietatis admirabili mysterio
Factus parens parentibus.
Deinde cuncti, tota sanctorum cohors,
Ad corpus illud [g] verticis,
Quo sicut aquilæ congregabuntur pii,
Et vos volantes ibitis.
Quod non valebunt, quos humo tolli vetant
Patrimoniorum pondera.
C Cum prima signum suscitandis mortuis
Cœlo tuba intonaverit,
Hi nunc obesi spiritu superbiæ
Et opibus inflati cavis [h],
Humi manebunt compediti, nec suis
Sese explicabunt (d) vinculis :
Quibus infideles nunc ligantur, ut volunt,
Tunc attinendi ne volent,
Quia sarcinatos et graves rebus [i] suis,
Mundi caduci divites,
Portare tenera non valebunt nubila
Ad regis occursum Dei;
Sed hæsitantes in luto fæcis suæ
Opumque pressos molibus,
A meridiano incendio mundi repens
D Ruina mortis opprimet.
Ne quæso Dominus talium virgam Deus
Admittat in sortem suam;
Neque nos in horum divitum fructus sinat
Manus iniquas tendere.

[a] Vide not. 284.
[b] Vide ep. 44, n. 1.
[c] Vide vers. 752.
[d] Vide not. 285.
[e] Id est *exemplum* seu *imaginem*. Vide carm. 18, v. 181, et not. 286.
[f] Vide not. 287.
[g] Id est *Christi*. Vide carm. 17, v. 140, et carm. 22, v. 148.
[h] Id est *vanis*. Vide carm. 22, v. 139.
[i] Id est *divitiis*.

(a) Deest vox *longo* in editis Grin. et Poelm. Morbo incurabili medicinam facere non potui.
(b) Hunc versum emendavimus ex editione Schot. et ms. Reg. Ante erat *Ut fluminibus cunctis eat*.
(c) Ms. Regius codex cum editis Bad., Grav. et Schot., *canus puer;* non omnino male (ait Sacchinus), ut respiciat illud, *Cani sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata*. Sap. IV, 9.
(d) Ms. Reg. et edd. 4, *vitiis*. Sacchinus: An *divitiis?* Sed rectum opinor *vinculis*, et numeri causa et allegoriæ.

Vos ergo, magna cura pectoris mei, A
601 - 602 Paramini Christo leves.
Jamque expediti sarcinis egentibus [24],
Laxate vinculis pedes;
Ut copiosa luce vestiamini,
Estote nudi seculo,
Veniens ut hujus seculi princeps nihil
Inveniat in vobis suum.
Et vos prementum mole rerum liberos,
Et labe puros criminum,
Facile allevantes perferant tenui sinu
Nubes piorum bajulæ,
Sponsoque vectos obviam regi Deus [25]
Fulgore perfundat suo,
Ut sempiternæ clara vitæ gloria
Mortale vestrum sorbeat, B
Et ad supernam restituti imaginem
Herile (*a*) conformet decus,
Ævum perenne, perpetes ut angeli,
Cum rege vivatis Deo.

POEMA XXV [*].

EPITHALAMIUM JULIANI ET IÆ [a].

Julianum Memoris episcopi filium et Iam docet Paulinus quomodo in matrimonio se gerere debeant, quomodo domum instituere, seculi pompam fugere, honores declinare, etc.

Concordes animæ casto sociantur amore,
Virgo puer Christi, virgo puella Dei.
Christe Deus, pariles duc ad tua frena columbas;
Et moderare levi subdita colla jugo.
Namque tuum leve, Christe jugum est, quod prompta voluntas C
Suscipit, et facili fert amor obsequio.
Invitis gravis est castæ pia sarcina legis:
Dulce piis onus est vincere carnis opus.
Absit ab his thalamis vani lascivia vulgi,
Juno, Cupido, Venus, nomina luxuriæ.
Sancta sacerdotis venerando pignora pacto
Junguntur: coeant pax, pudor, et pietas.
Nam pietatis amor simul est, et amoris honestas,
Paxque Deo concors copula conjugii.
Fœderis hujus opus proprio Deus ore sacravit,
Divinaque manu par hominum statuit.
Quoque individuum magis assignaret amorem,
Ex una fecit carne manere duos.
Nam sopitus Adam costa privatus ademta est [b], D
Moxque suo factam sumsit ab osse parem:
Nec lateris damnum, suppleta carne vicissim,
Sensit, et agnovit quod geminatus erat;
Seque alium ex sese sociali in corpore cernens,
Ipse propheta sui mox fuit ore novo.
Hæc, inquit, caro carne mea est: os ab ossibus istud
Nosco meum: isthæc est costa mei lateris [c].
Nunc igitur, prisca quoniam sub imagine sanctum
Fœdus Aroneis pignoribus geritur,
Seria tranquillis agitentur gaudia votis:
Christus ubique pii voce sonet populi
Nulla per ornatas insultet turba plateas:
Nemo solum foliis, limina fronde tegat.
603 - 604 Ne sit Christicolam fanatica turba per urbem:
Nolo profana pios polluat ambitio.
Nulla peregrinis fragret nidoribus aura:
Cuncta pudicitiæ munditias oleant.
Unguentum sanctis unum est, quod nomine Christi
Diffusum casto spirat odore Deum.
Nolo supervacuis ornentur fercula donis:
Moribus ornatur, non opibus probitas.
Sancta sacerdotis [1] nurus, et matrona (*b*) sacratam
Jam puri dotem luminis accipiet [2].
Horreat inclusas [3] auro, vel murice vestes:
Aurea vestis huic gratia pura Dei est.
Respuat et variis distincta monilia gemmis,
Nobilis ut Domino gemma sit ipsa Deo.
Cervicem Christi Domini juga ferre dicatam
Non premat invisæ pondus avaritiæ.
Interiore magis mundo [d] placitura colatur,
Comta salutiferis dotibus ingenium.
Non cupiat lapidum pretium, non vellera Serum,
Incassum reditus dilapidare suos,
Ornetur castis (*c*) animam virtutibus, ut sit
Non damnosa suo, sed pretiosa viro.
Namque ubi corporeæ curatur gloria pompæ,
Vilescit pretio depretiatus homo,
Et male mens pravi cæcata libidine voti
Sordescit nitidis corporis exuviis,
Nec sentit quam turpe decus gerat improbus, ut sit
Veste sua levior, qui sibi veste placet.
Absit ut (*d*) idolici videatur filia templi,
Gentis apostolicæ filia facta domo.
Non fucis male ficta cutem, neque lumina nigro
Pulvere, nec flavo tincta colore comam.
Purum naturæ decus aspernata superbo
Crimine, divinum in se sibi damnat opus.
Frustra hæc se mulier jactaverit esse pudicam,
Quæ se tam variis ornat adulteriis.
Vos autem, juvenes Christi, fugite omnia quorum
In damno pretium est, usus in interitu.
Credite divinis verbis, de cultibus istis
Pœnalem cupidis surgere materiam,
Isaias [e] rigida cingendas reste minatur,

[a] Vide not. 288 et 289.
[b] Genes. II, 21.
[c] Genes. II, 23.
[d] Id est *ornato*.
[e] Isai. III, 24.
[*] Alias 14: quod autem 22 erat, nunc 20. Scriptum circa annum 400, ante 408.

(*a*) Ms. codex Reg. cum editis quinque, *conformes*.
(*b*) In ed. Schot. ex ms. codice Belgico. Ed. Rosv., *sacratis*, mendose.
(*c*) Hic loquendi modus Paulino familiaris, præsertim in hoc carmine. Vide v. 64, v. 162, et ep. 32, n. 6, v. 11. Ed. Schot., *animus*.
(*d*) Eadem licentia reperitur apud Prudentium lib

Quæ modo purpureis serica mixta gerunt. A
Quæ tunicas ostro rutilas, auroque crepantes
Fluxis talari fine trahunt sinibus:
Funibus accinctæ saccos sine fine gerentes
Grandia pistrini carcere saxa molent.
Quæque caput (a) pastis [a] cumulatum crinibus augent:
Turpe gerent nudo vertice calvitium.
Talibus ornari fuge dotibus, o nova sancti
Nupta viri: vacuis sensibus ista placent.
Tunc (b) neque odoratis vaga vestibus atque capillis,
Naribus agnosci, qua gradiare, velis.
Aut implexarum strue, tormentoque comarum
Turritum sedeas ædificata caput.
Ne multis splendore tuo male sollicitatis B
Pestiferæ nequam sis caput illecebræ.
Sed neque vel proprio per corporis incrementum
Tu cupias mentem fœda placere viro.
Tu quoque, sancte puer, libris devote sacratis
Corporei curam sperne decoris amans.
Compensavit enim Christus tibi largiter, ornans
Perpetuis pulcram divitiis animam,
Vosque simul castis ornavit dotibus ambos
Spe, pietate, fide, pace, pudicitia.
Sermo Dei argentum est, et sanctus Spiritus aurum,
Mentibus et gemmæ clara bonorum operum.
Si tenuis cultus mentes offendit honestas, C
Et pretio ambiri corda superba juvat:
Submoveant istum sanctorum exempla pudorem,
Castaque primorum simplicitas hominum.
Aspicite antiquos paradisi in sede parentes,
Quorum totus erat mundus, et unus ager.
Attamen his ovium pelles tegumenta fuerunt:
Nunc uti neto vellere texta pudet?
Pulcra Rebecca sacrum cum sponsa veniret ad Isac [b],
Simpliciter velo tecta pudoris [c] erat.
Non legitur variis venisse ornata lapillis,
Sed super obducto prædita palliolo,
Quo pudibunda suum texit velamine vultum,
Oblatam sponsi virgo pavens faciem.
An magis Herodias saltatrix virgo placebit,
Baptistæ mortem nancta pedum pretio? D
Impia maternæ sic ulta libidinis iram,
Ut caput acciperet luxuriæ pretium,
Illud nempe caput, de quo clamaverat index
Vox populis Agnum propter [d] adesse Dei,
Unde nefas tantum meruit, nisi ab illice cultu,
Impia saltatrix, filia digna patre?
Quem tamen hoc vicit scelere, invitumque coegit
In facinus placiti corporis illecebris.
Convivas etenim dignos dape regis iniqui
Duxit in assensum mobilis arte pedum.
Nam sibi fulva leves texisset bractea plantas,
Calcibus ut pictis luderet improbius,
Et fluidam crispo duxisset syrmate vestem,
Fronte micans gemmis, pone refusa comam:
Non ita corruptis spectantum mentibus intrans
Callida ad infandum prævaluisset opus.
Ipse quoque Herodes regali veste superbus
Sacrilegis demens flatibus intumuit,
Elatusque habitu divinum oblitus honorem
Vulnere vermifluo fœtidus interiit [e]:
Digna luens meritis, ut sordidus ulcere obiret,
Qui se crediderat vestis honore Deum.
Sed, cedo ut insani deceant regalia flatus
Pectora, quæ nobis cum Pharaone manus?
Dissidet a nostris cava [f] mundi gloria regnis,
Nec coit adversis lux pia cum tenebris.
Clericus uxorem Christo comente decoram
Diligat et pulcram lumine cordis amet,
Auxilioque viri divino munere factam,
Lector cœlesti discat ab historia;
Inque vicem mulier, sancto sit ut æqua marito,
Mente humili Christum in conjuge suscipiat,
Crescat ut [h] in sanctum texta compagine corpus,
605-606 Ut sit ei vertex vir, cui Christus apex.
Tali conjugio cessavit servitus Evæ,
Æquavitque pium libera Sara virum.
Tali lege suis nubentibus adstat Iesus
Pronubus, et vini nectare mutat aquam.
His Mariam [g] sponsis Domini decet adfore matrem,
Quæ genuit salva virginitate Deum.
Namque Deus placitum sacrata in virgine templum
Ipse sibi arcano condidit impluvio,
Descendit [h] tacito allapsu, velut imber ab alta
Nube super vellus rore silente cadit.
Nam nemo arcani fuit hujus conscius umquam,
Quo Deus assumsit virgine matre hominem.
O nova ad humanam Domini commenta salutem!
Fit sine concubitu femina feta uterum.
Sponsa viro tantum, non est subjecta marito,
Et genitrix partu, nec mulier coitu.
Fœdere erat conjux, sed corpore non erat uxor:
Intemerata viro, mater erat puero.
Grande sacramentum, quo nubit Ecclesia [i] Christo,

contra Symmachum, v. 611, et lib. II, v. 48 et 79.
[a] Vide not. 290 et 277.
[b] Genes. XXIV, 65.
[c] Vide vers. 96 et ep. 23, n. 24 et 25.
[d] Id est *prope*. Vide carm. 16, v. 158.
[e] Mors Herodis.
[f] Id est *vana*.
[g] Vide carm. 6, v. 110.
[h] Vide ep. 19, n. 3.
[i] Vide not. 239.
(a) Ed. Rosv., *passis*. Utraque lectio bona. Vide not. 290.
(b) Sic emendavimus monente J. F. Gronovio in Observat. Ecclesiast., c. 10, idque mens Paulini et

Et simul est Domini sponsa sororque sui. A
Sponsa quasi conjux: soror est, quia subdita non est.
[a] . . . .
Inde manet mater [b] æterni semine Verbi
Concipiens populos, et pariter pariens.
Hinc soror et conjux: quoniam sine corporis usu
Mente coit, cui vir non homo, sed Deus est.
Hac genitrice senex æque generatur, ut infans.
Ætatem et sexum non habet hæc soboles.
Hæc etenim est benedicta Dei generatio, quæ non
Seminis humani, sed generis superi est.
Inde magister ait: Quia jam nec femina, nec mas
In Christo, sed idem corpus, et una fides.
Namque omnes unum corpus sumus: omnia Christo
Membra, quibus Christus corporis in caput est [c].
Et quia jam Christum induti, deponimus Adam,
Protinus in speciem tendimus angelicam.
Propterea hoc opus est cunctis baptismate natis,
Perfectum ut capiat sexus uterque virum,
Et commune caput stet [*] in omnibus omnia Christus,
Tradens in regnum rex sua membra Patri.
Nubere vel nubi fragilis jam deserit [*] ætas,
Omnibus æterno corpore compositis.
Ergo mei memores par inviolabile semper C
Vivite: sit vobis crux veneranda jugum.
Illius ut matris nati, quæ sponsa sororque est,
Sumite digna piis pectora nominibus,
Et vobis fratri sponsi concurrite Christo,
Sitis ut æterni corporis una caro.
Hic vos nectat amor, (a) quo stringit Ecclesia [d] Christum,
Quoque vicissim illam Christus amore fovet.
Ipse pater vobis benedicat episcopus, ipse
Præcinat hymnisonis cantica sancta choris.
Duc, Memor [e] alme, tuos Domino ante altaria natos,
Commendaque precans sanctificante manu.
Sed quis odor nares allabitur æthere manans? D
Unde meos stringit lux inopina oculos?
Quis procul ille hominum placidis se passibus adfert,
Plurima quem Christi gratia prosequitur?
Quem benedicta cohors superis circumdat alumnis,
607-608 Angelici referens agminis effigiem?

Nosco virum, quem divini comitantur odores,
Et cui sidereum splendet in ore decus.
Hic vir hic est, Domini numeroso munere Christi
Dives, vir superi luminis Æmilius [f].
Surge, Memor, venerare patrem, complectere fratrem,
Uno utrumque tibi nomen in Æmilio est,
Junior et senior Memor est: mirabile magni
Munus opusque Dei; qui minor, hic pater est;
Posterius natus, senior: quia sede sacerdos
Gestat apostolicam pectore canitiem.
Filius est, fraterque Memor: lætatur adesse
Communem sibimet pignoribusque patrem.
B Justitia et pax se gemina vice complectuntur,
Cum Memor Æmilio jungitur unanimo.
Infula pontifices divino jungit honore:
Humano pietas jungit amore pares.
Hinc Memor, officii non immemor, ordine recto
Tradit ad Æmilii pignora cara manus.
Ille jugans capita amborum sub pace jugali,
Velat eos dextra, quos prece sanctificat.
Christe, sacerdotes exaudi, Christe, precantes,
Et pia vota sacris annue supplicibus.
Imbue, Christe, novos de sancto antistite nuptos,
Perque manus castas corda pudica juva,
Ut sit in ambobus concordia virginitatis,
Aut sint ambo sacris semina virginibus.
C Votorum prior hic gradus est, ut nescia carnis
Membra gerant; quod si corpore congruerint,
Casta sacerdotale genus ventura propago,
Et domus Aron sit tota domus Memoris,
Christorumque domus sit domus hæc Memoris.
Esto et Paulini Therasiæque memor,
Et memor æternum Christus erit Memoris.

POEMA XXVI *.

DE S. FELICE NATALITIUM CARMEN VIII.

Gothis Italiam vastantibus Paulinus in S. Felicis protectione confidit. Aliqua ejus miracula enumerat.

Ecce dies nobis anno revoluta peracto
D Illustrem revehit Felicis nomine lucem.
Tempus erat lætis modo promere gaudia verbis,
Anxia si lætas paterentur tempora voces.
Sed tamen ista dies, licet inter prælia, nobis
Lætitiæ pacisque dies erit; horrida longe
Bella fremant, nostris pax libera mentibus adsit.
Lætitiæ dulcem non obliviscitur usum
Mens adsueta piis sua solvere pectora votis,
Et Domino festis caste gaudere diebus.

sensus subsequentes imperant. Ante erat *quoque*.
[a] Hic deest versus.
[b] Licentia poetica. Vide Prudentii Hamartig., v. 908.
[c] Gal. III, 28; I Cor. XII, 27.
[d] Vide not. 239.

[e] Vide not. 291.
[f] Vide not. 292.
* Scriptum anno 401, die 14 Januar.
(a) Sic emendatum ex edit. Schot. Ed. Rosv., *qui*- Vide v. seq.

Quare importunam, quamvis sub tempore mœsto, A
Pellite tristitiam, bona gaudia, dulcia verba,
Omne pium lætumque die Felicis amemus,
Natali sine fine die, quia natus in ista est
Perpetuis Felix seclis, qua corporis ævum
Functus [a], ad æternam migravit in æthera vitam.
Ergo metus abeant tristes, redeantque refectis
Gaudia pectoribus; (a) decet omnia pellere sanctum
609-610 Mœsta diem, tanti quem gloria confessoris
Insignem cunctis per tempora tota diebus
Elucere facit, populisque frequentibus ornat. B
Hunc [b] ego si Geticis agerem male subditus armis,
Inter et immites celebrarem lætus Alanos,
Et si multijugæ premerent mea colla catenæ,
Captivis animum membris non jungeret hostis;
Pectore non (b) victo, calcaret triste superba
Servitium pietas. Licet inter barbara vincla,
Liber amor placitis caneret mea vota loquelis.
Nunc igitur, quamvis varias vaga fama per oras
Terrificis pavidas feriat rumoribus aures,
Nos tamen in Domino stabilis fiducia Christo
Roboret, et recto fixis pede mentibus armet.
Nec pavor ater in hanc obducat nubila lucem, C
Quam Deus æthereo Felicis honore serenat.
Legifer ut quondam Pharii tellure tyranni
Pascha sacrum (c) Moyses prima sub lege dicavit [c],
Sanctaque tunc Judæa (domo licet impius illos
Maturare fugam valida vi cogeret hostis)
Libertate tamen devoti pectoris audax,
Nec turbante metu jussum sollenne reliquit;
Sed trepidans fugiensque licet, divina peregit
Festa, salutifero lætis epulatus in agno
Cœtibus, et ficto Christi jam sanguine victor,
Duxit ovans lætas victo Pharaone choreas.
Inde fugæ memores etiam nunc azyma sumunt
Judæi, solo retinentes nomine gentem, D
Infermentatis pulsi quia panibus olim
Ægypto, fecere fugam : paribus modo signis
Per patrios, sed jam per inania sabbata, ritus
Antiqui recolunt vestigia grata timoris.
Nam frustra veterem vacua sub imagine legem
Exercent, verum nobis quia Pascha replevit
Unus pro cunctis Patri datus hostia Christus :
Et quia corpus adest vitæ, perit umbra figuræ.
Sic igitur modo nos turbato in tempore læti,
Mente pia festum dilecti martyris omnes
Collatis hilare studiis pietatis agamus.
Forte magis pietas nobis dabit ista salutem,
Si nostras ideo libeat deponere [d] curas,
Ut confessori lætantia corda feramus,
Cujus honore Deus gaudet, quia martyr honorem
Contemsit proprium Domini pro nomine Christi,
Vilior ipse sibi, ut Christo pretiosior esset.
Propterea tali placeat gaudere patrono,
Natalemque diem sopiti pace beata
Martyris expositis [d] lætantes ducere curis.
Hic quoque devotis aderit, si fortior exstet
Nunc ad lætitiam affectus, quam causa timoris
Ad consternendas obducto pectore mentes.
Credite, non armis, neque viribus esse timendos
Allophylum populos, quos propter crimina nostra
Offensi movet ira Dei, ut formidine mortis
Excitet ad curam vitæ torpentia corda.
Ergo Deum mitem sævo timeamus in hoste,
Absit ut hoste metus, quem formidare meremur
([d] Non metuendo Deum, placida quem pace remissi)
Negligimus, saltem vi compellente tremamus,
611-612 Placemus mœrore humiles, quem læta ferentem
Spernimus ex ipsa mox prosperitate superbi.
Prisca retractemus [e] sanctorum exempla parentum,
Qui merita immissis tolerantes verbera bellis,
Non armis sibi, nec muris capienda (e) parabant
Præsidia. Humanis opibus sperare salutem
Nulla salus. Nec enim mortem mortalia pellent.
Ergo quia est curæ tempus, sit cura precandi
Cœlestem Dominum, a quo mœsta aut læta parantur;
Qui solus præstare potest ditione superna
Rursus ut exactis renoventur gaudia curis.
Hoc etenim regit et variat Deus arbiter usu
Res hominum, ut semper succedant nubila sudis,
Atque iterum fugiant imbres redeunte sereno.
Quanta precum virtus, quæ sit medicina, parenti
Flere Deo, doceat luctu servata Ninive [f],

[a] Vide not. 331 et 332.
[b] Subaudi *diem*.
[c] Exod. XII.
[d] Id est *depositis*. Vide vers. 59
[e] Id est *recolamus*, seu *revolvamus*.
[f] Jon. III.

(a) Ms. codex Germ., *figant*, lege *fugiant*, *decet omnia sanctum Mœsta diem*.
(b) M. Germ., *vincto*.
(c) Idem ms. codex Germ., *Moses*.
(d) Versus ille additus est ex ms. codice Germ.
(e) Ms. idem Germ., *putabant*, non male.

Et senis impensa Moysi prece victus Amalec [a],
Et maledictus Aman sanctæ prece perditus Esther [b],
Qui bene pœnarum versa vice, quæ male sanctis
Miscuerat, solus bibit impius, et cruce justa,
Quam (a) famulo Domini præfixerat, ipse pependit.
Ergo fides innixa Deo trepidantia firmet
Pectora, et in mœsto securum tempore tempus
Præsumat confisa Deo, quia non metuendi
Causa, timere Deum, quem quisquis non timet unum,
Omnia jure timet. Fidant legionibus illi,
Perfugioque parent reparatis mœnia muris,
Nulla salutiferi quibus est fiducia Christi:
Nos crucis invictæ signum, et confessio munit,
Armatique Deo mentem, non quærimus arma
Corporis; et quamquam membris videamur inermes,
Arma tamen gerimus, quibus et sub pace serena
Contra incorporeos animis decernimus hostes.
Nunc opus adjutore Deo, solusque timendus,
Quo sine et arma cadunt, per quem firmantur et arma;
Ipse intra muros turris tibi, qui sine muris
Murus erit. Recolamus abhinc signata sacratis
Gesta patrum libris, et perspice qui potiore
Præsidio fuerint, quos urbs circumdata magnis
Absque Deo muris, an quos sine mœnibus urbis
Vallabat socio virtus divina favore.
Illam dico urbem quam perdidit acer Iesus [c],
Mutatus proprium virtutis nomine nomen,
Quam non militiæ solito de more subegit,
Ut solitum est, longa dux obsidione laborans;
Verum ope divina, sacra per mysteria vibrans
Tela, nec exercens, tacitis exercitus armis
Lustravit cessante manu, septemque diebus
Septenos iterans sibi circum mœnia gyros.
Obtinuit captos numeri [d] virtute potentis,
Atque sacerdotum lituis clangore tremendo,
Fulmineos superæ tonitrus imitantibus iræ.
Tunc qui divitiis populus fidebat, et urbe,
Interiit mixtis inter sua tecta sepulcris.
Sola Rahab meretrix castam quæ gessit iniqua
Gente fidem, non freta suis evadere muris,
613-614 Sed pietate Dei, meritum pietatis adepta est:
A Qua famulis Domini tuto fuit hospita tecto,
Celatisque pie cives illusit iniquos,
Fraude bona fallax, animo mentita fideli.
Hospitibus quia fida piis, infida profanis
Civibus exstiterat, vitam, patriamque, domumque
Prælato contempta Deo mox cuncta benigno
Repperit in Domino; quæ, si posuisset in urbe
Præsidium, patriis cecidisset mixta ruinis,
Indefensa Deo: meretrix sed mystica Christum
Provida pollutas emturum sanguine gentes
Puniceo proprium signavit vellere tectum,
Excepitque suam patria pereunte salutem;
Significans illos mundo labente tegendos,
Quos crucis invictæ signat cruor. Hinc cape quantum
B Ipse cruor valeat, cujus salvabat imago.
Semper in omne bonum valuit confidere Christo:
Credere cuncta Deo virtutum; ponere solum
Omnia summa Deum; talis super omnia semper
Arma fides valuit; tali puer ille pusillus
Robore grandis erat, qui spretis fortior armis
Perculit armatum silicis virtute gigantem [e].
Arma fide semper, numquam cognovimus armis
Indiguisse fidem. Rupit mare virga fidelis,
Quod vacua arma fide cum principe mersit iniquo [f].
Femineas quoque personas virtute virili
C Induit alma fides: mulier qua sancta peremit
Terribilem Sisaram transfixum tempora palo,
Terrentemque manu late populos Holofernem [g]
Arte pudicitiæ deceptum callida Judith
Risit, in impuro quæ non polluta cubili,
Barbara, truncato victrix duce, castra fugavit.
Nuda fides armata Deo est; virtute fidei [h]
Fortior Ezechias paucis, quam millibus ille
Sennacherib, cujus Babylon et opima Ninive
Regnum erat [i]. Assyriæ vires et Medica regna
Moverat, et magnis legionibus omnia circum [a]
Regna terens, sacram Domini tendebat ad urbem,
Atque unam tota bellorum mole petebat.
Dum parat hoc bellis retinentibus impia vota
Impediente Deo, præmisit scripta superbis
D Dura minis, quæ sumta dolens altaria circa [a]
Intulit Ezechias Domino, lacrymisque profusis
Dum recitat fera verba (*b*) lavans, prostratus, et orans
Atrata cum plebe, Deum permovit; et una
Tam gravis exitiis victor prece perculit absens

[a] Exod. XVII, 11.
[b] Esther VII.
[c] Josue VI.
[d] Id est *populi*. Vide carm. 16, v. 230.
[e] I Reg. XVII, 49.
[f] Exod. XIV.
[g] Judith XIII.
[h] Vide not. 334.
[i] IV Reg. XIX.

(*a*) Editi codices, *populo*. At ex ms. codice Germanensi emendavimus *famulo*, scilicet *Mardochæo*, cui Aman paraverat patibulum, vide cap. VII Esther, v. 10; non autem populo Judæorum, quos die statuto interfici et gladio perire edixerat. Vide cap. III Esther.

(*b*) Forte legendum, *levans*. Sacchinus: Non displicet intelligi *lavisse lacrymis scripta*. Sed et libenter legerim, *levans, prostratus*, ut intelligatur *levasse dum* (ut Isaias ait) *expanderet coram Domino, et prostratus ipse oraret*.

Assyriis, pugnante Deo; compendia tanta A
Promeritus, ne nosset eum, quem vinceret, hostem.
Nam post Ezechiæ querulos trans sidera fletus,
Et de corde humili missas super astra querelas
Voce pia impulsis summi Patris auribus, altæ
Ut patuere fores cœli, delabitur ales
Angelus, halantem (qua labitur) aera ducens,
Armatus verbi gladio, ferit impia castra,
Et sopitorum taciturna strage triumphans,
Centum octoginta dedit uni millia leto,
Et nox una fuit tam magni conscia belli.
Mane minax rex surgit adhuc; et mox miser, armis
615-616 Milite deleto vacuis, fugit agmine raro, B
Ezechiam fugiens alio procul orbe diremtum,
Cui modo præsenti fuerat sua vincla minatus.
Tunc velut Ezechiæ fuit interventor Isaias [b],
Ad Dominum nobis isto sit tempore Felix,
Jactemus nostras et transfundamus in ipsum [a]
Curas atque metus. Levis illi sarcina nostrum
Pondus erit, quia quod parvis onus, hoc leve magnis.
Sic Deus ipse hominum gessit peccata, nec hausit,
Et mortem passus, non pertulit in cruce culpam:
Perdidit ille, meam repararet ut in cruce, vitam; C
Ille reus factus, ne sim reus; inter iniquos
Condemnatus obit, nos ut discernat iniquis.
Morte pia Dominus mihi mortuus, ut sibi vivam,
Et merear semper viventis vivere vitam.
Sic potiora ejus venerando in corpore membra,
Martyres (in quibus est insigni robore Felix,
Inter divini capitis sacra lumina fulgens)
Jure Deo validi, quia Christo proxima passi.
Concurramus ad hunc spe conspirante patronum;
Suscipiet nostras placida pietate querelas,
Et dum natalem ipsius celebramus ovantes,
Ille preces nostras meritis pius adseret altis,
Inque vicem flebit nobis, quia mente dicata
Nos lætamur ei. Non est cura hæc nova sanctis
Exorare Deum pro peccatoribus ægris,
Vique boni meriti meritum superare sinistrum.
Sic legimus Moysen populo peccante precatum
Exstinxisse graves æterni Vindicis iras [a].
Et cum Pentapolim [b] perfunderet igneus imber,
Exiguam Segor Sodomis secernit iniquis
Lot fugiens, castaque potens prece liberat urbem,
Electamque domo sumit; quia sede pudica
Integer incestæ permanserat incola terræ
Permixtus Sodomæ tectis, sed moribus exter.
Quid loquar Eliæ precibus clausum atque reclusum
Cœlum, et sanctiloquo [c] sublimis in ore prophetæ
Terrarum mansisse famem, rediisse salutem?
Ut quondam hos habuit vetus ætas, sic modo nostra,
Felicem sortita salus, petat omne quod audet,
Quodque cupit, tali speret confisa patrono.
Sancte Deo dilecte, Dei tu dextera, Felix,
Esto, precor, nobis tu munitissima turris.
Nam Deus Abraham, Deus est tuus, et Deus Isac,
Et Deus Israel, Deus est tuus; ille Rubentis
Divisor pelagi, et dulcator fontis amari;
Ille dator mannæ cœlo, dator ortygis Austro,
Et sitientis humi percussa rupe rigator:
Ipse tuus Deus est, qui per deserta sequentem
Præcessit populum, et prætentam nocte dieque
Temporis alterna mutavit lege columnam,
Quique quater denos inter deserta per annos,
Angelico plebem de cœlis pane cibavit,
Et rupta in fluvios sitientem cote refecit.
Posce, precor, placidum nostris accedere Christum
Partibus; ipse tuus Deus est, quo fortis Iesus
Stare suis jussit solem lunamque triumphis [d],
Et tibi, cum Dominus Romani prospera regni
Annuerit, famulis elementis præcipe, Felix,
Ad nostrum servire bonum: procedat et astris
Stantibus aucta dies; sol stet tibi, lunaque concors
Hæreat obfixo suspendens sidera cursu,
617-618 Dum Romana suum capiat victoria finem.
Sicut in Assyria Daniel Babylone leones
Effusa domuit victor prece [e]; sic tibi, Felix,
Effera barbaries Christo frangente dometur,
Et tua captivi jaceant vestigia circum,
Ceu quandoque feræ circum jacuere prophetam,
D Orantisque pedes linguis mulsere benignis,
Naturam mutante Deo, ut damnaret acerba
Mente feros homines humana pace ferarum.
Sic et crudelem confudit flamma tyrannum,
Sanctis spectantem pueris servire caminos;
Innocuos cantare reos, ardere ministros.
Quonam se miseri poterunt defendere reges,
Qui, tam degeneres humanæ mentis, in illos
Sævierint quibus et feritas et flamma pepercit?

[a] Exod. xxxii.
[b] Id est *urbes* 5. Vid. ep. 13, n. 21; Gen. xix.
[c] Sic apud Prudentium Apotheos. v. 1006: *Sanctiloquus Lucas.*
[d] Jos. x, 13.
[e] Daniel. xiv.

Sed velut æternos pueris recinentibus hymnos, A
Roscidus accensos discussit spiritus ignes [a];
Sic nobis placido Felicis gratia flatu,
Adspirante Deo, bellorum temperet ignes,
Ortaque Romuleis reprimens incendia terris,
Sollicitos placida jam pace refrigeret æstus,
Fessaque restinctis absolvat pectora curis.
Sed cur insipiens, tamquam tibi sim rudis hospes,
Oblitusque tui, veterum te posco parentum
Exemplis, ut opem tribuas in rebus egenis,
Quam tibi dante Deo facies tu cedere nobis?
Sat mihi sunt, Felix, virtutum exempla tuarum,
Nec tibi pauperior Christus cœlestia fundit
Munera quam patribus, quorum generosa propago es. B
Nam patriarcharum Felix et filius æque
Stirpis apostolicæ es, tanti non degener heres
Seminis, ut sanctæ legis simul atque fidei [b]
Confessor, patriis virtutibus æmula sanctus
Signa geris : nec, si species operum tibi dispar,
Non similis virtus; diversa est gratia vobis,
Gloria par, quoniam sanctis fons omnibus unus,
Martyribusque sacris; opera ut diversa fuerunt
Tempora, nec coeunt signis distantia causis
Gesta : Dei per dona sibi cœlestia distant
Æquales meritis. Si non eadem omnia Felix
Quæ Daniel gessit, vel pertulit, et lacus istum
Non habuit, nec terribiles cinxere leones [c];
Nec Daniel eadem pro nomine passus herili est, C
Verbera, vincla, metus, et noctem carceris atri,
Quæ Felix horrenda tulit. Qui rostra ferarum
Clausit, adoranti faciens mansueta prophetæ;
Qui fecit tepidos pueris orantibus ignes
Humidaque in mediis dedit indumenta caminis :
Ipse dedit celso Felicem jure potentem
Pestiferis Satanæ legionibus imperitare,
In quibus iste feras [d] omnes compescit et ignes.
Nam quæ non serpens, quæ non hæc bellua turba est?
Denique de multis unum loquar, ut sit ab uno
Discere, dæmoniis sensus constare ferinos.
Quidam homo, non longum tempus, tam prodigiali D
Dæmone distentus fuit, ut jam non modo notos
Ille cibos hominum, vel si congesta daretur
Multa mensa dape, in facili consumeret haustu,
Verum et gallinas habitantum limine raptas,
Mox ut sustulerat rapido discerperet ore,
Et pluma incoctas non suffocante voraret.
Quin et funeream saniem [e] sitiebat, et ossa
619-620 Lambebat, pecudum projecta cadavera mandens,
Obscœnus conviva canum. Hic modo dæmone tanto,
Sobrius, ecce procul conductum exercet agellum.
Et curante Deo sancta Felicis in aula
Redditus ipse sibi, claro satis indice monstrat,
Felicem meritis et Christi nomine fortem,
Immites domitare feras, et vincere flammas.
Dicite qui testes operum Felicis adestis
Nonne feras ignesque domat, cum dæmonas urget,
Qui vitiis animas, et morbis corpora frangunt,
Peccatisque vorant : istos cruciansque fugansque,
Nonne feras ignesque domat? fremit igneus ultor
Agminis igniferi Felix, flammamque nocentem
Opprimit igne Dei : tenebrarum vincitur ignis
Luminis igne pio : dæmon fugit, et Deus intrat;
Et fit homo bene versa domus, felicior aula,
Possessore Deo tetrum inficiata colonum.
Candidus et medicans ignis Deus : hoc meus igne
Fervet, ut incensum restinguat dæmona, Felix,
Laxatumque [e] hominem flagrante refrigeret hoste.
Mira manus! Sic virga potens et celsa potestas
Intra unum mixtis inimico fœdere corpus
Spiritibus, Felix intervenit inter operta
Pectoris, et tenues dirimit subtilior auras,
Dæmone discernens animam, quo libera pulso
Mens hominem recipit. Par hoc operi est opus illi,
Quo (a) merram tristem sacri dulcedine ligni
In populi potus crucis immutavit imago.
Sic Felix pietate potens, quia nobilis altæ
Confessor crucis est, ipsum, quasi tristia merræ
Pocla, hominem mutat. Qui nunc inflatus acerbo
Dæmone, vipereum per spumea labra saporem
Concussu laterum et singultu gutturis ampli
Sæpius adsiliens flatus ructabat amaros :
Jam totus, vel solus homo in sua jura reversus
Dulce sapit, sanum spirat, placidumque profatur.
Ergo et Felicem virtutis dextera cingit.
Inde potens varias tenebrosi principis artes
Devorat, ut magicos Moseia virga dracones [f].
Cernimus ecce pares Domini cœlestis adesse
Ad meritum Felicis opes, operum quoque formas
Congruere, et quæcumque patres in corpore sancti

[a] Daniel. III, 50. Vide carm. 17, v. 315, et not. 293.
[b] Vide not. 334.
[c] Daniel. VI, 22.
[d] Vide not. 294.
[e] Id est *cadaveris mortui*.

[f] Exod. VII, 12.
(*a*) Hanc vocem, ut et in versu 345, emendavimus ex carm. 17, v. 32, juxta ms. codicem Germ. Vide ibidem, et præterea not. 214.

Ediderint documenta Dei, sine corpore vivum A
In Christo Felicem agere, insignique potentem
Mente animam, positi dum corporis ossa quiescunt,
Ante diem reditus claris prætendere signis,
Qualem pro meritis sit gestatura coronam,
Cum steterit totus redivivo corpore Felix.
Omnes, quisque suo, radiabunt lumine sancti
Dissimili fulgore pares, nec judice Christo
Alter in alterius meriti dispendia crescent:
Christus erit cunctis regnum, lux, vita, corona.
Cernite distinctos actus, sed honore jugatos
Testamentorum Veterisque Novique magistros,
In quibus una dedit geminas Sapientia leges.
Atque ita virtutes varias par gloria pensat. B
Non Petrus irrupit virga mare; sed neque Moses
Æquoris incessit liquido: tamen unus utrisque
Fulget honos, unus quoniam fuit autor utrique
Scindere aquas virga, pedibus calcare fluenta,
621-622 Qui Deus est veterum in sanctis, Deus ipse novorum;
Quo data lex Domino est, ex ipso gratia venit:
Ille Deus Danielis, et ille trium puerorum,
Felicis Deus ipse Deus, nec se minor ipse est
In sancto Felice Deus: per quem bona dona
Et medicas exercet opes terraque marique.
Omni namque die testes sumus, undique crebris
Cœtibus aut sanos gratantia reddere vota,
Aut ægros varias petere ac (a) ambire medelas. C
Cernimus et multos peregrino a littore vectos,
Ante sacram sancti prostratos martyris aram,
Dum referunt grates, tolerata referre pericla,
Testantes, validis collisa nave procellis,
Se raptos miserante Deo, Felicis ut ipsa
Educente manu, maris emersisse profundo,
Et desperatam placidos cepisse salutem,
Felicis meritis et aquas et cedere flammas.
Præterita ut taceam meriti documenta potentis,
Novimus experti: pavor e terrore recenti
Vibrat adhuc memores animos, recolentibus illa
Quæ tulimus pene absumtis incendia tectis:
Quamlibet exstinctæ recalent vestigia flammæ
Mentibus et magni cumulant Felicis amorem; D
Quem prope corporeo præsentem vidimus actu
Objectare manus flammis, et nostra tueri
Limina juncta suis, quæ tamquam territa sancti
Obstantis facie prope tangens flamma pavebat,
Pulsaque de nostri rapiendo culmine tecti,
Comminus in tuguri vicina strage perarsit.
Mira loquar, stetit immotus sine flatibus æther,
Nec nemorum foliis ullum dedit aura tremorem,
Ne posset rapidus procedere longius ignis,
Per contexta volans sociarum tigna domorum:
Sed ventis deserta cadentibus ire negaret
Flamma, et consumto moreretur languida pastu,
Consimili modo nos Felix ope solve periclis;
Nec domibus nostris propient mala; pulsaque per te
Horrida sanguineo longe sonet ira flagello.
Illam etiam virtutem arcendis indue bellis,
Qua male labentem vicinis montibus amnem,
Qui subitis aucto pluviis torrente redundans,
Sic tua præcipitans in limina sæpe ruebat,
Ut tectis conjuncta tuis habitacula vastis
Quassaret violentus aquis, ita flumine verso
Fecisti mutare vias, ut nunc novus illum
Alveus insolita ducat regione furentem,
Nostraque longinquo vitantem tecta meatu;
Sic modo bellisono venientes flumine pugnas,
De nostris averte locis. Manus impia sacris
Finibus absistat, quibus est tua gratia vallum.
Atque tuam timeant hostes quasi dæmones aulam,
Nec cruor hæc violet, quæ flamma vel unda refugit.

POEMA XXVII *.

DE S. FELICE NATAL. CARMEN IX.

De solennibus Christianorum festis agit. S. Nicetam Dacorum episcopum ad festum S. Felicis diem Nolam secundo venientem miris laudibus excipit.

623-624 Nascere quæ tardo semper mihi redderis ortu,
Mox et in occasum properans fugis; ægra redire,
Ales abire dies. Nam te per longa morantem
Tempora, dum tardi nitens [a] rotâ vertitur anni,
Sustineo intentis affecto pectore votis:
Quam cuperem totis mihi prælucere diebus,
Vel si quando venis, ita compensare moras, ut
Æstivis posses [1] spatiis producere lucem,
Aut illum pensare diem, qui sistere jussis
Sideribus longo lassavit lumine mundum,
Humanos duplicans dilatâ nocte labores.
Nunc te cara dies rapido nimis aere nobis
Temporis hiberni lex subtrahit, et breviatas
Cogit hiems horas cita lumine, pigra tenebris.
Sed bene quod tibi sol, Felix, cui gratia perpes
Illustrante micat Christo, propriumque coruscat
Natali jubar ipse suo, neque conditur umquam
Casibus occiduis, æterni splendor honoris.
I fugitiva dies, elabere, non revocabo:
Nec te jam querar esse brevem; quia te sine Felix
Semper inexstincto præsens mihi lumine fulget.
Si natalis abest, plus est quod jugiter ipse
Lux hujus natalis adest. Nec enim ille die fit
Sanctus, cujus honor celebrandi causa diei est.
Quod si natalem reliquis præstare diebus
Turba facit, solito quæ densius ad sacra currit
Limina; conferta prope semper plebe videmus
Natalem Felicis agi. Nam quæ, rogo, votis

[a] Id est *obnitens*.
* Scriptum anno 402, die 14 Januar.

(a) Edd. Grav. et Schol. in marg., *sentire*.

Cassa dies oritur, vel magnis rara catervis? A
Sed tamen hanc speciale decus retinere fatebor
Jure diem, expleto quondam qua contigit ævo
Ponere [a] terrenos habitus, et in alta [a] vocari
Sidera Felicem retinendum sede beata.
Firmat enim ratio ista fidem, quæ tempora certis
Distinguit titulis, sacrosque [a] per annua signat
Festa dies, quibus (*a*) ad Domini miracula quondam
Antiqui tremuere patres [b], horrenda sinistris,
Et semper celebranda piis; quia commoda sanctis,
Dura fuere malis. Testis Memphitica tellus,
Et mare tunc factum sanctis humus, æquor iniquis; B
Ceteraque his paria Ægypto multasque per oras
Gesta Deo memori nobis recoluntur amore.
Sic æque divina [c] feruntur (*b*) munere Christi.
Ut veneranda dies cunctis, qua Virgine natus,
Pro cunctis hominem sumsit Deus [d]; utque deinde
Qua puerum stella duce mystica dona ferentes
Suppliciter videre magi [e]: seu qua magis illum
Jordanis trepidans [f] lavit tinguente Johanne,
Sacrantem cunctas recreandis gentibus undas [f]:
Sive dies eadem magis illo sit sacra signo,
Quo primum Deus egit opus, cum flumine verso
625-626 Permutavit aquas (*c*) prædulcis nectare vini [g].
Quid paschale epulum? Nam certe jugiter omni
Pascha die cunctis Ecclesia prædicat oris, C
Contestans Domini mortem cruce, de cruce vitam
Cunctorum: tamen hoc magnæ pietatis in omnes
Grande sacramentum [h], præscripto mense quotannis
Totus ubique pari famulatu mundus adorat,
Æternum celebrans redivivo corpore regem [i].
Hoc sollemne dies sequitur: septem numeramus
Hebdomadas, et lux populis festiva recurrit,
Qua sanctus quondam cœlo demissus ab alto
Spiritus ignito divisit (*d*) lumine linguas,
Unus et ipse Deus (*e*) diversa per ora cucurrit,
Omnigenasque uno sonuit tunc ore loquelas,
Omnibus ignotas tribuens expromere voces,
Quisque suam ut gentem peregrino agnosceret ore, D
Externamque suo (*f*) sentiret in ore loquelam.
Barbarus ipse sibi non notis nota canebat,
Verba suis aliena loquens [j]: sed in omnibus unum
Voce Deum varia laudabat spiritus unus [k].
Ut citharis modulans unius verbere plectri
Dissona fila movet: vel qui perflantia textis
Labra terit calamis, licet unum carmen ab uno
Ore ferat, non una sonat, variosque magistra
Temperat arte sonos; arguta foramina flatu,
Mobilibusque regit digitis, clauditque, aperitque,
Ut rapida vice dulcis eat redeatque cavernis,
Currens Æolio [a] modulabilis aura meatu,
Explicet irruptos animata ut tibia cantus:
Sic Deus omnisonæ [l] modulator et arbiter unus
Harmoniæ, per cuncta movet quam corpora rerum,
Et naturæ opifex Deus omnis, et artis; in omni
Fons opere, et finis, faciens [a] bona, factaque servans,
Ipse manens in se media pietate vicissim,
Qua Pater in Verbo, qua Filius in Patre regnat,
Quo sine nil factum, per quem sata cuncta in eodem
Consistunt, idem novat omnia principe Verbo.
Qui cruce purpurea pretiosi sanguinis ostro
Arduus ascensu volucri penetravit in alta
Nube super Cherubim volitans, seditque [a] Parenti
Dexter [m], et (*g*) inde suis cœlestia dona profudit [a],
Spiritum ab Unigena [n] sanctum et Patre procedentem.
Qui Deus ipse Deo veniens licet adsit ubique,
Conspicuo tamen allapsu ruit igneus illic,
Pubis apostolicæ concors [o] ubi cœtus agebat,
Moxque novo sonitu, multis ex urbe coactis
Omni ex gente viris, sedit quasi flamma per omnes
Et simul in cunctis spiramine dissonus uno,
Ut lyricas facili modulatus pectine [10] chordas,
Dividuis eadem cecinit præconia linguis,
Incutiens varias humana per organa voces [c].
Talis ubi lectas implevit crapula mentes,
Ructavere sacras jejuno gutture laudes
Ebria corda Deo; quis me miseratus, ab isto
Flumine potabit, quod sobriat ebrietate?
627-628 Ergo velut cœlum stellis, ut floribus arva,

[a] Id est *deponere*. Vide carm. 14, v. 81.
[b] Exod. XIV, 22 et 27.
[c] Vide not. 295.
[d] Matth. I, 6.
[e] Matth. II, 11.
[f] Matth. III, 16.
[g] Johan. II, 9, 11.
[h] Vide not. 296.
[i] Matth. XXVIII, 6.
[j] Act. II, 2, 3, 4, 6, 8, 11.
[k] Vide not. 297.
[l] Vide not. 298.
[m] Marc. XVI, 19.
[n] Μονογενής. Vide carm. 5, v. 47.
[o] Act. II, 2, 4, 6.

(*a*) Correximus *ad* ex ms. codice Germ. Ante erat *aut*.
(*b*) Ms. Germ., *munera*, minus bene.
(*c*) Manuscriptus Germanensis codex cum ed. Grin., *perdulcis*. At vox *prædulcis* Paulino familiaris. Vide carm. 21, v. 792, et carm. 32, v. 220.
(*d*) Ita emendatum ex ms. codice Germ. Editi, *flumine*.
(*e*) Sic emendavimus ex eodem codice ms. Editi, *divisa*.
(*f*) Ita ms. Germ. Editi, *nesciret*. BIGN.: forte *resciret*.
(*g*) Sic ms. codex Germ., et editi Grav. Poelm. et Schot. Alii duo, *et in servos*. Utraque lectio recepta.

Temporibusque annos Dominus; sic ipse[11] diebus A
Tempora distinxit festis, ut pigra diurnis
Ingenia obsequiis, saltem[12] discrimine facto,
Post intervallum reduci sollennia voto
Sancta libenter agant, resideesque per annua mentes
Festa parent Domino, quia jugiter intemeratos
Justitiæ servire piget. Delinquere suetis,
Parcere peccato, labor est. Decurritur omni
Valle, per ascensum non est evadere cursu.
Hinc via labendi proclivior, et via vitæ
Durior; illa capax multis, hæc ardua paucis.
Inde bonus Dominus cunctos pietatis ut alis
Contegat, invalidis niti virtutis ad arcem,
Congrua sanctorum dedit intervalla dierum:
Ut saltem officiis mediocribus ultima Christi B
Vestimenta legant, et eos sacra fimbria sanet,
Qui non extorres penitus regione salutis,
Intra perpetuæ stabulant præsepia vitæ,
Longinqui primis non longo fine secundis.
Primus enim (a) gradus est cœlo, pertexere cunctos
Continua bonitate dies, et tempore toto
Pascha sacrum Christi cultu celebrare pudico.
Quod si mixta seges tribulis mihi germinat, et cor
Incultum stimulat terreni spina laboris;
Vel festis Domino studeam me offerre diebus,
Ut vel parte mei tangam confinia vitæ,
Corpore nec[13] toto trahar in consortia mortis.
Quamquam igitur jugi nos qui statione propinqua C
Accolimus, sancti potiamur honore patroni,
Quem et sine natali devota frequentia semper
Concelebrat; tamen ut proprii per herilia vernæ
Festa relaxemur curis, et vota canamus,
Hujus lætitiæ princeps psallentibus ibo
Fratribus, et socium ducam quasi signifer agmen.
Nam licet e varia populi regione frequentes
Comparibus votis hodie pia gaudia fundant;
Me tamen uberius decet atque insignius isto
Exsultare die: quia nemo obstrictior est me
Debitor huic, cui privato specialius astro
Ista dies tantum peperit sine fine patronum.
Salve, cara dies, salve, mihi lux mea, salve,
Semper festa mihi: sed in hoc mihi clarius anno D
Orta refulsisti, quia cum Felicis honore
Nicetam[14] revehis, sanctorum ut amore duorum
Binum habeam natalem hodie, quo corpore sumti
Martyris excessum celebrans, et corpore promti
Ecce sacerdotis reditum satiatus adoro[a],
Suscipiens humili metantem[b] in pectore Christum.
Exsultet mea nunc anima, dicatque quod olim
Sponsa canebat amans Domino vocalis amanti:
Imber abit, discessit hiems, vox turturis altæ
In nostra tellure[c] sonat, dat vitis odorem,
Florida et in terris miramur lilia cœli.
Unde repente, precor, versa vice temporis æther
Ver agit, et gelidis flores visuntur in agris?
(b) Unctus adest Domini Christi comitatus amicis
Nicetes, hinc vernat hiems, hinc undique nobis
629-630 Spirat odoratos vegetabilis aura vapores:
Hoc de corde venit benedicti spiritus agri.
Vita pudicitiæ, et liquido mens candida vero,
Nicetam faciunt flores, et aromata (c) verna[d..e].
Munere quid tanto dignum, vel corde, vel ore
Pauper, et insipiens, et parvulus edere possim?
Ipso nunc Felice opus est, et in hoc mihi munus,
Sumat ut a Christo, mihi quas impertiat ipse,
Ut digne sibi grater opes. Et nunc mihi vellem
Viva perennis aquæ manarent flumina ventre,
Ut non ore meo, sed Christi munere possem[15]
Lætitiam enarrare[16] meam, quæ munere Christi
Uberius solito placidum mihi pectus inundat,
Natalemque mihi duplicat Felicis amore
Multiplici. Video præsenti lumine coram
Nicetem (d) rediisse mihi, visoque parente,
Cujus præ cunctis amor in me regnat, et ipse
Nicetes fio, benedicti nominis instar
Mente gerens, quæ nunc voto victore triumphat.
(e) Hunc ego conspiciens longo post tempore longe
Natali venisse tuo, clarissime Felix,
Nonne tua ducente manu adventasse fatebor?
Nam quis tam claro poterit non cernere signo,
Hoc prece provenisse tua, ut, quod sumere votis
Vix poteram, aut ipso saltem mihi figere somno,
Nicetam[17] rursus[18] coram, Felicis in ipso
Natali, visu simul amplexuque tenerem,
Atque iterum sub eo canerem mea debita, Felix,
Auditore tibi. Sed quid faciam? rogo. Pauper
Divitis assideo[19] mensæ, et miser audeo magnis
Insertare manum dapibus[f]; neque cogito quod me
Talia consimili vice, qualia sumo, parare
Conveniat, dignumque isto dare judice verbum.
Quare inopi da, sancte, tuo, ut te digna patrono,
Et pariter condigna tuo loquar (f) ausus amico.
Posco tuos, Felix, tecum ad tua vota parentes.
Quæ tua vota loquor, mea sunt, et verius hæc sunt

[a] Id est *honoro*. Vide not. 299.
[b] Id est *divertentem*.
[c] Licentia poetica. Cantic. II, v. 11 et 12. Virgil. eclog. 1. Vid. not. 300.

[d..e] Cant. II, 11, 12. Virgil. Ecloga 1.
[f] Prov. XXIII, 1.
(a) Manuscriptus Germanensis codex, *Primus enim vitæ gradus est.*

(b) Sic reposuimus refragantibus codicibus; quid enim sibi vult, *Junctus Domini comitatus?* Vide not. 300.
(c) Ms. codex Germ. *Christi.*
(d) Idem codex ms. cum editis quinque, *Niceten.*
(e) Sic restitutum ex ms. codice Germ. et editis Grav. et Schot. in margg. Ceteri:
Ergo conspiciens hunc longo tempore longe
(f) Ita reposuimus ex ms. codice Germanensi. Ante erat *usus.*

Vota mea : at tibi celsus honor terrena recusat A
Gaudia. Sed quia nostra tuæ sunt gaudia palmæ,
Ut tua digneris [20] tibi ducere vota tuorum,
Ergo tuos etiam, Felix, imploro parentes;
Hic quoque ades, mihi nunc poscas ut adesse vocatos.

Qui colitis lætos paradisi (*a*) cœlitis hortos,
Quique sub excelsa Domini requiescitis ara,
Pulcher apostolici chorus agminis, et patriarchum
Gens prior, ambo chori procerum, quos agmine bino
Per duodena Deus signavit nomina patres,
Gentibus et populis regnum ad cœleste vocandis:

Vos etiam, sancti, supplex deposco, prophetæ,
In nostra qui carne Deum fore præcinuistis: B
Vos quoque corporibus cæsis [21], et sanguine fuso
Occisum et vivum testati martyres Agnum,
Omnes divinis a fontibus una propago,
Quos pius Abraham, sacer Isac, lenis [22] Iacob,
Progenuere Deo per non numerabile semen,
Et bifidum, meritis cœlestibus, atque caducis;
Æquantes his astra poli, his telluris arenam;
Credo equidem vos officio pietatis ad istum
631 632 Undique convenisse diem Felicis amore,
Ut confessoris socii celebretis honorem.

Non autem tanti mihi sum præsumtor honoris,
Ut sanctos idcirco meis modo protinus omnes
Sensibus adspirare precer, quasi munere tanto
Dignus, ut illa meo resonet vox turturis ore, C
Quam totum tellus audivit læta per orbem:
Sed quia vox divina decet Felicis honorem,
Et quia Nicetes, Domini puer atque sacerdos,
Longinqua tellure mihi modo missus, ad istum
Ecce diem venit, vir tam bonus ore magistro,
Quam sacer est victore animo, vel corpore victo.

O mihi fulminea cherubim [a] si forcipe sumtum
Carbonem ex ipsa Domini procul (*b*) efferat ara,
Et peccatoris male pinguia labra perurat,
Ut defæcato concretis sordibus ore,
Non ut ab ore meo, sed ut auditoris ab ore
Ipsius hausta, meo depromam dignius ore;
Nec peccatoris stolidi sermo asper et æger,
Et violet castas, et doctas (*c*) vulneret aures!

Sed quoniam lateri meus assidet ipse magister, D
Comminus e regione situm venerante frequenter
Lumine conspiciam; forsan sapientis ab ore,
Ut quondam effetæ pecudes pastoris Iacob,
Concipiam sterili fecundos pectore sensus.
Namque et Nicetes Domino benedictus, ut ille,
Mitis; ut Israel ovibus quoque pastor et hædis
Ante lacum viventis aquæ; sed et hic etiam tres
Corde pari trina sibi legit ab arbore virgas,
Queis in aqua positis pecus advocat, et coeuntes
Ingravidat, virgisque tribus concepta colorat;
Ut de interrasa [b] variatis cortice virgis,
Insignita gregis (*d*) sancti fetura probetur.
At pecori Laban non est nota, sed nota vitæ;
Nam nota mortis erit, Christo non esse (*e*) notatos.

Sic animas steriles in nomine gratia trino
Innovat, et verbi coitu vir Spiritus implet,
Conceptosque Deo notat intus [c] Eclesia [d] fetus
Virgineo fecunda utero, materque salutis,
Dum virgis intenta tribus bibit uvida Verbi
Semina, et æterni signatur lumine vultus [e].
Hinc sterilis peperit septem [f], et defecit abundans
Dilatante Deo tenues [g], tenuante superbos.

Sic ego Niceta viso, quasi fonte reperto,
Sicut ovis sitiens ad viva fluenta cucurri
Aridus, et sensi mea protinus ubera tendi,
Attentusque diu pascentis in ora magistri,
Inspexi docto varias in pectore virgas,
Conspectumque bibi per lumina fixa colorem,
Et me divinis sparsit mens roscida guttis.

Sed tamen in tribus his (quia venit mentio) virgis,
Si placet, inspiciamus adhuc mysteria regni,
Tres patriarcha sibi trina legit arbore virgas,
Spirantem (*f*) storacis, lævem platano, nuce firmam.
Spiritus in platano est, Virgo in storace, in nuce Christus.
633-634 Nam patulos platanus ramos expandit in umbras:
Sanctus inumbrata formavit Virgine Christum
Spiritus. Et storacis puto virga sit, arbore David,
Promsit odoratum quæ Virgo puerpera florem.
Virga nucis Christus, quoniam in nucibus cibus intus,
Testa foris, et amara super viridi cute cortex [23].
Cerne Deum nostro velatum corpore Christum,
Qui fragilis carne est, verbo cibus, et cruce amarus.
Dura superficies, verbum crucis; et crucis esca est,
Cœlestem Christi claudens in carne medullam.
Sed cruce dulcis item, quia protulit arbore vitam
Vita Deus noster: ligno mea Vita pependit,
Ut staret mea vita Deo. Quid, vita, rependam,
Pro vita tibi, Christe, mea? nisi forte salutis
Accipiam calicem, quo te mea [24] dextra propinet,
Ut sacro mortis pretiosæ proluar haustu.

[a] Isai VI, 6. Vide not. 301.
[b] Id est *incisa*.
[c] Vide not. 302.
[d] Vide not. 239.
[e] Psal. IV, 7.
[f] Vide not. 303.
[g] I Reg. II, 5.

(*a*) Ms. Germ., *cœlitus*. Vide carm. 21, v. 775 et 873.

(*b*) Sic ms. Germ. Ed. Rosv., *adferat*. Ceteri mendose, *hac ferat*.

(*c*) Ms. Germ. codex, *verberet*, minus bene post *violet*.

(*d*) Ms. Germ., *Christi*.

(*e*) Ita emendatum ex ms. Germ. et edit Schot. Alii, *novatos*.

(*f*) Ita emendatum ex ms. codice Germ. et editis quinque. Ed. Rosv., *storace*.

Sed quid agam? neque si proprium dem corpus in ignes, A
Vilescamque mihi, nec [25] sanguine debita fuso
Justa tibi solvam, quia me reddam tibi pro me,
Et quidquid simili vice fecero, semper ero impar,
Christe tibi: quia tu pro me mea, non tua, Christe,
Debita solvisti, pro servis passus iniquis.
Quis tibi penset amor? Dominus mea forma fuisti,
Ut servus tua forma forem: et res magna putatur,
Mercari propriam de re pereunte salutem?
Perpetuis mutare caduca, et vendere terram,
Cœlum emere? Ecce Deus quanto me carius emit
Morte crucis? passus, dejectus imagine servi,
Ut viles emeret pretioso sanguine servos. B
Sed quid agam? (*a*) intuto temerarius evehor alto,
Ausus in excelsum fragili me credere penna?
Martyris egregii natalem (qui meus est mos)
Materia leviore canens, in summa repente
Emicui, super astra volans, mentemque procacem
Ad rerum fontem misso sermone tetendi.
Unde mihi hos animos? quæ me levat aura superbum?
Non agnosco tumens mea pectora; major agit mens,
Sentio Nicetam, qui proximus assidet, et me
Tangit, et adjuncto lateri vicinus anhelat.
Acer anhelantis juxta me spiritus intrat, C
Insolitumque potens meditantis suscitat ignem,
Frigentes animans admoto fomite fibras.
Sed reprimam tumidos flatus, nec magna super me
Exiguus (*b*) sperabo loqui, referarque relicta
Parvus humo, et plano modici pede carminis ibo.
Quamvis Felicis meritum sublime profari
Non possim sine laude Dei, tu sancte paterno
Suscipe me Niceta sinu: et dum pectore docto
Sustineor, caput in blando mihi corde reclinans,
Sal tuus insulsum me condiat, et sitientes
Dives vena riget rivo mihi perpete sensus.
Dicam iterum gaudens, et adhuc vix muneris hujus
Credulus, ingeminabo rogans: Dic, quæso, redisti? D
Teque ipsum teneo, Niceta? in quo hactenus æger
Noctes atque dies animo tabente pependi?
Venisti tandem quarto mihi redditus anno.
Sed grates Christo, quia te vel sero revexit.
Quam metui ne te mediis regionibus hostis
Disclusum opposita bellorum nube teneret?

635-636 Sed desideriis superantibus, obvia nobis
Vincula rupisti: nec te mare, nec labor ullus,
Nec Gothici tenuere metus, nec frigora longis
Dura viis: vere in tantis, Niceta, fuisti
Casibus affectu victus victorque benigno,
Fortis et infirmus pariter, sed utrumque potenter.
Victus amicitia, victus Felicis amore,
Vicisti duros tenera pietate labores.
Nunc age, sancte parens, aurem mihi dede manumque;
Nodemus [26] socias in vincula mutua palmas,
Inque vicem nexis alterno fœdere dextris,
Sermones varios gressu spatiante seramus.
Enarrare libet simul, et monstrare parenti
Sollicito nostros toto quo defuit actus
Tempore. Nam cui jure magis mea gesta retexam,
Felicisque manu nobis operata revolvam,
Quam cui cura sumus? gemino (*c*) qui jure magistri
Et patris ut bene gesta probet, sic improba damnet:
Corrigat errata, et placidus disponat agenda:
Imperfecta juvet precibus, perfecta sacerdos
Dedicet; atque ita se Felicis in ædibus ultro
Atque citro referat, tamquam ipsum pectore toto
Felicem gerat, et patria se jactet in aula.
Ergo veni, pater, et socio mihi jungere (*d*) passu
Dum te circum agens operum per singula duco.
Ecce vides istam, qua janua prima receptat,
Porticus obscuro fuerat prius obruta tecto;
Nunc eadem nova pigmentis et culmine crevit.
Ast ubi conseptum quadrato tegmine, circa
Vestibulum medio reseratur in æthera campo,
Hortulus ante fuit male (*e*) culto cespite, rarum
Area vilis olus nullos præbebat ad usus.
Interea nobis amor incidit, hoc opus (*f*) isto
Ædificare loco: namque hunc deposcere cultum
Ipsa videbatur; venerandam ut martyris aulam
Eminus adversa foribus de fronte reclusis,
Lætior illustraret honos; et aperta per arcus
Lucida frons bifores perfunderet intima largo
Lumine, conspicui ad faciem conversa sepulcri,
Quo tegitur posito sopitus corpore martyr,
Qui sua fulgentis solii [a] pro limine Felix,
Atria bis gemino patefactis lumine valvis
Spectat ovans, gaudetque piis sua mœnia vinci
Cœtibus, atque amplas populis rumpentibus aulas
Laxari densas numerosa per ostia turbas.
Ipsaque, qua tumulus sacrati martyris exstat,
Aula novos habitus senio purgata resumsit.

[a] Vide not. 304 et 39.
(*a*) Sic emendavimus ex ms. Germanensi codice. Alias, *toto*.
(*b*) Ita ms. codex Germ. cum ed. Schot. Ceteri, *spirabo*.
(*c*) Sic ms. Germ. cum editis codd. Grin., Poelm. et Sacchino. Alii, *quoque*.
(*d*) Ms. Germ., *gressu*.
(*e*) Ita emendavimus ex ms. codice Germ. et ed. Schot. in marg. Ante erat *casto*.
(*f*) Sic ms. Germ. Edit. codices quinque, *ipso*. Ed. Rosv., *isti*, mendose.

Trina manus variis operata decoribus illam A
Excoluit; bijugi laqueari et marmore fabri,
Pictor imaginibus divina ferentibus ora.
Ecce vides quantus [27] splendor [a], velut æde renata
Rideat insculptum camera crispante lacunar [b].
In ligno mentitur ebur; tectoque superne [28]
Pendentes lychni spiris retinentur ahenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
Funibus; undantes flammas levis aura fatigat.
637-638 Quæque prius pilis stetit, hæc modo fulta columnis,
Vilia mutato sprevit cæmenta metallo [c].
Sed rursum redeamus in atria: conspice rursum
Impositas longis duplicato tegmine cellas B
Porticibus, metanda bonis habitacula digne,
Quos huc ad sancti justum Felicis honorem
Duxerit [29] orandi studium, non cura bibendi.
Nam quasi contignata sacris cœnacula tectis,
Spectant de superis altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent sanctorum corpora sedem.
Namque et apostolici cineres sub cœlite mensa
Depositi, placitum Christo spirantis odorem
Pulveris inter (a) sancta sacri libamina reddunt.
Hic pater Andreas, hic qui piscator ad Argos
Missus vaniloquas docuit mutescere linguas:
Qui postquam populos, ruptis erroris iniqui
Retibus explicuit, traxitque ad retia Christi,
Thessalicas fuso damnavit sanguine Patras. C
Hic et præcursor Domini et Baptista Johannes,
Idem Evangelii sacra janua, metaque legis:
Hospes et ipse mei veniens Felicis ad aulas,
Parte sui [30] cineris fraternum funus honorat.
Huic dubius gemino Didymus cognomine [d] Thomas
Adjacet; hunc Christus pavidæ cunctamine mentis
([b] Pro nostra dubitare fide permisit, ut et nos
Hoc duce firmati, Dominumque Deumque trementes)
Vivere post mortem vero fateamur Iesum
Corpore, viva suæ monstrantem vulnera carnis;
Et [31] veniente die qua jam manifestus aperta D
Luce Deus veniet, cruciata in carne coruscum
Agnoscant trepidi, quem confixere rebelles.
Hic medicus Lucas prius arte, deinde loquela,
Bis medicus Lucas: ut quondam corporis ægros
Terrena curabat ope, et nunc mentibus ægris
Composuit gemino vitæ medicamina libro.
His socii pietate, fide, virtute, corona,
Martyres, Agricola, et Proculo Vitalis adhærens,
Et quæ Chalcidicis [e] Euphemia martyr in oris,
Signat virgineo sacratum sanguine littus.
Vitalem, Agricolam, Proculumque Bononia condit,
Quos jurata fides pietatis in arma vocavit,
Parque (c) salutiferis texit victoria palmis,
Corpora transfixos trabalibus [f] inclita clavis.
Hic et Nazarius martyr (quem munere fido
Nobilis Ambrosii substrata mente recepi)
Culmina Felicis dignatur et ipse cohospes [g],
Fraternasque (d) domos privatis sedibus addit.
Quamvis sancti omnes toto simul orbe per unum
Sint ubicumque Deum: quo præsentantur ubique,
Corporis ut sua membra Deo: sed debita [32] sanctis
Sunt loca corporibus: neque tantum qua jacet ora
Totum corpus, ibi positorum gratia vivit:
Sed quacumque [33] pii est pars corporis, et manus exstat,
Contestante Deo meriti documenta beati.
Magna et in exiguo sanctorum pulvere virtus
Clamat apostolici vim corporis, indice Verbo [h].
His igitur vicinus erit, quicumque supernis
Castus aget [34] tectis: et qui procul advena recto
639-640 Percitus affectu sanctas properarit ad ædes,
Cum volet [35] oratum Christo secretus adire,
Sive die seu nocte velit sua promere vota,
Impiger [i] attiguo de limine prodeat hospes.
Hoc etiam mirare, domus (e) quod martyris alta
Lege sacramenti per limina trina patescit:
Fassus enim est unum trino sub nomine regem.
Et quod contextæ junctis sibi molibus ædes
Fune pio signant: quoniam etsi culmina plura
Sint [36] domibus structis; sancta et tamen unica pacis
Est domus, et multis unum concordia membris
Corpus agit: (f) cui compago stat [j] vertice Christo.
Forsitan hæc inter cupidus spectacula quæras,
Unde replenda sit hæc tot fontibus area dives,
Cum procul urbs, et ductus aquæ prope nullus ab urbe
Exiguam huc tenui demittat limite guttam.

[a] Vide not. 305.
[b] Vide not. 306.
[c] Vide not. 307.
[d] Vide not. 308.
[e] Vide not. 309.
[f] Vide not. 310.
[g] Vide carm. 21, v. 385, et ep. 32, n. 6.
[h] Vide carm. 18, v. 147.
[i] Vide carm. 15, v. 291.
[j] Vide carm. 17, v. 140.

(a) Ms. Germ. codex, *sacra sui*. Editi quatuor, *sacra Deo*.

(b) Ex ms. Germanensi codice hos versus duos addidimus, qui sensum olim interruptum completum reddunt et restituunt.

(c) Sic emendatum ex ms. codice Germ. Editi, *Proque*.

(d) Ms. Germ., *domus*.

(e) Ita ex ms. codice Germ. emendavimus cum Sacchino. Alias, *quo*.

(f) Ms. codex Germ., *compago suo stat*.

Respondebo, nihil propria nos fidere dextra,
Nil ope terrena confidere; cuncta potenti
Deposuisse Deo, et fontes præsumere cœlo.
Denique cisternas adstruximus undique tectis,
Capturi fundente Deo de nubibus amnes:
Unde fluant pariter [a] plenis cava marmora labris.
Quod si etiam interdum eveniat defectus aquarum,
Ordine disposito varias distincta figuras,
Concharumque modis, et pictis florida metis,
Forte erit et siccis spectabilis area vasis.
Namque tenes etiam magna Salomonis in æde,
Quam fuerit decori siccum mare [b]: quod sapiens rex
Ære dedit solido, et tauris suspendit ahenis.
Aspice nunc aliud latus: ut sit porticus una,
Et paries mediis spatio bipatente columnis,
Culmine discretas aditu sibi copulat aulas.
Tempus in hanc transire oculis peragrantibus ædem,
Quæ longum reserata latus, cum lumine cœli
Acquirit spatium tecti, quod in atria juncta
Panditur, insertos socians disjuncta per arcus,
Et populis rigui præbet spectacula campi
(Quem tamen includunt structo circumdata septo
Mœnia, ne pateant oculis sacra tecta [37] profanis),
Vestibulumque patens aura defendit operta.
Nec mirere sacras spatiis accrescere caulas,
Crescit ubique potens æterni gloria Christi:
Sanctorum cumulatur honor, Deus omnibus unus,
Noscitur: illustrat quia sanctus Spiritus orbem,
Cumque coæterno regnat Patre Filius heres,
Inde propagato pia gratia lumine veri
Multiplicat populis æternæ semina vitæ.
Et quia pastor oves auget bonus, ampla redemtis
Crescere cum gregibus (a) favet altus ovilia Christus.
Ingredere hæc psalmis recinens, antistes, et hymnis,
Et mea vota refer Domino, et tua gaudia votis
Junge meis, celebrans communis festa patroni.
Tempore oportuno pro peccatore rogabis
Gaudentem Dominum de confessoris honore.
Hoc duce, proclivi tua tramite vota ferentur,
Felix divinas tibi prævius ibit ad aures;
Teque (b) sacris psalmis simul et devota litante
641-642 Obsequia, [c] placido descendet numine Christus,
Ut populum templumque sacra caligine velet,
A Infundens niveam per operta sacraria nubem.
Nunc volo picturas fucatis agmine longo
Porticibus videas, paulumque supina fatiges
Colla, reclinato dum perlegis omnia vultu.
Qui videt hæc vacuis agnoscens vera figuris,
Non vacua fidam sibi (c) pascet imagine mentem.
Omnia namque tenet serie pictura fideli,
Quæ senior scripsit per quinque volumina Moses,
Quæ gessit Domini signatus nomine Jesus,
Quo duce Jordanis, suspenso gurgite, fixis
Fluctibus, a facie divinæ restitit arcæ.
Vis nova divisit flumen: pars amne (d) recluso
Constitit, et fluvii pars in mare lapsa cucurrit,
Destituitque vadum; et validus qua forte ruebat
Impetus, adstrictas alte cumulaverat undas,
B Et tremula compage minax pendebat aquæ mons,
Despectans transire pedes arente profundo,
Et medio pedibus siccis in flumine ferri
Pulverulenta hominum duro vestigia limo [d].
Jam distinguentem modico Ruth tempora libro,
Tempora Judicibus finita, et Regibus orta,
Intentis transcurre oculis: brevis ista videtur
Historia, at magni signat mysteria belli,
Quam geminæ scindunt sese in diversa sorores!
Ruth sequitur sanctam, quam deserit Orpha, parentem;
Perfidiam nurus una, fidem nurus altera monstrat:
Præfert una Deum patriæ, patriam altera vitæ [e].
C Nonne, precor, toto manet hæc discordia mundo?
Parte sequente Deum, vel parte ruente per orbem?
Atque utinam pars æqua foret necis atque salutis!
Sed multos via lata capit, facilique ruina
Labentes prono rapit irrevocabilis error.
Forte requiratur quanam ratione gerendi
Sederit [f] hæc nobis sententia, pingere sanctas
Raro more domos animantibus adsimulatis.
Accipite, et paucis tentabo exponere causas.
Quos agat [38] huc sancti Felicis gloria cœtus,
Obscurum nulli: sed turba frequentior his est
Rusticitas non cassa fide, neque docta legendi.
Hæc adsueta diu sacris servire profanis,
D Ventre Deo, tandem convertitur advena Christo
Dum sanctorum opera in Christo miratur aperta.
Cernite quam multi coeant ex omnibus agris,
Quamque pie rudibus decepti [39] mentibus errent.
Longinquas liquere domus, sprevere pruinas
Non gelidi fervente fide; et nunc ecce frequentes
Per totam et vigiles extendunt gaudia noctem:
Lætitia somnos, tenebras funalibus arcent.

[a] Id est *simul*. Vide carm. 14, v. 109.
[b] Vide not. 311.
[c] Vide eamdem licentiam carm. 15, v. 81.
[d] Josue, III, 15.
[e] Ruth, I, 14; II, 11.
[f] Vide carm. 10, v. 12.
(a) Edd. tres, *fovet*. Sacchinus legendum putat *facit*.
(b) Ita restituimus ex ms. codice Germ. et editis quatuor. Ed. Rosv., *sacra psalmisque*.
(c) Ms. Germ., *pascit*.
(d) Sic reposuimus ex ms. Germanensi codice. Ante erat *recurso*. Vide caput III Josue, et Augustinum in psal. CXIII, 13.

Verum utinam sanis agerent hæc gaudia votis, A
Nec sua liminibus [a] miscerent pocula sanctis.
Quamlibet hæc [40] jejuna cohors potiore resultet
Obsequio, castis sanctos quoque vocibus hymnos
Personat, et Domino cantatam sobria laudem
Immolat. Ignoscenda tamen puto talia parvis
Gaudia quæ ducunt epulis, quia mentibus error
Irrepit rudibus; nec tantæ conscia culpæ
Simplicitas pietate cadit, male credula sanctos
643-644 Perfusis halante mero gaudere sepulcris.
Ergo probant obiti, quod damnavere magistri?
Mensa [b] Petri [41] recipit quod Patri dogma refutat?
Unus ubique calix Domini, et cibus unus, et una B
Mensa, domusque Dei. (a) Divendant vina tabernis;
Sancta precum domus est ecclesia: cede [c] sacratis
Liminibus, serpens: non hac male ludus in aula
Debetur, sed pœna tibi: ludibria misces
Suppliciis, inimice, tuis: idem tibi discors
Tormentis ululas, atque inter pocula cantas.
Felicem metuis, Felicem spernis inepte,
Ebrius insultas, reus oras; et miser ipso
Judice luxurias, quo vindice plecteris ardens.
Propterea visum nobis opus utile, totis
Felicis domibus pictura illudere [42] sancta;
Si forte attonitas hæc per spectacula mentes
Agrestum caperet fucata coloribus umbra, C
Quæ super exprimitur titulis, ut littera monstret
Quod manus explicuit [43]: dumque omnes picta vicissim
Ostendunt releguntque sibi, vel tardius escæ
Sunt [44] memores, dum grata oculis jejunia pascunt;
Atque ita se melior stupefactis inserat usus,
Dum fallit pictura famem: sanctasque legenti
Historias, castorum operum subrepit honestas
Exemplis inducta piis; potatur [45] hianti
Sobrietas, nimii subeunt oblivia vini.
Dumque diem ducunt spatio majore tuentes,
Pocula rarescunt, quia per miracula tracto
Tempore, jam paucæ superant [46] epulantibus horæ. D
Quod superest ex his, quæ facta et picta videmus [47],
Materiam orandi pro me tibi suggero, poscens,
Rem Felicis agens, ut pro me sedulus ores.
Et decet, ut quem mente pia comitaris, eumdem
Et mentis facie referas, animoque sequaris
Par in amore mei [48]; nec enim miser ambigo amari
Martyre, vel modici dignatus amore catelli.
Cum mihi vita, domus, res, gratia, gloria, panis,
Sit Felix donante Deo; quo præsule posce
Montibus in sanctis mea fundamenta [d] locari,
Et cœptam peragi irrupto molimine turrem.
De Genesi, precor, hunc orandi collige sensum:
Ne maneam terrenus Adam [e], sed virgine terra
Nascar, et (b) [f] exposito [49] veteri, nova former imago.
Educar tellure mea, generisque mei sim
Degener; et sponsæ festinem ad mellea terræ
Flumina, Chaldæi servatus ab igne camini.
Sim facilis tectis, quasi Lot, [g] fore semper aperta,
Liberer ut Sodomis; neque vertam lumina retro,
Ne salis in lapidem vertar, sale cordis egenus [h].
Hostia viva Deo, tamquam puer offerar Isac:
Et mea ligna gerens sequar almum sub cruce patrem,
Inveniam puteos; sed ne, precor, obruat illos
Invidus, et viventis aquæ cæcator Amalec [i].
Sim profugus mundi, tamquam benedictus Iacob
Fratris Edom fugitivus erat; fessoque sacrandum
Supponam capiti lapidem, Christoque quiescam.
Sit mihi castus amor, sit et horror amoris iniqui:
Carnis ut illecebras velut inviolatus Ioseph,
Effugiam vinclis exuto corpore, liber
645-646 Criminis, et spolium mundo carnale relinquam.
Tempus enim longe fieri complexibus; instat
Summa dies: prope jam Dominus, jam surgere somno
Tempus, et ad Domini pulsum vigilare paratos.
Sit mihi ab Ægypto bonus exitus, ut duce lege
Divisos penetrans undosi pectoris æstus,
Fluctibus evadam Rubris, Dominique triumphum
Demerso Pharaone canam. Cum supplice voto
Exsultando tremens, et cum formidine gaudens,
Ipsius pia dona, meos commendo labores [j].
Adsere, Niceta, prece quod precor, et simul omnes
Qui simul huc sancta pro relligione coistis,
Devoti Domino, et gratantes dicite mecum:
Hæc tibi, Christe Deus, tenui facilique paratu
Pro nobis facimus; nec enim te, summe Creator,
Facta manu capiunt, toto quem corpore mundus
Non capit: angustum cui cœlum, terraque punctum est.

[a] Vide not. 312.
[b] I Petr. IV, 3. Vide not. 313.
[c] Id est *discede*.
[d] Psal. LXXXVI, 1.
[e] I Cor. XV, 48.
[f] Id est *deposito*.
[g] Vide ep. 18, 11, n. 5.
[h] Gen. XIX, XXII.
[i] Vide not. 314.
[j] Eccli. III; I Cor. XXXV; Rom. I, 7; Luc. XII; Exod. VII, 14.

(a) Ms. Germ. cum edd. 4 in margg., *Discedant*.
(b) Leg. forte *exposita*, vel *ex posito*. Hic *exponere* pro *deponere*, sicut et carm. 23, v. 66.

Sed sanctis sine fine tuis devota ferentes A
Obsequia, exiguo magnos veneramur honore:
Sperantes illis exoratoribus, ut tu
In nobis operum ponas perfecta tuorum
Culmina: et exstructis habitator mentibus adsis.

POEMA XXVIII *.

DE S. FELICE NATAL. CARMEN X.

Veteres S. Felicis basilicas novis ædificiis auget, novam eamque magnificam cum baptisterio construit; easque picturis et epigrammatibus ornat. Nova a Nolano episcopo Paulo consecratur, et in illa eodem die baptismatis et eucharistiæ sacramenta conferuntur.

In veteri nobis nova res adnascitur actu,
Et solita insolito crescunt solemnia ritu [1]:
Materiamque simul mihi carminis, et simul almi
Natalem geminant Felicis: in ædibus ejus B
Nata recens opera hæc, quæ molibus undique celsis
Cernitis emicuisse pari splendentia cultu.
Istic porticibus [a] late circumdata longis
Vestibula (*a*) impluvio [b] tectis reserantur aperto,
Et simul astra oculis, ingressibus atria pandunt.
Illic adjunctæ [2] sociantur mœnibus aulæ,
Diffusoque sinu [3] simul et coeunte patentes
Æmula consertis jungunt fastigia tignis,
Et paribus variæ et speciosæ cultibus exstant
Marmore, pictura, laquearibus, atque columnis.
Inter quæ et modicis variatur gratia cellis:
Quas in porticibus (qua [4] longius una coactum
Porticus in spatium tractu protenditur [5] uno)
Appositas lateri tria comminus ora recludunt, C
Trinaque cancellis currentibus ostia [c] pandunt:
Martyribus mediam pictis pia nomina signant,
Quos par in vario redimivit gloria sexu.
At geminas quæ sunt dextra lævaque patentes,
Binis historiis ornat pictura fidelis.
Unam sanctorum complent sacra gesta virorum,
Jobus vulneribus tentatus, lumine Tobit [6].
Ast aliam sexus minor obtinet, inclita Judith,
Qua simul et regina potens depingitur Esther.
Interior variis ornatibus area ridet,
647-648 Læta super [7] tectis et aperta luce serenis
Frontibus, atque infra niveis [d] redimita columnis.
Cujus in exposito prælucens cantharus exstat, D
Quem cancellato tegit ærea culmine turris.
Cetera dispositis stant vasa sub aere nudo
Fonticulis, grato varie quibus ordine fixis
Dissidet artis opus, concordat vena metalli,
Unaque diverso fluit ore capacius unda.
Basilicis hæc juncta tribus, patet area cunctis,
Diversosque aditus ex uno pandit ad omnes,
Atque itidem gremio diversos excipit uno
A tribus egressos, medio spatiosa pavito:
Quod tamen ordinibus structis per quinque nitentum
Agmina concharum [e], series densata coacto
Marmore, mira oculis aperit spatiantibus arte [8].
Sed circumjectis in porticibus spatiari
Copia larga subest, interpositisque columnas
Cancellis fessos incumbere; et inde fluentes
Aspectare jocos [9], pedibusque madentia siccis
Cernere, nec calcare sola; et certamine blando
Mirari placido salientes murmure fontes.
Non solum hiberno placitura in tempore præsto est
Commoditas, quia sic tecti juvat umbra per æstum,
([*b*] Sicut aprica placent in frigore, siccaque in imbre.)
Parte alia patet exterior, quæ cingitur æque
Area porticibus, cultu minor, æquore major.
Ante sacras ædes longe spectabile pandit
Vestibulum, duplici quæ exstructis tegmine cellis,
Per contextarum coeuntia tigna domorum,
Castelli speciem meditatur imagine muri,
Conciliisque forum late spectabile pandit.
Quale loco signum Felix venerandus in isto
Ediderit nuper, celeri narrabo relatu.
In medio campi, contra [f] venerabilis aulæ
Limina de ligno duo texta tigilla manebant,
Importuna situ, simul et deformia visu;
Quæ decus omne operum perimebant, improba, fœdo [10]
Objice prospectum cæcantia [g]: namque patentis
Janua basilicæ, tuguri brevis interjectu [11]
Obscurata, fores incassum clausa patebat.
Hæc amoliri cupientibus obvia nobis,
Verba dabant tectis qui metabantur in illis,
Jurabantque prius vitam se posse pacisci,
Quam cogi migrare locis. Temnenda quidem vox
Ista videbatur: sed erat, fateor, mihi idipsum
Invidiæ: tædebat enim vel vincere rixa.
Interea quadam (*c*) primam jam nocte quietem
Carpere sopitis cœptantibus: ecce relictis
Prosiliens scintilla focis, conflavit in una
Cellarum ipsarum latebra, de stramine fœni,
Quo forte inciderat, subitum ignem: moxque per ipsam
Fusa casam, ut vires alimenta per arida cepit,
Ingentem fragili rapuit de fomite flammam;
Et facili lapsu per putria ligna vetusti
Culminis erumpens; magnis incendia torsit
Turbida verticibus; calidamque per aera nubem

[a] Vide not. 315.
[b] Id est, *atrio*. Vide not. 167 et 316.
[c] Vide not. 317.
[d] Id est *ex marmore*.
[e] Vide not. 318.
[f] Id est *prope*.
[g] Gall., *qui empêchaient la vue*.

* Scriptum anno 403, die 14 Januar.
(*a*) Ms. Germ. codex, *incloso tecti*. Editi quinque, *in clivo*. Vide not. 167 et 316.
(*b*) Hic versus additus ex ms. codice Germanensi.
(*c*) Ita correximus ex ms. Germ. Ante erat *prima*, mendose.

Miscuit, et nigro subduxit sidera fumo. A
Ipsaque terribilem dabat insuper ira fragorem,
Materiæ fragilis (*a*) crepitu graviore resultans.
649-650 Cunctaque vicanis circum metata colonis;
Atque etiam vico [12] submotos longius agros,
Sic vapor afflabat, sic horrida lux feriebat;
Sic prope, sic longe sita culmina respergebat,
Scintillis late volitantibus igneus imber;
Ut subito exciti nos planctibus undique mœstis,
Et circumfusis immani lumine tectis,
Omnia circa nos lucere ut aperta videntes,
Cuncta putaremus flammis correpta cremari,
Ipsaque sanctorum simul igne palatia tanto
Fervere: et a tectis simul omnibus illa referri
Fulgura, quæ sparsis etiam longinqua replebant B
Ignibus, et multo terrebant (*b*) igne vapores.
Ut quasi vicinas omnes sibi quisque timerent
Ad sua tecta faces ardentem comminus æstum,
Infectasque (*c*) trahens diris nidoribus auras.
Nos trepidi, ut nostris domibus propiore periclo,
Nil ope de nostra præsumimus, unde etenim vis,
Et manus infirmis foret, illam exstinguere molem
Sufficiens? cum (*d*) flamma suis ingentior iret
Fomitibus, parvoque exorta repente tigillo,
Culmina cuncta simul perfunderet igne minaci?
Currimus ergo, fide tantum et prece supplice nixi, C
Ad vicina mei Felicis limina: et inde
Contiguam paribus votis adcurrimus aulam,
Atque ab apostolici cineris virtute medelam
Poscimus, impositis subjecti altaribus ora.
Ipse domum remeans, modicum, sed grande saluti [13],
De crucis æternæ sumtum mihi fragmine lignum
Promo, tenensque manu adversis procul ingero flammis,
Ut clypeum retinens pro pectore, quo tegerem me,
Arceremque hostem collato umbone relisum.
Credite, nec donate mihi, sed reddite Christo
Grates, et justas date laudes Omnipotenti:
Nostra salus etenim cruce Christi et nomine constat, D
Inde fides nobis, et in hoc cruce nixa periclo
Profuit, et nostram cognovit flamma salutem [a].
Nec mea vox, aut dextra illum, sed vis crucis ignem
Terruit, inque loco de quo surrexerat ipso,
Ut circumseptam præscripto limite flammam
Sidere [b], et exstingui fremitu moriente coegit:
Et cinere exortam cineri remeare procellam.
Quanta crucis virtus! ut se natura relinquat,
Omnia ligna vorans ligno crucis uritur ignis.
Multa manus, crebris tunc illa incendia vasis
Aspergens, largis cupiebat vincere lymphis:
Sed licet exhaustis pensarent fontibus imbres,
Vi majore tamen, lassis spargentibus, omnem
Vicerat ignis aquam: nos ligno exstinximus ignem,
Quamque aqua non poterat, vicit brevis astula [c] flammam.
Post ubi discessit metus, optatumque reduxit
Lux operosa diem, processimus acta videre
Noctis, et exstinctæ quamvis, fumantia late
Securis spectare oculis vestigia flammæ.
Et credebamus nos plurima damna domorum
Visuros, magni memores terroris et ignis:
Sed cito conspectis decrevit opinio rebus:
Et nihil exustum, nisi quod debebat aduri,
651-652 Cernimus, ex illisque unum flagrasse [14] duobus
Hospitiis, quæ nostra manus, nisi flamma tulisset,
Abstulerat: sed et hoc Felicis gratia nobis
Munere consuluit, quod præveniendo laborem
Utilibus [15] flammis, operum compendia nobis
Præstitit; inde parem incensæ, quam vicerat illic
Flamma domum, non ut pateretur stare, vel ipsam
Obstantem simili bipatentibus objice valvis:
Verum ut et hæc illum puniret flamma colonum,
Conservans illi, quod mox everteret ipse.
Nam sua qui sanctis nuper gurgustia (*e*) tectis
Prætulerat, primum flamma mulctatus [16] in uno,
Mox aliud propria ipse manu vastare tigillum
Incipit, et celeri peragit sua damna furore,
Dilectasque (*f*) domos, et inanes plangit amores.
Qui simul aspiciens incensa, et diruta tecta,
Dissimiles simili miratur in aggere labes,
Ruderis et cineris (*g*) juncti bicolore ruina.
Hunc nobis sine lite videns cessisse triumphum,
Se tantum miser accusat, quem gratia nulla
Manserit obsequii, et maneat confusio pœnæ.
Nunc quia dimoto [17] patuerunt objice frontes,
Eloquio simul atque animo spatiemur in ipsis
Gaudentes spatiis, sanctasque feramur in aulas:
Miremurque sacras veterum monumenta figuras:
Et tribus in spatiis duo Testamenta legamus;
Hanc quoque (*h*) cernentes rationem lumine recto

[a] Id est *crucem quæ est nostra salus.*
[b] Id est *sisti.*
[c] Vide not. 319.
(*a*) Manuscriptus idem codex Germ., *strepitu.*
(*b*) Ms. codex Germ., *rura pavore.*
(*c*) Ita ms. Germ. cum edd. Bad. et Schot. in marg. Cæteri codices, *infestas.*
(*d*) Manuscriptus codex Germ., *flammam.*
(*e*) Sic emendavimus ex ms. codice Germanensi. Edd., *dictis.*
(*f*) Ms. Germ., *domus.*
(*g*) Idem ms. codex Germ., *juncta et bicolore ruina.*
(*h*) Ms. Germ., *credentes .... certo.*

Quod nova in antiquis tectis, antiqua novis lex A
Pingitur : est etenim pariter decus utile nobis
In veteri novitas, atque in novitate vetustas.
Ut [18] simul et nova vita sit, et prudentia cana.
Ut gravitate senes, et simplicitate pusilli,
Temperiem mentis gemina ex ætate trahamus,
Jungentes nostris diversum moribus ævum.
Est etiam interiore sinu majoris in aulæ
Insita cella [a] procul, quasi filia culminis ejus,
Stellato (*a*) speciosa tholo [b], trinoque recessu
Dispositis sinuata locis; medio pietatis
Fonte nitet, mireque simul novat atque novatur.
Namque hodie bis eam geminata novatio comit,
Dum gemina antistes gerit illic munera Christi ;
In geminos adytum venerabile dedicat usus,
Castifico socians pia sacramenta lavacro : B
Sic pariter templum novat hostia, gratia fontem.
Fonsque novus renovans hominem, quod suscipit, et dat
Munus ; sive magis, quod desinit esse per usum,
Tradere divino mortalibus incipit usu.
Nam fons ipse semel (*b*) renovandi missus in usum,
Desinit esse novus : sed tali munere semper
Utendus, numquam veteres renovare facesset.
Hoc Domini donum, hanc speciem, qua munere Christi
Idem homo fit novus, et vetus interit, ecce refectis
Cernite culminibus gemina Felicis in aula
653-654 Quæ fuerant vetera, et nova nunc exstare videntur. C
Nam steterant vasto deformibus agmine pilis :
Nunc meliore datis eadem vice fulta columnis,
Et spatii cepere, et luminis incrementa :
Depositoque situ reducem sumsere juventam.
Namque et in his duplex spectandi gratia fulget
Qua renovata novis æquali lumine certant
Culmina culminibus, tectorum dissidet ætas,
Concordat species; veterum manus atque recentum
Convenit; in facie simili decor unus utrumque
Ornat opus; coeunt olim fundata novellis.
Nec discrimen adest oculis, nitet una (*c*) venustas D
Annosis [c] rudibusque locis; niger abditur horror;
Et senibus tectis juvenem pictura nitorem
Reddidit, infuso variorum flore colorum.
Hinc operum tempus confunditur, et nitet extra
Parietibus novitas, latet intus operta vetustas :
Fronte juventutis tegitur fucata senectus :
In pueram faciem (*d*) veterana refloruit ætas.
Suntque simul vetera et nova; nec nova, nec vetera æque:
Non eadem simul, atque eadem, quæ forma futuri
Præsentisque boni est; namque et nunc utile nobis,
Deterso veteris vitæ squalore, novari
Mente pia, Christumque sequi, regnisque parari.
Tunc quoque cum dabitur [d] redeunte resurgere vita,
Ille resurgentum potior numerabitur ordo,
Qui super illustri carnem perfusus amictu,
Servilem Domini (*e*) mutabit imagine formam :
Conformemque Deo conregnaturus honorem
Accipiet, Christo similis, sed munere Christi.
Hæc eadem species veterem deponere formam,
Et gestare novam monet, et retro acta abolere :
Inque futura Dei conversam intendere mentem,
Congrua præteritis oblivia ducere curis,
Cœlestumque animo regnorum inducere curam ;
Rebus et humanis, et amoribus istius ævi,
Mente prius quam morte mori; neque corporis ante
Nexibus absolvi, quam criminis. Ergo novemur
Sensibus, et luteos terrestris imaginis actus
Discutere a nostro properemus corpore longe
Vestibus excussis : puros, ut (*f*) sorde recussa
Corporis atque animæ, nitidi reddamus amictus.
Nec modo commissum peccati, sed meditatum,
Sicut morbiferam de labe cadaveris auram,
Naribus obstructis tristem fugiamus odorem.
Ut faciem colubri, Salomon peccata timeri,
Horrerique monet [e], dicens [19] armata leonis
Dentibus : et vere, quoniam velut ore ferino
Sæva vorant animam, quam vicerit ægra (*g*) voluptas
Corporis, (*h*) enectamque suæ draco duxerit escæ,
Qui vorat [f] Æthiopum populos, non sole perustos,
655-656 Sed vitiis nigros, et crimine noctigolores.
Tales Æthiopas [20] serpens edit, in quibus escam,

[a] Vide not. 320.
[b] Vide not. 327.
[c] Id est *novis*. Vide ep. 23, n. 5, v. 23.
[d] Vide not. 322.
[e] Eccli. xxi, 2.
[f] Vide not. 323.

(*a*) Sic emendatum ex ms. codice Germanensi; non enim *insita cella in sinu majoris aulæ spatiosa* esse poterat, ut præferunt editi codices ; sed *quasi filia culminis ejus, speciosa stellato tholo*. Quid autem sit *tholus* vide not. 321.

(*b*) Ita correximus ex eodem ms. codice Germ. Ante erat *renovandum missus in unum*, nullo sensu.

(*c*) Sic emendavimus ex ms. cod. Germanensi; id est vetus ædificium quod picturis ornaverat eadem *nitebat venustate* qua nova. Quid enim significat, *nitet una vetustas?* quod præferebant editi codices.

(*d*) Ita ms. Germ. Edd., *veterata*.

(*e*) Sic emendatum ex ms. codice Germ. Vide præcedentia et subsequentia. Ante erat *mutavit*.

(*f*) Ita correximus ex ms. codice Germ. Ante erat in ed. Rosv. *corde recusso*; in edd. 2, *recuso*; in tribus, *recussi*.

(*g*) Ms. Germ., *voluntas*.

(*h*) Ms. codex Germ. cum editis tribus, *evictamque*.

Quam capere est (*a*) donatus, habet : quia peccatorem, A
Serpentisque cibum Deus uno nomine terram
Dixit : et inde vorans peccata, dracone voratur.
Tempus adest mutare vias, exsurgere somno [a],
Et tandem vigilare Deo, dormire vicissim
Actibus his, quibus invigilat mens mortua Christo.
Si nobis doctrina Dei de lumine verbi
Non aperit sensum, saltem capiamus ab ipsis
Ædibus exempla : et lapides et ligna magistri
Sint stolidis, ut quale manu confecimus istic
Tale fide faciamus opus : licet absit ab uno
Mentis opus manuumque labor, sed ab impare causa B
Par operis [21] trahitur ratio; ecce videte, probabo
Dissimiles simili specie concurrere formas.
Qua nova tecta sedent, multi meminere locorum :
Nam breve tempus id est, ex quo sunt omnia cœpta,
Quæ modo facta manent : annis sudata duobus
Tertius explicuit prece sanctorum, atque ope Christi.
Pars spatii brevis hortus erat, pars ruderis agger,
Quem collata manus, populo curante, removit :
Et viles olerum cum sentibus eruit herbas,
Ut nitido purgata patesceret area dorso, C
Quæ modo marmoreis ornato jugere saxis
Late strata nitet, cultus oblita priores [22].
Quam bene mutavit speciem! post stercoris usum,
Marmoris (*b*) ornatum, Parias post vilia conchas
Brassica (*c*) fert; et splendet aquis, quæ sorde nitebat.
Quonam igitur nunc ista modo mihi fabrica formam
Præbebit, qua me colere, ædificare, novare
Sensibus, et Christo metandum condere possim?
Prompta quidem ratio est, quæ sit mea terra, quod in me D
Rudus, et unde meo spinæ nascuntur [23] in agro.
Terra cor est, culpæ pravi sunt rudera cordis :
Luxus iners, impurus amor, maculosa libido,
Rudera sunt animæ; sic corporis anxia cura,
Livor edax, et avara fames, gravis ira, levis spes,
Prodigaque ambitio proprii, sitiens alieni,
Spinæ sunt (*d*) animo : quia semper inanibus angunt
Ancipites animas stimulis : quas jugiter urit
Defectus miseri metus, et miser ardor habendi.
Atque ita et inter opes inopes, quasi Tantalus ille
Inter aquas sitiunt, nec habent quod habere videntur.
Nam partis uti metuunt, servata [24] relinquunt :
Dumque alimenta parant, vivendi tempora perdunt.
Has igitur spinas, hæc rudera mentibus hirtis
Egerere est opus, et (*e*) primam hanc evellere fibris
Cunctorum stirpem scelerum, (*f*) qua pullulat arbor
Infelix; Domini radicitus illa securi
Icta [25] cadat [b], nostris ut numquam germinet arvis.
Hæc si præciso de nobis fomite radix
Aruerit, cadet omne nefas, vitium omne peribit,
Matricisque suæ casum mala cuncta sequentur,
657-658 Et moriente sua simul arbore poma peribunt.
Tunc bene purgato domus ædificabitur horto,
Et vivo fundata solo bene surget in altum
Fabrica divini moliminis. Ipse columnas
Eriget in nobis Christus, veteresque resolvet
Obstructæ pilas animæ; spatiumque sibi Rex
Sensibus efficiet nostris, ut inambulet illis,
Tamquam in porticibus Salomonis quinque solebat
Ore pio medicos Sapientia ducere gressus :
Corpora tangendo (*g*) sanans, et corda docendo [c].
Non igitur simus veteres inter nova tecta.
Ut qui corda habitat Christus, nova corda revisat.
Pejor enim scissura novo veterique coactis
Redditur, et nova vina novis bene dantur in utres [d].
Vita prior pereat, pereat ne vita futura.
Sponte relinquamus mundum, non sponte carendum,
Sponte nisi fugimus : moriamur, ne moriamur :
Letalem vitam vitali morte tegamus.
Terrena intereat, subeat cœlestis imago,
Et Christo vertatur Adam, mutemur et istic,
Ut mutemur ibi : qui nunc permanserit in se
Idem, et (*h*) in æternum non immutabitur a se.

[a] Rom. XIII, 11.
[b] Matth. III, 10.
[c] Johan. V, 2 et 3.
[d] Matth. IX, 16 et 17.

(*a*) Sic restitutum ex ms. Germanensi codice. Ceteri, *damnatus*. Vide not. 323.
(*b*) Ms. Germ., *ornatu*.
(*c*) Sic emendavimus ex editis codicibus tribus favente ms. codice Germ. Ed. Rosv., *Brassicla*. Alii, *Brassida*.
(*d*) Ms. Germ., *animæ*.
(*e*) Ita ms. Germ. codex, Latinius, et tres editi. Alii, *primum*.
(*f*) Sic ms. Germ. Editi codices, *quia*, mendose.
(*g*) Ms. codex Germ., *curans*.
(*h*) Ita ms. codex Germanensis. Editi, *in æterno*.

POEMA XXIX *.

DE NOLANA BASILICA S. FELICIS A SE AUCTA.

Parvus erat locus ante, sacris angustus agendis,
Supplicibusque negans pandere posse manus :
Nunc populo spatiosa sacris altaria præbet
Officiis medii martyris in gremio.
Cuncta Deo renovata placent, novat omnia semper
Christus, et in cumulum luminis amplificat.
Sic et dilecti solium Felicis honorans,
Et splendore simul protulit et spatio.

POEMA XXX **.

DE S. FELICE NATALITIUM CARMEN XI. FRAGMENTA.

De sanctorum reliquiis per orbem diffusis.

Sidera si cœlo, si possunt gramina terris
Defore, mella favis, aqua fontibus, uberibus lac;
Sic poterunt linguis laudes cessare piorum,
In quibus et vitæ virtus, et gloria mortis
Ipse Deus; pro quo vitam voluere pacisci,
Et moriendo piam sancire fidem populorum.

. . . .

Horum de numero procerum confessor in ista
Urbe datus Felix longe lateque per orbem
Nominis emicuit titulo : sed Nola sepulti
Facta domus, tamquam proprio sibi sidere plaudit.
Omnis enim, quacumque manet mandatus in ora
Martyr, stella loci simul et medicina colentum est.
Namque tenebrosum veteri caligine mundum,
Languentesque animas miseratus in orbe Creator
Sic sua disposuit terris monimenta piorum,
Sparsit ut astrorum nocturno lumina cœlo.

. . . .

653-660 Hos igitur nobis cupiens avertere morbos
Omnimedens Dominus, sanctos mortalibus ægris
Per varias gentes medicos pietate salubri
Edidit : utque suam divina potentia curam
Clarius exereret, potioribus intulit illos
Urbibus : et quosdam licet oppida parva retentent
Martyres, ad proceres Deus ipsos mœnibus amplis
Intulit : et paucas functos divisit in oras;
Quos tamen ante obitum toto dedit orbe magistros.
Inde Petrum et Paulum Romana fixit in urbe,
Principibus quoniam medicis caput orbis egebat.

. . . .

Sic Deus et reliquis tribuens pia munera terris,
Sparsit ubique loci magnas sua membra per urbes.
Sic dedit Andream Patris, Ephesoque Johannem,
Ut simul Europam atque Asiam curaret in illis,
Discuteretque graves per lumina tanta tenebras.
Parthia Matthæum complectitur, India Thomam :
Lebbæum Libyes, Phryges accepere Philippum :
Creta Titum sibi sumsit, et Antiochia et Ostia Lucam [a] :
Marcus, Alexandria, tibi datus, ut bove pulso,

. . . .

Nam Constantinus [b] proprii dum conderet urbem
Nominis, et primus Romano in nomine regum
Christicolam gereret, divinum mente recepit
Consilium, ut quoniam Romæ mœnibus urbis
Æmula magnificis strueret tunc mœnia cœptis,
His quoque Romuleam sequeretur dotibus urbem;
Ut sua apostolicis muniret mœnia lætus
Corporibus : tunc Andream devexit Achivis,
Timotheumque Asia. Geminis ita turribus exstat
Constantinopolis magnæ caput æmula Romæ :
Verius hoc similis Romanis culmine muris
Quod Petrum, Paulumque pari Deus ambitione
Compensavit ei, meruit quia sumere Pauli
Discipulum, cum fratre Petri. Jam quanta per istam
Sanctorum per longa viam divortia terræ
Creverit utilitas ad nostræ munia vitæ,
Ipsa docent hodieque loca, in quibus illa beati
Rheda capax oneris posita statione resedit :
Omnibus in spatiis quacumque aut mansio sanctis
Corporibus, requiesve fuit vectantibus illos
Sacratos cineres, miris clamantia signis.
Nam divina manus medica virtute per omnes
Est illic operata vias, qua corpora sancta
Impressere sacro vestigia viva meatu.
Inde igitur suadente fide data copia fidis
Tunc comitum studiis, quædam ut sibi pignora vellent
Ossibus e sanctis meritum decerpere fructum :
Ut quasi mercedem officii, pretiumque laboris
Præsidia ad privata domum sibi quisque referret.
Ex illo sacri cineres, quasi semina vitæ
Diversis sunt sparsa locis : quaque osse minuto
De modica sacri stipe corporis exiguus ros
Decidit; ingentes illic pia gratia fontes,
Et fluvios vitæ generavit gutta favillæ.

[a] Vide not. 324.
[b] Vide not. 325.
* Huc adscitum. Porro carmen 26, nunc 27. Script. anno 403. Hi versus hodie exstant in eadem basilica.
** Alias 26 : quod autem 27 erat, nunc 28. Scriptum anno 404, die 14 Januar.

. . . . A

At Carthago potens Cypriano martyre gaudet,
Cujus et ore simul profusi, et sanguine fontes
Fecundaverunt Libyæ [a] sitientis arenas.

. . . .

661-662 Nec minor occiduis effulsit gratia terris,
Ambrosius Latio, Vincentius exstat Hiberis :
Gallia Martinum, Delphinum Aquitania sumsit.
Multaque præterea per easdem largiter oras
Semina sanctorum positis diffusa sepulcris
Illustrant totum superis virtutibus orbem.

. . . .

Sic itaque et nostra hæc Christi miserantis amore
Felicis meruit muniri Nola sepulcro,
Purgarique simul : quia cæcis mixta ruinis B
Orbis, et ipsa pari moriens in nocte jacebat.

. . . .

Personæ exululant pœnis qui numine falso
Dii fuerant ; et qui mentito nomine vivos
Ante Dei cultum sibi nil cœleste videntes
Dediderant homines, hi nunc, ubi lumine Christi
Vera fides patuit, non possunt ferre sepultos.

. . . .

Alpha itidem mihi Christus [b] et ω : qui summa supremis
Finibus excelsi pariter complexus et imi,
Victor et inferna et pariter cœlestia cepit :
Effractisque abysis cœlos penetravit apertos,
Victricem referens superata morte salutem.
Utque illum patriæ junxit victoria dextræ, C
Vexillumque crucis super omnia sidera [c] fixit,
Corporeum statuit cœlesti in sede trophæum.

. . . .

Nunc ad te, veneranda Dei crux [d], verto loquelas,
Gratantesque tua concludam laude profatus.
O crux magna Dei pietas, crux gloria cœli,
Crux æterna salus hominum, crux terror iniquis,
Et virtus justis, lumenque fidelibus : o crux
Quæ terris in carne Deum servire saluti
Inque Deo cœlis hominem regnare dedisti!
Per te lux patuit veri, nox impia fugit.
Tu destruxisti credentibus eruta fana
Gentibus, humanæ concors tu fibula pacis,
Concilians hominem medii per fœdera Christi. D
Facta hominis gradus es, quo possit in æthera ferri.
Esto columna piis tu semper et anchora nobis :
Ut bene nostra domus maneat, bene classis agatur,
In cruce fixa fidem, vel de cruce nancta coronam.

[a] Id est *Africa*. Vide carm. 3, v. 2.
[b] Vide not. 326.
[c] Vide not. 327.
[d] Vide not. 328.
[e] Vide not. 329.
[f] Vide not. 239.

POEMA XXXI *.

DE S. FELICE NATALITIUM CARMEN XIII. FRAGMENTUM.

De Gothorum [e] exercitus cum suo rege interitu.

Pluribus hæc etenim causa est curata patronis,
Ut Romana salus, et publica vita maneret.
Hic Petrus, hic Paulus proceres, hic martyres omnes,
Quos simul innumeros magnæ tenet ambitus Urbis,
Quosque per innumeras diffuso limite gentes
Intra Romuleos veneratur Eclesia [f] fines,
Sollicitas simul impenso duxere precatu
Excubias. Felix meus his, velut unus eorum,
In precibus pars magna fuit, sed summa petiti
Muneris ad cunctos, nulli privata refertur.

POEMA XXXII **.

DE S. FELICE NATALITIUM CARMEN XIV. FRAGMENTA.

S. Felici gratias refert maximas pro acceptis ejus interventu Dei donis et beneficiis.

663-664 Nunc ad te, venerande parens, æterne patrone,
Susceptor meus, et Christo carissime Felix,
Gratificas verso referam sermone loquelas.
Multa mihi variis tribuisti munera donis.
Omnia, præsentis vitæ rem, spemque futuræ
Quæ pariunt, tibi me memini debere : cui me
Mancipium primis donavit Christus ab annis.
Si mihi flumineis facundia curreret undis,
Oraque mille forent centenis persona linguis,
Forte nec his opibus collato fonte refectus
Omnia Felicis percurrere munera possem,
Quanta suo Dominus donavit Christus amico,
Et mihi confessor famulo transmisit alumno.

. . . .

Si prima repetens ab origine cuncta revolvam,
Quæ pietate pari vario mihi præstitit ævo,
Ante queam capitis proprii numerare capillos,
Quam tua circa me, Felix bone, dona referre.

. . . .

Incolumi solio, et numquam rimante sepulcro,
Undique vallatum solido munimine corpus
Martyris et meriti nullis patuisse piaclis :
Et dignum retinere suæ pia carnis honorem
Ossa, quia sanctis numquam desistit adesse
Spiritus : unde piis stat gratia viva sepulcris,
Quæ probat in Christo cunctos sine morte sepultos
Ad tempus placido sopiri corpora somno.

POEMA XXXIII ***.

DE S. FELICE NATALITIUM CARMEN XV. FRAGMENTA.

Narrat S. Felicis miracula, quibus ægri sanantur, et corpora a dæmonibus obsessa liberantur.

Ver age carminibus : fluat articulata modestis

* Alias 27 : quod autem 27 erat, nunc 28. Scriptum anno 406, die 14 Januarii.
** Alias 28 : quod autem 29 erat, nunc 30. Scriptum anno 407, die 14 Januar.
*** Alias 29 : quod autem 30 erat, nunc 17. Scriptum anno 408, die 14 Januar.

Vox numeris : ades, o dives mihi causa loquendi A
Felix, et tacito mea corda illabere flatu.
Spiritus ore meo curret tuus ; esto meis fons
Eloquiis : ego vero tuis ero fistula rivis,
Quos mihi præbueris divini a flumine verbi.

. . . .

Surge igitur, blandoque meum spiramine pectus
Ingredere, o Felix pater, et domine atque patrone ;
Tu domus, et medicina mihi, et sapientia, Felix ;
Tu nunc obtusam mihi longa per otia mentem
Exacue, ignito vegetans mea lumine corda.

. . . .

Sed mihi non isto fundendus in æquore sermo est,
Ut per sanctorum merita aut miracula curram, B
Et quæ per sanctos omnes ab origine rerum
Præstat agitque Deus, versu pertexere coner,
Quæ nec mens humana capit nec lingua profari.
665-666 Et quid in hoc mirum, si charta volumine toto
Non capiat, quæ nec mundus capit omnia totus?
Major enim mundo mundi sator ; ipse Deus rex
Qui terram cœlumque implet, quem non capit iste
Mundus, eum capiunt sancti, non corporis amplo,
Sed pietate humiles, et mundo corde capaces.

. . . .

Nunc itaque ut divina mei bene gesta patroni
Felicis referam, vel quæ mihi commoda vitæ C
Contulerit, vel quæ multis ope cœlite præstans,
Muneribus conferre piis non desinit omni
Pene die, variis tribuens pia munera signis :
Christum laudari meritorum postulat ordo.
Non hominem, sed eum potius laudare videbor,
Quo Felix autore potens, venerabile nomen
Obtinet, et medicas dat opes, quibus ægra revisit
Corpora, captivasque animas vi dæmonis atri
Absolvit superante Deo : nec in hac ope tantum
Munificus Felix operatur munera Christi,
Et de vipereo fortissimus hoste triumphat.

POEMA XXXIV.

DE S. FELICE NATALITIUM CARMEN. INCERTI FRAGMENTUM. D

S. Felicis virtus in tumulo : frequens ad eum populi concursus.

Et licet a veteri tumulis absconditus ævo,
Qua mortalis erat, latuit telluris operto,
Viva tamen, vegetante Deo, membrisque superstes
Gratia divinum spirantia martyris ossa
Clarificat populis, merito vivente sepulti,
Et magni solium breve confessoris adorat [a]
Jugiter e variis congesta frequentia terris.

POEMA XXXV *.

DE OBITU CELSI PUERI PANEGYRICUS.

Pneumatium et Fidelem pueri Celsi parentes consolatur de obitu filii.

Ante puer patribus claris, et nomine avito
Celsus erat, sed nunc celsus agit merito :
Quem Dominus tanto cumulavit munere Christus,
Ut rudis ille annis, et novus iret [b] aquis,
Atque bis infantem spatio ævi et fonte lavacri
Congeminata Deo gratia perveheret.
Heu! quid agam? dubia pendens pietate laboro,
Gratuler, an doleam? dignus utroque puer ;
Cujus amor lacrymas, et amor mihi gaudia suadet,
Sed gaudere fides, flere jubet pietas.
Tam modicum patribus, tam dulci e pignore fructum
Defleo in exiguo temporis [c] esse datum.
Rursus ut æternæ bona volvo perennia vitæ,
Quæ Deus in cœlo præparat innocuis,
Lætor obisse [d] brevi functum mortalia [e] seclo,
Ut cito divinas perfrueretur opes.
Ne terrena diu contagia mixtus iniquis
667-668 Duceret in fragili corporis hospitio.
Sed nullo istius temeratus crimine mundi,
Dignius æternum tenderet ad Dominum.
Ergo Deo potius quam nobis debitus infans,
Verum et pro nobis ille Deo placitus.
Cœperat octavum producere parvulus annum,
Prima citis agitans tempora curriculis.
Jam puerile jugum tenera cervice ferebat,
Grammatici duris subditus imperiis.
Quæque docebatur puer admirante magistro,
Sorbebat docili nobilis ingenio.
Gaudebant trepido præsagi corde parentes,
Dum metuunt tanti muneris invidiam.
Nec mora longa fuit, placitam Deus æthere Christus
Arcessens merito sumsit honore animam,
Et rapuit terris (a) subitum, quo dignior esset
Associata piis vivere conciliis.
Causa fuit leti suffusus faucibus humor,
Quo gravis inflavit lactea colla tumor,
Inde repressus abit, sed lapsus ad intima fugit
Corporis, et vitam visceribus pepulit.
Terra suam partem tumulata carne recepit,
Spiritus angelico vectus abit gremio.
Deserti vacuum funus [f] duxere parentes
Fletibus, in culpam ne pietas veniat.

[a] Id est, *honorat*. Vide carm. 27, v. 154.
[b] Id est *obiret*. Vide not. 330.
[c] Vide carm. 24, v. 37.
[d] Vide v. seq., carm. 15, v. 228, et not. 331.
[e] Vide not. 332.
[f] Vide v. 278.

* Alias 15 : quod autem 32 erat, nunc 3.
(a) Ed. Rosv., *subitam*. At juxta ms. codicem Regium et edd. quatuor restituimus cum Sacchino *subitum*, dictum pro *subito*, ut Paulinus carm. 35, v. 593, *longum* dixit, et *æternum*, v. 613, 630, et carm. 22, v. 241.

Impia nam pietas animam lugere beatam, A
Gaudentemque Deo flere, nocens amor est.
Nonne patet quantum tali pietate trahatur
Peccatum? arguimur fraude tenere fidem,
Aut reprobare Dei leges errore rebelli,
Ni placeat nobis quod placuit Domino.
Justius est istas hominum lugere tenebras,
Quas facimus nobis degeneres animæ,
Immemores primos cœlestis imaginis ortus,
Quam revocat miserans ad sua regna Pater.
Cujus amore meos suscepit Filius artus,
Virgine conceptus, virgine natus homo,
Cuncta gerens hominem, cunctos et corpore in uno
Cunctorum [a] Dominus suscipiens famulos. B
Factus enim servi forma est, qui summus agebat,
Forma Dei regnans cum rege Patre Deus.
Suscepit formam servi, culpamque peremit,
Qua pœnæ et mortis quondam homo servus erat.
Et libertati famulum, sub imagine servi
Nostra caro effectus restituit Dominus.
Ut mihi per Christum cœlestis imago rediret,
Qui cruce terrenum (a) despoliavit Adam.
Carnem igitur mortemque meam meus ille Creator
Pertulit, et carum morte redemit opus.
Multa mihi dederat prius et promissa salutis,
Et præcepta quibus per bona dirigerer. C
Sed quia nec, legis posito medicamine, primi
Inveterata patris vulnera dilueram,
Et neque præmissis divino ex ore prophetis
Exspectare Dei munera credideram,
Et genus humanum passim sine lege fidei [b]
669-670 Desperata salus merserat in tenebras,
Regnabatque simul peccatum in corpore nostro,
Mors in peccato, dæmon [1] in interitu,
Captivumque hominem tristis metus et miser error
Altius in mortem præcipitare [2] dabant.
Interea Pater ipse polo miseratus ab alto,
Errantum lapsus pestiferos hominum,
Serpentemque truci dominantem in morte cadentum D
Non tulit, et Natum misit ad omne bonum.
Paruit ille libens, Deus [c] omnia cum Patre concors,
Communem curans rem pietate pari.
Advenit, et fit homo, et mixtum perfectus utroque
Ostendit [d] fragili carnis inesse Deum.
Utitur officiis hominis, sed et intus operti
Signa Dei medicis exserit imperiis.
Voce hominis divina docet, mortalia vere
Extra peccatum corporeus peragit.
Quippe sui rem tantum operis sibi reddere curans,
Naturam venit sumere, non vitium.
Namque bonum natura hominem bonus ad bona fecit,
Mente sua lapsus se vitiavit homo.
Quare opifex hominum mortali in corpore venit,
Non et mortali crimine factus homo.
Nam neque deleret culpas, nisi liber ab illis,
Nec laxare reos posset et ipse reus,
Nec peccatori mors cederet utpote vinctum
Peccati vinclis legitime retinens.
Jure igitur cessit rumpenti tartara Christo,
In quo, quod posset nectere, non habuit.
Ipsaque judicii injusti rea facta vicissim,
Per scelus occiso jure subacta homini est.
Palluit invidia serpens, inferna reducto
Claustra homini, versa lege, reclusa videns,
Inque vicem vincta mortalem morte resolvi,
Excussumque sua surgere corpus humo,
Insuper et cœlos redivivum scandere cernens,
Dente truci frustra lividus infremuit.
Et modo tabescit, cum, crebrescente piorum
Agmine, per Christum perditor [e] ipse perit.
Ergo mei vitiosa animi sanavit, et ægra
Corporis excepit, matre homo, patre Deus.
Imbecilla quidem, sed naturalia carnis
Gessit, et affectus corporis exhibuit.
Sensibus humanis edit et bibit, et sua somno
Lumina declinat, lassat [f] eundo viam.
Tamquam homo, defuncto lacrymas impendit amico
Quem mox ipse Deus suscitat e tumulo [g].
« Navigio vectatur homo, et Deus imperat austris,
Et virtute Dei permeat æquor homo [h].
Mente hominis trepidat vicinæ mortis ad horam,
Mente Dei novit tempus adesse necis.
In cruce fixus homo est, Deus e cruce terruit orbem,
Mortem homo, verum mors ipsa Deum patitur [i],
In cruce pendet homo, Deus e cruce crimina donat [j],
Et moriens vitam criminis interimit;
Proque reis habitus [k], pejorque latrone putatus,

[a] Id est *per cuncta*. Vide not. 333.
[b] Vide not. 334.
[c] Vide vers. 55 et not. 333.
[d] Id est *in carne fragili*. Vide carm. 15, v. 318.
[e] Id est *serpens*.
[f] Pro *lassatur*. Vide ep. 5, n. 18.
[g] Johan. XI, 35 et 44.
[h] Matth. XIV, 32 et 29; XXVI, 38.
[i] Matth. XXVII, 51.
[j] Id est *condonat*, simplex pro composito.
[k] Marc. XV, 28.
(*a*) Ita ex editione Schot. emendavimus cum Barthio. Sic ea voce alibi usus Paulinus, carm. 23, v. 219 : *Lumine despoliem*, et ep. 24, n. 2. Alias, *se spoliavit Adam.*

Quem Judæa pio præposuit Domino [a], A
Credenti donat regnum cœleste latroni,
Clausus adhuc terris jam paradisum aperit [b].
Nos igitur firmare animos, attollere mentem,
Ignavosque decet trudere corde metus.
Pro quibus ecce animam posuit simul atque resumsit
671-672 Filius ille Dei, quo sata cuncta Deo. »
De nostra victor Deus egit morte triumphum,
Et nostrum secum corpus in astra tulit:
Non sat habens, quod pro nobis mortalia cuncta
Hausit, ut auferret vulnera nostra suis.
Sed ne me dubiæ suspenderet anxia mentis
Cura, resurrexit corpore quo cecidit. B
Clara fides oculis patuit mortalibus, ipse
Post obitum visus, qualis et ante obitum [a].
Nam se discipulis dubitantibus obtulit ultro,
Rimandumque oculis præbuit et manibus [c].
Nec [d] sine mente Dei dubitavit apostolus olim,
Vivere post mortem nullus ut ambigeret.
Firmavit dubitando fidem: dum comminus anceps
Arguitur Thomas, omnis homo instruitur.
Cernere quod Thomas coram et palpare jubetur [e],
Constanter stabili credere disco fide:
Mortem hominum Christi crucifixi morte subactam,
Spemque resurgendi corporibus positam; C
Corporibus nostris, quia Christus victor in ista
Carne resurrexit quam gero, qua morior.
Meque docet, pro me dubitantibus ingerit artus,
Et solidam carnem structa per ossa probat,
Insuper et lateris, manuum quoque vulnera monstrat,
Et dubium digitos his jubet inserere.
« Cerne, inquit, latus ecce meum, palmasque, pedesque;
Ecce crucis clavos, cuspidis ecce viam.
Ecce ipsam toto compagem corpore vivam
Stare patet nervis, ossibus, ore, cute [f]. »
Ergo tenete fidem, quam cernitis, insuper et quam
Tangitis, et dubios pellite corde animos. D
Et testes tantæ cunctis estote salutis,
Cunctorumque hominum solvite corda metu.
Omnibus intereat mortis timor, et simul omnes
Ista resurgendi spes animet populos.
Credentum tamen ista salus, qui corde fideli
Suscipient, quæ vos lumine conspicitis.
Nam postquam victa gessi de morte triumphum,
« Mors superata (a) obiit, stat rediviva salus.
Vitam ex morte dedi, mortem moriendo subegi.
Et genus humanum sanguine restitui [g]. »
Peccatum carnis superans in carne, peremi
Materiam culpæ, justitiam peperi.
Corpore mors cecidit, surrexit corpore vita,
Qua prius occiderat, carne revixit homo.
Et nunc ecce meo redivivum in corpore portans,
Præfero victorem mortis et anguis Adam.
Quæ, rogo, sufficient nobis solatia, vel quæ
Sanabit fessos jam requies animos,
Si nec tanta potest ægris medicina mederi,
Quæ vitas [h] obita morte redire docet?
Mœror, abi; discede, pavor; fuge, culpa: ruit mors,
Vita resurrexit, Christus in astra vocat.
Morte mea functus, mihi mortuus, et mihi victor,
« Ut mors peccati sit mihi vita Dei.
Denique servatum jam de cruce duxit aperto
673-674 Limite latronem, qua paradisus adest [i], »
Munere quo signum dedit et peccata piare,
Et nemoris vetiti vincere septa fide.
Talibus exemplis, tanto sponsore salutis
Erectos lætis vertere mœsta decet [j].
Pellamus querulos ingrato corde dolores,
Et redeant tersis lumina pura oculis.
Credamus Christo, quod in ipso vidimus, iisdem
Nos quibus occidimus surgere corporibus,
Inde superfusa divini veste decoris,
Sumere mutatos angelicam speciem.
Quod si tanta animis nox caligantibus obstat,
Et piger obtuso corpore sensus hebet,
Ut, quia corporeis oculis divina teguntur,
Nullam dicatis scripta tenere fidem.
Sed doceat Paulus quia non æterna videntur,
Æterna humanis abdita sunt oculis.
Insipiens, terrena vide, cœlestia crede,
Obtutu mundum conspice, mente Deum.
Hinc pretiosa fides; nam sicut gratia jam non
Gratia, si meritis attribuatur, erit:
Sic et nulla fides, nisi quæ quod non videt, illud
Credit, et æternam spe duce rem sequitur.
Mortales miseri, querulum genus, impia tandem
Pectora mollitis mentibus exuite.
« Heu! quonam, precor, usque gravi mendacia corde

[a] Matth. xxvii, 21.
[b] Luc. xxiii, 43.
[c] Johan. xx, 20.
[d] Vide carm. 27, v. 417 et seqq.
[e] Johan. xx, 27.
[f] Johan. xx, 27; Luc. xxiv, 39.
[g] Osee. xiii, 14.
[h] Vide v. 174, et carm. 27, v. 568.
[i] Luc. xxiii, 43.
[j] Vide vers. 407.

(a) Sic reposuimus ex editione Schotti; aliud enim Paulinus ad illud Osee xiii, 14: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero* MORS *tua, o mors.* Et bene quadrat, *Mors superata obiit*, cum *stat rediviva salus.* Ante erat *abiit.* At vide infra v. 186, *obita morte*, et v. 187, *mors ruit.*

Quæritis, et vani lubrica diligitis [a]? »
Commutate vias, disrumpite vincula mortis,
Et date prædulci libera colla jugo.
Sumite divinas pro libertate catenas,
Crimine quæ solvunt, et pietate ligant.
Qui sequeris tenebras, in aperto lucis oberras,
Et quia nocte vides, lumine [b] cæcus agis.
Ergo oculos mentis Christo reseremus et aures;
Ut mens, peccato clausa, Deo pateat.
Nam quæ corporeis sua jam promissa revelat
Visibus, et claris monstrat operta Deus,
Cuncta resurgendi faciem [c] meditantur in omni
Corpore, et in terris germina, et astra polo.
Noctes atque dies, ortus obitusque vicissim
Alternant : morior nocte, resurgo die.
Dormio corporeæ sopitus imagine mortis,
Excitor a somno sicut ab interitu.
Quid sata, quid frondes nemorum, quid tempora? nempe
Legibus his obeunt omnia, vel redeunt.
Vere resurgentum cunctis nova rebus imago
Post hiemis mortem vivificata redit.
Quod semel est facturus homo, cui subdita mundi
Corpora, sub cœlo cuncta frequenter agunt.
Sed quærunt quali reparetur mortuus omnis [d]
Corpore, quove modo fiat homo ex cinere.
Si non sufficiunt sacris signata prophetis,
Muta fidem clamant, credite conspicuis.
Cernite nulla suis emergere semina campis,
Ni prius intereant labe [b] soluta putri [e].
Nuda seris, vestita [f] legis; jacis arida grana,
Atque eadem fructu multiplicata metis.
O perversa fides, et diffidentia nobis,
Credere nos terris, et dubitare Deo!
Et certa nil terra fide spondere nec ausa,
Nec potuit; quin et sæpe fefellit ager,
Vix commissa sibi reddens sata ; nec tamen illi
675-676 Credere deceptus spem segetis dubito;
Nec piget incertis certum sudare laborem
Frugibus [g], et nudo credere nuda solo.
Quod si terra potest corruptum reddere semen
(Quod tamen æterni lege facit Domini),
Difficile Omnipotentis opus fore creditur, ut nos
Ex nihilo factos, ex aliquo reparet?
Nullus eram, et faciente Deo sum natus ut essem,
Nunc jam de proprio semine rursus ero.
Nam licet in tenuem redigantur et ossa favillam,
Corporis integri semina pulvis habet :
Cumque etiam cineres vacuatis terra sepulcris,
Cognato immixtos cespite sorbuerit,

A Tunc quoque corporeis hominum vanescere visos
Luminibus, solidos continet Omnipotens;
Inque die magno, quæ nunc absumta putamus
Corpora, cernemus surgere tota Deo,
Nulla cui natura perit : quia quidquid ubique est,
Omne Creatoris clauditur in gremio.
Quos aqua fluminibus, pelagoque, et piscibus haurit,
Quos volucres, et quos diripuere feræ,
Cunctos terra Deo debet : quia quos aqua mersit,
Littore vel fundo, strata recepit humus.
Quæ licet una, tamen non uno sumta sepulcro,
Sparsa locis laceri funeris [g] ossa tegit.
B Et quia consumtus simul et consumtor in uno
Telluris gremio morte ferente cadunt;
Sive per egeriem, qua sese animalia purgant,
Reddunt digestis membra vorata cibis :
Humanum corpus transfunditur ex alieno
Corpore, nec perdit vim proprii generis.
Sed licet e membris in humum transmissa ferinis
Membra hominum vivo semine salva manent;
Et moriente fera, cui forte cadaveris esca
Humani fuerit, dividitur ratio.
Namque animal rationis homo est, ideoque et in ipse
Rex aliis præstat corpore corporibus.
C Inde licet possit mutis animalibus idem
Præda dari, tamen his sorte coire negat.
Sola resurgendi caro perceptura vigorem,
Quæ rationalis vas animæ [h] fuerit,
Ut reducem terris animam compage refecta,
Jam non lapsuro tegmine suscipiat.
Et velut hic omni mens et caro jungitur actu,
Sic et in æternam sint sociata diem,
Ut carpant socio gestorum præmia fructu,
Consortes meriti luce, vel igne, loci.
Propterea, quamvis nos, et spirantia cuncta,
Unam sortiti corpore materiem,
Non tamen in vacuum revocamur morte soluti,
Exsortes animæ carnis ab occiduo :
Sed clangente tuba, reddentibus undique terris
D Nostra ex arcanis corpora seminibus,
Corpore, mente, anima, rursum in sua fœdera nexis,
Integri [i] Dominum sistimur ante Deum.
Si dubitas cineres in corpora posse recogi,
Et fieri reduces in sua vasa [j] animas;
« Ezechiel tibi testis erit, cui prodita dudum
Tota resurgendi per Dominum facies.
Illic aspicies toto [k] vivescere campo

[a] Psal. IV, 3.
[b] Id est *die*.
[c] Prudentii hymn. 10 Cathemerinon.
[d] Id est *integer*. Vide v. 308.
[e] Vide not. 335.
[f] Vide not. 336.

[g] Id est *cadaveris*. Vide vers. 41.
[h] Id est *corpus*. Vide vers. 310.
[i] Vide vers. 241.
[j] Id est *corpora*. Vide. vers. 294.
[k] Vide ep. 24, n. 18.

Arentes veterum relliquias hominum, A
Ossaque, porrectum late dispersa per agrum,
677-678 Ultro ad compages currere jussa suas,
Atque medullatis penetralibus edere nervos,
Moxque supernata ducere carne cutem,
Et dicto citius perfectis ordine membris,
Pulvere de veteri stare novos homines [a]. »
Ac ne forte, quod est sacri manifesta Prophetæ
Visio, sopitis omnia vana putes,
Majorem super his et plenum suscipe testem,
Ipse prophetarum nam loquitur Dominus :
« Vita ego sum, qui me credet, nec morte peremtus,
Consorti mecum luce beatus aget [b]. »
Denique quod verbo dixit, virtute probavit, B
Ipse suum revocans ex (*a*) abysis hominem.
Tempore quamquam illo non tantum in corpore Christus
Signa suo dederit, cum cruce victor obit.
Namque ut concussis patefecit tartara terris,
Et vinctum inferno carcere solvit Adam,
« Fissa resurgentes ruperunt saxa sepulti,
Et novus in sancta floruit urbe (*b*) tholus [c]. »
Viderunt multi veterum renovata piorum
Corpora, descensu vivificata Dei.
Tunc etiam refugo cæcatus lumine mundus,
Æterna timuit nocte piare nefas.
Tunc et discusso nudata altaria velo
Amisere sacri relligionem adyti;
Ut monstraretur vacuandum numine templum, C
Et fore ab hostili sancta profana manu.
Quod duce Romano docuit post exitus ingens,
Eversis templo, civibus, urbe, sacris.
Fas etenim, ut Judæa, cui suus hostia Christus
Non erat, et per quam victima Christus erat,
Sede locoque simul veterum viduata [d] sacrorum,
Inficiata fidem, perderet omne sacrum.
Finis enim legis Christus : quia lege fideli
Prædictus, legi lex veniendo fuit,
Præscribens veteri finem legemque fidei [e],
Legem perfectam gentibus instituens.
Unde Magister [f] ait : « Vetera effluxere, peractis
Temporibus, subeunt omnia ubique nova [g]. »
« Jamque revelata facie speculamur apertum D
In Christo propriæ lucis honore Deum [h]. »
Et puto quod scissi in templo mysteria veli
Id quoque signarint gratia quod tribuit.
Nam veluti rupto patuere sacraria velo,
Sic reserat nobis legis operta fides.
« Inde sub antiquo legitur velamine Moses [i] »
Judæis nebula cordis opertus adhuc,
Quam de luminibus mentis mihi creditus aufert
Christus, adumbratas discutiens species.
Seque docet prisca velatum legis in umbra,
Jamque revelatum corporis in facie.
Qualem præmissi cecinerunt adfore vates;
Qualis apostolicis coram oculis patuit;
Qualem et Judæi non perspexere videntes,
679-680 Mentibus obtusis impietate sua;
Et qualem, quamvis non visum in corpore nobis,
Credendo interno lumine conspicimus.
Nam quod veridici sese vidisse Magistri
Et palpasse docent, tango fide, et video.
Et cunctis credendo, patet cognoscere Christum
Impia cæcantem pectora perfidia,
Fundentemque suam per corda fidelia lucem,
Ut placitas habitet clarificetque animas.
Ergo, mei fratres, mea cura, meum cor, in ista
Mærentes animos lætificate fide.
Pellite tristitiam, dociles pietate fideli,
Fidentesque Deo lætitiam induite.
Illos infelix luctus decet, et dolor amens,
Nulla quibus superest spes, quia nulla fides.
Heu mihi! quam stultum est oculis se credere vanis,
Desperare Deo, fidere corporeis!
Illis internus stupor, insolabile pectus,
Desertis vero sensibus, obsideat,
Quos infida Deo mens abdicat, et quibus exsors
A Christo infernas sors cadit in tenebras.
Nobis ore Dei solator Apostolus adsit,
Nos Evangelio Christus amans doceat;
Nos exempla patrum simul et præconia vatum,
Nos liber historiæ firmet apostolicæ [j],
In qua corporeum remeare ad sidera Christum
Cernimus, et gremio nubis in astra vehi,
Et talem cœlis reducem sperare jubemur,
Ad cœlos qualem vidimus ire Patri.
Hujus in adventum modo pendent omnia rerum,
Omnis in hunc Regem spesque fidesque inhiat.
Jamque propinquantem supremo tempore finem
Immutanda novis secula parturiunt :
Omnes vera monent sacris oracula libris,
Credere prædictis, seque parare Deo.
Festinate, precor, dum copia panditur istic
Procurare bonis, præque cavere malis.
Vertite [k] perversas converso pectore curas,
Monstrat flere fides utilibus lacrymis.

[a] Ezech. XXXVII.
[b] Johan. XI, 25 et 26.
[c] Matth. XXVII, 52 et 53.
[d] Id est *spoliata*.
[e] Vide not. 334.
[f] Vide ep. 30, n. 5.
[g] II Cor. V, 17.
[h] II Cor. III, 18.
[i] Exod. XXXIV, 33.
[j] Act. I.
[k] Vide vers. 196.

(*a*) Ita emendavimus ex ms. Regio; et sic Paulinus carm. 27, v. 92. Omnes editionum correctores (et ipse etiam Rosveydus) substituerant *erebis*, offensi secunda syllaba in *abyssis* correpta; sed hic per geminam *ss* vox illa non scribenda. Sic alibi *Eclesia*, prima correpta, pro *Ecclesia* dixit Paulinus.

(*b*) Ed. Schot. cum Sacchino, *chorus*; non ausus sum emendare contra aliorum codicum autoritatem.

A

Peccato lugere juvat [6], contractaque culpis
Vulnera profusis fletibus abluere.
« Qualibus ille suum stratum omni nocte rigabat
Multa gemens David, corde potens hu- [mili [a]. »
« Si cinerem rex ille Deo dilectus edebat,
Et sua miscebat pocula cum lacrymis [b] : »
Quid facere, heu ! misero mihi competit? unde [piabor?
Unde satisfaciam ? quanam ope salvus ero?
Pumiceum cor eget lacrymis, cinis horret ad [escam,
Deliciæque juvant esuriente anima.
Quis mihi suggeret ad lacrymarum [7] flumina [8] [fontem,
Quo mea deflerem facta meosque dies [c] ?

B

Nam mihi pro meritis actæ per crimina vitæ
Ingentes plagas flumina flere opus est.
Rumpe mei lapidem cordis, salvator Iesu,
Ut mollita pio viscera fonte fluant;
Tu, precor, o fons Christe, meis innascere fi- [bris,
Ut mihi viva tuæ vena resultet aquæ.
Nam tu fons, quo vita fluit, quo gratia manat,
Quo lux omnigenas funditur in populos.
« Qui te, Christe, bibent, dulci torrente refecti,
Non sitient ultra, sed tamen et sitient [d]. »
Nam quos divini satiarit copia verbi,
681-682 Hos dulcedo magis pota sitire [facit.

C

Te Domine ergo Deus panem, fontemque salutis
Semper et esuriant et sitiant animæ.
Non jejuna fames, sed nec sitis arida vitam
Consumet si te mens edat, atque bibat.
Jugifluus semper biberis, turbamque, sitimque
Potantum exhausto largior exsuperas.
Totus enim dulcedo Deus, dilectio, Christe, es,
Inde replere magis, quam satiare potes.
Et desideriis semper sitiendus avaris
Influis, exciperis, nec saturatur amor,
Atque ita perficitur pietas, sine fine ut ameris,
Christe, tuis vitam qui sine fine dabis.
Da mihi nunc lugere, Deus, fletuque salubri
Præserere æternæ semina lætitiæ;
Hoc precor, hoc potius maneat mihi luctus in [ævo,

D

In quo quidquid adest per breve transit iter.
Ite procul, læti, fletum consortia malo,
Ut brevibus lacrymis gaudia longa metam.
Si modo lugentem gravis hirto tegmine saccus
Caprigenum setis dum teget [9], et stimulet,
Tunc Patre placato meriti reddentur honores,
Annulus, et cinget me stola lætitiæ;
Tunc mihi jure, Pater, vitulum mactabis [10] opi- [mum,
Si modo jejunus justitiam esuriam [11].
Malo famem panis, quam sancti ducere verbi;
Nolo domum vini, lucis aquam sitio;
Hic cruciet me dira fames, hic turpis egestas
Contractum pannis tristibus obsideat,
Hic licet ante suas dives me transeat ædes,
Spernens vel micis me saturare suis.
Nolo mihi Tyrio modo serica murice vestis
Ardeat, arsuri corporis invidia;
Ne post purpureos me flamma perennis amictus
Ambiat, et pretium vestis in igne luam.
Hic potius miseri jaceamus in (a) aggere fœdo
Stercoris, et lambant ulcera nostra canes,
Ut placida tristem post vitam morte solutos
Mitis ad occursus angelus excipiat,
Et patriarcharum sinibus deponat ovantes,
Unde gehenna procul sævit hiante chao.
Non commenta loquor vatum terrentia parvos,
Latrantem in foribus per tria rostra canem,
Terrentemque umbras tristi squalore Charon- [tem,
Vipereis sævas crinibus Eumenidas,
Æternam Tityon funesti vulturis escam,
Arentemque siti Tantalon inter aquas,
Volventem sine fine rotam, et revolubile saxum,
Cassaque sudantum dolia Danaidum.
Hæc inopes veri vanis cecinere poetæ,
Qui Christum veri non tenuere caput.
At nos vera Deus docuit, sator ipse suorum
Ennarrans nobis omnia vera operum.
Disce Evangelio loca pauperis, et loca ditis :
« Pauper in Abraham [e], dives in igne jacet.
Justitia mutante vices, qui fleverat istic,
Gaudet ibi; et, pleno paupere, dives eget.
Iste bona requie fruitur, gemit ignibus ille,
Dives opum pœnas, pauper opes recipit.
683-684 Mendicat dives modicum de paupere [rorem,
Quem mendicantem spreverat in superis.
Inde in eum ardentem nec parvi pauperis imo
Stillavit digito gutta refrigerii,
De magnis quoniam dapibus nec mica referto
Esurientis in os pauperis exciderat [f]. »
His monitis sanctam discamus vivere. [g] Christo
Justitiam, et partem ponere pauperibus.
Tu, cui sordet inops, qui viso horrescis egeno,
Occursumque pii supplicis omen habes,
Qui te miraris pretiosa veste nitentem,
Nec sordere vides interiore habitu,
Omnia mente geris, quæ in corpore pauperis [horres,
Sordidior pannis, dives et ulceribus :
Contemnis cæcum, leprosum tangere vitas,
Dives avare, lepram diligis ipse tuam.
Ille oculis hominum miser est, et debilis; et tu

[a] Psal. vi, 7.
[b] Psal. ci, 10.
[c] Jerem. ix, 15.
[d] Johan. iv, 13.
[e] Vide carm. 23, v. 235, et not. 337.
[f] Luc. xvi.
[g] Vide carm. 26, v. 206.
(a) Sic reponendum mihi visum est ex edit. Schot. in marg. Alii codices, *in agmine; sed quid sit fœdum agmen stercoris*, non video.

Turpis es ante Deum debilitate animæ. A
Improbe, consortem naturæ spernis egentem,
Et facis exsortem partis avaritia.
Quidquid, inique, tibi nullo supereffluit usu,
Quod fosso abstrudis cespite, pars inopum est.
Cur aliena tenes, qua spe linquenda retentas,
Nec retributa suis, nec potienda tibi?
Tu, cui sordet inops, qui, nomine divitis excors,
Triste levas crispa [a] fronte supercilium,
Nec dignaris eos homines vel nomine fari
Quos simili luxu non fluitare vides,
Filius ille Dei qua venerit aspice forma,
« Qui cum esset dives, pauper in orbe fuit [b]. »
« Et veniens non alta Deus, sed vilia mundi B
Legit, ut infirmis fortia destrueret [c]. »
Non jam divitiis dives, nec robore fortis,
Nec sapiens magno gaudeat ingenio.
Nemo ope confidat [d] propria, aut de se sibi plaudat,
Cum sata vel data sint omnia fonte Deo.
Perfugium Christus personaque factus egentum,
Divitibus pudor est, gloria pauperibus.
Hujus in ambrosios avidi curramus odores,
Ut procul a nobis mortis odor fugiat.
Quis mihi det pretiosum alabastro fundere nardum,
Et Domini sacros flendo lavare pedes [e]?
Vos precor, o mea cura, piis operam date curis,
Vosque date immenso jungere mente Deo. C
« Tempus adest; prope jam Dominus: properate parari
Regis ad occursum, dum brevis hora patet [f]. »
Utimini vestris opibus pietate benigna,
Radicemque mali vellite pectoribus.
Corde inopum vestræ pretium concludite vitæ,
Et capita expensis ungite vestra piis.
Castaque lambentes Domini vestigia Christi,
Detergete comis [g] ambo, lavate oculis.
Si desiderium est Celsi sine fine fruendi,
Sic agite, ut vobis aula [h] eadem pateat.
Nam quem sancta fides, et nescia criminis ætas
Et pia mens casto corpore continuit;
Certa fides, illa superum regione potiri,
Igneaqua sanctos protegit ara Dei. D
« Nolumus ergo, boni fratres, de pignore [i] vestro
Vos ita tristari, tamquam homines vacuos:
Nam si certa fides vobis, quia Christus Iesus
Mortuus est, et nunc vivit in arce Dei;

685-686 Sic et eos quicumque fide vivente quiescunt,
Adducet Christo cum remeante Pater.
Hoc etenim in verbo Domini docet ille Magister [j]
Quo duce sidereas nitimur ire vias;
Quod quibus in Christo fuerit modo vita peracta,
Iisdem cum Christo vita perennis erit.
Cumque tuba signum Domini adventantis ab alta
Sede Patris princeps angelus ediderit,
Primi qui in Christo mortes obiere resurgent,
Dignati occursum nubibus ire Deo [k]. »
Cumque omnes in qua vixerunt carne revivent,
« Non omnes verso corpore lumen erunt [l].
Namque resurgemus, sed non mutabimur omnes: »
Hoc discrimen erit gentibus ante Deum.
Incorrupta profanorum quoque corpora surgent
A tumulis, longo pabula supplicio.
Vita erit his, sine fine mori; et mors, vivere pœnis,
Et durante suas pascere carne cruces.
Ipse suos proprio peccator corpore gignet
Carnifices, et erit vermibus esca [m] suis.
At quos cœlesti pietas evexerit actu,
Participata gerent stemmata Rege Deo;
Vestitique suum divino lumine corpus,
Conformes Christo semper agent Domino.
« Quod cum ita sit, capite ex istis solatia verbis [n], »
Et fidos veri spe recreate animos:
Et pignus [o] commune superno in lumine Celsum
Credite vivorum lacte favisque frui.
Aut illum gremio exceptum fovet Abramio [12],
Et blandus digiti rore Eleazar alit [p];
Aut cum Bethlæis infantibus in paradiso,
Quos malus Herodes perculit invidia [q],
Inter odoratum ludit nemus, atque coronas
Texit honorandis præmia martyribus.
Talibus immixtus Regem comitabitur Agnum,
Virgineis infans additus agminibus.
Celse, beatorum castæ puer incola terræ;
Celse, dolor patribus, gloria Celse patrum;
Celse, amor et desiderium, lumenque tuorum,
Celse, brevis nobis gratia, longa tibi.
Sed tamen et nobis poterit tua gratia [r] longum
Vivere, si nostri sis memor ad Dominum.
Namque in te parvi meritis ingentibus ævi
Tempore vita brevis, sed pietate potens.
Talium enim cœli regnum Deus esse profatur,
Qualis eras ævo mente fideque puer;
Qualis et ille fuit noster, tuus ille beati
Nominis, accitus tempore quo datus est,

[a] Id est *caperata*.
[b] II Cor. VIII, 9.
[c] I Cor. I, 27.
[d] Vide carm. 27, v. 468.
[e] Luc. VII, 38.
[f] Rom. XIII, 11.
[g] Vide ep. 23, n. 35.
[h] Id est *cœlum*. Vide carm. 13, v. 3.
[i] Id est *filio*. Vide carm. 18, v. 200.
[j] *Paulus* Vide ep. 30, n. 5, et v. 353.
[k] I Thess. IV, 13, 14, 15, 16.
[l] I Cor. XV, 5.
[m] Vide not. 358.
[n] I Thess. IV, 17.
[o] Vide vers. 549.
[p] Luc. XVI, 23 et 24.
[q] Matth. II, 16.
[r] Vide vers. 613, et ep. 29, n. 8.

Exoptata diu soboles, nec præstita nobis, A
Gaudere indignis posteritate pia:
Credimus æternis illum tibi, Celse, viretis [13]
Lætitiæ et vitæ ludere participem,
Quem Complutensi mandavimus urbe, propinquis
Conjunctum tumuli fœdere martyribus [a];
Ut de vicino sanctorum sanguine [b] ducat,
Quo nostras illo purget in igne animas.
Forte etenim nobis quoque peccatoribus olim,
Sanguinis hæc nostri guttula lumen erit.
Celse, juva fratrem socia pietate laborans,
Ut vestra nobis sit locus in requie.
Vivite participes, [c] æternum vivite, fratres,
Et lætos dignum par habitate locos,
687-688 Innocuisque pares meritis, peccata B parentum,
Infantes, castis vincite suffragiis [d].
Quot tibi, Celse, annis, totidem illi vita diebus
Hausta; sed ille minor, qua prior est senior.
Nam minor est, in quo vixit minus; attamen idem
Qua prior abscessit, nunc ibi te senior.
Celse, tuo cum fratre tuis (quibus addimur) adsta,
Nam tua de patrio sanguine vena sumus.
Cum patre Pneumatio, simul et cum matre Fideli
Dic et [14] Paulinum Therasiamque tuos.
Ut precibus commune tuis miserante habeamus
Præsidium Christo nos quoque, Celse, tui.
Sed tamen et nobis superest operam dare, qua te
Possimus simili simplicitate sequi.
Tum nostro socii (*a*) poterimus vivere Celso [e],
Dulcis et æternum [f] pignoris esse pares.

[a] Vide not. 339.
[b] Vide not. 340.
[c] Vide vers. 593, 630, et carm. 25, vers. 235.
[d] Vide carm. 24, vers. 293, et carm. 1 Append., vers. 74, et not. 341.
[e] Vide not. 342.
[f] Vide vers. 613.
(*a*) Ita restituimus antiquam et verissimam lectionem ex mss. codicibus Belg. et Reg. et edit. Schol. in marg. Omnes editi, *possimus*. Vide not. 342.

AD S. PAULINI POEMA ULTIMUM
PRÆFATIO.

689-690 Præclarissimum hoc S. Paulini carmen in ethnicos post XIII Natalem subsequitur in codice nostro. Multa ibi eruditio, et solitus poetæ eloquentissimi spiritus. Primum in Judæos, in gentiles deinde fertur, quorum numina, variam philosophiam, erroresque plurimos notat. Hoc opus innui certum arbitror in epist. 34 S. Augustini ad Paulinum ita scribentis: *Adversus paganos te scribere didici ex fratribus. Si quid de tuo pectore meremur, indifferenter mitte, ut legamus; nam pectus tuum tale Domini oraculum est, ut ex eo nobis tam placita et adversus loquacissimas quæstiones explicatissima dari responsa præsumamus.* Opinabatur forsan Augustinus statutum fuisse Paulino universam ethnicorum confodere superstitionem, sed hujusmodi consilium poetæ sacro non obvenerat, cui tantum placuit paganorum explicare, non refutare dementiam. Fama aliud Augustino suasit, ut mirum non sit si a Paulino loquacissimas quæstiones explicatas opperiri se dicat. Certe si Paulinus egregium aliquod opus in paganos scribendum suscepisset, Gennadius ejus scripta recensens mentionem aliquam injecisset. Superest igitur ut ab eodem sancto exiguum hac de re opus elaboratum fuisse dicamus, cujusmodi est hocce poema. Quin et elucubrati libelli tempus conjecturam nostram tueri videtur. *Olybrio et Probino coss.*, inquit Prosper in Chron. (hoc est anno Domini 395) *Augustinus B. Ambrosii discipulus multa facundia, doctrinaque excellens Hippone Regio in Africa episcopus ordinatur.* Suæ porro ordinationis tamquam nuper factæ certiorem Paulinum Augustinus facit in eadem supracitata epistola, dum ait: *Qua Ecclesiæ cura tenear, ex hoc vestra caritas oportet attendat, quod beatissimus pater Valerius nec presbyterum me esse suum passus est, nisi majorem mihi coepiscopatus sarcinam imponeret*, etc. Hæc ergo Augustini epistola aut sub finem anni 395, aut sub initium subsequentis procul dubio scripta. Ut enim Chiffletius parte 2, cap. 8, Paulin. Illustr. ostendit, contigit ordinatio Augustini post medium Decembrem ejusdem anni 395. Itaque hoc anno adversus paganos Paulinus noster scriptis pugnabat. Nolam hic se receperat cadente an. Ch. 394, ibique maturato conversionis suæ consilio præstantissimam Christianæ vitæ methodum aggressus fuerat. Hoc vero idem consilium tangit hujus poematis initio his verbis:

Discussi, fateor, sectas, Antonius, omnes,
Plurima quæsivi, per singula quæque cucurri,
Sed nihil inveni melius, quam credere Christo.

Uberius hoc sequentia evincunt.

Hæc ego cuncta prius, clarum cum lumen adeptus,
Meque diu incertum et tot tempestatibus actum
Sancta salutari suscepit Eclesia portu,
Postque vagos fluctus tranquilla in sede locavit,
Ut mihi jam liceat detersa nube malorum
Tempore promisso lucem sperare serenam.

Et infra :

> Ut modo qui nobis errorem mentis ademit,
> Hic meliore via paradisi limina pandat
> Felix. Nostra fides uni certoque dicata.

En ut secessum Nolanum, novumque vitæ institutum nuper sibi electum nobis Paulinus insinuat. Itaque quum hos versus elucubrarit eo tempore Paulinus quo totum animum Christo ejusque fidei devoverat, hoc est an. 394 aut 395, vides eosdem incidere in supra memoratum tempus quo Paulinus contra paganos scribere ab Augustino **691 - 692** etiam dicitur. Quis ille Antonius fuerit cui poema suum Paulinus inscribit, divinare nequeo. Ad primum operis conspectum pro *Antonius* legendum *Ausonius* suspicabar, quem utique arctissima familiaritate quondam complectebatur Paulinus, carminibusque non paucis etiamnum exstantibus est allocutus. Sed interruptum inter hosce duos egregios viros amoris commercium jampridem fuerat, et aliis sane verbis poeta noster usus fuisset, si ad Ausonium, suum olim præceptorem, ac pene parentem, scripsisset. Antonium vero istum Christianorum albo fuisse inscriptum non ambigo, quum David illi in exemplum adducatur.

> Et ne displiceat, quod talia carmina pando,
> David ipse chelym modulata voce rogavit,
> Quo nos exemplo pro magnis parva canemus.

Quum igitur incertum sit an Ausonius Christi religionem fuerit amplexus, atque non pauca ex illius carminibus Christianum poetam dedeceant, propterea ipsum heic innui neutiquam puto.

POEMA ULTIMUM.

693-694 Discussi, fateor, sectas, Antonius, omnes,
Plurima quæsivi, per singula quæque cucurri ;
Sed nihil inveni melius quam credere Christo.
Hæc ego disposui leni conscribere versu,
Et ne displiceat, quod talia carmina pando,
David ipse chelym modulata voce rogavit,
Quo nos exemplo pro magnis parva canemus,
Dicentes quæ sunt fugienda, sequenda, colenda,
Cum tamen in cunctis et res, et causa probetur.
Judaicum primo populum nec gratia movit
Mira Dei ; nam tum Pharaoni ereptus iniquo,
Et mare transgressus pedibus, lucente columna
Cum duce, qui mergi infestos vidit equestres,
Et cui desertis nihilum quoque defuit agris,
Manna cui e cœlo, et fons de rupe cucurrit,
Post hæc ipse Deum præstantem tanta negavit,
Dumque aliud numen dementi pectore quærit,
Ignibus incensis quod misit perdidit aurum.

A
Par quoque paganus lapides, quos sculpsit, adorat,
Et facit ipse sibi quod debeat ipse timere.
Tum simulacra colit, quæ sic ex ære figurat,
Ut, quando libitum est, mittat conflicta monetæ,
Aut magis in species convertat sæpe pudendas.
Hinc miseras mactat pecudes : mentesque deorum,
695-696 Quos putat irasci, calido in pulmone requirit
Atque hominis vitam pecoris de morte precatur.
Quid petit ignosci veniam, qui sanguine poscit?
Illud enim quale est ? quam stultum ? quamve notandum ?
Cum Deus omnipotens hominem formaverit olim, B
Audet homo formare Deum. Ne crimina desint,
Hunc etiam vendit dominus, sibi comparat emptor.
Philosophos credam quicquam rationis habere,

Versu 1. *Antonius*. Quem Paulinus hic adloquatur, quis me doceat ? Nominativum pro vocativo adhibitum ab antiquis, ostendit Vossius lib. IV, cap. 5, de Arte grammat.

Vers. 13. *Qui mergi*. Ni poetica licentia Paulinus est usus, carminis rationi aliquid deest. Fortasse pro *mergi* legendum *mersos*.

Vers. 15. *Et fons*. Hic quoque laborat aliquantulum versus. Scriberem :

> Manna cui e cœlo, cui fons ...

Vers. 21. *Ex ære figurat*. Tertullian., in Apolog. cap. 13, idem ethnicis objiciebat : *Domesticos deos, quos Lares dicitis, domestica potestate tractatis pignerando, demutando aliquando in cacabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva, ut quisque contritus atque contusus est, dum diu colitum, ut quisque dominus sanctiorem expertus est domestica necessitate. Publicos æque publico jure fœdatis, quos in hastario vectigales habetis. Si Capitolium, si olitorium forum petatur, sub eadem voce præconis, sub eadem hasta, sub eadem annotatione quæstoris divinitas addicta conducitur*. Cacabulum Tertulliano memoratum, quod vas spurcitiarum fuit, a Paulino modeste innuitur per hæc verba : C

> Aut magis in species convertat sæpe pudendas.

Vers. 24. *Mentesque deorum*. In pecudum cæsarum extis deorum mentem stulte perquirebant gentiles. Ovid. lib. V Metam. :

> Fibra quoque ægra notas veri, monitusque deorum
> Prodiderat.

Hunc eorumdem errorem Seneca et ipse ethnicus improbabat. Natur. Quæst. lib. II : *Nimis Deum otiosum, et pusillæ rei ministrum facis, si aliis somnia, aliis exta disponis*, etc. Consule J. Cæs. Buleng. de Magia, etc.

Vers. 31. *Etiam vendit*. Ad hoc spectant rursus quæ ex Tertulliano nuper attulimus. Julius Firmicus de Err. prof. relig., cap. 16 : *Vendebatur Deus, ut prodesset emtori, et emtor suppliciter adorabat quicquid paulo ante viderat subhastatum*.

Vers. 32. *Philosophos credam*. Eleganter in hanc rem scripsit S. Eucherius in Parænet. ad Valerian. Inter alia hæc habet : *Brevi tibi liquebit, quanto hæc nostra, id est pietatis veritatisque, præcepta illis philosophorum præceptis præferri debeant. In illis namque eorum præceptis vel adumbrata virtus, vel falsa sapientia, in his vero consummata justitia, solida veritas continetur. Unde licet dicere philosophiæ alios nomen usurpasse, nos vitam. Etenim qualia possunt ab his dari præcepta vivendi ? Causam nesciunt*, etc.

Qui ratione carent, quibus est sapientia vana?
Sunt Cynici canibus similes, quod nomine produnt.
Sunt et sectantes incerti dogma Platonis,
Quos quæsita diu animæ substantia turbat,
Tractantes semper, nec definire valentes;
Unde Platonis amant de anima describere librum,
Qui præter titulum nil certi continet intus.
Sunt etiam Physici naturæ nomine dicti,
Quos antiqua juvat, rudis, atque incondita vita.
Namque unus, baculum quondam et vas fictile portans,
A Utile quod solum solumque putarat habendum,
Illud ut auxilii atque hoc esset causa bibendi,
Cum stare agricolam, manibusque haurire supinis
Potandas vidisset aquas, vas fictile fregit,
Quo procul abjecto removenda superflua dixit.
697-698 Rusticus hunc docuit quod spernere posset et istud.
Hi neque vina bibunt, nec victu panis aluntur,
Nec lecto recubant, nec frigora vestibus arcent,
Ingratique Deo, quod præstitit ille, recusant.
Quid dicam diversa sacra? Et dis, atque deabus

Vers. 34. *Sunt Cynici*. Vulgo κυνικοὶ dicebantur hi philosophi, hoc est *canini*, ἀπὸ τοῦ κυνὸς, *a cane*. Diogenes Laert. in Antisthenis Vita hæc ait: Κατῆρξε πρῶτος τοῦ κυνισμοῦ, *Cynicam primus sectam instituit*, et in ea princeps fuit. Hinc de illo Ausonius canit:

Inventor primus Cynices ego. Quæ ratio isthæc?
Alcides multo dicitur esse prior.
Alcida quondam fueram doctore secundus,
Nunc ego sum Cynices primus, et ille Deus.

Idem vero Laertius in Prœm. Cynicos ab ignominia sic appellatos asserit: Καὶ ἀπὸ σκωμμάτων, ὡς οἱ κυνικοί. Suetonius in Vespas.: *Demetrium Cynicum in itinere obvium sibi post damnationem, ac neque assurgere, neque salutare se dignantem, oblatrantem etiam nescio quid, satis habuit canem appellare*. Eleganter quoque Augustinus de Civ. Dei l. XIV, cap. 20: *Hoc illi canini philosophi, hoc est cynici, non viderunt, proferentes contra humanam verecundiam, quid aliud quam caninam, hoc est immundam sententiam.*

Vers. 35. *Sectantes incerti*. Plato Socrati adhæsit, atque idcirco inter Socraticos refertur a Laertio in Prolegom. Quia vero τὴν ἀρχαίαν Ἀκαδημίαν συστησάμενος, *veterem Academiam instituit, sectæ novæ* fundamenta jecit. Hinc Platonicorum secta. Proprie tamen ii vocabantur Academici. Laertius in Platonis Vita: Ἐτάφη ἐν τῇ Ἀκαδημίᾳ, ἔνθα τὸν πλεῖστον χρόνον διετέλεσε φιλοσοφῶν, ὅθεν καὶ Ἀκαδημαϊκὴ προσηγορεύθη ἡ παρ' αὐτοῦ αἵρεσις. *Sepultus est in Academia, ubi plurimum temporis philosophatus fuerat, unde et quæ ab eo fluxit secta Academica est appellata*. August. de Civ. Dei, cap. 12 lib. VIII: *Cum Speusippus sororis Platonis filius, et Xenocrates in scholam ejus, quæ Academia vocabatur, eidem successissent, ob hoc et ipsi, et eorum successores Academici appellabantur. Recentiores tamen philosophi nobilissimi, quibus Plato sectandus placuit, noluerunt se dici Peripateticos, aut Academicos, sed Platonicos.*

Vers. 35. *Incerti dogma*. Prudentius in Apotheosi:

Consule barbati deliramenta Platonis,
Consule et hircosos cynicos, quos somniat, et quos
Texit Aristoteles torta vertigine nervos.

Vers. 36. *Diu animæ*. Versus aliquantum laborat. Scriberem:

Quos animæ quæsita diu substantia turbat.

Vers. 39. *Qui præter titulum*. Egregius utique, celeberrimusque Platonis est liber, ubi *de animæ immortalitate* quæstionem habet. Sed si cum Christianorum assertis, certissimisque nostræ fidei documentis componatur, *nil certi continet intus*. Homini ethnico, et longe a vera religione posito magnum fuit sapientiæ portentum, non irridendam omnino de ejusdem animæ perennitate proferre sententiam, in quæ tamen quot errores erraverit non est meum hic investigare, sed monere tantummodo ibi in incertum pleraque ferri. Theodoretus scriptor eruditissimus, serm. 5 contra Græcos, hanc Platonis sententiam acutissime examinat, ac nutantem sæpissime deprehendit. Addit porro: Καὶ ὁ μὲν σοφώτατος Πλάτων περὶ τῆς ἀθανασίας τῆς ψυχῆς παμπόλλους λόγους διεξελθὼν οὐδ' Ἀριστοτέλη τὸν φοιτητὴν ἔπεισε τόνδε στέρξαι τὸν ὅρον. Ita vertit Acciaiolus: *Ac Plato quidem sapientissimus, qui complures sermones de immortalitate ani-* B *mæ disseruit, ne Aristoteli quidem auditori suo persuasit eam positionem.*

Vers. 40. *Sunt etiam Physici*. Φύσις Græce Latine dicitur *natura*. Hinc Physici, seu naturales philosophi. Laertius in Prœm.: Καὶ οἱ μὲν ἀπὸ τῆς περὶ φύσιν πραγματείας φυσικοὶ προσηγορεύθησαν. *Et alii, quod de natura rerum scripsere, physici sunt appellati.*

Vers. 42. *Namque unus baculum*. Laertius in Vita Diogenis: Θεασάμενός ποτε παιδίον ταῖς χερσὶ πῖνον, ἐξέῤῥιψε τῆς πήρας τὴν κοτύλην. *Intuitus Diogenes aliquando puerum cava bibentem manu, cotylum pera productum abjecit*. Hoc Diogeni universa scriptorum cohors adjudicat, ac Seneca potissimum ep. 90, et S. Hieronym. advers. Jovinian. lib. II, qui Paulino concordes, non puerum, ut Laertius habet, sed rusticum Diogeni magistrum fuisse consentiunt. Quum vero Antisthenis Cynicorum antesignani auditor iste fuerit, ac cynicam philosophiam sectatus Cynici supra omnes cognomentum meruerit, utique miror C cur Paulinus Cynicos a Physicis aperte distinguens cuidam postea e Physicis hoc Diogenis factum adscribat. Neque reponatur veteres tripartitam coluisse philosophiam, ac propterea physicam, quæ pars e tribus erat, Cynicis etiam competere; siquidem Cynici hanc philosophiæ partem aversabantur, ac uni ethicæ operam dabant. Sunt Laertii verba in Menedemo: Ἀρέσκει οὖν αὐτοῖς (κυνικοῖς) τὸν λογικὸν, καὶ τὸν φυσικὸν τόπον περιαιρεῖν, μόνῳ δὲ προσέχειν τῷ ἠθικῷ. *Placet ergo illis* (Cynicis) *logicam, ac naturalem philosophiam tollere, ac uni ethicæ animum intendere.* Quæ vero Paulinus addit, omnino Cynicis, non Physicis conveniunt.

Vers. 49. *Hi neque vina bibunt*. Expresse de Cynicis id Laertius tradidit in Menedemi Cynici Vita: Ἔνιοί τε γοῦν καὶ βοτάνοις, καὶ παντάπασιν ὕδασι χρῶνται. *Plerique etiam herbis, et aqua frigida utuntur*. Et de Diogene in ejus Vita sic ait: Ἐν οἴκῳ τε, ἐδίδασκε διακονεῖσθαι λιτῇ τροφῇ χρωμένους, καὶ ὕδωρ πίνοντας. *Domi etiam ministrare docebat cibo levi, ac vili con-* D *tentos, et aqua.*

Vers. 50. *Nec lecto recubant*. Celebre Diogenis Cynici dolium etiamnum habetur, in quo philosophus ille noctu didique recubabat. Hunc alii Cynici imitati. Chresolius in Mystagog. lib. IV, cap. 20, sect. 3, de his ait: *Inanissimæ gloriæ causa Cynici dormiebant in herbaceis toris, aut nuda humo, ut ea vitæ duritate, et fucata patientia omnium in se oculos converterent.* Pallio itaque substrato incubare etiam isti solebant, quod innuit Martial. lib. IV, epigr. 52, de Cynico agens:

Quem nudi tegit uxor abolla grabati.

Abolla autem pallium erat.

Vers. 50. *Nec frigora*. Iis vestibus caruere Cynici, quæ frigori arcendo inserviunt; tunica enim destituti solo utebantur pallio. S. Cyprianus in his *exerti*, *ac seminudi pectoris inverecundam jactantiam* arguit. Vide August. lib. XIV de Civ. Dei, cap. 20.

Vers. 51. *Ingratique Deo*. Recte Seneca lib. de

Condita templa loquar ? Quæ sint Capitolia [primum A
His deus, uxorque dei, ipsamque sororem
Esse volunt, quam Vergilius notat auctor eorum
Dicendo: Et soror, et conjux. Plus de Jove fertur,
Et natam stuprasse suam, fratrique dedisse ;
Utque alias caperet, propriam variasse figuram ;
Nunc serpens, nunc taurus erat, nunc cignus, [et arbos.
Seque immutando, qualis fuit, indicat ipse ;
Plus aliena sibi quam propria forma placebat.
Turpius his aquilam finxit, puerique nefandos
Venit in amplexus. Quid dicit turba colentum ?
Aut neget esse Jovem, aut fateatur dedecus [istud.
699-700 Nomen habet certe, quod nec ratione [probetur.
Sacra Jovi faciunt, et Jupiter Optime dicunt,

Brev. vitæ, cap. 14, Cynicos ait *naturam hominis excedere*. Tot corporis ab his philosophis quæsita incommoda superbiæ potius quam veræ sapientiæ miracula fuere. Diogenes fastum Platonis se aliquando calcare profitebatur ; cui Plato : *At fastu alio*. Tatianus Assyrius in elegantissima oratione advers. Græc. super his consulatur.

Vers. 53. *Quæ sint Capitolia*. Mutila hic, et absque B interpunctione (qua totus codex ms. caret) non facile enucleanda oratio occurrit. Adderem tamen binum *est*, ac ita distinguerem :

Quæ sint Capitolia ? Primum
His deus est, uxorque dei est, ipsamque sororem
Esse volunt.

Vers. 54. *Ipsamque sororem*. Vergilius hic a Paulino memoratus Æneid. lib. I sic Junonem de se loquentem inducit :

Ast ego quæ divum incedo regina, Jovisque
Et soror et conjux.

Greg. Nazianz. orat. 1 in Julian. : Ἥρα τοῦ μεγάλου Διὸς ἀδελφή, καὶ ὁμόζυγος. *Juno magni Jovis soror et conjux*. Hanc ethnicis impudentiam exprobrat August. lib. IV, cap. 10, de Civ. Dei. Minutius quoque : *Deos colitis incestos cum matre, cum filia, cum sorore conjunctos*.

Vers. 55. *Vergilius*. Ita codex. Politian. Miscell. ep. 2, cap. 77, et lib. V, ep. 3, apertis testimoniis C evincit, *Vergilium*, non *Virgilium* esse scribendum. Ita marmora plura, ita vetustissimi libri ferunt. Cæl. Rhodig. lib. VII Antiq. lect., cap. 4, Manut. in Orthogr. aliis exemplis prolatis contrariam tuentur sententiam. Horum rationes apud Dausquium in Orthogr. recolendæ, apud quem *Virgilius* rectius sonat.

Vers. 57. *Natam stuprasse*. Non hic aliam intelligi quam Proserpinam Jovis e Cerere filiam, fatebuntur omnes, quum ista Plutonis deinde fuerit mancipata conjugio. Verum quis illam a Jove stupratam affirmavit ? Eusebius Cæsar., lib. II de Præp. Evang., hæc habet : Κυεῖ μὲν ἡ Δημήτηρ, ἀνατρέφεται δὲ ἡ κόρη. μίγνυται δ' αὖθις ὁ γεννήσας οὑτοσὶ Ζεὺς τῇ Φερεφάττῃ τῇ ἰδίᾳ θυγατρί, μετὰ τὴν μητέρα Δηώ, ἐκλαθόμενος τοῦ προτέρου μύσους, καὶ μίγνυται δράκων γενόμενος. Hoc est : *Ceres peperit, educatur filia; huic Proserpinæ filiæ a se genitæ rursus Jupiter post matrem Cererem immiscetur, prioris oblitus sceleris, ac draconis forma suscepta illam comprimit*. Hæc autem iisdem pene verbis Eusebius e Clemente Alexandr. in Monit. ad Gent. hausit, cui Arnobium advers. Gent. lib. V fuse rem hanc tractantem addere potes. Hinc lucem accipiet Ovidii locus VI Metamor. Inquit is Jovis adulteria recensens :

Aureus ut Danaen, Asopida luserit ignis,
Mnemosynen pastor, variusque Deoida serpens.

Deois hic Proserpina est, Cereris ex Jove filia ; Græce enim Δηὼ ἀπὸ τοῦ δήω, hoc est *invenio*, dicitur Ceres, et inde patronymicum nomen Deoidis Proserpinæ communicatum. Orpheus (seu quis alius sit auctor) ex hoc nefando concubitu Liberum genitum ait, cui adstipulatur Diodor. Sic. lib. III Bibl. Hist.

Vers. 59. *Nunc serpens*. *Serpentis* figuram induit Jupiter, quum Proserpinæ, ut nuper vidimus, se miscuit ; *Tauri*, quum Europam asportavit ; *Cycni*, quum Ledam fefellit ; ac denique *arboris* (nisi forte *aurum* pro *arbos* hic legendum sit) quum in aliam quamdam feminam nefandus adulter procubuit. Hæc et alia Ovidius exprimit lib. VI Metam. :

Fecit olorinis Ledam recubare sub alis ;
Addidit ut Satyri celatus imagine pulcra
Jupiter implerit gemino Nycteida fœtu ;
Amphitryon fuerit, cum te, Tirynthia, cepit ;
Aureus ut Danaen ; Asopida luserit ignis ;
Mnemosynen pastor ; variusque Deoida serpens. B

Venuste etiam Græcus quidam duobus hisce carminibus lusit :

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς δι' ἔρωτα
Λήδης, Εὐρώπης, Ἀντιόπης, Δανάης.

Fit Jupiter cycnus, taurus, satyrus, aurum propter amorem Ledæ, Europæ, Antiopes, Danaes. Hanc Jovis procaciam ridet Nazianzen. in orat. 1 advers. Julian. : Τὰ πάντα γίνεται δι' ἀσέλγειαν καὶ ἀκαθαρσίαν ὁ Ζεύς, etc. *Quidvis efficitur Jupiter ob impuritatem ac libidinem*. Plura pete ex Arnobio, Lactantio, Clemente, aliisque vetustissimis Patribus.

Vers. 62. *Turpius his aquilam*. Per aquilam Ganymedem rapuit Jupiter. De hoc Vergil. lib. III Æneid. :

Quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.

Quidam tamen ipsum Jovem in aquilam conversum hujus rapinæ auctorem faciunt. Est Græcum carmen :

Αἰετὸς ὁ Ζεὺς ἦλθεν ἐπ' ἀντίθεον Γανυμήδην.

Jupiter aquila factus volavit ad pulcrum Ganymedem. Ovidius quoque lib. X Metam. :

Rex superum Phrygii quondam Ganymedis amore
Arsit, et inventum est aliquid quod Jupiter esse
Quam quod erat mallet. Nullo tamen alite verti
Dignatur, nisi quæ portat sua fulmina terræ.

Est hæc Paulini nostri mens isto in loco.

Vers. 64. *Aut neget esse Jovem*. S. Justinus martyr in Apolog. prima, quæ hactenus habita secunda, sic loquitur : Ἀπείη δὲ σωφρονούσης ψυχῆς ἔννοια τοιαύτη περὶ θεῶν, ὡς καὶ αὐτὸν τὸν ἡγεμόνα καὶ γεννήτορα πάντων κατ' αὐτοὺς Δία, πατροφόντην, καὶ πατρὸς τοιούτου γεγονέναι, ἔρωτί τε κακῶν καὶ αἰσχρῶν ἡδονῶν ἥττω γενόμενον, ἐπὶ Γανυμήδην. καὶ τὰς πολλὰς μοιχευθείσας γυναῖκας ἐλθεῖν. *Absit enim a casta mente hæc de diis cogitatio, videlicet ipsum eorum ducem, et patrem omnium secundum eos Jovem, parricidam, et patre tali* D *genitum, et præ amoris impotentia a pravis, fœdisque voluptatibus victum, ad Ganymedem, compluresque alias adulteriis imminutas feminas venisse*. Lactantius Ganymedis raptu memorato subdit : *Hæc qui fecit, viderimus an maximus, certe optimus non est*. Plura in hanc rem Aug. lib. VII, cap. 9, de Civ. Dei, et Arnob. lib. III advers. Gent.

Vers. 65. *Nomen habet certe*. Quum tot sint Jovis flagitia, utpote qui stupris familias exagitet, et sæpe Jovem ethnici sine causa inimicum habeant, nomen Jovis huic deo nequaquam competere ait, sive, ut opinatur Lactantius Div. Inst. lib. I, cap. 11 : *Jovem Junonemque a juvando esse dictos Cicero interpretatur, et Jupiter quasi juvans pater dicitur : quod nomen in Deum minime congruit, quia juvare hominis est opis aliquid conferentis in eum qui sit alienus et exigui beneficii*. Tum demonstrare pergit quam parum summo Deo conveniat vocabulum istud.

Vers. 66. *Et Jupiter Optime*. Plinius in Paneg.,

Huncque rogant, et Jane Pater primo ordine A ponunt.
Rex fuit hic Janus, proprio qui nomine fecit
Janiculum, prudens homo; qui cum multa futura
Posset respicere, hunc duplici pinxere figura,
Et Janum geminum veteres dixere Latini.
Hic quia navigio Ausonias advenit ad oras,
Nummus huic primum tali est excusus honore,
Ut pars una caput, pars scalperet altera navem.
Cujus nunc memores quæcumque nomismata signant,
Ex veteri facto capita hæc, et navia dicunt.

Parens, ait, *hominum deorumque Optimi prius, deinde Maximi nomine colitur.* Erat cognomen hoc præcipuum Jovis, illudque ap:.d veteres scriptores sæpissime occurrit. Nostram ad rem facit Lactant. lib. I Inst. Div., cap. 10, ubi inquit: *Quid horum omnium pater Jupiter, qui in solemni precatione Optimus et Maximus nominatur?* Et infra: *Hæc qui fecit, viderimus an maximus, certe optimus non est.* Arnobius quoque lib. I adversus Gent.: *Cum a vobis et Jupiter Optimus, et Maximus habeatur.*

B Vers. 67. *Jane pater.* Veteres, ut docet Brissonius de Formul. lib. I, a Jano precationes auspicabantur. Martial. lib. X, epigr. 28, de hoc numine agens:

> Annorum, nitidique sator pulcherrime mundi
> Publica quem primum vota precesque canunt.

Aur. Victor. in Brev. Hist. Rom.: *In sacris omnibus primum locum Jano detulerunt usque eo ut etiam cum aliis diis sacrificium fit, dato thure in altaria, Janus prior nominetur, cognomento quoque addito Pater.* Paulus Festi abbreviator in verbo CHAOS: *Unde Janus detracta aspiratione nominatur, ideo quod fuerit omnium primus, cui primo supplicabatur.* Arnob., lib. III, de ipso agens: *Atque ita per vos Dei nomen creditur, quem in cunctis anteponitis precibus.* Hinc Ovid. lib. X Fast.:

> Cur quamvis aliorum numina placem,
> Jane, tibi primum thura merumque fero?

Consulantur Macrob. lib. I Saturn., cap. 9; Horat. ep. 16, lib. I; Servius in VII Æneid., etc.

Vers. 69. *Janiculum.* Cyprian. lib. de Idol. vanit. de Saturno agens: *Hunc fugatum*, ait, *hospitio Janus excepit, de cujus nomine Janiculum dictum est.* Solin. Polyhist. cap. 2, Arnob. lib. I, et August. lib. VII de Civ. Dei, cap. 4, idem asserunt. Sed et Vergil. lib. VIII:

> Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem,
> Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Minutius: *Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium, et urbem Saturniam de suo nomine, et Janiculum Janus ad memoriam uterque posteritati reliquerunt.* Miror Dionysium Halicarnass., tam accuratum alioqui Romanarum antiquitatum scriptorem, scriptis prodidisse a Romulo Æneæ filio, Ascaniique et Remi fratre, conditam, Αἰνείαν πόλιν ἀπὸ τοῦ πατρὸς, τὴν ὕστερον κληθεῖσαν Ἰάνικλον, hoc est: *Urbem Æneam a patre denominatam, quæ postea Janiculum appellata fuit.*

Vers. 69. *Qui cum multa futura.* Est et hæc aliorum opinio asserentium ideo bifrontem Janum fingi, quia præterita respexerit, ac futura præviderit. Ovidius tamen lib. I Fast., Macrob. lib. I Saturn., August. lib. VII de Civ. Dei, cap. 8, aliique, diversas excogitarunt rationes, quas recolere volenti ad manum erunt eorum volumina. Macrobius vero, lib. nuper laudato, et potissimum cap. 7, Paulino adstipulatur.

Vers. 71. *Janum geminum.* Numa omnium primus Janum Geminum dedicavit. Velleius, lib. II, ita illum vocat: *Certæ pacis argumentum Janus Geminus clausus dedit.* Plin. lib. XXXIV, cap. 7: *Præterea Janus Geminus a Numa rege dicatus.* Idem, cap. 2, lib. XXXIII: *Nota æris fuit ex altera parte Janus Geminus, ex altero rostrum navis.* Ad hoc respiciunt sequentes Paulini versus. Vide quoque Varronem lib. IV de Ling. Latina, Sueton. in Neron. cap. 14, et Macrob. cap. 9, lib. I Saturn.

Vers. 73. *Nummus huic.* Plutarchus in Quæst. Rom. hac de re scribit: Διατί τὸ παλαιὸν νόμισμα τῇ μὲν εἶχεν Ἰάνου διπρόσωπον εἰκόνα, τῇ δὲ πλοίου πρύμναν, ἢ πρῶραν ἐγκεχαραγμένην; πότερον (ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν) ἐπὶ τιμῇ Κρόνου πλοίῳ διαπεράσαντος εἰς Ἰταλίαν. *Cur antiquum nomisma ab una parte Jani bifrontis imaginem, ab altera navis aut proram, aut puppim insculptam habet? An, quæ vulgata opinio est, in honorem hoc fit Saturni navigio in Italiam advecti?* Ipse quidem Plutarchus hanc rationem haud omnino probandam ait; sed huic acquievere probatissimi autores. Ovid., Fast. lib. I, cum Jano colloquens ita canit:

> Sed cur navalis in ære
> Altera signata est, altera forma biceps?

Janus respondet:

> Causa ratis superest. Tuscum rate venit in amnem,
> Ante pererrato falci er orbe Deus.
> At bona posteritas puppem formavit in ære,
> Hospitis adventum testificata Dei.

Verum enim vero ab aliis dissidere videtur Paulinus, quum ipsi Jano adventum in Italiam tribuit, quod alii ad Saturnum referunt. Athenæus, Deipnos. lib. XV, non Italiæ solum, sed et Græciæ in usu fuisse asserit hujusmodi nummos; ait enim, Τὰς κατὰ τὴν Ἑλλάδα πολλὰς πόλεις, καὶ τὰς κατὰ τὴν Ἰταλίαν, Σικελίαν, ἐπὶ τοῦ νομίσματος ἐγχαράττειν πρόσωπον δικέφαλον, καὶ ἐκ θατέρου μέρους ἢ σχεδίαν, ἢ στέφανον, ἢ πλοῖον. *Civitates in Græcia multas, in Italia, Siciliaque monetam cudere impressam bicipiti facie, et ex altera parte vel rate, vel corona, vel navigio.* Similes nummi visuntur C etiamnum apud antiquitatis amatores, et præsertim apud clariss. virum S. R. I. Com. Franciscum Mediobarbum Biragum, qui amplissimum in re nummaria thesaurum possidebat, prœteritisque annis laudatissimum emisit opus de Numism. imper., quo Occonem mirabiliter auxit. Sed, heu infortunium nostrum! Ereptus e vivis est hoc anno vir iste doctissimus, magnumque sui desiderium viris eruditis reliquit.

Vers. 75. *Nomismata. Numisma* et *nomisma* dicitur. Primum apud Horatium occurrit lib. II, ep. 1, et Martial. lib. I, epigr. 40. Alterum in antiquis glossis, et apud autores præstantissimos. Certe melius Græcæ orthographiæ accommodatur, quæ νόμισμα habet.

Vers. 76. *Capita hæc et navia.* Est ludus apud Italos puerulos, quem vocant *giocare a testa o arma*, aut *a testa o croce*, et apud Gallos *jouer à croix ou pile.* Ille ipse est qui apud antiquos. Accipe autoritatem. Aur. Victor (seu quis alius autor ille sit) in lib. de D Orig. gent. Rom.: *Istum etiam*, inquit, *usum signandi æris, ac monetæ in formam incutiendæ, Janus ostendisse traditur, in qua ab una parte caput ejus imprimeretur, altera navis, qua vectus illo erat.* En ut autor iste in Jani adventu Paulino concordat. Subdit: *Unde aleatores, posito nummo opertoque, optionem conlusoribus ponunt enuntiandi quid putent subesse, caput, aut navem: quod nunc vulgo corrumpentes naviandi dicunt.* Tu vocem hanc *naviandi* corrige, et *navia* repone. His consonat Macrobius, lib. I, cap. 7, Saturn.: *Cum primus Janus æra signaret, servavit et in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat adductus, ex una quidem parte sui capitis effigies, ex altera vero navis exprimeretur. Æs ita fuisse signatum hodieque intelligitur in aleæ lusu, cum pueri denarios in sublime jactantes, capita, aut naviam, lusu teste vetustatis, exclamant.* Andreas Schottus hic integre legi *naviam*, non *navim*, ex 4 ms. Pithœorum ait; sed mihi potius *navia* aut *navium* legere placeret, id ver-

De Jove quid sperant, qui est a rege secundus, A
Quique sacrificiis apponitur ore precantum?
Hic habet et matrem captam pastoris amore,
Nam prior est pastor, quam Jupiter, aut Jovis ipse;
Sed melius pastor castum servare pudorem
Qui voluit, sprevitque deam, cui sæva viriles
Abscidit partes, ne quando tangeret ille
Alterius thalamum, qui noluit ejus adire.
Hoc tamen hoc egit sententia justa deorum,
Ne fieret conjux, qui non est factus adulter?
Nunc quoque semiviri mysteria turpia plangunt,
Nec desunt homines, quos hæc contagia vertant,
Intus et arcanum quiddam quasi majus adorant,
Idque vocant sanctum, quo si velit ire pudicus,
Iste profanus erit. Sic artior ipse sacerdos
Femineos vitat coitus, patiturque viriles.
O mens cæca virum! De sacris semper eorum
Scena movet risus, nec ab hoc errore recedunt.
703-704 Saturnum perhibent Jovis esse patrem, huncque vorasse
Natos ante suos, et mox e ventre nefandas
Evomuisse dapes, sed postea conjugis arte
Pro Jove suppositum mersisse in viscera saxum;
Quod nisi fecisset, consumptus Jupiter esset.
Huncque Chronon dicunt, ficteque Chronon, quia tempus

sus Pauliniani metro inconcusse docente. Certe Jo. Isac. Pontanus in edit. Macrob. anni 1597 *navia* legit.

Vers. 77. *A rege secundus.* Ante Jovem filium Saturnus regnavit. Expulsus dein filio reliquit regni aut cœlestis, aut terreni habenas. Lactant. lib. I, cap. 11 Div. Inst.: *Video alium deum regem fuisse primis temporibus, alium consequentibus. Potest ergo fieri ut alius sit postea futurus. Atqui divinum imperium, aut semper immutabile est; aut si est mutabile, quod fieri non potest, semper utique mutabile est.* Hinc Saturnia regna, ac ætas aurea Saturni imperio adscribitur.

Vers. 78. *Quique sacrificiis.* Quod superius innuerat repetit, nempe ethnicorum precationes votaque a Jani invocatione inchoari, deinde ad Jovem verti, quod sane numinum maximum, omniumque rectorem numquam decebat.

Vers. 79. *Hic habet et matrem.* Atym pastorem deperiit Rhea, seu Cybele Jovis genitrix. Ille impudicæ nolens auscultare deæ, est eviratus. De hoc Ovid. lib. IV Fast.:

Phryx puer in sylvis facie spectabilis altis
Turrigeram casto junxit amore deam.

Hoc deæ facinus ethnicis exprobrat Minutius in Octav.: *Cybeles Dyndima pudet dicere, quæ adulterum suum infeliciter placitum, quoniam et ipsa deformis, et vetula, ut multorum deorum mater, ad stuprum illicere non poterat, exsecuit, ut deum scilicet faceret eunuchum.* Augustin. lib. VI, cap. 7, de Civ. Dei: *Sacra sunt Matris deum, ubi Atys pulcher adolescens ab ea dilectus, et muliebri zelo abscissus, etiam hominum abscissorum, quos Gallos vocant, infelicitate deploratur.*

Vers. 80. *Nam prior est pastor.* Tantis ambagibus ac discordiis gentilium theologia constat, ut se per illam extricare nemo facile possit. Euseb. Cæs. lib. II, cap. 4, de Præp., ubi de Phrygum Theologia disserit, Cybelem ante deorum connubia Atydis amore correptam ait. Verum quot capita, tot sententiæ.

Vers. 80. *Aut Jovis ipse. Jovis* in recto casu recte dicitur. Prisciano testante, apud veteres *Jovis* solum dicebatur a *Juvando*, adjectoque altero vocabulo dictus est *Jupiter*, quasi *Jovis pater*, seu, ut melius arbitratur Lactantius, *Juvans pater* Jovis in recto casu effertur apud Hyginum in lib. Fabul., Nonnium Marcellum aliosque, quos consulere potes. Quidam severissimus censor Gallus N. A. libros quatuor *de Symbolo ad catechum.* Augustino abjudicat, quippe quod illi stylus ab Augustiniano, imo a grammaticorum dogmatis abhorrere videtur. Inter exempla hoc profert: *Illic fingitur, quod idem Jovis Junonem habeat sororem, et conjugem*, et nomen *Jovis* in nominandi casu usurpatum sugillat. Verum decipitur, quum hujusce nominis usus apud gravissimos autores obvius fiat, ac propterea Augustinum non dedeceat. Nos istis contenti ad alia pergimus.

Vers. 81. *Sed melius.* Magis ne placeret: *sed melior?*

Vers. 87. *Semiviri.* Hi sunt Galli Matris deum sacerdotes, quibus virilia in Atydis evirati memoriam B amputabantur. Lactant. lib. I, cap. 17: *Deum Mater, et amavit formosum adolescentem, et eumdem cum pellice deprehensum exsectis virilibus semivirum reddidit. Et ideo nunc sacra ejus a Gallis sacerdotibus celebrantur.* Minutius Cybeles impuritate detecta subdit: *Propter hanc fabulam Galli eam et semiviri sui corporis supplicio colunt. Hæc jam non sunt sacra, tormenta sunt.* Vide Juvenal. sat. 2, ipsumque Paulinum Nat. XI.

Vers. 88. *Nec desunt homines.* Totus est Augustinus lib. VI de Civ. Dei, et alibi, in confutanda hac ethnicorum vanitate ac subterfugio. Hi fabulas aniles internis scatere mysteriis, ibique philologicas veritates latere suo ævo objiciebant; sed suismet illi rationibus confundebantur: *Deinde*, ait cap. 8 S. doctor, *si ista sacra, quæ scenicis turpitudinibus convincuntur esse fœdiora, hinc excusantur atque purgantur, quod habent interpretationes suas, cur non etiam poetica similiter excusantur atque purgantur?* etc. Greg. Nazianz. in orat. 1 advers. Julian., enumeratis quibus- C dam gentilium superstitionibus, hæc subdit: Ταῦτα ἐπεισκυκλείσθω τοῖς θαυμαστοῖς τῆς θεολογίας ἀκροαταῖς εἶτ' ἐπινοείσθω τούτοις ἀλληγορήματα, καὶ τερατεύματα, καὶ τῶν προκειμένων ἐκπίπτων ὁ λόγος εἰς βάραθρα χωρείτω. καὶ κρημνοὺς θεωρίας οὐκ ἐχούσης τὸ στάσιμον. *Hæc eximiis et admirandis divinitatis auditoribus inculcentur; posteaque his allegoriæ, ac portentosæ interpretationes excogitentur, atque a propositis rebus aberrans oratio in barathra feratur, et præcipitia contemplationis nihil solidum habentis.*

Vers. 92. *Patiturque viriles.* Deesse versum hic suspicor, sensus enim in ancipiti manet. Certe vox *abscindi* penitus hic necessaria, ut sit sensus: *patiturque viriles abscindi partes.*

Vers. 94. *Scena movet risus.* Jul. Firmicus, de Error. profan. relig. cap. 13, hæc luculenter habet: *O facinorosæ cupiditatis triste solatium! O hominum deflenda persuasio! Scenam de cœlo fecistis, et errantes animos per abrupta præcipitia crudeli calamitate duxistis.* Et infra: *Ad theatrum potius templa transferte, ut in scenis* D *religionum istarum secreta tradantur; et ut nihil prætermittat impietas, histriones facite sacerdotes.* Mitto Augustinum. ep. 5 ad Marcellin., et lib. VII, cap. 26, de Civ. Dei, et Tertullian. in Apolog. cap. 15.

Vers. 95. *Saturnum.* Rem fuse narrat Hesiodus in Theogonia, Natal. Com. in Mythologia lib. II, et reliqui ethnicæ theologiæ eruditionem scriptis prosecuti.

Vers. 100. *Huncque Chronon.* Scribendum fuerat *Cronon;* Græce enim Saturnus est κρόνος. At quia tempus significare dicitur, χρόνος quoque appellatur. De hoc Macrob. lib. I Saturn., cap. 22, Dionys. Halicarn. lib. I Antiq., Cic. de Nat. deor. lib. II, aliique agunt. Arnobius tamen hanc denominationem minime probat lib. III advers. Gent.: *Nam si Tempus*, ait, *significatur hoc nomine, Græcorum ut interpretes autumant, ut quod Chronos est habeatur Cronos, nullum est Saturnium nomen. Quis enim est tam demens qui Tempus esse dicat Deum?* etc.

Quæ creat absumit, rursusque absumpta pro- [mittit. A
Cur tamen oblique nomen pro tempore fingunt?
Hunc etiam, quod sæpe sibi de prole timebat,
Ab Jove dejectum cœlo latuisse per agros
Italiæ, Latiumque ideo tunc esse vocatum.
Magnus uterque deus! Terris est abditus alter,
Alter non potuit terrarum scire latebras.
Hinc Latiare malum prisci statuere Quirites,
Ut mactatus homo nomen satiaret inane.
Quæ nox est animi? quæ sunt improvida corda?
Quod colitur nihil est, et sacra cruenta geruntur.
Quid quod et Invictum spelæa sub atra recon- [dunt,
705-706 Quæque tegunt tenebris, audent [hunc dicere Solem?
Quis colat occulte lucem, sidusque supernum,
Celet in infernis nisi rerum causa malarum?
Quid quod et Isiacum sistrumque, caputque ca- [ninum
Non magis abscondunt, sed per loca publica [ponunt?
Nescio quid certe quærunt, gaudentque repertum,
Rursus et amittunt, quod rursus quærere possint.

Vers 101. *Quæ creat absumit*. Latinum reddidit eleganter Orphei, seu Onomacriti versum de Saturno, in ejus Hymno :

Ὃς δαπανᾷς μὲν ἅπαντα, καὶ αὔξεις ἔμπαλιν αὐτός.
Omnia qui profers, consumis et omnia rursus. B

Pro voce *promittit* legerem *remittit*.

Vers. 105. *Latiumque ideo*. Vergil., Æneid. lib. VIII, de Saturno agens :

Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Vers. 108. *Latiare malum*. Crudelissimum hoc erat ethnicismi piaculum. Jovi, quem Latiarem appellabant, humana immolabatur hostia. Tertull. in Apolog. cap. 9 rem prodit : *Ecce in illa religiosissima Urbe Æneadarum piorum est Jupiter quidam, quem ludis suis humano proluunt sanguine*. Locum illustrat egregie la Cerda. Minutius : *Hodieque a Romanis Latiaris Jupiter homicidio colitur; et quod Saturni filio dignum est, mali et noxii hominis sanguine saginatur;* et alibi : *Cum Latiaris cruore perfunditur*. Porphyrius lib. II. Περὶ ἀποχ. ἐμψ. Ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν τις ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τῇ τοῦ Λατιαρίου Διὸς ἑορτῇ σφαζόμενον ἄνθρωπον. *Quin et nostro ævo quis nescit, in magna Urbe Jovis Latiaris festo immolari hominem?* Prudent. lib. I in Symmachum : C

Funditur humanus Latiari in munere sanguis.

S. Athanas. in orat. contra Gent. : Καὶ οἱ πάλαι δὲ Ῥωμαῖοι τὸν καλούμενον Λατίαριον Δία ἀνθρωποθυσίαις ἐθρήσκευον. *Prisci quoque Latini Jovem Latiarem victimis humanis sunt venerati*. Tatianus contra Græcos : Εὑρὼν δὲ μὲν Ῥωμαίοις τὸν Λατιάριον Δία λύθροις ἀνθρώπων, καὶ τοῖς ἀπὸ τῶν ἀνδροκτασιῶν αἵμασι τερπόμενον. *Item apud Romanos Latiarem Jovem humano cruore et sanguine per homicidia fuso placari*. Dionys. Halic. lib. IV Antiq. Rom. sacra hæc Jovi Latiari facta commemorat, neque tamen victimæ hujus meminit. Hinc disce rectius *Jovem Latiarem*, quam *Latialem* dici, quod quidam negant.

Vers. 112. *Et Invictum*. A Persis omnium maxime Solis cultus usurpabatur. Hunc *Mithram* vocabant, additumque illi *Invicti* cognomen. Plura apud Gruterum, pag. 33 et seq., et apud Reinesium, marmora occurrunt *Deo Invicto*, *Deo Invicto Mithræ*, SOLI MITHRÆ, SOLI INVICTO et SOLI INVICTO MITHRÆ posita. Jul. Firmicus, de Err. prof. relig. cap. 5, Jovem in duas dividi potestates, quarum unam (hoc est virilem) Mithram dici asserit. Herodotus lib. I de Persis loquens : Θύουσι δὲ οὐρανίῃ Ἀφροδίτῃ, ἣν καλέουσι Μίθραν. *Sacrificant vero cœlesti Veneri, quam vocant Mithram*. Nicetas ad Steliteut. Nazianz. : Τὸν Μίθραν οἱ μὲν τὸν ἥλιον, οἱ δὲ τὸν νεφρὸν τοῦ πυρὸς, ἄλλοι ἰδικήν τινα δύναμιν ὑπολαμβάνουσι. *Mithram alii Solem, alii renem ignis, nonnulli peculiarem quandam potestatem esse volunt*. Itaque quum non Solem tantum, sed quid aliud per Mithram significari videam, facile Gruterianam inscriptionem, pag. 22, num. 12, explicabo. Ita se habet illa : D. I. M. ET. SOLI. SOCIO. SAC. hoc est *Deo Invicto Mithræ, et Soli Socio sacrum*. Pro Mithra hic aliud numen intelligendum videtur, a Sole diversum, non ipsemet Sol *tamquam alienigena*, uti opinatur Reinesius ad inscript. 48, cl. 1. Legitur quoque in priscis inscriptionibus NANNÆ SEBECIO. DEO MITHRÆ : quæ verba B omnia ad Solem Mithram referenda censet J. Cæs. Bulengerus, c. 4, lib. I de lic. et vet. Magia. Ego tamen tribus diis dicatum marmor puto, ut NANNA sit *Dianæ Nannææ* nomen, de qua lib. I, cap. VI, et II, cap. I, Machab., Hieronymus et Josephus meminere. SEBECIUS pro *Jove Sabazio* intelligatur, de quo Orpheus, seu Onomacr. in hymno :

Κλῦθι πάτερ, Κρόνου υἱέ, Σαβάζιε κύδιμε δαῖμον.
Audi pater, Saturni fili, Sabazie inclyte dæmon.

Neque enim scio qua autoritate Bacchum etiam *Sabazium* dixerit Heinsius in Arist. Sacr. Sed hæc satis superque.

Vers. 112. *Spelæa*. Græcum est verbum σπήλαιον, quod Latine spelunca dicitur; sed Græcum nomen aures etiam Ausoniæ toleravere. Vergil. eclog. 10 :

Certum est in sylvis inter spelæa ferarum.

Claudianus de Bello Get. :

Metuenda ferarum
C Spelæa.

Mithræ sacrificia secretissimis in antris peracta. Religioso silentio apud ejus cultores illic accepta mysteria servabantur. Quin et iis sacris initiari volentes multis cruciatibus probationem subibant. Hinc Suidas in verb. MITHRA ait : Οὐκ ἂν οὖν εἰς αὐτὸν δυνήσαιτό τις τελεσθῆναι, εἰ μὴ διά τινων βαθμῶν παρελθὼν τῶν κολάσεων δείξει ἑαυτὸν ὅσιον καὶ ἀπαθῆ. *Nullus autem potest initiari, nisi per quosdam suppliciorum gradus se sanctum et perturbationum immunem ostenderit*. Hoc idem confirmant Nazianz. orat. 3, Lamprid. in Commodo, ac Tertull. cap. 15 de Cor. Mil. Sunt hujus verba : *Erubescite, Romani commilitones ejus, non jam ab ipso judicandi, sed ab aliquo Mithræ milite, qui cum initiatur in spelæo*, etc. S. Justin. Martyr in Dialog. cum Tryphone Mithræ sacra peragi bis ait : Ἐν τόπῳ ἐπικαλουμένῳ παρ' αὐτοῖς σπηλαίῳ, *in loco qui apud illos spelæum seu specus vocatur*. Vide Hieron. in ep. ad Lætam; Reines. cl. 1, n. 48, Inscript.; D Bulenger. lib. I, cap. 4, de lic. et vet. Mag.; Selden. de Diis Syris, synt. 1, cap. 6; Salmas. ad hist. Aug., fol. 349, 382, etc.

Vers. 113. *Quæque tegunt*. Scribendum potius videtur *quemque tegunt tenebris*. Nihilo secius placet sensus.

Vers. 115. *Celet*, *Celo* pro *lateo*, inusitatum verbum. Tegendi tantum atque occultandi significatione usurpatum invenio. Me tamen monuit eruditissimus vir Michael Maddius clarissimi viri car. M. Maddii dignissimum germen, apud Plautum in Bacch. act. III, scen. 2, leg. :

Ut ut eris, moneo, non celabis.

Et a Scholiaste Lambino ita explicari : *non falles, non latebis*. Certe si pronomen *te* hic subintelligendum contendis, et ego in Paulini versu pronomen *se* subintelligam. Si cui placeret emendare, legerem :

Celet in infernis ni se horum causa malorum.

Quis ferat hoc sapiens, illos quasi claudere Solem, A
Hos proferre palam propriorum monstra deorum?
Quid Serapis meruit, qui sic laceratur ab ipsis
Per varios turpesque locos? Hic denique semper
Fit fera, fitque canis, fit turpe cadaver aselli,
Nunc homo, nunc panis, nunc corpore languidus ægro.
Talia dum faciunt, nihil hunc sentire fatentur.
Quid loquar et Vestam, quam se negat ipse sacerdos
Scire quid est? Imisque tamen penetralibus intus
Semper inextinctus servari fingitur ignis.
Cur dea, non deus est? Cur ignis femina fertur?
Ista quidem mulier, sicut commendat Hyginus,
707-708 Stamine prima novo vestem contexuit olim,
Nomine de proprio dictam, quam tradidit ipsa
Vulcano, qui tunc illi monstrarat opertos
Custodire focos. Hic rursum munere lætus
Obtulit hanc Soli, per quem deprehenderat ante
Martis adulterium. Nunc omnis credula turba
Suspendunt Soli per Vulcanalia vestes;
Utque notent Venerem, tunc et portatur Adonis,

Sane in cod. ms. non *malarum*, sed *malorum* est scriptum.

Vers. 116. *Isiacum*. In sacris Isidis sistra quatiebantur, et Anubidis caput caninum exponebatur. Lucan., lib. VIII, rem complectitur utramque :

Semideosque canes, et sistra jubentia luctum.

Ausonius ad Paulinum nostrum scribens epist. 25 :

Isiacos agitant Mareotica sistra tumultus.

Porro Anubis Cynocephalus etiam dicebatur, nomine ejus formam exprimente. Athanas. orat. contr. Græc. : Ὁ παρ' Αἰγυπτίοις κυνοκέφαλος Ἄνουβις. *Apud Ægyptios canina facie Anubis*. Ovid. Metam. lib. IX :

Cum qua latrator Anubis
Sistraque erant, numquamque satis quæsitus Osiris.

De sistris consule Laurent. Pignor. in Mensa Isiac., et egregiam dissertationem Benedicti Bacchini eruditissimi et clariss. viri.

Vers. 118. *Nescio quid*. Locum Minutii expressit Paulinus. Inquit ille : *Mox invento parvulo gaudet Isis, exsultant sacerdotes. Cynocephalus inventor gloriatur, nec desinunt annis omnibus vel perdere quod inveniunt, vel invenire quod perdant*. Jul. Firm. cap. 2 : *Nihil hic invenis, nisi quod iterum aut quæras, aut lugeas*. Ipse Paulinus Nat. XI :

Nam quid, rogo, cæcius illis,
Qui non amissum quærunt, nusquamque manentem
Inveniunt?

Vers. 122. *Quid Serapis meruit*. Hic aquam hærere mihi lubenter fateor. Alicujus festi diei meminit Paulinus, quo Seraphis multas induere figuras cogebatur. At hujus moris vestigia nusquam reperio. Certe Macrobius et Plutarchus in lib. de Isid. et Osir. nulla alia effictum forma Serapidem faciunt quam humana. Πανταχοῦ ἀνθρωπόμορφον Ὀσίριδος ἄγαλμα : *Ubique simulacrum Osiridis humana specie ostenditur*. Ab eruditioribus itaque exspectanda solutio.

Vers. 127. *Quid loquar et Vestam*. Vestam esse ipsam terram sunt quidam arbitrati, alii domorum omnium servatricem, alii etiam per illam purum ætheris ignem significari opinabantur. Hinc Orpheus D illam non Siculas habitare regiones, sed in æthere morantem aiebat.

Ἑστία εὐδυνάτοιο Κρόνου θύγατερ βασίλεια,
Ἡ μέσον οἶκον ἔχεις πυρὸς ἀενάοιο μεγίστου.
Vesta potentis Saturni filia regina,
Quæ mediam regionem ætheris magni ignisque habitas.

Alii alia, ut mirum non sit si sacerdotibus ejus ignotum quoque quid illa sit, noster affirmet.

Vers. 130. *Cur ignis femina*. Vidisti supra ex Orpheo Vestam pro igne sumi; addo nunc Ovid. lib. VI Fast. :

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.

Et tamen is ante dixerat :

Vesta eadem est et Terra...

Augustin. lib. IV, cap. 10, de Civ. Dei, ita fatur : *Eamdem Terram Cererem, eumdem etiam Vestam volunt, cum tamen sæpius Vestam non nisi ignem esse perhibeant*, quod idem repetit lib. VII, cap. 16. Vide Cic. de Nat. deor., et in II de Leg., Diodorum, aliosque. B Miratur igitur ridetque Paulinus cur ignis femina dicatur.

Vers. 131. *Hyginus*. Augusti libertus fuit Jul. Hyginus ac Ovidii familiaris. Librum *Fabularum* scripsit, qui etiamnum exstat. Verum ibi adductum a Paulino locum nancisci non potui. Scripsit ille præterea libros *Genealogiarum*, et librum *de Penatibus*, quem laudat Macrob. lib. III, cap. 14, Saturnal., librum *de proprietatibus deorum*, Macrobio itidem teste lib. III, cap. 8, et *Confusaneas quæstiones*, Fabio, Gellio, ac Diomedi memoratas, quæ nobis omnia temporum voracitas invidet. Ex hisce libris propositam eruditionem procul dubio Paulinus noster hauserat.

Vers. 138. *Suspendunt Soli*. Vulcanalia festa erant in Vulcani honorem. De his mentio exstat in vetustissimis Kalendariis apud Gruter., pag. 133, 134 et 135, et in alio non dissimili apud Dempster. Rom. Antiq. in Paralip. ad cap. 4, lib. IV. Peragebantur autem X Kal. Septemb. Cum his Columella concor- C dat de Re Rust. lib. XI, cap. 3 : *Ceterum*, ait, *Augusto circa Vulcanalia tertia satio est*. Meminit etiam Varro de Lingua Lat. In usu autem antiquis fuit idolorum cultoribus vestes falsis suspendere diis. Aristoph. in Avibus :

Τίς δὲ θεὸς
Πολιοῦχος ἔσται, τῷ ξανοῦμεν τὸν πέπλον;

Quis autem deus urbi præsidebit, cui dividemus vestes? hoc est : Cui deo vestes suspendemus? Apuleius, lib. VI Asin. Aur. : *Vides dona speciosa, et lacinias auro litteratas, ramis arborum, postibusque suffixas*. Alex. ab Alex. lib. III, cap. 18 : *In aliis mysteriis traditur mos, ut vestem, in qua quispiam initiatur, templis et numinibus dicaret*. Hæc et alia congerit Pinto Ramirez in Spicileg. sacr. tract. 1, cap. 2 et 22, § 15. Verum vestes Soli singulariter dedicatas apud neminem invenire potueram, quum eruditissimus abbas Franciscus Blanchinus, cujus curæ em. Othoboni biblio- D theca demandata est, per clariss. Ciampinum quemdam hac de re apud Herodotum exstare locum me monuit. Est autem lib. II, ubi agit de Neco rege : Ἐν τῇ δὲ ἐσθῆτι ἔτυχε ταῦτα κατεργασάμενος, ἀνέθηκε τῷ Ἀπόλλωνι πέμψας ἐς Βραγχίδας τὰς Μιλησίων. *In vestitu autem curiosus quum fuisset, illum Apollini dicatum ad Branchidas Milesiorum misit*.

Vers. 139. *Portatur Adonis*. Erant quidem Adonia apud gentiles, hoc est festa Adonidi sacra, de quibus meminit Aristophanes in Pace, et Ovid. Metam. lib. X, eo versu per Venerem prolato :

Annua plangoris peraget simulamina nostri.

Præsertim vero Alexandriæ, ut asserit Nat. Comes lib. V, cap. 16, Mythol., Adonidis solemnia fervebant, cujus imago magna cum pompa ferebatur. Sed hic aliud innui tempus patet, quo Adonidis simulacrum portaretur, nempe in ipsis Vulcanalibus; ait enim : *Tunc et portatur Adonis*. Celebris est Veneris et hujus pueri fabula.

Stercora tunc mittunt, ipsum pro stercore jactant. A
Omnia si quæras, magis et ridenda videntur.
Additur hic aliud : Vestæ quas virgines aiunt
Quinquennes epulas audis portare draconi,
Qui tamen aut non est, aut si est, diabolus ipse est,
Humani generis contrarius antea suasor.
Et venerantur eum, qui nunc in nomine Christi
Et tremit, et pendet, suaque omnia facta fatetur.
Quæ mens est hominum, ut pro veris falsa loquantur,
Qui linquenda colunt, contraque colenda relinquunt?
Jam sat erit nobis vanos narrare timores. B
Hæc ego cuncta prius, clarum cum lumen adeptus,
709-710 Meque diu incertum et tot tempestatibus actum
Sancta salutari suscepit Eclesia portu,
Postque vagos fluctus tranquilla sede locavit,
Ut mihi jam liceat, detersa nube malorum,
Tempore promisso lucem sperare serenam.
Jam prior illa salus, quam perdidit immemor Adam,
Tunc vero suadente malo, nunc remige Christo,
Eruta de scopulis semper mansura resurget.
Rector enim noster sic undique cuncta gubernat,
Ut modo qui nobis errorem mentis ademit,
Hic meliore via paradisi limina pandat
Felix. Nostra fides uni certoque dicata ;
Unus enim Deus est, substantia Filius una,
Unus in utroque est unus vigor, una potestas.
Namque Dei Verbum patrio de pectore Christus
Emicuit, semperque fuit, qui non quasi natus,
Ore, sed egressus, chaos illud inane removit,
Et tulit informem contextæ noctis hiatum,
Distribuitque locis mare, terras, aera, cœlum,
Hisque dedit geminam pulsa caligine lucem.
Ast ubi cuncta novum stupuerunt surgere Solem,
Quattuor hæc hausit variis exordia rebus.
Sunt homines terris, sunt addita sidera cœlo,
Aere pendet avis, liquido natat æquore piscis.
Sic elementa suis decoravit singula formis,
Nexuit hæc, diversa licet, discretaque junxit,
Junctaque discrevit, quæ nunc divisa cohærent.
Claudit enim Oceanus terram ; mare clauditur ; ipse
Axe sub æthereo medius concluditur aer.
Hoc etiam cœlum, quod nos sublime videmus,

Vers. 140. *Stercora tunc mittunt*. Fimo dii gentium dehonestari solebant. Nuper laudatus abbas Blanchinus Othobonianæ bibliothecæ præfectus per cl. virum Jo. Ciampinum Orphei, seu Onomacriti, versum de ritu simili ut animadverterem monuit. Habetur ille apud Nazianz. in Steliteut. 1 advers. Julian. C

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε θεῶν, εἰλυμένε κόπρῳ.
Jupiter gloriosissime, deum maxime, delibute stercore.

Seldenus de Diis Syris, synt. 2, cap. 5, hunc eumdem recitat versum, sed ad *Jovem Stercoreum* non magis attinere censet illud *εἰλυμένος κόπρῳ*, quam Vergilii de Jove verba :

Totamque infusa per artus
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Quasi utrobique Jupiter arcanis naturæ involutus dicatur. Verum nil rei Latina carmina cum Græcis habent, et *κόπρος* ille, quo delibutus dicitur Jupiter, hujusmodi ab explicatione abhorret. Dii Stercorei fuere præterea, atque, ut ibidem notat idem Seldenus, *Beelzebut* sonat *Dominus stercoreus*, et rabbi Abraham Benkattun versum 33 cap. XXIII Exodi ita explicat : *Non sines apud te habitare, qui colunt deos peregrinos vel stercoreos*. Sed cur Adonis stercora patiebatur ? Causam invenisse mihi videor. Nonnulli Adonidem semen tritici esse statuerunt, inter quos D Theocriti Scholiastes ita locutus est : Ὁ Ἄδονις, ἤγουν ὁ σῖτος ὁ σπειρόμενος ἓξ μῆνας ἐν τῇ γῇ ποιεῖ ὑπὸ τῆς σπορᾶς, etc. *Adonis, videlicet frumentum satum sex menses humi sub satione degit*. Tam bene igitur Adonidi stercora aptantur, quam tritico. Quia vero inter Vulcanum Venerisque amasios inimicitiæ intercedebant, hinc Adonis male habitus, quum Vulcani sacra peragebantur. Has ego propiores causas arbitror cur adeo turpia ille in Vulcanalibus subire cogeretur.

Vers. 143. *Quinquennes epulas*. Lipsium audi cap. 10 de Vesta et Vestal. : *In ambage, vel nube est, quod in Sylvestri Actis quibusdam legitur : Draconis eum ora clausisse, et perpetuo ergastulo mancipasse, cui kalendis singulis a virginibus Vestæ suppeditari solita sunt alimenta. Nam quis veterum tale aliquid ? eoque sperni, aut abjici a magnis viris ut falsa video. Me cunctante, an non Tertullianus huc adspexerit ad Uxor. cap. 6, hisce verbis : Romæ quidem quæ ignis illius inextinguibilis imaginem tractant, auspicia pœnæ suæ cum ipso Dracone curantes de virginitate censentur*. Hæc Lipsius. Tu vero, sodes, intuere quantum ponderis hisce omnibus a Paulino accedat. Quomodo vero *quinquennes epulas* vocet, fateor me nondum percepisse. Habetur quidem in codice nostro scriptum *quinquennis;* at neque metrum, neque sensus hanc lectionem patiuntur, scriptumque pro *quinquenneis*.

Vers. 149. *Qui linquenda*. Similis locus Minutiano : *Nonne ridiculum est, vel lugere quod colas, vel colere quod lugeas?*

Vers. 151. *Ego cuncta prius*. Hic versum unum pluresve deesse nemo diffitebitur ; quippe verbo priora in incerto manent, similemque sensum ut compleantur requirunt : *Hæc ego cuncta prius dubia mente volvebam, et probare nesciebam, clarum cum lumen adeptus sum*, etc.

Vers. 153. *Eclesia*. Ita effert alibi Paulinus hoc nomen metri gratia. In Epithal. :

Grande sacramentum, quo nubit Eclesia Christo.
Hic vos nectat amor, quo stringit Eclesia Christum.

In Nat. IV quoque et alibi. Ita etiam usurpavit Anonymus lib. II contra Marcionem iis carminibus, quæ Tertulliano adscribuntur :

Sic et apostolico decurrit Eclesia verbo.

Vers. 161. *Ut modo*. Tempus designat quo hæc scriptis mandabat, nempe annum 395 ; se enim Nolam nuper contulerat Paulinus, ut ibi religioso pioque vivendi instituto daret operam. Vide quæ disserui in præf. ad hoc poema.

Vers. 176. *Sic elementa*. Vix erit quisquam cui nova non videatur Paulini sententia. En aperte *mare, terras, aera, cœlum*, elementorum nomine distinguit, neque hilum de igne cogitat. Res pulcra et disquisitione digna. Consulat itaque lector Dissertationem XX, quam idcirco posui, ut singularem eruditionis hujus partem elucidatam facerem.

Vers. 180. *Medius concluditur aer*. Absit ut imaginariam illam ignis sphæram, quam Aristoteles ejusque sectatores lepide excogitarunt, ac etiamnum probant, Paulinus noster admiserit. Hinc aerem non a

Sex aliis infra est spatio surgentibus æquo,
Postque thronos septem, post tot cœlestia regna
Cetera pars omnis, quæ cunctis eminet ultra,
Quæ super excedit, quæ passim tendit in altum,
Quæ sine fine patet, quam nec mens colligit ulla,
Lucis inaccessæ domus est, sedesque potentis
Sancta Dei, unde procul quæ fecit subdita cernit.
711-712 Omnia sic constant, dum spiritus omnia cingit;
Hæc eadem, quorum nobis conceditur usus,
Quæ polus inferior magna complectitur Urbe.
Cuncta licet distent, una cum pace tenentur.
Denique nomen habent unum, sunt omnia mundus.
Hunc etiam Græci cosmon dixere priores;
Hinc ita compositum distinguens utraque lingua
Cosmon ab ornatu, mundum de lumine dixit.
Nam quo sol nitet, hoc totum sordebat in umbra,
Et manet exemplum, quotiens nox omnia fœdat,
Et docet ex tenebris quæ sit data gratia lucis.
Tot bona qui fecit, qui sic operatus ubique est,
Hic Deus est de corde Dei, hic Spiritus oris,
Sancti sermo Patris, tantarum fabrica rerum.
Nec se paganus laudet, si vitat idola,
Ac satis esse putat quod Numine credat in uno.
Quid colet ille Deum, qui Verbum non colit ejus?
Qui non Virtutem simili veneratur honore?
Quique invisibilem, incomprehensibilemque fatetur
Esse Deum, hic etiam Christum si cogitet, idem
Inveniet, quoniam Verbum comprehendere nemo,
Nemo videre potest, opera ejus sola videntur.
In Patre Natus enim, in Nato Pater omnia fecit,
Et quidquid virtute dedit, pietate tuetur.
Sic fuit, et steterit versus Salvator in ævum,
Qui tulit errores, qui fecit vera videri,
Placatoque Patri pereuntem reddidit orbem.
Nec mirum, si cuncta regit, qui cuncta creavit,
Qui dedit ex nihilo totum, lucemque tenebris
Prætulit, atque diem jussit succedere nocti;
Quodque in carne fuit, carnis peccata remittit.

commentitiis illis flammis, sed ab æthere cœlove conclusum affirmat.

Vers. 183. *Postque thronos septem*. Non septem tantum, sed novem sub empyreo constitutos fuisse cœlos, vulgo dicimus. Septem ex iis errantia sidera tenent, ut habet versiculus:

Cynthia, Mercurius, Venus, et Sol, Mars, Jove, Satur.

Octavum a fixis sideribus occupatur; nonum vero primum mobile est, cui succedit empyreum. Nihilominus septem cœlos ante empyreum exstare diserte Paulinus sentit. Qua ratione quæris? Poetica facultate respondeo; siquidem apud poetas in octavo cœlo, videlicet in sidereo cœlo, Dei summi domicilium statuitur. Vergil. lib. x Æneid.:

Conciliumque vocat divum pater, atque hominum rex
Sideream in sedem.

Sidon. Apollin. in Panegyr. Aviti de deorum concilio:

Ipsa pavimentum sunt sidera, jam Pater aureo
Tranquillus sese solio locat.

Euripides in Ione Διὸς πο`ύαστρον ἔδος, *Jovis pavimentum multisidereum*, appellat, cui adde Chrysost. orat. 2 de Dei Nat., aliosque. Fuit hæc quoque veterum Christianorum sententia. *De cœlorum diversitate* Philastrius Brixianus episcopus imaginariam hæresim recenset cap. 46, aitque: *Sive ergo sex cœlos, secundum David, et septimum hoc firmamentum accipere quis voluerit, non errat; nam Salomon tres cœlos dicit, ita cœlum, et cœlum cœli. Paulus æque apostolus usque ad tertium cœlum se raptum fatetur. Sive ergo septem quis acceperit, ut David, sive tres, sive duos, non errat.*

Vers. 188. *Unde procul*. Vergilium imitatur ita lib. x Æneid. canentem.

Conciliumque vocat divum pater, atque hominum rex
Sideream in sedem, terras unde arduus omnes
Castraque Dardanidum spectat.

Liceat quoque Italicorum vatum principem hic audire lib. i Hier. liber.:

Quando dall' alto soglio il Padre eterno,
Ch' è nella parte piu del ciel sincera,
Gli occhj in giù volse, e in un sol punto, et in una
Vista mirò ciò ch' in se 'l mondo aduna.

Vers. 191. *Complectitur Urbe*. Romani imperii fines eosdem ac orbis terrarum poetæ statuerunt. Rutil. in Itiner. eleganter:

Dumque offers victis proprii consortia juris,
Urbem fecisti, qui prius orbis erat.

Scholiast. in Dionys. de Situ orb.: Ὅπερ δὲ πόλις τοῖς αὐτῆς ὁρίοις, καὶ χώραις ἐστὶ, τοῦτο ἤδε ἡ πόλις τῆς ἁπάσης οἰκουμένης, ὥσπερ αὐτῆς χώρας ἄστυ κοινὸν ἀποδεδειγμένη. *Quod autem est suis finibus et regionibus urbs aliqua, hoc Roma est totius orbis provinciis, quasi commune totius habitabilis terræ oppidum.* Hinc Roma Claudiano dicitur *quæ fundit in omnes imperium.* Sic Plin. cap. 5, lib. xxxv, Romam esse *unam cunctarum gentium in toto orbe patriam* dixit. Plura pete a Bulengero de Imp. Rom. lib. ii, cap. 5.

Vers. 195. *Hinc ita*. Arrideret *Hunc ita*.

Vers. 196. *Cosmon ab ornatu*. κόσμος Græcis est ornamentum. Ab hac significatione mundi, qui Græcis κόσμος dicitur, nomen derivatum censet Paulinus, quia revera est mundus venusta ornamentorum series. Alii ἀπὸ κόσμου, qui est *ordo*, seu *modus*, nominis hujus etymologiam deducunt, quum mundus rerum simul nexarum atque ordinatarum vere sit status. Tertullianus, advers. Marcion. lib. v, poetæ nostro subscribit: *Ut ergo*, ait, *aliquid de isto hujus mundi indigno loquar, cui et apud Græcos ornamenti et cultus, non sordium nomen est.*

Vers. 196. *Mundum de lumine*. Honor. Augustod. lib. de Imag. mundi cap. 1; Isidor. lib. iii Orig., cap. 28, et xiii, cap. 1, *mundum* quasi *movendum*, *quia in perpetuo sit motu*, dictum putant. Sed rectius Varro, Cic., Plin., Paulus JC., et alii, *a munditie* appellatum volunt. Huic etymologiæ Paulinus accedit, dum *a lumine mundum* dici ait.

Vers. 201. *Hic Deus est*. Hoc est divinum Verbum, Deique Filius, per quem, ut supra cecinit, *omnia facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est.* In ms. dicitur: *Hic deus de corde*. Apposui verbum *est*. Adhuc tamen claudicat versus; possem alterum *est* adjicere: *Hic est Spiritus oris.*

Vers. 202. *Fabrica rerum*. *Fabrica* pro *officina* proprie usurpari docuit Sipontinus. Ita forte capiendum hic nomen istud. Mea tamen sententia aut error in codicem irrepsit, aut versus aliquis excidit.

Vers. 203. *Nec se paganus*. De hoc nomine plura pete a magno Annalium parente Baronio in Martyrol. ad diem 31 Januar., a Gothofred. ad lib. vi C. Th., tit. 10, de Paganis, etc., aliisque scriptoribus. Seculo Christi quarto nomen hoc gentilibus aptari cœpit, quum iidem in *pagis* agrisque profanam adhuc religionem exercerent.

Vers. 203. *Si vitat*. In ms. legebatur: *Si qui idola vitat*. Emendavi.

Vers. 204. *Numine*. Ita scribere placuit pro *nomine*, quemadmodum habet ms.

Vers. 213. *Versus Salvator*. Illud *versus* mihi parum arridet. Fortasse *verus* scribendum est.

Cernit enim fragilem faciles incurrere lapsus,
Corripiensque tamen veniam dabit omnibus unam,
(Remque novam dicam, nec me dixisse pigebit)
Plusque pius quam justus erit. Si denique justus
Esse velit, nullus fugiet sine crimine pœnam;
Justus enim mala condemnat, pius omnia donat.
Hoc facit, ut rata sint venturæ munera vitæ,
713-714 Et quod culpa tulit, rursum indulgentia reddat,
Quæ si non fuerint plebi concessa roganti,
Tunc prope nullus erit delicto liber ab omni,
Qui possit meritus promissa luce potiri?
Tangere tunc lætis cœlorum regna licebit,
Tunc poterit mors ipsa mori, cum tempore toto
Vita perennis erit, quia tunc in sede beata
Nullus peccandi locus est, ubi nulla cupido est.
Gloria tanta manet populo servata fideli.
Amplius hoc tribuit, majus dedit hoc quoque munus,
Quod peccatorem, quem pœnitet, antea lapsum
Non facit in numero turbæ peccantis haberi;
Quippe satis pœna est, cum sit sua culpa dolori;
Supplicium proprium timor est; tormenta reatus
Tum veluti patitur qui se meruisse fatetur.
Quid poterit melius, vel quid moderatius esse?
Judicat, inquirit, castigat, parcit, honorat,
Omnia qui vincit, nec ab ipsa vincitur ira.
Quod de præsenti jam cernimus esse futurum;
Nam cum sæpe minax horrentia nubila cogit,
Et terrore pio rutilo nimis igne coruscat,
Tristibus et pluviis, et nubibus intonat atris,
Omne genus timet interitum; sed vita potestas
Desinet, et pariter cœlum mentesque serenat,
Hoc quoque tunc sperare jubet, qui se modo cuncta
Perdere posse probat, si perdere velle recusat.
Sic iteranda salus venturo ostenditur ævo,
Æternique Dei pietas æterna manebit.

Vers. 249. *Vita potestas.* Errorem aliis tollendum relinquo.

715-716 Post egregia hæc S. Paulini poemata hymnum quemdam subnectere placuisset, quem ab eodem sanctissimo vate in S. Ambrosii laudem compositum gemini bibliothecæ Ambrosianæ mss. vetustique codices affirmant. Ejus initium est :

Miraculum laudabile
Canite, omnes populi,
Quod datum est Ecclesiæ
Fluctuanti in seculo.

Ille vero idem est hymnus quo etiamnum Ambrosiana Ecclesia utitur, quique in ejusdem Breviariis legitur recenti studio expolitus ac restauratus. Quum tamen plurima eidem hymno verborum barbaries insit, nullaque metri sit habita ratio, apertissime patet non a Paulini modo nostri stylo abhorrere, verum etiam humilem plane fœtum sequioris ævi fuisse. Constat quidem, Gennadio teste, *Hymnarium* a Paulino elucubratum, sed ab edacissima ætate opus istud interceptum fuit, ejusque particulam opusculum hoc non esse, quisque eruditus nullo negotio dignoscet. Itaque Dissertationes subdo, quas, ut major Paulini carminibus lux affulgeret, pro viribus elaborare studui. Ex eis autem quædam erunt viris doctissimis inscriptæ, quas, nullo inter eos præstantiorum delectu habito, sed secundum propositum poematum ordinem distribuendas censui. Utinam hujusmodi labor æquo gratoque animo ab humanissimis lectoribus excipiatur! tunc enim et de suscepto consilio mihi gaudebo, animusque ad majora in posterum suscipienda appelletur.

IN S. PAULINI NOLANI POEMATA
VARIANTES LECTIONES.

EX MANUSCRIPTIS ET EDITIS CODICIBUS.

IN POEMATA I, II, IV.

[1] lin. 10, *quasi vero numerum.* Barthius legendum censet *quasi verum numerum.*

[2] Vers. 5, *mira.* Ed. Schot. et Vinet, *miros.*

[3] Vers. 6, *alto.* Ed. Schot., *acto.*

[4] Vers. 15, *epulis alludat.* Edit. Vinet., *epulisque adludat.*

[5] Vers. 18, *tribuat.* Edd. Schot. et Vinet, *tribuit.*

IN POEMA V.

[1] In titulo. Ed. Grin., *Pontii Paulini Burdigalensis Precatio ad omnipotentem Deum.*

[2] Vers. 33, *perdidit.* Sic ed. Rosv., Latinius, et tres edd. in margg. At edd. 4, *prodidit.*

[3] Vers. 35, *ætas.* Edd. tres in margg., *olim.*

[4] Vers. 41, *æthera.* Edd. tres in margg., *aera.*

[5] Vers. 52, *errori ipse.* Edd. Grin. et Poelm. in marg., *errorique.*

[6] Vers. 64, *male.... bene....* Edd. Grav., Poelm. et Schot. in marg., *mala.... bona....*

[7] Vers. 75, *voluptas.* Iidem codices in margg., *voluntas.*

IN POEMA VII.

[1] Vers. 22, *imminentem.* Ed. Schot. in margg., *eminentem.*

[2] Vers. 38, *vitam tenebit.* Hi psalmi, itemque carmen de S. Johanne Baptista, ex hymnis, opinor, sunt quos condidit etiamnum rudis theologicorum arcanorum. Itaque non mirum si videatur hic error significari eorum qui prave intelligentes locum I Cor. III, putabant Christianos, quamvis malos, modo

incolumem servassent fidem, salutem quamdam consecuturos. Sacchin.

[3] Vers. 48, *per arctum*. Ms. Reg., *per artum*.

IN POEMATA VIII, IX.

[1] Vers. 9, *almum.... Sion*, et carmine sequenti, vers. 3, *patrium.... Sion*, virili genere propter montem. Vel legendum *almam, patriam*. Sacchin.

[2] Vers. 49, *elidet*. Edit. Schot. in marg., *allidet*, ex Vulgata.

[3] Vers. 60, *prœripe*. Ms. codex Regius cum editis quinque, *prœcipe*, mendose.

IN POEMA X.

[1] In titulo. Ed. Rosv. *Paulinus Ausonio S.*

[2] Vers. 5, *felix cum*. Edd. Grav., Poelm. et Schot. in margg., *felix quam*.

[3] Vers. 9, *multimodis*. Sacchin.: Malim *multa modis*, hoc est multa suavitate modorum ac versuum *dulcia quædam et subamara querelis pietas anxia miscuerat censuræ*.

[4] Vers. 13, *referenda*. Edd. Lugd., Vinet. et Grav., Poelm., Schot., in margg., *relegenda*. Sacchin.: Forte *regerenda*.

[5] Vers. 18, *aliis*. Sacchin.: Sic legendum docet sententia. Edd. quinque, *alias*, male.

[6] Ib., *silent*. Edd. quatuor, *secent*.

[7] Ib. Expunximus post versum 18, *Vale, domine illustris*, quod aberat a ms. codice Lugd. et editis Poelm. et Vinet., quod et ex illo Paulini versiculo, *An tibi me, domine illustris*, etc., sumtum suspicor ab iis qui scripta hæc confuderunt omnia, fœdaruntque novis ac falsis titulis.

[8] Vers. 38, *nubilant*. Edd. Poelm., Schot., Vinet., *nubilent*, male.

[9] Vers. 41, *Nihil adferentes*. Ms. Reg. et edd. 4, *Nihil ferentes*.

[10] Vers. 42, *Quod veritatem detegat*. Ms. Reg. et edd. Grav. et Schot. in margg., *Aut veritatem non tegant*.

[11] Vers 43, *queant*. Ms. Reg., *queunt*.

[12] Vers. 52, *virtutum*. Ita mss. codices Lugd., Reg. et edit. Vinet. At. Grav., Lugd., Poelm. et Schot. substituere, *virtutis est*.

[13] Vers. 69, *Abolet*. Ed. Lugd., *Horret*.

[14] Vers. 70, *videmur*. Ed. Schot. in marg., *jubemur*.

[15] Vers. 73, *Cœlis*. Ms. Reg., *Cœlo*.

[16] Vers. 75, *prœsens*. Ed. Schot. in marg., *prœstans*.

[17] Vers. 106, *mota pietate*. Edd. tres in margg., *nota pietate*.

[18] Vers. 113, *reduces*. Ms. Reg. et edit. Bad., *reducis*.

[19] Vers. 116, *vota*. Edd. Lugd., Poelm., Grav. et Schot. in marg., *verba*.

[20] Vers. 135, *Stulta Dei sapiens*. Ms. Reg. et ed. Schot. in marg., *Stulta Deo sapiens*. Edd. Grav. et Poelm. in margg., *Stultus desipiens*, male; hoc enim sumtum ex epistola Pauli priore ad Corinthios c. III, v. 19.

[21] Vers. 138, *istis*. Ms. Reg. et edd. Bad. et Schot. in marg., *istic*.

[22] Vers. 142, *cepit*. Ed. Lugd., *flexit*.

[23] Vers. 157, *in antris*. Ms. Reg. et edd. Bad. et Schot. in marg., *in agris*.

[24] Vers. 161, *agitare frequentant*. Edd. Lugd. et Poelm. in marg., *habitare frequentent*.

[25] Vers. 166, *strepitusque*. Ms. Reg. et ed. Bad., *strepitumque*.

[26] Vers. 178, *sedisse*. Vinet., *Sedere*, hoc loco, placere, sicut et in epistolæ sequentis, v. 11.

[27] Vers. 182, *voti*. Edd. Lugd. et Schot. in marg., *veri*.

[28] Vers. 183, *acta*. Græcum est vocabulum ἀκτὴ, littus significans locumque maritimum. Vinet.

[29] Vers. 213, *inter iniquos*. Ms. Reg. cum ed. Poelm., *integer æquo*.

[30] Vers. 231, *notatur*. Ms. codex Vossianus, *notantur*.

[31] Vers. 234, *terris et mœnibus*. Id est, *territorio*. Heinsius legendum censebat *turritis mœnibus*.

[32] Vers. 247, *tuæ*. Edd. Grav., Poelm. et Schot. in margg., *altæ*. Ms. Reg., *potens*.

[33] Vers. 254, *in attrito longum*. Edd. Vinet., Grav., Poelm. et Schot. in margg., *nativo longe*.

[34] Vers. 273, *mutatur*. Ms. Reg. et edit. Bad., *mutatus*.

[35] Vers. 278, *At si*. Ms. Reg. et ed. Bad, *Aut si*.

[36] Vers. 305, *id jam*. Ita repositum ex mss. codicibus Lugd., Voss. et ed. Vinet. Alii, *hæc jam*.

[37] Vers. 308, *possit*. Ms. Reg. et edd. quatuor, *posset*.

[38] Vers. 323, *illato*. Ms. Reg. et edd. quatuor, *inlato*.

[39] Vers. 326, *Curarumve*. Ms. Reg., *Curarumque*.

[40] Vers. 328, *Commissisque Deo*. Ms. Reg. cum edd. Schot. et Vinet., *Communique Deo*.

IN POEMA XI.

[1] Vers. 16, *suspicio*. Edd. quinque in margg., *suspectio*.

[2] Vers. 17, *colitque*. Edd. Lugd. et Vinet., *coletque*.

[3] Vers. 22, *Irrupit*. Ms. Reg. cum editis quinque, *Inrupit*.

[4] Vers. 28, *vero*. Edd. quinque in margg., *merito*.

[5] Vers. 29, *Vulnere tam tenera*. Ms. Lugd. et ed. Poelm. in marg., *Vulnere tam tetro*.

[6] Vers. 31, *Hoc nec*. Ita ms. Reg. et edd. Bad. et Lugd. Alii, *Hoc ne*.

[7] Vers. 39, *Sustineant*. Ms. Reg., *Sustineat*, male.

IN POEMATA XII, XIII.

[1] Vers. 10, *annue*. Ms. Germ. et edd. Bad., Grav., *adnue*.

[2] Vers. 13, *reddere coram*. Edd. tres, *nostra*.

[3] Vers. 19, *Consule jam vel sero*. Hi duo versus desiderantur in editis quinque in quibus legitur, *Consule et obtritis*; exstant autem in ms. Germanensi codice.

[4] Vers. 2, *Qui*. Edd. Grin. et Poelm., *Cui*.

[5] Vers. 10, *Ex illo qui me*. Edd. quinque, *Ex illo quo me*.

[6] Vers. 12, *nam te mihi.... vocari*. Edd. quinque, *nam me tibi.... vocasti*.

IN POEMA XIV.

[1] Vers. 4, *nanctus*. Sic ms. Germ.

[2] Vers. 8, *Æquiparat*. Edd. tres, *Æquiperat*.

[3] Vers. 9, *remittit*. Ms. Germ., *remittat*.

[4] Vers 15, *Nam post*. Ms. Germ. et edd. quinque, *Quam post*, mendose.

[5] Vers. 19, *vicesima*. Sic ms. Germ. cum editis quinque. Ed. Rosv., *vigesima*.

[6] Vers. 37, *munere*. Ms. Germ., *numine*.

[7] Vers. 58, *Et qua bis ternas*. Ms. Germ., *Et bis ter denas*.

[8] Vers. 88, *est prima*. Edd. Bad. et Grav., *es prima*.

[9] Vers. 135, *laudatisque*. Ita ms. Germ. codex. Edd., *laudatis*.

IN POEMA XV.

[1] Vers. 8, *dignate Deo*. Mss. duo Germ., *dignante Deo*.

[2] Vers. 37, *lactentes*. Mss. duo Germ., *lactantes*.

[3] Vers. 38, *et solidam*. Sic duo mss. Germ. Edd., *ac solidam*.

[4] Vers. 64, *subeunte*. Ms. codex Germ. unus, *abeunte*.

[5] Vers. 75, *quamvis*. Ms. 1 Germ., *quamquam*.

[6] Vers. 100, *qui*. Ms. 1 Germ., *quia*. Alter, *qua*.

[7] Vers. 110, *pellere*. Ita mss. duo codices Germ. Edd. Grav., Schot. in margg., et Latin. At editi quinque, *vellere*.

[8] Vers. 112, *nanctus*. Sic mss. duo Germ. Editi codices, *nactus*.

[9] Vers. 118, *omni*. Ms. 1 Germ., *omnis*.

[10] Vers. 126, *antistite*. Ms. duo Germ., *antestite*, et sic infra, et Nat. 5.

[11] Vers. 129, *tantum quia*. Ms. 1 Germ., *quia tantum*.

[12] Vers. 140, *infernis*. Ms. 1 Germ., *inferni*.
[13] Vers. 162, *flagrare*. Ms. 1 Germ., *flagrans*.
[14] Vers. 181, *gradibus pœnarum*. Edd. tres, *pœnarum gressibus exit*.
[15] Vers. 190, *spatiante*. Mss. duo Germ., *spatiente*.
[16] Vers. 207, *dum stratus*. Mss. duo codices Germ., *prostratus*.
[17] Vers. 213, *cordis*. Ms. 1 Germ., *mentis*.
[18] Vers. 224, *Mosen*. Ms. 1 Germ. *Moysen*.
[19] Vers. 235, *apponat*. Mss. duo Germ. cum edd. Grav. et Schol., *adponat*. Et sic ubique.
[20] Vers. 241, *alloquitur*. Mss. duo Germ., *adloquitur*.
[21] Vers. 244, *velut eludentis*. Ms. 1 Germ., *veluti ludentis*.
[22] Vers. 249, *assurgere*. Mss. duo Germ. cum ed. Grav., *adsurgere*; et sic ubique.
[23] Vers. 251, *ferrato exuta*. Ms. 1 Germ., *ferroque exuta*.
[24] Vers. 261, *abire*. Mss. duo Germ. cum editis quinque, *adiri*. At in margine unius ms. codicis Germ. recentiori manu scriptum, *abire*.
[25] Vers. 268, *Illustrata*. Mss. duo Germ. et ed. Grav., *Inlustrata*.
[26] Vers. 276, *tentat*. Mss. duo Germ., *temptat*. Et sic alibi.
[27] Vers. 285, *comminus*. Sic semper iidem codices mss. At editi, *cominus*.
[28] Vers. 294, *Decerptumque*. Edd. Grav., Poelm. et Schot. in margg. cum mss. duobus Germ., *Demessumque*.
[29] Vers. 296, *victus*. Ms. 1 Germ., *gustus*.
[30] Vers. 318, *atqui*. Mss. duo Germ., *atquin*
[31] Vers. 320, *cara*. Sic ms. codex unus Germ. Ceteri, *carum*.
[32] Vers. 341, *excitat*. Ms. 1 Germ., *suscitat*.
[33] Vers. 343, *assumit*, Mss. duo Germ., *adsumit*, ubique.
[*] Vers. 352, *o mi nate*. Ms. 1 Germ. codex cum editis quinque, *o mihi nate*.

IN POEMA XVI.

[1] Vers. 10, *rata debeo*. Ms. 1 Germ., *debeo sacra*.
[2] Vers. 21, *errare vias*. Ms. 1 Germ., *servare vias*.
[3] Vers. 48, *aut gladiis*. Ita mss. duo Germ. cum editis Grin. et Poelm. Alii, *et gladiis*.
[4] Vers. 49, *verbis*. In ms. uno codice Germanensi post hunc versum habetur illud glossema : *Tuo nonne hoc subvexisti proprio corpore?*
[5] Vers. 70, *persensit*. Edd. 5, *præsensit*.
[6] Vers. 74, *Illudente*. Mss. duo, *Inludente*. Et infra, *Inridebat*.
[7] Vers. 79, *loquelis*. Mss. duo Germ., *loquellis*, semper; et sic infra, *querellis*.
[8] Vers. 93, *Nam*. Ms. 1 Germ., *Jam*.
[9] Ib, *rostra*. Ed. Schot. in marg., *strata*.
[10] Vers. 99, *sordidus*. Mss. duo Germ., *sordibus*.
[11] Vers. 103, *obstupuerunt*. Ms. 1 Germ. cum editis quatuor, *obstipuerunt*.
[12] Vers. 117, *Scrutatum*. Ms. 1 Germ., *Scrutari*.
[13] Vers. 143, *gigas*. Mss. duo Germ., *gigans*.
[14] Vers. 152, *Illa*. Ms. 1 Germ., *Ille*.
[15] Vers. 166, *illo*. Sic alibi Paulinus epist. 24, n. 9, et ep. 31, n. 6. Ms. 1 Germ., *illuc*.
[16] Vers. 171, *hoc*. Ms. 1 Germ., *hæc*.
[17] Vers. 173, *strictæ*. Ms. 1 Germ. cum edd. Grin. et Poelm., *structæ*.
[18] Vers. 192, *totos perhibent*. Ita mss. duo Germ. At edd., *perhibent totos*.
[19] Vers. 206, *afflicti*. Mss. duo. Germ., *adflicti*.
[20] Vers. 238, *prior*. Ms. 1 Germ., *prius*.
[21] Vers. 241, *qui*. Ms. 1 Germ., *quia*.
[22] Vers. 257, *patriis*. Ms. 1 Germ., *patris*.
[23] Vers. 264, *prisco*. Ms. 1 Germ., *claro*.
[24] Vers. 265, *stemmate*. Ms. 1 Germanensis codex, *nomine*.
[25] Vers. 273, *posset*. Ms. 1 Germ., *possit*.

A [26] Vers. 275, *sensu*. Ed. Schot. in marg., *censu*.
[27] Vers. 287, *sed et has*. Ms. 1 Germ., *sed eas*.

IN POEMA XVII.

[1] Vers. 3, *adnexa*. Mss. codices Reg., Germ. et editi quinque, *adnixa*.
[2] Vers. 4, *futuros*. Ms. codex Germ., *futurus*.
[3] Vers. 13, *terra*. Sic ms. Germ. Edd., *terræ*.
[4] Vers. 29, *antiqui*. Ms. codex Regius et editi quinque, *antiquis*, mendose.
[5] Vers. 71, *oderimus*. Ita mss. Reg. et Germ. cum 3 edd. At edd. Grin. et Poelm., *execremur*, eo quod essent offensi in syllabam tertiam productam. Sed vide not. 342.
[6] Vers. 111, *in æquor*. Ms. Germ., *per æquor*.
[7] Vers. 134, *devorabit... saturabit*. Ed. Schot., *devoravit... saturavit*.
[8] Vers. 153, *ille vidit*. Ms. Germ., *vidit ille*.
[9] Vers. 173, *secli*. Edd. quatuor, *mundi*.
[10] Vers. 187, *reddat... tutum*. Ms. Germ., *reddi...* B *tutus*.
[11] Vers. 199, *colla*. Ms. Germ., *corda*.
[12] Vers. 214, *exsultat*. Ms. Germ., *exsultet*
[13] Vers. 264, *vivere*. Ms. codex Germ., *quærere*.
[14] Vers. 296, *vivet*. Ms. Germ., *vivit*
[15] Vers. 302, *imponet*. Idem ms. codex, *imponit*.

IN POEMA XVIII.

[1] Vers. 6, *qua fert*, ms. 1 Germ., *quo fert*.
[2] Vers. 11, *Nam cui. Non gaudere Qua quis. Cœlicolas*. In mss. codicibus 2 Germ. et in editis Grin. et Poelm. quatuor isti versus hoc ordine diriguntur. In aliis, *Qua quis. Nam cui. Non gaudere. Cœlicolas*.
[3] Ib., *Christus* Ms. 1 Germ., *Sanctus*.
[4] Vers. 12, *vacuum*. Ms. 1 Germ., *vacuus*.
[5] Vers. 15. *Ipsa*. Ms. 1 Germ., *Ipso*.
[6] Vers. 33, *poliant*. Ms. 1 Germ., *ædificant*.
[7] Vers. 34, *præfixis*. Ms. codex 1 Germ., *perfixis*.
[8] Vers. 39, *Et medicata*. Ms. 1 Germ. et edd. 4 in C margg., *Ut medicata*.
[9] Vers. 42, *laxant*. Ms. 1 Germ., *laxent*.
[10] Vers. 45, *cervis aulæa ferisque*. Mss. codd. Germ., *ceras aulææ lucernis*. Ed. Schot. in marg., *ceris aulæa lucernis*.
[11] Vers. 57, *nil*. Ms. 1 Germ., *nihil*.
[12] Vers. 81, *metet*. Ms. codex Germ. 1, *metat*.
[13] Vers. 83, *O si dicere* Ita ed. Schot. in marg. Edd. quinque cum ms. uno Germ. codice, *hoc quod dicere*; ms. alter Germ., *hoc qui dicere*.
[14] Vers. 86, *operum*. Ms. 1 Germ., *operis*.
[15] Vers. 141, *æthereus*. Mss. duo Germ., *ætherias*.
[16] Vers. 149, *Nam*. Ms. 1 Germ., *Jam*.
[17] Vers. 150, *leto*. Ms. 1 Germ. cum edd. 5, *lætus*.
[18] Vers. 155, *justæ*. Ms. 1 Germ., *justa*.
[19] Vers. 169, *hic etiam*. Edd. 4, *hæc etiam*.
[20] Vers. 196, *Sufficient*. Ms. 1 Germ., *Sufficiunt*.
[21] Vers. 198, *accommoda*. Ms. 1 Germ., *adcommoda*.
D [22] Vers. 208, *nomine*. Ms. 1 Germ., *numine*.
[23] Vers. 234, *exsaturabat*. Ita mss. duo Germ. Alias, *exaturabat*.
[24] Vers. 258, *medelam*. Mss. duo Germ., *medellam*; et sic alibi.
[25] Vers. 260, *pauperies... inclinata*. Ms. 1 Germ., *paupertas... adclinata*.
[26] Vers. 272, *claustra*. Ms. 1 Germ., *clausa*.
[27] Vers. 282, *quando vel usquam*. Mss. duo Germ., *aut ubi quando*.
[28] Vers. 306, *vendicet*. Mss. duo Germ., *vindicet*.
[29] Vers. 310. *nusquam*. Mss. 2 Germ., *numquam*.
[30] Vers. 313, *reductos*. Edd. quatuor, *juvencos*.
[31] Vers. 322, *affixi*. Mss. duo Germ. et ed. Grin. et Poelm., *adfixi*.
[32] Vers. 329, *revellit*. Ms. 1 Germ., *repellit*.
[33] Vers. 340, *escas*. Ms. 1 Germ., *herbas*.
[34] Vers. 350, *Aspicit*. Ms. 1 Germ., *Respicit*. Hic 28 versus desiderantur in altero ms. Germanensi codice.

[35] Vers. 351, *et refricat*. Ms. 1 Germ. et edd. quatuor, *et spirat*. Sed legendum *refricat*, ut monet Barthius. Hanc lectionem tuentur ms. Gandav. a Barthio collatus, et edd. 4 in margg. cum ed. Rosv. A

[36] Vers. 358, *solum*. Ms. 1 Germ., *sola*.

[37] Vers. 359, *pro postibus*. Ms. 1 Germ., *de postibus*.

[38] Vers. 366, *sed*. Ms. 1 Germ., *et*.

[39] Vers. 387, *culmea tecti Culmina*. Ms. 1 Germ. codex, *culmine tecto Culmina*.

[40] Vers. 404, *speraverit*. Ms. 1 Germ., *speraverat*.

[41] Vers. 409, *reserare*. Edd. 2, *servare*.

[42] Vers. 437, *ostentat*. Ms. 1 Germ., *ostendit*.

[43] Vers. 446, *honorem*. Ms. 1 Germ., *amorem*.

[44] Vers. 454, *prope*. Ms. 1 Germ. et edd. tres, *pro*.

[45] Vers. 459, *itidem*. Ms. 1 Germ., *iterum*.

[46] Vers. 460, *pecudes*. Ms. 1 Germ., *illos*.

[47] Vers. 467, *Inde*. Ms. 1 Germ., *Unde*.

[48] Vers. 468, *Collaudante*. Mss. duo Germ., *Conlaudante*.

IN POEMA XXII.

[1] Vers. 13, *fuerit*. Editi codices Grav. et Poelm., *fuerat*.

[2] Vers. 34, *Persona divinos*, Recte *tuba persona*. Ed. Schot. in Bibliotheca Patrum, edit. Colon. tom. V, pag. 978, *Personuit vanos*.

[3] Ib., *celsius intonet*. Ed. Schot. pag. 798, *celsior intonat*.

[4] Vers. 45, *Ne te ceu*. Sic ms. Vien. Alias, *Nec te ceu*.

[5] Ib., *Promethei*. Ms. Reg. cum ed. Bad., *Promethi*.

[6] Vers. 93, *tremant... ministrent*. Ed. Schot., pag. 979, *tremunt... ministrant*.

[7] Vers. 112, *tutum*. Ms. Vien., *totum*.

[8] Vers. 115, *monitu*. Ms. codex Regius, *monito*.

[9] Vers. 119, *morte propinqua*. Ita emendatum ex mss. codicibus Reg., Vien. et edit. Schot., p. 979. Alii, *morte propinquæ*.

IN POEMA XXIII.

[1] Vers. 24, *Et minimam*. Ms. codex Germ., *Tu minimam*.

[2] Vers. 36, *Attonitas*. Barthius legendum censet *attentas*.

[3] Vers. 39, *et jam mihi pacta*. Ms. Germ., *et pacta quotannis*.

[4] Vers. 40, *Camœnis*. Ms. Germ., *loquellis*.

[5] Vers. 53, *ut meritum*. Ms. Germ., *ob meritum*.

[6] Vers. 56, *quo*. Sic emendatum ex ms. codice Germ. et ed. Schot. in marg. Ante erat *quod*.

[7] Vers. 95, *tegmina*. Ita mss. codices Belg. Germ. et edd. 3 in marg. At editi quinque, *tegmine*.

[8] Vers. 148, *Hoc*. Ms. Germ., *Hæc*, forte *Hac*.

[9] Vers. 161, *submissior*. Sic ms. Germ. Alias, *summissior*.

[10] Vers. 214, *patronus*. Edd. Bad. et Schot. in marg., *patrone*, non male.

[11] Vers. 232, *moriendo*. Ms. Germ., *veniendo*.

[12] Vers. 287, *opertu*. Ms. Germ. cum edd. quinque, *operti*.

[13] Vers. 289, *hoc potuit*. Ita ms. Germ. cum edit. Schot. Ceteri codd., *hæc potuit*.

[14] Vers. 303, *reddat*. Ms. Germ., et edd. quinque, *reddit*.

[15] Vers. 308, *formaverat*. Ms. Germ. *formaverit*.

IN POEMA XXIV.

[1] Vers. 18, *Intrarat*. Ms. codex Regius, *Intraret*. Ed. Bad., *Intrabat*.

[2] Vers. 29, *piger*. Ita ms. Reg. et edd. 4 in margg. Edd. quinque, *pio*.

[3] Vers. 31, *Jamque*. Edd. quinque, *Namque*.

[4] Ib., *littorum*. Edd. Grin. et Poelm., *littore*.

[5] Vers. 37, *temporis longo*. (Vera lectio. Sic carm. 32, *exiguo temporis*.) Edd. tres, *tempore ab longo*.

[6] Vers. 103, *robora*. Ms. Reg., *robura*. Et sic alibi.

[7] Vers. 123, *permixtim*. Ms. Reg., *permixte*.

[8] Vers. 165, *excitat*. Edd. tres, *eripit*.

[9] Vers. 249, *cymba*. Ms. codex Regius, *cumba*, ubique. Sic Prudentius non semel *cumbam* dixit, Peristeph. hymn. 5 de S. Vincentio martyre, v. 450, et in Diptycho, n. 35, etc.

[10] Vers. 254, *Dormisse*. Ms. Reg., *Dormire*.

[11] Vers. 315, *largos*. SACCHIN. : An *largo... affectu*?

[12] Vers. 321, *excalceus*. Ms. Reg. et edd. quinque, *excalcius*; et infra, *calciari*, semper.

[13] Vers. 353, *paginatam*, BARTHIUS, pro *compaginatam*.

[14] Vers. 364, *Centumcellas*. Vera lectio. Edd. 5, *Centumcellis*. Vide not. 275.

[15] Vers. 497, *Hierusales*. Sic apud Prudentium Psychomach. v. 813, *Tunc Hierusales templo inlustrata*. Vide ep. 18, n. 5.

[16] Vers. 530, *Ephod*. Ms. Reg et edd. tres, *Ephot*.

[17] Vers. 535, *Nazaræus*. Ms. Reg. cum ed. 4, *Nazarenus*.

B [18] Vers. 577, *qui*. Ms. Reg. et edd. 5, *quia*.

[19] Vers. 719, *irretientis... illicem*. Ms. Reg. et edd. 5, *inretientis... inlicem*.

[20] Vers. 723, *letalibus*. Ita repositum, cum ante esset *lætalibus*, mendose.

[21] Vers. 871, *præeunt*, prima longa, ut supra, *Quasi vinculatis præerit*, v. 752.

[22] Vers. 873, *Utroque*, recte, adverbialiter. Alias *Utraque* et *Utræque*, mendose

[23] Vers. 894, *senibus*. Ed. Schot., *senes*.

[24] Vers. 925, *egentibus*. Ed. Schot., *urgentibus*.

[25] Vers. 935, *Sponsoque vectos obviam regi Deus*. Edd. Bad., Grav. et Schot., *Sponsoque reginæ obviam vectos Deus*. Edd. Grin. et Poelm., *Sponsoque regi*, mendose. Ms. Reg., *regis*.

IN POEMA XXV.

[1] Vers 41, *sacerdotis*. Ed. Schot., *sacerdotum*.

[2] Vers. 42, *accipiet*. Ed. Schot., *accipiat*.

[3] Vers. 43, *inclusas*. Ed. Schot., *inlusas*.

C [4] Vers. 147, *Crescat ut*. Ed. Schot., *Crescat et*.

[5] Vers. 186, *stet*. Ed. Schot. in marg., *sit*.

[6] Vers. 187, *deserit*. Ed. Schot. in marg., *desinit*.

IN POEMA XXVI.

[1] Vers. 59, *deponere*. Ita ms. Germ. et ed. Rosv. Edd. 5, *cognoscere*.

[2] Vers. 170, *circum*. Edd. quatuor, *circa*.

[3] Vers. 176, *circa*. Edd. 4, *coram*.

[4] Vers. 195, *Isaias*. Ed. Bad., *Esæas*. Ed. Schot., *Isæas*. Variis modis illud nomen exscribitur, *Esaias* in versione LXX interpretum, et apud Tertullianum lib. III et IV contra Marcionem, apud Prudentium Peristeph. hymn. 5, Isidorum lib. II Sententiarum, c. 16, et alibi; et *Ezias* apud Prudentium Apotheos. v. 591, et Alcimum Avitum, carm. de Laude virginitatis.

[5] Vers. 197, *ipsum*. Edd. tres in margg., *istum*.

[6] Vers. 335, *Laxatumque*. Ed. Bad., *Lassatumque*.

[7] Vers. 286, *aram*. Edd. Grin. et Poelm., *aulam*.

D

IN POEMA XXVII.

[1] Vers. 8, *posses*. Ms. Germ., *possis*.

[2] Vers. 32, *in alta*. Ms. Germ., *ad alta*.

[3] Vers. 35, *sacrosque*. Ms. Germ., *sacrusque*.

[4] Vers. 48, *trepidans*. Ms. Germ., *trepidus*.

[5] Vers. 79, *Æolio*. Ms. Germ., *aerio*.

[6] Vers. 84, *Fons opere, et finis, faciens*. Ms. Germ., *Fons ope, fonsque opere; et faciens*.

[7] Vers. 91, *seditque*. Ms. Germ., *sedetque*.

[8] Vers. 92, *profudit*. Ms. Germ., *profundit*.

[9] Vers. 96, *Pubis apostolicæ concors*. Ms. codex Germ., *Plebis apostolicæ consors*.

[10] Vers. 100, *pectine*. Ms. Germ., *plectine*.

[11] Vers. 108, *ipse*. Ms. Germ., *ipsa*.

[12] Vers. 110, *saltem*. Ms. Germ., *saltim*, semper.

[13] Vers. 134, *nec*. Ita ms. Germ. Ante erat *ne*.

[14] Vers. 151, *Nicetam*. Edd. quinque, *Nicetan*, et sic infra.

[15] Vers. 175, *possem*. Ms. Germ., *possim*.

[16] Vers. 176, *enarrare*. Ms. Germ., *narrare*.
[17] Vers. 190, *Nicetam*. Edd. tres, *Nicetun*; duo, *Nicelen*.
[18] Ib., *rursus*. Ms. Germ., *rursum*.
[19] Vers. 194, *assideo*. Ms. Germ., *adsedeo*.
[20] Vers. 204, *digneris*, Ms. Germ., *dignaris*.
[21] Vers. 215, *cæsis*. Ms. Germ., *scissis*.
[22] Vers. 218, *lenis* Edd. quinque, *levis*.
[23] Vers. 283, *cortex*. Ms. Germ., *cortix*.
[24] Vers. 292, *te mea*. Ms. codex Germ et edd. Grav. et Schot. in margg., *me tua*.
[25] Vers. 295, *nec*. Ms. Germ., *neque*.
[26] Vers. 346, *Nodemus*. Edd. 4, *Nos demus*.
[27] Vers. 387, *quantus*. Ms. Germ., *quantum*.
[28] Vers. 389, *superne*. Ms. Germ., *superno*.
[29] Vers. 399, *Duxerit*. Ms. Germ., *Duxerat*.
[30] Vers. 414, *Parte sui*. Sic ms. Germ., ed. Rosv. et Latiuius. Edd. *Parta sua*, et *Parte sua*, male.
[31] Vers. 421, *Et*. Ms. Germ., *Ut*.
[32] Vers. 442, *debita*. Ms. Germ., *reddita*.
[33] Vers. 445, *quacumque*. Edd. quinque, *quocumque*. SACCHIN.: vel intelligitur, *loco*; vel potius legendum, *quacumque*, id est *hora*.
[34] Vers. 450, *aget*. Ms Germ., *agit*.
[35] Vers. 452, *volet*. Ms. Germ. et edd. quinque, *velit*.
[36] Vers. 460, *Sint*. Ms. Germ., *Sunt*.
[37] Vers. 489, *sacra tecta*. Ms. Germ., *sacramenta*.
[38] Vers. 546, *agat*. Ms. Germ., *agit*.
[39] Vers. 553, *decepti*. Ms. Germ., *direpti*.
[40] Vers. 560, *hæc*. Sic ms. Germ. cum edd. 4. Ante erat *hic* in edit. Rosv.
[41] Vers. 569, *Mensa Petri*. Edd. 5, *Mensque Petri*.
[42] Vers. 581, *illudere*. Ms. Germ. et edd 5, *ludere*.
[43] Vers. 585, *explicuit*. Ms. codex Germ., *explevit*.
[44] Vers. 587, *Sunt*. Ita ms. Germ. Edd., *Sint*.
[45] Vers. 591, *potatur*. Edd. 5, *suadetur*.
[46] Vers. 595, *superant*. Ms. Germ. codex, *subeunt*. Edd. quatuor, *suberunt*.
[47] Vers. 596, *Quod superest ex his quæ facta et picta videmus*. Ms. codex Germ. et editi quinque, *Quæ superest his quæ facta et quæ picta videmus*.
[48] Vers. 601, *mei*. Ms. Germ. et edd. 5, *Dei*.
[49] Vers. 609, *exposito*. Ms. Germ. codex, *exposita*.

IN POEMA XXVIII.

[1] Vers. 2, *ritu*. Ms. Germ. et edd. Grav. et Schot. in margg., *voto*.
[2] Vers. 10, *adjunctæ*. Ms. Germ., *adjunctis*.
[3] Vers. 11, *situ*. Ms. Germ. et edd. 5, *situ*.
[4] Vers. 16, *qua*. Ms. Germ., *quo*.
[5] Vers. 17, *protenditur*. Ms. Germ., *pertenditur*.
[6] Vers. 25, *Tobit*. Ms. Germ., *Tobi*.
[7] Vers. 29, *super*. Una Rosv. editio, *supra*.
[8] Vers. 45, *mira spatiantibus arte*. Ms. Germ. cum ed. Schot., *mirum spectantibus apta*.
[9] Vers. 47, *jocos*. Ms. Germ. et edd. Grin. et Poelm., *lacus*.
[10] Vers. 65, *fœdo*. Ms. Germ. et edd. Schot. in marg., *fœdaque*.
[11] Vers. 67, *interjectu*. Ms. Germ., *interjactu*.
[12] Vers. 89, *vico*. Edd. 5, *vicis*.
[13] Vers. 115, *saluti*. Ms. Germ., *salutis*.
[14] Vers. 146, *flagrasse*. Ms. Germ., *flagrare*.
[15] Vers. 150, *Utilibus*. Edd. Bad. et Grav., *Utilius*.
[16] Vers. 157, *mulctatus*. Ms. codex Germ., *multatur*.
[17] Vers. 167, *dimoto*. Ms. Germ., *demoto*.
[18] Vers. 176, *Ut*. Ms. Germ, *Et*.
[19] Vers. 245, *dicens*. Ms. Germ., *dicitque*.
[20] Vers. 251, *Æthiopas*. Ms. codex Germ., *Æthiopes*.
[21] Vers. 264, *operis*. Ms. Germ., *operum*.
[22] Vers. 275, *priores*. Ms. Germ., *prioris*.
[23] Vers. 283, *nascuntur*. Ita ms. Germ. et edd. quinque. Ed. Rosv., *nascantur*.
[24] Vers. 294, *servata*. Ms. Germ. codex, *reserata*.
[25] Vers. 300, *Icta*. Ms. Germ., *Jacta*.

IN POEMA XXXV.

[1] Vers. 76, *in peccato dæmon*. Ita mss. codices Poelm., Reg. et edd. tres in marg. cum Rosv. At edd. quinque, *in peccatis, hostis*.
[2] Vers. 78, *præcipitare*. Activæ vis verbum pro patiendi positum; *præcipitari* enim dicendum erat. Hujus generis et de eodem hoc verbo multa exempla ad Venaticos et Appuleium denotavit Barthius.
[3] Vers 144, *ante obitum*. Sic ms. Reg. et edd. tres in margg. cum Rosv. Edd. quinque, *ante fuit*.
[4] Vers. 246, *labe*. Barthius legit *tabe*.
[5] Vers. 256, *frugibus*. Ms. Reg., *fructibus*.
[6] Vers. 409, *juvat*. Ed. Schot. in marg., *lubet*.
[7] Vers. 419, *suggeret ad lacrymarum*, etc. Edd. 3, *suggereret lacrymarum ad*, etc. Utraque lectio bona.
[8] Ib., *flumina*. Bad et Grav. edd., *lumina*.
[9] Vers. 452, *teget*. Ed. Schot., *tegit*.
[10] Vers. 455, *mactabis*. Ed. Schot., *mactabit*.
[11] Vers. 456, *esuriam*. Sic ms. Reg. et edd. 4. Ed. Rosv., *esuriem*, mendose.
[12] Vers. 581, *Aut illum gremio exceptum foret Abramio*. Ita cum ed. Rosv., ms. Reg. codex. Ed ti quinque, *Aut illum gremio fidei pater excipit almo*.
[13] Vers. 603, *viretis*. Ms. Reg. codex cum edd. Bad. et Schot. in margg., *virectis*.
[14] Vers. 624, *Dic et*. Edd. Grin., Poelm. et Schot., *Dices*.

APPENDIX
OPERUM SANCTI PAULINI
COMPLECTENS
OPERA DUBIA, ALIENA, SUPPOSITITIA.

EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA *.

Autor agit de bono tribulationis, per quam ad studia pietatis profecisse Marcellam gratulatur [a].

721 1. Magnam humilitati nostræ fiduciam scribendi ad venerationem tuam Christi caritas dedit, quæ te fecit humilem corde pietatis, et divitem operibus benedictionis. Talis etenim [1] de sanctis fidei tuæ divitiis fama processit, ut (*a*) ad nos quoque in longinquo

* Alias 49.
[a] Vide dissert. 6, n. 2.
(*a*) Paulino hæc epistola adscripta fuit a Romano socio, cum tomo IX Hieronymi, vel Hieronymum ipsum, vel incertum præferret autorem. Equidem cum

positos penetraverit, et auditu (*a*) gratiæ Dei tamquam oleo lætitiæ impinguaverit ossa nostra. Notum enim factum est nobis bonum tuum; quoniam illuminavit Dominus [2] vultum suum super te. Segregavit te ab utero [3] cognationis et terræ tuæ, non regione, sed spiritu bonæ voluntatis, ut de terrenis opibus fidelem sibi constituat in cœlestibus earum participem, de quibus scriptum est : *Mulieres sapientes ædificaverunt sibi domos* [a]. Hæc autem **722** audientes de tua felicitate cœlesti, effudimus coram Deo corda nostra, et *in voce exsultationis epulantes* [b] diximus : *Dominus mortificat, Dominus vivificat, deducit ad inferos et reducit. Dominus divites pauperes facit, humiles exaltat* [c], *quia calix in manu Domini* (*b*) *hunc humiliat et hunc exaltat* [d]. Quod etsi ad omne mysterium regni pertinere videtur, attamen et ad tuam specialiter gratiam referri potest, quæ magno Domini miserantis consilio exaltata es ut (*c*) humiliareris, et humiliata ut exaltareris.

2. Non enim ignoramus, venerabilis soror et benedicta filia, tuam præteritam in hoc seculo gloriam. Nam etiam vidimus te in tempore illo, quo domum tuam regalis affinitas ambiebat, eminentem in his honoribus qui destruuntur, quia et etsi ipsi quoque a Domino altissimo tribuuntur, quia *omnis potestas a Deo* [4] *est* [e], attamen caduci et fragiles sunt qui sub hoc mundo aguntur, cujus figura ut umbra præterit. Unde impensius admiramur gratiam quæ tibi data est, et magnificamus in te Dominum, qui te in laboribus hominum posuit et salutifero paternæ pietatis verbere visitavit, ut in paucis vexatam in multis bene disponeret, teste **723** Apostolo : In hoc mundo *corripimur, ne cum hoc mundo damnemur* [f]. Unde et David ait : *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me : oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* [g]. Ita et in Salomone scriptum esse [5] sine dubio in studiis spiritualibus posita didicisti quoniam *Dominus quem diligit corripit et flagellat* [h]; *Castigat autem omnem filium quem recipere* [i] dignatur disponendum ad vitam æternam. De eo et Apostolus non confunditur, nec atteritur ; sed magis gloriatur, et potens fit in infirmitatibus suis : qui ut nos suo confortet exemplo, fatetur et prædicat sibi ipsi [6], cui etiam usque in tertium cœlum patuerat ascensus, et quem neque ignea illa rhomphæa ab aditu paradisi potuerat excludere, ubi etiam ineffabile omni linguæ (*d*) audierat arcanum ; sed tamen ne extolleretur propter excellentiam [7] revelationum, ita se ipsius, a quo in tantum glorificabatur, Domini moderamine gubernatum refert, ut apposito angelo Satanæ in stimulum carnis suæ, id est, in (*e*) tribulationem corporis, deprimeretur salubriter, ne inflaretur inaniter. *Propter quod*, inquit, *ter Dominum rogavi, ut recederet a me, et dixit mihi : Sufficit tibi gratia mea ; nam virtus in infirmitate perficitur* [j].

3. Quamobrem cum tali magistro et autore instructa [k]; ad virtutem patientiæ et spem gloriæ æternæ, confidens esto, filia, sicut esse cœpisti, et gloriare in præteritis passionibus tuis, recolens et illa ejusdem doctoris eloquia. Fideliter enim, ut conscius arcanorum cœlestium, contestatur *non esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* [l]. *Tribulatio*, inquit, *patientiam operatur*, *patientia autem probationem*, *probatio vero spem*, *spes autem non confundit ; quia caritas Dei diffusa est in cordibus nostris* [m], in qua caritate (*f*) radicati omnia sustinemus. Propterea et David ait : *Diligam te, Domine, virtus mea* [n]. Dilectio enim Domini virtus salutis est : quia *Deus dilectio est*, *et qui manet* [8] *in* (*g*) *caritate in Deo manet* [o]. Sciens autem et propheta quia *momentaneum tribulationis* in hoc seculo *immensum perennis gloria*, ut Apostolus ait [p], *pondus operatur*, sanctus ille rex in psalmo, ut dignus habeatur igniri tentationum examine, dicit : *Proba me, Domine, et tenta me* [q]. Unde et iterum idem (*h*) psalmographus noster, quasi pœnitens mundi hujus gloriæ, confitetur cum dicit : *Priusquam humiliarer ego deliqui* [r]. Et quia humiliatione curatus sit, statim dicit : *Propterea eloquium tuum custodivi*. Ob hoc rursus propheta : *Da nobis*, ait, *auxilium de tribulatione;* et : *Vana salus* **724** *hominis est* [s]. Est enim vana salus hominum, quæ putatur in hac tantum vita mortali esse, de qua homini dicitur : *Homo sicut fœnum dies ejus* [t]. Et quidem, tu sancta filia, etiam documentis edocta es probare sententiam, quia *omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos fœni. Aruit fœnum, et flos ejus decidit : verbum* autem *Domini* [9], et qui fecit illud, *manet in æternum* [u], (*i*) sicut ipse Dominus manet in æternum qui est ante secula. Ob hoc vere dictum est : *Vana salus hominis* [v], quia vana omnia sub cœlo. Unde et in psalmis habes : *Universa vanitas omnis homo vivens* [x].

4. Sed de quo genere hominum ista dicat, in consequentibus docet, de eis scilicet qui vane conturbantur amore divitiarum suarum, in quas [10] sicut belluæ cæcæ [11] inhiant sine fine cupiendi et congerendi, thesaurizantes in terra, et ignorantes cui congregent eas [y], *Relinquet*, inquit, *alienis divitias suas* [z] : et postquam *in vanitate defecerint dies eorum*, rapti in infernum *omnes* non domini, sed *servi divitiarum* suarum, *nihil* illic *invenient in manibus suis* [aa], quia nihil præmiserunt, nisi æternarum merita pœnarum. Illa autem non est (*j*) *vana salus hominis*, de qua dicitur : *Domini est salus, et super populum tuum benedictio tua* [bb]. Et iterum : *Salus autem justorum a Domino est* [cc]. Ideo et spes in Deo posita non confundet [dd], quia salus vana non est quæ speratur in Christo, et confertur a Christo.

5. Ergo quia accepisti *auxilium de tribulatione* [ee], ne concupisceres humanam diem, et [12] vana salute hominis gauderes : gloriare in Domino, et benedic eum, *qui tibi tribuit intellectum* [ff], ne in via peccatorum stare persisteres, *neque in filiis* generationis istius permaneres, *quibus non est salus* [gg] : quia *prævalescunt in vanitate sua* [13] veritatis immemores. Quia dum *confidunt in multitudine divitiarum suarum, non ponunt Deum adjutorem suum*. Tibi autem facta est sors in hereditate Jacob, et illuminati sunt oculi tui in agnitionem veritatis, ut intelligeres quia *melius est modicum justo super divitias peccatorum mul-*

[a] Prov. XIV, 1, sec. LXX. [b] Psal. XLI, 5. [c] I Reg. II, 6. [d] Psal. LXXIV, 9. [e] Rom. XIII, 1. [f] I Cor. XI, 32. [g] Psal. CXL, 5. [h] Prov. III, 12, sec. LXX. [i] II Cor. XI, 30 [j] II Cor. XII, 8. [k] Vide Paulini ep. 30, n. 5. [l] Rom. VIII, 18. [m] Rom. V, 3. [n] Psal. XVII, 2, sec. Psalt. Rom. [o] I Johan. IV, 16. [p] II Cor. IV, 17. [q] Psal. XXV, 2. [r] Psal. CXVIII, 67. [s] Psal. LIX, 13. [t] Psal. CII, 15. [u] Isai. XL, 6, 7 et 8. [v] Psal. LIX, 13. [x] Psal. XXXVIII, 6. [y] Ibid., 7. [z] Psal. XLVIII, 11. [aa] Psal. LXXV, 6. [bb] Psal. III, 9. [cc] Psal. XXXVI, 39. [dd] Rom. V, 5. [ee] Psal. LIX, 13. [ff] Psal. XV, 7. [gg] Psal. CXLV, 3, sec LXX.

Paulinus Nolæ maxime vixerit, cui vicina Roma ubi Marcella degebat, non potuit Paulinus illi fuisse longinquus, nisi ad eam scripserit, cum primum in Hispania vitam severiorem amplexus est. ROSVEYDUS.

(*a*) Ita mss. tres codices, 1 Jol. et 2 Victor., cum editis Mogunt., Rom. et Ponc. At edit. Rosv., *gratia*.

(*b*) Hæc addidimus ex mss. codicibus tribus et edit. Mogunt. Vide seqq.

(*c*) Mss. Jol. et 1 Vict., *humilieris... exalteris*.

(*d*) Ms. Jol. cum ed. Mog., *patuerat*.

(*e*) Sic iidem codices. Alii, *tribulatione corporea*.

(*f*) Hanc vocem addidimus ex tribus mss. codicibus et editis quatuor.

(*g*) Ita mss. tres cum ed. Mog. Alii, *dilectione*.

(*h*) Ms. Jol. et ed. Mog., *psalmigraphus*.

(*i*) Hæc addita sunt usque *Ob* ex mss. codicibus tribus et edit. Mogunt.

(*j*) Ms., Jol., *vacua*.

tas [a]. Ideo enim *misericors et miserator Dominus* [b], quia talibus suis præparat adinventiones suas ad vitam hominum propagandam, permisit te istius seculi fluctibus ventisque jactari, ut, experta naufragium, de cetero similiter periclitari caveres. Itaque cuncta quæ passa es, sicut intelligis, vulnera quidem corporis tui, sed et animæ remedia fuerunt.

6. In *circumcisione cordis* fac opera tua, ut *gloria* tua *non sit ex hominibus, sed ex Deo* [c], **725** qui *deponit potentes de sede, et exaltat humiles : et esurientes implet bonis, et divites dimittit inanes* [d]. *Deus scientiarum Dominus* [e], vide quanta gloriam tuam (*a*) recompensatione mutavit, qui de te maluit participem rerum cœlestium fieri, quam ad finem terrestrium permanere, ut ab humana dignitate transires in regnum Dei. Et quidem multis hominibus hujus seculi vanitate captivis, similia Deus auxilia percipiendæ in æternum salutis offerre dignatur : sed (*b*) plerique, superantibus sana consilia sollicitudinibus divitiarum ac delectationibus corporum, nolunt intelligere ut bene agant, et malunt lata via perditionis spatiari cum multis, quam angustam semitam invenire cum paucis [f]. Unde et tu, beatissima, cui donatum est non indurari pia castigatione, sed corrigi; neque gloriari in divitiis, sed spem et [g] rem in Deo ponere, et a sorte divitum [1] peccatorum (*c*) dividi, quorum cor ut cœnum [15] est, quia et cor sicut thesaurum suum in terram demergunt; transi ad beatorum [16] pauperum sortem, quorum formam Christus accepit, *et factus est refugium* (*d*) *pauperi* [h]. Neque divites, sed pauperes beati, quorum esse pronuntiat regnum cœlorum [i].

7. Tuum est ergo nunc in magna gratiarum actione confiteri et psallere Domino : quæ ita, ut audivimus, et habitu et corde humilitatis ornata [17] es, ut linguæ et menti tuæ Davidica verba conveniant : *Bonum mihi est, quod humiliasti me; ut discerem justificationes tuas* [j] [18]. Adjicere etiam quod statim sequitur (*e*) vere poteris : *Bonum mihi est lex oris tui super millia auri et argenti* [k]. Elegisti enim thesauros tuos ponere in præceptis Altissimi. Dicimus et nos congratulantes [19] tibi in verbis prophetæ : *Gaude, filia Sion; lætare, filia Hierusalem* [l], et obliviscere malorum quæ tibi de hujus seculi bonis orta sunt : quæ elegisti tibi bonam partem, quæ non auferetur tibi [m]. Nemo enim potest auferre thesauros (*f*) repositos in sinu Christi, neque **726** evertere domum in ipso angulari lapide fundatam. Non enim ligno putribili, neque stipula fragili, aut fœno arescente, super infirmam arenam ædificium [20] collocasti, sed super immobile fundamentum quod est Christus, *præter quod aliud fundamentum nemo potest ponere* [n] inconsummandum, argento, et auro et lapidibus pretiosis [o] exstruere cœpisti in Christo. Et quia perficis hoc ædificium, Dei enim ædificatio est [p], ille sapiens architectus insistit operi tuo, ut doceat te percurrere cursum bonum, oblivisci quæ retro sunt, et extendi ad bravium supernæ vocationis [q], ut apprehendas in quo apprehensa es, et accipies coronam justitiæ, et diadema gloriæ de manu Domini. Cumque magna dies illa in igne cœperit revelari [r], non concremetur opus tuum (*g*) sapientis ignis examine, sed probetur [s]. Nec exstinguatur lumen tuum, sed inter stellas clariores emicet, inter illos qui *fulgebunt sicut sol in regno Dei* [t], *et sicut luna in æternum perfecta* [u] : quos etiam [21] *per diem sol non uret,* [22] *neque luna per noctem* [v]. Erunt enim in Hierusalem urbe illa cœlesti permanentes : cui ipse Dominus, ut scriptum est [x], erit et nomen et lumen.

8. Videntes ergo et prævidentes in spiritu revelationis (*h*) magnam tibi perennium gaudiorum messem florescere, exsultamus in Domino, et gaudentes fructibus tuis in voce exsultationis psalmi (*i*) canimus : *Magna opera Domini, exquisita inter* [23] *omnes voluntates ejus* [y] : quia multum abundavit bonitas ejus, [z] superabundare tribulationibus tuis : quandoquidem te in eorum sorte vocavit perenni lætitia et hereditate cœlesti, et in honore regali, et in consessu superjudiciali. (*j*) Tolerandæ sunt in hoc seculo humilitates passionis, quæ tibi a Deo [24] recompensabuntur : et tu, benedicta, similiter, (*k*) interim his verbis consolare, ut et veterum dolorum obliviscaris, et in præsenti proposito, quo ad opera salutaria elevasti manus tuas corde perfecto firmata, fiducialiter futurorum bonorum tibi perpetuam felicitatem [aa] festiva **727** meditatione promittas, teque ipsam in cœlum (*l*) animo gestiente præcurras; ut dum corpore moraris in terra, jam ad Christum mente pervenias : dumque Christum conaris imitari, et vestigio ejus affigeris, depositis oneribus et impedimentis atque compedibus, quibus seculi hujus divites attinentur, *sedentes in tenebris et umbra* [25] *mortis* [bb], tu jam liberata et expedita comiteris Dominum majestatis crucifixum, cujus

[a] Psal. xxxvi, 16. [b] Psal. cx, 4. [c] Rom. ii, 29. [d] Luc. i, 52. [e] I Reg. ii, 3. [f] Matth. vii, 13. [g] Vide ep. 32, n. 3, v. 18. [h] Psal. ix, 10. [i] Matth. v, 3. [j] Psal. cxviii, 71. [k] Psal. cxviii, 72. [l] Zach. ii, 10. sec. LXX. [m] Luc. x, 42. [n] I Cor. iii, 11. [o] Ibid., 12. [p] Ibid., 9. [q] Philip. iii, 13. [r] I Cor. iii, 13. [s] Vide ep. 28 ad Severum, n. 2. [t] Matth. xiii, 43. [u] Psal. lxxxviii, 38. [v] Psal. cxx, 6. [x] Apoc. xxi, 23. [y] Psal. cx, 2. [z] Vide ep. 42, n. 1. [aa] Vide ep. 13, n. 24, et ep. 17, n. 1. [bb] Psal. 87, 7, et cvi, 10.

(*a*) Sic mss. tres et edit. Ponc. Hæc lectio infra confirmatur ex n. 8, *quæ tibi a Deo recompensabuntur*. Ed. Rom., *repensatione*. Ed. Rosv., *compensatione*.

(*b*) Ita restituimus ex tribus mss., 2 Vict. et 1 Jol., et ex editis codicibus Mog., Ponc. et Rom., cum ante esset *plerisque spernentibus*.

(*c*) Abest hoc verbum a duobus mss. codicibus Victorinis et edit. Mogunt.

(*d*) Ita edd. juxta Græcum et Vulg. At mss. duo Vict., *pauperi*. Ms. Jol., *pauperum*.

(*e*) Hæc vox desideratur in editione Mog. et in mss. Jol. et 1 Vict. Alter Vict., *jure*.

(*f*) Ms. Jol. cum edit. Mog., *reconditos*; sed jam præcessit, *Elegisti thesauros tuos ponere in præceptis Altissimi*.

(*g*) Ita emendavimus ex tribus mss. codicibus et editis Rom. et Ponc. Ante in editis erat *rapientis ignis examine*. Sed restituta lectio verissima, quæ ex loco persimili epistolæ 28 ad Severum, n. 2, confirmatur : *Hæc est domus illa non manufacta, in qua si habitemus iis operibus quibus cives sanctorum fieri mereamur, non ardebit opus nostrum; et* IGNIS *ille* SAPIENS *transeuntes nos per examen suum non severo ardore ambiet puniendos, sed ut commendatos suscipiens, blando lambet attactu*, etc. Sic et *ignis sapiens* apud Augustinum; qui ideo dicitur *sapiens*, quod quadam veluti sapientia a Deo illi infusa discernat quos probare debeat, et quos urere. Vide Paulini carm. 7, v. 32 et seqq.

(*h*) Ms. codex Victorinus unus, *magna tibi perennium gaudiorum præmia florescere*. Vulgatam lectionem, quam retinemus, confirmat locus epistolæ 13 ad Pammachium, n. 23. *Nec longe retribuendi dies, albentibus jam propinqua messe regionibus*.

(*i*) Mss. tres cum ed. Mog., *dicimus*. Sed melius convenit verbum *canimus* cum *voce exsultationis* et versu psalmi ad quem alludit.

(*j*) Ms. 1 Vict., *Tolerandæ... humilitatis passiones*. Ms. Jol., *Toleratæ*.

(*k*) Editi codices Rom. et Ponc., *inter hæc verba consolare*. At vulgata lectio, quam tuetur mss. codicum auctoritas, confirmatur ex eodem loco epistolæ superius laudatæ, n. 24, *liberius... venturi fide, quam... cujusquam sermone solaberis*.

(*l*) Ms. Jol. cum editis Rom. et Ponc.,..., *animum gestantem*.

imaginem non potest portare, nisi qui in hoc seculo A nudum se reddit et mortuum, ut secundum ipsum Dominum dicat: *Venit enim princeps mundi hujus, et in me nihil invenit* [a]; vel secundum prophetam David: *Factus sum inter viventes quasi mortuus* [b]; ut sic *inter mortuos libera* possis juxta Apostolum dicere: *Vivo autem jam non ego, vivit autem in me Christus* [c]. (*a*) Gaude quia facta es sicut gloriosa Judith, inter virtutes pudicitiæ meritis viduitatis incorruptæ potens, sicut et Anna venerabilis in jejuniorum castimonia orationi instans nocte ac die [16].

EPISTOLA II *.

Autor Celanciam nobilem matronam, a qua obnixe rogatus de hoc fuerat, docet quomodo inter honores, divitias, matrimonii onera, vitam suam sancte ac religiose ducat. Eam ad divinæ Scripturæ lectionem hortatur; et admonens ne de generis nobilitate superbiat, docet in quo sita sit vera nobilitas; item quid viro suo debeat. Eam demum redarguit quod inconsulto viro castitatem Deo voverit. (*Vide Dissert.* B 6, *n.* 2.)

1. Vetus Scripturæ celebrata sententia est, esse pudorem quo gloria inveniatur [1] et gratia, et esse rursus pudorem qui soleat [2] parere peccatum [d]. Cujus dicti veritas, quamquam satis ad omnium intelligentiam ipsa sui luceat claritate, mihi tamen nescio quo modo in præsenti causa propius innotuit. Provocatus enim ad scribendum litteris tuis, quæ miris hoc a me obsecrationibus flagitabant, diu, fateor, de responsione dubitavi, silentium mihi imperante verecundia; cui tamen fortissime resistebat, et vim faciebat precum tuarum fidelis ambitio [e]; pugnabatque acriter cum hæsitatione mea humilitas obsecrantis; et magna quadam fidei [3] violentia oris claustra pulsabat: cumque sic [4] animum in utroque nutantem cogitatio diversa libraret, pene pudor exclusit officium. Sed me illa, quam supra posui, Sapientis sententia armavit ad depellendam inutilem verecundiam, et damnosum **728** silentium resolvendum; cum utique C ipsam scribendi causam tam honestam viderem esse, tam sanctam, ut peccare me crederem [5] si tacerem, illud mecum Scripturæ reputans: *Tempus tacendi, et tempus loquendi* [f]. Et iterum: *Ne retineas verbum in tempore salutis* [g]. Et illud B. Petri: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem* [h].

2. Petis namque, et sollicite ac violenter [6] petis, ut tibi certam ex Scripturis sanctis præfiniamus regulam ad quam tu ordines cursum vitæ tuæ; ut, cognita Domini voluntate, inter honores seculi et divitiarum illecebras, morum magis diligas supellectilem; atque ut possis in conjugio constituta, non solum conjugi placere, sed etiam ei qui ipsum indulsit conjugium. Cui tam sanctæ petitioni, tamque pio desiderio non satisfacere, quid aliud est, quam profectum alterius non amare? Parebo igitur precibus tuis, teque paratam ad implendam [7] Domini voluntatem ipsius [8] nitar incitare sententiis. Idem est enim verus omnium Dominus ac Magister, qui nos placere sibi jubet, et docet [9] quo modo placere ei D possimus [i]. Ipse itaque te informet, ipse te doceat, qui interroganti in Evangelio adolescenti quid faceret ut mereretur vitam æternam, divina continuo mandata proponit, ostendens nobis ejus voluntatem esse faciendam, a quo speramus et præmia; propter quod alio testatur loco: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum; sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum* [j]. Quo manifeste illud ostenditur, nos non sola Dei confessione tanti præmii magnitudinem promereri, nisi fidei et justitiæ opera conjuncta sint.

3. Qualis enim est illa confessio, quæ sic Deo credit [10], ut pro nihilo ejus ducat imperium [11]? aut quomodo ex animo ac vere dicimus, *Domine, Domine;* si ejus quem Dominum confitemur præcepta contemnimus? Unde ipse in Evangelio dicit: *Quid autem vocatis me, Domine, Domine; et non facitis quæ dico* [k]? Et iterum: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me* [l]. Et rursum loquitur per prophetam: *Filius honorificat patrem, et servus dominum suum timet. Et, si Pater ego sum, ubi honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus* [m]? Ex quo (*b*) apparet nec honorari ab eis Dominum nec timeri, qui ejus præcepta non faciunt. Unde ad David expressius dicitur, qui peccatum admiserat: Et (*c*) *pro nihilo duxisti Dominum.* Et ad Heli fit sermo Domini: **729** *Qui honorificat me, honorificabo eum;* (*d*) *qui autem pro nihilo me habent, ad nihilum redigentur* [n].

4. Et nos securo ac bono animo sumus, qui per singula (*e*) quæque præcepta, inhonorantes Deum clementissimum, (*f*) Dominum ad iracundiam provocamus; ejusque imperium superbissime contemnendo, in tantæ majestatis imus injuriam? Quid enim umquam tam superbum, quid vero tam ingratum videri potest, quam adversus ejus vivere voluntatem, a quo ipsum vivere acceperis? quam illius præcepta despicere, qui ideo aliquid imperat, ut causas habeat remunerandi? neque enim obsequii nostri Deus indiget, sed nos illius indigemus imperio. *Mandata ejus desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum* [12], *et dulciora super mel et favum*: quoniam *in custodiendis illis retributio multa* [o]. Et ideo nobis irascitur, idcirco magis illa immensa Dei bonitas [13] offenditur, quia eam [14] per tanti etiam præmii detrimenta contemnimus: nec solum (*g*) imperia, sed etiam promissa illius pro nihilo ducimus [15]. Unde sæpe, immo semper illa nobis Domini est revolvenda sententia: *Si vis ad vitam venire, serva mandata* [p]; hoc enim tota nobiscum lege agitur; hoc prophetæ, hoc apostoli [16] docent; hoc a nobis et vox Christi et sanguis efflagitat [17], qui ideo *pro omnibus mortuus est, ut qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro illis* [18] *mortuus est* [q]. Vivere autem illi, non est aliud quam ejus præcepta servare, quæ nobis ille, quasi certum quoddam dilectionis suæ pignus, servanda mandavit. *Si diligitis,* inquit, *me, mandata mea servate.* Et, *qui habet mandata mea, et servat ea, ille est qui diligit me.* Ac rursus: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non servat* [r]. Grandem vim obtinet vera dilectio. Et qui perfecte amatur, totam sibi amantis (*h*) vendicat voluntatem. Nihil est imperiosius caritate. Nos si vere Christum diligimus, si ejus nos redemtos sanguine recordamur, nihil magis velle, nihil omnino debemus agere, quam quod illum velle cognoscimus.

[a] Johan. XIV, 30. [b] Psal. LXXXVII, 6. [c] Gal. II, 20. [d] Eccli. IV, 25. [e] Id est *ambitus.* [f] Eccli. III, 7. [g] Eccli. IV, 28. [h] I Pet. III, 15. [i] Matth. XIX, 17. [j] Matth. VII, 21. [k] Luc. VI, 4. [l] Matth. XV, 8. [m] Mal. I, 6. [n] I Reg. II, 30. [o] Psal. XVIII, 11. [p] Matth. XIX, 17. [q] II Cor. V, 15. [r] Johan. XIV, 15 et 21.

* Alias 50.

(*a*) Hæc duo verba absunt a tribus mss. codicibus et editis duobus.

(*b*) Ms. codex Jolianus, *patet.*

(*c*) Ex ms. codice Jol. reposuimus *Dominum* juxta Græcum. Ante erat *Deum.* Vulgata et LXX, *contemsisti verbum Domini.*

(*d*) Lucifer, *et qui spernit me ad nihilum redigetur.*

(*e*) Ms. Jol. addit *Dei.* Edd. codices Rom. et Ponc., *per singula quæque peccata.*

(*f*) Addidimus *Dominum* ex mss. 2 Vict., Jol. 1 et edd. Rom. et Ponc.

(*g*) Sic tres mss. codices Vict. et Jol. cum ed. Rom. ut supra. Edit. Rosv., *imperata.*

(*h*) Ita omnes codices, præter Rosv., in quo *vindicat.*

5. Duo autem sunt genera mandatorum, in quibus A clauditur tota justitia : prohibendi unum est, jubendi alterum. Ut enim mala prohibentur, ita præcipiuntur bona. Ibi otium imperatur, hic studium ; ibi coerceatur **730** animus, hic incitatur. (*a*) Ibi fecisse, hic non fecisse, culpabile est. Unde et propheta dicit : *Quis est homo qui vult vitam, et cupit videre dies bonos? Prohibe linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Declina a malo, et fac bonum* [a]. Et beatus Apostolus : *Odientes malum, adhærentes bono* [b]. Hoc itaque duplex diversumque præceptum, prohibendi scilicet et imperandi, æquo omnibus jure mandatum [19] est. Non virgo, non vidua, non nupta ab hoc imperio libera [20] est. In quovis proposito, in quovis gradu, æquale peccatum est vel prohibita admittere, vel jussa non facere. Neque vero eorum te seducat error qui ex arbitrio suo eligunt quæ potissimum Dei mandata faciant, quæve quasi vilia ac parva despiciant ; nec metuunt ne, secundum divinam sententiam, minima contemnendo paulatim decidant. B

6. Stoicorum quidem est, peccatorum tollere differentiam, et delicta omnia paria judicare, (*b*) nec ullum inter scelus et erratum discrimen facere [c]. Nos vero, etsi multum inter peccata distare credimus, quia et legimus : tamen satis prodesse ad cautionem dicimus, etiam minima (*c*) pro maximis cavere. Tanto enim facilius abstinemus a quocumque delicto, quanto illud magis metuimus; nec cito ad majora progreditur, qui etiam parva formidat. Et sane nescio, an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemtum admittitur. Estque ille prudentissimus, qui non tam considerat quod jussum sit, quam illum qui jusserit; nec quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem.

7. Ædificanti itaque tibi spiritualem domum, non super levitatem arenæ, sed super soliditatem petræ, innocentiæ inprimis fundamentum ponatur, super quod (*d*) facilius possis arduum culmen justitiæ erigere. Maximam enim partem æquitatis implevit, qui nulli nocuit : beatusque est, qui potest cum sancto C Job dicere : *Nulli nocui hominum, juste vixi cum omnibus* [d]. Unde audenter et simpliciter loquebatur ad Dominum [21] : *Quis est ille qui judicetur mecum* [e]? id est, Quis tuum adversum me potest implorare judicium, ut se læsum a me convincat? Purissimæ conscientiæ est, secure canere cum propheta : *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus* (*e*) *meæ* [f]. Unde idem alibi dicit : *Non* (*f*) *fraudavit eos Deus bonis, qui ambulant in* **731** *innocentia* [g]. Itaque malitiam, odium, atque invidiam, quæ vel maxima, vel sola semina sunt nocendi, Christiana a se propellat anima ; neque manu tantum aut lingua, sed corde quoque custodiat innocentiam ; nec opere modo, sed voto [22] etiam nocere formidet. Quantum enim ad peccati rationem pertinet, nocuit et qui nocere disposuit. Multi (*g*) nostrorum illum absolute atque integre definiunt innocentem, qui ne in eo quidem ulli noceat, quo prodesse desistat. Quod si est verum, tum demum lætare de innocentiæ conscientia, si, cum potes, adjuvare non desinas; si vero divisa inter se ista atque distincta sunt; aliudque est, non nocere, quod semper [23] potes; aliud prodesse, cum possis : aliud malum non facere, aliud operari bonum ; illud tibi rursum occurrat, non sufficere Christiano, si partem unam justitiæ impleat, cui utrumque præcipitur.

8. Neque enim (*h*) debemus ad multitudinis exempla respicere, quæ, nullam morum disciplinam sequens, nullum vivendi tenens ordinem, non tam ratione ducitur quam quodam impetu fertur. Nec imitandi nobis illi sunt, qui sub Christiano nomine gentilem vitam agunt, et aliud professione, aliud conversatione testantur : atque, ut Apostolus ait, *Deum confitentur se nosse* [24], *factis autem negant* [h]. Inter Christianum et [25] gentilem non fides tantum debet, sed etiam vita distinguere, et diversam religionem per diversa opera monstrare. *Nolite*, ait Apostolus, *jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas* (*i*) *luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis* [i].

9. Sit ergo inter nos et illos maxima separatio. (*j*) Disjungitur certo discrimine error et veritas. [j] Illi terrena sapiant [26], qui cœlestia promissa non habent : illi brevi huic vitæ se totos implicent, (*k*) qui æterna nesciunt [27] ; illi peccare non metuant, qui peccatorum impunitatem putant ; illi serviant vitiis, qui non sperant futura præmia virtutum. Nos vero, qui purissima confitemur fide, omnem hominem manifestandum esse ante tribunal Christi, *ut recipiat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum* [k]; procul esse debemus a vitiis, dicente Apostolo, *Qui autem Christi* **732** *sunt* [28], *carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* [l]. Nec turbam sequantur errantum, qui se veritatis discipulos confitentur.

10. Duas certe conversationis vias, et distincta in diversum itinera vivendi, Salvator in Evangelio ostendit : (*l*) *Quam*, inquit, *spatiosa via quæ ducit ad mortem et multi sunt qui intrant per eam* [m]. Et rursum : *Quam arcta et angusta via est quæ ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam* [n]. Vide quanta inter has vias separatio sit, quantumque discrimen. Illa ad mortem, hæc tendit ad vitam : illa (*m*) celebratur et teritur a multis, hæc vix invenitur a paucis : illa enim vitiis per consuetudinem, quasi declivior ac mollior, et velut quibusdam amœna floribus voluptatum, facile ad se rapit commeantium multitudinem ; hæc vero, insueto calle virtutum, tristior atque horridior, ab his tantum eligitur quibus non tam delectatio itineris cordi est quam utilitas mansionis. Asperam enim nobis et insuavem virtutum viam nimia facit vitiorum consuetudo; quæ si in partem alteram transferatur, (*n*) *invenietur*, sicut Scriptura [o] dicit, *semita justitiæ levis*. Ponamus ergo jam ratio-

[a] Psal. XXXIII, 13, 14, 15. [b] Rom. XII, 9. [c] Hanc Stoicorum sententiam refellunt Hieronymus in lib. II contra Jovinianum, et Augustinus epist. 167 (al. 29) ad Hieronymum. [d] Job. XXVII, 6. [e] Job. XIII, 19. [f] Psal. C, 2. [g] Psal. LXXXIII, 13. [h] Tit. I, 16. [i] II Cor. VI, 14. [j] Figura Paulino valde familiaris. [k] II Cor. V, 10. [l] Gal. V, 24. [m] Matth. VII, 13. [n] Ibid., 14. [o] Prov. II, 20, juxta LXX.

(*a*) Sic ms. codex Jolianus ex præcedentibus bene D subsequitur, cum alias esset : *hic fecisse, illic non fecisse*. Et idem ms. post *culpabile est* subjungit : *Homo qui velis vitam, et cupis dies videre bonos.*

(*b*) Paulinus carm. 5, v. 52, *Si scelere abstineo, errori ipse obnoxius*, etc.

(*c*) Mss. Jol. et Vict. 1, *timere pro maximis.*

(*d*) Ms. Jol., *facilius valeat arduum justitiæ culmen surgere.*

(*e*) Ita codices Rom., Ponc. et ms. Vict. juxta Græcum et Vulg. Vide eadem in fine epistolæ, n. 52. Ed. Rosv., *tuæ.*

(*f*) Græce, κύριος οὐχ ὑστερήσει τὰ ἀγαθά. *Non privabit Dominus bonis.* Psalteria 4 et S. Augustinus in psalmos, *Non privabit.*

(*g*) Editi codices Er. et Rosv., *nomen illud.*

(*h*) Manuscriptus codex 1 Vict. cum editis Rom. et Ponc., *decet.* Ms. Jol., *Neque enim debemus ad multitudinem hominum malam respicere vitam, quæ*, etc.

(*i*) Ita tres mss. codices cum ed. Rom. juxta Græcum et Vulg. At ed. Rosv., *lucis.*

(*j*) Ms. Jol. *distinguitur*; mss. duo Vict. cum editis Rom. et Ponc., *distinguatur.*

(*k*) Ms. codex Jolianus, *æternam nesciunt vitam.*

(*l*) Manuscriptus codex Jol., *dicens : Quam lata et spatiosa via est.*

(*m*) Idem ms., *celebratur a pluribus, et tenetur a multis.*

(*n*) Editi codices Rom. et Ponc., *invenies... semitam justitiæ levem.* Affertur et hic locus a S. Augusti-

nem vitæ nostræ, et, per quam potissimum gradiamur viam, conscientia teste discamus. Omne enim quod [29] agimus, omne quod loquimur, aut de lata aut de angusta via est. Si cum paucis angustum iter et subtilem quamdam semitam invenimus, ad vitam tendimus, si vero multorum comitamur viam [a], secundum Domini sententiam imus ad mortem.

11. Si ergo odio atque invidia possidemur, si cupiditati et avaritiæ cedimus, si præsentia commoda futuris præferimus, per spatiosam viam incedimus: habemus enim ad hæc [30] comitum multitudinem, et late similium stipamur agminibus. Si iracundiam libidinemque explere volumus, si injuriam vindicare, si maledicenti remaledicimus [31], et adversus inimicum inimico animo sumus, æque cum pluribus ferimur. Si vel adulamur ipsi, vel adulantem libenter audimus, (a) si verum dicere gratia impedimur, et magis offendere animos hominum timemus quam non ex animo loqui (b), de multorum item via sumus. Tot nostri sunt socii quot extranei veritatis. At e contrario, si ab his omnibus vitiis (c) sumus extranei, si purum ac liberum animum præstamus, **733** et, omni cupiditate calcata, solis studemus divites esse virtutibus, per angustam viam nitimur; conversatio enim ista paucorum est. estque perrarum atque difficile idoneos [32] hujus itineris comites reperire: quin etiam multi hac ire se simulant, et per diversa errorum diverticula ad viam multitudinis revertuntur, ideoque timendum est ne quos duces recti hujus itineris habere nos credimus, eos comites habeamus erroris.

12. Si igitur inveniuntur exempla quæ nos per hanc ducant viam [33], et rectum Evangelii tramitem teneant, sequenda sunt; sin vero ea vel deficiunt, vel deficere putantur, apostolorum forma universis proposita est. Clamat vas electionis Paulus, nosque quasi ad angustum hoc iter convocans, dicit: *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi* [b]. Certe, quod est amplius omnibus, ipsius Domini relucet exemplum, qui in Evangelio ait: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* [34]. *Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde* [c]. Si periculosum est imitari illos de quibus dubitas an imitandi sint, hunc certe imitari tutissimum est, atque ejus vestigia sequi, qui dixit: *Ego sum via, veritas et vita* [d]. Numquam enim errat (d), qui sequitur veritatem; unde et apostolus [35] Johannes ait: *Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit* [36] *et ipse ambulare* [e]. Et beatus Petrus ait: *Christus pro nobis* [37] *passus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec est inventus dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem judicanti se injuste; qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut, peccatis mortui, justitiæ vivamus* [f].

13. Cesset omnis excusatio errorum, auferantur peccandi fœda solatia. Nihil omnino agimus qui nos per multitudinis exempla defendimus; et, ad consolationem nostram [38] aliena sæpe numerantes vitia, deesse nobis dicimus quos debeamus sequi. Ad illius exemplum mittimur [39] quem omnes fatemur imitandum. Atque ideo præcipua tibi cura sit, legem nosse divinam, per quam possis quasi præsentia cernere exempla sanctorum, et quid faciendum sit quidve vitandum, illius consilio discere. Maximum enim ad justitiam auxilium est, implere divinis eloquiis animum, et quod opere exsequi cupias, semper corde

A meditari. Rudi adhuc populo et hominibus ad obedientiam insuetis per Moysen imperatur a Domino ut, in signum memoriæ qua præcepta **734** Domini recordentur, per singulas vestimentorum fimbrias habeant cum (e) cocco hyacinthini coloris insignia [g], ut etiam casu huc illucque respicientibus oculis mandatorum cœlestium memoria nascatur, de quibus fimbriis Pharisæi redarguuntur a Domino, quod eas perverso usu, non ad commonitionem præceptorum Dei, sed ad ostentationem [40] sui habere cœperint [h], ut scilicet quasi de majoris observationis diligentia [41] sancti a populo judicarentur.

14. Tibi vero servanti non jam litteræ præcepta, sed spiritus, divinorum mandatorum memoria spiritualiter excolenda est [42]; cui non tam frequenter recordanda sunt præcepta Domini, quam semper cogitanda [43]. Sint ergo divinæ Scripturæ semper in manibus tuis, et jugiter in mente volvantur. Nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere, et B operibus oblivisci; sed ideo illa cognosce, ut facias quidquid faciendum didiceris: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur* [i]. Latus quidem et immensus divinæ legis campus extenditur, qui diversis testimoniis veritatis, velut cœlestibus quibusdam floribus, vernans, mira oblectatione legentis animum pascit ac refovet. Quæ omnia semper cognoscere, secumque revolvere, ingens ad conservandam justitiam beneficium est. Sed quasi ad compendiosum quoddam [44] commonitorium illa tibi Evangelii eligenda sententia est, et superscribenda cordi tuo, quæ ad totius [45] justitiæ breviarium (f) dominico ore profertur: *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc et vos facite illis* [j]. Cujus præcepti vires exprimens, jungit ac dicit: *Hæc enim lex et prophetæ.* Infinitæ namque sunt species partesque justitiæ, quas non modo stylo persequi [46], sed cogitatione etiam capere difficillimum est; quas omnes una ac brevi sententia comprehendit, et latentem hominum conscientiam, se C creto animi judicio, aut absolvit, aut damnat.

15. Ad omnem igitur [47] actum, ad omne verbum, ad omnem etiam cogitatum, hæc sententia retractetur [k], quæ tibi quasi speculum quoddam paratum, et ad manum semper positum, qualitatem tuæ voluntatis ostendat, ac etiam vel de injusto opere redarguat, vel de justo lætificet. Quotiescumque enim talem in alterum habueris animum, qualem in te ab altero servari cupis, æquitatis viam tenes: quoties vero talis erga alterum fueris, qualem in te vis neminem, iter justitiæ dereliquisti. En totum illud divinæ legis arduum, totumque difficile: en ob quam causam dura imperia **735** Domino reclamamus, et dicamus nos vel difficultate vel impossibilitate mandatorum premi. Nec sufficit quod jussa non facimus, nisi etiam jubentem injustum pronuntiemus, dum ipsum æquitatis autorem non modo dura et ardua, sed etiam impossibilia præcepisse conquerimur. *Omnia*, inquit, *quæcumque vultis ut faciant vobis homines, hæc et vos facite illis* [l]. Conjungi vult inter nos atque D connecti per mutua beneficia caritatem, omnesque homines vicario inter se amore copulari: ut id unoquoque præstante alteri, quod sibi ab omnibus præstari velit, tota justitia, et præceptum hoc Dei, communis sit utilitas hominum. Et o miram clementiam Domini! o ineffabilem Dei benignitatem! præmium nobis pollicetur, si nos invicem diligamus, id est, si nobis ea præstemus invicem quorum vicissim indigemus, et nos (g) superbo simul et ingrato animo

[a] An *comitum imus viam?* Vide seqq. [b] I Cor. IV, 16, et XI, 1; Phil. III, 17. [c] Matth. XI, 28. [d] Johan. XIV, 6. [e] I Johan. II, 6. [f] I. Pet. II, 21. [g] Num. XV, 38. [h] Matth. XXIII, 5. [i] Rom. II, 13. [j] Matth. VII, 12. [k] Vide infra, n. 29. [l] Matth. VII, 12.

no in lib. de Nat. et Grat., c. 69, in fine. Versio Latina juxta LXX, *invenissent utique semitas justitiæ leves.*

(a) Editi codd. Rom. et Ponc., *si vero gratiam impendimus.*

(b) Ms. codex Jolianus, *loqui Domino, item multorum viam imus.*

(c) Ms. Jol., *vacui sumus.*

(d) Mss. codices addunt *imitatione.*

(e) Ms. Jol., *tota.* Ms. 1 Vict., *torta.*

(f) Mss. Jol. et Vict. 1 cum edd. Rom. et Ponc., *Domini.*

(g) Iidem codices quatuor, *superbissimo.*

ejus renitimur voluntati cujus etiam imperium beneficium est.

16. Nulli umquam omnino detrahas, nec aliorum vituperatione te laudabilem videri velis; magisque vitam tuam ordinare disce, quam alienam carpere. Ac semper Scripturæ memor esto dicentis : *Noli diligere detrahere* (*a*), *ne eradiceris* [a]. Pauci admodum sunt qui huic vitio renuntient : raroque invenies qui ita vitam suam irreprehensibilem [48] exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam; tantaque hujus mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant. Tu vero hoc malum ita effuge, ut non modo ipsa non detrahas, sed ne alii quidem detrahenti aliquando credas. Nec obtrectatoribus autoritatem de consensu tribuas [49], ne eorum vitium nutrias annuendo. *Noli*, inquit Scriptura, *consentaneus esse cum derogantibus adversus proximum tuum; et non accipies* (*b*) *super illum peccatum* [b]. Et alibi : *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam.* Unde et beatus David, B diversas innocentiæ species justitiæque dinumerans [50], de hac quoque virtute non tacuit, dicendo : *Et opprobrium non accepit adversus proximos suos* [c]; propterea quod ipse non solum adversatur, sed etiam persequitur detrahentem. Ait enim : *Detrahentem secreto proximo suo* [51], *hunc persequebar* [d]. Est sane tale hoc vitium, quod vel imprimis exstingui debeat, et ab eis qui se sancte instituere volunt, prorsus excludi [52]. Nihil **736** enim tam inquietat animum, nihil est quod ita mobilem mentem ac levem faciat, quam facile totum credere, et obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi; hinc enim crebræ dissensiones, hinc odia injusta nascuntur. Hoc est quod sæpe (*c*) amicissimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas, animas maliloqua lingua [53] dissociat. At contra, magna quies animi, magnaque est morum gravitas, non temere de quoquam sinistri (*d*) aliquid audire. Beatusque est qui ita se contra hoc vitium armavit, ut apud eum detrahere nemo audeat. C Quod si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus, jam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quam se ipsos viles detrahendo facerent. Sed hoc ideo malum celebre est, idcirco in multis fervet hoc vitium, quia pene ab omnibus libenter auditur.

17. Adulatorum quoque assentationes et noxia blandimenta fallaciæ velut quasdam pestes animæ fuge : nihil est quod tam facile corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci et molli vulnere animum feriat. Unde et quidam sapiens ait : *Verba adulatorum mollia, feriunt autem interiora ventris* [e]. Et Dominus loquitur per prophetam : *Popule meus, qui beatificant vos, seducunt vos, et semitas pedum vestrorum* (*e*) *dissipant* [f]. In multis, isto maxime tempore, regnat hoc vitium; quodque est gravissimum, humilitatis ac benevolentiæ loco ducitur : eo fit, ut qui adulari nescit, aut invidus aut superbus putetur. Est sane grande et subtile artificium, laudare alterum in commendationem sui, et decipiendo, D animum sibi obligare decepti, quodque hoc maxime vitio agi solet, fictas laudes certo pretio vendere. A Quæ hæc tanta est levitas animi, quæ tanta vanitas, relicta propria conscientia alienam opinionem sequi, et quidem fictam atque simulatam; rapi vento falsæ (*f*) laudationis, gaudere ad circumventionem suam, et illusionem pro beneficio accipere? Tu ergo, si vere laudabilis esse cupis, laudem hominum ne requiras illique præpara conscientiam tuam, *qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium; et tunc laus* tibi *erit a Deo* [g].

18. Sit igitur intentus ac vigilans : et adversus peccata semper armatus animus tuus. Sermo in omnibus moderatus et parcus, et qui necessitatem loquendi magis [54] indicet **737** quam voluntatem. Ornet prudentiam verecundia, quodque præcipuum in feminis semper fuit, cunctas in te virtutes pudor superet. Diu ante considera quid loquendum sit; et adhuc tacens provide, ne quid dixisse pœniteat. Verba tua ponderet cogitatio, et linguæ officium animi libra dispenset; unde Scriptura dicit : *Argentum et aurum tuum confla* [h], *et verbis tuis facito stateram, et frenos ori tuo rectos; et attende, ne forte labaris* (*g*) *lingua* [i]. Numquam (*h*) malum verbum de ore tuo procedat, quæ ad cumulum benignitatis juberis etiam maledicentibus benedicere. *Misericordes*, inquit, *modesti, humiles, non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto, sed e contrario benedicentes* [j].

19. Mentiri vero atque jurare lingua tua prorsus ignoret : tantusque in te sit (*i*) veri amor, ut, quidquid dixeris, juratum putes; de quo Salvator ad discipulos ait : *Ego autem dico vobis, non jurare omnino* [k]. Et paulo post : *Sit autem sermo vester, est, est; non, non; quod autem his abundantius est, a malo est* [l]. In omni igitur actu atque verbo quieta mens et placida servetur; semperque cogitationi tuæ Dei præsentia occurrat. Sit humilis animus [55] ac mitis, et adversus sola vitia erectus : numquam illum aut superbia extollat, aut avaritia inflectat, aut ira præcipitet; nihil enim quietius, nihil purius, nihil denique pulcrius ea mente esse debet, quæ in Dei habitaculum præparanda est : quem non auro templa fulgentia, non gemmis altaria distincta delectant, sed anima ornata virtutibus. Ideo et templum Dei sanctorum corda dicuntur, affirmante Apostolo, qui ait : *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* [m].

20. Nihil habeas humilitate præstantius, nihilque [56] amabilius : hæc est enim præcipua conservatrix et quasi custos quædam virtutum omnium; nihilque est quod nos ita et hominibus gratos et Deo faciat [57], quam si, vitæ merito magni, humilitate infimi simus; propter quod Scriptura dicit : *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* [n]. Et Dominus loquitur per prophetam : *Super quem alium requiescam, nisi super humilem, et quietum, trementem* (*j*) *sermones meos* [o]. Verumtamen humilitatem sequere, non quæ ostenditur atque simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro affectu cordis exprimitur. Aliud est enim, virtutem **738** habere; aliud, virtutis similitudinem;

[a] Prov. xx, 13, juxta LXX. [b] Eccli. xxviii, 28. [c] Psal. xiv, 3. [d] Psal. c, 5. [e] Prov. xxvi, 22. [f] Isai. iii, 12, sec. LXX, et ix, 16. [g] I Cor. iv, 5. [h] Græc. καταύγηστον. [i] Eccl. xxviii, 29. [j] I Pet. iii, 9; Rom. xii, 17. [k] Matth. v, 34. [l] Ibid., 37. [m] I Cor. iii, 17. [n] Eccli. iii, 20. [o] Isai. lxvi, 2.

(*a*) Versio Latina secundum LXX, *ne extollaris*. Sic S. Cyprianus lib. iii Testim. in multis codicibus; nam in quibusdam est *ne eradiceris*; et utramque interpretationem fert verbum Græcum ἐξαρθῇς.

(*b*) Ms. codex 1 Vict. cum editis Rom. et Ponc., *per illos*. Ms. Jol., *et non accipias adversus illos peccatum*.

(*c*) Iidem codices 4, *amicis*, minus bene.

(*d*) Sic ex mss. Jol. et 1 Vict. Ante erat *quid*. Vide n. 23.

(*e*) Edd. Rom. et Ponc., *perturbant*.

(*f*) Editi codices Rom. et Ponc., *falsæ adulationis*. Quæ lectio admitti posset, cum n. 30 legatur *ficta adulatione decipere*.

(*g*) Mss. Jol. et Vict. 1, *in lingua*, ut in Vulgata.

(*h*) Ms. 1 Vict., *maledictum*. Alter ms. Vict., *maledictio*.

(*i*) Iidem mss. codices cum editis Ponc. et Rom., *veritatis*.

(*j*) Ita mss. codices Jol. et Vict. et edit. Rom. et Ponc. ut in ep. 50, n. 3. Edit. Rosv., *verba mea*.

aliud est rerum (*a*) umbras sequi, aliud veritatem. Multo deformior illa est superbia, quæ sub quibusdam humilitatis signis latet. Nescio enim quomodo turpiora sunt vitia, cum virtutum [58] specie celantur.

21. Nulli te umquam de generis nobilitate præponas, neque obscuriores [59] quasque, et humiliore loco natas, te inferiores putes. Nescit religio nostra personas accipere, nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum; servum et nobilem de moribus pronuntiat. Sola apud Deum libertas est, non servire peccatis. Summa apud Deum est nobilitas, clarum esse virtutibus. Quid apud Deum in viris nobilius Petro, qui piscator et pauper fuit? quid in feminis beata Maria illustrius, quæ sponsa fabri describitur? sed illi piscatori et pauperi cœlestis regni a Christo (*b*) creduntur claves [a]; hæc sponsa fabri meruit esse mater illius a quo ipsæ claves datæ sunt; *elegit* enim *Deus ignobilia et contemtibilia hujus mundi* [b], ut potentes ac nobiles ad humilitatem facilius adduceret. Nam et alias frustra sibi aliquis de nobilitate generis applaudit, cum universi paris honoris et ejusdem apud Deum pretii sint, qui uno Christi sanguine sunt redemti: nec interest qua quis conditione natus sit, cum omnes in Christo æqualiter renascamur. Nam et si obliviscimur quia ex uno omnes generati sumus, saltem id semper meminisse debemus, quia per unum omnes regeneramur.

22. Cave, ne si jejunare aut abstinere cœperis, te putes esse jam sanctam; hæc enim virtus adjumentum est, non perfectio sanctitatis; magisque id providendum est, ne tibi hoc, quod licita contemnas, securitatem quamdam illicitorum faciat. Quidquid supra justitiam offertur Deo, non debet impedire justitiam, sed adjuvare [60]: quid autem prodest tenuari abstinentia corpus, si animus intumescat superbia? quam laudem merebimur de pallore jejunii, si invidia lividi simus? quid virtutis habet vinum non bibere, et ira atque odio inebriari? Tunc, inquam, præclara est abstinentia, tunc pulcra atque magnifica castigatio corporis, cum est animus (*c*) jejunus a vitiis. Immo qui probabiliter ac scienter abstinentiæ virtutem tenent, eo affligunt carnem suam, quo animæ frangant superbiam: ut quasi de quodam fastigio contemtus sui atque arrogantiæ descendant ad implendam Domini voluntatem, quæ maxime in humilitate perficitur. Idcirco a variis **739** ciborum desideriis mentem retrahunt, ut totam ejus vim occupent in cupiditate virtutum: jamque minus jejuniorum et abstinentiæ laborem caro sentit, anima esuriente justitiam. Nam et vas electionis Paulus [c], (*d*) cum castigat corpus suum, et in servitutem redigit, ne [61] aliis prædicans ipse reprobus inveniatur, non ob solam, ut quidam imperiti putant, hoc facit [62] castitatem, non enim huic tantummodo, sed omnibus omnino virtutibus abstinentia opitulatur; neque magna aut tota Apostoli gloria est non fornicari: sed hoc agit ut castigatione corporis erudiatur animus; quantoque nil ex voluptatibus concupiscit, tanto magis possit de virtutibus cogitare; ne perfectionis Magister [d] imperfectum aliquid in se ostendat; ne Christi imitator [e] extra præceptum quidquam aut voluntatem Christi faciat, neve minus exemplo quam verbo doceat; cumque aliis prædicaverit, ipse reprobetur, (*e*) audiatque cum Pharisæis: *Dicunt enim, et non faciunt* [f].

23. Apostolici vero et præcepti est et exempli, ut (*f*) habeamus rationem non conscientiæ tantum, sed etiam famæ [g]. Non superfluum, et a fructu vacuum, gentium Magister hoc docet: vult enim etiam extraneos ad fidem homines per fidelium opera proficere, ut religionem ipsam religionis disciplina commendet. Et ideo sicut luminaria in mundo lucere nos jubet [h], in medio nationis pravæ et perversæ, ut incredulæ mentes errantium ex nostrorum actuum lumine ignorantiæ suæ tenebras deprehendant; unde et ipse [63] ad Romanos ait: *Providentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* [i]. Et alibi: *Sine offensione estote Judæis, et gentibus, et Ecclesiæ Dei, sicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis* [j]. Beatus est qui tam sancte tamque graviter disposuit vitam suam, ut de eo sinistri aliquid ne fingi quidem possit; dum adversus obtrectatorum libidinem pugnat meriti magnitudo, nec fingere quisquam ausus est quod a nullo putat esse credendum. Quod si id assequi difficile atque nimis arduum est, saltem hanc adhibeamus vitæ nostræ diligentiam, ne malæ mentes occasionem inveniant detrahendi; ne ex nobis scintilla procedat, per quam adversus nos sinistræ famæ flamma confletur: alioquin frustra irascimur obtrectatoribus nostris, si eis (*g*) ipsi obtrectandi (*h*) materiam ministramus. Si autem, nobis diligenter atque sollicite omnia ad **740** honestatem providentibus, cunctisque actibus nostris timorem Dei præferentibus, illi nihilominus insaniunt: consoletur nos conscientia nostra; quæ tunc maxime tuta est. tunc optime secura est, cum ne occasionem quidem male de se sentiendi dedit: illis enim *væ* dicitur per prophetam, *qui dicunt quod bonum est malum, qui lucem appellant tenebras, et quod dulce est amarum vocant* [k]. Nobis ergo Salvatoris aptabitur sermo: *Beati estis cum vobis maledixerint homines mentientes* [l]. Nos modo id agamus, ut male de nobis nemo loqui absque mendacio possit.

24. Ita habeto sollicitudinem domus, ut aliquam tamen vacationem animæ tribuas. Eligatur tibi opportunus, et aliquantum a familiæ strepitu remotus locus, in quem tu, velut in portum, quasi ex multa tempestate curarum te recipias, et excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquillitate componas. Tantum ibi sit divinæ lectionis studium, tam crebræ orationum vices, tam firma et pressa de futuris cogitatio, ut omnes reliqui temporis occupationes facile hac vacatione compenses. Nec hoc ideo dicimus, quo te retrahamus a tuis: immo id agimus, ut ibi discas, ibique mediteris qualem tuis præbere te debeas.

25. Familiam tuam ita rege et confove, ut te matrem magis tuorum quam dominam videri velis, a quibus benignitate potius quam severitate exige reverentiam. Fidelius et gratius semper obsequium est, quod ab amore, quam quod a metu (*i*) proficiscitur. Præcipue autem in conjugio venerabili atque immaculato apostolicæ regulæ ordo teneatur.

26. Servetur imprimis viro autoritas sua, totaque a te discat domus quantum illi honoris debeat. Tu illum dominum obsequio tuo, tu magnum illum tua humilitate demonstra; tanto ipsa honoratior futura, quanto illum amplius honoraveris. *Caput* enim, ut ait Apostolus [64], *mulieris est vir* [m]: nec aliunde magis reliquum corpus ornatur, quam ex capitis dignitate. Unde idem alibi dicit: *Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino* [n]. Sed et beatus Petrus apostolus ait: *Similiter* (*j*) *autem mulieres sub-*

[a] Matth. XVI, 19. [b] I Cor. I, 28. [c] I Cor. IX, 27. [d] Vide ep. 30, n. 5. [e] Vide ep. 45, n. 3. [f] Matth. XXIII, 3. [g] Rom. XII, 17. [h] Philip. II, 15. [i] Rom. XII, 17. [j] I Cor. X, 32 et 33. [k] Isai. V, 20, sec. LXX. [l] Matth. V, 11. [m] I Cor. XI, 3. [n] Col. III, 18.

(*a*) Sic iidem codices. Ed Rosv., *umbram*.
(*b*) Ms. codex Jolianus, *donantur*.
(*c*) Ms. Jol., *mundus*.
(*d*) Ed. Rosv., *dum*.
(*e*) Editi codices Rom. et Ponc. addunt *a Domino*.
(*f*) Iidem codices, *curemus*.
(*g*) Ita ms. Jol. et Sacchin. Alias, *ipsis*.
(*h*) Manuscriptus codex Jolianus cum editis Rom. et Ponc., *materias*.
(*i*) Mss. Jol. et Vict., *accipitur*. Edd. Rom. et Ponc., *percipitur*.
(*j*) Hæ duæ voces, quæ in omnibus codicibus no-

ditæ sint viris, ut et si qui non credunt verbo, per (a) mulierum conversationem sine verbo lucrifiant [a]. Si ergo etiam gentilibus maritis debetur honor jure conjugii, quanto magis reddendus est Christianis?

27. Atque ut ostendat quibus ornamentis etiam viris junctæ feminæ decorari debeant [65], ait: *Quarum sit non extrinsecus capillatura,* **741** *aut circumdatio auri, aut vestimentorum cultus; sed qui absconditus cordis est homo, in incorruptibilitate quieti et modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples* [b]. Sic enim aliquando et sanctæ mulieres sperantes in Domino ornabant se, subjectæ propriis viris, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum suum vocans. Hæc autem præcipiens, non eas jubet (b) squalere sordibus, et horrentibus pannorum assumentis tegi; sed immoderato cultui et nimis exquisito interdicit ornatui; simplicemque commendat ornatum atque habitum, de quo et Vas electionis ait: *Similiter autem et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa; sed, quod decet mulieres, promittentes castitatem per opera bona* [c].

28. Reperi vero te miro fidei ardore [66] succensam, aliquot jam ante annos continentiam proposuisse, et reliquum vitæ tuæ tempus pudicitiæ consecrasse. Magni hoc animi signum, et perfectæ virtutis indicium est renuntiare subito expertæ voluptati, fugere notas carnis illecebras, et calentis adhuc ætatis flammas fidei amore restinguere. Sed illud quoque simul didici [67], quod me non mediocriter angit ac stimulat, te videlicet tantum hoc bonum absque consensu et pacto viri servare cœpisse; cum hoc apostolica omnino interdicat autoritas, quæ in hac dumtaxat causa non modo uxorem (c) viro, sed etiam virum uxoris subjecit potestati. *Uxor*, inquit, *sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir potestatem non habet sui corporis, sed mulier* [d]. Tu vero quasi oblita fœderis nuptialis, pactique hujus ac juris immemor, inconsulto viro, vovisti Domino castitatem. Sed periculose promittitur, quod adhuc in alterius potestate est; et nescio quam sit grata donatio, si unus offerat rem duorum. Multa jam per hujuscemodi ignorantiam et audivimus et vidimus scissa conjugia; quodque recordari piget, occasione castitatis adulterium perpetratum: nam dum una pars se etiam a licitis abstinet, altera ad illicita delapsa est [e]. Et nescio in tali causa quis magis accusari, quis amplius culpari debeat; utrum ille qui repulsus a conjuge fornicatur; an illa quæ, repellendo a se virum, eum fornicationi quodam modo objicit [68]. Atque ut super hac causa quid veritas habeat agnoscas, pauca mihi de divina autoritate ponenda sunt. Apostolicæ doctrinæ regula nec cum Joviniano æquat continentiæ opera nuptiarum, nec cum Manichæo **742** conjugia condemnat. Ita Vas electionis ac Magister gentium inter utrumque temperatus incedit ac medius, ut remedium incontinentiæ indulgeat, et ad præmium provocet continentiam. Totusque in hac causa ejus hic sensus est, ut ex utriusque sententia proponatur castitas, aut certe ab utroque debitum commune solvatur.

29. Sed ipsa jam Apostoli verba ponamus, totamque hanc causam a sui principio retractemus [f]. Loquitur [69] ad Corinthios: *De quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere* [g]. Et quamquam hic laudaverit castitatem; tamen, ne aliquibus videatur prohibere conjugia, subjungit: *Propter fornicationem autem, unusquisque suam uxorem habeat* [(d) *et unaquæque suum virum habeat*]: *uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro. Mulier autem sui corporis potestatem non habet, sed vir; et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem.* Ac rursus, ne tanta pro nuptiarum parte dicendo videretur excludere castitatem, sequitur: *Nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Et statim quasi (e) recusat hoc quod dixit, *ad tempus*, ne non tam perpetuam quam temporalem ac brevem continentiam docere videatur; ait enim: *Propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* Unde hoc quod dixit, *ad tempus*, docet meditationem debere fieri castitatis, ut per certa intervalla temporum, quasi exploratis continentiæ suæ viribus, sine periculo utrique promittant, quod semper est ab utroque servandum. Quid vero absolute velit, manifeste dicit: *Volo autem omnes homines esse sicut me ipsum*, id est, in jugi ac perpetua castitate vivere.

30. Videsne quam caute, quam provide, quam sine ullius occasione scandali, Magister [h] firmaverit de castitate sententiam, nolens tantum bonum in unius temeritate nutare, quod ligare et confirmare debet consensus amborum? Et revera quid ea castitate firmius est, quidve tutius, quam quæ, ex duorum cœpta sententia, ab utroque velut in commune servatur? Nec de se tantum pars altera sollicita mutuo se ad virtutis animet perseverantiam; hoc enim, sicut alia quoque bona, non tantum cœpisse, sed perfecisse laudandum est. Jamdudum, ut intelligis, scopuloso difficilique in loco versatur oratio, nec audet in alterutram declinare partem, dum æqualiter utrumque formidat; sed ex nostra difficultate tuum agnosce discrimen: maluimus enim te contristare forsitan (f) vera dicendo, quam **743** ficta adulatione decipere. Duplex, ut vides, malum æquale et anceps periculum est: ex utroque arctaris, ex utroque constringeris. Contemnere omnino virum atque despicere, aperte contra Apostoli sententiam est. Perdere vero tanti temporis castitatem, et Deo non reddere quod promiseras, timendum atque metuendum est, ut vulgo dicitur: Facile ex amico inimicum facies, cui promissa non reddas. Sic enim Scriptura dicit: *Quod si voveris votum Domino Deo, non moreris reddere illud, quia quærens quæret illud Dominus Deus abs te, et erit tibi in peccatum* [i]. Ait ergo: Debitam honorificentiam viro exhibe, ut ex utroque Domino debitum, quod vovisti, reddere possis [j]. De cujus conscientia non diffidimus, si paululum expectasses; non quod te a bono castitatis retrahamus, sed hujus animum ad castitatis oraculum totis viribus incitemus, ut voluntarium sacrificium offerat Deo in odorem suavitatis, ut exuta mens a cunctis retinaculis mundanis atque corporalibus voluptatibus (g) sit, ut valeas plenius inhærere Dominicis præceptis; quod tamen ne quid a nobis negligenter esse dictum arbitreris, divinarum Scripturarum testimoniis edocuimus, sicut etiam Apostolus dicit: *Et erunt duo in carne una* [k]; jam non *una caro*, sed *unus spiritus* [l].

31. Hoc sacramentum magnum est, arduumque est iter castitatis: sed magna sunt præmia; vocatque nos Dominus in Evangelio dicens: *Venite, benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum ab origine mundi* [m]. Idem ipse Dominus dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, et onus meum leve* [n]. *Dicit* enim idem Dominus *his qui ad si-*

[a] I Pet. III, 1. [b] I Petr. III, 3. [c] I Tim. II, 9. [d] I Cor. VII, 4. [e] Vide ep. 262 S. Augustini (al. 199) ad Ecdiciam. [f] Vide supra, n. 15. [g] I Cor. VII, 1. [h] Vide ep. 30, n. 5. [i] Deut. XXIII, 21, sec. LXX; Eccle. V, 3. [j] I Cor. VII, 4. [k] I Cor. VI, 16. [l] Matth. XIX, 6. [m] Matth. XXV, 34. [n] Matth. XI, 28, 29, 30.

(a) Sic mss. Jol. juxta Scripturam. Alias, *mulieris*.

(b) Ita edd. Rom. et Ponc. Ante erat *squalore sordibus*.

(c) Edd. Rom. et Ponc. cum Sacchino, *viri*.

(d) Verba isthæc ansulis clauduntur, quia non exstant in mss. et tribus editis codicibus.

(e) Ed. Rom., *recursat*.

(f) Vox *vera* abest ab edit. Rosv.

(g) Edit. Rom., *voluptatibus, valeat*. Lectio utraque bona.

stris reperiuntur, absunt ab edit. Rosv.

nistram ejus erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit Pater meus diabolo et angelis ejus: nescio vos, operarii iniquitatis. **744** *Erit ibi fletus et stridor dentium* [a]. Illi utique omnes plangent, illi lugebunt, qui ita curis se vitæ præsentis involvunt, ut obliviscantur futuram; quos, somno quodam ignorantiæ et malæ securitatis oppressos fluctibus, Domini comprehendet adventus, unde ipse in Evangelio ait: *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ: ne forte superveniat in vos repentina dies illa; tamquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ* [b]. Et rursum: *Vigilate et orate* [c], nescitis enim quando tempus sit.

32. Beati sunt qui ita exspectant, ita illum speculantur diem, ut se ad eum quotidie præparent; qui, non de præterita sibi justitia blandientes, secundum Apostolum per dies singulos in virtute renovantur. Justitia enim justi non proderit ei, a quo die justus esse desierit [d]. Sicut etiam iniquo non nocebit iniquitas sua, a die quo se ab iniquitate converterit [e]. Nec sanctus ergo securus esse debet, quamdiu in hujus vitæ agone versatur; nec desperare peccator, qui secundum prædictam prophetæ sententiam, uno die [10] justum se efficere potest; sed totum, quo tenditur, spatium vitæ tuæ est, ut peragere possis justitiam, nec de præterita justitia confidens remissior efficiaris. Sed, sicut dicit Apostolus, *Posteriora obliviscens, ad ea autem quæ anteriora sunt me extendens, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis* [f], sciens scriptum esse cordis inspectorem Deum [g]. Et idcirco satagit, ut animam mundam habeat a peccato. Propter quod scriptum est: *Omni custodia serva cor tuum* [h]. Et iterum: *Diligit Dominus munda corda. Accepti autem sunt ei omnes immaculati.* Idcirco age ut ordines reliquum tempus vitæ tuæ sine offensa, ut possis secure canere cum propheta: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ* [i]. Et iterum: *Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam* [j]. Quia inchoasse non sufficit, sed perfecisse justitia est.

[a] Matth. xxv, 41. [b] Luc. xxi, 34. [c] Matth. xxiv, 42, et xxv, 13. [d] II Cor. iv, 16. [e] Ezech. xviii, 24. [f] Philip. iii, 13, 14. [g] Prov. xxiv, 12; Act. i, 24. [h] Prov. iv, 23. [i] Psal. c, 2. [j] Psal. xlii, 4.

IN EPISTOLAS APPENDICIS
VARIANTES LECTIONES
EX MANUSCRIPTIS ET EDITIS CODICIBUS.

IN EPISTOLAM PRIMAM.

[1] Col. 721, *etenim*. Ed. Rosv. *enim*.

[2] Ib., *Dominus*. Ita mss. Jol. et duo Vict. cum edit. Mogunt. Ed. Rosv., *Deus*.

[3] Ib., *ab utero*. Sic iidem codices quatuor. Ed. Rosv., *ex utero*.

[4] Col. 722, *a Deo est*. Expunximus vocem *Domino*, quæ aberat a mss. duobus Vict. et ed. Mog.

[5] Col. 723, *esse*. Deest in ms. Jol. et ed. Mog.

[6] Ib., *fatetur et prædicat sibiipsi*. Sacchin.: Videtur deesse aliquid tale, *salutarem fuisse tribulationem*.

[7] Ib., *excellentiam*. Ms. Jol., *extollentiam*.

[8] Ib., *manet*. Mss. duo Vict. *permanet*.

[9] Col. 724, *verbum autem Domini*. Addidimus *autem* ex edd. Rom., Erasm., Ponc.

[10] Ib., *in quas*. Mss. duo cum ed. Mog., *in quo*.

[11] Ib., *belluæ cæcæ*. Sacchin.: Malim *cæci*.

[12] Ib., *diem, et*. Addita particula *et* ex edd. Rom., Erasm., Ponc.

[13] Ib., *in vanitate sua*. Edd. Rom. et Ponc., *in vanitates suas*.

[14] Col. 725, *divitum*. Ms. Jol., *divite*.

[15] Ib., *ut cœnum*. Mss. duo Vict., *ut cinis*.

[16] Ib., *beatorum*. Alias *beatam*.

[17] Ib., *ornata*. Edd. Rom. et Ponc., *honorata*.

[18] Ib., *justificationes tuas*. Ed. tres, *mandata tua*.

[19] Ib., *congratulantes*. Ms. Jol., *gratulantes*.

[20] Col. 726, *super infirmam arenam ædificium*. Edd. Rom. et Ponc., *infirmum super arenam ædificium*. Utraque lectio bona.

[21] Ib., *quos etiam*. Edd. Rom. et Ponc., *quas jam*.

[22] Ib., *uret*. Ms. Jolianus codex cum edit. Mog., *exuret*.

[23] Ib., *inter*. Mss. Jol. Vict. 1 et ed. Mogunt., *in*.

[24] Ib., *Deo*. Ms. Jol., *Domino*.

[25] Col. 727, *et umbra*. Edd. et Ponc., *et in umbra*.

[26] Ib., *nocte ac die*. Ms. Jol. et edit. Mog., *die ac nocte*.

IN EPISTOLAM II.

[1] Col. 727, *inveniatur*. Edd. Rom. et Ponc, *invenitur*.

[2] Ib., *soleat*. Iidem codices, *solet*.

[3] Ib., *quadam fidei*. Ms. Jol., *quodammodo*.

[4] Ib., *sic*. Ms. Jol., *sane*.

[5] Col. 728, *me crederem*. Edd. Rom. et Ponc., *me omnino crederem*.

[6] Ib., *violenter*. Iidem codices, *vigilanter*.

[7] Ib., *implendam*. Codices iidem, *implendum*.

[8] Ib., *ipsius*. Ms. Jol., *jam piis*.

[9] Ib., *et docet*. Edd. tres, *etiam docet*.

[10] Ib., *Deo credit*. Edd. Rom. et Ponc., *Deum credit*.

[11] Ib., *imperium*. Iidem codices, *imperia*.

[12] Col. 729, *pretiosum multum*. Edd. tres, *pretiosum nimis*.

[13] Ib., *illa immensa Dei bonitas*. Edd. Rom. et Ponc., *illa immensitas, illa immensa Dei bonitas effenditur*.

[14] Ib., *eam*. Mss. Jol. et Vict., 1, *eum*.

[15] Ib., *ducimus*. Ms. Jol., *ducentes*.

[16] Ib., *hoc apostoli*. Ms. Jol., *et apostoli*.

[17] Ib., *efflagitat*. Ms. Jol., *flagitant*.

[18] Ib., *illis*. Ms. Jol., *ipsis*.

[19] Col. 730, *mandatum*. Ms. Jol., *imperatum*.

[20] Ib., *libera*. Ms. Jol., *secura*.

[21] Ib., *Dominum*. Ms. Jol., *Deum*.

[22] Col. 731, *voto*. Ms. Jol., *voluntate*.

[23] Ib., *quod semper*. Edd. Rom. et Ponc., *cum semper*.

[24] Ib., *Deum confitentur se nosse*. Ms. Jol., *confitentes se nosse Deum*.

[25] Ib., *et* Ms. Jol., *enim atque*.

[26] Ib., *Illi terrena sapiant*, etc. Sacchin.: Valde familiaris est hæc figura Paulino, ut observanti patebit.

[27] Ib., *æterna nesciunt*. Ms. Jol., *æternam nesciunt vitam*.

[28] Ib., *autem sunt*. Sic ms. Jol. Alias *enim sunt*.

[29] Col. 732, *omne enim quod*. Ms. Jol., *omne quodcumque*.

[30] Ib., *ad hæc*. Edd. Rom. et Ponc., *ad hoc*.

[31] Ib., *remaledicimus*. Edd. tres, *maledicimus*, minus bene.

[32] Col. 733, *idoneos*. Ms. Jol., *et unius*.

[33] Ib., *per hanc ducant viam*. Edd. Rom. et Ponc., *per hanc viam ducant ad vitam*.

[34] Ib., *reficiam vos*. Edd. tres, *requiescere faciam vos*.
[35] Ib., *Apostolus*. Hæc vox abest a ms. codice Vict. 1. Ms. Jol., *sanctus*.
[36] Ib., *ambularit*. Edd. Rom. et Ponc., *ambulabat*.
[37] Ib., *pro nobis*. Ed. Rom., *pro vobis*.
[38] Ib., *nostram*. Ms. Jol., *nostri*.
[39] Ib., *mittimur*. Ms. Jol., *nitamur*.
[40] Col. 734, *ostentationem*. Edd. Rom. et Ponc., *ostensionem*.
[41] Ib., *de majoris observationis diligentia*. Ms. Jol., *de majoribus observationibus sancti a populis*
[42] Ib., *spiritualiter excolenda est*. Edd. Rom. et Ponc., *specialiter excolenda sit*.
[43] Ib., *cogitanda*. Iidem codices, *recogitanda*.
[44] Ib., *compendiosum quoddam*. Edd. Rom., Erasm. et Ponc., *compendiosum locum, quoddam*.
[45] Ib., *quæ ad totius*. Ms. codex Jol., *quæ superans totius*.
[46] Ib., *persequi*. Edd. Rom. et Ponc., *prosequi*
[47] Ib., *Ad omnem igitur*. Hæc desunt in ms. codice Jol. usque ad *En totum*.
[48] Col. 735, *irreprehensibilem*. Ms. Jol., *inreprehensibilem*.
[49] Ib., *de consensu tribuas*. Edd. Rom. et Ponc., *de consensu tuo tribuas*.
[50] Ib., *dinumerans*. Mss. Jol. et Vict. 1 cum edd. 2, *denuntians*.
[51] Ib., *proximo suo*. Ms. Jol., *proximum suum*.
[52] Ib., *excludi*. Ms. Jol., *excludatur*.
[53] Col. 736, *maliloqua lingua*. Ed. Rom., *maliloqui lingua*.
[54] Ib., *loquendi magis*. Edit. Erasm., *magis loqui*. Sacchin. : Non improbanda lectio quæ *necessitatem loqui magis* indicet, *quam voluntatem*. Hoc est, sermo ita sit parcus, ut necessitas potius loqui videatur quam voluntas.
[55] Col. 737, *animus, ac*. Edd. Rom. et Ponc., *animus tuus, ac*.
[56] Ib., *nihilque*. Ita tres mss. codices. Alias, *nihil*.
[57] Ib., *faciat*. Ms. Jol., *facit*.
[58] Col. 738, *cum virtutum*. Erasm., *quæ virtutum*.
[59] Ib., *obscuriores*. Ms. Jol., *pauperiores*.
[60] Ib., *adjuvare*. Edd. Rom. et Ponc., *juvare*.
[61] Col. 739, *ne*. Ms. Jol., *ne forte*.
[62] Ib., *facit*. Mss. Jol. et Vict. 1, *efficit*.
[63] Ib., *unde et ipse*. Particula *et* addita ex edd. Ponc. et Rom.
[64] Col. 740, *Apostolus*. Hæc vox abest a mss. Jol. et Vict. ac edit. Rom.
[65] Ib., *decorari debeant*. Edd. Rom. et Ponc., *decorare se debeant*.
[66] Col. 741, *miro fidei ardore*. Edd. Rom. et Ponc., *miræ fidei ardore*.
[67] Ib., *quoque simul didici*. Addidimus *simul* ex mss. Jol. et Vict. et edd. 4.
[68] Ib., *objicit*. Edd. Rom. et Ponc., *objecit*.
[69] Col. 742, *Loquitur*. Edd. tres addunt *enim*.
[70] Col. 744, *uno die*. Edd. Rom. et Ponc., *una die*.

POEMATA.

POEMA PRIMUM [*].

Uxorem hortatur ut se totam Deo dedicet [a].

745 - 746 Age, jam precor, mearum
Comes irremota [1] rerum,
Trepidam brevemque vitam
Domino Deo dicemus.
Celeri vides rotatu
Rapidos dies meare,
Fragilisque membra mundi
Minui, perire, labi.
Fugit omne quod tenemus,
Neque fluxa habent recursum :
Cupidas (*a*) vagasque mentes
Specie trahunt inani.
Ubi nunc imago rerum est?
Ubi sunt opes potentum? [2]
Quibus occupare captas
Animas fuit voluptas.
Qui centum quondam terram vertebat aratris,
Æstuat, ut geminos possit habere boves.
Vectus magnificis [3] carpentis sæpe per urbes,
Rus vacuum fessis æger adit pedibus.
Ille decem celsis sulcans maria (*b*) ante carinis,
Nunc lembum exiguum scandit, et ipse regit.
Non idem status est agris, non urbibus ullis.
Omniaque in finem præcipitata ruunt.
Ferro, peste, [b] fame, vinclis, algore, calore,
Mille modis miseros mors rapit una homines.
Undique bella fremunt, omnes furor excitat, armis
Incumbunt reges regibus innumeris.
Impia confuso sævit discordia mundo,
Pax abiit terris ultima quæque vides.
Et si concluso superessent tempora seclo,
Aut [4] posset longos mundus habere dies,
Nos tamen occasum nostrum observare deceret,
Et finem vitæ quemque videre suæ.
Nam mihi quid prodest, quod longo flumina cursu
Semper inexhaustis prona feruntur aquis,
Multa quod annosæ vicerunt secula (*c*) silvæ,
Quodque suis durant florea rura locis?
Ista manent, nostri sed non mansere parentes.
Exigui [5] vitam temporis [c] [6] hospes ago.
Non ergo sumus hic ne quidquam in secula nati,
Quæ pereunt nobis, et quibus occidimus :
Sed vitam æternam vita ut mereamur in ista,
Et (*d*) subeat requies longa labore brevi.
747 - 748 Et tamen iste labor (*e*) sit forte rebellibus asper,

[*] Alias 31.
[a] Vide Dissert. 6, n. 2.
[b] Vide carm. 24, v. 304.
[c] Vide carm. 35, v. 12,

(*a*) Manuscripti codices quatuor, *cupidasque vanas mentes*.
(*b*) Ita mss. tres Germ., Jol. et Vict. 1. Alter cum ed. Rosv., *alta*. Vide præcedentia.
(*c*) Ex mss. quatuor emendavimus *silvæ*. Ed. Rosv., *silva*.
(*d*) Sic mss. 4. Ed. Rosv., *Ut*.
(*e*) Mss. codices Jol. et Victorini duo, *sit.*, et vers. seqq., *putant*.

Ac rigidas leges effera corda putent: A
Non (a) tamen hæc gravis est mansueto sarcina dorso;
Nec lædit [a] blandum mitia colla jugum,
Tota mente Deus, tota vi cordis amari
Præcipitur: vigeat cura secunda [7] hominis.
Quod sibi quis nolit fieri, non inferat ulli,
Vindictam læsus nesciat exigere.
Contentus modicis vitet sublimis haberi,
Sperni non timeat, spernere non libeat [8].
Parcus, vera loquens, et mente et corpore castus,
Insontem vitam pacis amator agat.
Det (b) proprium cunctis quos cernit egere benignus;
Non sua non cupiat, quæ sua sunt tribuat.
Quid, rogo, mandatis durum censetur in istis? B
Aut quid erit quod non possit (c) obire fides?
Qui credunt sacros verum cecinisse prophetas,
Et qui non dubitant verba manere Dei;
Qui Christum passum pœnas crucis, ultima mortis
In toto excelsi [9] Patris honore vident,
Quique ipsum multa cum majestate tremendum
Expectant pingui lampade pervigiles,
Ilis sordent terrena, patent cœlestia, nec se
Captivos servos temporis hujus agunt.
Non illos fallax cepit sapientia mundi,
Nec (d) curas steriles inseruere polis.
Imperia et fasces, indocti munera vulgi,
Quasque orbis scelerum semina fecit opes,
Calcarunt, sancta cœlum ambitione petentes,
Suffragiis [b] Christi et plausibus angelicis.
Nec labor hos durus vincit [10], nec blanda voluptas.
Quærere nil cupiunt, perdere nil metuunt.
Omnia non Christi qui Christi est odit, in illo
Se statuens, in se qui gerere optat eum.
(e) Ille Deus rerum, cœli terræque creator,
[c] Me propter sacra Virgine natus homo est.
Flagris dorsa, alapis maxillas, ora salivis
Præbuit, et figi se cruce non renuit.
Non ut tanta Deo quidquam patientia ferret,
Cujus nec crescunt nec minuuntur opes,
Sed quod erat vitiatum in me ut superaret in illo,
Factus sum Christi corporis, ille mei.
Me [d] gessit moriens, me victa morte resurgens, D
[e] Et secum ad Patrem me super astra tulit.

Quidnam igitur [f] tanta pro spe tolerare recusem?
Aut quid erit quod me separet a Domino?
Ignem adhibe, rimare manu mea viscera, tortor,
Effugient pœnas membra soluta tuas.
Carcere [g] si cæco claudar, nectarque catenis,
Liber in excessu mentis adibo Deum.
Si mucrone paret cervicem abscindere lictor,
Impavidum inveniet: mors cita, pœna brevis,
749-750 Non metuo exsilium, domus omnibus una est,
[h] Sperno famem, Domini (f) fit mihi sermo cibus.
Nec tamen ista mihi de me fiducia surgit,
Tu das, Christe, loqui, tuque pati tribuis [11].
In [i] nobis nihil audemus, sed fidimus in te,
Quos [j] pugnare jubes, et superare facis.
Spes igitur mea sola Deus, quem credere vita est,
Qui [k] patriæ civem me dedit alterius.
Sorte patrum occiduum jussus transcurrere mundum,
Sub Christi sacris advena miles eo,
Nec dubius me jure brevi terrena tenere,
Sic utar propriis, ceu mea non mea sint.
Non mirabor opes, nullos sectabor honores,
Pauperiem Christo divite non metuam.
Qua stetero adversis, hac utar mente secundis;
Nec mala me vincent, nec bona me capient.
Semper agam grates Christo, dabo semper (g) honorem,
Laus Domini semper vivet in ore meo.
C Tu modo fida comes, mecum isti accingere pugnæ,
Quam Deus infirmo præbuit auxilium.
Sollicita [12] elatum cohibe, solare dolentem:
Exemplum vitæ simus uterque piæ.
Custos esto tui custodis, mutua redde;
Erige labentem, surge levantis ope.
Ut caro non eadem tantum, sed mens quoque nobis
Una sit, atque duos spiritus unus alat.

POEMA II.

De nomine Jesu.

(Huc adscitum ex Adversar. Commentar. Barthii lib. xxxiv, c. 1. Vide Dissert. 6, n. 2.)

751-752 Lux festa sacris vult [l] litari paginis,
Remove profanos codices:
D Hymno sacranda (h) Nominis primordia
Quæ Christus imperat coli.

[a] Vide carm. 24, v. 792, et 25, v. 4.
[b] Vide eamdem licentiam carm. 24, v. 293, et c. 35, v. 616.
[c] V. carm. 35, v. 54.
[d] Vide carm. 35, v. 137, 155 et 156.
[e] Ibid., v. 138.
[f] Ibid., v. 154 et 170.
[g] Vide carm. 15, v. 195.
[h] Vide carm. 35, v. 457.
[i] Vide carm. 26, v. 31, et carm. 30, v. 105.
[j] Vide ep. 38, n. 4.
[k] Vide carm. 17, v. 322.
[l] Vide carm. 27, v. 507.

(a) Mss. tres, *Non autem gravis est.* Vulgata lectio concinnior.

(b) Ita reposuimus ex mss. codicibus quatuor; nec tamen vulgata lectio non optima, *Et proprio pascat loculo quos norit egentes.*
(c) Mss. duo Jol. et Vict. 1, *habere.*
(d) Sic emendavimus ex mss. quatuor codicibus. Ed. Rosv., *curæ.*
(e) Ita restitutum ex tribus mss., 1 Germ. et Victorinis duobus. Ante erat *Ille Deus cœli, rerum, terræque creator.*
(f) Sic repositum ex mss. Germ. Jol. et 1 Vict. Alter Vict. cum ed. Rosv., *sit.*
(g) Ita mss. Germ. et 1 Vict. Alii codices, *honores.*
(h) Ms., *luminis.* Correctio nostra confirmatur ex v. 12, 33, 37, 50 et 64.

A In ore Christus nectar, in lingua favus;
Ambrosia viva in gutture,
[a] Lotus beata in pectore, a qua nescias
Abire gustata semel.
Mel in medullis, lux serena [b] pupullis,
In auribus vitæ sonus.
Elin vel plectrum suavis eloquentiæ
Hoc nomine audito redit.
Cursu vagante, lubrico infortunio
Tentationibus [c] Mali,
Siti et [d] fame, calore et algu mortuis
(a) Malagma præbetur potens,
Penetrale mentis dira desperatio
(b) Peccaminum ob molem quatit?
Sævit paterna in viscere imo pravitas?
B Libido succendit faces?
Auri cupido molle pectus incitat
Per fas nefasque cogere?
Fætentis animus (c) ardet ingluviem gulæ
Venere atque Baccho perditam?
Cruentus ultor raptat iracundiam
Mucrone prompto [e] stinguere?
Inferre mandat terror infortunium
Cavere quod possis male?
Vis impotens sui ejicit patientiam,
Et arma quærit perdita?
Fidem sinistra quassat obstinatio
Felix [f] errorum non diu?
Hoc ad salutem nomen auditum venit,
Hoc omne tollit pharmacum.
C Obsessa membra, spiritusque dæmone
Vexatus impurissimo,
Hoc hoc medelam sortiuntur nomine,
Redeuntque sursum ab inferis
Cantata [g] diro carmine; et bustis sono
Devota (d) sago corpora
Vim colligantis perfidam excutiunt luis,
Et sana vertuntur [h] domum.
753-754 Compago quem soluta membratim jubet
Lecto sedere debilem;
Quem cæcitas, crux omnium miserrima
Addixit alieno pedi;
Utroque claudum quem venire poplite
Videt universa civitas,
Suis redire gressibus domum queunt
Nomen celebrantes Dei.
Salve, o Apollo vere, Pæan inclite,
Pulsor draconis inferi.
Dulcis tui pharetra [i] Testimonii
Quod quatuor constat viris;
Sagitta melle tinctilis prophetico,
[j] Pinnata patrum oraculis;
Arcus paternæ forte virtutis sonans,
Miraculis nervus potens,
Stravere veterem morte serpentem [k] sua.
Io triumphe nobilis!
Salve beata (e) seculi victoria,
Parens beati temporis.
Salve, quod omnes cœlici, medii, inferi,
Nomen genu flexo audiunt.
Salve unus, unus, unus, in trino Deus,
Salve una in uno Trinitas.
Hæc, lux Eoo cum levata cardine
Iter diurnum suscipit;
Hæc, cum occidente sol subit curru fretum,
Benedictio me consecrat,
Crucifixe victor, expiator criminum
[l] In morte vita præpotens,
Fac cum supremo sevocabor tempore,
Ab obruto malis chao
Traducat ista me tibi benedictio;
(f) Caro interim terræ data,
Ne se inquieta mentis excruciet mora,
Fætente vincta carcere.

[a] Arbor, cujus fructus suavissimus. Vide Paul. ep. 16, n. 7.
[b] Id est *pupillis*, ut apud Prudent. Hamartig. v. 308, 374, 382.
[c] Id est *diaboli*: hæc vox Paulino familiaris.
[d] Vide carm. 24, v. 304, et append. carm. 1, v. 25.
[e] Id est *exstinguere*. Simplex pro composito sæpissime apud Paulinum.
[f] Licentia poetica. Vide carm. 24, v. 494.
D [g] Vide Dissert. 6, n. 2.
[h] Id est *revertuntur*.
[i] Id est *Novi Testamenti*.
[j] Pro *pennata*. Hac voce usus est Prudentius Apotheos. v. 615.
[k] Vide not. 59.

[l] Vide carm. 24, v. 573.

(a) *Malagma* est medicamentum quod molli tritione et absque igne, ut tradunt veteres magistri, mixtum est. Barthius Adversar. Commentar. lib. VII, c. 8. Eadem voce usus est Paulinus noster in epist. 12 ad Amandum, n. 3.
(b) *Peccaminum*. Ita Prudentius in Apotheosi, v. 915, et Cathemer. hymno 9.
(c) Ms., *horret*, nullo sensu.
(d) *Sago*, id est *magico*. S. Ambrosius lib. IV in Hexaemer., c. 8, n. 33, in editis plerisque, *magicæ artis carmina*. Mss., *sagæ*, semel et iterum.
(e) Ms., *seculis*.
(f) Ms., *Quod utile interim dato. Neu*, etc.

IN POEMA PRIMUM APPENDICIS
VARIANTES LECTIONES.
EX MANUSCRIPTIS ET EDITIS CODICIBUS.

IN POEMA I APPENDICIS.

[1] Vers. 2, *irremota*. Mss. codices quatuor, *inremota*.

[2] Vers. 13, *rerum est*. Additum ex mss. codicibus 4 verbum *est*.

[3] Vers. 19, *magnificis*. Mss. 4, *magnificas*, male.

[4] Vers. 32, *Aut*. Sic reposuimus ex ms. codice Germ. Alii, *Ut*.
[5] Vers. 40, *Exigui*. Mss. tres, *Exiguam*, male.
[6] Ib., *temporis*. Ms. 1 Vict., *corporis*.
[7] Vers. 50, *secunda*. Mss. tres, *secundi*.
[8] Vers. 54, *libeat*. Mss. quatuor, *soleat*, male.
[9] Vers. 64, *excelsi*. Mss. 4, *celsi*.
[10] Vers. 75, *vincit*. Mss. codices Jol. et Germ., *vicit*.
[11] Vers. 100, *tribuis*. Mss. Germ. et Jol., *tribues*.
[12] Vers. 117, *Sollicita*. Mss. codices Germ. et Vict. 1, *Sollicite*.

DISSERTATIONES
IN SANCTI PAULINI VITAM ET SCRIPTA.

(AUCTORE LEBRUN.)

DISSERTATIO PRIMA.

DE EPISTOLIS.

755 Quas ante conversionem Paulinus scripsit A epistolas, illæ omnes penitus excidere. Ut autem his quæ supersunt a conversione datis epistolis chronologiæ ratio statuatur, ponimus Paulinum a seculo conversum in Hispaniam secessisse anno 390. Vide cap. 5 Vit. S. Paulini, n. 1, et c. 15, n. 1. Exeunte anno 393 a Lampio Barcinonensi episcopo Paulinus Barcinone creatus est presbyter die Natalis Domini. Vide c. 15 Vit., n. 1. Aliquanto post ordinationem suam, ineunte scilicet anno 394, paulo ante Pascha, scripsit Barcinone ad Sulpicium Severum epistolam 1, in qua de sua ad sacerdotium promotione certum faciens, eum ad se invitat *ut Barcinone sacras paschales ferias ipso sacerdote concelebraret*. 756 Vide epist. 1, n. 10 et 11, et Vit. c. 16, n. 1.

Sub idem tempus circiter Pascha collocamus scriptam de eadem consecratione *ad Amandum* presbyterum epistolam 2. Vide n. 2, 3 et 4, ac Vit. c. 15, n. 2, et c. 16, n. 2.

Eodem anno 394, paulo post Pascha, sicut statuerat Paulinus (vide epist. 1, n. 11, et Vit. c. 16, n. 1), Barcinone profectus in Italiam venit, ubi peramanter ab Ambrosio exceptus est. Vide Vit. c. 17, n. 1, et ep. 3, n. 4. Inde Romam se contulit, ubi quorumdam clericorum ipsiusque Romani pontificis sensit invidiam. Vide Vit. c. 17, n. 2. Hinc Nolam recessit, ubi consistens epistolas 3 et 4 in Africam transmisit, alteram Alypio patri, id est episcopo; hanc enim dignitatem ipsi competere didicerat haud dubie ex litteris quas ab Alypio se recepisse profitetur 757 epist. 3, n. 1; alteram autem Augustino fratri, quem scilicet presbyterum adhuc agere audiverat, cuique, ut ait n. 4, *officio sociatus æquabatur*. Atque ex tertia quidem epistola n. 2, habemus quartam hanc simul cum illa datam fuisse. Ex principio vero epistolæ 6, quam ad Augustinum sub initium anni 395 indubitanter scripsit Paulinus, hanc eamdem ad Augustinum, scilicet quartam; immo et alteram ad Alypium, tertiam *ante hiemem superiorem*, id est autumno anni 394, directam fuisse certo cognoscimus.

Augustini ad Paulinum epistola 27 sub initium anni 395 a nobis collocatur. Quippe acceptis Paulini litteris sibi ante hiemem scriptis, hanc illi epistolam perferendam Augustinus tradidit Romaniano, uti n. 4 significat; qui Romanianus, ad quem data est epistola 7, in Italiam rei familiaris et domesticæ causa navigabat; forte verno tempore prædicti anni 395, certe Augustino nondum episcopo, ex epistola S. Augustini ad Paulinum 31 et Paulini 7 ad Romanianum. Vide Vit. c. 27, n. 1.

Anno quoque 395, secundo scilicet ex quo se Nolam receperat Paulinus, scripsit ad Severum epistolam 5 per Vigilantium, qua respondet Severo, qui se excusaverat quod Nolam apud Paulinum se recipere hactenus per geminas ægritudines non licitum fuisset (vide Vit. c. 16, n. 1 et 2) sicut statuerat. Vide Vit. c. 16, n. 1. De sua etiam ægritudine Paulinus agit, et commemorat quomodo Africæ et Campaniæ episcopi missis prima æstate vice sua clericis sibi in infirmitate detento adfuerunt. Vide epist. 5, n. 14, et Vit. c. 26, n. 1. Tum narrat quantum Romæ a quibusdam clericis et ab ipso summo pontifice *scandalizatus* fuerit. Vide epist. 5, n. 13, et Vit. c. 17, n. 2, et supra art. 3.

Epistolam 6 scripsit Paulinus antequam Augustini rescriptum, quod superius est 27 Augustini epistola, a Romaniano recepisset. Nempe vir ille sanctus incredibili Augustini desiderio ex ipsius lectione incensus, cum nuntium, quem ante hiemem in Africam transmiserat, in itinere videret remorari, ac de litte- B ris suis perlatis dubius esset, officium suum diutius suspendere non valuit, sed ad Augustinum secundas litteras dedit Romano et Agili, ut sui in eum animi studium et observantiam, simulque ejus videndi desiderium flagrantissimum testaretur. Vide Vit. c. 27, n. 1.

Epistolam in nova S. Augustini editione tricesimam primam ad Paulinum jam demum episcopus Augustinus, acceptis posterioribus Paulini litteris, reddidit per Romanum et Agilem ei continuo referendam. In hac epistola de sua ad episcopatum promotione certiorem fecit Paulinum, quo ille intelligeret se de profectione in Italiam ejus invisendi causa cogitare non posse; ipsumque ecclesiasticis curis expeditiorem, nondum enim episcopus erat Paulinus, ad trajiciendum in Africam invitaret. Contigit autem Augustini promotio imminente Domini Natali, ex homilia 25, inter 50, c. 3, atque certo certius ante annum 397, quo concilium Carthaginense III, die prima Septembris aut 28 Augusti, celebratum sancivit, ut ordi- C nandis episcopis vel clericis decreta conciliorum prælegantur, quæ nimirum sanctio constituta fuit ipsius Augustini rogatu, qui et eidem concilio subscripsit. Verum de annis 395 et 396, uter illorum Augustini ordinatione 758 insignitus sit, res est apud nos haud satis explorata. Prosper sub Olibrio et Probino consulibus, id est anno Christi 395, scribit: *Augustinus B. Ambrosii discipulus, mira facundia doctrinaque excellens Hippone-Regio in Africa episcopus ordinatur.* Quotquot Augustini gesta scripsere, hanc omnes adeo liquidam autoritatem velut epocham chronologicam ratam, fixam, minimeque dubiam habuere: unde religio est ab illa discedere. Hanc igitur ad Paulinum epistolam, ab Augustino recens episcopo datam, ad anni 396 exordium revocari oportuit. Hinc etiam superiorum inferiorumque aliquot epistolarum tempus figendum fuit.

Reversis ex Africa Romano et Agili, non continuit sese Paulinus quin continuo nuntium gratissimum

exinde acceptum de sanctis viris, atque imprimis de Augustini ad episcopatum provectione, communicaret cum Romaniano, ad quem epistolam 7 biduo post ejus reditum dedit super ea ipsa re, de qua apud illum, prout sanctum Dei hominem lætari par erat, gratulatur. Vide Vit. c. 29, n. 3.

Ad Licentium epistola 8 in vulgatis Paulini et Augustini editionibus jungebatur epistolæ superiori ad Romanianum, unoque tenore decurrebat. Nos, quia in duas divisam vulgatam hanc ad Romanianum epistolam exhibebant mss. codices Cluniacensis optimæ notæ ac pervetustus et Bigotianus unus epistolarum S. Augustini 600 annorum, in duas etiam distinximus, priorem ad Romanianum, posteriorem ad Licentium ejus filium qui propriam suam de manu patris acciperet. Et quia in eodem fasciculo missæ sunt, nullus huic posteriori appositus est titulus, nisi is, *ad Licentium*, qui in mss. codicibus Clun. et Big. reperitur. Priorem epistolam claudit fausta hæc precatio : *Incolumem te ætate quamplurima, et beatum semper cum tota domo tua, ut cupimus, habeamus in Christo, domine frater merito honorandissime et desiderantissime*. Posterior incipit in illis verbis, *Audi ergo, fili, legem patris tui, id est Augustini*; et egregio clauditur carmine ad seculi fugam hortatorio. Unaquæque habet suum argumentum. Prioris argumentum : *Ad Romanianum scribens, gratulatur Ecclesiæ Hipponensi quod Augustinum meruit episcopi collegam*. Argumentum posterioris : *Licentium Romaniani filium, pro quo scripserat Augustinus ejus olim magister, hortatur Paulinus et prosa et carmine, ut contemto aulæ fastu se dedicet Christo*. Nemo non videt duas esse epistolas.

Epistolas 9 et 10 ad Amandum presb. et Delphinum Burdegalensem episcopum Paulinus scripsit eodem anno 396 simulque misit. Vide Vit. c. 30, n. 1. Haud procul ab initio hujus epistolæ 9 in codice ms. Viennensi appictus est asteriscus ad hæc verba, *et vigor potuit hebetari*. * *Quis me dicentem excitavit?* etc. Tum in margine adscribitur : *Hic videtur deesse de epistola multum, quia continuatio pene nulla est*. Antiquarii hujus conjecturam firmat quod Paulinus, qui ab initio hujus epistolæ Amandum singulariter allocutus fuerat, ab asterisco ad finem usque tamquam ad plures sermonem dirigit, et concionanti ad populum similis est. Hæc vero labes, si qua est, perquam antiqua est, cum et in vetustissimo codice Regio inveniatur, necnon in ms. Vaticano et editis quinque.

In annum 397 referimus epistolam 11 ad Severum. Vide Vit. c. 30, n. 2. In ea profitetur Paulinus se numquam destituturum invitare **759** Severum, et quam studiosissime hortaturum. Cumque nequaquam Severus polliceatur se venturum, idcirco epistolam 17 non nisi post duos annos collocamus.

Hoc anno 397 ponendam duximus epistolam 12 ad Amandum ob causam presbyteri Basilii de qua sub finem agitur. Vide Vit. cap. 31, n. 1 et 2. Hujus epistolæ portitor fuit Sanemarius, quem ex servo libertum fecerat Paulinus, ut sub Ecclesiæ Burdegalensis autoritate in domo Domini serviret, delegatis ad parentum ipsius memoriam obsequiis. Vide Vit. cap. 31, n. 1, et ep. 12, n. 12.

Paulina S. Paulæ filia et uxor Pammachii diem supremum obiit circa finem anni 397. Paulinus non nisi post multos menses mortem ejus cognovit et propter loci remotionem et nuntiorum raritatem, eamque accepit ex litteris cujusdam amici, Olympii scilicet, idque in hieme ; cujus tempestatis inclementia prohibitus ne Pammachium adiret, ut in votis habebat, prolixam illi scripsit epistolam 13, in qua primo pias ejus lacrymas in funere conjugis, tum deinde impensas pro defunctæ solatio egenis eleemosynas laudibus prosequitur : quæ ultima pars epistolam olim 33 fere integram occupabat in vulgatis editionibus, partemque posteriorem epistolæ ad Alethium constituebat. Vide Vit. c. 32, n. 1. Hic autem error accidit aut amanuensium oscitantia, aut verosimilius compactorum incuria qui librorum folia aut quaterniones præpostere consuerunt, ita ut quæ posteriora esse deberent priorem locum obtinerent, vel posteriorem quæ priora. Genus hoc perturbationis natum videtur esse ex eo quod prisco ævo numquam aut perraro vel paginæ numeris, vel quaternionés litterarum notis, uti nunc, distinguerentur. Hujusmodi confusio cum in hujusce epistolæ primarium aliquot exemplar invecta esset, in alia deinde ex eo derivata promanavit. Et celavit errorem inæqualitas paginarum in exemplaribus diversis : dum nexus ille in primario exemplari finem unius paginæ cum alterius initio vitiose copulans, in ectypi paginam interiorem incurrit. Hinc factum ut hæc Paulini consolatoria ad Pammachium epistola super obitu Paulinæ conjugis duas in partes discerperetur ; quarum prior abrupta exstabat in his verbis : *Ista autem, ut Apostolus ait, quæ secundum hominem, hoc est de infirmitate est, carnalis est tristitia*; posterior autem juncta erat epistolæ ad Alethium, et incipiens ab illis verbis, *mortem operatur*, in his desinebat : *Est enim conjux fidei, soror virginitatis, filia perfectionis ; cui Paula mater, soror Eustochium, tu maritus*. Partem illam priorem exhibebant vulgatæ editiones variis e codicibus manuscriptis expressæ, eamdemque repræsentat ms. Regius. Posteriorem partem epistolæ in antea vulgatis codicibus Alethio inscriptæ ad Alethium non pertinere inde intelliges, quod ad Alethium scribens Paulinus *per longinqua terrarum intervalla* dicit eum a se *discretum*, ep. 33, n. 1, cum ab urbe Roma tridui tantum itinere abesset Paulinus Nolæ ; et revera Alethium in Galliis fuisse cum ad eum scriberet Paulinus deprehendere est ex fratre Victore ibi memorato, qui se illi et Severo ac Desiderio amicis Gallis *impigrum annuis recursibus tabellarium præbebat*. Ad hæc epistolæ ad Alethium pars prior nec unum habet apicem qui consolatoriam redoleat. At pars olim posterior ad aliquem Paulæ generum data est, cujus **760** uxori in flore ætatis vita functæ *soror* fuerat *Eustochium*, et *Paula mater*, ut habet conclusio epistolæ : qui Romæ tum degeret, et largissimas ibi eleemosynas in pauperes erogaret. Cento igitur erat Alethio inscripta in vulgatis epistola, duabus constans partibus ; priore ad Alethium in Galliis agentem, fratrem Florentii episcopi Cadurcensis, ut videbitur Dissertatione 3, n. 2 ; posteriore ad quemdam Paulæ generum pascendis Romæ pauperibus intentum. Ex variis mss. codicibus error deprehensus est : audax enim antiquarius, cujus manu codex Cluniacensis exaratus est, cum sententiam non constare animadverteret, in duarum ejus partium commissura succisis novem fere lineis ut aliquis utrimque appareret sensus, epistolam ad Alethium conclusit in his verbis, *fidei tuæ ligno et eloquii suavitate*. Tum deinde subjunxit ad Pammachium consolatoriam, hoc exordio, *Domino merito prædicabili et honorando fratri Pammachio Paulinus. Deo gratias, quod laboris et timoris mihi compendium facit conscientia virtutis et prudentiæ tuæ*; et cetera usque ad finem, *cui Paula mater, soror Eustochium, tu maritus*. Sed publico longe utilior fuit aliorum religio, qui ne syllabam quidem antiqui exemplaris, quamvis, ut diximus, a compactore turbati, abire passi sunt, quam non exprimerent ; sic enim cicatricem reliquerunt, ex qua agnosci aliquando vulnus et curari posset. Ea cicatrix apparuit post illa verba *percusso corde*, sive, ut habent codices Regius et Viennensis, *percusso cordis*, et ante proxime sequentia, *mortem operatur* : quo in intermedio asteriscum * appinxerat Rosveydus in editione Antuerpiensi, in margine adnotans, *Desunt non pauca*; sed totam nihilominus partem sequentem, ad finem usque, ad Alethium datæ adscribens. Rectius et verius eodem ipso interstitio adnotatum est in Viennensi codice : *Hic deest finis superioris epistolæ, et initium sequentis quæ scribitur ad Pammachium*. Ita codices

duo Viennensis et Cluniacensis in hoc conveniunt ut partem posteriorem epistolæ in vulgatis codicibus Alethio inscriptæ, ad Pammachium a Paulino datam esse confirment. Præterea Catenam in omnes Pauli epistolas ex Patribus Græcis æque ac Latinis, demto Augustino, confecit Florus Lugdunensis, divisitque in libros duodecim. Horum librorum undecimus ex Paulini Nolensis episcopi opusculis totus constat, ibique insignia duo loca ex hac Alethiana ante vulgo credita epistola refert sub titulo, *ex epistola ad Pammachium*. Prior locus est in illud epistolæ ad Ephesios cap. I, vers. 13, 14 : *Signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostræ;* ubi hæc Florus : *Ex epistola ad Pammachium : Ita per Christum Deo vincti et insiti sumus, ut Dei arrhabonem teneamus*, etc., usque *ad possessionem hereditatis æternæ*, ep. 13, n. 26 et 27. Hæc habebantur sub titulo epistolæ ad Alethium in editione Antuerpiensi anni 1622, pag. 300. Insuper Florus, in illud Epistolæ ad Hebræos cap. XIII, vers. 1 et 2 : *Caritas fraternitatis maneat, et hospitalitatem nolite oblivisci*, hæc Paulino refert : *Ex epistola ad Pammachium : Et vide rationem. Facile judicabis parricidali crimine contemni pauperes nostro arbitrio, quos nullo videmus a nobis Dei opere discretos*, etc., usque ad *præmia operum recipiendo*. ep. 13, n. 20 et 21. Hæc item ipsa quæ Paulini epistolæ ad Pammachium Florus imputat, reperiuntur in epistola ad Alethium inscripta in eadem editione **761** Antuerpiensi, a linea 25 paginæ 295 ad lineam 20 paginæ 297. Quare dubii nihil superest quin hanc epistolæ Alethio inscriptæ posteriorem olim partem, ad epistolam qua Pammachium consolatus est Paulinus, pertinere Florus existimaverit. Sed et unam dumtaxat Paulini ad Pammachium epistolam se agnoscere satis ostendit Florus, duo illa fragmenta referre se dicens ex epistola ad Pammachium : si plures censuisset, illas haud dubie a numero discreturus, eo more quo laudavit alias Paulini epistolas. Nec vero alius quisquam, quod quidem sciam, duas ad Pammachium epistolas agnovit; sed et duæ non erunt, si probentur unius et ejusdem partes duæ. Certum est ex dictis illi epistolæ ad Pammachium, quæ sub nomine epistolæ ad Alethium in vulgatis ante habebatur, partem priorem deesse. Id notum est præcipue ex adnotatione Viennensis codicis, et ex abrupto ejus ac sine sensu initio. Quo enim spectant illa verba , *mortem operatur* , nisi ad antecedentia quædam quibus compleatur sententia ? Nec minus certum est alteri illi quæ in vulgatis titulo ad Pammachium prænotatur deesse partem posteriorem. Nobis vero constat, si priori parti connectatur posterior, ne apicem quidem huic epistolæ ad integritatem defuturum. Coalescunt autem hæ partes, et sibi mutuo adstringuntur nexu triplici : Primus est locus Apostoli II ad Corinth. cap. VII , v. 10 , *Seculi autem tristitia mortem operatur*. Ait Paulinus in fine vulgatæ ad Pammachium epistolæ : *Ista autem* , *ut Apostolus ait*, *quæ secundum hominem, hoc est de infirmitate, carnalis est tristitia*. Tum initio partis posterioris epistolæ quæ in vulgatis ad Alethium inscribebatur , legimus : *Mortem operatur*. Jungimus ut Apostoli locus expleatur : *Ista autem* , *ut Apostolus ait* , *quæ secundum hominem* , *hoc est de infirmitate, carnalis est tristitia, mortem operatur :* et confecta res est. Alter nexus est in his verbis partis posterioris: *Quod licet autore diverso* , *tamen uno per utrumque sanctorum Dei Spiritu et verbo Scriptura concinit*. Quæris duos hic memoratos sacros scriptores, prioris partis finem adi : ibi refert Paulinus ex Ecclesiastico c. XXXVIII, v. 19: *A tristitia enim festinat mors, et cooperiet virtutem*. Subjungit locum Apostoli : *Quæ secundum hominem, hoc est de infirmitate carnalis est tristitia* , *mortem operatur*. Sic demum concludit : *Quod licet autore diverso* , nempe Jesu Siracide , et Paulo, *tamen uno per utrumque sanctorum Dei Spiritu et verbo Scriptura concinit : Mors enim vera virtutis adopertio est*, etc. Sed ecce nexus tertius, etiam adstrictior, ex idea autoris totiusque operis œconomia. In parte priore sub initium proposuerat Paulinus duo se in Pammachio laudaturum : primum pias ejus lacrymas in funere Paulinæ conjugis, tum deinde impensas egenis eleemosynas pro defunctæ solatio. *Nam*, inquit (ep. 13 , n. 3 et 4) , *ut evocationem ad Deum sanctæ sororis meæ* , *ita devotionem pietatis in Christo tuæ pariter audivi . . . . conjugem . . . . non vacuam fletibus* , *neque vano pomparum inanium honore comitatus es ; sed remediis salutaribus* et *vivis operibus, hoc est eleemosynis* , *prosecutus*, *debito ordine primum caro funeri justa persolvens*, *piis lacrymis et largo caritatis rore perfusus* , *religiosius exsequias honorasti*. *Itaque istius pietatis in te opus ante laudabo* , etc. Tandem non longe ab initio partis posterioris Alethio inditæ: *Veniam enim jam*, ait (epist. 13, n. 11), *ad prædicationem operum tuorum, et* **762** *ad pios actus de lacrymarum sanctitate transibo;* atque hinc ad finem usque, Pammachii largitiones in egenos etiam magnificentius quam pias lacrymas extollit. Nunc integram ipsam epistolam 13 coagmentatam, et ad antiquos aliquot codices recensitam, uno ductu intueri juverit, ut vel inde argumenti totius ratio partiumque omnium ordo et connexio planiores fiant.

Anno 398, ut credimus, advenit apud Paulinum in diebus quadragesimæ Cardamas, et a Delphino ac Amando litteras ei attulit, quæ illum faciebant certiorem de negotio Basilii feliciter gesto, de quo superius egimus ad ep. 12, et præterea de diuturno ac gravi morbo Delphini; sed eodem indice et ægritudinem et sanitatem cognovit Paulinus. Post Pascha Domini respondit Delphino et Amando per litteras 14 et 15, quarum portitor fuit idem Cardamas, quem per id temporis Paulinus apud se detinuerat. Vide Vit. cap. 32, n. 2, et ep. 14, n. 1 et 3, et ep. 15, n. 1, 2 et 4.

Theridius et Posthumianus Paulinum convenerant: cum Gallias repeterent, per eos anno 399 dedit epistolam ad Jovium virum in Galliis clarissimum, suumque affinem. Vide ep. 16, n. 1, et Vit. c. 33 et 34.

Paulinus toto superiore anno 398 a suorum puerorum discessu usque ad hiemem Sulpicium Severum exspectaverat, a quo cum non accepisset litteras, nec reliquo illius anni tempore, neque sequentis initio (Vide ep. 17, n. 1), credidit eum ideo non misisse litteras, quod ipse adfuturus esset, et idcirco singulis eum diebus exspectabat. Itaque Romam anno 399 ad solemnitatis apostolicæ diem adventantem profectus est solemni consuetudine, præsumens illic amplectendum sibi carissimum Severum. Ab Anastasio papa peramanter ac honorifice exceptus est. At Severi sui conspectu frui non datum est. Itaque litteris quæ ejus nomine ipsi redditæ sunt se consolatus est, in quibus causatus infirmitatem suam Severus, illi spem præsentiæ suæ adimebat. Vide ep. 17, n. 1, 2 et 4, et Vit. c. 35. Has litteras Paulinus accepit ab homine Sabini Severo affinitate conjuncti. Romæ per totos decem dies occupatus rescribere non valuit ; multo minus domum regressus ubi eum gravis detinuit ægritudo, eaque diutina. Cum revaluisset, per Amachium S. Delphini subdiaconum Severoque notissimum scripsit. Vide ep. 17, n. 3, et Vit. c. 35.

Hoc eodem anno et tempore collocamus epistolam 18 ad Victricium Rotomagensem episcopum, in qua eamdem suam ægritudinem commemorat. Hujus epistolæ portitor fuit Paschasius S. Victricii diaconus, quem Romæ cum comperisset Paulinus secum adduxit Nolam, cum quodam Rotomagensis Ecclesiæ catechumeno Urso qui apud Paulinum gravissimo languore confectus est; sicque detentus Nolæ Paschasius. Cum autem Ursus sana et robusta esset valetudine, et Paschasius reditum meditaretur, per ipsum 18 epistolam suam ad Victricium dedit Paulinus, in qua Paschasium diutius apud se retentum excusat, et illustrissimi confessoris Victricii vitam.

sicut didicerat a Paschasio, describit. Eam damus Dissertat. 4.

Ante annos pene duos litteras brevissimas a Delphino Cardamas attulerat ad Paulinum. Vide ep. 19, n. 1. Sub finem anni 399, in hieme scilicet, iterum idem Cardamas tunc exorcista a Delphino et Amando litteras reddidit Paulino, **763** eumque certiorem fecit de Delphini valetudine. Vide ep. 19, n. 1, et ep. 21, n. 5 et 6. His respondit Paulinus et Amando epistola 21, in qua laudat Cardamatem, et Delphino epistola 19, quæ licet amplissima sit, tamen cum Paulino ad Delphinum scribendi occasio raro occurreret, alteram apposuit epistolam, certe quidem conscriptam inter Anastasii electionis anniversarium ac tempus quo Paulinus Romam se conferre consueverat, id est a fine anni 399 ad diem Junii 29 anni 400. Vide ep. 20, n. 1 et 2, ac Vit. cap. 37, n. 1. Hacce epocha quibusdam ad Delphinum et Amandum epistolis tempus præfiximus. Cum Cardamati de inquirenda Paulini valetudine mandatum dedisset Delphinus, in epistola 20 scribit Delphino se bona esse valetudine, non tamen robusta; et Anastasii summi pontificis benevolentiam in se commemorat. Vide ep. 20, n. 1 et 2, idque jam observavimus ad epist. 17. Vide etiam Vit. c. 35, et c. 37, n. 1. Harum epistolarum portitorem fuisse Cardamatem nemo non agnoscit ex supra allatis.

Nihil obstat quominus 22 ad Severum epistolam, quæ vigesimam septimam antecessisse debet, hoc anno collocemus. Severus epistolam ad Paulinum dederat Marracino. Vide ep. 22, n. 1. At Romam cum advenisset, eam tradidit Soriano Marracinus nolens in Paulini conspectum venire. Sorianus vero monachus admodum pius gaudens optata Paulini videndi occasione litteras in se recepit, attulitque Paulino, cui se probavit. Ea propter Severo respondens Paulinus postquam veri monachi imaginem adumbravit, ponit eam esse Soriani qui probabiliter hanc Paulini epistolam erat delaturus. Vide Vit. c. 37, n. 3, et c. 35, necnon epist. 22, n. 2 et 3.

Severus, qui semel tantum quotannis Paulino scribere consueverat, hoc anno circa hiemem, ut videtur, iterum scripsit, quo ei amorem suum magis testificaretur, ac mutuum a Paulino repeteret, eique misit coquum ad præparandos monachorum cibos aptum, nomine Victorem, suæ solitudinis socium, gladio alias circumcinctum, S. Martini spiritualem filium, sanctæque vitæ B. Clari consortem, quem Severus in sua epistola dixerat virtutibus ornatum. Apud Paulinum aliquandiu pro tota domo coquinariam artem exercuit, et Paulini capillos totondit. Vide Vit. c. 38, n. 1, ep. 23, n. 1, 2, 3, 4, 6, 9 et 10, ac epistolam quæ vigesimam tertiam præcedit.

Si potuit exeunte anno 400, sed potius anno 401 ineunte, per eumdem Victorem Severo probabiliter respondit Paulinus, Severi amicitiam ac benevolentiam valde commendans, suamque mutuam ei denuntians, et deinde multa de Victore disserit : hæc recludit initium epistolæ 23 usque ad num. 10, quod olim epistolam totam ad Severum 3 in vulgatis antea codicibus constituebat ; quarta vero in iisdem edd. codicibus sic inchoabat : *Venio nunc ad majorem fratris erga me Victoris operam*. At quis non videat et ex his primis vocibus præcedentis epistolæ cohærentiam, unam eamdemque esse. Itaque unam constituimus epistolam 23. In hac postrema parte postquam ostendit necessitatem Deum et proximum adamandi, hoc fine concludit : *Quo magis tua caritate gloriamur in Domino, quæ sola nos facit vel unum de magnis et innumeris debitis Deo solvere. In omnibus enim aliis bonis vix nos tantum vel in paucis initiatos, in tua* **764** *tantum dilectione profitemur esse perfectos.* Illius epistolæ fine commonitus de perfectionis videlicet et caritatis verbo ad Severum facit exordium epistolæ 24, quæ antea in editis secunda erat : huic nullum præfiximus titulum, quia in eodem fasciculo missa fuit cum epistola 23. Vide ep. 24, n. 1. Expostulat etiam cum Severo quod multa dilectione injustis laudibus eum cumulasset in quadam epistola, quæ periit, alia plane ab ea quæ vigesimam tertiam Paulini præcedit. Vide ep. 24 Paulini. n. 1 et n. 23, ac Vit. n. 2.

Ex Victoris colloquiis epistolas 25 et 26 conscripsit Paulinus, idcirco eas ad hunc annum 401 referimus quo Victor aliquandiu mansit apud Paulinum. Vide Vit. c. 38, n. 1, et c. 39, n. 1. Vigesima quinta viro cuidam nobili inscripta est, cujus nomen ignoratur. Vide Vit. c. 39, n. 1. Vigesima sexta data est Sebastiano, eremitæ in Aquitania, ut videtur. Vide Vit. c. 39, n. 2. Locum in vulgatis S. Hieronymi epistolis obtinuerant illæ epistolæ : at eas Paulini esse et stylus arguit, et persona Victoris. His inter Paulinianas epistolas locum dederunt Gravius, Schottus et Rosveydus ; eas quoque Paulini esse censuit Erasmus in sua Hieronymiana editione. Sed, quod notatu dignissimum, omnium prima S. Hieronymi epistolarum editio Romana an. 1468 epistolam ad Sebastianum Paulino et Therasiæ adjudicat, eaque sub illorum nomine vulgatur.

Hoc ipso anno Paulinus 27 epistolam scripsit, qua pluribus Severi litteris se responsurum dicit, n. 2, duabus saltem, quarum priorem a Posthumiano Theridioque acceperat, posteriorem a Soriano et Virino. Vide ep. 27, n. 1, et Vit. cap. 40, n. 2. Cum his omnibus Severi epistolis se responsurum pollicetur (Ep. 27), n. 2, nec solummodo omnibus Severi in priori epistola querelis satisfaciat, videntur multa desiderari in hac 27 epistola. Vide Vit. cap. 40, n. 2.

Anno 402 Melania senior ab Hierusalem Romam advenit, eamque Neapoli Nolam redeuntem Paulinus humanissime excepit. Ep. 29, n. 6 et 8, et Vit. c. 41, n. 2. Particulam de ligno divinæ crucis munere Johannis episcopi Hierosolymitani illustris hæc vidua attulit Paulino, ac dono dedit tunicam de agnorum vellere. Ibid. Ad hos potissimum dies a Severo missus Victor advenit apud Paulinum, hoc est *decedente hieme* (Vide ep. 29, n. 6, et 28, n. 3, ac Vit. n. 2), mittebatque ad eum Severus pallia camelorum pilis texta. (Ep. 29, n. 1). Scripserat hanc anno superiore Severus epistolam, et Victorem cum Paulino acturum hiemem sperabat, et postea statim reversurum. Vide ep. 28, n. 3. At Victorem, qui *abeunte hieme* advenerat, Paulinus *vernis mensibus detinuit*. Ibid. Et quia adhuc breve spatium videbatur Paulino, qui adeo infirmus per id tempus fuerat ut rescribere non valuerit, *per* mediam *æstatem* Victorem etiam retinuit, nec abire passus est nisi sub finem æstatis *ut* ad Severum *autumno perveniret*. Vide ep. 28, n. 3. Eidem præbuit deferendam ad Severum epistolam 28, cui adjunctum habebat Theodosii Panegyricon cum quodam in S. Felicem carmine. Ep. 28, n. 6. Huic epistolæ addidit alteram, 29 scilicet, et contextam de agnorum vellere tunicam ad Severum misit Paulinus, quam sibi de Melaniæ benedictione pignus esse dicebat. Vide ep. 29, n. 5. Ex palliis camelorum pilis contextis, quæ a Severo **765** attulerat Victor ineunte anno, materiam captat Paulinus se confitendi peccatorem qui pœnitentiæ habitu et labore indigeret. Vide ep. 29, n. 1, 4 et 5, ac Vit. c. 41, n. 2 et 3. Reliqua præconium conficiunt Melaniæ. Ibid., n. 6, et Vit. c. 41, n. 3. Hoc quoque anno, nec serius, Paulinus ad Severum 30 misit epistolam, quam Augustinus tractans de originali peccato citavit; quia cum Severus Paulini et Therasiæ imagines postulasset, ut videtur hac 30 epistola, et denegasset Paulinus, concessit Severo ut eas dictaret pictoribus proponens illis memoriam in qua eos haberet pictos. Vide ep. 30, n. 2 et 6, et Vit. Idque Severus fecisse videtur, quandoquidem anno sequenti Paulinum in æde sacra pingi curaverat (Vide ep. 32, n. 2, et Vit. c. 44, n. 2) ; unde hoc anno scriptam fuisse colligimus hanc epistolam 30, quam nec multo ante conscribere potuit; qua enim spe Paulinum

adeundi Severus ducebatur, ea sane dejectus est cum Paulini imaginem postulavit. Non apparet a quo reddita fuerit hæc epistola. Vide Vit. c. 41, n. 4.

Ecclesiam Paulinus construi jussit Fundis oppido ubi possessiones olim habuerat et familiare domicilium. Cum hæc basilica esset propemodum constructa ac mox consecranda anno 403 (Vide ep. 32, n. 17; ep. 31, n. 1; et Vit. c. 44, n. 1), litteras 31 et 32 dedit ad Severum, qui etiam ædificandis religiosis locis operam dabat. Vide ep. 32, n. 1 et 10. In primis Severus elaborandum curavit basilicæ baptisterium quod hinc Martini, illinc Paulini imaginibus decoravit. Vide ep. 32, n. 1 et 2. Victor a Severo ad Paulinum missus petiit ab eo reliquias sanctorum in ecclesia a Severo constructa recondendas : cui, cum nullas haberet Paulinus præter eas quas mox dedicandæ Fundanæ basilicæ reservabat, tradidit conditum tubello aureo fragmentum de ligno veræ crucis quod habebat ex dono Melaniæ. Vide ep. 31, n. 1. *Cumque pateret pagina*, prolixiorem denuo epistolam 32 inchoavit, in qua conqueritur se a Severo vel majori honore vel injuria affectum, quippe qui ipsum cum S. Martino contulerit, etc. Vide ep. 32, n. 2 et 3. Has per Victorem misit Paulinus, litteras. Vide Vit. c. 44, n. 2.

In hoc eodem forsan itinere Paulino litteras Alethii detulit Victor eorum communis tabellarius, et per eumdem responsivam Alethio videtur Paulinus dedisse epistolam 33, quæ integra non est. Vide ep. 33, n. 1, 2, et Vit. c. 45, n. 1. Quidam existimant Paulinum sermonem de Gazophylacio seu de Eleemosyna misisse simul ad Alethium, cui nominatim inscriptus est in ms. codice Vaticano. Vide Vit. c. 45, n. 1. Huic sermoni inter epistolas dedimus locum (Ep. 34) ut suo numero constaret. Quis fuerit Alethius ille, vide Dissertat. 3, n. 2.

Paulinus, carmine 27, initio anni 404 edito, Delphinum Burdegalensem episcopum in sanctorum numero adscribit, cujus reliquiæ has terras commendabant : itaque serius quam præsenti huic anno 403 non debemus adscribere epistolam ad Delphinum 35, qua brevissimæ priori ejus epistolæ respondet, ex qua fortasse, vel alio indicio, mortem fratris circa idem tempus cognoverat : pro ejus anima et pro se Delphini preces postulat. Ad Amandum eadem de causa dedit epistolam 36.

Anno 404 ad Paulinum litteras misit Victricius Rotomagensis episcopus per Candidianum (Vide ep. 37, n. 1), quibus respondit Paulinus epist. **768** 37, sub finem anni 404. Vide huic epistolæ assignatum tempus Dissertat. 4, cap. 3, n. 2.

Ad Paulinum scripserat Aper de sua ad Christum conversione. Vide ep. 38, n. 1. Hoc anno 404 ei respondit Paulinus epistola 38. Vide Dissert. 5 quis ille fuerit Aper, et quale Paulini cum eo commercium.

Aper rursus ad Paulinum scripsit Epist 39, et questus est possessiones filiorum suorum causas sibi esse necessitatis qua terrena curaret, cum eas vendere debuisset. Ad Aprum et Amandam conjugem rescripsit super ea re Paulinus suo et Therasiæ nomine anno 405, ut colligitur ex tempore transmissarum utrimque litterarum.

Paulino et Sancto intercesserat olim commercium litterarum antequam Paulinus ad Christum converteretur. Vide ep. 40, n. 1, 2 et 6. Paulo post conversionem suam ad Sanctum scripsit, et hinc *diuturnæ taciturnitati se refudit*. Ibid., n. 3. Diuturnum, quo ex tunc cum Sancto usus est Paulinus, silentium inducit ad credendum Paulinum jam a multis annis Nolæ commorantem hanc scripsisse epistolam 40. Adde quod in ea dicit *senectutem canis caput non spargere* modo, *sed et perfundere*. Ibid., n. 6. Possumus solummodo judicare eum scripsisse antequam ad episcopatum fuerit promotus, atque idcirco ante annum 409; cum scribat una cum Therasia (Vide tit. ep. 40), et certissime post annum 397, quo in Occidentem reversus est Ruffinus, quem profecto in-

A dicat cum scribit ad Sanctum et Amandum se aliquid accepisse a doctissimo et sibi carissimo viro qui multum peregrinatus fuerat : eam itaque circa annum 405 collocamus. Postquam huic epistolæ 40 veluti clausulam apposuit, aliud aggreditur argumentum; de hymnis scilicet quos a Sancto acceperat : quod eleganter spectari potest veluti altera epistola priori adjecta sine ullo titulo; et sane in Cluniacensi et Viennensi mss. codicibus separatim leguntur. In Viennensi quidem 41 epistola a quadragesima quatuordecim aliarum interjectu dividitur; in Cluniacensi porro quamvis priorem proxime sequatur posterior, ab ea tamen proprio hoc titulo distinguitur : *Sancti Paulini epistola ad nescio quem, suppresso nomine*; cum in Viennensi codice prima omnium epistola inscribatur *Sancto et Amando*; tum sequantur ad Sulpicium Severum octo, tres ad Delphinum Burdegalensem episcopum, totidem ad Amandum : ac demum illa : *Legimus in tergo epistolæ*, sub titulo, *Item ejusdem Paulini epistola XVI*. Qui fuerint illi
B Sanctus et Amandus, vide cap. 25 Vitæ S. Paulini, n. 1 et 2.

Ad Florentium Cadurcensem episcopum epistolam 42 a Paulino scriptam putamus anno 405 aut circiter. Vide Vit. c. 47, n. 1, etc. 45, n. 2.

Victor a Severo missus ad Paulinum anno 405 attulit litteras ejusdem Severi, quibus a Paulino postulabat ut ad vindemiæ dies remissus Victor occurreret. Vide ep. 42, n. 1 et 2. Simul et epistolam Desiderii presbyteri reddidit qui ab eodem petebat intelligentiam benedictionum quibus filios suos morti proximus Jacob donavit. Ibid., n. 3. *Post modicum adventus sui* Nolam *tempus* Victor se ad iter relegendum præparavit, ita ut Paulinus vix breves ad Desiderium et Severum litteras fecerit (Ibid., n. 1 et 2), quæ binæ perierunt. At vero jam jam profecturum Victorem subiti rerum obices retraxerunt, *dum hiems navigationem et itinera metus clauderent*, quibus impeditus necessitati longam dilationem ad finem usque hiemis præstitit. Ibid., n. 1. Metus qui itinera
C clausit, ille proculdubio erat **767** ne ipsi Romanorum aut hostium exercitus in via occurrerent : quod referre fas est ad descensum Alarici in Italiam anno 403, aut Rhadagaisi anno 405 (Vide Prosper. in Chronic.) Cum vero retulerimus ad annum 403 epistolam aliam Paulini ad Severum ipsi a Victore redditam, huncce metum rejiciendum censemus in descensum Rhadagaisi, qui multo majorem quam Alaricus in Italia concitavit terrorem. Rhadagaisi exercitus nonnisi circa hiemem deletus fuisse dicitur (Ibid.), qui licet ante fuisset; Romani etiam exercitus milites qui adhuc multis in locis dispersi esse poterant, quique ut plurimum barbari erant, metum viatoribus incutere potuerunt. Coactus igitur fuit Victor Nolæ exspectare donec adventasset verna tempestas anni 406, ut in Gallias rediret. Sic exspectantem eum invasit gravissimus morbus quo in extremis positus est, et ab omnibus desperatus. Vide ep. 43, n. 1. Convaluit tamen, sed plus temporis in reficienda
D valetudine, quam ægritudine tolerata produxerat (Ibid.), et vicino tantum apostolorum Natali plane restitutus est. Ibid. Tam cito dimittere eum noluit Paulinus, sed retinuit donec secum Romam illum sui *itineris annui socium* duceret, ut illinc proficisceretur in Gallias reversurus, et ad vindemiæ dies Severo remissus occurreret, ipso scilicet tempore quod præscripserat Severus, verum sequenti tantum anno (Ibid., n. 2). Duas breves epistolas, quas anno superiore, cum Victor proficisci vellet, ad Severum et Desiderium scripserat Paulinus, eidem Victori deferendas dedit (Ibid., n. 1 et 2, et Vit. c. 47, n. 1 et 3); sed duas prolixiores ad eosdem scriptas iis adjecit. Ibid., n. 2, et Vit. c. 47, n. 3. Ea quæ ad Severum prolixior erat scripta excidit, nec etiam quid remanet earum quas ad illum deinde scribere potuit. Isthæc ad Desiderium 43 superest, in qua propositæ de patriarcharum benedictionibus quæstioni respondere humiliter recusavit; quarum expositionem a

Ruffino postulavit, ac tandem obtinuit, ut videbimus ad epistolas 46 et 47.

Ad epistolam 39 observavimus scripsisse Paulinum anno 405 ad Aprum et Amandam : iis iterum epistolam 42 dedit, quam ante annum 406 collocare non possumus, cum eorumdem Apri et Amandæ ad Paulinum intercesserit epistola quam ipse multum laudat, et cui dicit se nihil simile posse referre. Vide ep. 44, n. 1, et Vit. c. 48, n. 2.

Mensem diemque datæ a se ad Augustinum epistolæ 45 indicat Paulinus, n. 8, his verbis : *Pridie idus Maias venit ad nos Quintus diaconus ut rescripta peteret, et idibus ante sextam dimitti obtinuit;* annum vero Augustinus ipse in epistola 95, n. 1, rescribens : *Proinde ad istam lætitiam qua vobiscum est frater Possidius; cum ex ipso audieritis quam tristis eum causa compulerit, hoc me verissime dicere cognoscetis.* Nempe tristis illa causa quæ Possidium in Italiam navigare compulit non alia est quam Ecclesiæ suæ Calamensis calamitas perniciesque a paganis anno 408 mense Junio illata. Cui Possidio proficiscenti dubio procul traditum est istud rescriptum perferendum Paulino, aut certe non multo post ejus profectionem transmissum fuit : quandoquidem tum illud scripsit Augustinus *cum Carthagine hiemaret* ex epistola Paulini 50, n. 14, id est hieme ineunte vel exeunte; nam media hieme erat **768** apud Hipponem ex epist. S. August. 97, n. 3. Nisi forte media hiems tempus navigationi jam maxime adversum significat.

Observavimus ad epistolam 43 Desiderium in Aquitania presbyterum a Paulino Patriarcharum benedictionum intelligentiam quæsiisse, eique denegatam a Paulino, qui deinde ab eodem Desiderio iterum rogatus hanc benedictionum explicationem postulavit a Ruffino, de qua se ab aliis consuli testatur in sua ad eumdem Ruffinum epistola 47, n. 2. Cum enim ad Paulinum scripsisset Ruffinus se quibusdam de negotiis Romam venisse (Vide ep. 46, n. 1), circa annum 407, rogavit eum Paulinus epistola 46, n. 3, ut capitulum quo Judas a Jacob benedicitur explanaret. Postea rursus ad eum scripsit epistolam 47, qua petiit ut hanc benedictionem triplici interpretatione elucidaret (V. Gennad. Catal., c. 17), historica nimirum, morali et mystica ; ita ut Ruffinus excusatione primum allata tandem obtemperaverit, ejusque votis cesserit. Vide ep. 47, n. 2. Accepta enim hujus benedictionis explicatione prima petiit a Ruffino Paulinus ut per reliquos filios distributam dignaretur exponere. Ibid., n. 2. Paruit Ruffinus ; illaque opera duo etiamnum supersunt cum suis ad Paulinum litteris. Postremam hanc 47 epistolam Paulinus per Cerealem misit Ruffino, qui tunc temporis in Pineti monasterio degebat, unde brevi erat Romam venturus ut in Orientem reverteretur, idque circa annum 409. Hæc planius cognosces ex Hieronymi et Ruffini Historia, quam, Deo dante, in lucem proferet vir eruditissimus mihique amicissimus. Vide tamen Vit. Paulini c. 48, n. 1, et c. 50, n. 1. Dubitat Sacchinus utrum hæ duæ ad Ruffinum epistolæ sint Paulini nostri, earumque stylum a quopiam magis affectatum ad similitudinem Pauliniani, quam genuinum ipsiusmet Paulini sibi videri dicit. Vide Sacchin. in Vita Paulini sub finem, p. 739. Non ea sum equidem ingenii perspicacitate ut quid discriminis eum inter et genuinum Paulini stylum interesse mihi appareat; mihique facile persuaderem non aliud de illis epistolis dubitandi nonnullis fuisse fundamentum, quam præconceptum in Ruffinum odium ; quibusdam enim videtur non potuisse innoxie amari ex quo, orta controversia, Ruffinum ab Hieronymo abalienavit, cujus tamen causa Augustini et Paulini in utrumque

A amicitia nullum passa est detrimentum. Sed et ex supra allatis luce clarius has epistolas a Paulino nostro ad Ruffinum fuisse scriptas.

Epistolam 48, cujus fragmentum damus, scriptam ponimus exeunte anno 408 seu potius ineunte 409, paulo ante Paulini episcopatum, ob rationes a nobis allatas cap. 49 Vit. Paulin., n. 3, ubi fuse de hac epistola a nonnullis rejecta disserimus.

Paulinum anno 410 jam episcopum factum demonstramus Vit. c. 50, n. 1. Cum autem in epistola 49 ad Macarium de historia servati e naufragio Valgii, qui postea Victoris nomen sortitus est (Ep. 49, n. 2), *exigui gregis pastorem* se dicat (Ibid., n. 14), nullus est dubitandi locus quin ab ipso jam episcopo hæc scripta fuerit ad Macarium epistola non ante annum 409, sed ipso anno vel post, hujus enim casus fixum omnino tempus statuere non possumus. Vide ep. 49 hujus historiæ contextum, et Vit. c. 51, n. 1, quis fuerit ille Macarius.

B Hanc Paulini ad Augustinum epistolam ordine 50 **769** apparet esse aliquanto posteriorem 95 Augustini sub finem anni 408 scripta, cum istius sibi jam datæ aliud exemplum hic n. 14 sibi transmitti petat, et aliquanto priorem 149 Augustini scripta circiter annum 414, cum hanc inter et illam aliquot ultro citroque epistolæ, atque in iis Augustini responsio ad quæstiones hic a Paulino propositas, emanaverint, quæ tamen omnes interciderunt. Confer Augustini epistolam 149, n. 1.

Vix ante annum 414 collocari potest epistola centesima quadragesima nona Augustini ad Paulinum, tum quia hanc inter et quinquagesimam epistolam anno 410 rescriptam a Paulino, cujus quæstionibus iterato solutionem adhibet Augustinus, missæ sunt ultro citroque epistolæ aliquot quæ exciderunt, ex n. 2, tum etiam quia hic numero 32 fit mentio Urbani Siccensis episcopi, qui si idem est ac Urbanus presbyter in epistola Augustini 143, n. 1, commemoratus, nondum episcopalem dignitatem anno 412 in C finem inclinante consecutus fuerat. Vix etiam possit serius reponi ; quippe Peregrinus diaconus qui, Urbano ad sarcinam episcopatus subeundam pergente, cum eo simul profectus fuerat, nondum remeaverat Hipponem cum hancce epistolam dictaret Augustinus uti in fine testatur.

Ab anno 409 usque ad annum 426 data est epistola 51 a Paulino jam episcopo Nolano ad Eucherium nondum episcopum, cum adhuc Lerinensibus monachis præesset S. Honoratus abbas, qui anno 426 ad Arelatensis Ecclesiæ episcopatum assumtus est. Hic Honoratus in insulam Lerinum in ora provinciæ maritima secesserat, ibique monasterium fundaverat. S. Eucherius, postea Lugdunensis antistes, cum Galla conjuge pariter in Lerum insulam recessit, quæ hodie *S. Margaritæ insula* vulgo nuncupatur Lerino proxima, brevi interjecta maris rupe. Honoratus, qui Paulino innotuerat per homines ab Eucherio missos, anno sequenti S. Eucherii exemplo provocatus tres de congregatione sua monachos ad Paulinum D salutandum misit. Vide ep. 51, n. 1. Per hanc Lerinensium monachorum opportunitatem Eucherio plenam affectionis et amoris epistolam dedit (Ibid., n. 2), quam merum Paulinum sapere nemo non fatebitur qui genium ejus et ingenium norit. Eucherio et Gallæ ejus uxori inscripta est.

Dubitat Rosveydus an S. Genesii martyris historia sit genuinus Paulini nostri fetus : eam Paulino cuidam Biterrensi episcopo, qui anno 420 sedit, adjudicari posse existimat. Hæc tamen Paulino Nolano vulgo tribuitur ; nec sane aliquid obstat quominus ei adscribatur, licet non videamus quam occasionem illius texendæ narrationis habuerit. Nullo argumento potuimus huic historiæ tempus præfigere.

DISSERTATIO SECUNDA.

DE POEMATIBUS.

770 *Ad Gestidium*, cui Paulinus volucres et ostrea mittit, poemata duo, cum nihil Christianæ pietatis redoleant, quam in aliis ab ejus conversione editis carminibus deprehendere est, scripta astruimus ante ipsius Paulini conversionem (Vide Vit. c. 5), hoc est ante annum 390.

In seculo adhuc agens Paulinus tres Suetonii libros, quos ille de regibus composuit, in epitomen redegit et jucundissimum poema composuit. Intercidit autem illud Suetonii Tranquilli opus *de Regibus*, unaque cum eo Paulini *Epitomen*, si Pauliniani carminis paucos versus exceperis, quos Ausonius in epist. 19 ad eumdem Paulinum laudat et mirifice extollit. Hujusce carminis fragmentum damus, quod ante annum 390 scriptum pro certo habemus. Etenim Paulinus ab eo scribendi genere multum fuit alienus ex quo ad Christum conversus, Musis et vatum figmentis renuntiavit, ut colligitur ex ipsius ad Ausonium carm. 10, v. 19 et seqq.

Paulo post progressum ad vitam severiorem et Hispanicum secessum poemata quædam composuit Paulinus, quæ non eam sanctitatem spirant quam in scriptis postea carminibus et epistolis reperire est: Hæc inter collocamus *Matutinam ad Deum Precationem*, in qua honestos secularis viri mores a Deo enixe postulat, ex quibus tamen æternam eamque beatam sibi spondet vitam, v. 18.

Alia item *Matutina ad Deum Precatio* circa idem tempus conscripta est; ibi tamen pietas major, profundior humilitas, et metus judiciorum Dei elucent. Tunc filium sibi procreatum in ea satis indicat v. 67.

Sim semper genitor sine vulnere nominis hujus, cumque carm. 32, v. 599 et seqq., dicat se in Hispania habuisse filium, quem post octo a nativitate dies ibi mortuum Compluti sepeliri jussit (Ibid., v. 605), et constet ex Vit. Paulin. c. 5, n. 1, c. 6, n. 2 et 3, c. 14, n. 3, c. 15, n. 1 et præcipue c. 16, n. 1, in Hispania per quatuor jam revolutos annos eum commoratum fuisse ab anno 389 usque ad vernum tempus anni 394, quo prole orbatus Nolam recessit, hoc interstitio illud poema collocari necesse fuit, sicque scriptum anno circiter 390 posuimus.

In carmine de S. Johanne Baptista, se non ita pridem ad attentiorem religionis cultum addixisse et arctiorem instituisse vitam innuere 771 videtur, carm. 6, vers. 175, *Spero erit ut possim firmato robore quondam*, etc. Itaque illud poema circa annum 390 scriptum arbitramur.

Paraphrasim primi psalmi ad hæc tempora referimus, quam condidit theologicorum arcanorum rudis: cum hic reperiatur error eorum qui, prave intelligentes locum Apostoli I Cor. III, putabant Christianos omnes, quamvis malos, modo incolumem servassent fidem, salutem quamdam consecuturos, nec damnatorum pœnis cruciandos.

Poëmata 8 et 9 in ps. II et CXXXVI, quibus epocham certam statuere non possumus, priori subjunximus, quia cum eadem sit materia, eodem forsan tempore illa Paulinus condidit.

Jam supra observavimus ad poema 5 Paulinum a seculo conversum secessisse in Hispaniam cum conjuge, ibique quatuor annos exegisse ab anno 389 usque ad vernum tempus anni 394, quo Nolam secessit. Hisce quatuor annis complures ad Paulinum in Hispania agentem scripsit Ausonius epistolas, vigesimam tertiam anno, ut videtur, 390, in qua Paulini conversionem tribuit animi levitati, expostulat cum illo de intermissione litterarum, queritur quod in Hispania tam remotus degeret, eumque ad se invitat. Isthæc epistola Paulino in Hispania agenti non ante quartum annum reddita fuit. Vide carm. 10, v. 1, et Vit. c. 12, n. 1. Itaque nihil respondenti Paulino iterum scripsit anno sequenti Ausonius epistolam 24 de

A illius silentio conquestus, et proditæ crimen amicitiæ objectans, varios ostendit scribendi modos ut illud nesciat uxor ejus Therasia, quam *Tanaquilem* male nomine vocabat, epist. 24, v. 31. Anno, ut videtur, 392 tertiam item scripsit epistolam, quæ intercidit: in hac, ut puto, conquerebatur Ausonius quod jam triennio a patria abesset Paulinus, et ad Musas reditum precabatur. Vide Auson. ep. 25, v. 1, et Not. Vinet., p. 568. Cum vero Paulinus, qui nihil litterarum ab Ausonio acceperat, non responderet, vigesimam quintam ad eum anno 393 rursum misit Ausonius epistolam in qua pergit queri de fastu quo Paulinus rescribere dedignaretur; tum demum subjungit Hispaniæ pagos, ninguida Pyrenæi loca, et Vasconum saltus mores Paulini dulcissimos vertisse; eumque mentis inopem, cœtus hominum vitantem, et atræ bilis morbo laborantem dicit, ac tandem Musas precatur ut Paulinum ad poesin revocent. Tres illas epistolas diversis annis assignamus cum propter lo-

B corum distantiam (Ausonius enim in Aquitania, Paulinus in Hispania degebat), tum quia idem Ausonius, Paulini responsa in dies exspectans, interjecto multo tempore rescribebat. Tandem quadriennio post tres simul recepit Paulinus epistolas, eam nempe cujus initium est: *Proxima quæ nostræ*, ut infra patebit; eam quoque quæ sic inchoatur, *Quarta tibi hæc*, cum altera quæ excidit. Vide Vit. c. 12, n. 2.

Eodem anno 393; in æstate (Vide carm. 10, v. 1), hisce tribus epistolis etiam metrica epistola respondit Paulinus carmine 10, cujus initium elegia est veluti quædam præfatio, quam sequuntur versus iambici trimetri et dimetri, in quibus reddit ei rationes cur Musis renuntiaverit et bona abdicarit. Versus iambicos sequebantur hexametri (Vide carm. 10, v. 14), in quibus aspera Ausonii dicta fortiter refutat heroico scilicet carmine, *Defore me patriis* (Ibid., v. 103), quo vigesimæ quintæ respondet Ausonii 772 epistolæ, *Quarta tibi hæc*, et tertiæ quæ excidit, necnon vigesimæ quartæ, *Proxima quæ nostræ*,

C in qua Therasiam Ausonius *Tanaquilem* vocabat (Ibid., v. 31). Istæ litteræ quas in quaternas dividebant antea vulgati codices variis, novis et falsis titulis, binæ tantum numerari debent, quarum prior tria hæc complectitur carmina: elegiacum, *Quarta redit;* iambicum, *Quid abdicatas;* et hexametrum, *Defore.* Hocque iambicum elegiaco subscribebat vetus codex ms. Lugdunensis; illudque profecto est iambicum quod se dicebat in extremis elegiis Paulinus heroico præpositurum: ita ut quod heroicum intelligebat quo se vindicaret, id sit quod incipit *Defore me patriis.* Unica itaque fuerit epistola tria hæc carmina complectens, eamque sic a Paulino scriptam satis ipse declarat in sua elegiaca præfatione. Cum autem Paulinus dicat carmine 10, v. 232 et seqq., Ausonium Hispaniæ oppidula nominare tacitis urbium nominibus Cæsareæ-Augustæ, Tarraconis, et Barcinonis, quæ cum habeantur in epistola Ausonii prima, hanc nondum a Paulino tunc receptam fuisse inde mani-

D festum est.

Ausonio insuper respondit alio carmine, cujus initium *Continuata meæ*, sub finem ejusdem anni 393, siquidem anni sequentis verno tempore Nolam se recepit. Vide Vit. c. 16 et 17, n. 1. Quod quidem poema vigesimæ tertiæ Ausonii epistolæ respondet, et cuipiam alteri in qua idem Ausonius Therasiam marito imperitare incusabat: quas simul Paulinus aliquanto post tres alias recepisse videtur. Vide Vit. c. 13.

Quotannis natalem S. Felicis, qui 14 Januarii die colitur, novo natalitio carmine, quasi tributum annuum pensitans, honorare se testatur Paulinus ep. 28, n. 6. Hanc annalium quindecim carminum continuam seriem prius cœptam esse a Paulino quam Nolam ad S. Felicem se reciperet, immo tum inchoatam in Hispania cum in procinctu esset ad Nolanum iter,

apparet ex natalitio primo carmine, quod idcirco ad anni 394 mensem Januarium pertinere opinamur, quia Paulinum anno eodem vergente Nolam incolere cœpisse nemini dubium est, et probamus. Vit. c. 16, 17 et 18, n. 1. Quare natalitium carmen secundum spectabit annum 395, tertium vero 396, et sic alia deinceps usque ad decimum et ultimum quod cum anno 408 erit comparandum. Vide quæ ad secundum et tertium spectant. Vit. c. 26, n. 1, et c. 27, n. 2.

Natalitium de S. Felice carmen quartum editum est anno 397 ineunte, juxta constitutum a nobis ordinem ad carmen 12.

De S. Felice natalitium carmen quintum condidit Paulinus ineunte anno 398. Vide quæ supra diximus ad carmen 12.

Ex ordine natal. carminum in laudem S. Felicis statuenda est epocha carmini 17, ad Nicetam redeuntem in Daciam. Nam Paulinus in Natalitio carmine nono, v. 333, ait, *Venisti tandem quarto mihi redditus anno*; cumque illud carmen ineunte anno 402 editum fuerit: prior Nicetæ adventus Nolam ad annum 398 referendus est, cum illum abeuntem in æstate denotet Paulinus carm. 17, v. 26, 33, 34, 35 et 36, et in secundo itinere post quadriennium ibi adfuerit ad natalem S. Felicis diem anno 402. Vide Vit. cap. 41, n. 1.

Natalitium carmen sextum de S. Felice a nobis collocatur initio anni 399, juxta præsignatum ordinem ad carmen 12.

773 Jam supra, Dissertat. 1, observavimus epist. 16 ad Jovium missam de Fato et Fortuna. Ex eadem illa epistola, num. 1, colligitur Paulinum jam ad eum paulo ante eodem argumento scripsisse, forte istud poema de quo agitur, sicque illud collocari posset anno 398 vel initio anni 399, cum Paulini ad eumdem ep. 16 anno 399 scripta fuerit, ut demonstramus Dissert. 1 ad ep. 16, et Vit. c. 33, n. 1, et c. 34, num. 2, seu anno 399, si una cum epistola missum fuerit.

De S. Felice Natalitium carmen septimum condere debuit Paulinus anno 400, ex ordine a nobis constituto ad carmen 12.

In carmine 26, natalitio scilicet octavo S. Felic., quod ineunte anno 401 composuit Paulinus, commemorat v. 386 plerosque homines se singulis diebus ante S. Felicis altare offerre, ut ei gratias agerent quod Dei misericordia ejusdemque sancti auxilio, pereuntes e naufragiis evasissent incolumes. Alludit forsan ad historiam Martiniani quam Cytherio describit in poemate 21, sicque illud forte scriptum fuit anno præcedenti 400.

Julianus episcopi Memoris filius conjugatus fuit cum Ia. Paulinus patris et filii amicus (perinde ac Augustinus) in Juliani et Iæ matrimonium metrice scripsit Epithalamium; cujus epocham ut statuamus, observandum est Augustinum circa annum 408 ejus patri Memori episcopo litteras dedisse (Vide ep. 101 Augustini) ubi de filio ejus Juliano agit, qui tum erat diaconus (Ibid., n. 4), et postea hæresiarcha factus est. Vide Aug. libros VI in Julianum. Itaque cum anno 408 diaconus fuerit, illud epithalamium in annum 400 aut circiter rejiciendum fuit. Vide Vit. c. 59, n. 2, et c. 51, n. 5.

Juxta eam quam hucusque præfiximus epocham octavum S. Felic. carmen natalitium ad initium anni 401 referendum est: historiæ omnino congruit; illud enim in medio belli tumultu et incursionum barbarorum (Carm. 25, v. 75) et nominatim Gothorum metu conscriptum est (Ibid., v. 22). Discimus autem ex Prosperi Chronico Alaricum Gothorum ducem et Rhadagaisum anno 400 Italiam pervagasse, necnon ab Hieronymo accipimus eos anno 400 sive 401 Aquileiam obsedisse. Vide Hieron. advers. Ruffinum III, 6, t. II.

Jam ante quatuor annos Nolam venerat Nicetas Dacorum episcopus, ut supra observavimus ad carmen 17. Iterum Nolam venit ubi ad natalem S. Felicis diem 14 Januarii adfuit anno 402. Vide carm. 27, v. 333; ep. 29, n. 14; et Vit. c. 41, n. 1. Et supra constituto ad carm. 12 et 17 ordini poema 24 optime convenit.

Natalitium carmen decimum de S. Felice juxta eumdem ordinem ineunte anno 403 editum est.

Dissertatione 1 et Vit. cap. 44 observatum est Paulinum anno 403 epistolam 32 dedisse ad Severum qui ædificandis basilicis operam dabat. Huic misit Nolanæ et Fundanæ basilicarum, quas mox construxerat, epigrammata parietibus ecclesiæ Primuliacensis inscribenda. Vide ep. 32, et Vit. c. 44, n. 2. Hos autem paucos versus quos Paulini operibus adjicimus, quod ecclesiæ Primuliacensi non quadrarent, non misit Paulinus ad Severum qui novam exstruebat ecclesiam, ubi ante vetus non fuerat (Vide not. 161), sicque illos eodem anno 403 patet esse conscriptos.

Ineunte anno 404 scripsit Paulinus de S. Felice 774 natalitium carmen undecimum, juxta præsignatum ordinem ad carmen 12.

Nihil superest natalitii carminis 12, quod Paulinus anno 405 in S. Felicis honorem scripsit. Decimi tertii, quod juxta historiæ nostræ seriem ineunte anno 406 conditum fuit, titulus est: *De Gothorum exercitus cum suo rege interitu*; quibus verbis aperte Rhadagaisi clades indicatur. Vide not. 329. Pauca quæ supersunt ex hoc poemate Paulinum Romæ et imperii martyribus hanc victoriam tribuisse probant. Vide carm. 28.

Natalitium carmen decimum quartum de S. Felice collocamus anno 407, juxta statutum a nobis ordinem ad carmen 12.

Natalitium carmen 15 de S. Felice, scriptum anno 408 colligitur ex constituto ordine ad carmen 12. Illud de S. Felice ultimum a Paulino editum cognoscimus, sive perierint alia, sive de eo nihil amplius scripserit Paulinus; etenim constat turbas tribus annis sequentibus exortas ab hisce animi oblectationibus potuisse Paulinum avertere, qui etiam ubi episcopatum adeptus est, aliis profecto studiis pietatem sibi colendam duxit. Vide Vit. cap. 49, num. 1.

Natalitii de S. Felice carminis incerti fragmento huic nec locum nec annum certo assignare potuimus.

Huic de Obitu Celsi pueri panegyrico certum quoddam tempus nullo argumento possumus præfigere. Id unum scimus, eum nempe scriptum fuisse ab anno 393 ad annum 413, in eo enim v. 599 et 60 mortuum in Hispania filium Complutique sepultum commemorat, id est ab anno 389 usque ad annum 394, ut supra demonstravimus ad carmen 5, et vers. 621 conjugem suam Therasiam designat, quam anno 413 jam vita functam omnino probabile est. Vide Vit. c. 50, n. 1.

DISSERTATIO TERTIA.

DE S. SULPICIO SEVERO, B. MARTINI DISCIPULO.

1. Sulpicii Severi (*Bolland. Act. sanctor.* 19 *Januar. tom.* II, *n.* 3, *p.* 967) nomen in variis Martyrologiis reperitur die 29 Januarii, ubi S. Martini discipulus et episcopus Bituricensis designatur. Quod ad episcopatum ejus spectat, Gennadio qui solam ei presbyteri dignitatem tribuit, doctissimi quique adstipulantur; eumque Bituricensem episcopum ideo dictum existimant, quod illum non distinxerunt ab altero duorum hujusce Ecclesiæ episcoporum, cui etiam nomen erat Sulpicius; et quorum alter sub Guntramno anno 585, alter sub Dagoberto an. 630 vixit. Et revera quod extremis vitæ suæ temporibus

sibi ipse imposuit Sulpicius Severus silentium, minus ei congruit qui episcopale munus adeptus fuerit. An vero (*Bolland., Act. Sanct.*, 19 *januar. tom.* II, *n.* 12, *p.* 968) ille qui die 29 Januarii colitur sit ex duobus Biturigum episcopis unus, an S. Martini discipulus; qui Martyrologium sub Urbano VIII retractavere, priorem sententiam amplexi sunt; et (*Ibid.*, *n.* 10) eo ipso die istorum antiquiorem nunc veneratur Bituricensis Ecclesia. *Severi* cognomen qui huic Sulpicio tribuerit antiquorum legimus neminem; et quod habent plurima martyrologia, Romanum quoque ab Urbani VIII temporibus, **775** *Severi* (*Ibid.*, *n.* 3) nomen sine Sulpicii cognomine, maximi est ponderis. (*Ibid.*, *n.* 2) Posterioris ævi Scriptores cujus sit illud *Severi* nomen inter se disceptant: alii (*Bolland. ad* 17 *Januar.*, *n.* 1 et 6, *p.* 165 *et* 166) posteriori sine fundamento; Bollandus priori impertit hac unica ratione ductus quod posteriori tribuendum non sit. De priore loquitur Gregorius Turonensis tamquam de viro bono, sed de eo nihil refert peculiare: apud alios autores de eo nil compertum. Nec facile crediderim posse quemquam probare Ecclesiam Bituricensem hunc semper coluisse. (*Idem ad* 29 *Januar.*, *n.* 17, *p.* 969) Guibertus, qui anno 1208 obiisse creditur, Sulpicii Severi B. Martini discipuli festivitatem, cui ipse interfuerat in Majori monasterio, solemni officio ad diem 29 Januarii celebratam fuisse significat, at eum scribit episcopum Bituricensem. Monachi vero Majoris monasterii videntur illum in honore habuisse, non eo quod Bituricensis episcopus exstiterit, sed quod eorum fundatoris S. Martini fuerit (*Ibid.*, *n.* 15, *p.* 968) discipulus, et quod apud ipsos, ut ferunt, domicilium statuerit. At quibus illum præconiis Gennadius (*Cap.* 19) et Paulinus Petricordius (*Metr.* 5) annis post ejus obitum 60 vel 80 prosecuti sunt, ea satis declarant quanto apud Gallicanam Ecclesiam honore semper habitus fuerit. In Majori monasterio (*Bolland.*, *loc. cit.*, *n.* 14) Vitam ejus scripto traditam asservatam testatur Guibertus: unde monachos Martini discipuli festum diem 29 Januarii coluisse manifestum est. Itaque non immerito Ecclesiæ Gallicanæ (*Ibid.*, *n.* 12) Martyrologium ad hanc diem illius festivitatem assignat. Utut sit, jure quidem merito virum venerari par est, cujus non modo conversione, vita, singulari pœnitentia, silentio et pietate quam summis laudibus viri sanctissimi celebrarunt, Ecclesia Gallicana illustrata est; verum etiam scriptis quæ ut ceteris fidelibus ædificationi, ita et doctissimis admirationi exstitere. Jam vero quanta observantia Sulpicii Severi memoriam semper coluerit Ecclesia, validioribus elucesceret argumentis, si ipsum fuisse Severinum, de quo Gregorius Turonensis (*De Glor. confess.*, *c.* 5) duo refert miracula, pro certo haberetur, cujus scilicet oratione arbor arescere, et iterum revirescere cœpit, liliumque tumulo ejus superpositum ipso obitus die singulis annis florebat. Multis conjecturis (*V. not.* 13) eumdem fuisse arbitratur Rosveydus. Et quidem Gregorius Turonensis (*Loc. cit.* 50 *et* 51) hunc asserit presbyterum fuisse generis nobilitate clarum, qui alendis pauperibus facultates impendebat, quique duas in sessione ruris sui ecclesias exstrui curaverat, in quarum altera tumulo fuerat compositus. Solus habitationis locus Rosveydo difficultatem parit, Sulpicius enim Severus circa Tolosam videtur habitasse; Severinus vero, de quo loquitur Gregorius, infra terminum (*V. Nót.* 137 *ad Paulin.*) Beorretanæ urbis in vico Sexciacensi, vel in locis adjacentibus. Nullis tamen rationibus circa Tolosam domicilium tenuisse Sulpicium Severum nisi ad annum usque 405 probari potest. Habitationis locum deinde mutasse potuit, et in aliud prædium suum se recepisse, eo forte consilio ut Pyrenæi montes ipsum a barbarorum incursionibus tutum præstarent, vel aliis de causis. Ac re quidem ipsa, quæcunque de eo testatur Gregorius Turonensis, majorem habent conjunctionem cum ipsa Sulpicii Severi vitæ serie et continuatione, quam cum eo statu in quo eum constat fuisse ante annum 405, eo usque enim solitarius nobis visus est, sola sui ipsius **776** et familiæ cura occupatus, vel ad summum amicorum quorumdam qui vitam cum eo privatam agebant; presbyterum enim suum Calippianum quemdam vocat. Severinus (*Dial.* I, *p.* 306) vero pastorali haud dubie munere fungebatur, quandoquidem singulis (*Greg. Turon.*; *loc. cit.* 50) diebus dominicis in duabus ecclesiis octo leucas dissitis missarum agebat solemnia, quas profecto (*Ibid.*) basilicas in suis prædiis construi jusserat, nec eas fuisse de quibus loquitur Paulinus in epistolis suis 31 (*N.* 1) et 32 (*N.* 5 *et* 6), satis apparet ex earum distantia, siquidem videntur sibi proximæ fuisse a Sulpicio Severo constructæ basilicæ. Hac etiam ratione Sulpicium Severum intelligi Severini nomine conjici potest, quod (*Samso Geograph.*) in Beorretano solo exstet civitas Severi propria, et tribus abhinc leucis in Arminiaco pago S. Justini vicus, qui fortasse ipse est vicus Sexciacensis ubi juxta Gregorium Turonensem (*De Glor. confess. c.* 49) quiescebat S. Justinus presbyter, ad cujus tumulum plurima fiebant miracula. Nusquam notat Gregorius quo tempore vixere Justinus ille, Severinus, et Misilinus etiam presbyter cujus meritis (*Ibid.*) in vico ejusdem regionis nomine Talva, ubi conditus erat, insignia quoque miracula patrabantur. De Sulpicio nostro vide Saussaium in Martyrologio Gallicano, et Petrum de Natalibus lib. III, c. 67.

DE ALETHIO.

2. Ad Algasiam sic scribit Hieronymus (*Ep.* 151, *in initio*): *Satis miratus sum cur, purissimo fonte vicino relicto, nostri tam procul rivuli fluenta quæsieris. Habes istic sanctum virum Alethium presbyterum, qui viva, ut aiunt, voce, et prudenti disertoque sermone possit solvere quæ requiris. Nostram igitur amaritudinem illius nectareo melle curato, senilemque pituitam juvenili ætate compesce.* Ad eumdem, ut puto, scripsit Paulinus (*Ep.* 33) Alethium, quem (*Ibid.*, *in tit.*) *beati et merito venerabilis fratris* nomine compellat, ut excuset se ab aliquo opusculo quod ab ipso flagitaverat, datis ad eum epistolis per Victorem consuetum suum, ut ex aliis Paulini locis apparet, in Gallias tabellarium: unde colligere licet in eadem hac regione habitasse Alethium. Gregorius Turonensis (*Lib.* II *Hist. Franc.*, c. 13) citat Paulini nostri epistolam 48 in qua inter sanctissimos Galliarum episcopos Domino dignissimos, totiusque fidei et religionis custodes in afflictis Ecclesiæ rebus, Alethium recenset Cadurcensem episcopum; et ad eumdem Alethium scripsisse Paulinum satis conjicere licet ex ipsa epistola in qua episcopus designatur, ut Amandus et alii qui fuerunt episcopi, ex quo Paulinus ad eos litteras dedit. Ille etiam in mss. codicibus Cluniac., Reg. et Vien. ad titulum epistolæ 33 (*Vide Vit. cap.* 45) dicitur frater Florentii Cadurcensis episcopi, cui forte successit.

DISSERTATIO QUARTA.

DE S. VICTRICIO.

CAPUT PRIMUM.

Historia S. Victricii Rotomagensis episcopi. Arma deponit, et patitur pro Christo, qui ejus innocentiam miraculis tuetur.

777 1. Victricius natus videtur (*Paulini ep.* 18, *n.* 4) in aliquibus imperii finibus, e quibus in lucem populi sui eum eduxit Deus. Junior erat Martino nato 316 vel 317 anno (*Ibid*, *n.* 9). Ordinante Domino factus est miles Victricius (*Ibid.*, *n.* 7); militavit Cæsari, et in ipsa militia primum ad fidem ingressum habuit (*Ibid.*). Cum primo Christi amore succensus est, respuit mente militiam, et per insignem concilio

militari diem arma repente exuit, quæ ad tribuni sui pedes abjecit. Quo in furias concitato tribuno, Victricius in verbera districtus est, fustibusque fractus, et sic afflictus, in carcere acuto testarum fragmine subtritus est, necdum vulneribus obductis, comiti fuit oblatus (*Paulini ep.* 18, *n.* 7): qui Comes, ut videtur, ad eum cruciandum venerat. De illo potentiore inimico Victricium triumphavissè dicit Paulinus (*Ibid.*), unde colligitur hunc Comitem tormentis eum admovisse. Non ausi sunt satellites rursus ingerere cruciatus (*Ibid.*), capitali vero sententia damnatus est Victricius. Sed conspicuis miraculis ejus inimicos tum Deus confudit; nam dum ad supplicii locum duceretur, carnifex qui præibat, cum ejus cervicem insultans manu tetigisset, quasi ictus sui locum præpalpans; excussis illico oculis, cæcitate percussus est (*Ibid.*). Sed idcirco ille cæcatus est ut plures illuminarentur, et ut ipse forsitan lumina mentis acciperet. Quas innodatas arctius catenas (*Ibid.*), vel exiguo beneficio, rogante Victricio, relaxare noluerant custodes, conversa in eorum conspectu ad Deum prece, sponte de manibus absolutis fluere viderunt, nec ausi sunt eas renectere milites; sed ad Comitem pavidi cucurrerunt, veritatem miraculi confitentes. Comes ipse, de furore ad clementiam Deo providente conversus, testimonio militum fidem adhibuit, et eum ad imperatorem misit, cui rem totam sicuti gesta fuerat retulit, qui confessorem, ut probabile est, non ut reum detinuit, sed ut sanctum emisit.

2. Paulinus, qui supradicta refert, non dicit utrum Victricius voluerit solum arma abjicere ut totum se Deo devoveret, an vero eo quod eum cogere voluerint milites ad aliquid religioni contrarium, ut contigit sub imperatore Juliano; neque etiam dicit utrum damnatus fuerit tamquam desertor, an vero pro religione Christiana. In exordio ejus narrationis prima causa una affertur; et si fuisset damnatus sicut Christianus sub Juliano, Comes, ut probabile est, non eum emisisset laudans ut sanctum (*Ibid.*, *n.* 7), sive antequam illius emittendi mandatum ab imperatore accepisset, sive eo accepto. Aliunde (*Ibid.*) Paulinus dicit Comitem voluisse in Victricio esse Christi persecutorem, eumque testes fidei punire voluisse; tribunum, ad cujus pedes arma abjecit Victricius, fuisse sacrilegum (*Ibid.*); et milites, qui eum cruciabant, diaboli fuisse satellites. Id sane mirum **778** videri potest, si Victricium, militis solum nomine qui arma deponere vellet, cognoscebant. Videtur etiam insigniri non debuisse titulo confessoris et martyris quo a Paulino (*Ibid.*, *n.* 7 *et* 9) multoties ornatur, propter omnia quæ hanc ob causam sustinuit; quin etiam et multi eadem qua Victricius de causa videntur damnati, qui cum eo emissi sunt, quos omnes Paulinus Confessores appellat (*Ibid.*, *n.* 7). Quibus rationibus adductus est Baronius (*An.* 362, § 264) ut assereret Victricium sub Juliano passum fuisse, et in Martyrologio Romano ejus natalis die 7 Augusti assignatur. Si passus est sub principe Christiano, et tantum ut se Deo devoveret totum, nullo præstantiori exemplo demonstrari potest quantam quisque sibi vim inferre debet ut gratiæ obtemperet, et exuere etiam munia ex se non plane noxia: unde etiam evidenter apparet Deum posse in cœlo coronare homines ex legibus civilibus reos, quas Ecclesia suis legibus defendere non potest. In carcerem fuit conjectus (*Sulp. in Vit. Mart. lib.* III) S. Martinus quod sub armis stare amplius nollet, verum non ob illam præcipue causam, neque enim in capitis discrimen venit. Victricii virtutes illustri huic rudimento responderunt, quod longorum laborum paucis consummatio est (*Paulini ep.* 18, *n.* 8). Semper enim visus est potens meritorum et gratiarum dives (*Ibid.*); et Paulinus (*Ibid.*, *n.* 9) asserit Deum fecisse illum meritis parem Martino. Hic non utens licitis et a commodis abstinens, Christianæ paupertatis divitem gloriam tenuit (*Ep.* 37, *n.* 4), et fidei virtus in tota ejus vita inclaruit (*Ibid.*, *n.* 7).

CAPUT II.

Victricius creatur Rotomagensis episcopus. Ecclesiam suam pietate illustrem facit. Fidem in Belgio prædicat.

1. Deus nolens Victricii virtutem sub modio taciturnitatis obscuram latitare (*Paulini ep.* 18, *n.* 6), eum super candelabrum apostolicæ sedis Rotomagensis Ecclesiæ evexit (*Ibid.*, *n.* 5). Id ante contigit quam Paulinus hujus seculi curis liber esset (*Ibid.*, *n.* 9), scilicet ante annum 390, quo eum tempore Paulinus (*Ibid.*) Viennæ apud S. Martinum vidit, et quamvis eum tunc episcopum dumtaxat novisset, non vero martyrem, omnia tamen urbanitatis officia ei exhibuit, seque ac suos ejus precibus commendavit, et singulari prorsus dilectione eum complexus est. Sulpicius Severus (*Dialog.* 3, *c.* 2) narrat episcopos Valentinianum et Victricium adfuisse cum parens quidam Martino puellam annos duodecim natam Carnutibus sanandam obtulit: quod miraculum ad duos illos episcopos remittere voluit Martinus asserens se iis sanctitate esse multo inferiorem, illosque omnia posse; verum ii una cum parente illo Martinum obtestati sunt, qui dimisso populo, adstantibus duobus episcopis et patre, puellæ sanitatem restituit. Ille Victricius fuit proculdubio Rotomagensis episcopus, cum inter ceteros Galliæ episcopos nullum alium istius nominis agnoscamus.

2. Postquam episcopus creatus est Victricius, (*Paulini ep.* 37, *n.* 4) in fide et veritate, non in inflatione scientiæ, neque in sublimitate sermonis mysterium Christi annuntiavit, nihil se judicans scire inter homines, nisi Christum Jesum, eumque crucifixum. Illi concessit Deus (*Ep.* 18, *n.* 10) quod eximiæ **779** dumtaxat sanctitatis viris concedere solet, factis scilicet adæquare sermones, et pariter vita ac sermonibus instruere; atque adeo nullus poterat se excusare difficultatis imperio cum prius adstringeretur Victricii virtutis exemplo. Ea ratione multorum beatorum beatus parens exstitit (*Ibid.*). Innumeros circa se utriusque sexus sanctorum greges coegit, quos Christo sapientibus institutis suis genuerat, et quibus erat fidei formula, sicut et perfectæ virtutis exemplum. Ecclesiæ suæ etiam primævæ illius Hierusales Ecclesiæ speciem dedit (*Ibid.*, *n.* 5), et in ea omnis generis virtus florere videbatur. Intemeratam virginitatem servabant maximo numero filiæ (*Ibid.*), quibus unus Christus hospes et sponsus erat; innumerabiles viduæ sanctis operibus, ministratu pio, noctu diuque Ecclesiæ famulatu, eas, quibus diabolus ipsarum corpora lacessebat, aggressiones superabant. Multi conjugati arcanam fratrum germanitatem profitebantur, et orationibus sedulis Christum ad sui visitationem et castitatis benedictionem invitabant; alii vicissim tum ad castitatem conjugalem tum ad continentiam sese exercebant. Ubique misericordiæ pandebantur viscera (*Ibid.*); continua diebus ac noctibus Christi Domini nomen prædicatione resonabat. Quotidiano concentu sancta cantica psallebantur per frequentes ecclesias et monasteria (*Ibid.*), et castissimis cordibus ac vocibus cum in cœlo, tum in terra, sancti delectabantur. Idcirco Paulinus addit apostolos (*Ibid.*), cum in Victricio aptissimum sibi diversorium repperissent, eos ipsi esse cooperatos, et effectu divinorum operum probasse suum spiritum ea in Ecclesia exstare, a qua ipsorum aberant reliquiæ; eos in filiis pietatis ac justitiæ conquievisse (*Ibid.*), eos Victricium in omnibus eruditionis suæ filiis dilexisse, et in ipso Christum amavisse; utque ipsum gloriæ suæ consortem testarentur, eos in illius potissimum diœcesi divina plane miracula fuisse operatos. Itaque S. Victricii studiis et cura (*Ibid.*) Rotomagus, vicinis ante regionibus urbs tenui nomine pervulgata, in longinquis etiam provinciis nominari venerabiliter cœpit, et inter urbes sacratis locis nobiles cum divina laude numerari.

3. Nec solum pontificali dignitate apostolorum collega factus est Victricius, sed et eo quod illum Deus speciosum, ut Paulini (*Ibid.*, *n.* 6) verbis utar,

verbi sui pedem fecit, clarum fulgur in obscuris ante regionibus lumen accendens (*Paulini ep.* 18, *n.* 4), *in gentibus populorum remotis* qui sedebant in regione umbræ mortis, nubem in pluviam uberem deserta rigantem, magistrum denique et doctorem gentium (*Ibid.*). Diocletiani temporibus Morinos et Nervios in Belgio tenui jam spiritu fides veritatis afflaverat (*Ibid.*), at pastorum negligentia et frequenti barbarorum incursu incrementum non fecerat. Victricium Deus potissimum in vas electionis excerpsit (*Ibid.*), in quo sanctificaret illic nomen suum; in eo enim fides veritatis prima refulsit clarius, ac propius apparuit, et caritas incaluit ardentius. Denique ubi quondam deserta silvarum ac littorum pariter intuta loca advenæ barbari ac latrones incolæ frequentabant, tunc venerabiles et angelici sanctorum chori, urbes, oppida, insulæ, silvæ, monasteria et ecclesiæ plebe numerosæ, pace consona divinas laudes celebrabant (*Ibid.*, *n.* 4). In omnem terram sonus ejus exivit, et Dei nomen sanctificatum est (*Ibid.*).

CAPUT III.

Ad Victricium scribit Paulinus. Accusatur de fide Victricius. Romam venit, et scribit ad Paulinum.

780 1. Probabiliter admodum jam episcopus prædicavit in supradictis regionibus Victricius, novissime enim de illo audierat Paulinus cum ad eum litteras dedit anno 390. Hæc nota illi fecerat Tychicus (*Paulini ep.* 28, *n.* 4), quem S. Victricii carissimum fratrem et fidelem in Domino ministrum appellat; et tunc luxit Paulinus (*Ibid.*, *n.* 9) negligentiam infelicitatis suæ quod Victricii sanctitatem non satis agnovisset et veneratus fuisset cum Viennæ apud S. Martinum olim cum viderat, et illius cicatrices non lambisset. Ad eum scribendi quærebat occasionem (*Ibid.*, *n.* 1), nec dabatur, donec quod optanti aliquando non contigerat, id insperanti sibi provenit Romæ quo accesserat Paulinus; nec multo post (*Ibid.*, *n.* 3) cum quodam catechumeno Urso concurrit et Paschasius S. Victricii Rotomagensis diaconus, in cujus humanitate et gratia quasi quasdam virtutum gratiarumque S. Victricii lineas velut speculo reddente se collegisse dicit Paulinus (*Ibid.*, *n.* 10); quem et institutionis Victricii discipulum et viæ comitem modestia morum, cordis humilitas, mansuetudo spiritus, constantia in fide veritatis, et sermo in omnibus sale conditus, probabant (*Ibid.*, *n.* 1). Itaque eum præter gratiam fraterni in sacro diaconatus ministerio contubernii eo venerabilius amabiliusque suscepit Paulinus (*Ibid.*), quod de Victricii clero, et corpore, et spiritu esset. Nec illum ex Urbe ad Victricium redire cupientem passus est proficisci (*Ibid.*), sed quadam caritatis violentia eum Nolam perduxit; ut diutius per illius præsentiam quasi quadam S. Victricii gratiæ portione frueretur. Illius tamen conversationis non mediocrem consolationem perdidit Paulinus qui tunc temporis carnali ægritudine afflictus est (*Ibid.*, *n.* 2). Neque vero in infirmitate Paulini dumtaxat Paschasius contribulatus et compassus est; sed et in Ursi, quem indivulsum suæ peregrinationis comitem habuerat, gravissimo languore confectus est, in quo Paulinus se perspexisse asserit fidem et caritatem in Domino plenam (*Ibid.*, *n.* 3). Tandem labore ac fide Paschasii, quem Dominus experiri voluit potentiam apud se sancti sui confessoris Felicis, Ursus usque ad mortem infirmatus de periculo invenit salutem, et per Paschasii diaconi manus Christo genitus, in lectulo baptizatus est (*Ibid.*), licet adesset S. Paulinus jam presbyter, et plures alii potuissent præsto esse presbyteri. Cum autem Ursus sana et robusta esset valetudine, et Paschasius ad Victricium reditum meditaretur, per ipsum 18 epistolam suam ad Victricium dedit Paulinus (*Ibid.*, *n.* 1), in qua cum Paschasium diutius apud se retentum excusasset, de Morinis et Nerviis (*Ibid.*, *n.* 4), quos per Evangelium Christo Victricius genuerat, verba facit, et quemadmodum Rotomagensem formaverat Ecclesiam (*Ibid.*, *n.* 5), ut supra (*Cap.* 2, *n.* 2) enarravimus; denique postquam ejus martyrii seu confessionis texuit historiam (*Ep.* 18, *n.* 6 *et* 7), illius videndi summo se teneri desiderio significat (*Ibid.*, *n.* 8). Nihil in ea commemorat de Victricii ad Urbem accessione, quam anno 404 factam fuisse mox demonstrabimus.

781 2. Exstincto Alarici bello, Honorius ultimis anni 403 diebus Romam venit (*Prudent. in Symmach. et Claudian. in poem.*), ubi saltem ad vigesimum quintum Julii diem anni 404 commoratus est. Eodem tempore Victricius Rotomagensis illuc se contulit, et vidit ipse quantis laboribus et quanto studio Rom. pontifex Innocentius imperatorem sollicitaverit ne ecclesiasticos viros ad onera et munera civilia pertraheret (*Ep.* 2 *Innoc. ad Victr.*, *c.* 11). De hac Victricii peregrinatione Romam loquitur Paulinus (*Paulini ep.* 37, *n.* 1); speravit enim Victricium, qui per tanta terrarum spatia Rotomago Romam venerat (*Ibid.*): brevi itinere Nolam ad se venturum, qui cum non venisset, fatetur Paulinus hujus se boni damno non modo contristatum, verum etiam confusum fuisse; neque unquam sibi ipsi magis, neque aliis manifestata fuisse peccata sua, quam cum Dei manus quæ Victricium tam longe perduxerat, propius ad ipsum accedere non permisit. Quo consilio hanc peregrinationem susceperit Victricius non plane perspicuum est, nisi malevolorum linguis mendacibus ejus sanctitati invidentibus eo pertractum dicamus (*Ibid.*, *n.* 4). Accusatus fuisse videtur (*Ibid.*, *n.* 6, 7, *et Chiffl. p.* 177) quod de fide non recte senserit, de qua cum ad eum scriberet Paulinus, fidem illi catholicam præcipue de mysteriis Trinitatis et Incarnationis longo sermone exponit (*Paulini ep.* 37, n. 5 *et* 6). Deus vero hac eum afflci passus est injuria (*Ibid.*, *n.* 7), ut gauderet rursus de victoria, et donaretur corona qui victor discessisset e pugna, eique secundum B. Paulum liceret dicere pugnare se a dextris et a sinistris per arma justitiæ (*Ibid.*), per ignominiam et bonam famam, per gloriam et ignobilitatem; neque enim linguarum iniquarum sagittæ in corpore armis Dei potentibus septo locum vulneris, neque nævum in lumine potuerunt invenire (*Ibid.*, *n.* 4): quis enim dubitet in ejus spiritu fidem veritatis habitare (*Ibid.*, *n.* 7), in cujus vita videt fidei exstare virtutem. Nec quisquam in eo confusus est quod rectius de ipso senserit, et nova hæc vere fidei ipsius, necnon virtutis probatio multis in profectum Evangelii venit (*Ibid.*). Qua de causa Romam venerit Victricius palam non est; nec satis constat, ut jam diximus, an eo iniquorum criminationibus fuerit pertractus. Utut sit, ibi certe in ore omnium cum doctrinæ tum virtutis ejus laus exstitit maxima; paucis enim interjectis diebus missa ad eum epistola laudat pontifex Innocentius (*Ep.* 2 *Innoc.*) quod in directione doctrinæ, in virtute conversationis, et in aliorum ad Ecclesiæ normam institutione laudem veri episcopi adeptus sit; neque quidquam in ejus doctrina animadvertit quod cum sacris paginis non consentiret.

3. Non multo post reditum ejus Rotomagum misit in Italiam Candidianum cui brevem ad Paulinum dedit epistolam (*Paulini ep.* 37, *n.* 1), quam ipse Paulinus incredibili gaudio accepit; quæque pristinum dolorem, quod Victricius ad ipsum non pervenisset, penitus abstersit (*Ibid.*, *n.* 1): de quo tamen suavissime et humillime per responsum conqueritur, et sibi peccatori et ægroto fatetur hoc debitum fuisse solatium (*Ibid.*, *n.* 2). *Nolo enim te*, inquit Paulinus (*Ibid.*), *ita securum esse de nobis, ut putes jam sanctos esse omnes languores animæ nostræ; in quibus Domino peccavimus et peccamus.* Ea de re multa pro suo more subnectit, orationum ejus suffragia implorat (*Ibid.*, *n.* 1); reliquum epistolæ spectat ad eam quam sustinuerat persecutionem (*Ibid.*, *n.* 4 *et* 7). Loquitur Augustinus (*Lib. de Cura pro mort.*, *c.* 18) circa annum 404 de quodam Candidiano presbytero, cujus in cognitionem venerat Paulini opera, et cujus ministerio idem **782** Augustinus librum *de Cura pro mortuis* ad Paulinum misit. Portitor epistolæ Victricii ad

Paulinum nondum erat presbyteri dignitatem adeptus, cum eum Paulinus *filium* vocet (*Paulini ep.* 37, *n.* 1); et tunc temporis videtur potius Victricii quam Paulini fuisse.

CAPUT IV.

Ad Victricium scribit Innocentius I pontifex Romanus.

1. Eidem forsan Candidiano dedit Victricius litteras ad Innocentium papam; voluit enim ab eo pontifice cognoscere quænam esset Ecclesiæ Romanæ de disciplina et morum directione regula et praxis (*Ep.* 2 *Innoc. ad Victr., in init.*). Conquestus est (*Ibid.*) de perversa quorundam agendi ratione, qui divinum judicium non timentes, sed gratiam popularem aucupantes, sacra et vetera Ecclesiæ decreta, nulla ejus sanctitatis habita ratione, infringere præsumebant; quare eamdem Ecclesiæ Romanæ disciplinam servari in sua provincia in votis habuit: cujus æquissimæ petitioni consensit Innocentius, et misit ad Victricium librum (*Ibid.*) quem vocat *Regularem*, quasi didascalum et monitorem; in quo non nova præcepta imperare, sed quæ per desidiam aliquorum neglecta fuerant, quæque apostolica et Patrum traditione fuerant constituta ab omnibus vellet observari, habita divini judicii ratione, eaque mittere se asserit Innocentius, ne ipse erroribus et abusibus favere silentio suo videatur, monetque Victricium (*Ibid.*) ut illa episcopis suffraganeis et vicinis Ecclesiis nota faciat, ut cognoscatur quæ sit Ecclesiæ Romanæ praxis, et hanc regulam sequantur quicumque instituendorum Christianorum curam susceperint, quorum observatione aliorum decretorum, quæ hic non notantur, notitiam essent facile assecuturi. Regularis ille liber, quem cum epistola sua Innocentius a se missum dicit, non alius mihi videtur esse ab iis decretis quæ adeo epistolæ ipsi conjuncta sunt, ut illius partem constituere videantur; quorum primum vetat, *Ne quis extra conscientiam metropolitani episcopum audeat ordinare, vel ab uno episcopo ordinetur.* Secundum prohibet *ne in clerum admittatur qui post peccatorum in baptismate remissionem cingulum militiæ secularis habuerit*; pœnitentiam enim solam a clero exclusisse constat, licet militiam secularem quis non fuisset professus. Tertium quod secundo adjungit Dionysius Exiguus (*Cod. Can. p.* 197), statuit *causas vel contentiones inter clericos tum superioris ordinis quam inferioris ab ejusdem provinciæ episcopis esse terminandas* (*sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ*, ut habet Justelli editio, p. 197), *eosque qui causæ suæ judicium in alias provincias transtulerint de clericatu deponendos; de causis vero majoribus ubi judicium episcopi tulerint, notum facient summo pontifici ex consuetudine, et ex decreto concilii*, ut videtur, Sardicensis. Quartum, quintum et sextum prohibent *ne clerici ordinentur qui secundam habuerint uxorem, aut viduam, aut ejectam, sive post, vel ante baptismum*, contra Hieronymi (*ep. ad Ocean.*) sententiam: quod observatum asserit a singulis episcopis. Nonum, quod *levitæ et sacerdotes cum uxoribus suis non coeant, quia ministerii quotidiani necessitatibus occupantur.* Licitum fuisse videtur inferioris ordinis clericis pro nutu matrimonio **783** uti, *præterquam iis*, ut ait Innocentius c. 10, *qui in monasteriis diu morati fuerant, ubi perpetuæ se addixerant continentiæ; fuisset enim a ratione alienum, si quod diu servassent, id in meliori gradu positi amisissent.* Notat in eodem articulo *ante matrimonium corruptos Ecclesiæ benedictionem non recipere cum uxores ducerent; eosque qui ante baptismum in virginitate non steterant, pollicitos fuisse juxta antiquum Ecclesiæ usum et praxim cum in clerum admitterentur, se matrimonium non contracturos.* Septimo articulo prohibetur *ne de aliena Ecclesia clericum ordinare quisquam usurpet, nisi ejus episcopus precibus exoratus concedere voluerit: et abjectum ab altero clericum altera Ecclesia non recipiat.* Octavum: *Ut ad Ecclesiam redeuntes a Novatianis, vel Montensibus*, hoc est Donatistis, *per manus tantum impositionem suscipiantur, præter eos qui ab Ecclesia catholica ad eos transeuntes rebaptizati sunt; ii enim sine longa pœnitentiæ satisfactione nequaquam sunt admittendi.* In undecimo monet Innocentius Victricium *ne curiales vel quibuslibet publicis functionibus occupatos clericos faciat, quippe qui nonnunquam a sacerdotio revocarentur a principibus iis muniis subjiciendos, in quibus voluptates exhibebant* (ludos scilicet publicos) *quas a diabolo inventas esse non dubium est*; et simul in ejus memoriam revocat *quæ ipse Romæ positus viderat.* Decrevit duodecimum, *eas quæ Christo spiritaliter nupserunt et velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se junxerant de seculo recesserit; et eas quæ vivente adhuc viro alteri nupserint, haberi adulteras, nec eis concedendam esse agendæ pœnitentiæ licentiam, nisi unus ex eis fuerit defunctus.* Statuit decimum tertium *pœnitentiam aliquanto tempore iis esse agendam quæ nupserint postquam in proposito virginitatis semper manere promiserant, etiamsi velatæ non fuerint.*

2. Extremi duo articuli citantur ex epistola Innocentii I papæ ad Victricium Rotomagensem in concilio Turonensi II, et ibi approbantur. Inepte admodum hujusce temporis hæretici (*Baron. an.* 404, § 122) iis extremis duobus articulis utuntur ut hanc Innocentii epistolam suggillent. Illam alii (*Coc. p.* 106) penitus rejiciunt et contendunt eam non esse Innocentii, quia de verbo ad verbum Siricii epistolam complectitur. Cum vero Innocentius antiquas regulas renovare, et Ecclesiæ Romanæ disciplinam notam facere voluerit, id melius præstare non potuit quam si majorum instituta traderet. Quamobrem nemo jure dubitaverit de epistola Siricii a concilio Teleptensi et a Ferrando laudata, neque de Decretali Epistola Innocentii, quam Dionysius Exiguus inseruit integram in codice Ecclesiæ Romanæ, et quæ citatur anno 570 a concilio II Turonensi et plurimis aliis (*Blond. de Decret. p.* 551). Major difficultas versatur in assignando tempore conscriptæ epistolæ quæ est 15 Februarii (*Ep.* 2 *Innoc., in fine*), eo quod referat epistola Victricium testem fuisse quantis molestiis imperatorem præsentem pontifex Rom. sollicitaverit (*Ibid., c.* 11); idcirco enim asserendum nobis est eum versatum fuisse Romæ eodem tempore quo Honorius qui illuc non pervenit nisi mense Decembri anni 403. Ex poemate quod Claudianus de eo itinere in sextum consulatum suum edidit constat eum illuc numquam antea venisse ex quo fuerat imperator creatus; præterea vero Innocentius pontificatum non adeptus est ante annum 402. Si igitur Victricius Romæ adfuerit mense Decembri 403, quis putet Innocentium **784** ad eum scripsisse 15 die Februarii anni 404. Hoc unum existimari posset Victricium Romæ adhuc commorantem hanc ab eo institutionem postulasse, et ab eodem per formam epistolæ accepisse, quo majoris esset ponderis. At ex his vocibus, *quam ipse nobiscum positus cognovisti* (*Ibid., c.* 11), manifestum est Victricium ab urbe Roma jam tum abfuisse; ac re quidem ipsa asserit hæc a se decreta cum epistola missa fuisse; et hæc verba, *quosdam enim asseris exstitisse* (*Ibid., init. ep.*), satis indicant pontificem non respondere iis quæ coram Victricius dixerat, sed ad ea quæ ex illo tempore ipse Victricius rescripserat. Itaque si ejus Roma discessum ad finem Martii 404 posuerimus, qui quidem maturius assignari non potest, cum necesse sit Victricium Rotomago Romam scripsisse, et Innocentium per aliquod tempus suum paravisse responsum, illud ante hunc annum dare non potuit decimo quinto kalendas, non Martii, sed Januarii, hoc est 18 Decembr. In quibusdam editionibus et in ms. Justell. non reperitur quo tempore scripta fuerit hæc epistola, quamvis suo quæque tempori assignentur aliæ epistolæ. Et vero quæ sequuntur, *Hæc itaque regula* (*Ibid., in fine epist.*), etc., ex aliis quibusdam scriptis videntur excerpta, neque cum præcedentibus ullo modo cohærent, nisi de hac regula tota intelligatur epistola. Nihil amplius docet

historia de sancto Victricio, qui septimo Augusti die A ejus Brennam translatum et in Ecclesia S. Remigii inter confessores Christi colitur ab Ecclesia. Corpus repositum fuisse traditur (*Gall. Christ. t.* I, *p.* 559).

DISSERTATIO QUINTA.

DE S. APRO.

CAPUT PRIMUM.

De vita S. Apri Tullensis episcopi. An idem fuerit ac Aper Paulini amicus.

Si Aper monachus, qui anno 404 vel sequenti interfuit Galli colloquio ex quo confecti sunt Sulpicii Dialogi (*Dial.* 3, *c.* 1), idem sit cum eo ad quem scripsit Paulinus, serius anno 404 ad eum litteras non dedit; sed eumdem non esse satis verisimile est, cum enim is ad quem Paulinus scribit nobilis fuerit et sacerdos, non eum solo monachi nomine designasset; itaque nihil certi comperimus de tempore ejus conversionis et epistolarum quas ad eum scripsit B Paulinus. Superest alia difficultas : quæritur enim utrum ille sit Tulli Leucorum episcopus qui idem nomen sortitus est, quique exstat in martyrologiis ad 15 Septemb. Supponitur quidem episcopus Tullensis a Baronio in Martyrologio suo. Neminem de eo dubitare asserit Chiffletius (*Chiffl. Paulin. p.* 177), sed nomen illud *episcopi* (*Ibid.*), quod ei tribuebatur in vulgatæ olim 29 epistolæ Paulinianæ titulo, revera significat eum episcopum, si tunc non esset, postea exstitisse. Contra Sammarthani contendunt (*Gall. Christ. t.* III, *p.* 1095) non potuisse Paulinum ad Aprum Tullensem episcopum scribere, obierat enim inquiunt, priusquam Sidonius crearetur episcopus. Quid
785 inde sequatur non advertimus, nisi supponamus cum illis S. Aprum episcopatum non fuisse adeptum, nisi defuncto Urso Auspicii successore; quæ si supposuerimus, constabit eum non factum fuisse episcopum nisi sub finem quinti seculi : unde non fuit Paulini contemporaneus, quandoquidem temporibus Sidonii (*Sidon. ep.* 7, 10, *et* 17, *et not.*) vivebat Auspicius, circa annum 470. Huic validissimæ rationi qua distinguitur Aper Tullensis ab eo qui fuit Paulini contemporaneus, accedit Vita ms. prioris Apri quæ denotat Aprum Christianis parentibus oriundum ab ipsa infantia in maxima pietate vixisse, et a juventute ad reliquum vitæ cursum in virtute processisse, cujus fama ad episcopale munus assumtus est : quod difficulter admodum convenit cum iis quæ habet Paulinus, qui amicum suum describit pro more seculi vitiis mancipatum (*Paulini ep.* 38, *n.* 1), eumque non advocati modo, sed et judicis personam gessisse (*Ibid.*, *n.* 8), mentem vero et vitam mox immutatam (*Ibid.*, *n.* 7), in cujus pectore per gratiam Deus esse cœperat (*Ibid.*, *n.* 3), quique duritiam cordis, ariditatem atque levitatem veteris hominis habuerat (*Ep.* 44, n. 1). Aper quoque post conversionem suam Paulino in epistola testatus fuerat inconcussa fide tenere se Christum Filium Dei et hunc crucifixum (*Ep.* 38, *n.* 1); huic Paulinus respondit illum esse beatum qui Spiritu cœlestis Patris revelante has veritates didicerit, et Jesum Christum toto arcanæ pietatis mysterio amplexus fuerit. Quibus verbis innuitur eum recens Christianum vel saltem catholicum fuisse; quis enim illa de catechumeno facile intelligat in religione Christiana ab ipsa infantia enutrito, etsi nondum baptizato, quales erant hoc tempore complures; quis etiam facile crediderit in Vita Apri laudari catechumenum, de quo præsertim hæc referuntur : *A puero cœlestis tirocinii rudimenta suscipiens, Christianæ religionis venerator ac præcipuus semper exstitit cultor, totus circa ecclesias et loca sancta semper intentus*, etc. Si quis igitur Aprum amicum Paulini episcopum fuisse asseruerit, dicendum erit vel in eo penitus falsam esse illius historiam, vel huic multa deesse; nec enim videtur originalis historiæ characterem habere, quin immo virtutes ejus generatim et fuse describit, de gestis ejus pauca disserens. Mors judicis Catalaunensis a fide communi satis aliena est; et dum quamdam de morte Apri tangit circumstantiam, hanc fundat opinione communi, *fertur;* hanc tamen Vitam recte et pie elaboratam dixerim. Civitates hæc designat antiquis nominibus, verbi gratia : *Augusta Leucorum*, *Leucorum civitas*, quod vulgare non est apud autores sexti seculi et infra; nec miracula tradit veluti certissima episcopi sanctitatis argumenta, et notat quanto sibi studio cavebat Aper ne hæreticorum industria in errorem adduceretur : quæ prudentia vix reperitur in iis qui exstinctis hæresibus vixere, id est post medium sexti seculi. Notandum tamen de catalogo episcoporum Tullensium, P. Cointium illos recensentem qui ab Auspicii vixere temporibus ad annum usque 550 nullum de Apro habere sermonem, quem profecto priorem Auspicio existimavit.

CAPUT II.

Conversio Apri et uxoris Amandæ.

786 Ad Paulini amicum jam redeamus. Vir erat dives, sapiens, disertus (*Paulini ep.* 38, *n.* 7), prudentia clarus et doctrina (*Ibid.*); sed adeo superbus, ut Paulinus similem eum dicat tauro pingui (*Ibid.*, *n.* 8), ut habet Scriptura. Uxorem duxit nomine Amandam (*Ep.* 39, *in tit.*), ex qua habuit filios complures et filiam (*Ibid.*, *n.* 1 *et* 2). In tribunalibus fuerat advocatus et judex (*Ep.* 38, *n.* 8) : quod vocat Paulinus (*Ibid.*) *iniquam potentiæ sedem*, ut seculares dignitates ab Augustino (*Aug. in psal.* LXI, *n.* 8) dicuntur *magistratus Babyloniæ*. In Galliis commorabatur, C siquidem ex quo fuit conversus litterarum officia nonnisi annuo commeatu Paulino pendebat (*Paulini ep.* 39, *n.* 1). Haud dubie cum adhuc in seculo agerent Aper et Paulinus se invicem noverant, et videtur Paulinus quasdam ad eum epistolas scripsisse (*Ep.* 38, *n.* 11) quibus ad fidem Christianam amplectendam eum incitaret. Sed eluxit tandem in eo divinæ virtus sapientiæ et cœlestis operatio potentiæ (*Ibid.*, *n.* 7) *quia prudentem a sententiæ suæ cursu vel statu non potest flectere nonnisi ipsa summa Sapientia*, etc. Cœlesti lumine edoctus est inconcussa fide Christi veritatem tenere et libera voce profiteri, ac mentem statim immutavit et vitam; conversus ingemuit, et factus est acceptus Deo. *Destructus es a superbo*, inquit ad eum Paulinus (*Ibid.*, *n.* 8), *assumtus in humilem. Illa cervix facta est docilis ac tenuis in jugo Christi. Deposita cervice tauri fractus es in mansuetudinem bovis illius qui agnovit possessorem suum; jam ex leone vitulus; et versa ferocitatis aut virtutis vice, aper seculo, agnus Deo; totaque illa quæ pro seculo* D *superbus gerebat, nunc adversus seculum humilis arma convertit.* Præteritam cordis duritiam, ariditatem, atque levitatem cum veteri homine deposuit (*Ep.* 44, *n.* 1), peccati infelices fructus. *Nunc vere sapiens*, ait ei Paulinus (*Ep.* 38, *n.* 9), *vere disertus, et vere potens, qui mundo huic stultus et mutus es, et autori linguæ et mentis tuæ facundus et sapiens de suis muneribus Deo servias, nunc instructior jure divino advocatus pro te postules, et justior judex te ipsum judices; et in te aut de te ipso sententiam feras, ut magis merearis absolvi, teque non solum venia sed et gloria dignum facias, cum tibi per accusationem tui ades, teque damnando sanctifices : intelligens non quod hominibus, sed quod Deo placeat sanctum et innocens esse.* Jam bonis disciplinarum fructibus opimabatur, et in virtutum fruge pastum quærebat, ac duplicis Testamenti dentibus ad rumpenda diaboli retia armabatur. Quam dixit Deus stultam hujus mundi sapientiam reprobavit et respuit (*Ibid.*, *n.* 7), quia quæ a Deo hæc acce-

perat, ea sibi arrogabat, et cum parvulis Christi quam cum sapientibus mundi consortium habere maluit. Huic mundo mutus factus (*Paulini ep.* 38, *n.* 9) humilitatem a superbis contemtam (*Ibid.*, *n.* 3), et ipsam humilitatis speciem amplexus est (*Ibid.*, *n.* 5); inanitus est a divite ut ditaretur in paupere (*Ibid.*, *n.* 8), et ab illa supervacuæ distentionis saturitate vacuatus est, ut veris piæ paupertatis bonis impleretur. Sed ad propositam sibi bonorum spoliationem pervenire non potuit (*Ep.* 39, *n.* 2), et in ea Paulinum imitari; quamvis enim libero affectu cœlestia desideraret, terrena tamen quodammodo curare filiorum **787** possessionibus compulsus est. Uxor ejus in recta virtutis via vel præcessit eum vel secuta est; fuit enim illi non dux ad mollitiem et avaritiam (*Ep.* 44, *n.* 4), sed ad fortitudinem quasi redux in ossa viri sui. Continentiam (*Ep.* 39, *n.* 1) et castitatem (*Ibid.*, *n.* 3) uterque simul professi non jam se secundum carnem noverunt, sed a suo in corpus Christi transiere (*Ep.* 44, *n.* 3), et magna illa divini cum Ecclesia conjugii æmulatione, spiritualibus tanto firmioribus quanto castioribus nexibus Christi caritate copulati sunt.

CAPUT III.

Provehitur ad sacerdotium Aper. Illum uxor a curis domesticis et civilibus negotiis liberat.

Quamvis nonnisi sub ipsa conversionis initia Paulinianas epistolas accepisse videatur Aper, jam tamen ad sacerdotium promotus fuerat (*Paulin. ep.* 38, *n.* 10), et in ea sede tamquam in pacis et justitiæ solio non nutu tantum divino positus est (*Ibid.*, *n.* 8), sed et humano ibi locatus suffragio. Nec est profecto cur miremur quod viros, qui cum eloquentia tum sapientia, magnis quoque virtutibus in negotiorum civilium tractatione claruerant, ad sacerdotium promovendos populi assumerent, ipsis non modo hominibus vim inferendo, sed legibus etiam Ecclesiæ repugnantibus. Si hæc vis abominanda prorsus et intolerabilis in iis qui e statu seculari in Ecclesiam se intrudunt, et ex seipsis, non divinitus vocati, sed cupidine accensi, culmen honoris, opus et onus angelicis etiam humeris formidandum rapiunt, potius quam assequuntur; quam econtra laudabilis et sancta ea est qua populus ad sacerdotium compellit, urgetque promoveri quos tanto Deus honore dignos ostenderit, ut Ambrosios, Paulinos, Germanos, aliosque hujusce meriti viros: cum quibus sane conferendus est Aper, quem ad sacerdotium ambitione seculari non fuisse provectum vitæ ejus declarat sanctitas; ipse enim rarus urbium frequentator familiare secretum taciti ruris adamavit (*Ibid.*, *n.* 10), *non otium negotio præferens*, inquit ad eum Paulinus (*Ibid.*), *neque te ecclesiasticæ utilitati subtrahens, sed jam pene forensibus turbis æmulos ecclesiarum tumultus et concilia inquieta declinans. Arbitror autem idipsum majoribus Ecclesiæ utilitatibus præparari, quod salubri consilio instructioni sanctæ vacas intentus studiis spiritualibus quibus solitudo amica est, formans in te quotidie confirmansque Christum, quo et servus utilior et magister doctior digniorem te ei, in qua nutu Dei positus es, sede perficias; opere pariter et verbo potens, ut lingua et mente tibi concors, veram te apostolicæ disciplinæ formulam præbeas, præcepti Dominici actor et doctor.* In prædium suum sese receperat (*Ep.* 39, *n.* 3), et agrum suis videtur excoluisse manibus (*Ibid.*). Ex litteris (*Ibid.*, *et ep.* 38, *n.* 10) vero Paulini apparet in hoc secessu annum saltem illum exegisse, quo peracto creditam sibi dispensationem solers talentorum herilium multiplicator exercuit (*Ep.* 44, *n.* 4). Uxorem et liberos domi habebat (*Ibid.*, *et n.* 5): ibi vitam agebat ab omni perturbatione expertem et seclusam a pelagi fluctibus (*Ibid.*, *n.* 4), *tutam in Ecclesiæ portu mentis inconcussæ ratem in meditatione continua studiorum operumque cœlestium quasi quodam remigio salutis exercens. Quod in domo cœlesti agitur liber exsequebatur* (*Ibid.*), de iis non sollicitus quæ **788** in domo sua terrena agerentur, uxoris suæ fide et prudentia fre-

A tus, quæ eamdem sibi, sed vitæ et sollicitudinis varietate, assecuturam proponebat felicitatem (*Ep.* 44, *n.* 4). Laboribus enim intenta corporeis, secularibus vacabat negotiis, ut vir vacaret Christo (*Ibid.*); non hoc seculum Christo, sed virum sibi præferens (*Ibid.*); neque enim in eo voluntati suæ inhærebat, sed saluti ejus consulebat, cui naturæ, conditione exigente, debebat obsequium (*Ibid.*), atque ita dum secularibus negotiis serviret, non ipsi seculo, sed Christo militabat: rata se fore fidelem Deoque acceptissimam (*Ibid.*), si tamquam in immobili scopulo stabilita turris se opponeret necessitatibus seculi et procellis quæ turbare potuissent eam, qua maritus ejus lætus fruebatur, tranquillitatem. Illi Aper suorum, seu liberorum, possessionem prædiorum reliquisse videtur ex sequentibus: *Curat illa seculi curas*, inquit Apro Paulinus (*Ibid.*), *ne tu cures. Possidere videtur, ne tu possidearis a mundo, et ut possidearis a Christo. Non illam a proposito tuo discors abjungit voluntas; sed quod magis mirum est, concors fides opere dividit voluntate conB junctam. Nam sine animi captivitate rem captivitatis in libertate spiritus administrans, firmavit manus suas in opera virtutis: brachia sua extendit ad utilia, accincta fortiter lumbos suos, et escas pigritiæ non edens, facta est tibi tamquam navis quæ mercatur a longinquo; necessaria divisione reddens per se Cæsari quæ sunt Cæsaris, ut quæ Dei sunt per te ministret Deo. Nam cum tributum, sicut scriptum est, dederit cui debet tributum, tunc et manus suas adaperiens pauperi, et fructum operæ suæ porrigens inopi, spiritale vectigal pensitat; et reditum possessionis in tuæ militiæ stipendium suggerit, salutaris damni avarior quam letalis lucri. Nec enim illa, quod de terrenis elaborat fructibus, thesaurizat in terra; sed tuis potius operibus, quam damnosis avaritiæ quæstibus fœneratur.*

CAPUT IV.

Reflectit Paulinus ad conversionem Apri; eum adversus mundi persecutiones munit.

Dicit Paulinus (*Ep.* 38, *n.* 6) Deum, cujus est muC tare hominem, quia solus potest instaurare quod (solus) fecit, plura tunc mirabilia solito gratiæ signa, quæ peccatorum animas convertunt, fecisse, quasi properasset suos eripere ab ira ventura: in quo non tantum se uxoremque suam Therasiam, Sulpicium Severum sibi carissimum, et Aprum, ad quem scribebat, ejusque uxorem spectare poterat, verum et Pammachium, Pinianum uxoremque illius Melaniam juniorem, Constantem et Macarium qui amplissima obierant munera; multosque alios nobis ignotos, quibus adjiciendus Germanus Autissiodorensis, qui a muniis et dignitatibus seculi in clericorum sortem inaudito plane et miro modo a Sancto adscitus est. Deus in istis sanctis virtutum ostendebat exempla multis maxime utilia (*Ibid.*, *n.* 7); quanto enim majori sapientia et prudentia naturali eminebant, tanto evidentior in eorum conversione Dei potentiæ operatio et virtus apparebat: idcirco Paulinus pennas habere voluisset, ut volaret ad Aprum, in ejus colloD quio requiesceret, et Deum toto corde laudaret (*Ibid.*, *n.* 9). Quod autem aliis exemplo (*Ibid.*, *n.* 7), quibusdam induratis et reprobis **789** testimonio erat: quare homines quorum spes intra hujus ævi spatia concludebatur (*Ibid.*, *n.* 6), et in quibus timor Domini finem libidinum et avaritiæ nondum fecerat, Apri conversionem existimavere errorem stultitiæ (*Ibid.*, *n.* 3); ejus humilitatem contemserunt, qua eorum destruebatur superbia (*Ibid.*, *n.* 5); et castitatem (*Ibid*, *n.* 3), quam erat amplexus, fuere detestati. Eum mundus odit (*Ibid.*, *n.* 2), ubi eum a se alienum et moribus adversum vidit, ac sua illa zelotypia Aprum jam verum Dei famulum probavit. In ejus rudimentis virtus perfectionis est operata (*Ibid.*), sed tentationibus jam ille obsistere poterat; beatumque se existimabat quod odisset eum mundus, quia Christo serviebat. Hinc se Christianum credebat quia eum odisse cœperant qui diligebant, et despicere qui timebant (*Ibid.*, *n.* 3); sibique conscius erat quod si ipse idem

fuisset qui antea, æque ut solebant et dilexissent et venerati fuissent. Hæc scripserat ad Paulinum Aper (*Ibid.*) in epistola sua quam ad eum e tacito sui ruris secreto misit (*Ibid.*, *n.* 10), in qua citra dubium totius suæ conversionis seriem referebat. In fine epistolæ affirmabat (*Ibid.*, *n.* 1) se inconcussa mente fidem catholicam tenere et libera voce profiteri, ac in ea se rudem atque Deo infantem esse dicebat (*Ibid.*). Lætatus est valde Paulinus in iis quæ ad eum scripsit Aper (*Ibid.*), et cum non haberet pennas ut ad eum volaret, ipsique hanc felicitatem coram gratularetur, quid de ea sentiret in egregia et eleganti epistola testatus est, in qua ei dicit perspicuum esse quam fortiter crederet in Christo (*Ibid.*, *n.* 2), cui jam ab initio donatum esset pro Christo pati. Eum hortatus est ut hanc persecutionem sustineret (*Ibid.*, *n.* 2 *et* 7), quam ipse olim passus fuerat; ut suos adversarios firmissima humilitate destrueret (*Ibid.*, *n.* 5), eorum odium et obtrectationes potius vitæ moribus quam linguæ sermonibus confunderet, et ad Dominum silentio humilitatis et B voce patientiæ loqueretur; deinde venit ad illam admirabilem immutationem quam Dominus in Apro operatus fuerat (*Ibid.*, *n.* 7 *et* 10); sub finem eum hortatur ut diligentem se in profectu pietatis exhibeat (*Ibid.*, *n.* 11), ut eadem affectione in Domino delectetur, qua in peccato fuerat delectatus; et addit (*Ibid.*): *Impense rogo ut me in orationibus tuis implices, et quoties fuerit occasio litteris revisere studeas:* illas animi reficiendi studio expetebat Paulinus; et maximo cumulabatur gaudio cum eum in scientia spiritali proficere cognoscebat (*Ibid.*). Paulino libentissime obtemperavit Aper, et reipsa eum

A singulis annis ad Paulinum scripsisse videmus, Paulinus enim Aprum sibi ea litterarum officia annuo commeatu pependisse dicit (*Ep.* 39, *n.* 1); ex quo etiam commercio duæ prodiere epistolæ quas Paulinus et Therasia ad Aprum et Amandam scribunt, quas ad annos 405 et 406 referimus; et quidem cum barbari Gallias invaserint vergente anno 406 brevissimoque temporis spatio eas depopulati fuerint, cumque Honorio sublatas eas in ditionem suam redegerit universas Constantinus anno 407, videtur anno 406 aut saltem ineunte anno 407 tam grato Paulini cum suis in Galliis familiaribus commercio finis imponendus. Hæc de Apri vita, quem asserere non audemus eumdem cum Tullensi episcopo de quo pariter Annales nihil habent. Eum Martyrologia Usuardi, Adonis et Bedæ adscribunt in numero sanctorum episcoporum 15 Septembris die. Templo quod ipse cœperat ædificare **790** juxta Tullum statim ejus nomen inditum est, quamvis Gallico nomine corrupte vocetur *S. Epvre:* nunc S. Benedicti ordinis cœnobium est. Notant item Sammarthani (*Gall. Christ. t.* III, *p.* 1095) abbatiam monialium Coloniæ esse istius nominis et parochiam in urbe Nanceio. Salvianus, qui floruit Florentiæ ab anno 430 usque ad finem seculi quinti, scribit una ad Aprum et Verum amicos suos (*Salvian. ep.* 3, *p.* 212 et 213), quibus se multo inferiorem esse profitetur; eos totius ferme humilitatis et omnium prope bonorum operum palmam adeptos esse asserit, ipsorumque morum dignitatem ita ab omni suspicione eos vindicate, ut plane quidquid ab illis fieret nihil non recte factum esse crederetur.

DISSERTATIO SEXTA.

DE S. PAULINI OPERIBUS AMISSIS, DUBIIS ET SUPPOSITITIIS.

1. Jam satis fuse de his quæ supersunt S. Paulini operibus disseruimus in 1 et 2 Dissert., at multa excidere præclara sane monumenta. Etenim præter illius pro Theodosio imperatore panegyricum, cujus meminere S. Hieronymus in epist. 13 ad Paulinum de Institutione monachi, Cassiodorus lib. II Divin. Institut., Gennadius in libro de Scriptor. eccles. et Trithemius, ac ipse Paulinus in epist. 28 ad Severum, n. 6, præter varias, quæ periere, epistolas ad Augustinum (*Vide Vit. c.* 51, *n.* 3 *et* 4), Hieronymum (*Ibid.*, *c.* 36, *n.* 2), Delphinum Burdegalensem episcopum (*Ibid.*, *c.* 31, *n.* 1), Venerium Mediolanensem antistitem (*Ibid.*, *c.* 37, *n.* 2), ad Sulpicium Severum quatuor saltem (*Ibid.*, *c.* 29, *n.* 1; *c.* 32, *n.* 2; *c.* 47, *n.* 1 *et n.* 3), ad Desiderium presbyterum (*Ibid.*, *c.* 47, *n.* 1), Macarium (*Aug. ep.* 259, *n.* 1), Sanctum (*Vide Vit. c.* 25), et Ausonium (*Auson. ep.* 24), aliosque complures; præter Homilias quas habuit ad populum, saltem ex quo creatus est episcopus, dignas profecto quæ ad posteros transirent; Gennadius (*Catal. c.* 48), multas eum ad Sororem litteras de mundi contemtu dedisse scribit; et Sacramentarium ei adjudicat, præclarum sane, si exstaret, antiquitatis monumentum, ex quo in administrandis sacramentis veterem Ecclesiæ usum et externas cæremonias colligeremus; Paulinum etiam composuisse Hymnarium testatur idem Gennadius, quem de S. Felice natalitia carmina esse existimo. At inprimis liber *de Pœnitentia et de Laude generali martyrum*, qui interiit, maxime desiderandus est, cum omnium Paulini operum præcipuum dicat idem ipse Gennadius; hujus quoque meminere Trithemius et Bellarminus (*Lib. de Scriptor. eccl.*). Excidit præterea illius opus contra paganos, quod circa annum 395 scribebat, ut Augustinus *Ep.* 31, *n.* 8; *et ep.* 42, *n.* 1) didicisse ait, et quod vehementer desiderare se testatur. Sed et Gregorius Turonensis citat Paulini epistolam in qua S. Martinum plures SS. Gervasii et Prothasii reliquias accepisse legitur. Ex ipso Paulino (*Paulini ep.* 46, *n.* 2, *et Vit. c.* 48, *n.* 1. *Vide*

C *not.* 195) insuper colligimus eum Latinitate donavisse quæ jam S. Clementis (papæ) opera.

DE EPISTOLIS AD MARCELLAM ET AD CELANCIAM, ETC.

791 2. In ultima operum S. Paulini editione (*Rosv. edit. p.* 412 *et* 419) Antuerpiana an. 1622 insertæ fuerunt epistolæ ad Marcellam et ad Celanciam, quæ etiam inter S. Hieronymi opera reperiuntur. Epistolam ad Marcellam de tolerandis adversis maxime accedere ad dictionem Paulini ipsi Sacchino (*Vit. Paulin. p.* 733 *et* 734) et nobis videtur; at certe non facile est illud componere cum historia Paulini nostri, ut etiam observavit Rosveydus (*Vide not. in Append. ad hanc ep.*, *n.* 1). Afflictæ Marcellæ sub ipsum conversionis initium opem salutarem contulit misericors Dominus, et pium dedit consolatorem, qui etsi *in longinquo positus* (*Append. ep.* 1, *n.* 1), auditis maximis in illam divinæ misericordiæ beneficiis, cognito etiam quo erat statu, et ea quæ D illi acciderat tribulatione, disertam hanc illi epistolam gratulabundus conscripsit. In ea ad spem vitæ æternæ, et ad virtutem patientiæ quam præ se tulerat, illam hortatur (*Ibid.*, *n.* 3 *et* 6), et ut Domino in magna gratiarum actione confiteatur quod ipsam a sorte divitum peccatorum ad beatorum pauperum sortem, quorum formam Christus accepit, revocaverit (*Ibid.*): quod quidem evenisse a primis annis, quibus divino se obsequio Marcella addixit, ex ipsa epistola conjici potest. Et inde si primum non susceperit Deo se vovendi consilium, contigit saltem ut casus ille, quicumque fuerit, acriores ad opera pietatis illi stimulos subdiderit, feceritque ut propositum suum et firmius teneret et liberius profiteretur. Hic tamen nonnulla reperire est quæ ad extrema vitæ ejus, et Romæ ab Alarico expugnatæ tempora, quibus vere ipsa in corpore passa est (*Hieron. ep.* 16), referri posse videntur. An vero duras adeo calamitates, et mala innumera quæ tot ac tantis

provinciis subeunda fuerunt, quæque ipsa Romæ expugnatio peperit, reticeret epistola? De hac calamitate testificatur Hieronymus (Ep. 16) quod illam pauperem non fecerit, sed invenerit, nec ei eripere potuerit bona quæ sponte semel dimiserat. Cujus sit hæc epistola de qua agimus plane non liquet, nec in ullo ms. codice Paulini nomine inscribitur. Inter opera Hieronymi spuria recensetur; et merito, cum Hieronymianum stylum non redoleat. Ejus stylum Erasmus (*Ad ep. Hieron.*) sentit a Pauliniano non abhorrere, quippe qui suavis sit et pius, necnon Spiritus sancti gratia et caritate perunctus, locisque Scripturæ abundans. Idem tulit judicium Marianus Victorius. Hanc posuit Rosveydus in editione operum Paulini (*Rosv. edit. p.* 412); sibi tamen in notis (*Vide not. in App. ep.* 1) suis objicit Paulinum Nolæ habitantem dicere non potuisse, ut hujus epistolæ autor testatur, se *in longinquo positum* (*Append. ep.* 1, *n.* 1) a Marcella quæ Romæ vitam agebat: quam difficultatem solvere videtur, dum hanc sub conversionis Paulini initium scribi ab eo potuisse ex Hispaniis judicat. Illud tamen non facile admittimus, cum Paulinus nonnisi circa annum 390 multisque post annis ex quo Marcellæ pietas emicuit, conversus fuerit. Ad eam tamen, quasi ipsa virtutis viam recens ingressa fuisset, scribit quasi autoritatem habens, quod cum Paulini humilitate parum convenit. Et ille profecto cum de divitiis et humana ambitione disserit, mea quidem sententia, de se ipso pauca retulisset. Itaque Erasmi (*Loc. cit.*) judicio **792** inhærendum censeo, nos inter tot ac tantos hujusce ætatis scriptores epistolæ hujus autorem inepte quæsituros. Si quis hanc Paulini fœtum esse voluerit, siquidem stylo, sermone et sententiis, ut in margine adnotavimus, minime differt a Paulinianis epistolis; illam Marcellæ alteri inscriptam esse dicendum erit; non vero ei cui sæpe sæpius scripsit Hieronymus, et cujus vitam exposuit in epistola 16 ad Principiam virginem, quam sic breviter perstringimus: « S. Marcella Albinæ filia, nobilis Romana, prius patre, mox septimo a nuptiis mense viro orbata, Cerealique consule eam in uxorem petente rejecto, ab Athanasio Petroque Alexandrinis episcopis edocta, prima omnium Romæ monachæ vitam professa est: ubi a D. Hieronymo instructa una cum Principia virgine vixit. Ejus autem illud præcipuum facinus memoratur, quod Origenistarum errores ex Urbe expulerit, et Hierosolymam pietatis ac religionis causa accesserit. Obiit paucis diebus post captam a Gothis Romam (*Mar. Victor. ad ep.* 16 *Hier.*). »

Posterior ad Celanciam epistola præclarissimum certe est antiquitatis monumentum cum ob styli suavitatem, tum ob materiam; egregia enim de institutione matrisfamilias præcepta recludit. Inscribitur (*Append. ep.* 2, *n.* 2) ad nobilissimam matronam quæ inter honores seculi in conjugio constituta nupta erat viro, et illi Christiano (*Ibid., n.* 26). Aliquot jam ante annos continentiam sibi in animo proposuerat (*Ibid., n.* 27), et pudicitiam, absque pacto et consensu viri, nullo voto emisso servare cœperat. Tunc temporis paganismus abrogatus nondum fuisse videtur (*Ibid., n.* 8), cum hæc conscripta est epistola, quam certe post tempora Joviniani missam fuisse constat (*Ibid., n.* 28). Itaque ea posset Paulino adscribi, quadrat enim tempus; et habet præterea, si Erasmo (*Erasm. t. I Hieron., p.* 106) et Sacchino (*Sacch. Vit. p.* 733) credimus, multas Pauliniani styli notas: inest tamen in hac styli suavitate gravitas quædam nimis a Paulini alacritate et volubilitate in dicendo aliena et locorum S. Scripturæ diversa expressio, quam ut ei possit adjudicari isthæc epistola; etenim Sacchinus (*Ibid., et p.* 734) ejus non esse censet, siquidem ait: *Nulla nobis satis videtur.*

Paulini poema exhortatorium *ad Conjugem* (*Append. carm.* 1) ut se Deo dedicet, quod Rosveydus Paulinianis operibus inseruerat (*Rosv. ed. p.* 643), ad ipsius Paulini stylum et sermonem satis accedere lector ipse in pluribus poematum locis animadvertet. Cum vero in quatuor mss. codicibus Prospero tribuatur, in nullis Paulino, cujus historiæ prorsus non respondet, Paulini fœtum asserere non audemus. Egregium est sane illud poema et jucundissimum, poesis quoque aliis Paulini carminibus suavior liberius fluit. At quod istud carmen Paulino potest abjudicare, illud nempe est, quod universum orbem in ea generali eversione rerum et perturbatione describit, quam expertum est ab anno 407 Occidentis imperium (*App. carm.* 1, *v.* 5 *et* 7). Verum Paulino tunc temporis non necesse fuit ut se et uxorem ad Christianam vitam hortaretur, et designaret quomodo facultatibus suis uterentur (*Ibid., v.* 57 *et seqq.*). Arbogastus maximas in Occidente turbas fecit, cum anno 392, 15 Maii die, juniorem Valentinianum strangulari jussit, et diadema Eugenio imposuit. At illud carmen hæc non adumbrat. Habetur inter Prosperi carmina, cui Rosveydus et alii abjudicant, et Paulino tribuunt: a quibus dissentit Labbæus (*De Script. eccl.*) **793**, eorum tamen opinionem nullis refellens argumentis.

Appendicis poema 2 videri posset paraphrasis in laudes quas de nomine Jesu scripsit S. Bernardus; ideoque illius autor duodecimo seculo non antiquior exstitisse appareret, si quid stylus redoleret barbarum: illud vero ad elegantiam paululum accedit; et nisi foret hæc Bernardi paraphrasis, Paulinum ejus autorem facile quivis crediderit. Quid enim? cur Bernardus, qui ex autoribus non laudatis tot sententias collegit, quæ de nomine Jesu tot protulit argumenta ex Paulino non excerpserit? In ms. codice membranaceo Cartusiæ prope Argentoratum civitatem Germaniæ inter nonnulla variorum Autorum carmina hoc poema offendit Caspar Barthius, et inseruit Adversariorum Commentariorum libro XXXIV, c. 1, illud Paulino nostro adscribens. Cum quocumque nobilium poetarum Christianorum comparaveris, nullo inferiorem genium videbis; mihi vero phrasis et indoles usque adeo Paulinum sapit, ut cum ejus scriptis comparando nihil non in eo simile inventurus sis. Post Barthium sic censuere eruditissimi viri, quos consului, et poeticæ artis peritissimi, inter quos R. P. Commirius S. J. et Nicolaus Heinsius paulo antequam e vivis excederet. Illa *Felix errorum non diu*, v. 32, manifeste peccant in legem metricam, nec satis tamen video quid pro iis reponi debeat, nec qua ratione sine alio libro emaculari possit; nec inducor ullo modo ut ab autore tam insignem nævum profectum esse arbitrer, sed ab inscitis librariis. Ista de *cantatis diro carmine corporibus*, manifeste respiciunt ad manes carmine magico solitos evocari tumulis. *Sono sago* videtur dixisse, *sagarum carmine: Corpora cantata diro carmine et sono sago; devota bustis*, id est, jam mortua. Vide num forte v. 76 legendum sit: *Carne interim terræ data*, vel *Caro interim terræ data; Ne*, etc. Hoc carmen in feriis paschalibus conscriptum putat Barthius (*Advers. Comment. lib.* XXXIV, *c.* 1).

3. Suspicati sunt quidam inter S. Augustini epistolas 126 (al. 45) et 243 (al. 38) nostri Paulini esse; at refragantur Lovanienses Theologi et RR. PP. Benedictini, quippe cum Possidius in Indiculo eas recenseat, c. 7, easque citans Beda vulgatus in I ad Timoth. V et in II ad Corinth. V, 15, Augustini esse agnoscat.

Jam vero nullus pene nescit S. Ambrosii vitam et sex carminum libros de Vita S. Martini olim falso adscriptos Paulino Nolano, ab aliis Paulinis fuisse compositos, quorum prior tantum diaconus erat anno 411, cum Paulinus noster jam pontificalibus infulis esset sublimatus; alter vero scribebat circa annum 480. Hæc de Paulino autore Vitæ S. Ambrosii habet Baronius ad annum Christi 397, § 36: « Qui res ab Ambrosio gestas conscripsit Paulinus, longe alius a Paulino Nolano episcopo fuisse manifestissime declaratur sua ipsius assertione: quod enim hoc tempore testetur se clericum minoris ordinis militasse in Ecclesia Me-

diolanensi sub cura, ut ait, Casti diaconi, Ambrosio autem fuisse a manu, quis non videat hunc esse diversum a Paulino Nolano jam ante quadriennium initiato presbyteratu, et hoc tempore in agro Nolano agente jam triennium, ibique firmiter subsistente? Decepit complures nomen: sed et quod ambo viri isti Augustino familiaritate conjuncti fuisse noscantur, existimarunt iidem hunc ipsum qui 794 res gestas Ambrosii memoriæ commendavit fuisse Paulinum Nolanum; a quo, etsi alia deessent firmissima argumenta, certe quidem ipsa longe dissimilis dicendi phrasis discriminat. Ceterum is qui rogatus ab Augustino sanctissimi viri Vitam conscripsit, ad ejus vitæ finem se in Africa Carthagine esse versatum affirmat, cum agit de irrogato divinitus supplicio in Mauranum episcopum Ambrosio detrahentem: ut non mirum sit quod innotuerit Augustino, qui et eum antea novisse potuit cum Mediolani vitam ageret. » Et § 27: « Quamobrem hunc ipsum interdum existimavi esse Paulinum illum qui auctus postea diaconatu acerrimus insurrexit impugnator hæresis Pelagianæ, dum Carthagine primum adversus Cœlestium in episcoporum concilio strenue egit: exstant enim acta illa a S. Augustino recitata, quibus significatur ejus opera factum ut Cœlestius primum Carthagini damnaretur, ac postea Romæ; oblato adversus eum Zosimo papæ libello. » Qui plura volet consulat Isidorum de Viris illustribus lib. IV, et Bellarminum lib. de Scriptor. ecclesiast. ad annum 420, observat. 1.

Primus curavit Franciscus Juretus typis mandari de Vita et Miraculis S. Martini sex libros, quos tribuit S. Paulino Nolano Gregorii Turonensis testimonio fultus, qui libro I de Miraculis S. Martini, c. 2, sic scribit: *Paulinus quoque beatus Nolanæ urbis episcopus, post scriptos versu quinque libros de virtutibus ejus quas Severus complexus est, illa comprehendit miracula quæ post ejus gesta sunt transitum*, id est in sexto operis sui libro. Et paulo post idem Gregorius subdit: *Hæc Paulinus in sexto operis sui libro versu conscripsit, accepto a S. Perpetuo episcopo de his indiculo.* Is autem Perpetuus episcopus Turonensis Ecclesiæ sedem adeptus est anno 64 post obitum Martini, ut testatur ipsemet Gregorius Turonensis l. I de Mirac. Martini, c. 61, idemque Histor. Francor. lib. X, c. 31, ubi nomina episcoporum Turonensium ordine referens ait: *Sextus* (post B. Martinum) *ordinatur Perpetuus, de genere et ipse, ut aiunt, Senatorio, dives valde, et per multas civitates habens possessiones.* Sed et Sidonius Apollinaris, lib. IV, epist. 18, sextum a Martino antistitem Perpetuum nominat, et

A ejusdem perpetui meminit Sigibertus in Chronico circa annum Christi 472, unde liquido constat aut hæc verba, *Nolanæ urbis episcopus*, ab amanuensi quodam imperito addita et interpolata, aut Gregorium Turonensem stupide lapsum et sibi contradicere. Si enim sextus post Martinum episcopus ordinatus est Perpetuus anno post obitum Martini 64, sub annum 470 et adhuc anno 472 vitam ageret, quomodo potuit Paulinus, qui anno 431 obiit, ad eum de Vita S. Martini librum sextum scribere? Præterea libri sex de Vita S. Martini non possunt esse S. Paulini Nolani, cum eorum librorum autor Paulini Nolani meminerit lib. II, et se ejusdem nominis esse testetur. Huic sententiæ adstipulatur Bellarminus lib. de Scriptor. eccles. de S. Paulino Nolano observat. 2. Sed et ipsa laudatio Paulini satis fidem facit eumdem non esse qui scribit. An ille superbiæ victor ac vanitatis, animo tam demisso de se ipso venditaret, *Insignis fidei quem gloria late extulit* (*Lib.* II *Vit. S. Mart.*)? Et tamen devinctus præ-B judicio Juretus: *observa*, inquit, *hic Paulinum suæ ipsius fidei laudatorem videri*. Immo observa, quia tam magnifice de Paulino Nolano sentit, hunc Paulinum Nolanum non esse. Ceterum proferre 795 alia argumenta ad confirmandum non hunc esse Nolanum haud existimo necessarium.

In codice Regularum (*Append. part. 4 p.* 81) quas collegit nono seculo S. Benedictus Anianensis abbas, exstat cujusdam Paulini fragmentum, hoc titulo: *S. Paulini ad monachos responsio de pœnitentia*, qua solvit quæstionem: *Quomodo debeant monachi agere pœnitentiam?* Autorem præfert eloquentem, nec tamen Paulinum Nolanum, ut opinor; non enim certissimum posuisset, ex quo die quis abrenuntiavit seculo non memorari ejus delicta quæ a suscepto baptismate gessit in seculo, in quo facturum se justitiam de reliquo promiserit Deo, nec ipsum debere dubitare dominicum corpus accipere (*Ibid.*, *p.* 82). Quis enim unquam asseveraverit id convenire Pau-C lino nostro, qui monachus et presbyter factus sæpe sæpius de commissis in seculo delictis dolet et ingemiscit?

Ad extremum meminisse oportet illud Sidonii Apollinaris (*Lib.* IV, *ep.* 3, *p.* 90) qui, singula singulis ecclesiæ Patribus dona sua attribuens, Paulinum *provocare* dicit: quod de singulari acrimonia interpretandum est, et de vi suavissima qua ipsius Scripta legentes ad obsequium Christi et exactam præceptorum ejus custodiam provocat, allicit atque incendit.

DISSERTATIO SEPTIMA.

DE CAPTIVITATE S. PAULINI.

Pro captivo vicarium se tradit Paulinus. Quo tempore hæc captivitas acciderit.

1. De Paulino Nolano ab anno 414 ad annum 417 in historia nihil comperimus. Quod vero insigne caritatis exemplum de eo refert Gregorius M. (*Dial. lib.* III, *c.* 1), illud huic intervallo adscribi posse videtur. Et quidem ad posteriora Paulini tempora referre non convenit, cum satis habuerit virium ut hortum excoleret, et in hac exercitatione venusti vultus speciem quæ juventutis propria est præ se tulerit. Singulos autem annos ad annum usque 413 eo quod in Galliis et cum Augustino habuit commercio ita completos videmus, ut ejus absentiæ tempus cui annus saltem tribuendus est, non reperiamus. Videtur etiam Augustino notum et perspectum non fuisse tam illustre amici sui facinus, quod profecto in libro de Civitate Dei de eo locutus non tacuisset. Hæc summatim complectitur historia, cujus singulas partes describit Gregorius M. lib. III Dialog. c. 1, « Campaniam nimirum Italicam populantibus Wandalis, et plurimis in Africam captivis abductis, cum Paulinus in pietatis officiis rem omnem consumsisset, D posceretque ab eo vidua ut filium captivum sibi redimeret, se ipsum pro illo in servitutem tradidisse, ac Wandalorum regis genero in Africa colendis hortis se addixisse. Quem cum Wandalus in potestatem suam recepisset, hortuli curam ei 796 commisit; qui cum datis de quotidiano labore suo responsis domino placuisset, eum in colloquium dominus lubens et frequens adhibuit; cumque aliquando soli inter se dissererent, a Paulino monitus est ut rebus suis consuleret, et de statu Wandalorum cogitaret, quoniam illorum rex socer ejus brevi esset interiturus. Hoc ille retulit regi qui autoris ejus consilii videndi causa apud generum pransum venit, quia Paulinus ad dominum cum pranderet solebat olera deferre. Hujus intuitu rex commotus genero confessus est eumdem Paulinum et complures alios se vidisse per noctem sedentes judices qui e manibus ipsius flagellum abstulerant. Tum vero Paulinus dicere se episcopum compulsus est; et cum Nolanos cives captivos per Africam rex inquiri jussisset (eo-

rum enim Paulinus libertatem supplex flagitaverat), Nolam honorifice cum episcopo remisit onustis frumento iis quibus advecti fuerant navibus. »

2. Nemini dubium est quin magnas hæc historia patiatur difficultates, quia Paulini temporibus in Italiam non venere Wandali, quibus vix datum est occupandæ Africæ tempus, non ibi colendorum hortorum; tum vero rex Gensericus, quo regnante huc adducti sunt, longe post Paulinum obiit. Ita in quibusdam hujusce historiæ partibus deceptum Gregorium fatendum est, ut quandoque contingit in gestis aliorum relatione traditis, licet verissimis; qua illud ratione se cognovisse asserit Gregorius. Post Procopium (*Wandal. l.* I, *c.* 2) observat Chiffletius (*Paulin. illustr. p.* 187), et merito, Gothos, Wandalos, Gepedes, Sarmatas, aliasque gentes, apud scriptores uno nomine venire, quippe qui ex una omnes gente procreati, contemporanei, commilitones, iisdem instituti legibus, omnes pariter Arianæ hæresis fautores, linguæ quoque unius fuerint quam Gothicam vocant. Itaque cum Nola a Gothis capta sit B anno 410 (*Vide Vit. c.* 51, *n.* 2) neque alii barbari Paulini temporibus in Campaniam venerint, nec venisse potuerint, huc referenda est magna illa captivorum turba quæ, ut refert Gregorius M., a Wandalis ex Campania fuit abducta, quam addit et in Africam fuisse transvectam, utpote cum Wandali ibi diu sedem regni habuerint; at necdum illic tum dominabantur. Quamobrem longe verisimilius est captivos una cum exercitu Gothorum qui ex Italia in Gallias anno 412 et in Hispaniam triennio post transierunt fuisse abductos, vel illos aliis barbaris venditos fuisse. Fieri autem potest ut ille in cujus gratiam servum se tradidit Paulinus, hoc pacto in manus venerit Wandalorum qui ab anno 409 Hispanias incolebant. De principe vero cujus mortem prænuntiavit Paulinus, inter tot varios illarum gentium duces qui reges habebantur, potuit aliquis nobis ignotus interiisse anno 415 vel 416, Paulini enim captivitas ad ulteriora tempora extendi non potest.

C 3. Idatius in Chronico circa annum 416 vel 417 agit de quodam Fredibaldo cujusdam gentis Wandalorum rege, qui a Constantio sine prælio captus ad Honorium missus est: ille paucis interjectis diebus forsan et exstinctus est; qui casus si anno dumtaxat 417 evenerit, potuit tamen et a Paulino prædici sub finem anni 416 veluti proximus. Anno 415 Ataulphum Alarici levirum et regem Gothorum mortuum legimus. Cum vero paulo **797** ante in Hispanias transierit, nondum Gothi de hortorum cultura cogitabant. Asserit Chiffletius (*Loc. cit.*, p. 188, 189) anno 409 vel 410 Paulinum in servitutem se dedisse, et mortem Alarici prænuntiasse. Illum autem Nolæ fuisse constat cum ab Alarico circa mensem Septemb. direpta est, nec multo post obiit Alaricus. Neque etiam dici potest Alarici generum Africæ dynastam fuisse ab anno 408, ut supponit Chiffletius, et anno 410 potuisse libere ab eo abduci Paulinum ut in manus Alarici immanissimi imperii hostis traderetur, quæ ficte supposita et minime probabilia videntur. Affirmat Baronius (*An.* 431, § 191) D Gensericum Wandalorum regem anno 428 vel 429 Italiam depopulatum fuisse et ex ea captivos abduxisse, mortemque Gunthari a Paulino prædictam; quem Procopii autoritate fretus Wandalos in Africam cum Genserico fratre adduxisse contendit. Maria vero non potuerunt Wandali percurrere nisi post occupatam Africam, eo enim tempore quo ex Hispaniis in Africam transierunt, navigationis artem iis notam non fuisse Prosper (*Chronic. an.* 427) affirmat. Procopius (*Wand. l.* I, *c.* 3), quem Baronius ducem sequitur, tum fuisse puerum Guntharium asserit; generum itaque non habebat. Guntharium vero, vel potius Gundicarium, sic enim a nonnullis scriptoribus vocatur, anno 427 vel 428 jam obiisse constat, priusquam Wandali in Africam transirent: quod confirmat Idacius. Procopius (*Ibid.*) ipse testatur ætatis suæ Wandalos id credidisse; neque Victor Vitensis aliique scriptores in Africam alio duce quam Genserico venisse Wandalos significant. Si igitur sub Gunthario captivus factus est Paulinus, fuit certe in Hispania, non vero in Africa, ut contendit Baronius; atque ita dicendum erit Paulinum annos natum 75 hortulanum egisse (*Chiffl. loc. cit.*, p. 180), quod nullo modo verisimile est.

4. Haud scio an alterius Paulini tempora, quem aliquanto post nostrum Paulinum creatum fuisse Nolæ episcopum ferunt, cum Gregorii narratione non melius convenirent; quæ licet ita se haberent, cuivis tamen tam illustre facinus, quod quidem tamquam insigne caritatis specimen omnibus proponendum est, non videbitur alteri tribuendum quam illi a quo tanta divinæ caritatis opera sub ipsa conversionis initia, cum eo veluti colludente gratia, **798** profecta sunt. Ut prævertantur quæ in hujus historiæ argumentum objici possent, non debuisse nimirum episcopum a populo suo discedere, neque privati cujusdam captivi libertatem æternæ totius gregis saluti præponere, satis erit si respondeatur a Gregorio (*Dialog. l.* III, *c.* 1), qui et Ecclesiæ regulas et episcoporum officia quam optime callebat, laudatum fuisse stupendum illud, mirandum et prorsus inauditum facinus, ex quo quivis maxima virtutis documenta posset percipere. In hoc, inquit (*Ibid.*), *illum imitatus est qui formam servi assumpsit, ne nos essemus servi peccati*. S. Eulogius (*Ad Floram et Mariam, t. IX, p.* 312, *Bibl. Patr.*) nono seculo martyr illustris iisdem fere utitur verbis, exemplum illud detentis in carcere pro Christo virginibus proponens, ibique *S. Paulinum miræ sanctitatis et incomparabilis meriti episcopum* vocat. Tradunt quidam (*Ambr.*, *Leo lib.* II *de Nola*, *c.* 13, *et Chiffl. p.* 259) S. Paulinum Nolanæ civitatis episcopum, cum Nolanis omnibus ejus nomine liberatis redeuntem, de civibus adeo bene meritum, tanta pompa lætitiaque ab ipsis exceptum, ut proinde eumdem diem statis pompis, festis, spectaculisque usque ad nostram tempestatem venerati sint, et etiamnum venerentur, idque a decimo mensis Junii die quo in urbem rediisse fertur, usque ad vigesimum secundum quo diem obiit extremum. Ex ms. codice Medicæo, in quo exstat Uranii de obitu Paulini ad Pacatum narratio quæ historiam ibi complectitur de redemto a S. Paulino sui permutatione filio viduæ usque ad ejus ex Africa Nolam reditum, contendit Baronius (*An.* 431, § 195, *in append.*) S. Gregorium ab Uranio hanc totidem verbis exscripsisse historiam quam inter Elogia dedimus. At illud Sacchino (*Paulini Vit. p.* 721, 722) non persuasit qui eam S. Gregorio M. semper adscribit, nec Chiffletio (*Pag.* 179, 180) qui Baronii argumenta et rationes optime refellit. Etenim ipse Gregorius (*Dial.* l. III, c. 1) hanc de Paulini Captivitate historiam non ex cujusquam scriptis se excerpsisse dicit, sed a senioribus viris audiisse, quorum testimonio fidem denegare non potuisse fatetur. Si hæc acciderit captivitas ab anno 414 usque ad 417, Augustinum hac de re jam ad Paulinum scripsisse non serius quam sub initium anni 417 credere par est, cum in epistola 186 (alias 106) circa medium ejusdem anni scripta nullum de hac captivitate verbum faciat.

DISSERTATIONES
IN SANCTI PAULINI POEMATA.
(Auctore Lud. Ant. Muratorio.)

DISSERTATIO PRIMA.
DE TURCIO APRONIANO.

799 Gens Turcia Aproniana celebris est apud veteres Latinos. Familiam vero Apronianam singulariter exquisitissima ac nervosa eruditione post Glandorpium prosecutus est em. Norisius in Cœnotaph. Pis. Diss. 4, cap. 2, § 1, *Gens itaque Turcia Aproniana, Asteria Romæ nobilissima fuit*, uti ibidem laudatus cardinalis ait. Floruit sub Juliano Augusto L. Turcius Secundus Apronianus præf. Urbi, de quo apud Gruterum, pag. 476, n. 7, inscriptio habetur, itemque altera pag. 647, n. 6. Ad eumdem referenda est alia inscriptio Gruteriana pag. 165, n. 2, Fani sita, quæ tamen hactenus cum errore proposita est, quasi DIVO AUGUSTO fuerit dicata. Veram lectionem exhibent schedæ Ambrosianæ **800** Bibliothecæ, eæque omnium vetustissimæ, e quibus multa mihi hausta fuere in ornamentum collectionis ineditarum inscriptionum, quam justo volumine comprehensam, faventibus superis, orbi communicare jam meditor. Sic autem se habet marmor, ejusque adnotatio :

Fani in arcu semidiruto convulso
tormentis bellicis bello Pii II. contra
Fanenses. MCCCCLXII.
DIVO AUGUSTO PIO CONSTANTINO PATRI
DOMINORUM.

Subsequitur in medio marmore ac infra quidquid apud Gruterum invenitur. Positum Augusto prius fuerat marmor; tum, uti frequenter contingit, eidem marmori copulata est altera inscriptio, quam Turcius Secundus Asterius Constantino Magno dicatam voluit. Alii fuere Turcii Aproniani, aut Asterii, **801** quos in laudato numquam satis opere Norisiano videre licet. Ibi ex antiquissimo Mediceæ bibliothecæ Vergiliano codice exhibetur inscriptio Turcii Rufii Aproniani V. C., qui consul anno Christi 494 processit, propria ejusdem Turcii manu elaborata. Redeamus nunc ad Turcium nostrum. Hunc ita Paulinus commendat :

Apronianum Turciæ gentis decus
Ætate puerum, sensibus carnis senem,
Veteri togarum nobilem prosapia,
Sed clariorem Christiano nomine,
Qui, mixta veteris et novi ortus gloria,
Vetus est senator curiæ, Christo novus.

Igitur senatorum albo inscriptus erat Turcius iste, A et nuper Christianam religionem fuerat professus. Hanc suam ad Christum conversionem debuit Apronianus Melaniæ senioris pietati, quæ illum a gentibus in Christi ulnas adduxit. Auctorem hujus rei Palladium habeo in Hist. Lausiaca, cap. 118, ubi de seniore Melania Hierosolymis Romam reversa his verbis agit : *Atque illic quidem cum esset, beatissimum virum, magnæque existimationis clarissimum Aprianum* (legendum est *Apronianum*) *qui erat gentilis, catechesi instituit, et Christianum effecit.* Romam rediit Melania anno 397 ex Baronii Pagiique calculis; igitur post illud tempus ethnicismo Apronianus valedixit. Erat autem hic inter paucos Rufini Aquileiensis amicus, quam familiaritatem Melaniæ senioris ac junioris officia conciliaverant, apud quas Rufinus primas honoris et existimationis tenebat. Hinc illius fautor effectus pravis etiam illius doctrinis animum obstrinxerat. Anno Domini 399 ad Pammachium et Oceanum Epistolam Hieronymus conscripsit, ubi quasdam Rufini sententias calumniasque castigavit. B *Verum*, ut lib. I, cap. 2, Hist. Pelag., ait em. Norisius, *statim ac Hieronymi litteræ Pammachio redditæ sunt, earumdem exemplar Apronianus, qui in Rufini rem vigilantissime incumbebat, Aquileiam ad magistrum transmisit.* Ad hæc Rufinus duos e vestigio libros invectivarum in Hieronymum elucubravit, quos Aproniano nostro inscripsit. Sic autem incipit : *Perlegi scripta tua, Aproniane carissime, quæ ab amico et fratre bono* (hoc est Hieronymo) *de Oriente ad virum nobilissimum Pammachium missa transmisisti ad me.* Nunc videamus quæ ejus uxor. Palladius in Hist. Laus., cap. 134, hanc nobis notitiam servavit : *Vidi etiam*, inquit ille, *beatam Avitam Deo dignam cum ejus marito Primiano.* Ita in libris editis; at corrigendus locus, et pro *Primiano* legendum *Aproniano.* Heraclides in Paradiso, qui liber paucis mutatis idem est ac Historia Lausiaca Palladii, cap. 39, ita scribit : *Avitam aliquam Deo dignam cum Apreniano quodam ipsius viro, et filia eorum Eunomia vidi.* Et hic C error in nomine, ac legendum *Aproniano*, non *Apreniano.* Igitur Avita Paulino æque præsens, de qua sermonem inferius habebo, Aproniani conjux erat. Ex ista duos ille susceperat natos, Eunomiam videlicet, ac Asterium puerum. De hoc primum videamus.

DISSERTATIO SECUNDA.
DE ASTERIO TURCII APRONIANI FILIO.

802 Certe hic Asterius a Turcio Aproniano distinguendus, tum ut numerus verificetur quem exhibet eo versu Paulinus :

Ergo novem cuncti socia cum prole parentes,

tum quia expresse id asseritur superioribus verbis :

Cum patre Paulino pater æque Turcius iste est,
Sed me ætas, soboles hunc facit esse patrem.

Erat quidem Turcio soboles alia, nempe Eunomia, sed illam Avitæ matri Paulinus primum adscripserat :

Matribus his duo sunt tribus uno pignora sexu,
Flos geminus, Melani germen, et Eunomia.

Itaque Turcii Aproniani filius erat Asterius, cognomine utique gentis Turciæ proprio. Expressius vero infra id a poeta repetitur, postquam de Piniano filio suo in Christo egit his verbis :

Ast aliud mihi par lumen in Asterio est.
Quem simul unanimes vera pietate parentes
D Infantem Christo constituere sacrum.
Ut tamquam Samuel primis signatus ab annis
Cresceret in sanctis votus alente Deo.
Hunc puerum et fratrem fecit pia gratia patri,
Nam pariter sancto flumine sunt geniti,
Quos natura gradu diviserat, hos Deus almo
Munere germanos in sua regna vehet.

Vides hic Asterium memorari, qui una cum parente Turcio Aproniano, sacro baptismatis fonte fuerat ablutus. Neque id quidem multo ante factum fuit, quod Asterii ætas non patiebatur, et observata nuper de Turcio non ferunt, qui dicitur *vetus senator curiæ, Christo novus, qui novi ortus gloria* longe clarior evaserat. De hoc item Asterio forsan intelligendus ille versus :

Turcius ore pio, florente Suecrius ævo.

Turcius pater primum refertur, dein filius, qui Suecrius etiam appellatur, nisi Pinianum potius hoc nomen respiciat. Fateor cognomen istud satis peregrinum apud Romanos illo ævo fuisse, unde in suspicionem depravati textus facile trahor. Fortasse *Syagrius* legendum est, quod librarii nullo negotio in *Suecrius* convertere potuerunt ; hujusque cognominis A duos consules habemus in Fastis anno 381 et 382. Gentem quoque Syagriam *Ecclesiæ thesaurum* appellat Ennodius in *Epiphanio*. Laudatus cardinalis Norisius in Cœnotaph. Pis., Diss. 4, cap. 2, § 1, Idacium laudat in Chronico ad annum imperii Honorii 26, hoc est æræ nostræ 420, et ad annum 17 Valentiniani Tertii, nempe 440, iterumque Renatum Profuturum apud Gregor. Turon. lib. I Hist. Franc., qui duos Asterios memorant sub Honorio, ejusque successore Valentiniano, magisterio utriusque militiæ in Hispania perfunctos. Alius item Asterius anno Christi 449 consul in Fastis legitur. At neminem ex his Asterium nostrum fuisse mihi lubenter suadeo, quippe a teneris, ut aiunt, unguiculis Deo sacratus a parentibus iste fuerat, ac sacerdotalem nutriebatur ad honorem, quemadmodum superius e Paulino didicimus.

DISSERTATIO TERTIA.

DE AVITA AC EUNOMIA.

803 Turcii Aproniani conjux erat Avita, ejusque filii fuere Asterius supra memoratus, ac Eunomia. De illa sic scribit Paulinus :

Jungitur huic germana jugo, ut sit tertia princeps
Agminis hymnisonis mater Avita choris.

Palladius in Lausiaca Historia, cap. 134, hanc mulierem beatam vocat, feminisque vitæ sanctitate illustribus accenset. Sunt ejus verba : *Vidi etiam beatam Avitam Deo dignam cum ejus marito Primiano* (legendum est, ut supra dixi, *Aproniano*) *et eorum filia Eunomia in omnibus Deo bene placentes, ut aperte facile traducti fuerint a dissoluta et voluptaria vita ad honestam et continentem vitæ institutionem ; in his quoque digni habiti, ut in Christo dormirent, ab omni quidem peccato liberi, perfecte in certamine decertantes, in bona memoria vitam suam relinquentes.* Idem Palladius, cap. 118, quum a Melania seniore Aproniaum fidei Christianæ redditum retulisset, hæc addit : *Persuasitque eumdem, ut contineret etiam cum sua uxore, ejus autem sorore, Avita nomine.* Hinc discimus, Avitam senioris Melaniæ fuisse sororem, ac post ejus monita continentiam servasse. Nisi hic Palladii locus obstaret, *germanæ* vocabulum apud Paulinum ita explicassem, ut soror Albinæ supra memoratæ diceretur Avita ; sed intelligere cogimur inde aut affinitatem quæ illi cum Albina intercedebat, aut B ætatis morumve inter easdem similitudinem, quam multiplicem interpretationem patitur vocabulum istud. Quum vero Melania senior anno Christi 397 Romam redierit, Avitam ac Turcium continentiam amplexos post illud tempus fatendum est, propterea que Eunomiam et Asterium illorum filios ante memoratum annum in lucem prodiisse. Heraclides in Paradiso iisdem verbis ac Palladius Avitam describit : *Avitam*, inquit, *aliquam Deo dignam cum Apreniano* (lege *Aproniano*) *quodam ejus viro, et filia eorum Eunomia vidi adeo placentes Deo, ut transferri ad cœlestem vitam ante conspectum ipsius mererentur. Et ipsi enim jam ultimo fine naturæ nunc in Christo quiescunt, qui peccatorum quidem omnium nexibus absoluti sunt, divinarum autem rerum peritiam atque notitiam semper habuerunt.* Constat igitur ex dictis Eunomiæ parentes Turcium ac Avitam fuisse. De illa sic loquitur Paulinus :

Et simul Eunomia æternis jam pacta virago
C In cœlo thalamis, quam matris ab ubere raptam
Festino placitam sibi Christus amore dicavit.

Illam inferius itidem memorat. Animadversione vero dignum in primis est quod hic innuit Paulinus, videlicet Eunomiam ac Asterium pueros ab infantia dicatos Christo, quem veterum Christianorum morem in notis aliquantulum illustravi.

DISSERTATIO QUARTA.

DE ALBINA.

804 Celeberrima quoque apud veteres habita est Albina tum natalibus, tum sanctitate femina præstans. Primum videamus quid Paulinus de illa ferat :

Prima chori Albina est cum pare Therasia.

Et inferius :

Famulos Christi loquor istos,
Par illustre Deo, par nobile nomine Christi
Albina cum matre tuis modo finibus ortos.

Hujus præclarissimæ feminæ parentes clariss. cardinalis Norisii ingenio innotuere ; quum enim in Actis S. Melaniæ junioris die 31 Decembr. apud Surium exhibitis Melaniæ θεῖος, hoc est avunculus, Volusianus dicatur : præstantissimus auctor inde Albinam eduxit Rufii Ceionii Albini filiam, qui Rufii Ceionii Volusiani frater fuit, ideoque in Ceioniam gentem referendam hanc illustrem mulierem censuit. Hæc ab illo eruditissime animadversa in quodam opusculo. De Rufio Volusiano inscriptionis fragmentum ineditum non pigebit e meis mss. schedis libatum apponere, quod etiam in justo ineditorum marmorum corpore, Deo favente, brevi per me referetur. Exstat illud in Lateranensis basilicæ pavimento Romæ :

D
RUFIUS. VOLUSIANUS. V. C. X. VI.
RUFIUS. FESTUS. V. C. XV. SEPT.
SEBASMIUS PHILOS
. . . . PONT. M.
BRITTIUS. PRÆSENS. V. C. P. M.
EVACRIUS. PHILOSOPUS . . .
FL. ATTICUS. V. C. . . . . . .

Melania senior femina perillustris, marito e vivis sublato, unicum reliquæ proli superstitem vidit filium, quem Poblicolam (an recte nescio) appellat Chiffletius V. C. e soc. Jesu. Crevit iste, eximiam in Urbe nactus existimationem, opibusque clarus inter primos evasit. Omnia hæc Paulino debemus in ep. 10 ad Severum, ubi multa de Melania ejusque nato habet. Albinam iste dein conjugio sibi copulavit : unde etiam æstimare facile possumus quanta hæc nobilitate polleret, quæ virum nobilissimum et consulibus avis illustrem, maritum fuerit nacta. Hisce ex nuptiis profecta est Melania junior, quæ Nolæ itidem ade-

rat, et de qua sermo infra erit. Huic Melaniæ, ut Metaphrastes docet apud Surium die 31 Januarii, *fuit genus clarissimum, erant enim ejus parentes primi senatus Romanorum.* Itaque vides et ex his verbis, quam illustria cunabula sortita fuerit sancta mulier Albina, de qua modo inspiciamus quid Palladius retulerit. Hic in Hist. Laus., cap. 118, ita loquitur de seniore Melania agens : *Cum autem suam quoque neptem confirmasset Melanium una cum ejus marito Piniano, et catechesi instituisset Albinam nurum suam, uxorem autem filii sui, et persuasisset his omnibus vendere quæ habebant, Roma eos eduxit, et ad honestum ac tranquillum vitæ portum deduxit.* Cap. vero 120 de Melania senioris nepte verba faciens subdit : *Habebat autem secum* **805** *quoque matrem Albinam, quæ similiter exercetur, et similiter rursus seorsum dispergit suas pecunias.* Eadem repetit Heraclides in Paradiso, cap. 42, his verbis : *Confirmatos hos ergo simul, hoc est Melaniam neptem suam, et Pinianum ejus maritum, Albinam quoque cum ipsis nurum suam, hoc est uxorem filii sui, per omnia docuit.* Erat igitur Albina Melaniæ senioris nurus, quippe quæ ejus filio nupserat, ac juniorem Melaniam pepererat. Arcta hæc sanguinis conjunctio in causa fuit quod contubernium animosque semper junxerint Albina, Melania junior, ac vir istius Pinianus. Conjunctim idcirco hi omnes peregrinationem in Africam instituerunt, quam etiam memorat Metaphrastes in Act. S. Melan. 31 Januar. apud Surium. Potior itineris scopus fuit Augustinum invisere Hippone degentem. Ibi Pinianus turbas non paucas perpessus, quum illum Hipponenses ad sacerdotium amplectendum omnino cogere vellent. Hinc S. Augustinus litteras ad Albinam Tagastæ morantem dedit, quibus popularem impetum excusat, seque in primis apud illam purgat. Est hæc epistola 225 in edit. Antuerp. Aliam quoque dederat S. doctor epistolam (quæ est 227) ad *Albinum, Pinianum et Melaniam*, qua se excusarat quod eos convenire nondum potuerat. Hæc secundum magnum parentem Annalium acta anno 409, seu serius, ut quibusdam videtur. Aliam etiam peregrinationem hi tres egregii comites suscepere Hierosolymam, ubi S. Hieronymum salutarunt; qui, eodem tempore Alipio et Augustino rescribens epist. 79, addit : *Sancti filii communes Albinus, Apinianus et Melania plurimum vos salutant.* Rosweydus in notationibus ad Vit. Patr., pag. 1005, ad Albinæ hujus nomen hæc apponit : *De ea D. Hieronymus in variis epistolis.* Sed parum recte; istam enim Albinam cum Albina Marcellæ matre confundit; quod tamen cavendum monuerat Baronius ad ann. 408. Vidisti supra in epist. 227 Augustini, et nunc in prælaudata Hieronymi epistola *Albinum* pro *Albina* dici. Baronius Albinam reponens corrigendos ait co-

A dices; ac Rosweydus, pag. 703, in not. ad Vit. Patr., haud necessariam arbitratur hanc restitutionem, quandoquidem tum temporis feminarum nomina etiam terminationibus masculinis efferri solebant. quod Melaniæ exemplo probat, quæ *Melanium* quandoque dicebatur. Pace viri tanti mihi hæc sententia non sedet; dispar enim ratio, et dispar nominis origo. Latinis nominibus non adhæsit hic suus, sed quidem Græcis Latio illatis. Donatus Grammaticus, lib. v de Gener., *Sunt alia*, inquit, *tono neutra, intellectu feminina, ut Phronisium, Glycerium, Sophronium, quæ mulieres sunt.* Priscianus etiam lib. v nomina feminarum desinere in *um* asserit, ut *Glycerium mea, Dorcium, et Philotium.* Hæc quidem omnia feminarum nomina, sed originem Græcam unaquæque sortita. Albina vero vocabulum Latinis e fontibus manans in Albinum converti non sine audacia, ac non sine patentis amphibologiæ periculo potuit. Licuit id Græcis, at Latinis minime. Deinde nomina in exemplum B adhibita tantum neutrius generis terminatione efferuntur; Albina vero masculinorum ad instar, ut pateat nullam inter eadem nomina institui posse comparationem. Sciendum porro est Albinæ nomen lepidissimum primo, dein acre bellum inter **806** maxima ingenia excitasse. Scripserat olim em. Norisius, in celeberrimo opere de Hist. Pelag., libri Augustiniani *de Gratia Christi* inscriptionem non esse corrigendam, ubi legitur : *Albine, Piniane, et Melania.* Rosweydi vestigia secutus. P. Macedus vir magni nominis, et spissorum voluminum scriptor, in quo tamen judicium non raro desideres, adversus clarissimi Norisii sententiam insurrexit, et pro Albino non Albinam junioris Melaniæ matrem intelligendam censuit, sed *virum aliquem, aut patrem, aut socerum, aut patruum, aut avunculum Piniani, aut clericum quemdam*, et quid non somniavit? Certe ibi Albinam nostram designari invictissimis argumentis evicit idem amplissimus cardinalis in duobus opusculis hac de re confectis, quibus et ego alia ope S. Paulini aggerere C possem. Unum animadvertisse sufficiat, ipsum nempe em. scriptorem alicubi scribere, in duobus mss. Mediceis Hieronymi epistolam superius laudatam ita se habere : *Albina, Apinianus, et Melania salutant vos*, quod et mihi observatum in quodam ms. Ambrosianæ bibliothecæ. Apud Augustinum ita quoque legendum nos docet Possidius eidem sancto synchronus; ejus enim opera recensens epistolam ita inscriptam refert : *Albinæ, Piniano, et Melaniæ.* Quin et *Albinam*, non *Albinum*, cl. PP. Benedictini in egregia S. Augustini editione annis proxime præteritis instructà legunt, eamque lectionem quorumdam mss. auctoritate firmant. Igitur non Albinus, sed Albina, legendum ubique, et Baronio emendanti acquiescendum.

DISSERTATIO QUINTA.

DE THERASIA.

In optimo codice, unde S. Paulinum redivivum feci, ita sunt distincta verba, ut legatur *compar et hærasia.* Sed quænam est hæc Hærasia? Ego hujusmodi feminæ mentionem nusquam invenio. Emendandus itaque codex, et sic legendum : *compare Therasia*, aut *cum pare Therasia.* Similem Paulini versum habeo in epist. 12 ad Severum, ubi ait :

Post longa revelat
Secula Protasium cum pare Gervasio.

Erat hæc Paulini nostri fida ac piissima conjux in seculo, quæ cælibatum postea una cum illo professa sibi castæ ac religiosæ vitæ elegerat institutum, viro presbyteratus munia sancte relictura. Idacius in Chronico ad annum Honorii 30 hæc habet : *Paulinus nobilissimus et eloquentissimus, dudum conversione ad Deum nobilior factus, vir apostolicus, Nola Campaniæ episcopus habetur insignis, cui Therasia de conjuge facta soror, testimonio vitæ beatæ æquatur, et merito.* En ut ejus castitatem extollit Idacius, quum *de conjuge* illam Paulini *sororem* effectam asserit. Gennadius quoque de Script. eccles. epistolarum plurium D meminit, quas *ad sororem de contemtu mundi* Paulinus scripsit. Hanc autem sororem non aliam forsan fuisse quam conjugem Therasiam autumo, ad quam etiamnum carmen hac de re extat S. Prospero male a **807** quibusdam codicibus adjudicatum. Hispanam vero sanctam hanc fuisse mulierem conjicio, quum ibi in Paulini connubium cesserit. Sic ipsemet sanctus de se canit :

Trans juga Pyrenes adii peregrinus Iberos.
Illic me thalamis humana lege jugari
Passus es, ut vitam commercarere duorum,
Perque jugum carnis duplicata salus animarum
Dilatam unius posset pensare salutem.

Inferius vero innuit commune sibi cum Therasia susceptum castitatis votum :

Tu carnea nobis
Vincula rupisti.

Hæc autem piissima mulier tempore quo Natalis hic

recitatus fuit, imo et serius, in vivis fuit. Id ex ejusdem Paulini epistola 44 ad S. Augustinum elicitur, quæ utriusque nomen, hoc est Paulini ac Therasiæ, inscriptum habet, et anno Christi 416 et quod excur- A rit data est, ut Chiffletius part. 2, cap. 34, recte probat. Igitur anno 406 Therasia vivens Paulino, dum hæc recitaret, aderat. Vide Sacchinum in Vita hujus sancti, ubi plura de Therasia.

DISSERTATIO SEXTA.

DE PINIANO.

Celebre istius nomen est in ecclesiastica historia. Ejus tamen res gestas quam brevissime licebit expediam. Piniani familiam præclarissimam fuisse testatum nobis Paulinus reliquit, nam a Valerio Poplicola, qui inter primos Urbis consules numeratur, prodibat. Valeriæ genti igitur Pinianus fuerat adscriptus. Paulinum audire juvat :

> Huic propinquat socius æquali jugo,
> Ævo minor Pinianus, par fide,
> Et ipse prisco sanguine illustris puer,
> In principe Urbe consulis primigenus.
> Valerius ille consulari stemmate
> Primus Latinis nomen in fastis tenens,
> Quem Roma pulsis regibus Bruto addidit,
> Valerii modo hujus Christiani consulis
> Longe retrorsum generis auctor ultimus.

Audis Pinianum *primigenum*, hoc est primogenitum consulis cujusdam dici? Hoc idem asseritur in Melaniæ junioris Vita apud Surium 31 Januar. his verbis : *Erat autem ejus sponsus et genere, et ætate, et aliis omnibus cum Melania conferendus, natus quidem ex consulibus, et modo excedens ex ephæbis. Sponsi autem nomen erat Apenianus* (hoc est *Pinianus*) *agens annum circiter decimum septimum.* Sed quis iste consul? Utique me in tenebris derelictum fateor. Fasti silent, scriptores ne verbum quidem. Palladius tamen in Vit. Patr., cap. 119, *Pinianum* asserit *Severi filium, qui erat ex præfectis* (legendum potius *expræfectus*). Heraclides quoque in Paradiso, cap. 49, *Severi expræfecti filium* appellat. Contra laudatus auctor Vitæ S. Melaniæ Severi fratrem facit; sic enim loquitur : *Sed gravem quidem adversus eos machinam Apeniani* (scilicet *Piniani*) *fratrem admovet Severum, per quem existimabat sese solidæ eorum mentis turrim esse labefacturum. Hic ergo Severus cum esset frater, factus erat inimicus.* **808** Idem etiam inferius repetit. Ego rem ita conciliari posse arbitror, si Pinianum dicamus de patre Severo, atque ex hoc Severo Severum alterum Piniani fratrem prodiisse. Quum igitur familia Valeria Pinianum protulerit, sequitur ut ejus pater Valerius Severus fuerit nuncupatus, sicuti etiam frater, nomine tantum seu prænomine utrosque distinguente. Sed iterum in incerto versari me doleo, quum nusquam Valerium Severum consulem hisce temporibus nanciscar. Quapropter affirmandum duco, Piniani patrem non ordinarium, sed suffectum aut honorarium consulem fuisse renuntiatum. Quo posito, nil mirum si ejus nomen oblivioni traditum. Memoratur apud Gruterum quidam L. VALERIUS SEVERUS, pag. 49, num. 4, et pag. 566, num. 6. Sed cum hoc Severo nescio an quid negotii habeat. Adnotavi in Diss. 2 de Asterio corruptum esse versum illum :

> Turcius ore pio, florente Suecrius ævo.

et conjectura prolata *Syagrius* legendum censui, quum soni cognatione hæ litteræ commutari inter se facillime potuerint. Quid si in eo versu Pinianus intelligatur, cognomenque etiam Syagrii vir nobilissimus gesserit? Forte patrem ejus consulatu ordinario illustrem fuissemus nacti; anno siquidem Christi 381 et 382 Syagrii duo (et quidem inter se distincti, ut vult cl. Pagius in proleg. ad Diss. Hypat. num. 27) hujusmodi munere sunt aucti. Quod si verum foret, *Valerius Syagrius Pinianus* appellandus esset, et ex iis consulibus alter in ejus patrem admittendus. Quum tamen multa obstare posse conjecturæ huic non ignorem, monuisse tantum mihi sit satis; meliora ab aliis argumenta expectentur. His visis profecto patet Pinianum nostrum Valerium quoque fuisse nuncupatum. Magnus annalium parens Baronius ad an. Ch. 485 ex codice Vaticano litteras Valentiniani imp. profert ad Pinianum Urbis præfectum super Syricii summi pontificis electione scriptas. Eidem Piniano inscriptæ sunt lex 13 de Medicis et Professoribus cod. Theod. data an. 387, lex 4 cod. Th. de Principib. agent. in reb. eodem anno data, et lex 13 cod. Th. de Privileg. eor. qui in S. Pal. mil. anno 386 promulgata. Hunc Pinianum Baronius, et Gothofredus in Animadvers. ad hasce ipsas leges eumdem arbitrantur ac nostrum, nempe Pinianum junioris Melaniæ maritum, quod idem repetit celebris hic juridicus in

B Prosopogr. cod. Theodos. Sed parum solide opinari tantos viros evincam. Ante Maium anni 399 e vivis excessit Poplicola (uti eum vocat Chiffletius) Melaniæ junioris pater, ac Piniani socer, uti egregie in quodam opusculo probat clariss. card. Norisius. Scriptor vero Vitæ S. Melaniæ eamdem narrat una cum conjuge Piniano de vita cælibe ineunda cogitasse, sed a Melaniæ parente proposito tam sancto obviam itum. Subdit auctor ille : *Eis quidem e vivis excedit Melaniæ pater; illi vero, cum amotus esset is qui prohibebat, quando Deo visum est, et tempus vocabat, statim quidem exeunt a magna civitate, urbanam multitudinem, et tumultus valere jubentes. Eis autem quando hanc angelicam incœperunt vitæ formam, ætas erat, Apeniano quidem 24 annorum, Melaniæ autem 20.* Igitur si ab anno Ch. 399 sex annos retro numeres, quibus Piniani cum uxore matrimonium stetit, venies ad annum 393, quo ipse Melaniæ nupsit, **809** *agens*, ut ait idem scriptor, *annum circiter decimum sextimum.* Rursus ab anno 393 retro excurrens ad an.

C 385, quo Urbanam præfecturam gessisse censetur, Piniano tum fuisse novem circiter annorum ætatem manifeste deprehendes. Quam igitur improvide Pinianum nostrum Urbis præfectum Baronius et Gothofredus effecerint, nemo non videt. Urbis præfectura grandis erat moles, tenerosque respuebat humeros, uti videre est apud Guid. Pancirol. in not. Utriusque imp., et apud eumdem Gothofredum in Notitia dignitatum. Id quoque ex Paulini silentio suaderi potest; cur enim Pinianum laudaturus, atque ut laudet omnia componens, hunc ejus honorem insalutatum præteriisset? Sed inquies : Quis ille Pinianus Urbana præfectura clarus? Me nescire lubenter fateor; nostri Piniani tamen consanguineum, et fortasse patrem fuisse cur non credamus, quum Heraclides Pinianum *Severi expræfecti filium* vocet, ac Palladius *Severi filium, qui erat ex præfectis?* Severus autem iste Piniani cognomentum usurpare potuit; quod mirum in modum probare mihi videntur Paulini verba di-

D centis :

> Piniadæ Melani cum fœdere par benedictum.

Hoc certe *Piniadæ* vocabulum Pinianum denotat Piniani filium ad patronymicorum nominum normam. Vidimus igitur Pinianum sibi matrimonio copulasse juniorem Melaniam. Sex autem annos simul connubium tenuere, post quos continentiam amplexi, vastisque renuntiantes opibus, quibus omnes præter unum Imperatorem vincebant, pauperum subsidio universa dicarunt. Hæc tum Palladius, tum Auctor Vitæ S. Melaniæ produnt, apposite ad ea quæ Paulinus canit :

> Et in hoc parentis aliquid illius refert
> Puer iste Christi consulatum militans,
> Quod liberandis consulens munus pium
> Redemptionis opere dispensat Deo.
> Nam et libertorum plurimis cervicibus
> Servile sanctis opibus expellit jugum,
> Quos ære vinctos in tenebris carceris
> Absolvit auro de catena fœnoris.

historia de sancto Victricio, qui septimo Augusti die inter confessores Christi colitur ab Ecclesia. Corpus A ejus Brennam translatum et in Ecclesia S. Remigii repositum fuisse traditur (*Gall. Christ. t.* I, *p.* 559).

DISSERTATIO QUINTA.

DE S. APRO.

CAPUT PRIMUM.

De vita S. Apri Tullensis episcopi. An idem fuerit ac Aper Paulini amicus.

Si Aper monachus, qui anno 404 vel sequenti interfuit Galli colloquio ex quo confecti sunt Sulpicii Dialogi (*Dial.* 3, *c.* 1), idem sit cum eo ad quem scripsit Paulinus, serius anno 404 ad eum litteras non dedit; sed eumdem non esse satis verisimile est, cum enim is ad quem Paulinus scribit nobilis fuerit et sacerdos, non eum solo monachi nomine designasset; itaque nihil certi comperimus de tempore ejus conversionis et epistolarum quas ad eum scripsit Paulinus. Superest alia difficultas : quæritur enim utrum ille sit Tulli Leucorum episcopus qui idem nomen sortitus est, quique exstat in martyrologiis ad 15 Septemb. Supponitur quidem episcopus Tullensis a Baronio in Martyrologio suo. Neminem de eo dubitare asserit Chiffletius (*Chiffl. Paulin. p.* 177), sed nomen illud *episcopi* (*Ibid.*), quod ei tribuebatur in vulgatæ olim 29 epistolæ Paulinianæ titulo, revera significat eum episcopum, si tunc non esset, postea exstitisse. Contra Sammarthani contendunt (*Gall. Christ. t.* III, *p.* 1095) non potuisse Paulinum ad Aprum Tullensem episcopum scribere, obierat enim inquiunt, priusquam Sidonius crearetur episcopus. Quid 785 inde sequatur non advertimus, nisi supponamus cum illis S. Aprum episcopatum non fuisse adeptum, nisi defuncto Urso Auspicii successore; quæ si supposuerimus, constabit eum non factum fuisse episcopum nisi sub finem quinti seculi : unde non fuit Paulini contemporaneus, quandoquidem temporibus Sidonii (*Sidon. ep.* 7, 10, *et* 17, *et not.*) vivebat Auspicius, circa annum 470. Huic validissimæ rationi qua distinguitur Aper Tullensis ab eo qui fuit Paulini contemporaneus, accedit Vita ms. prioris Apri quæ denotat Aprum Christianis parentibus oriundum ab ipsa infantia in maxima pietate vixisse, et a juventute ad reliquum vitæ cursum in virtute processisse, cujus fama ad episcopale munus assumtus est : quod difficulter admodum convenit cum iis quæ habet Paulinus, qui amicum suum describit pro more seculi vitiis mancipatum (*Paulini ep.* 38, *n.* 1), eumque non advocati modo, sed et judicis personam gessisse (*Ibid.*, *n.* 8), mentem vero et vitam mox immutatam (*Ibid.*, *n.* 7), in cujus pectore per gratiam Deus esse cœperat (*Ibid.*, *n.* 3), quique duritiam cordis, ariditatem atque levitatem veteris hominis habuerat (*Ep.* 44, n. 1). Aper quoque post conversionem suam Paulino in epistola testatus fuerat inconcussa fide tenere se Christum Filium Dei et hunc crucifixum (*Ep.* 38, *n.* 1); huic Paulinus respondit illum esse beatum qui Spiritu cœlestis Patris revelante has veritates didicerit, et Jesum Christum toto arcanæ pietatis mysterio amplexus fuerit. Quibus verbis innuitur eum recens Christianum vel saltem catholicum fuisse; quis enim illa de catechumeno facile intelligat in religione Christiana ab ipsa infantia enutrito, etsi nondum baptizato, quales erant hoc tempore complures; quis etiam facile crediderit in Vita Apri laudari catechumenum, de quo præsertim hæc referuntur : *A puero cœlestis tirocinii rudimenta suscipiens, Christianæ religionis venerator ac præcipuus semper exstitit cultor, totus circa ecclesias et loca sancta semper intentus*, etc. Si quis igitur Aprum amicum Paulini episcopum fuisse asseruerit, dicendum erit vel in eo penitus falsam esse illius historiam, vel huic multa deesse; nec enim videtur originalis historiæ characterem habere, quin immo virtutes ejus generatim et fuse describit, de gestis ejus pauca disserens. Mors judicis Catalaunensis a fide communi satis aliena est; et dum quamdam de morte Apri tangit circumstantiam, hanc fundat opinione communi, *fertur;* hanc tamen Vitam recte et pie elaboratam dixerim. Civitates hæc designat antiquis nominibus, verbi gratia : *Augusta Leucorum*, *Leucorum civitas*, quod vulgare non est apud autores sexti seculi et infra; nec miracula tradit veluti certissima episcopi sanctitatis argumenta, et notat quanto sibi studio cavebat Aper ne hæreticorum industria in errorem adduceretur : quæ prudentia vix reperitur in iis qui exstinctis hæresibus vixere, id est post medium sexti seculi. B Notandum tamen de catalogo episcoporum Tullensium, P. Cointium illos recensentem qui ab Auspicii vixere temporibus ad annum usque 550 nullum de Apro habere sermonem, quem profecto priorem Auspicio existimavit.

CAPUT II.

Conversio Apri et uxoris Amandæ.

786 Ad Paulini amicum jam redeamus. Vir erat dives, sapiens, disertus (*Paulini ep.* 38, *n.* 7), prudentia clarus et doctrina (*Ibid.*); sed adeo superbus, ut Paulinus similem eum dicat tauro pingui (*Ibid.*, *n.* 8), ut habet Scriptura. Uxorem duxit nomine Amandam (*Ep.* 39, *in tit.*), ex qua habuit filios complures et filiam (*Ibid.*, *n.* 1 *et* 2). In tribunalibus fuerat advocatus et judex (*Ep.* 38, *n.* 8) : quod vocat Paulinus (*Ibid.*) *iniquam potentiæ sedem*, ut seculares dignitates ab Augustino (*Aug. in psal.* LXI, *n.* 8) dicuntur *magistratus Babyloniæ*. In Galliis commorabatur, C siquidem ex quo fuit conversus litterarum officia nonnisi annuo commeatu Paulino pendebat (*Paulini ep.* 39, *n.* 1). Haud dubie cum adhuc in seculo agerent Aper et Paulinus se invicem noverant, et videtur Paulinus quasdam ad eum epistolas scripsisse (*Ep.* 38, *n.* 11) quibus ad fidem Christianam amplectendam eum incitaret. Sed eluxit tandem in eo divinæ virtus sapientiæ et cœlestis operatio potentiæ (*Ibid.*, *n.* 7) *quia prudentem a sententiæ suæ cursu vel statu non potest flectere nonnisi ipsa summa Sapientia*, etc. Cœlesti lumine edoctus est inconcussa fide Christi veritatem tenere et libera voce profiteri, ac mentem statim immutavit et vitam; conversus ingemuit, et factus est acceptus Deo. *Destructus es a superbo*, inquit ad eum Paulinus (*Ibid.*, *n.* 8), *assumtus in humilem. Illa cervix facta est docilis ac tenuis in jugo Christi. Deposita cervice tauri fractus es in mansuetudinem bovis illius qui agnovit possessorem suum; jam ex leone vitulus; et versa ferocitatis aut virtutis vice, aper seculo, agnus Deo; totaque illa quæ pro seculo* D *superbus gerebat, nunc adversus seculum humilis arma convertit.* Præteritam cordis duritiam, ariditatem, atque levitatem cum veteri homine deposuit (*Ep.* 44, *n.* 1), peccati infelices fructus. *Nunc vere sapiens*, ait ei Paulinus (*Ep.* 38, *n.* 9), *vere disertus, et vere potens, qui mundo huic stultus et mutus es, et autori linguæ et mentis tuæ facundus et sapiens de suis muneribus Deo servias, nunc instructior jure divino advocatus pro te postules, et justior judex te ipsum judices; et in te aut de te ipso sententiam feras, ut magis merearis absolvi, teque non solum venia sed et gloria dignum facias, cum tibi per accusationem tui ades, teque damnando sanctifices : intelligens non quod hominibus, sed quod Deo placeat sanctum et innocens esse.* Jam bonis disciplinarum fructibus opimabatur, et in virtutum fruge pastum quærebat, ac duplicis Testamenti dentibus ad rumpenda diaboli retia armabatur. Quam dixit Deus stultam hujus mundi sapientiam reprobavit et respuit (*Ibid.*, *n.* 7), quia quæ a Deo hæc acc-

perat, ea sibi arrogabat, et cum parvulis Christi quam cum sapientibus mundi consortium habere maluit. Huic mundo mutus factus (*Paulini ep.* 38, *n.* 9) humilitatem a superbis contemtam (*Ibid.*, *n.* 3), et ipsam humilitatis speciem amplexus est (*Ibid.*, *n.* 5); inanitus est a divite ut ditaretur in paupere (*Ibid.*, *n.* 8), et ab illa supervacuæ distentionis saturitate vacuatus est, ut veris piæ paupertatis bonis impleretur. Sed ad propositam sibi bonorum spoliationem pervenire non potuit (*Ep.* 39, *n.* 2), et in ea Paulinum imitari; quamvis enim libero affectu cœlestia desideraret, terrena tamen quodammodo curare filiorum **787** possessionibus compulsus est. Uxor ejus in recta virtutis via vel præcessit eum vel secuta est; fuit enim illi non dux ad mollitiem et avaritiam (*Ep.* 44, *n.* 4), sed ad fortitudinem quasi redux in ossa viri sui. Continentiam (*Ep.* 39, *n.* 1) et castitatem (*Ibid.*, *n.* 3) uterque simul professi non jam se secundum carnem noverunt, sed a suo in corpus Christi transiere (*Ep.* 44, *n.* 3), et magna illa divini cum Ecclesia conjugii æmulatione, spiritualibus tanto firmioribus quanto castioribus nexibus Christi caritate copulati sunt.

CAPUT III.

Provehitur ad sacerdotium Aper. Illum uxor a curis domesticis et civilibus negotiis liberat.

Quamvis nonnisi sub ipsa conversionis initia Paulinianas epistolas accepisse videatur Aper, jam tamen ad sacerdotium promotus fuerat (*Paulin. ep.* 38, *n.* 10), et in ea sede tamquam in pacis et justitiæ solio non nutu tantum divino positus est (*Ibid.*, *n.* 8), sed et humano ibi locatus suffragio. Nec est profecto cur miremur quod viros, qui cum eloquentia tum sapientia, magnis quoque virtutibus in negotiorum civilium tractatione claruerant, ad sacerdotium promovendos populi assumerent, ipsis non modo hominibus vim inferendo, sed legibus etiam Ecclesiæ repugnantibus. Si hæc vis abominanda prorsus et intolerabilis in iis qui e statu seculari in Ecclesiam se intrudunt, et ex seipsis, non divinitus vocati, sed cupidine accensi, culmen honoris, opus et onus angelicis etiam humeris formidandum rapiunt, potius quam assequuntur; quam econtra laudabilis et sancta ea est qua populus ad sacerdotium compellit, urgetque promoveri quos tanto Deus honore dignos ostenderit, ut Ambrosios, Paulinos, Germanos, aliosque hujusce meriti viros: cum quibus sane conferendus est Aper, quem ad sacerdotium ambitione seculari non fuisse provectum vitæ ejus declarat sanctitas; ipse enim rarus urbium frequentator familiare secretum taciti ruris adamavit (*Ibid.*, *n.* 10), *non otium negotio præferens*, inquit ad eum Paulinus (*Ibid.*), *neque te ecclesiasticæ utilitati subtrahens, sed jam pene forensibus turbis æmulos ecclesiarum tumultus et concilia inquieta declinans. Arbitror autem idipsum majoribus Ecclesiæ utilitatibus præparari, quod salubri consilio instructioni sanctæ vacas intentus studiis spiritualibus quibus solitudo amica est, formans in te quotidie confirmansque Christum, quo et servus utilior et magister doctior digniorem te ei, in qua nutu Dei positus es, sede perficias; opere pariter et verbo potens, ut lingua et mente tibi concors, veram te apostolicæ disciplinæ formulam præbeas, præcepti Dominici actor et doctor.* In prædium suum sese receperat (*Ep.* 39, *n.* 3), et agrum suis videtur excoluisse manibus (*Ibid.*). Ex litteris (*Ibid.*, *et ep.* 38, *n.* 10) vero Paulini apparet in hoc secessu annum saltem illum exegisse, quo peracto creditam sibi dispensationem solers talentorum herilium multiplicator exercuit (*Ep.* 44, *n.* 4). Uxorem et liberos domi habebat (*Ibid.*, *et n.* 5) : ibi vitam agebat ab omni perturbatione expertem et seclusam a pelagi fluctibus (*Ibid.*, *n.* 4), *tutam in Ecclesiæ portu mentis inconcussæ ratem in meditatione continua studiorum operumque cœlestium quasi quodam remigio salutis exercens.* Quod in domo cœlesti agitur liber exsequebatur (*Ibid.*), de iis non sollicitus quæ **788** in domo sua terrena agerentur, uxoris suæ fide et prudentia fre-

A tus, quæ eamdem sibi, sed vitæ et sollicitudinis varietate, assecuturam proponebat felicitatem (*Ep.* 44, *n.* 4). Laboribus enim intenta corporeis, secularibus vacabat negotiis, ut vir vacaret Christo (*Ibid.*); non hoc seculum Christo, sed virum sibi præferens (*Ibid.*); neque enim in eo voluntati suæ inhærebat, sed saluti ejus consulebat, cui naturæ, conditione exigente, debebat obsequium (*Ibid.*), atque ita dum secularibus negotiis serviret, non ipsi seculo, sed Christo militabat : rata se fore fidelem Deoque acceptissimam (*Ibid.*), si tamquam in immobili scopulo stabilita turris se opponeret necessitatibus seculi et procellis quæ turbare potuissent eam, qua maritus ejus lætus fruebatur, tranquillitatem. Illi Aper suorum, seu liberorum, possessionem prædiorum reliquisse videtur ex sequentibus : *Curat illa seculi curas*, inquit Apro Paulinus (*Ibid.*), *ne tu cures. Possidere videtur, ne tu possidearis a mundo, et ut possidearis a Christo. Non illam a proposito tuo discors abjungit voluntas; sed quod magis mirum est, concors fides opere dividit voluntate con-*

B *junctam. Nam sine animi captivitate rem captivitatis in libertate spiritus administrans, firmavit manus suas in opera virtutis : brachia sua extendit ad utilia, accincta fortiter lumbos suos, et escas pigritiæ non edens, facta est tibi tamquam navis quæ mercatur a longinquo; necessaria divisione reddens per se Cæsari quæ sunt Cæsaris, ut quæ Dei sunt per te ministret Deo. Nam cum tributum, sicut scriptum est, dederit cui debet tributum, tunc et manus suas adaperiens pauperi, et fructum operæ suæ porrigens inopi, spiritale vectigal pensitat; et reditum possessionis in tuæ militiæ stipendium suggerit, salutaris damni avarior quam letalis lucri. Nec* enim *illa, quod de terrenis elaborat fructibus, thesaurizat in terra; sed tuis potius operibus, quam damnosis avaritiæ quæstibus fœneratur.*

CAPUT IV.

Reflectit Paulinus ad conversionem Apri; eum adversus mundi persecutiones munit.

Dicit Paulinus (*Ep.* 38, *n.* 6) Deum, cujus est mu-

C tare hominem, quia solus potest instaurare quod (solus) fecit, plura tunc mirabilia solito gratiæ signa, quæ peccatorum animas convertunt, fecisse, quasi properasset suos eripere ab ira ventura : in quo non tantum se uxoremque suam Therasiam, Sulpicium Severum sibi carissimum, et Aprum, ad quem scribebat, ejusque uxorem spectare poterat, verum et Pammachium, Pinianum uxoremque illius Melaniam juniorem, Constantem et Macarium qui amplissima obierant munera; multosque alios nobis ignotos, quibus adjiciendus Germanus Autissiodorensis, qui a muniis et dignitatibus seculi in clericorum sortem inaudito plane et miro modo a Sancto adscitus est. Deus in istis sanctis virtutum ostendebat exempla multis maxime utilia (*Ibid.*, *n.* 7); quanto enim majori sapientia et prudentia naturali eminebant, tanto evidentior in eorum conversione Dei potentiæ operatio et virtus apparebat : idcirco Paulinus pennas habere voluisset, ut volaret ad Aprum, in ejus collo-

D quio requiesceret, et Deum toto corde laudaret (*Ibid.*, *n.* 9). Quod autem aliis exemplo (*Ibid.*, *n.* 7), quibusdam induratis et reprobis **789** testimonio erat : quare homines quorum spes intra hujus ævi spatia concludebatur (*Ibid.*, *n.* 6), et in quibus timor Domini finem libidinum et avaritiæ nondum fecerat, Apri conversionem existimavere errorem stultitiæ (*Ibid.*, *n.* 3); ejus humilitatem contemserunt, qua eorum destruebatur superbia (*Ibid.*, *n.* 5); et castitatem (*Ibid*, *n.* 3), quam erat amplexus, fuere detestati. Eum mundus odit (*Ibid.*, *n.* 2), ubi eum a se alienum et moribus adversum vidit, ac sua illa zelotypia Aprum jam verum Dei famulum probavit. In ejus rudimentis virtus perfectionis est operata (*Ibid.*), sed tentationibus jam ille obsistere poterat; beatumque se existimabat quod odisset eum mundus, quia Christo serviebat. Hinc se Christianum credebat quia eum odisse cœperant qui diligebant, et despicere qui timebant (*Ibid.*, *n.* 3); sibique conscius erat quod si ipse idem

fuisset qui antea, æque ut solebant et dilexissent et venerati fuissent. Hæc scripserat ad Paulinum Aper (*Ibid.*) in epistola sua quam ad eum e tacito sui ruris secreto misit (*Ibid.*, *n.* 10), in qua citra dubium totius suæ conversionis seriem referebat. In fine epistolæ affirmabat (*Ibid.*, *n.* 1) se inconcussa mente fidem catholicam tenere et libera voce profiteri, ac in ea se rudem atque Deo infantem esse dicebat (*Ibid.*). Lætatus est valde Paulinus in iis quæ ad eum scripsit Aper (*Ibid.*), et cum non haberet pennas ut ad eum volaret, ipsique hanc felicitatem coram gratularetur, quid de ea sentiret in egregia et eleganti epistola testatus est, in qua ei dicit perspicuum esse quam fortiter crederet in Christo (*Ibid.*, *n.* 2), cui jam ab initio donatum esset pro Christo pati. Eum hortatus est ut hanc persecutionem sustineret (*Ibid.*, *n.* 2 *et* 7), quam ipse olim passus fuerat; ut suos adversarios firmissima humilitate destrueret (*Ibid.*, *n.* 5), eorum odium et obtrectationes potius vitæ moribus quam linguæ sermonibus confunderet, et ad Dominum silentio humilitatis et voce patientiæ loqueretur; deinde venit ad illam admirabilem immutationem quam Dominus in Apro operatus fuerat (*Ibid.*, *n.* 7 *et* 10); sub finem eum hortatur ut diligentem se in profectu pietatis exhibeat (*Ibid.*, *n.* 11), ut eadem affectione in Domino delectetur, qua in peccato fuerat delectatus; et addit (*Ibid.*): *Impense rogo ut me in orationibus tuis implices, et quoties fuerit occasio litteris revisere studeas*: illas animi reficiendi studio expetebat Paulinus; et maximo cumulabatur gaudio cum eum in scientia spiritali proficere cognoscebat (*Ibid.*). Paulino libentissime obtemperavit Aper, et reipsa eum singulis annis ad Paulinum scripsisse videmus, Paulinus enim Aprum sibi ea litterarum officia annuo commeatu pependisse dicit (*Ep.* 39, *n.* 1); ex quo etiam commercio duæ prodiere epistolæ quas Paulinus et Therasia ad Aprum et Amandam scribunt, quas ad annos 405 et 406 referimus; et quidem cum barbari Gallias invaserint vergente anno 406 brevissimoque temporis spatio eas depopulati fuerint, cumque Honorio sublatas eas in ditionem suam redegerit universas Constantinus anno 407, videtur anno 406 aut saltem ineunte anno 407 tam grato Paulini cum suis in Galliis familiaribus commercio finis imponendus. Hæc de Apri vita, quem asserere non audemus eumdem cum Tullensi episcopo de quo pariter Annales nihil habent. Eum Martyrologia Usuardi, Adonis et Bedæ adscribunt in numero sanctorum episcoporum 15 Septembris die. Templo quod ipse cœperat ædificare **790** juxta Tullum statim ejus nomen inditum est, quamvis Gallico nomine corrupte vocetur *S. Epvre*: nunc S. Benedicti ordinis cœnobium est. Notant item Sammarthani (*Gall. Christ.* *t.* III, *p.* 1095) abbatiam monialium Coloniæ esse istius nominis et parochiam in urbe Nanceio. Salvianus, qui floruit Florentiæ ab anno 430 usque ad finem seculi quinti, scribit una ad Aprum et Verum amicos suos (*Salvian. ep.* 3, *p.* 212 et 213), quibus se multo inferiorem esse profitetur; eos totius ferme humilitatis et omnium prope bonorum operum palmam adeptos esse asserit, ipsorumque morum dignitatem ita ab omni suspicione eos vindicate, ut plane quidquid ab illis fieret nihil non recte factum esse crederetur.

DISSERTATIO SEXTA.

DE S. PAULINI OPERIBUS AMISSIS, DUBIIS ET SUPPOSITITIIS.

1. Jam satis fuse de his quæ supersunt S. Paulini operibus disseruimus in 1 et 2 Dissert., at multa excidere præclara sane monumenta. Etenim præter illius pro Theodosio imperatore panegyricum, cujus meminere S. Hieronymus in epist. 13 ad Paulinum de Institutione monachi, Cassiodorus lib. II Divin. Institut., Gennadius in libro de Scriptor. eccles. et Trithemius, ac ipse Paulinus in epist. 28 ad Severum, n. 6, præter varias, quæ periere, epistolas ad Augustinum (*Vide Vit. c.* 51, *n.* 3 *et* 4), Hieronymum (*Ibid.*, *c.* 36, *n.* 2), Delphinum Burdegalensem episcopum (*Ibid.*, *c.* 31, *n.* 1), Venerium Mediolanensem antistitem (*Ibid.*, *c.* 37, *n.* 2), ad Sulpicium Severum quatuor saltem (*Ibid.*, *c.* 29, *n.* 1; *c.* 32, *n.* 2; *c.* 47, *n.* 1 *et n.* 3), ad Desiderium presbyterum (*Ibid.*, *c.* 47, *n.* 1), Macarium (*Aug. ep.* 259, *n.* 1), Sanctum (*Vide Vit. c.* 25), et Ausonium (*Auson. ep.* 24), aliosque complures; præter Homilias quas habuit ad populum, saltem ex quo creatus est episcopus, dignas profecto quæ ad posteros transirent; Gennadius (*Catal. c.* 48), multas eum ad Sororem litteras de mundi contemtu dedisse scribit; et Sacramentarium ei adjudicat, præclarum sane, si exstaret, antiquitatis monumentum, ex quo in administrandis sacramentis veterem Ecclesiæ usum et externas cæremonias colligeremus; Paulinum etiam composuisse Hymnarium testatur idem Gennadius, quem de S. Felice natalitia carmina esse existimo. At inprimis liber *de Pœnitentia et de Laude generali martyrum*, qui interiit, maxime desiderandus est, cum omnium Paulini operum præcipuum dicat idem ipse Gennadius; hujus quoque meminere Trithemius et Bellarminus (*Lib. de Scriptor. eccl.*). Excidit prætcrea illius opus contra paganos, quod circa annum 395 scribebat, ut Augustinus *Ep.* 31, *n.* 8; *et ep.* 42, *n.* 1) didicisse ait, et quod vehementer desiderare se testatur. Sed et Gregorius Turonensis citat Paulini epistolam in qua S. Martinum plures SS. Gervasii et Prothasii reliquias accepisse legitur. Ex ipso Paulino (*Paulini ep.* 46, *n.* 2, *et Vit. c.* 48, *n.* 1. *Vide not.* 195) insuper colligimus eum Latinitate donavisse quæ jam S. Clementis (papæ) opera.

DE EPISTOLIS AD MARCELLAM ET AD CELANCIAM, ETC.

791 2. In ultima operum S. Paulini editione (*Rosv. edit. p.* 412 *et* 419) Antuerpiana an. 1622 insertæ fuerunt epistolæ ad Marcellam et ad Celanciam, quæ etiam inter S. Hieronymi opera reperiuntur. Epistolam ad Marcellam de tolerandis adversis maxime accedere ad dictionem Paulini ipsi Sacchino (*Vit. Paulin. p.* 733 *et* 734) et nobis videtur; at certe non facile est illud componere cum historia Paulini nostri, ut etiam observavit Rosveydus (*Vide not. in Append. ad hanc ep.*, *n.* 1). Afflictæ Marcellæ sub ipsum conversionis initium opem salutarem contulit misericors Dominus, et pium dedit consolatorem, qui etsi *in longinquo positus* (*Append. ep.* 1, *n.* 1), auditis maximis in illam divinæ misericordiæ beneficiis, cognito etiam quo erat statu, et ea quæ illi acciderat tribulatione, disertam hanc illi epistolam gratulabundus conscripsit. In ea ad spem vitæ æternæ, et ad virtutem patientiæ quam præ se tulerat, illam hortatur (*Ibid.*, *n.* 3 *et* 6), et ut Domino in magna gratiarum actione confiteatur quod ipsam a sorte divitum peccatorum ad beatorum pauperum sortem, quorum formam Christus accepit, revocaverit (*Ibid.*): quod quidem evenisse a primis annis, quibus divino se obsequio Marcella addixit, ex ipsa epistola conjici potest. Et inde si primum non susceperit Deo se vovendi consilium, contigit saltem ut casus ille, quicumque fuerit, acriores ad opera pietatis illi stimulos subdiderit, feceritque ut propositum suum et firmius teneret et liberius profiteretur. Hic tamen nonnulla reperire est quæ ad extrema vitæ ejus, et Romæ ab Alarico expugnatæ tempora, quibus vere ipsa in corpore passa est (*Hieron. ep.* 16), referri posse videntur. An vero duras adeo calamitates, et mala innumera quæ tot ac tantis

A provinciis subeunda fuerunt, quæque ipsa Romæ expugnatio peperit, reticeret epistola? De hac calamitate testificatur Hieronymus (Ep. 16) quod illam pauperem non fecerit, sed iuvenerit, nec ei eripere potuerit bona quæ sponte semel dimiserat. Cujus sit hæc epistola de qua agimus plane non liquet, nec in ullo ms. codice Paulini nomine inscribitur. Inter opera Hieronymi spuria recensetur, et merito, cum Hieronymianum stylum non redoleat. Ejus stylum Erasmus (*Ad ep. Hieron.*) sentit a Pauliniano non abhorrere, quippe qui suavis sit et pius, necnon Spiritus sancti gratia et caritate perunctus, locisque Scripturæ abundans. Idem tulit judicium Marianus Victorius. Hanc posuit Rosveydus in editione operum Paulini (*Rosv. edit. p.* 412); sibi tamen in notis (*Vide not. in App. ep.* 1) suis objicit Paulinum Nolæ habitantem dicere non potuisse, ut hujus epistolæ autor testatur, se *in longinquo positum* (*Append. ep.* 1, *n.* 1) a Marcella quæ Romæ vitam agebat: quam difficultatem solvere videtur, dum hanc sub conversionis Paulini initium scribi ab eo potuisse ex Hispa- B niis judicat. Illud tamen non facile admittimus, cum Paulinus nonnisi circa annum 390 multisque post annis ex quo Marcellæ pietas emicuit, conversus fuerit. Ad eam tamen, quasi ipsa virtutis viam recens ingressa fuisset, scribit quasi autoritatem habens, quod cum Paulini humilitate parum convenit. Et ille profecto cum de divitiis et humana ambitione disserit, mea quidem sententia, de se ipso pauca retulisset. Itaque Erasmi (*Loc. cit.*) judicio **792** inhærendum censeo, nos inter tot ac tantos hujusce ætatis scriptores epistolæ hujus autorem inepte quæsituros. Si quis hanc Paulini fœtum esse voluerit, siquidem stylo, sermone et sententiis, ut in margine adnotavimus, minime differt a Paulinianis epistolis; illam Marcellæ alteri inscriptam esse dicendum erit; non vero ei cui sæpe sæpius scripsit Hieronymus, et cujus vitam exposuit in epistola 16 ad Principiam virginem, quam sic breviter perstringimus: « S. Mar- C cella Albinæ filia, nobilis Romana, prius patre, mox septimo a nuptiis mense viro orbata, Cerealique consule eam in uxorem petente rejecto, ab Athanasio Petroque Alexandrinis episcopis edocta, prima omnium Romæ monachæ vitam professa est: ubi a D. Hieronymo instructa una cum Principia virgine vixit. Ejus autem illud præcipuum facinus memoratur, quod Origenistarum errores ex Urbe expulerit, et Hierosolymam pietatis ac religionis causa accesserit. Obiit paucis diebus post captam a Gothis Romam (*Mar. Victor. ad ep.* 16 *Hier.*). »

Posterior ad Celanciam epistola præclarissimum certe est antiquitatis monumentum cum ob styli suavitatem, tum ob materiam; egregia enim de institutione matrisfamilias præcepta recludit. Inscribitur (*Append. ep.* 2, *n.* 2) ad nobilissimam matronam quæ inter honores seculi in conjugio constituta nupta erat viro, et illi Christiano (*Ibid.*, *n.* 26). Aliquot jam ante annos continentiam sibi in animo proposuerat (*Ibid.*, *n.* 27), et pudicitiam, absque pacto et D consensu viri, nullo voto emisso servare cœperat. Tunc temporis paganismus abrogatus nondum fuisse videtur (*Ibid.*, *n.* 8), cum hæc conscripta est epistola, quam certe post tempora Joviniani missam fuisse constat (*Ibid.*, *n.* 28). Itaque ea posset Paulino adscribi, quadrat enim tempus; et habet prætерea, si Erasmo (*Erasm. t. I Hieron.*, *p.* 106) et Sacchino (*Sacch. Vit. p.* 733) credimus, multas Pauliniani styli notas: inest tamen in hac styli suavitate gravitas quædam nimis a Paulini alacritate et volubilitate in dicendo aliena et locorum S. Scripturæ diversa expressio, quam ut ei possit adjudicari isthæc epistola; etenim Sacchinus (*Ibid.*, *et p.* 734) ejus non esse censet, siquidem ait: *Nulla nobis satis videtur.*

Paulini poema exhortatorium *ad Conjugem* (*Append. carm.* 1) ut se Deo dedicet, quod Rosveydus Paulinianis operibus inseruerat (*Rosv. ed. p.* 643), ad ipsius Paulini stylum et sermonem satis accedere lector ipse in pluribus poematum locis animadvertet. Cum vero in quatuor mss. codicibus Prospero tribuatur, in nullis Paulino, cujus historiæ prorsus non respondet, Paulini fœtum asserere non audemus. Egregium est sane illud poema et jucundissimum, poesis quoque aliis Paulini carminibus suavior liberius fluit. At quod istud carmen Paulino potest abjudicare, illud nempe est, quod universum orbem in ea generali eversione rerum et perturbatione describit, quam expertum est ab anno 407 Occidentis imperium (*App. carm.* 1, *v.* 5 *et* 7). Verum Paulino tunc temporis non necesse fuit ut se et uxorem ad Christianam vitam hortaretur, et designaret quomodo facultatibus suis uterentur (*Ibid.*, *v.* 57 *et seqq.*). Arbogastus maximas in Occidente turbas fecit, cum anno 392, 15 Maii die, juniorem Valentinianum strangulari jussit, et diadema Eugenio imposuit. At illud carmen hæc non adumbrat. Habetur inter Prosperi carmina, cui Rosveydus et alii abjudicant, et Paulino tribuunt: a quibus dissentit Labbæus (*De Script. eccl.*) **793**, eorum tamen opinionem nullis refellens argumentis.

Appendicis poema 2 videri posset paraphrasis in laudes quas de nomine Jesu scripsit S. Bernardus; ideoque illius autor duodecimo seculo non antiquior exstitisse appareret, si quid stylus redoleret barbarum: illud vero ad elegantiam paululum accedit; et nisi foret hæc Bernardi paraphrasis, Paulinum ejus autorem facile quivis crediderit. Quid enim? cur Bernardus, qui ex autoribus non laudatis tot sententias collegit, quæ de nomine Jesu tot protulit argumenta ex Paulino non excerpserit? In ms. codice membranaceo Cartusiæ prope Argentoratum civitatem Germaniæ inter nonnulla variorum Autorum carmina hoc poema offendit Caspar Barthius, et inseruit Adversariorum Commentariorum libro XXXIV, c. 1, illud Paulino nostro adscribens. Cum quocumque nobilium poetarum Christianorum comparaveris, nullo inferiorem genium videbis; mihi vero phrasis et indoles usque adeo Paulinum sapit, ut cum ejus scriptis comparando nihil non in eo simile inventurus sis. Post Barthium sic censuere eruditissimi viri, quos consului, et poeticæ artis peritissimi, inter quos R. P. Commirius S. J. et Nicolaus Heinsius paulo antequam e vivis excederet. Illa *Felix errorum non diu*, v. 32, manifeste peccant in legem metricam, nec satis tamen video quid pro iis reponi debeat, nec qua ratione sine alio libro emaculari possit; nec inducor ullo modo ut ab autore tam insignem nævum profectum esse arbitrer, sed ab inscitis librariis. Ista de *cantatis diro carmine corporibus*, manifeste respiciunt ad manes carmine magico solitos evocari tumulis. *Sono sago* videtur dixisse, *sagarum carmine: Corpora cantata diro carmine et sono sago; devota bustis*, id est, jam mortua. Vide num forte v. 76 legendum sit: *Carne interim terræ data*, vel *Caro interim terræ data; Ne*, etc. Hoc carmen in feriis paschalibus conscriptum putat Barthius (*Advers. Comment. lib.* XXXIV, *c.* 1).

3. Suspicati sunt quidam inter S. Augustini epistolas 126 (al. 45) et 243 (al. 38) nostri Paulini esse; at refragantur Lovanienses Theologi et RR. PP. Benedictini, quippe cum Possidius in Indiculo eas recenseat, c. 7, easque citans Beda vulgatus in I ad Timoth. v et in II ad Corinth. v, 15, Augustini esse agnoscat.

Jam vero nullus pene nescit S. Ambrosii vitam et sex carminum libros de Vita S. Martini olim falso adscriptos Paulino Nolano, ab aliis Paulinis fuisse compositos, quorum prior tantum diaconus erat anno 411, cum Paulinus noster jam pontificalibus infulis esset sublimatus; alter vero scribebat circa annum 480. Hæc de Paulino autore Vitæ S. Ambrosii habet Baronius ad annum Christi 397, § 36: « Qui res ab Ambrosio gestas conscripsit Paulinus, longe alius a Paulino Nolano episcopo fuisse manifestissime declaratur sua ipsius assertione: quod enim hoc tempore testetur se clericum minoris ordinis militasse in Ecclesia Me-

diolanensi sub cura, ut ait, Casti diaconi, Ambrosio autem fuisse a manu, quis non videat hunc esse diversum a Paulino Nolano jam ante quadriennium initiato presbyteratu, et hoc tempore in agro Nolano agente jam triennium, ibique firmiter subsistente? Decepit complures nomen: sed et quod ambo viri isti Augustino familiaritate conjuncti fuisse noscantur, existimarunt iidem hunc ipsum qui 794 res gestas Ambrosii memoriæ commendavit fuisse Paulinum Nolanum; a quo, etsi alia deessent firmissima argumenta, certe quidem ipsa longe dissimilis dicendi phrasis discriminat. Ceterum is qui rogatus ab Augustino sanctissimi viri Vitam conscripsit, ad ejus vitæ finem se in Africa Carthagine esse versatum affirmat, cum agit de irrogato divinitus supplicio in Mauranum episcopum Ambrosio detrahentem: ut non mirum sit quod innotuerit Augustino, qui et eum antea novisse potuit cum Mediolani vitam ageret. » Et § 27: « Quamobrem hunc ipsum interdum existimavi esse Paulinum illum qui auctus postea diaconatu acerrimus insurrexit impugnator hæresis Pelagianæ, dum Carthagine primum adversus Cœlestium in episcoporum concilio strenue egit: exstant enim acta illa a S. Augustino recitata, quibus significatur ejus opera factum ut Cœlestius primum Carthagini damnaretur, ac postea Romæ; oblato adversus eum Zosimo papæ libello. » Qui plura volet consulat Isidorum de Viris illustribus lib. IV, et Bellarminum lib. de Scriptor. ecclesiast. ad annum 420, observat. 1.

Primus curavit Franciscus Juretus typis mandari de Vita et Miraculis S. Martini sex libros, quos tribuit S. Paulino Nolano Gregorii Turonensis testimonio fultus, qui libro I de Miraculis S. Martini, c. 2, sic scribit: *Paulinus quoque beatus Nolanæ urbis episcopus, post scriptos versu quinque libros de virtutibus ejus quas Severus complexus est, illa comprehendit miracula quæ post ejus gesta sunt transitum*, id est in sexto operis sui libro. Et paulo post idem Gregorius subdit: *Hæc Paulinus in sexto operis sui libro versu conscripsit, accepto a S. Perpetuo episcopo de his indiculo.* Is autem Perpetuus episcopus Turonensis Ecclesiæ sedem adeptus est anno 64 post obitum Martini, ut testatur ipsemet Gregorius Turonensis l. I de Mirac. Martini, c. 61, idemque Histor. Francor. lib. X, c. 31, ubi nomina episcoporum Turonensium ordine referens ait: *Sextus* (post B. Martinum) *ordinatur Perpetuus, de genere et ipse, ut aiunt, Senatorio, dives valde, et per multas civitates habens possessiones.* Sed et Sidonius Apollinaris, lib. IV, epist. 18, sextum a Martino antistitem Perpetuum nominat, et

A ejusdem perpetui meminit Sigibertus in Chronico circa annum Christi 472, unde liquido constat aut hæc verba, *Nolanæ urbis episcopus*, ab amanuensi quodam imperito addita et interpolata, aut Gregorium Turonensem stupide lapsum et sibi contradicere. Si enim sextus post Martinum episcopus ordinatus est Perpetuus anno post obitum Martini 64, sub annum 470 et adhuc anno 472 vitam ageret, quomodo potuit Paulinus, qui anno 431 obiit, ad eum de Vita S. Martini librum sextum scribere? Præterea libri sex de Vita S. Martini non possunt esse S. Paulini Nolani, cum eorum librorum autor Paulini Nolani meminerit lib. II, et se ejusdem nominis esse testetur. Huic sententiæ adstipulatur Bellarminus lib. de Scriptor. eccles. de S. Paulino Nolano observat. 2. Sed et ipsa laudatio Paulini satis fidem facit eumdem non esse qui scribit. An ille superbiæ victor ac vanitatis, animo tam demisso de se ipso venditaret, *Insignis fidei quem gloria late extulit* (*Lib.* II *Vit. S. Mart.*)? Et tamen

B devinctus præjudicio Juretus: *observa*, inquit, *hic Paulinum suæ ipsius fidei laudatorem videri.* Immo observa, quia tam magnifice de Paulino Nolano sentit, hunc Paulinum Nolanum non esse. Ceterum proferre 795 alia argumenta ad confirmandum non hunc esse Nolanum haud existimo necessarium.

In codice Regularum (*Append. part.* 4 *p.* 81) quas collegit nono seculo S. Benedictus Anianensis abbas, exstat cujusdam Paulini fragmentum, hoc titulo: *S. Paulini ad monachos responsio de pœnitentia*, qua solvit quæstionem: *Quomodo debeant monachi agere pœnitentiam?* Autorem præfert eloquentem, nec tamen Paulinum Nolanum, ut opinor; non enim certissimum posuisset, ex quo die quis abrenuntiavit seculo non memorari ejus delicta quæ a suscepto baptismate gessit in seculo, in quo facturum se justitiam de reliquo promiserit Deo, nec ipsum debere dubitare dominicum corpus accipere (*Ibid.*, *p.* 82). Quis enim unquam asseveraverit id convenire Pau-

C lino nostro, qui monachus et presbyter factus sæpe sæpius de commissis in seculo delictis dolet et ingemiscit?

Ad extremum meminisse oportet illud Sidonii Apollinaris (*Lib.* IV, *ep.* 3, *p.* 90) qui, singula singulis ecclesiæ Patribus dona sua attribuens, Paulinum *provocare* dicit: quod de singulari acrimonia interpretandum est, et de vi suavissima qua ipsius Scripta legentes ad obsequium Christi et exactam præceptorum ejus custodiam provocat, allicit atque incendit.

DISSERTATIO SEPTIMA.

DE CAPTIVITATE S. PAULINI.

Pro captivo vicarium se tradit Paulinus. Quo tempore hæc captivitas acciderit.

1. De Paulino Nolano ab anno 414 ad annum 417 in historia nihil comperimus. Quod vero insigne caritatis exemplum de eo refert Gregorius M. (*Dial. lib.* III, *c.* 1), illud huic intervallo adscribi posse videtur. Et quidem ad posteriora Paulini tempora referre non convenit, cum satis habuerit virium ut hortum excoleret, et in hac exercitatione venusti vultus speciem quæ juventutis propria est præ se tulerit. Singulos autem annos ad annum usque 413 eo quod in Galliis et cum Augustino habuit commercio ita completos videmus, ut ejus absentiæ tempus cui annus saltem tribuendus est, non reperiamus. Videtur etiam Augustino notum et perspectum non fuisse tam illustre amici sui facinus, quod profecto in libro de Civitate Dei de eo locutus non tacuisset. Hæc summatim complectitur historia, cujus singulas partes describit Gregorius M. lib. III Dialog. c. 1, « Campaniam nimirum Italicam populantibus Wandalis, et plurimis in Africam captivis abductis, cum Paulinus in pietatis officiis rem omnem consumsisset,

D posceretque ab eo vidua ut filium captivum sibi redimeret, se ipsum pro illo in servitutem tradidisse, ac Wandalorum regis genero in Africa colendis hortis se addixisse. Quem cum Wandalus in potestatem suam recepisset, hortuli curam ei 796 commisit; qui cum datis de quotidiano labore suo responsis domino placuisset, eum in colloquium dominus lubens et frequens adhibuit; cumque aliquando soli inter se dissererent, a Paulino monitus est ut rebus suis consuleret, et de statu Wandalorum cogitaret, quoniam illorum rex socer ejus brevi esset interiturus. Hoc ille retulit regi qui autoris ejus consilii videndi causa apud generum pransum venit, quia Paulinus ad dominum cum pranderet solebat olera deferre. Hujus intuitu rex commotus genero confessus est eumdem Paulinum et complures alios se vidisse per noctem sedentes judices qui e manibus ipsius flagellum abstulerant. Tum vero Paulinus dicere se episcopum compulsus est; et cum Nolanos cives captivos per Africam rex inquiri jussisset (eo-

rum enim Paulinus libertatem supplex flagitaverat), Nolam honorifice cum episcopo remisit onustis frumento iis quibus advecti fuerant navibus. »

2. Nemini dubium est quin magnas hæc historia patiatur difficultates, quia Paulini temporibus in Italiam non venere Wandali, quibus vix datum est occupandæ Africæ tempus, non ibi colendorum hortorum; tum vero rex Gensericus, quo regnante huc adducti sunt, longe post Paulinum obiit. Ita in quibusdam hujusce historiæ partibus deceptum Gregorium fatendum est, ut quandoque contingit in gestis aliorum relatione traditis, licet verissimis; qua illud ratione se cognovisse asserit Gregorius. Post Procopium (*Wandal. l.* I, *c.* 2) observat Chiffletius (*Paulin. illustr. p.* 187), et merito, Gothos, Wandalos, Gepedes, Sarmatas, aliasque gentes, apud scriptores uno nomine venire, quippe qui ex una omnes gente procreati, contemporanei, commilitones, iisdem instituti legibus, omnes pariter Arianæ hæresis fautores, linguæ quoque unius fuerint quam Gothicam vocant. Itaque cum Nola a Gothis capta sit anno 410 (*Vide Vit. c.* 51, *n.* 2) neque alii barbari Paulini temporibus in Campaniam venerint, nec venisse potuerint, huc referenda est magna illa captivorum turba quæ, ut refert Gregorius M., a Wandalis ex Campania fuit abducta, quam addit et in Africam fuisse transvectam, utpote cum Wandali ibi diu sedem regni habuerint; at necdum illic tum dominabantur. Quamobrem longe verisimilius est captivos una cum exercitu Gothorum qui ex Italia in Gallias anno 412 et in Hispaniam triennio post transierunt fuisse abductos, vel illos aliis barbaris venditos fuisse. Fieri autem potest ut ille in cujus gratiam servum se tradidit Paulinus, hoc pacto in manus venerit Wandalorum qui ab anno 409 Hispanias incolebant. De principe vero cujus mortem prænuntiavit Paulinus, inter tot varios illarum gentium duces qui reges habebantur, potuit aliquis nobis ignotus interiisse anno 415 vel 416, Paulini enim captivitas ad ulteriora tempora extendi non potest.

3. Idatius in Chronico circa annum 416 vel 417 agit de quodam Fredibaldo cujusdam gentis Wandalorum rege, qui a Constantio sine prælio captus ad Honorium missus est: ille paucis interjectis diebus forsan et exstinctus est; qui casus si anno dumtaxat 417 evenerit, potuit tamen et a Paulino prædici sub finem anni 416 veluti proximus. Anno 415 Ataulphum Alarici levirum et regem Gothorum mortuum legimus. Cum vero paulo **797** ante in Hispanias transierit, nondum Gothi de hortorum cultura cogitabant. Asserit Chiffletius (*Loc. cit.*, p. 188, 189) anno 409 vel 410 Paulinum in servitutem se dedisse, et mortem Alarici prænuntiasse. Illum autem Nolæ fuisse constat cum ab Alarico circa mensem Septemb. direpta est, nec multo post obiit Alaricus. Neque etiam dici potest Alarici generum Africæ dynastam fuisse ab anno 408, ut supponit Chiffletius, et anno 410 potuisse libere ab eo abduci Paulinum ut in manus Alarici immanissimi imperii hostis traderetur, quæ ficte supposita et minime probabilia videntur. Affirmat Baronius (*An.* 431, § 191) Gensericum Wandalorum regem anno 428 vel 429 Italiam depopulatum fuisse et ex ea captivos abduxisse, mortemque Guntharii a Paulino prædictam; quem Procopii autoritate fretus Wandalos in Africam cum Genserico fratre adduxisse contendit. Maria vero non potuerunt Wandali percurrere nisi post occupatam Africam, eo enim tempore quo ex Hispaniis in Africam transierunt, navigationis artem iis notam non fuisse Prosper (*Chronic. an.* 427) affirmat. Procopius (*Wand. l.* I, *c.* 3), quem Baronius ducem sequitur, tum fuisse puerum Guntharium asserit; generum itaque non habebat. Guntharium vero, vel potius Gundicarium, sic enim a nonnullis scriptoribus vocatur, anno 427 vel 428 jam obiisse constat, priusquam Wandali in Africam transirent: quod confirmat Idacius. Procopius (*Ibid.*) ipse testatur ætatis suæ Wandalos id credidisse; neque Victor Vitensis aliique scriptores in Africam alio duce quam Genserico venisse Wandalos significant. Si igitur sub Gunthario captivus factus est Paulinus, fuit certe in Hispania, non vero in Africa, ut contendit Baronius; atque ita dicendum erit Paulinum annos natum 75 hortulanum egisse (*Chiffl. loc. cit.*, p. 180), quod nullo modo verisimile est.

4. Haud scio an alterius Paulini tempora, quem aliquanto post nostrum Paulinum creatum fuisse Nolæ episcopum ferunt, cum Gregorii narratione non melius convenirent; quæ licet ita se haberent, cuivis tamen tam illustre facinus, quod quidem tamquam insigne caritatis specimen omnibus proponendum est, non videbitur alteri tribuendum quam illi a quo tanta divinæ caritatis opera sub ipsa conversionis initia, cum eo veluti colludente gratia, **798** profecta sunt. Ut prævertantur quæ in hujus historiæ argumentum objici possent, non debuisse nimirum episcopum a populo suo discedere, neque privati cujusdam captivi libertatem æternæ totius gregis saluti præponere, satis erit si respondeatur a Gregorio (*Dialog. l.* III, *c.* 1), qui et Ecclesiæ regulas et episcoporum officia quam optime callebat, laudatum fuisse stupendum illud, mirandum et prorsus inauditum facinus, ex quo quivis maxima virtutis documenta posset percipere. In hoc, inquit (*Ibid.*), *illum imitatus est qui formam servi assumpsit, ne nos essemus servi peccati*. S. Eulogius (*Ad Floram et Mariam*, *t. IX*, *p.* 312, *Bibl. Patr.*) nono seculo martyr illustris iisdem fere utitur verbis, exemplum illud detentis in carcere pro Christo virginibus proponens, ibique *S. Paulinum miræ sanctitatis et incomparabilis meriti episcopum* vocat. Tradunt quidam (*Ambr.*, *Leo lib.* II *de Nola*, *c.* 13, *et Chiffl. p.* 259) S. Paulinum Nolanæ civitatis episcopum, cum Nolanis omnibus ejus nomine liberatis redeuntem, de civibus adeo bene meritum, tanta pompa lætitiaque ab ipsis exceptum, ut proinde eumdem diem statis pompis, festis, spectaculisque usque ad nostram tempestatem venerati sint, et etiamnum venerentur, idque a decimo mensis Junii die quo in urbem rediisse fertur, usque ad vigesimum secundum quo diem obiit extremum. Ex ms. codice Medicæo, in quo exstat Uranii de obitu Paulini ad Pacatum narratio quæ historiam ibi complectitur de redemto a S. Paulino sui permutatione filio viduæ usque ad ejus ex Africa Nolam reditum, contendit Baronius (*An.* 431, § 195, *in append.*) S. Gregorium ab Uranio hanc totidem verbis exscripsisse historiam quam inter Elogia dedimus. At illud Sacchino (*Paulini Vit. p.* 721, 722) non persuasit qui eam S. Gregorio M. semper adscribit, nec Chiffletio (*Pag.* 179, 180) qui Baronii argumenta et rationes optime refellit. Etenim ipse Gregorius (*Dial.* l. III, c. 1) hanc de Paulini Captivitate historiam non ex cujusquam scriptis se excerpsisse dicit, sed a senioribus viris audiisse, quorum testimonio fidem denegare non potuisse fatetur. Si hæc acciderit captivitas ab anno 414 usque ad 417, Augustinum hac de re jam ad Paulinum scripsisse non serius quam sub initium anni 417 credere par est, cum in epistola 186 (alias 106) circa medium ejusdem anni scripta nullum de hac captivitate verbum faciat.

DISSERTATIONES
IN SANCTI PAULINI POEMATA.
(Auctore Lud. Ant. Muratorio.)

DISSERTATIO PRIMA.
DE TURCIO APRONIANO.

799 Gens Turcia Aproniana celebris est apud A veteres Latinos. Familiam vero Apronianam singulariter exquisitissima ac nervosa eruditione post Glandorpium prosecutus est em. Norisius in Cœnotaph. Pis. Diss. 4, cap. 2, § 1, *Gens itaque Turcia Aproniana, Asteria Romæ nobilissima fuit*, uti ibidem laudatus cardinalis ait. Floruit sub Juliano Augusto L. Turcius Secundus Apronianus præf. Urbi, de quo apud Gruterum, pag. 476, n. 7, inscriptio habetur, itemque altera pag. 647, n. 6. Ad eumdem referenda est alia inscriptio Gruteriana pag. 165, n. 2, Fani sita, quæ tamen hactenus cum errore proposita est, quasi DIVO AUGUSTO fuerit dicata. Veram lectionem exhibent schedæ Ambrosianæ **800** Bibliothecæ, eæque omnium vetustissimæ, e quibus multa mihi hausta fuere in ornamentum collectionis ineditarum inscriptionum, quam justo volumine comprehensam, faventibus superis, orbi communicare jam meditor. Sic autem se habet marmor, ejusque adnotatio :

Fani in arcu semidiruto convulso
tormentis bellicis bello Pii II. contra
Fanenses. MCCCCLXII.
DIVO AUGUSTO PIO CONSTANTINO PATRI
DOMINORUM.

Subsequitur in medio marmore ac infra quidquid apud Gruterum invenitur. Positum Augusto prius fuerat marmor; tum, uti frequenter contingit, eidem marmori copulata est altera inscriptio, quam Turcius Secundus Asterius Constantino Magno dicatam voluit. Alii fuere Turcii Aproniani, aut Asterii, **801** quos in laudato numquam satis opere Norisiano videre licet. Ibi ex antiquissimo Mediceæ bibliothecæ Vergiliano codice exhibetur inscriptio Turcii Rufii Aproniani V. C., qui consul anno Christi 494 processit, propria ejusdem Turcii manu elaborata. Redeamus nunc ad Turcium nostrum. Hunc ita Paulinus commendat :

Apronianum Turciæ gentis decus
Ætate puerum, sensibus carnis senem,
Veteri togarum nobilem prosapia,
Sed clariorem Christiano nomine,
Qui, mixta veteris et novi ortus gloria,
Vetus est senator curiæ, Christo novus.

Igitur senatorum albo inscriptus erat Turcius iste, et nuper Christianam religionem fuerat professus. Hanc suam ad Christum conversionem debuit Apronianus Melaniæ senioris pietati, quæ illum a gentibus in Christi ulnas adduxit. Auctorem hujus rei Palladium habeo in Hist. Lausiaca, cap. 118, ubi de seniore Melania Hierosolymis Romam reversa his verbis agit : *Atque illic quidem cum esset, beatissimum virum, magnæque existimationis clarissimum Aprianum* (legendum est *Apronianum*) *qui erat gentilis, catechesi instituit, et Christianum effecit.* Romam rediit Melania anno 397 ex Baronii Pagiique calculis : igitur post illud tempus ethnicismo Apronianus valedixit. Erat autem hic inter paucos Rufini Aquileiensis amicus, quam familiaritatem Melaniæ senioris ac junioris officia conciliaverant, apud quas Rufinus primas honoris et existimationis tenebat. Hinc illius fautor effectus pravis etiam illius doctrinis animum obstrinxerat. Anno Domini 399 ad Pammachium et Oceanum Epistolam Hieronymus conscripsit, ubi quasdam Rufini sententias calumniasque castigavit. B *Verum*, ut lib. I, cap. 2, Hist. Pelag., ait em. Norisius, *statim ac Hieronymi litteræ Pammachio redditæ sunt, earumdem exemplar Apronianus, qui in Rufini rem vigilantissime incumbebat, Aquileiam ad magistrum transmisit.* Ad hæc Rufinus duos e vestigio libros invectivarum in Hieronymum elucubravit, quos Aproniano nostro inscripsit. Sic autem incipit : *Perlegi scripta tua, Aproniane carissime, quæ ab amico et fratre bono* (hoc est Hieronymo) *de Oriente ad virum nobilissimum Pammachium missa transmisisti ad me.* Nunc videamus quæ ejus uxor. Palladius in Hist. Laus., cap. 134, hanc nobis notitiam servavit : *Vidi etiam*, inquit ille, *beatam Avitam Deo dignam cum ejus marito Primiano.* Ita in libris editis; at corrigendus locus, et pro *Primiano* legendum *Aproniano.* Heraclides in Paradiso, qui liber paucis mutatis idem est ac Historia Lausiaca Palladii, cap. 39, ita scribit : *Avitam aliquam Deo dignam cum Apreniano quodam ipsius viro, et filia eorum Eunomia vidi.* Et hic C error in nomine, ac legendum *Aproniano*, non *Apreniano.* Igitur Avita Paulino æque præsens, de qua sermonem inferius habebo, Aproniani conjux erat. Ex ista duos ille susceperat natos, Eunomiam videlicet, ac Asterium puerum. De hoc primum videamus.

DISSERTATIO SECUNDA.
DE ASTERIO TURCII APRONIANI FILIO.

802 Certe hic Asterius a Turcio Aproniano distinguendus, tum ut numerus verificetur quem exhibet eo versu Paulinus :

Ergo novem cuncti socia cum prole parentes,

tum quia expresse id asseritur superioribus verbis :

Cum patre Paulino pater æque Turcius iste est,
Sed me ætas, soboles hunc facit esse patrem.

Erat quidem Turcio soboles alia, nempe Eunomia, sed illam Avitæ matri Paulinus primum adscripserat :

Matribus his duo sunt tribus uno pignora sexu,
Flos geminus, Melani germen, et Eunomia.

D Itaque Turcii Aproniani filius erat Asterius, cognomine utique gentis Turciæ proprio. Expressius vero infra id a poeta repetitur, postquam de Piniano filio suo in Christo egit his verbis :

Ast aliud mihi par lumen in Asterio est.
Quem simul unanimes vera pietate parentes
Infantem Christo constituere sacrum.
Ut tamquam Samuel primis signatus ab annis
Cresceret in sanctis votus alente Deo.
Hunc puerum et fratrem fecit pia gratia patri.
Nam pariter sancto flumine sunt geniti,
Quos natura gradu diviserat, hos Deus almo
Munere germanos in sua regna vehet.

Vides hic Asterium memorari, qui una cum parente Turcio Aproniano, sacro baptismatis fonte fuerat ablutus. Neque id quidem multo ante factum fuit, quod Asterii ætas non patiebatur, et observata nuper de Turcio non ferunt, qui dicitur *vetus senator curiæ, Christo novus, qui novi ortus gloria* longe clarior evaserat. De hoc item Asterio forsan intelligendus ille versus :

Turcius ore pio, florente Suecrius ævo.

Turcius pater primum refertur, dein filius, qui Suecrius etiam appellatur, nisi Pinianum potius hoc nomen respiciat. Fateor cognomen istud satis peregrinum apud Romanos illo ævo fuisse, unde in suspicionem depravati textus facile trahor. Fortasse *Syagrius* legendum est, quod librarii nullo negotio in *Suecrius* convertere potuerunt; hujusque cognominis A duos consules habemus in Fastis anno 381 et 382. Gentem quoque Syagriam *Ecclesiæ thesaurum* appellat Ennodius in *Epiphanio*. Laudatus cardinalis Norisius in Cœnotaph. Pis., Diss. 4, cap. 2, § 1, Idacium laudat in Chronico ad annum imperii Honorii 26, hoc est æræ nostræ 420, et ad annum 17 Valentiniani Tertii, nempe 440, iterumque Renatum Profuturum apud Gregor. Turon. lib. I Hist. Franc., qui duos Asterios memorant sub Honorio, ejusque successore Valentiniano, magisterio utriusque militiæ in Hispania perfunctos. Alius item Asterius anno Christi 449 consul in Fastis legitur. At neminem ex his Asterium nostrum fuisse mihi lubenter suadeo, quippe a teneris, ut aiunt, unguiculis Deo sacratus a parentibus iste fuerat, ac sacerdotalem nutriebatur ad honorem, quemadmodum superius e Paulino didicimus.

DISSERTATIO TERTIA.

DE AVITA AC EUNOMIA.

803 Turcii Aproniani conjux erat Avita, ejusque filii fuere Asterius supra memoratus, ac Eunomia. De illa sic scribit Paulinus :

Jungitur huic germana jugo, ut sit tertia princeps
Agminis hymnisonis mater Avita choris.

Palladius in Lausiaca Historia, cap. 134, hanc mulierem beatam vocat, feminisque vitæ sanctitate illustribus accenset. Sunt ejus verba : *Vidi etiam beatam Avitam Deo dignam cum ejus marito Primiano* (legendum est, ut supra dixi, *Aproniano*) *et eorum filia Eunomia in omnibus Deo bene placentes, ut aperte facile traducti fuerint a dissoluta et voluptaria vita ad honestam et continentem vitæ institutionem; in his quoque digni habiti, ut in Christo dormirent, ab omni quidem peccato liberi, perfecte in certamine decertantes, in bona memoria vitam suam relinquentes.* Idem Palladius, cap. 118, quum a Melania seniore Apronianum fidei Christianæ redditum retulisset, hæc addit : *Persuasitque eumdem, ut contineret etiam cum sua uxore, ejus autem sorore, Avita nomine.* Hinc discimus, Avitam senioris Melaniæ fuisse sororem, ac post ejus monita continentiam servasse. Nisi hic Palladii locus obstaret, *germanæ* vocabulum apud Paulinum ita explicassem, ut soror Albinæ supra memoratæ diceretur Avita; sed intelligere cogimur inde aut affinitatem quæ illi cum Albina intercedebat, aut B ætatis morumve inter easdem similitudinem, quam multiplicem interpretationem patitur vocabulum istud. Quum vero Melania senior anno Christi 397 Romam redierit, Avitam ac Turcium continentiam amplexos post illud tempus fatendum est, propterea-que Eunomiam et Asterium illorum filios ante memoratum annum in lucem prodiisse. Heraclides in Paradiso iisdem verbis ac Palladius Avitam describit: *Avitam*, inquit, *aliquam Deo dignam cum Apreniano* (lege *Aproniano*) *quodam ejus viro, et filia eorum Eunomia vidi adeo placentes Deo, ut transferri ad cœlestem vitam ante conspectum ipsius mererentur. Et ipsi enim jam ultimo fine naturæ nunc in Christo quiescunt, qui peccatorum quidem omnium nexibus absoluti sunt, divinarum autem rerum peritiam atque notitiam semper habuerunt.* Constat igitur ex dictis Eunomiæ parentes Turcium ac Avitam fuisse. De illa sic loquitur Paulinus :

Et simul Eunomia æternis jam pacta virago
C In cœlo thalamis, quam matris ab ubere raptam
Festino placitam sibi Christus amore dicavit.

Illam inferius itidem memorat. Animadversione vero dignum in primis est quod hic innuit Paulinus, videlicet Eunomiam ac Asterium pueros ab infantia dicatos Christo, quem veterum Christianorum morem in notis aliquantulum illustravi.

DISSERTATIO QUARTA.

DE ALBINA.

804 Celeberrima quoque apud veteres habita est Albina tum natalibus, tum sanctitate femina præstans. Primum videamus quid Paulinus de illa ferat:

Prima chori Albina est cum pare Therasia.

Et inferius :

Famulos Christi loquor istos,
Par illustre Deo, par nobile nomine Christi
Albina cum matre tuis modo finibus ortos.

Hujus præclarissimæ feminæ parentes clariss. cardinalis Norisii ingenio innotuere; quum enim in Actis S. Melaniæ junioris die 31 Decembr. apud Surium exhibitis Melaniæ θεῖος, hoc est avunculus, Volusianus dicatur : præstantissimus auctor inde Albinam eduxit Rufii Ceionii Albini filiam, qui Rufii Ceionii Volusiani frater fuit, ideoque in Ceioniam gentem referendam hanc illustrem mulierem censuit. Hæc ab illo eruditissime animadversa in quodam opusculo. De Rufio Volusiano inscriptionis fragmentum ineditum non pigebit e meis mss. schedis libatum apponere, quod etiam in justo ineditorum marmorum corpore, Deo favente, brevi per me referetur. Exstat illud in Lateranensis basilicæ pavimento Romæ :

D RUFIUS. VOLUSIANUS. V. C. X. VI.
RUFIUS. FESTUS. V. C. XV. SEPT.
SEBASMIUS PHILOS
. . . . PONT. M.
BRITTIUS. PRÆSENS. V. C. P. M.
EVACRIUS. PHILOSOPUS . . .
FL. ATTICUS. V. C. . . . . .

Melania senior femina perillustris, marito e vivis sublato, unicum reliquæ proli superstitem vidit filium, quem Poblicolam (an recte nescio) appellat Chiffletius V. C. e soc. Jesu. Crevit iste, eximiam in Urbe nactus existimationem, opibusque clarus inter primos evasit. Omnia hæc Paulino debemus in ep. 10 ad Severum, ubi multa de Melania ejusque nato habet. Albinam iste dein conjugio sibi copulavit : unde etiam æstimare facile possumus quanta hæc nobilitate polleret, quæ virum nobilissimum et consulibus avis illustrem, maritum fuerit nacta. Hisce ex nuptiis profecta est Melania junior, quæ Nolæ itidem ade-

rat, et de qua sermo infra erit. Huic Melaniæ, ut Metaphrastes docet apud Surium die 31 Januarii, *fuit genus clarissimum, erant enim ejus parentes primi senatus Romanorum.* Itaque vides et ex his verbis, quam illustria cunabula sortita fuerit sancta mulier Albina, de qua modo inspiciamus quid Palladius retulerit. Hic in Hist. Laus., cap. 118, ita loquitur de seniore Melania agens : *Cum autem suam quoque neptem confirmasset Melanium una cum ejus marito Piniano, et catechesi instituisset Albinam nurum suam, uxorem autem filii sui, et persuasisset his omnibus vendere quæ habebant, Roma eos eduxit, et ad honestum ac tranquillum vitæ portum deduxit.* Cap. vero 120 de Melania senioris nepte verba faciens subdit : *Habebat autem secum* **805** *quoque matrem Albinam, quæ similiter exercetur, et similiter rursus seorsum dispergit suas pecunias.* Eadem repetit Heraclides in Paradiso, cap. 42, his verbis : *Confirmatos hos ergo simul, hoc est Melaniam neptem suam, et Pinianum ejus maritum, Albinam quoque cum ipsis nurum suam, hoc est uxorem filii sui, per omnia docuit.* Erat igitur Albina Melaniæ senioris nurus, quippe quæ ejus filio nupserat, ac juniorem Melaniam pepererat. Arcta hæc sanguinis conjunctio in causa fuit quod contubernium animosque semper junxerint Albina, Melania junior, ac vir istius Pinianus. Conjunctim idcirco hi omnes peregrinationem in Africam instituerunt, quam etiam memorat Metaphrastes in Act. S. Melan. 31 Januar. apud Surium. Potior itineris scopus fuit Augustinum invisere Hippone degentem. Ibi Pinianus turbas non paucas perpessus, quum illum Hipponenses ad sacerdotium amplectendum omnino cogere vellent. Hinc S. Augustinus litteras ad Albinam Tagastæ morantem dedit, quibus popularem impetum excusat, seque in primis apud illam purgat. Est hæc epistola 225 in edit. Antuerp. Aliam quoque dederat S. doctor epistolam (quæ est 227) ad *Albinum, Pinianum et Melaniam*, qua se excusarat quod eos convenire nondum potuerat. Hæc secundum magnum parentem Annalium acta anno 409, seu serius, ut quibusdam videtur. Aliam etiam peregrinationem hi tres egregii comites suscepere Hierosolymam, ubi S. Hieronymum salutarunt; qui, eodem tempore Alipio et Augustino rescribens epist. 79, addit : *Sancti filii communes Albinus, Apinianus et Melania plurimum vos salutant.* Rosweydus in notationibus ad Vit. Patr., pag. 1005, ad Albinæ hujus nomen hæc apponit : *De ea D. Hieronymus in variis epistolis.* Sed parum recte; istam enim Albinam cum Albina Marcellæ matre confundit; quod tamen cavendum monuerat Baronius ad ann. 408. Vidisti supra in epist. 227 Augustini, et nunc in prælaudata Hieronymi epistola *Albinum* pro *Albina* dici. Baronius Albinam reponens corrigendos ait co-

A dices; ac Rosweydus, pag. 703, in not. ad Vit. Patr., haud necessariam arbitratur hanc restitutionem, quandoquidem tum temporis feminarum nomina etiam terminationibus masculinis efferri solebant : quod Melaniæ exemplo probat, quæ *Melanium* quandoque dicebatur. Pace viri tanti mihi hæc sententia non sedet; dispar enim ratio, et dispar nominis origo. Latinis nominibus non adhæsit hic suus, sed quidem Græcis Latio illatis. Donatus Grammaticus, lib. v de Gener., *Sunt alia*, inquit, *tono neutra, intellectu feminina, ut Phronisium, Glycerium, Sophronium, quæ mulieres sunt.* Priscianus etiam lib. v nomina feminarum desinere in *um* asserit, ut *Glycerium mea, Dorcium, et Philotium.* Hæc quidem omnia feminarum nomina, sed originem Græcam unaquæque sortita. Albina vero vocabulum Latinis e fontibus manans in Albinum converti non sine audacia, ac non sine patentis amphibologiæ periculo potuit. Licuit id Græcis, at Latinis minime. Deinde nomina in exemplum B adhibita tantum neutrius generis terminatione efferuntur; Albina vero masculinorum ad instar, ut pateat nullam inter eadem nomina institui posse comparationem. Sciendum porro est Albinæ nomen lepidissimum primo, dein acre bellum inter **806** maxima ingenia excitasse. Scripserat olim em. Norisius, in celeberrimo opere de Hist. Pelag., libri Augustiniani *de Gratia Christi* inscriptionem non esse corrigendam, ubi legitur : *Albine, Piniane, et Melania.* Rosweydi vestigia secutus. P. Macedus vir magni nominis, et spissorum voluminum scriptor, in quo tamen judicium non raro desideres, adversus clarissimi Norisii sententiam insurrexit, et pro Albino non Albinam junioris Melaniæ matrem intelligendam censuit, sed *virum aliquem, aut patrem, aut socerum, aut patruum, aut avunculum Piniani, aut clericum quemdam*, et quid non somniavit? Certe ibi Albinam nostram designari invictissimis argumentis evicit idem amplissimus cardinalis in duobus opusculis hac de re confectis, quibus et ego alia ope S. Paulini aggerere C possem. Unum animadvertisse sufficiat, ipsum nempe em. scriptorem alicubi scribere, in duobus mss. Mediceis Hieronymi epistolam superius laudatam ita se habere : *Albina, Apinianus, et Melania salutant vos*, quod et mihi observatum in quodam ms. Ambrosianæ bibliothecæ. Apud Augustinum ita quoque legendum nos docet Possidius eidem sancto synchronus; ejus enim opera recensens epistolam ita inscriptam refert : *Albinæ, Piniano, et Melaniæ.* Quin et *Albinam*, non *Albinum*, cl. PP. Benedictini in egregia S. Augustini editione annis proxime præteritis instructa legunt, eamque lectionem quorumdam mss. auctoritate firmant. Igitur non Albinus, sed Albina, legendum ubique, et Baronio emendanti acquiescendum.

DISSERTATIO QUINTA.

DE THERASIA.

In optimo codice, unde S. Paulinum redivivum feci, ita sunt distincta verba, ut legatur *compar et hærasia.* Sed quænam est hæc Hærasia? Ego hujusmodi feminæ mentionem nusquam invenio. Emendandus itaque codex, et sic legendum : *compare Therasia*, aut *cum pare Therasia.* Similem Paulini versum habeo in epist. 12 ad Severum, ubi ait :

Post longa revelat
Secula Protasium cum pare Gervasio.

Erat hæc Paulini nostri fida ac piissima conjux in seculo, quæ cælibatum postea una cum illo professa sibi castæ ac religiosæ vitæ elegerat institutum, viro presbyteratus munia sancte relictura. Idacius in Chronico ad annum Honorii 30 hæc habet : *Paulinus nobilissimus et eloquentissimus, dudum conversione ad Deum nobilior factus, vir apostolicus, Nola Campaniæ episcopus habetur insignis, cui Therasia de conjuge facta soror, testimonio vitæ beatæ æquatur, et merito.* En ut ejus castitatem extollit Idacius, quum *de conjuge* illam Paulini *sororem* effectam asserit. Gennadius quoque de Script. eccles. epistolarum plurium D meminit, quas *ad sororem de contemtu mundi* Paulinus scripsit. Hanc autem sororem non aliam forsan fuisse quam conjugem Therasiam autumo, ad quam etiamnum carmen hac de re extat S. Prospero male a **807** quibusdam codicibus adjudicatum. Hispanam vero sanctam hanc fuisse mulierem conjicio, quum ibi in Paulini connubium cesserit. Sic ipsemet sanctus de se canit :

Trans juga Pyrenes adii peregrinus Iberos.
Illic me thalamis humana lege jugari
Passus es, ut vitam commercarere duorum,
Perque jugum carnis duplicata salus animarum
Dilatam unius posset pensare salutem.

Inferius vero innuit commune sibi cum Therasia susceptum castitatis votum :

Tu carnea nobis
Vincula rupisti.

Hæc autem piissima mulier tempore quo Natalis hic

recitatus fuit, imo et serius, in vivis fuit. Id ex ejusdem Paulini epistola 44 ad S. Augustinum elicitur, quæ utriusque nomen, hoc est Paulini ac Therasiæ, inscriptum habet, et anno Christi 416 et quod excur- A rit data est, ut Chiffletius part. 2, cap. 34, recte probat. Igitur anno 406 Therasia vivens Paulino, dum hæc recitaret, aderat. Vide Sacchinum in Vita hujus sancti, ubi plura de Therasia.

DISSERTATIO SEXTA.

DE PINIANO.

Celebre istius nomen est in ecclesiastica historia. Ejus tamen res gestas quam brevissime licebit expediam. Piniani familiam præclarissimam fuisse testatum nobis Paulinus reliquit, nam a Valerio Poplicola, qui inter primos Urbis consules numeratur, prodibat. Valeriæ genti igitur Pinianus fuerat adscriptus. Paulinum audire juvat :

Huic propinquat socius æquali jugo,
Ævo minor Pinianus, par fide,
Et ipse prisco sanguine illustris puer,
In principe Urbe consulis primigenus.
Valerius ille consulari stemmate
Primus Latinis nomen in fastis tenens,
Quem Roma pulsis regibus Bruto addidit,
Valerii modo hujus Christiani consulis
Longe retrorsum generis auctor ultimus.

Audis Pinianum *primigenum*, hoc est primogenitum consulis cujusdam dici? Hoc idem asseritur in Melaniæ junioris Vita apud Surium 31 Januar. his verbis : *Erat autem ejus sponsus et genere, et ætate, et aliis omnibus cum Melania conferendus, natus quidem ex consulibus, et modo excedens ex ephœbis. Sponsi autem nomen erat Apenianus* (hoc est *Pinianus*) *agens annum circiter decimum septimum.* Sed quis iste consul? Utique me in tenebris derelictum fateor. Fasti silent, scriptores ne verbum quidem. Palladius tamen in Vit. Patr., cap. 119, *Pinianum* asserit *Severi filium, qui erat ex præfectis* (legendum potius *expræfectus*). Heraclides quoque in Paradiso, cap. 49, *Severi expræfecti filium* appellat. Contra laudatus auctor Vitæ S. Melaniæ Severi fratrem facit; sic enim loquitur : *Sed gravem quidem adversus eos machinam Apeniani* (scilicet *Piniani*) *fratrem admovet Severum, per quem existimabat sese solidæ eorum mentis turrim esse labefacturum. Hic ergo Severus cum esset frater, factus erat inimicus.* **808** Idem etiam inferius repetit. Ego rem ita conciliari posse arbitror, si Pinianum dicamus de patre Severo, atque ex hoc Severo Severum alterum Piniani fratrem prodiisse. Quum igitur familia Valeria Pinianum protulerit, sequitur ut ejus pater Valerius Severus fuerit nuncupatus, sicuti etiam frater, nomine tantum seu prænomine utrosque distinguente. Sed iterum in incerto versari me doleo, quum nusquam Valerium Severum consulem hisce temporibus nanciscar. Quapropter affirmandum duco, Piniani patrem non ordinarium, sed suffectum aut honorarium consulem fuisse renuntiatum. Quo posito, nil mirum si ejus nomen oblivioni traditum. Memoratur apud Gruterum quidam L. Valerius Severus, pag. 49, num. 4, et pag. 566, num. 6. Sed cum hoc Severo nescio an quid negotii habeat. Adnotavi in Diss. 2 de Asterio corruptum esse versum illum :

Turcius ore pio, florente Suecrius ævo.

et conjectura prolata *Syagrius* legendum censui, quum soni cognatione hæ litteræ commutari inter se facillime potuerint. Quid si in eo versu Pinianus intelligatur, cognomenque etiam Syagrii vir nobilissimus gesserit? Forte patrem ejus consulatu ordinario illustrem fuissemus nacti; anno siquidem Christi 381 et 382 Syagrii duo (et quidem inter se distincti, ut vult cl. Pagius in proleg. ad Diss. Hypat. num. 27) hujusmodi munere sunt aucti. Quod si verum foret, *Valerius Syagrius Pinianus* appellandus esset, et ex iis consulibus alter in ejus patrem admittendus. Quum tamen multa obstare posse conjecturæ huic non ignorem, monuisse tantum mihi sit satis; meliora ab aliis argumenta expectentur. His visis profecto patet Pinianum nostrum Valerium quoque fuisse nuncupatum. Magnus annalium parens Baronius ad an. Ch. 485 ex codice Vaticano litteras Valentiniani imp. profert ad Pinianum Urbis præfectum super Syricii summi pontificis electione scriptas. Eidem Piniano inscriptæ sunt lex 13 de Medicis et Professoribus cod. Theod. data an. 387, lex 4 cod. Th. de Principib. agent. in reb. eodem anno data, et lex 13 cod. Th. de Privileg. eor. qui in S. Pal. mil. anno 386 promulgata. Hunc Pinianum Baronius, et Gothofredus in Animadvers. ad hasce ipsas leges eumdem arbitrantur ac nostrum, nempe Pinianum junioris Melaniæ maritum, quod idem repetit celebris hic juridicus in B Prosopogr. cod. Theodos. Sed parum solide opinari tantos viros evincam. Ante Maium anni 399 e vivis excessit Poplicola (uti eum vocat Chiffletius) Melaniæ junioris pater, ac Piniani socer, uti egregie in quodam opusculo probat clariss. card. Norisius. Scriptor vero Vitæ S. Melaniæ eamdem narrat una cum conjuge Piniano de vita cælibe ineunda cogitasse, sed a Melaniæ parente proposito tam sancto obviam itum. Subdit auctor ille : *Eis quidem e vivis excedit Melaniæ pater; illi vero, cum amotus esset is qui prohibebat, quando Deo visum est, et tempus vocabat, statim quidem exeunt a magna civitate, urbanam multitudinem, et tumultus valere jubentes. Eis autem quando hanc angelicam incœperunt vitæ formam, ætas erat, Apeniano quidem 24 annorum, Melaniæ autem 20.* Igitur si ab anno Ch. 399 sex annos retro numeres, quibus Piniani cum uxore matrimonium stetit, venies ad annum 393, quo ipse Melaniæ nupsit, **809** *agens*, ut ait idem scriptor, *annum circiter decimum septimum.* Rursus ab anno 393 retro excurrens ad an. C 385, quo Urbanam præfecturam gessisse censetur, Piniano tum fuisse novem circiter annorum ætatem manifeste deprehendes. Quam igitur improvide Pinianum nostrum Urbis præfectum Baronius et Gothofredus effecerint, nemo non videt. Urbis præfectura grandis erat moles, tenerosque respuebat humeros, uti videre est apud Guid. Pancirol. in not. Utriusque imp., et apud eumdem Gothofredum in Notitia dignitatum. Id quoque ex Paulini silentio suaderi potest; cur enim Pinianum laudaturus, atque ut laudet omnia componens, hunc ejus honorem insalutatum præteriisset? Sed inquies : Quis ille Pinianus Urbana præfectura clarus? Me nescire lubenter fateor; nostri Piniani tamen consanguineum, et fortasse patrem fuisse cur non credamus, quum Heraclides Pinianum *Severi expræfecti filium* vocet, ac Palladius *Severi filium, qui erat ex præfectis?* Severus autem iste Piniani cognomentum usurpare potuit; quod mirum in modum probare mihi videntur Paulini verba di- D centis :

Piniadæ Melani cum fœdere par benedictum.

Hoc certe *Piniadæ* vocabulum Pinianum denotat Piniani filium ad patronymicorum nominum normam. Vidimus igitur Pinianum sibi matrimonio copulasse juniorem Melaniam. Sex autem annos simul connubium tenuere, post quos continentiam amplexi, vastisque renuntiantes opibus, quibus omnes præter unum Imperatorem vincebant, pauperum subsidio universa dicarunt. Hæc tum Palladius, tum Auctor Vitæ S. Melaniæ produnt, apposite ad ea quæ Paulinus canit :

Et in hoc parentis aliquid illius refert
Puer iste Christi consulatum militans,
Quod liberandis consulens munus pium
Redemptionis opere dispensat Deo.
Nam et libertorum plurimis cervicibus
Servile sanctis opibus expellit jugum,
Quos ære vinctos in tenebris carceris
Absolvit auro de catena fœnoris.

Reliquas vero Piniani V. C. res gestas, quomodo Tagastam profectus, turbas populi eum sacris initiatum volentis fuerit expertus, quomodo Hierosolymam, ac dein Constantinopolim peregrinationem instituerit, penes Baronium invenies an. Ch. 409, 419, nisi quod errores Annalium aliquot in chronologia patrati ex Historia Pelagiana Norisii cardinalis clarissimi sunt emendandi. Unum addere lubet, nempe *Apenianum* a quibusdam, ab aliis *Alpinianum*, et a nonnullis *Pimanum* appellari virum hunc nobilissimum. Sed falluntur omnes. Verum ejus nomen Pinianus fuit, quod apertissime Paulinus exprimit, dum A super ejus nomine ludens pino eum comparat. Sic autem ait :

> Nam puer hinc, Melani conjux, in corpore Christi,
> Cui Deus a pinu nomen habere dedit,
> Natus ut æternæ vitæ puer arbore ab illa
> Susciperet nomen, quæ sine fine viret.
> Pinus enim semper florente cacumine perstat.

Augustinus ita carum habuit Pinianum, ut illi duos dicaverit libros adversus Pelagianos. Hieronymus etiam amicissime illo est usus, ac idcirco virum sui temporis clarissimum appellare fas erit. Nunc ad eius uxorem Melaniam nos recipiamus.

DISSERTATIO SEPTIMA.

DE MELANIA.

810 Melaniæ seniori illustri feminæ unicus fuit filius. Poblicolam Chiffletius vocat. Hic Albinam uxorem duxit, et ex illa Melaniam suscepit, quæ propterea *junior* appellatur, neptis nempe Melaniæ senioris. Piniano V. C. hæc postea in uxorem cessit, et fida comes ejus lateri semper adhæsit. Adeo præclaræ feminæ in sanctorum album relatæ Vitam scriptis consignavit anonymus apud Surium die 31 Januarii, apud quem mirandæ illius virtutes sunt recolendæ. Tanto continentiæ amore flagravit, ut ab ipsis nuptiis viro eamdem persuaserit; sed post annos tantummodo sex voti sui compos est facta. *Eis autem*, inquit laudatus auctor, *quando hanc angelicam incœperunt vitæ formam, ætas erat, Apeniano quidem* (scribe *Piniano*) *viginti quatuor annorum, Melaniæ autem viginti*. Anno Ch. 399 sanctum hoc propositum Melania implevit; eo siquidem anno ejus pater vivere destitit, qui piis conjugum votis semper obstiterat. Id in superiori Diss. innui; nunc autem ut anachronismum tollamus cl. viri Jo. Baptistæ le Brun, qui postremam operum S. Paulini editionem adornavit diu a me quæsitam, et nondum obtentam, in emortualem annum patris Melaniæ diligentius inquirendum duco. Ejus obitum expressit S. Paulinus ep. 44 ad S. Augustinum, a quo deinde responsum accepit, nempe epistolam 250 in qua in primis hæc animadvertenda scribit magnus Doctor : *Proinde ad istam lætitiam, quæ vobiscum est, frater Possidius, cum ex ipso audieritis quam tristis eum causa compulerit, hoc me verissime cognoscetis*, etc. Tristis causa, quæ Possidium episcopum ad navigandum in Italiam compulit, traditur ab eodem Augustino in ep. 202 ad Nectarium. Ethnici Calamæ in Numidia degentes Possidium ipsum inibi episcopum impetu facto ad necem quæsiverant : quod facinus scribit Augustinus perpetratum *adversus recentissimas leges* contra paganos ab imp. Arcadio et Honorio latas. Leges porro, quarum meminit Augustinus, promulgatæ fuerunt XIV *Kal. April. Manl. Theodoro cos.*, hoc est an. Ch. 399, ut idem testatur lib. XVIII de Civ. Dei, cap. 54, et a cod. Theodosiano docemur. Rursus ex Augustini epist. ad Nectarium 254 tempus navigationis Possidii elicitur; ibi enim ait : *Nam ego rescripseram, cum adhuc nobiscum esset, neque navigasset sanctus frater et coepiscopus meus Possidius. Has autem, quas mei causa illi dignatus es reddere, accepi* VI *kal. April. post menses fere octo, quam scripseram*. Igitur Possidius post kal. Junias, quo tempore adversus ipsum ex Augustino discimus tumultum fuisse excitatum, an. Ch. 399 in Italiam transmiserat, et Africam altero anno ante VI kal. Apr. repetierat. Augustinus itaque epistolam 250 ad Paulinum rescripsit an. 399, quo eodem Paulinus epistolam ad ipsum dederat quadragesimam quartam, obitumque patris Melaniæ nostræ denuntiarat. Hæc eruditissime ab amplissimo card. Norisio in quodam libello observata. Ad annum ergo 399 referenda est epistola laudata Paulini, non ad 409, uti arbitratus est recens Paulini illustrator Brunius. Quamobrem eodem anno 399 Melania ac **811** Pinianus continentiæ votum suscepere. Tum ingentibus in pauperes distractis opibus, uterque sacris peregrinationibus animum addicunt. Primo Nolam ad Paulinum, deinde in Siciliam, post in Africam, ac demum Hierosolymam atque Constantinopolim pergunt. Hæc eorum gesta a Baronii Annalibus petenda. Quod ad ejus nomen spectat, modo *Melania*, et modo *Melanium* nuncupari video. Si Rosweydo fidem habemus in prælud. ad Palladii lib., pag. 703, et in notis ad ep. 44 Paulini, *Melanius* quoque est appellata. Sed eruditissimi scriptoris sententiam non probo. Etenim ubinam hoc nomen præterquam neutrius aut feminini generis terminatione usurpatum invenit? Μελάνιον apud Græcos, et apud Latinos *Melanium* tantummodo occurrit. Paulinus in ep. 44 de seniore Melania ait : *Nihil possim de beata hujus filii matre, et sanctorum pariter radice ramorum Melanio melius aut sanctius prædicare*. In ep. 12, ut mss. præferunt :

> Hoc Melani sanctæ delatum munere Nolam.

In Nat. XIII sæpe repetit :

> Flos geminus Melani germen, et Eunomia.
> Nam puer hinc Melani conjux in corpore Christi.
> Piniadæ Melani cum fœdere par benedictum.

Augustinus quoque epistolam 227 ita inscribit : *Carissimis fratribus Albinæ, Piniano et Melanio*. Palladius quoque hunc titulum præfert cap. 117 : Περὶ τῆς μακαρίας Μελανίου, *De beata Melanio*.

DISSERTATIO OCTAVA.

DE ÆMILIO.

Tandem ait Paulinus : *Æmilius veniat decimus*. Vivebat hisce temporibus, hoc est an. Ch. 406, Æmilius vir piissimus ac, uti illum appellat Metaphrastes in Vita S. Johannis Chrysostomi, episcopus Beneventanus. Ughellus hinc illum retulit inter Ecclesiæ Beneventanæ antistites. Maxima isti cum Paulino familiaritas intercessit, atque idcirco eumdem his versibus innui nemo negabit. Anno 405, ut scribit Baronius, legationem Constantinopolim suscepit Æmilius in causa S. Johannis Chrysostomi, quo Innocentii papæ aliorumque epistolas tulit. Theodorus diaconus Ecclesiæ Romanæ in Dialogo apud Palladium ita ait : *Acceptis igitur sancti viri Æmilius, et Cythegius, et Gaudentius episcopi una cum Valentiano Bonifacioque presbyteris, imperatoris Honorii, et papæ Innocentii, et Italiæ episcoporum Chromatii Aquileiensis, et Venerii Mediolanensis, ac reliquorum episcoporum epistolis, una et commonitorio concilii totius Occidentis, conditionibus publicis Constantinopolim concessere*. Similia item habet Metaphrastes in prælaudata Chrysostomi Vita. Verum non minus ex hujusmodi legatione celeber Æmilius evasit quam ex Paulini nostri

carminibus. Julianus Memoris Capuani episcopi filius, qui postea petulantissimus acerque Pelagiani dogmatis propugnator est factus, et in S. Augustinum aculeatis debacchatus est libris, uxorem Iam duxerat. Has nuptias præsentia sua honestavit una cum Memore Juliani parente Æmilius episcopus, et Paulinus eleganti epithalamio cecinit. Inter alia sic loquitur noster :

812 Quis procul ille hominum placidis se passibus adfert,
Plurima quem Christi gratia prosequitur?
Quem benedicta cohors superis circumdat alumnis,
Angelici referens agminis effigiem?
Nosco virum, quem divini comitantur odores,
Et cui sidereum splendet in ore decus.
Hic vir, hic est Domini numeroso munere Christi
Dives, vir superi luminis Æmilius.

Quo tempore Paulinus hoc epithalamium recitarit, ambiguum plane est, mihique facilius erit alienam confutare, quam meam statuere sententiam. Emin. card. Norisius lib. I, cap. 18, Hist. Pelagian. Julianum nuptiis mancipatum censet postquam Æmilius e Constantinopolitana legatione suæ restitutus est sedi, quod in annum forsan 407 incidit. Garnerius quoque V. C., in Diss. 2, cap. 6, ad Marium Mercatorem, rem an. 408 peractam asseruit, neque sectatoribus hujusmodi sententia caret. Verum ante an. Ch. 399 Julianum Iæ connubio addictum fuisse pene certum habeo. Quum memoratum carmen Paulinus cecinit, clericus erat Julianus, interque lectores numerabatur; inquit enim sanctus poeta :

Clericus uxorem Christo comente decoram
Diligat, et pulchram lumine cordis amet.
Auxilioque viri divino munere factam
Lector cœlesti discet ab historia.

Julianus deinde, aut sublata e vivis uxore, vel ex mutuo consensu ab eadem sejunctus inter diaconos nomen suum dedit. S. Augustinus ad Memorium ejusdem Juliani patrem in ep. 131 ait : *Nam superiores quinque vix filio nostro et condiacono Juliano (quoniam et ipse jam nobiscum commilitat) lectione et cogitatione digni videbuntur*. Hoc autem quo anno scriptum a S. Augustino fuerit, ejusdem epistolæ verbis exploratum redditur : *Nimis autem*, inquit, *ingratum ac ferreum fuit, ut te, qui nos sic amas, hic sanctus frater et collega noster Possidius, in quo nostram non parvam præsentiam reperies, vel non disceret, vel sine litteris nostris disceret.* Possidium in Italiam ex Africa transmittentem litteris suis Augustinus instruxerat, ut in ipsius Memoris sive Memorii familiaritatem concederet. Porro navigavit iste post idus Junias an. 399, uti in superiori Dissertatione satis ostendi. Igitur ante hunc annum Julianus non nuptias modo cum Ia celebrarat, verum etiam ab iis solutus diaconatus muneri sese obstrinxerat. Hinc videas quam parum bene Garnerius in laudato libro Æmilium e vivis sublatum, antequam epithalamium Paulinus pangeret, poeticaque fictione præsentem nuptiis Juliani a sacro vate confictum fuisse arbitretur. Et quamquam, si carmina consulantur, hujusce somnii statim fundamenta subsidant, adhuc e nostris calculis male sibi constare eruditissimi viri sententia deprehenditur, quum Æmilium etiam post hujusmodi nuptias vixisse e Paulino doceamur. Em. card. Norisius in præclarissimo opere Hist. Pelag., l. I, c. 18, Juliani res prosequitur, ubi erudite pro more illum Eclanensem postea episcopum factum evincit, simulque Æmilium nostrum Iæ, quæ Juliano uxor contigerat, parentem statuit. Verum parcat clarissimus cardinalis, si ad ejus opinionem facile non accedam. Quibus fundamentis hæc ejus sententia nitatur, non video. Hinc fortasse tamen assertum suum amplissimus scriptor promovit. Ait Paulinus :

Infula pontifices divino jungit honore,
Humano pietas jungit amore patres.
813 Hanc Memor, officii non immemor, ordine recto
Tradit ad Æmilii pignora cara manus.

Hic autem *patres* ait appellari Memorem Juliani, ac Æmilium Iæ parentes. Sed nihil hinc hauriet magnus scriptor ; quippe carmina priora se correxisse fatetur, ac propterea sententiæ suæ se illa accommodasse. Vox illa *patres* ab omnibus Paulini codicibus editis ac mss. abest, ubi legitur *pares*. Nil itidem sequentia carmina evincunt. Quod autem addit, Paulinum utrique antistiti sponsorum parenti longam nepotum seriem his versibus augurari :

Casta sacerdotale genus ventura propago
Et domus Aron sit tota domus Memoris ;

perspecto verborum sensu, utique ad unum Memorem referendum augurium arbitror. Ventura etenim propago sacerdotale genus erat futura, quæ a Juliano ejusdem filio procederet, atque idcirco solam nominari audis Memoris domum, in qua ad Aronis exemplum sacerdotalem, seu episcopalem honorem perpetuandum poeta noster exoptat ; nil autem de Æmilii domo subditur, cui accrescere *sacerdotalis propago* non debuerat. Sed quid conjecturæ meæ favet? Epithalamium ipsum. Hæc ibi leguntur.

Sancta sacerdotis venerando pignora pacto
Junguntur.

Si episcopi filia Ia quoque fuisset, cur *sacerdotis*, non *sacerdotum pignora* Paulinus vocasset? Sic infra *sancta sacerdotis nurus*, et

Gentis apostolicæ filia facta domo,

hæc mulier dicitur. Profecto Iam *gentis apostolicæ filiam* tunc fieri, non antea extitisse proditur. Nusquam patris nomen Æmilio ; Memori vero passim occurrit, ad quem unum etiam votorum suorum summam Paulinus refert :

Christorumque domus sit domus hæc Memoris.

Sed et animadvertenda sunt sequentia carmina, e quibus facile colligas Æmilium Memoris fratrem fuisse. Audi :

Surge, Memor, venerare patrem, complectere fratrem,
Uno utrumque tibi nomen in Æmilio est.
Junior et senior Memor est; mirabile magni
Munus, opusque Dei : qui minor, hic pater est.
Posterius natu senior, quia sede sacerdos
Gestat apostolicam pectore canitiem.
Filius est, fraterque Memor...

Frater Memoris Æmilius erat, sed natu minor, ac idcirco dicitur *junior*. Ante Memorem episcopatus infulas obtinuerat, ac indè *senior paterque* appellatur. Solemne quidem episcopis fuit se *fratres* invicem appellare, ideoque interpretetur quispiam vocari *fratrem* Æmilium, quia episcopus, et quia senior episcopus, *patris* appellatione illustrari. Verum enim vero quis non videat florem in antithesi propositum hujusmodi interpretatione labefactari? Siquidem de innumeris episcopis usurpari sensus iste posset, quum passim hic junior, ille vero senior ad episcopatum promoveantur. Superest igitur ut Memoris germanus frater Æmilius foret, quod Paulini eloquentiæ magis consonum elucet, atque ab illo *mirabile magni munus opusque Dei* dicitur. Quod si verum est, qui possumus Iam facere Æmilii sobolem Juliano nuptam, nimirum patruelem patrueli? Sub Christianorum legibus interdicta perpetuo fuit conjunctio in secundo consanguinitatis gradu, et si S. Ambrosio in ep. 66 fidem habemus, neque apud Hebræos in usu fuit. Concilium Epaonense anno epochæ nostræ 517 coactum, 814 can. 28, hujusmodi conjugia penitus execratur. Hoc idem repetunt Turonense secundum can. 12, Parisiense primum, can. 4, et Greg. M. cap. 6 in Respon. ad Interrog. Augustini. Igitur Iæ pater non fuit Æmilius, filiam enim Juliano fratris filio uxorem non tradidisset. Ceterum quum Æmilius noster an. Ch. 405 legatus Constantinopolim in causa Jo. Chrysostomi destinatus Baronio videatur, et sequenti illuc transmissus, non mihi bene constat quomodo Nolæ præsens an. 406 a Paulino exhibeatur. Non vacat Baronii calculos in examen revocare. Si tamen ii optime positi, intelligere cogimur Nola hoc anno Æmilium abfuisse, et idcirco a sacro vate pronuntiatum *Æmilius veniat*. Ejus quoque absentia e

Paulini silentio suadetur; cur enim, si aderat vir tantus, ab ejus laudibus tam paucis sese Paulinus A expediisset? Non erat hic mos Paulino. Sed hæc de Æmilio dicta sint satis.

DISSERTATIO NONA.

DE S. PAULINI DIGNITATIBUS.

Franciscus Sacchinus V. C. e soc. Jesu Vitam S. Paulini olim scriptis mandarat. Dignus profecto fœtus erudito viro, qui tanta tamen animi demissione præclarum opus in lucem proferri est passus, ut scriptoris nomen silentio tegeretur. Hanc autem Vitam in editione operum Paulini Rosweydus anno 1622 nobis communicavit, illamque iterum prælo subjecere nuperi typographi Parisienses. Verum quia nondum innotuerant poemata quatuor quæ mihi primum prodere contigit, non pauca ibi desideres, quæ nostro stylo supplenda erunt, quædam etiam illic invenias quæ sint castiganda. Aggredior itaque ad opus, ut episcopi tanti memoriam seris seculis clariorem efficiam, quod potissimum Natalis XIII beneficio facile præstiturum me spero. Paulinorum familia inter præcipuas Urbis olim censebatur. Illustrium virorum series, magistratuum copia, inmanisque opum cumulus clarissimæ gentis gloriam commendabat. Ex ista prodiit Paulinus noster, qui tamen in Aquitania lucem primam adspexit. Seu Burdigalæ, seu Hebromagum ei cunabula præstiterint, certe in ea provincia est natus. De hoc dubitavere nonnulli, sed apertissime convincuntur. Uranius presbyter Paulino coævus in epist. ad Pacatum de obitu Paulini ait: *Igitur S. Paulinus episcopus Burdegala oppido Galliarum oriundus fuit.* Ausonius etiam ejus primis in annis præceptor id innuit epist. 21. Sed ipsum audiamus Paulinum, quo nullus testis melior. Se puerum fatetur ille in Italiam e Gallia migrasse:

> Nam puer Occiduis Gallorum advectus ab oris.

Et clarius infra:

> Ergo ubi bis terno ditionis fasce levatus
> Deposui nulla maculatam cæde securim,
> Te revocante soli quondam genitalis ad oram
> Sollicitæ matri sum redditus.

Solum hoc genitale, cujus meminit poeta, Gallia est, cui propinquos appellat Hispanos ac Pyreneos montes. Idcirco subjicit:

> **815** Inde propinquos
> Trans juga Pyrenes adii peregrinus Iberos.

Propterea licet in Hispania moraretur, adhuc se *Galla mente* semper mansisse gloriatur. Hæc quidem omnia per me observata, ut eorum opinioni occurrerem, qui Aquitaniam ævo Paulini a Galliis distinctam volunt. Sirmondus vir magnus e Soc. Jesu, in not. ad Sidon. carm. 17, hanc tuetur sententiam, eaque mihi rectis fundamentis etiam fulciri videtur. Aquitania enim tum temporis quinque provinciis accensebatur, quæ in conc. Valentino an. Dom. 374, in Maximi tyranni ep. ad Syricium an. 385, a Symmacho lib. IV, ep. 30, a conc. Taurin. an. 399, aliisque, a Gallia distinctæ inveniuntur. Super his consule Gothofred. lib. XVI cod. Theod., tit. 10, de Pag. et Sacr. l. 15. Sulpic. Severus, Hist. lib. II, Aquitanos a Gallis diversos facit, quum ait: *Sed id nostris id est Aquitanis, Gallis, ac Britannis indecens visum.* Ausonius in Arelate:

> Gallia queis fruitur, gremioque Aquitania læto

Verum et apud Aquitanos Gallorum nomen post quinque provinciarum constitutionem permansisse ex Uranio ipsoque Paulino discis. Quin et idem Sulpicius Severus Nitiobrix, videlicet Aquitanus lib. II Hist: *Gallias nostras,* inquit, *Saturninus Arelatensium episcopus homo impotens premebat.* Infra: *Illud apud omnes constitit unius Hilarii beneficio Gallias nostras piaculo hæresis liberatas.* Vetus Notitia Σατραπιῶν sive provinciarum, quæ in antiquis membranis Ptolemæi libris subjuncta legitur, et a Salmasio refertur pag. 611 de Eccl. Suburb., in Europa recenset Γαλλίαν Ἀκουιτανίαν, *Galliam Aquitaniam.* Alia aggerere non vacat. Modo honores in Paulinum collatos inspiciamus. Primum senatorum albo adscriptus fuit. Ausonius ep. 25 ad ipsum in Hispania degentem scribens ait:

> Ergo meum, patriæque decus, columenque senatus
> Bilbilis, aut hærens scopulis Calaguris habebit?

Uranius in ejus Vita scribit: *Taceamus generis nobilitatem, paternis maternisque natalibus in senatorum purpuris admirabiliter purpurantem.* Ipse Paulinus B Nat. XIII:

> Quid simile his habui, cum dicerer esse senator?

Ad consulatum etiam provectus est Paulinus. Unum tamen adhuc hujusce rei testem Ausonium habuimus. Inquit is ep. 20:

> Paulino Ausonius. Metrum sic suasit ut esses
> Tu prior, et nomen prægrederere meum.
> Quamquam et Fasto um titulo prior, et tua Romæ
> Præcessit nostrum sella curulis ebur.

Ep. dein 24:

> Paulinum Ausoniumque viros, quos sacra Quirini
> Purpura, et auratus trabeæ velavit amictus,
> Non decet insidiis peregrinæ cedere Divæ.

Ep. quoque 25 ad eumdem Paulinum in Hispania constitutum:

> Hic trabeam, Pauline, tuam, Latiamque Curulem
> Constituis?

Quum tamen de Paulini consulatu ne verbum quidem C faciant auctores reliqui, ipsique omnino fasti conticescant, hinc nonnulli hujusmodi dignitatem Paulino abjudicant, Ausoniique verba quibusdam responsionibus eludere conantur. Sed en ipse Paulinus pro se loquitur S. Felicem alloquens:

> Te duce, fascigerum gessi primævus honorem
> Teque meam moderante manum, servante salutem,
> Purus ab humanæ cædis discrimine mansi.

816 Hic *honor fasciger* consulatus est, cujus insigne proprium fuit fascium gestatio. In eo ita se placide gesserat Paulinus, ut ab omni cæde se purum fateretur. Celebris est quæstio an consulatus hic ordinarius fuerit, an suffectus. Priorem sententiam amplectuntur Baronius et Sacchinus. Sed posterior, quæ Chiffletium auctorem habet parte 2, cap. 2, Paul. Illustr., mihi solidior videtur. Censet hic Paulinum anno Ch. 378 suffectum Valenti Aug. consuli V id. Aug. a Gothis cæso, meritoque Baronium arguit, qui an. 375 ordinarium consulem fuisse Paulinum conjicit, quum illum annum tum Fasti, tum Hieronymus ac D Prosper consulibus caruisse affirment. Clariss. vir Antonius Pagius in prolegom. ad Diss. Hypat., num. 26, in S. Paulini consulatum inquirit, ac reprobata de ejusdem ordinario consulatu sententia ait: *Paulinum suffectum consulem fuisse, quod scribit idem Chiffletius, minime existimandum. Per hæc enim tempora, quibus consules erant ordinarii, consules honorarii, non vero suffecti in usu erant.* Verum ab ipso Paulino eruditissimus scriptor castigatur. Quum enim is fateatur se ab humanis abstinuisse cædibus, suæque dextræ moderamen a S. Felice tributum, utique non honorem tantum consulatus, verum etiam potestatem prætulit, quæ verum consulatum comitabatur. Honorarii consulis insignia describit Senator lib. VI Variar., ep. 1. In ea autem formula hæc habentur: *Sed nunc sumitis ista felicius, quando nos habemus labores consulum, et vos gaudia dignitatum.* Et infra: *Pinge vastos humeros vario colore palmatæ; validam manum victoriali scipione nobilita; lares proprios*

etiam calceis auratis egredere; sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascende, ut in otio subjectus merearis quod nos per maximos labores assumimus imperantes. En consulibus honorariis nulla potestas, nullum in hominum vitas jus conceditur; ecce nulla fascium gestatio tribuitur, quum alioqui Paulinus *honorem fascigerum* a se gestum affirmet. Honorarius idcirco consul a Procopio, lib. III de Bello Gothico, ὕπατος καλούμενος μόνον, *consul nomine tenus*, appellatur, ac in otio jacere a Cassiodoro dicitur. Deinde, quæso, hujusmodi consulum nomina Fastis umquam indita fuisse ostendatur; certe exemplum non proferetur, quum interea ex Ausonii verbis supra laudatis Paulinum eisdem inscriptum sciamus. Igitur honorarius Paulini consulatus procul amandetur; ipsumque, si non ordinarium, saltem suffectum admittamus. Nolim tamen præterire duos versus, qui non parum luminis consulatus hujusce tempori videntur affundere. Hi autem sunt:

Tunc etiam primæ......... libamina barbæ
Ante tuum solium, quasi te carpente, totondi.

B

A Postquam consulatus sui meminit, subjicit hæc verba Paulinus, quibus docet se Nolæ ante S. Felicis sepulcrum primam barbam posuisse. Id vero post consulatum peractum contigisse rerum series, quæ secundum temporum ordinem in hoc Natali digesta cognoscitur, manifeste innuit. Quod si verum, videamus quo ætatis anno primam barbam juvenes Romani tonderent. Macrobius Paulino coævus, lib. I in Somn. Scipion., cap. 6, de septenario numero disputans, *post ter septennos annos* barbam poni solitam docet: quæ sententia apud **817** eruditiores recepta. Ergo Paulinus anno 378 ætatis vigesimo quarto aut quinto consul non processisset, sed quidem tres aut quatuor annos ante. Nihilo secius quum barbam ponere, quo anno vellent, consuevisse Romanos, plura nos doceant exempla, fluxum hoc et futile esse argumentum definio. Alioquin pene certum habeo Paulinum an. 379 Nolam se contulisse, ac propterea anno vigesimo quinto, et quod excurrit, consulatu adauctum fuisse.

DISSERTATIO DECIMA.

S. PAULINUS CAMPANIÆ CONSULARIS.

Postquam Paulinus se Nolæ primam posuisse barbam est fassus, subsequitur ita canens:

Jam tunc præmisso per honorem pignore sedis
Campanis metanda locis habitacula fixi,
Te fundante tui ventura cubilia servi.

Ego dignitatem aliquam hic significari video. Sed quænam hæc? Meam conjecturam profero. Scilicet consulatu peracto, Paulinum Campaniæ consularem factum arbitror. Sub Augustorum imperio provinciæ plures adhuc senatus regimini suberant, quæ aut proconsulares, aut consulares appellabantur. Priores uti omnium præclarissimæ viris dignissimis a gesto consulatu ordinario plerumque administrandæ tradebantur. Consulares vero tum iis qui consulatum peregerant, tum iis etiam qui minime. In examen revocare non vacat an satis certa sit Bulengeri sententia dicentis lib. IV, cap. 36, de Imp. Rom.: *Consulares personæ dicuntur ob consulatum gestum, non ob provincias consulares.* Certe, ut aiebam, consulares non pauci fuere quibus numquam consulatum gerere contigit. Campaniæ suus consularis erat, isque adeo præstans fuit, ut ad ejus similitudinem ceteri consulares officium haberent, uti nos docet Notitia imperii occidentalis. Paulinum itaque non alium quam consularem fuisse Campaniæ mos ille etiam tum servatus suadet, ut post gestum consulatum viris clarissimis regenda provincia commendaretur. Ipse idcirco Paulinus se Campanis in locis habitacula fixisse, et singulariter Nolana in urbe consedisse significat. Diximus supra firmiorem nobis Chiffletii sententiam videri, nimirum an. Ch. 378 consulatum a Paulino gestum. Id autem nunc uberius elucescit. In secundo Natali ita ipse ad S. Felicem:

Tria tempore longo
Lustra encurrerunt, ex quo solemnibus istis
Coram vota tibi, coram mea corda dicavi.

Incidit Natalis secundus in annum 395. Si tria lustra, hoc est annos 15, retro numeres, ad annum venies 380, quo Paulinus se Nolæ adfuisse testatur. Eo igitur anno Campaniæ consularis erat, ac S. Felici sua corda dicavit. Certum vero mihi videtur et anno superiori, videlicet 379, profectum in eamdem provinciam Paulinum; idcirco enim anno tantum 380 solemnitati S. Felicis se præsentem adstitisse ait, quia anno 379 tam mature ad novam dignitatem advolare non poterat, ut sancti martyris festo diei interesset. **818** Celebrabatur ille postrid. id. Januar., ac propterea Romæ constitutus, ab officiis quæ depositum consulatum subsequuntur, atque ab aliis domesticis negotiis se expedire tam cito nequiverat, ut ipso eodem anno festo diei S. Felicis interesset. Itaque anno sequente hoc ille peregit. Quod si anno 379 in Campaniam se contulit Paulinus, recte patet anno 378 ejus consulatum esse affigendum, quum ab eo gesto confestim alicujus provinciæ gubernacula viris consularibus demandari solerent. Sed cur, inquies, Nolæ, non Capuæ, quæ Campaniæ metropolis habebatur, subsedit Paulinus? Ego consularibus liberum fuisse arbitror ea in civitate permanere quæ sibi placeret, modo intra provinciæ sibi statutæ limites detinerentur. Sic in Actis S. Januarii et sociorum ejus dicuntur ii sancti ad Timotheum Campaniæ præ-
C sidem perducti, qui Nolam incolebat, non Capuam. His de Paulini dignitatibus animadversis, examini subjiciendæ sunt leges duæ in Codicem Theodosianum relatæ. Sunt istæ l. 4 et 5, tit. 5 de Scœnicis, atque *Paulino præfecto Urbi coss. Gratiano V et Theodosio A. A.*, videlicet anno epochæ nostræ 380, inscribuntur. Baronius ad annum 394 ex his legibus Paulinum nostrum Urbana præfectura donatum arguit. Sed quibus tabulis fretus id affirmare potuerit, non video. Si hujusmodi conjecturis agendum, nil obstat quin Paulinum etiam præsidem Epiri novæ faciamus, siquidem ad Paulinum quemdam hac dignitate affectum anno 372 rescriptum Valentiniani senioris exstat in cod. Theod. l. 22 de Episcopis. Multo potiore argumento eum præfectum Augustalem faciemus, quum in eodem codice legantur l. 10 de Fide testium et l. 22 de Susceptoribus annis 385 et 386 Paulino simili munere functo inscriptæ. Quod tamen affirmare non ausus est magnus Annalium
D scriptor. Igitur quum Paulinus ipse, qui alioquin honores suos exprimit, hanc dignitatem sibi nequaquam asserat contigisse, a Baronii sententia discedendum puto. Minus placet Chiffletius, cui ceteroquin in Historia Pauliniana multum debemus, quum parte 2, cap. 2, Paulini illustr. ex laudatis legibus docere conatur, Paulinum nostrum anno 380 prætorem Urbanum fuisse constitutum. Legum harum inscriptiones ita sunt conceptæ: *Ad Paulinum P. V.*, quæ verba etiam minus eruditi *præfectum Urbi* interpretantur, non vero *Prætorem Urbis*. Ex hac opinione in alteram se præcipitem Chiffletius dedit; statuta enim hac imaginaria Paulini prætura eum necessario ædilem curulem fuisse opinatur; ædilitas enim, ut observat Paulus Manutius lib. de leg. Rom., præturam Urbanam biennio præcedere solebat. Sed suismet calculis jugulatur V. C., siquidem *ædilitas præturam biennio antecedit, ac prætura item biennio consulatum*, ut animadvertit idem Manutius eodem lib., Rosinus ac Dempsterus, Antiq. Rom. lib. VII, cap. 9,

et alii Romanam eruditionem scriptis prosecuti. Si ergo Paulinus anno 378 consul processisset, uti opinatur ipse Chiffletius, quomodo eodem etiam anno ædilis curulis fuisset, annoque postea 380 prætor Urbanus? Est hoc Romanarum dignitatum ordinem invertere. Verum, uti supra dicebamus, Paulinum A quemdam præfectum Urbi leges illæ clarissime loquuntur, non prætorem Urbanum; et neutrum exstitisse Paulinum nostrum ipsiusmet silentium 819 satis aperte indicat. Eum potius Paulinum bis inniii Legibus arbitror, qui memoratur in Inscript. Gruter. pag. 343, ac PRÆF. URBI. nuncupatur.

DISSERTATIO UNDECIMA.

DE RELIQUIS PAULINI REBUS GESTIS.

Vidimus, ni fallor, Paulinum Campaniæ consularem: nunc inspiciamus quid illi post hanc dignitatem actum. Sunt ejus verba:

Ergo ubi bis terno ditionis fasce levatus
Deposui nulla maculatam cæde securim
Te revocante soli quondam genitalis ad oram
Sollicitæ matri sum redditus...

Fascem ditionis bis ternum ego interpretarer pro sex B annis, aut sex mensibus, quibus forsan Paulinus Campaniam consularis munere administravit. Quamvis enim l. 4 ad legem Jul. de Ambitu cod. Th. *Consularitatis fasces iterare* fuerit interdictum, et biennio tantum, aut summum triennio, munus hoc durasse credendum sit, attamen nil inde adversus nos eruitur. quum anno tantum 416, sub Honorio ac Theodosio, illud emanaverit rescriptum, quin imo hujusmodi munera iterari consuevisse (faciente tamen veniam principe) eadem in lege asseratur. Verum quidem est consularibus etiam jus fascium fuisse concessum: quod ex laudata nuper lege deprehenditur, et ex aliis legibus docet Gothofredus in Notit. dignitat. Videri propterea posset *bis ternos fasces* iis concessos ad consulum differentiam, quibus, ut inquit lib. IV Silius,

Bissenos hæc prima dedit præcedere fasces.

Sentiant eruditi, quod magis sanum putant; ego non moror. E Campania igitur in Gallias processit Paulinus, ubi adhuc in vivis ejus mater agebat. Sequitur poeta:

Inde propinquos
Trans juga Pyrenes adii peregrinus Iberos.

E Galliis in Hispaniam migravit Paulinus, ibique diu constitisse videtur. Sacchinus, Vitæ Paulinianæ eruditissimus scriptor, Natalis XIII cognitione destitutus ita scribit: *Aliquamdiu Romæ vixit. Inde per annos ferme quindecim peregrinatus est per Italiam, Galliam, Hispaniam, terra marique, partim publicis rebus, partim (nisi me conjectura fallit) domesticis occupatus.* Non annos 15 peregrinatus est Paulinus, quum illum in Campania consularis munus per aliquot coercuerit annos. Deinde nimis amplificatur ista peregrinatio, quæ nulla neque curiositatis, neque publicarum rerum causa suscepta est. Manifestius decipitur Gulielmus Cave in Hist. script. eccl. quum de Paulino agens consulatus honorem illi obtigisse anno 375 ait, subditque: *Anno sequenti ad exteras regiones visendas se accingens, omnes fere Occidentis provincias* D *peragravit. Hisce peregrinationibus quindecim fere annorum spatium impendit.* Siquidem multo serius ex Italia Paulinus movit, neque in omnes fere Occidentis provincias delatus est. Quid porro in Hispania gesserit, docet ipse:

Illic me thalamis humana lege jugari
Passus es, ut vitam commercarere duorum,
820 Perque jugum carnis duplicata salus animarum
Dilatam unius posset pensare salutem.

Theresia, mulier natalibus ac pietate præstans, illi uxor contigit. Complutensem illam fuisse inde quis possit haurire, quod Paulinus, in Paneg. de Celso, in fin., sibi quoque ea in urbe natum atque e vivis sublatum dixerit filium. Erat autem Therasia jam tum sacro baptismate abluta, et nomen Christianum profitebatur; etenim se unum salutem suam distulisse Paulinus memorat, multisque revera post annis a Delphino Burdegalensi episcopo baptizatus fuit. Poetæ nostro fratrem fuisse subsequentes versus testantur. Hic nescio qua causa cæsus multas Paulino fratri turbas excitatas reliquit. Non de hujus opibus tantum latissimoque patrimonio fiscus agebat, sed innocenti etiam capiti feralis imminebat sententia. S. Felicis tamen patrocinium supplici præsto fuit, ejusque ope tum Paulini bona, tum vita improvisum evasere periculum. Juvat ipsum vatem sanctum audire:

Cumque laborarem germani sanguine cæsi,
Et consanguineum pareret fraterna periclum
Causa mihi, censumque meum jam rector adisset,
Tu mea colla, pater, gladio, patrimonia fisco
Eximis, et Christo Domino mea meque reservas.

Quis fuerit iste Paulini frater, nondum mihi compertum est; eumdem tamen esse quem Paulinus in ep. 19 ad Delphin. Burdig. ep. memorat, facile arbitror. Nullius ibi quidem cædis mentio occurrit, quia totius scenæ Delphinus jam certior ante fuerat factus; sed quum se *contristatum vehementer*, proptereaque *brevi usurum scriptione* fateatur Paulinus, magnam illi contigisse C doloris causam apertum est, quæ alia a fratris cæde vix poterat esse. De hac eadem fraterna nece epistolam 20 ad Amandum scripsit, ubi *recentem fraternæ divulsionis dolorem memorat.* Quæ si vera sunt, emendandus anachronismus cl. V. Jo. Baptistæ le Brun, cui postremam operum S. Paulini editionem debemus, dum ad an. Ch. 403 epistolam utramque refert. Hæ siquidem binæ epistolæ circiter annum 393 scriptæ, quum fratris cædem Paulino in Hispania adhuc agenti ex hoc Natali accidisse pateat. In ea ad Amandum epistola inquit vir pius: *Ora et pro nobis, ne in peccatis nostris moriamur. Notum faciat Dominus finem nostrum, ut sciamus quid desit nobis, et properemus adimplere quod restat.* En ut sibi nondum impletum insinuat sanctum paupertatis votum, seque ab Hispania nondum discessisse. Ceterum hujusmodi infortunium ita Paulini animum perculit, ut seculo renuntiare certa statuerit sententia, ad id potissimum pia impellente uxore. Consilio itaque maturato, omnibusque in pauperum subsidium distractis, maximum cum cœlo fœdus feriens, Paulinus Nolanam ad urbem sese demum recepit. Hæc omnia ipse canit:

Nam quo consilio rebus, capitique meo tunc
Christus opem tulerit, Felicis cura potenter
Adfuerit, docuit rerum post exitus ingens,
Quo mutata mea est sors, et sententia vitæ,
Abjurante fide mundum, patriamque, domumque.

Sammarthani in Gall. Christ. in Burdigal. archiep. notitia ad S. Delphini Vitam Paulinum anno etiam 396 in Hispania degentem faciunt; atqui iis regionibus anno 394 sanctum virum valedixisse tam certum est quam quod certissimum.

DISSERTATIO DUODECIMA.

DE TEMPORE SUSCEPTI A PAULINO EPISCOPATUS.

821 Vix Nolæ constitutus fuit Paulinus noster, quum in omnia pietatis genera solutus mundum omnino dedidicit. Jam presbyter factus in monasterio per se a fundamentis erecto degebat, aliis eximium sanctitatis exemplum factus. Illum tantæ commendabant virtutes, ut populi universi votis in episcopum Nolanum tandem expetitus fuerit. Sed quoto epochæ nostræ anno id actum? Brevissime inquiram. Anno 409, aut ad summum 410, hujusmodi munere nequaquam caruisse ipse videtur, quandoquidem S. Augustinus cum *Nolensem episcopum*, lib. I, cap. 10, de Civ. Dei, nuncupat, dum cruciatus memorat in illum a barbaris Campaniam vastantibus ingestos, quod an. Ch. 410 contigit. Et hinc, ut arbitror, novus Paulini illustrator Jo. Baptista le Brun, quemadmodum aliunde didici, anno 409 episcopatus Pauliniani primordia constituit. P. Sacchinus, in ejus Vita, sub init. partis tertiæ, illum episcopalem sedem ascendisse arbitratur statim ac Nolanus antistes decessit. Chiffletius vero, cap. 12, part. 2 Paul. illustr., *plus minus biennio a Nolano ejus secessu*, videlicet circa annum 397, hanc illi dignitatem collatam censet. Ego ad istius postremi scriptoris sententiam accedere nequeo, nullum enim potens suffragium in ejusdem tutelam profertur. Argumentum quod ille ex epistola ad Pammachium petit, codicum præstantiorum auctoritate infirmatur. Alterum istud est. Inquit Paulinus in Nat. IV (qui anno 397 recitatus fuit):

> Natalis tuus, o carissime Christo
> Felix, natali proprio mihi carior, in quo,
> Quamlibet innumeris sint gaudia plurima turbis,
> Est aliquid speciale tuis, quod nos tibi Christus
> Esse dedit, viles caro largitus amico.

Hæc de Paulini in episcopum ordinatione intelligenda affirmat Chiffletius, eo quod priscis temporibus *natales* etiam appellabantur episcoporum ordinationes: *Nam*, inquit, *si quis interpretetur de Paulini primo in lucem exortu, in quo sint publica gaudia innumeris turbis, næ ille monachismo ejus ac modestiæ haud levem injuriam fecerit.* Verum non bene calculos ponit vir clarissimus. Illud *in quo* ad natalitium S. Felicis diem, non vero ad Paulinum est referendum. Deinde *natalis proprius* nil aliud Paulino est quam prior in lucem egressus, quem solemni apparatu quotannis veteres celebrare consueverunt. Id certissimum ex Nat. XIII fiet, ubi hæc eadem Paulinus repetit:

> Ego semper istum sic honoravi diem
> Magis hunc putarem ut esse natalem mihi,
> Quam quo fuissem natus incassum die.

Reliqua evidentius docent. Tota igitur Chiffletii moles, ejusque prolixa in hunc locum meditamenta ruunt. In ep. 16 ad Delphin. ait Paulinus de papa Urbis Anastasio: *Etiam ad natalem suum (quod consacerdotibus suis tantum deferre solet) invitare dignatus est.* Scripta hæc epistola an. 399. **822** Igitur tum temporis Paulinus ab episcoporum numero exclusus erat, quum se a *consacerdotum* numero (quod idem tunc erat ac dicere *coepiscoporum*) distinguit. Quæ ad hujus argumenti perspicuitatem Chiffletius regerit, facili negotio explodi queunt. Anno A quoque 402 data est Paulini ad Severum epistola 12. Huic autem epistolæ epigrammata quædam Paulinus intexuit Nolanæ basilicæ recens a se exstructæ inscripta. In eorum uno sic habetur:

> Plebs gemina Christum Felicis adorat in au'a,
> Paulus apostolico quam temperat ore sacerdos.

Et in altero:

> Paulus in æternos antistes dedicat usus.

Anno ergo 402 Paulus Nolæ sedebat episcopus, non vero Paulinus. Hæc sane apertissima verba frustra eludere Chiffletius molitur. Alia porro et ego argumenta suppeditabo. Scribens ad Delphinum episcopum Burdigalensem, eum semper, annoque potissimum 403, *venerabilem patrem* appellat: quod non fecisset episcopus; moris enim erat iis temporibus ut episcopi se *fratres* invicem appellarent. Consule, quæso, epistolam 16 ad Delphinum, ubi ait: *Mediolanensis quoque episcopus filius vester hucusque, nunc frater Venerius scripserat*, etc. Vides Venerium, sta- B tim ac ad episcopatum venit, fratrem Delphini cœpisse nuncupari; et quum ab isto quoque se distinguat Paulinus, utique episcopalibus infulis nondum cingebatur. Sed clariora proferamus. An. Ch. 404 Natalem XI recitavit Paulinus. In eo vero multa de fure habet, qui sacra nuper expilarat. Captus non sine miraculo improbus latro ad S. Felicis ducitur

> Post sacra jam solvente pios antistite cœtus.

Sunt hæc vatis nostri verba, qui se propterea a Nolano episcopo tum temporis diversum facit. Natalis quoque decimus tertius rem evidenter prodit. Quum Nolanis aperiendi tumuli ubi S. Felicis ossa quiescebant animus obvenisset, ait Paulinus:

> Cunctos transmittit episcopus ad nos
> Presbyteros. His fabra manus spectantibus instat
> Jussa sacerdotis facere.

Hunc Natalem anno 406 elucubravit Paulinus. Rem vero ibi memoratam nuper accidisse, certum pene C est mihi: non enim tantum opus diu silentio pressisset poeta sanctus. Igitur, quum antistes alius Nolæ sedens ibi diserte dicatur, ne anno quidem 406 episcopalem cathedram Paulinus ascenderat. Deinde cur eximiam hanc dignitatem, si sibi contigisset, præteriturus in Nat. XIII fuisset Paulinus? Nullis ibi parcit verbis ut honores in se collatos vitæque peractæ gesta recenseat, et maximum hoc munus insalutatum dimisisset? Ne credo. An vero episcopus anno solum 409 processerit, latere procul dubio arbitror. Eruditissimi nihilo secius Brunii sententiæ acquiescendum nunc est, a quo non sine validis rationibus aut saltem conjecturis hoc affirmatum mihi persuadeo. Quod autem asseruit Ambrosius Leo, lib. II, cap. 12, de Nola, videlicet Paulinum Fundanæ Ecclesiæ antistitem ante fuisse, autoris alioquin eruditi somnium habeatur. Reliquas Paulini res gestas, ejusque mirandam sanctitatem prosequi statuta mihi brevitas non sinit. Si tamen hanc quis adornandam susciperet spartam, uberem messem e Natali XIII hauriet. Ego D ad ejus pietatem in ædificiis Nolæ confectis exprimendam procedo.

DISSERTATIO DECIMA TERTIA.

DE ÆDIFICIIS NOLÆ A PAULINO CONDITIS.

823 Tres minimum Paulini adventus Nolam sunt enumerandi. Prior contigit quum adhuc puerili in ætate versaretur, vixque e Galliis in Italiam advenisset: quod innuit ille his ad S. Felicem carminibus:

> Nam puer Occiduis Gallorum advectus ab oris
> Ut primum tetigi trepido tua limina gressu.

Hinc est quod ipsum S. confessorem alloquens iterum canit:

> tibi me
> Mancipium primis donavit Christus ab annis.

Alterum Nolam instituit iter quum a gesto consulatu Campaniam consularis factus regendam suscepit; sic enim inquit:

Jam tunc præmisso per honorem pignore sedis
Campanis metanda locis habitacula fixi,
Te fun lante tui ventura cubilia servi.

Diu Nolæ versatus est Paulinus, quod exposcebat suscepta dignitas. Quumque quotidie patrata per S. Felicem miracula sub ejus oculis starent, tum ad Christianam fidem ex ethnicismo se convertere meditari cœpit. Inter catechumenos itaque constitutus, ut arbitror, quædam pietatis opera continuo sibi peragenda censuit. Quingentos circiter ab urbe Nola passus S. Felicis ossa quiescebant, ubi etiamnum illustris basilica visitur. Illuc propterea ducentem viam munivit Paulinus, ut affluentium populorum commodo consuleret. Sic ipse S. Felicem alloquitur :

Cum tacita inspirans curam mihi mente juberes
Muniri sternique viam ad tua tecta ferentem.

Neque his contentus vir pius, apud eamdem B. Felicis ædem procudi magnificam domum voluit. Longo tractu protendebatur hujusmodi ædificium, primumque usui pauperum destinatus est locus, ut hinc etiam discas quanta Paulini pietas foret, licet in Christi gregem nondum per baptismatis undas esset perductus. Audiamus iterum loquentem :

Adtiguumque tuis longo consurgere tractu
Culminibus tegimen, sub quo prior usus egentum
loco uit.

Tertius demum Paulini ad urbem Nolanam adventus contigit quum, ejurato seculo opibusque in pauperes effusis, secessum Nolanum elegit, ut ibi Christo uni dicatus sanctiorem institueret ac prosequeretur vitam. Hoc anno 394 actum. Tum Paulinus in omnia pietatis officia se vertit, nihilque antiquius habuit quam ea promovere quæ S. Felicis honorem augerent. Primus illi labor fuit, quemadmodum reor, conditam in secundo adventu domum amplificare. Alia igitur super priores muros tecta molitus, ita veteres excoluit ædes, ut sibi decenter in habitaculum cedere potuerint. Pauperibus in cellas sub porticu conjectis, ipse in superiori tecto hospitium sibi constituit. Hinc ita canit :

Post hæc geminato tegmine crevit
Structa domus, nostris quæ nunc manet hospita cellis;
Subdita pauperibus famulatur porticus ægris,
824 Quæ nos impositis super addita tecta colentes
Sustinet hospitiis.

Hujus porro ædis venustatem infra extollit :

Ecce mihi per tot benedicti martyris aulas
Et spatiis amplas, et culminibus sublimes,
Et recavis alte laquearibus ambitiosas,
Irriguas et aquis, et porticibus redimitas.

Ita tamen ædificium Paulinus constituerat, ut in ipsa ejus amplitudine sibi suisque hospitibus humiles cellas esse voluerit : nimirum quæ nullam saperent ambitionem, sed quæ potius immania potentum tecta

A arguerent. Hinc de illustribus hospitibus suis ad populum inquit :

Quos cernitis, et modo in ipsis
Felicis tectis mecum metata tuentes
Hospitia, oblitos veterum præcelsa domorum
Culmina, et angustis vicino martyre cellis.

His enarratis Paulinus aliud opus addit :

Omnibus exstructis operum, quæ stare videntur
Diversis composta modis, excelsa per aulas,
Et per vestibula exteutis circumdata late
Porticibus, solum simul omnia munus aquarum
Tecta videbantur mœstis orare colonis.

Optatum propterea aquæductum temporum vetustate interruptum ab oppido Abella ad S. Felicis basilicam perducere in animum induxit. Longus interponebatur viæ tractus, nempe quinque passuum millia. Sed operis difficultate non territus vir sanctus, amplos canales, reluctantibus nequidquam sacræque ædis beneficium respuentibus Nolanis, reseravit. Operas illi suas Abellani ad laborem contribuere, adeo-
B que is incaluit, ut ingentem aquæ vim tandem destinatum ad locum perduxerit. Hæc fusissime in laudato semper Nat. XIII habentur. Alia vero Paulini ædificia me prosequi propositum brevitatis institutum non patitur. Tantum meminero plures ab eo conditas fuisse basilicas, quas omnes ex ep. 12 ad Severum ab ipso descriptas petere potes. Potiorem inter has locum obtinuit illa *quæ ad Dominædium* (ut is inquit) *communem patronum in nomine Domini Christi dedicata est.* Ambrosius Leo, lib. II, cap. 11, de Nola, basilicam hanc Deo O. M. dedicatam a Paulino autumat : *Deus enim*, ait, *tum Dominedius vocabatur, quod verbum in ore jurantium ac invocantium Deum usque ad nostra tempora servatum audimus.* Sed veram vocis significationem ille non tangit, nam pro *Dominædio* S. Felicem Paulinus intelligit. Hujusmodi vox *dominum* pure aut *patronum* significat, quod itidem per me probabitur in quodam S. Maximi Taurinatis sermone, quem una cum pluribus aliis ejusdem episcopi inedi-
C tum in reliquis Anecdotorum libris producam. Ibi vero *Domnedius* pro *Domino* usurpatur. Paulinus quoque se S. Felicem innuisse ostendit in ep. 9 ad Sever., ubi Natalem in ejusdem S. confessoris honorem elaboratum *solemnem ad Dominædium cantilenam* vocat, et in ep. 28 ad Victricium *sancti sui confessoris dilectissimi Felicis Dominædii* meminit. Id autem alibi occurrit. Neque melius loquitur idem Leo lib. II, cap. 12, quum S. Felicis basilicam antiquitus intra urbis Nolæ ambitum sitam affirmat, ab ea namque enormi aberat spatio, nimirum mille circiter passus. Hæc eadem nunc tamquam eximium sanctitatis penetrale visitur in loco quod cœmeterium (vulgo *cimitino*) nuncupatur. Ejus porro descriptionem petere licebit a Capacc. in Hist. Neap., lib. II, in fin., a V. cl. Sarnello in Cleric. Spec. ad Vitam S. Felic., a Pacichello in Italicis ejus epistolis, et ab aliis pluribus.

DISSERTATIO DECIMA QUARTA.

DE S. FELICE NOLANO.

825 Pauca et hic de S. Felice animadvertere libuit, cujus olim adeo celebris miraculorum fama fuit, ut ad eum undique populi concursus foret, nullaque pars orbis terræ haberetur quæ tantum non coleret sanctum. Ejus acta scriptis consignarunt Gregorius Turonensis, lib. I de Glor. martyr., cap. 104, Beda, Marcellus presbyter antiquissimus, Ado, Notkerus et alii; sed omnibus tamquam magister Paulinus noster præivit, qui suis Natalibus Felicis vitam ac prodigia per eum facta complexus est. Hæc omnia in unum coegere patres eruditissimi e soc. Jesu, qui Acta sanctorum incredibili et sollicitudine et eruditione elaborant. Quia tamen eis latuere Natales nunc primum editi, alia, quæ Paulinus cecinerat, quæque ab omnibus nunc recoli possunt, omisere miracula.

D Rem præclaram in natali XIII describit sacer vates, nempe B. martyris sepulcrum pene adapertum fuisse, quum e superioribus sarcophagi venerandi partibus improvisus erumperet pulvis. Quo tempore id evenerit, plane incompertum mihi. Sed paucis ante annum 406 mensibus contigisse crediderim, siquidem tantum munus præteritis in Natalibus Paulinus haud præteriisset, si diutius ante id factum. Quibus visis, ad examinandum procedo quo tempore S. Felix in vivis esse desierit. Bollandus V. C. in ejusdem sancti Vita die 14 Januar., § 6, hæc habet : *Ætas S. Felicis a Paulino non exprimitur. Inepte Christophorus Phreislebius circa Theodosii tempora vixisse scribit. Henricus Fabricius circiter annum Christi 300 obiisse existimat; sed quæ tum pax Ecclesiæ? Heræus*

circiter 310; *Michael Monachus non longe post an-* A *num* 312, *quo data pax Ecclesiæ. Est hæc aliorum quoque, et probabilis opinio.* Sed diversus a tot auctorum opinione abire cogor. En Paulinus Nat. XIII ait :

> tanto voluisti prodere signo,
> Ut tacitam et fixam per tot retro secula sedem
> Corporis, alme, tui subito existente favilla
> Pulveris in nostro servari tempore velles.

Et infra :

> Addidit, ut tantis numquam retro condita seclis
> Nostro opere exstructas adcrescere, vel renovari
> Porticibus, domibusque suas permitteret aulas.

Igitur non circa annum Christi 312 S. Felix e vivis excessit. Quomodo enim memorata hic *tot retro secula* ævo Constantini queunt accommodari, a quo ne unum quidem seculum distabat Paulinus? Idem in natal. XI aiebat :

> Et licet a veteri tumulis absconditus ævo,
> Qua mortalis erat, lateat telluris operto.

Sed alium e Natali VI producamus locum, quem animadvertere Bollandus etiam cum aliis poterat. Nolanum agrum, in quo sepulturæ S. Felix mandatus fuit, describit noster vates :

> Pauper ubi primum tumulus, quem tempore sævo
> (Relligio quo crimen erat) minitante profano
> Struxerat auguste gladios trepida inter et ignes
> Plebs Domini, ut seris antiqua minoribus ætas
> **826** Tradidit, ingentem parvo sub culmine lucem
> Clauserat...

Si Felix *non longe post annum* 312, *quo pax data Ecclesiæ*, obiit, quemadmodum Bollandus arbitratur, cur illi *pauper tumulus* exstructus dicitur, et quidem *tempore sævo, quo religio crimen erat*, et plebs Domini, tyrannis minitantibus trepida inter gladios ignesque jacebat? Cur hujusce memoria tumuli *ab antiqua ætate seris nepotibus* tradita affirmatur? Profecto hæc de Constantini temporibus intelligere prorsus vetamur. Idem Paulinus Natali VI :

> Lux eadem sancti cineris per secula custos
> Martyris hæc functi vitam probat.

En *per secula*, non per unum seculum stetisse Felicis sepulcrum discimus. Igitur concludamus Felicem Nolanum in prioribus Ecclesiæ ærumnis exagitatum, pacis subsecuto tempore, cœlis animam reddidisse. Seculo Christi secundo potius quam tertio rem actam *tot secula* ab eo usque ad Paulinum elapsa suadere B videntur. Hinc plures Ughelli in Ital. sacra anachronismos emenda. Asserit enim S. Maximum episcopum Nolanum, cui Felix in martyrio socius fuit, mitescente Diocletiani persecutione e vivis decessisse, uti etiam S. Quintum (sub quo S. Felicem itidem vixisse scimus) anno Christi 320 floruisse, aliumque S. Felicem primum Nolæ episcopum anno 259 martyrio coronatum obiisse; nam ad antiquiora tempora trahenda est horum sanctorum ætas.

DISSERTATIO DECIMA QUINTA.

AD S. PAULINI NATAL. XI, VERS. 324, DE ANNO QUO SS. PROTASII AC GERVASII CORPORA PER S. AMBROSIUM FUERE INVENTA.

Ad eruditissimum virum Nicolaum Rubinum metropolitanæ Mediolanensis ecclesiæ ordinarium canonicum et theologum.

Minime dubito, Rubine vir sapientissime, quin Paulinum meum prono animo, sinuque toto sis excepturus, tum quod quasi postliminio reversus et inimicæ ætatis victor in eruditorum manibus versari jam poterit, tum etiam quod ex Ambrosiana bibliotheca, quam tibi perenni amore devinxisti, ille prodierit. Eo tamen potissimum nomine te meæ felicitati gratulaturum arbitror, quod in ejusdem sancti operibus aliquam de SS. Protasio ac Gervasio mentionem injectam sis deprehensurus. Quamvis enim felicissimo ingenio tuo universum ecclesiasticæ eruditionis pelagus complectaris, adhuc in rerum Mediolanensium indaginem cognitionemque ita sedulus incumbis, ut reliquis perfunctorie, his vero te totum dicasse videaris. Quamobrem quum in Annum inquirere quo horum sanctorum corpora divinitus fuere reperta instituerim, nulli sane melius quam tibi mea hac de re sententia **827** fuerat offerenda. Annum Christi quo hæc contigere, Puricellius noster, vir æternum laudandus, in Diss. Nazar., cap. 39, fuisse trecentesimum octogesimum septimum est arbitratus ; remque ille diligenti cura studioque pertractans, quæcumque argumenta sibi militare animadvertit, prolixe in suum traduxit volumen. Verum enim vero tanta sunt, quæ in ejus sententiam pugnant, ut ab illa discordare penitus cogar, simulque affirmare, non anno 387, sed 386, Protasium ac Gervasium a magno antistite Ambrosio fuisse adinventos. Adeo celebrem historiam Paulinus ejusdem Ambrosii amicus et synchronus sic refert :

> Ut sancto non olim antistite factum
> Novimus Ambrosio, qui fultus munere tali
> Postquam ignoratos prius, et tunc indice Christo
> Detectos sibimet, mutata transtulit aula,
> Reginam prompta confudit luce furentem.

Primum itaque Puricellianæ opinionis argumentum fuit S. Augustini baptismus, cujus tempore cognito tempus quoque inventorum martyrum elucescit ; sanctum vero doctorem an. Ch. 388 salutari unda ablutum posuit : quod a veris historiæ calculis ab- C horrere primum omnium ostendetur. Equidem graves sententiæ suæ propugnatores Baronium, Pennottum, aliosque plures adscivit vir doctissimus; sed inde parum roboris illi accessisse dicenda evincent. Quum baptismum suum commemorat Augustinus lib. IX, cap. 7, Confess., hæc habet : *Nimirum annus erat, aut non multo amplius, cum Justina Valentiniani regis pueri mater hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa*, etc., *Tunc hymni et psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est. Tunc memorato antistiti tuo per visum aperuisti quo loco laterent martyrum corpora Protasii et Gervasii*, etc. Igitur ab inventione sanctorum ad Augustini baptismum *annus, aut non multo amplius*, effluxerat. Idcirco si annum quo baptizatus est Augustinus attingere licebit, in alterius cognitionem necessario devenie- mus. Ludovicus ab Angelis, lib. III, cap. 4, de Vita S. August., ex eo quod in annum 387 magnus Annalium scriptor Justinæ in catholicos furorem, sancto- D rumque martyrum inventionem conjiciat, eodem ipso anno S. doctoris baptismum contigisse censet ; sed male illi subducti sunt calculi; siquidem *annum et amplius*, ut dixi, inter martyrum translationem, suumque baptismum intercessisse aperte testatur Augustinus. Natus est S. doctor, uti nunc omnes adversus Baronium ejusque sectatores consentiunt, an. Dom. 354, id. Novemb. Ait autem, lib. IX cap. 11 Confess., Monicam parentem suam apud Ostia Tiberina ad superos evolasse *trigesimo et tertio ætatis meæ anno.* Hic vero obitus eodem anno accidit quo Augustinus baptismum susceperat; nam post illum, ut in Africam transmitteret, Mediolano valedixerat, et recta ad Tiberinam focem [*F.* faucem, *Gallice* EMBOUCHURE] perrexerat mari se commissurus. Alibi quoque repetit, se *trigesimo et tertio ætatis anno* sacris undis fuisse purgatum; idemque ipsa Romana Ecclesia in Breviarii lectionibus tradit. Trigesimus et tertius ætatis annus Augustino currere incipiebat id. Novemb. anni 386. Igitur intra hunc

diem et idus Novemb. anni 387 sequentis statuendus est ejusdem baptismus. Quum autem a **828** Possidio in ejusdem sancti vita doceamur, *propinquantibus diebus sanctis Paschæ salutis aquam Augustinum percepisse*, manifeste colligitur, non nisi sabbato sancto anni 387 eumdem sanctum ad sacrum fontem processisse. Sed et aliud argumentum proferamus. Saltem annum unum in Italia post baptismum substitit Augustinus; namque præter moram ad Tiberim, aliaque loca, Romæ diu se tenuit, ubi se libros scripsisse *de Moribus Manichæorum* et *de Morib. Eccl. cathol.*, itemque *Dialogum de Anima*, et libros tres *de Libero arbitrio* fatetur lib. I, cap. 7, 8, 9, Retract. Deinde in Africam remeavit. Illuc porro quando advenerit, ipsum docentem audiamus lib. III, cap. 25, contra liter. Petiliani Donatistæ: *Cum ego Mediolanum ante Bautonem consulem* (consul hic processit an. Ch. 385) *venerim, eique consuli kal. Januar. laudem in tanto conventu conspectuque hominum pro mea tunc rhetorica professione recitaverim, et ex illa peregrinatione jam post Maximi tyranni mortem Africam repetiverim.* Anno Ch. 388, die 28 Aug., obiit Maximus, ut Idacius in Chronico, et Socrates lib. V, cap. 24 fidem faciunt, et Gothofredus in Chronolog. cod. Theod. ad l. 6 et 7 C. cod. tit. *de Infirmand. his quæ sub tyrann.* testatur. Eodem ergo anno 388 Africæ redditus est Augustinus, ac propterea anno 387 superiori baptizatus. Clariss. vir P. Eustachius a S. Ubaldo, cujus benevolentiæ eruditionique me plura debere fateor, in Quodlib. Regul. dub. 7, n. 53, Macedum et Desnos solidissime arguit quod moram Augustino in Italia post susceptum baptismum brevissimam statuant. Verum ejusdem sententiam probare nequeo, dum an. 388 S. doctorem baptismatis gratiam recepisse arbitratur, anno vero 389 Monicam ejus matrem e vivis sublatam, ac inde in Africam iter ab illo institutum. Cur enim, ut annum navigationis suæ Augustinus designaret, Maximi nece usus fuisset jam anno superiori peracta? Cur *jam post Maximi necem*, quod idem sonat ac *statim post Maximi necem*, dixisset? Quantum enim attinet ad S. Monicæ mortem, tam certum est illam anno 387 contigisse, ut nil certius. Augustino annus trigesimus tertius eodem anno id. Novemb. exibat, et trigesimus quartus adveniebat: ergo quum, ut vidimus, ipse Augustinus se trigesimo tertio ætatis suæ anno matre orbatum asseruerit, in ipso anno 387 S. Monicæ obitus figendus venit. Deinde non Romam primum, ut cum eruditissimo viro censuere Baronius, Torellus, Ludovicus ab Angelis, aliique plures, sed recta ad Ostia Tiberina Mediolano Augustinus perrexit; etenim lib. IX, cap. 10, Confess., is ait: *Apud Ostia Tiberina, ubi remoti a turbis post longi itineris laborem instaurabamus nos navigationi*, etc. Vides *post longum iter* illuc Augustinum concessisse? Nimirum Mediolano, non Roma venerat; non enim Roma ad Tiberis Ostia profectis *longi itineris labor* opus erat. Illic igitur *post quinque dies ab adventu febribus decubuit, et nono ægritudinis die* ad cœlos evolavit S. Monica an. 387. Cur autem in sequentes annos ab eruditissimo P. Eustachio et ab aliis scriptoribus ejus mors protraheretur, in causa fuit dies quo illa solemniter colitur, nempe quartus Maii; quum enim eo die Monicam decessisse sibi quisque suaderet, annoque 387 forsan is dies Monicæ in urbe Mediolano effluxerit, **829** hinc ad alios annos ejusdem obitum distulere. Atqui animadverterat emin. card. Norisius, in quodam opusculo, diem S. Monicæ festum ad aliquam ejus translationem aliamve causam referendum, et clarissimi post illum patres e soc. Jes. in Act. sanct. ad diem 4 Maii monuere, qui etiam a quingentis tantum annis S. Monicæ cultum in Ecclesiam invectum fatentur. Augustinum quoque anno 387 ad baptismum accessisse ex Possidio cap. 31 Vitæ colligi potest. Inquit ille de S. doctore: *Vixit annis 76, in clericatu autem vel episcopatu annis ferme 40.* Vixerat autem in agris Tagastensibus, antequam sacris clericatus muneribus initiaretur, *ferme triennio alienatis a se curis secula-*

A *ribus*, ut idem Possidius cap. 3 ait. In Africa igitur annos 43 plus minus egit Augustinus, postquam ab Italia se illuc recepit; et quum anno 430 certissime obierit, liquido apparet anno saltem 388 magnum doctorem ex urbe Tagastem delatum: a quo anno ad 430 si utrumque terminum complectaris, *annos ferme* 43 supra memoratos colliges: quod minime præstabis si in anno 389 ejus ad Africam profectionem figas. Si igitur an. Ch. 388 Africam petiit Augustinus, anno superiori 387 baptismali unda fuerat ablutus. Ceterum hujus veritatis testes accedunt clariss. card. Norisius in opusculo quodam, Ludovicus ab Angelis lib. III de Vit. S. August., cap. 4, Herrera in Alphab. August., Torellus tom. I Secul. August. ad an. 387, et omnium nunc ferme eruditorum calculo sententia hæc roboratur. Itaque tecum, Rubine doctissime, jure mirari jam subit cur religiosissimi PP. Cistercienses in Ambrosiano cœnobio degentes an. Dom. 1677 hanc inscriptionem ædiculæ quæ S. Augustini nuncupatur in fronte poni curarint.

B

DIVUS AUGUSTINUS
AD LEGEM FIDEI
PER. S. AMBROSIUM
EVOCATUS
HIC UNDA COELESTI
ABLUITUR
ANNO DOMINI CCCLXXXVIII.

Profecto ægre ferendum est publicum monimentum ad nepotes seros transmittendum tam confidenter fuisse expositum, ut nulla in ipso veræ chronologiæ ratio sit habita; quodque magis dolet, amicus noster communis hujusmodi anachronismo causam præbuerit. Nam quantum pertinet ad locum ubi baptismum S. Augustinus receperit, parcas tu, quæso, extra chorum saltanti, parcant egregii Patres, si Landulpho, qui seculo Christi undecimo florebat, quique sub Datii nomine in Ambrosiana ms. asservatur, ita de S. Augustino scribenti assentiar: *In Fontibus, qui B. Joanni adscribuntur, Deo opitulante, a B. Ambro-* C *sio, cunctis fidelibus astantibus et videntibus, in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis baptizatus et confirmatus est.* Sita erat hæc olim ædes S. Joannis ad Fontes *inter Ecclesiam Majorem et S. Theclæ*, ut ostendit Puricellius vir summæ eruditionis in dissert. Nazar., cap. 39, n. 21, et in Monum. Basil. Ambr., n. 300, qui etiam in præfata S. Augustini æde baptismum Augustinianum contigisse negat. Petrus Paulus Bosca vir disertissimus, in Martyrol. Ambros. ad diem 5 Maii, veteri traditioni standum putat. Sed quidnam, rogo, ponderis hujusmodi traditioni **830** inest, quæ nullis non modo veterum suffragiis munitur, sed eorum expresse testimonio jugulatur? Quin et antiquitus unum tantum in urbibus fuisse baptisterium (qui mos in quibusdam etiamnum durat) eruditissime docuit Joseph vicecomes collegii Ambros. quondam doctor in lib. de Baptismo, cap. 8, et ego animadverti ab episcopis tantummodo ministratum olim fuisse baptismatis sacramentum, ut propterea pluribus opus non esset baptisteriis, sed unum duntaxat D sufficeret. Hoc autem baptisterium Mediolani S. Joannis ad Fontes basilica appellabatur, quo nomine in aliis urbibus etiam baptisterii basilicæ distinguebantur. Sic Romæ templum S. Joannis Baptistæ, cui Lateranensis nomen, baptisterium complectebatur; et Ravennæ *S. Joannis in Fonte* simillimo muneri inserviebat, ut monuit cl. vir meique amantissimus patronus Joannes Ciampinus cap. 25 Veter. Monim. tom. I. S. Ambrosius in ep. 13 ad Marcellinam: *Dimissis*, inquit, *catechumenis symbolum aliquibus competentibus in baptisterii tradebam basilica.* Profecto contra ipsius Ambrosii sententiam ire videretur, quisquis ejus ævo plura Mediolani baptisteria constitueret. Cur enim *basilica Baptisterii* nude nuncuparetur, si non una tum Mediolani fuisset? Alio nomine distinguenda erat ædes illa, ut inter reliquas baptisterii basilicas nosceretur. Unum ergo Mediolani baptisterium positum erat, quod *ædem S. Joannis ad Fontes* minores appellarunt; ibique S. Augusti-

num baptismali gratia donatum merito opinamur. Neque ex Ennodio, Landulpho, aliisque bina antiquitus in hac urbe sita fuisse baptisteria reponas, itidemque aliud apud Portianam basilicam, quæ metropolitana olim fuit, ut Carolus a basilica Petri in Hist. Mediol. ad Vit. S. Castritiani docet; quippe Ennodii tempore jam plura in urbibus usurpari baptisteria cœpta sunt: quod Ambrosii ævo insuetum plane fuit, et alius baptisterii apud basilicam Portianam nulla sit apud antiquos recentesque memoria. Quin et illam basilicam metropolitanam nequaquam fuisse, solide suspicatur Mediolanensium rerum accuratissimus perscrutator Camillus Sitonus I. V. doctor, quum *Intramurana basilica*, quæ *Major* a S. Ambrosio in ep. 13 ad Marcellinam dicitur, hoc potius muneris quondam præstitisse censenda sit. Alia mitto, ne morosior æquo extra semitam deprehendar. Statuto igitur Augustini baptismo anno videlicet 387, superest ut in annum superiorem 386 SS. Protasii et Gervasii inventionem conjiciamus, quam Puricellius una cum aliis ipsi anno 387 assignavit. Id necessario, ut diximus supra, ex S. Augustini verbis admittatur oportet. Sed et S. Ambrosium a nobis stantem habeo, et ex ejus libris hoc anno 386 peractum eliciam. Eodem ipso anno quo a S. doctore recitata est oratio de Basil. non tradend. inventi sunt memorati martyres; anno enim superiore Justina Augusta animi sui impotentiam in catholicos exercere cœperat. In ea autem oratione sic ait magnus episcopus: *Si quis confidit, huc veniat; inclinatum jam imperatoris judicium, quod lata lege patefecit, quo impugnat fidem, vel sperata ambientium quorumdam studia non requirat.* Quamdam imperatoris legem nuper promulgatam memorat Ambrosius, qua fides impugnatur. Sed quænam hæc? Ea est l. ult. cod. Th. de Fide catholica *data* **831** x *kal. Febr. Mediolani Honorio nob. puero et Evodio coss.*, scilicet an. Ch. 386. Ibi Arianis fit in Ecclesias catholicorum coeundi potestas; ibi Ariminense concilium probatur; quod in laudata oratione Ambrosius hisce tetigit verbis: *Hanc ergo legem quisquam sequatur, qua firmatur Ariminense concilium, in quo creatura dictus est Christus?* Anno igitur eodem 386, sub Paschatis dies, non vero 387, ut Puricellius ac Baronius autumarunt, eadem oratio recitata; non enim *jam inclinatum imperatoris judicium* dixisset Ambrosius, si anno 387, hoc est post annum unum et menses a lata lege penes populum S. episcopus perorasset. Rursus ex secunda legatione a S. Ambrosio ad Maximum tyrannum suscepta idem chronologiæ punctum statuitur. Anno 387 Valentinianus ac Justina eumdem legatum Treviros ad tyrannum miserunt. Re infecta dimissus vir sanctus, Italiæque redditus, ad Valentinianum epistolam 56 scripsit, ubi ait: *Esto tutior adversus hominem pacis involucro bellum tegentem.* Quare imperator *Domninum* alterum pro confirmanda pace legatum ad Maximum destinavit. Hunc ingenti honore exceptum dimittens Maximus, mox cum exercitu subsequitur, et Cottiis Juliisque Alpibus occupatis, Aquileiam usque contendit. Hæc ubi ad Valentinianum delata, sibi timens Augustus Thessalonicam versus fugam arripit. Mense Septembri Occidentem deseruisse imperator videtur, siquidem vii id. ejusdem mensis *Mediolani* edidit legem A 4 *de Princip. agent. in reb.* cod. Th. Si an. 387 sacræ Gervasii ac Protasii exuviæ die 19 Junii translatæ fuissent, quo pacto Ambrosium virum illuc usque sibi infensissimum tam cito legati munere Justina exornasset? Quove etiam modo, intra spatium trimestre ejusdem Ambrosii, iterumque Domnini legationes et Maximi in Italiam irruptio contingere potuissent? Certe locorum distantiam perpendenti aliud affirmandum videbitur, nempe an. superiore 386 inventa sanctorum corpora fuisse; alteroque anno reliqua ad Maximum spectantia accidisse. Paulinus in Vita S. Ambrosii hoc rursus suadet; enarrata enim hac inventione subdit: *Sanctus vero Ambrosius episcopus majoris humilitatis vir factus, donatam sibi a Domino gratiam reservabat, crescebatque quotidie fide et amore coram Deo et hominibus.* Ambrosium post hæc legationem ad Maximum suscepisse affirmat. Igitur quum *quotidie fide et amore coram Deo*, antequam legatus Treviros peteret, Ambrosius creverit, non modicum tempus inter martyrum inventionem legationemque B susceptam intercessit, atque idcirco non uno an. 387 hæc omnia fuere peracta. Quæ autem hucusque retulimus, summum ex Prosperi Chronico robur mutuantur. Ita apud illum in edit. Labbæi, tom. I Novæ Biblioth., ista digeruntur.

Num. 2. Justina mater Valentiniani Arianis favens, in Ambrosium et in Mediolanensem Ecclesiam diversa injuriarum genera congerit. Reliquiæ Gervasii et Protasii martyrum ab Ambrosio primum Mediolani repertæ. Hymni Ambrosii compositi, qui numquam ante in Ecclesiis Latinis modulis canebantur.

Num. 3. Maximus irrumpit. Valentinianus ad Theodosium confugit. Augustinus Mediolani rhetoricam adprime docens, omissis scholis, ad fidem rectam convertitur, cum ante Manichæus fuisset.

Num. 4. Theodosius cum exercitu ad Italiam transgrediens Maximum interfecit.

832 Viden hic servata annorum serie universa C tradi? Annum 386 respicit secundus numerus, ibique detectæ sanctorum reliquiæ dicuntur; in tertio, hoc est an. 387, Augustini baptismus refertur; et quartus demum numerus Maximi interitum in annum 388 confert, quemadmodum et reliqui affirmavere chronologi. Sed jam tempus poscit ut maximum hujusce sententiæ assertorem em. Norisium in opusc. de Itiner. S. Augustini commendem; quum enim per tantum virum profecerim, et ad illum debita gloria referenda, et singulare huic opinioni pondus ab illius suffragio accedere fatendum est. Clariss. quoque virum Antonium Pagium in Critic. Baron. ad an. Ch. 387, ac Hermantum in Vita Gallica S. Ambrosii nostris in castris militare animadverti; quibus viris (et quanti, quæso, sunt) quis jam subscribere dedignetur? Verum patientia tua diutius abuti nolo, Rubino ornatissime, ne si quid obsequii professione meruerim, nimia loquendi libidine perdatur. Utinam tu quoque ad urbis Mediolanensis dignitatem operas tuas aliquando conferas, studiisque tuis publicæ luci redditis ingenii tui felicitatem prodas; tunc enim D eruditissimum tantæ urbis illustratorem litteraria respublica suspiciet, certe graviorem deinceps desiderare nequibit. Vale.

DISSERTATIO DECIMA SEXTA.

AD SANCTI PAULINI VERSUM 402. « MULTA ETENIM SUBERANT ALIA, » ETC., NAT. XI.

De templorum apud veteres Christianos ornatu, ac de diurno in eis cereorum usu.

Ad cl. et eruditissimum virum Antonium Magliabechium Ser. Etruriæ ducis bibliothecarium.

Si te judicem, clarissime Magliabechi, in aliqua eruditionis causa sisterem, utique electioni meæ vel ipsi adversarii succensere non possent, quum virum eruditissimum et reipub. litterariæ columen in illud tribunal advocarem, ex quo solida continuo foret expectanda sententia. Et revera nunc tibi hujusmodi munus injunctum velim, dum de sacris ecclesiarum ornamentis loqui in animum induxi, non ut Paulinum meum tantummodo illustrem, sed ut consuetis etiam novatorum calumniis ex parte occurram. Cardinalis Baronius vir æternum laudandus, in Annal. ad an. Ch. 57 et 58, ecclesias pluribus iisque ditissimis ornamentis antiquitus fuisse refertas, magno eruditionis robore statuerat. Non multos vero ante annos tanti viri sententiam arrodere ausus est Johannes Henricus Ottius Calvinista in libro, cui titulum fecit: *Examen perpetuum historico-theologicum in card. Baronii*

Annales. Dicam neque malevolentia ductus, neque invidiam scriptori facturus; liber ille magno **833** hiatu magna spondebat, sed in ridiculum murem festivissime fœtus evasit. Et profecto si aliud examen huic *examini* quis sibi reponendum sumeret, atramento citius, ac papyro destitueretur, quam ab erroribus castigandis temperaret. Illam ego interim partem refellere decrevi, quæ de sacrarum ædium ornatibus agit, beneficio Paulini potissimum fretus, quo nemo melius, nemo apertius hæc seculis futuris reliquit expressa. Laudat Ottius Alexandrum Severum ethnicum imperatorem, utpote qui templis aurum inferri vetuit, recitatis ad id Persii carminibus:

> Dicite, pontifices, in sacris quid facit aurum?
> Quin superis justos mores castosque probamus.

Atque hæc subdit : *Tu vero sodes confer hæc cum modernorum pontificiorum templis atque monasteriis*. Ad annum vero 58, § 36, relatis verbis Actorum xx, 8, *Erant lucernæ non paucæ in cœnaculo, ubi erant congregati*, hæc habet : *Hinc Baronius cereorum, lucernarum, seu luminum usum obtrudere nobis, et ex medio Judaismo atque gentilismo in Christianum orbem, ceu alter ceroferarius, inferre vult*. Tum ostendere pergit cereos olim in ecclesia accensos non diurnis exercitiis, sed nocturnis adhibitos. Rem paucis expediam. Et quidem quum Paulini nostri carmina evolvo, tam ad unguem expressa intueri mihi videor ecclesiarum nostrarum et usum et ornamenta, ut nullam majorem concordiam reperiri posse arbitrer. Pretiosa olim in sacris ædibus ornamenta fuisse, et quidem auro et argento decorata, en tibi Paulinus Nat. vi testatur :

> Cedo, alii pretiosa ferant donaria, meque
> Officii sumtu superent, qui pulcra tegendis
> Vela ferant foribus, seu puro splendida lino,
> Sive coloratis textum fucata figuris.
> Hi læves titulos lento poliant argento,
> Sanctaque præfixis obducant limina lamnis.

In Natali vero xi, præter alia non minori pretio insignia, crux aurea his versibus exprimitur :

> Multa etenim suberant alia, ut novistis, in ipso
> Ornamenta loco, quæ sumeret, ut crucis auro
> Parceret; intus enim latitabant mystica vasa
> Sumendis mandata sacris.

Quo ultimo versu non aliud intelligendum censeo quam calices, e queis dominicus sanguis hauriebatur a fidelibus, aliaque hujusmodi vasa sacra. Aderant et lucernæ argenteæ.

> Minus esset
> Criminis et pretii suspensam altaris ab ora
> Longius argentoque levem emendare lucernam.

Et infra.

> Continuum scyphus est argenteus aptus ad usum.

Crux ipsa, quam adeo venuste Paulinus exprimit, non auro tantum gravis erat, sed et gemmis concinne exornatam gerens coronam sui pretium augebat. Ait de aureis, hoc est de cruce, coronaque aurea, in quæ dextram latro porrexerat :

> Quæ simul et variis scite distincta lapillis
> Viderat.

Iterum S. poeta coronam gemmis gravem asserit :

> Parva corona subest variis circumdata gemmis.

Multis præterea verbis lampades describit :

> At medio in spatio fixi laquearibus altis
> Pendebant per ahena cavi retinacula lychni.

Idem Natal. ix :

> Tectoque superne
> Pendentes lychni spiris retinentur ahenis,
> **834** Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
> Funibus; undantes flammas levis aura fatigat.

Natali iii lampadum frequentiam circa altaria sic memoraverat :

> Clara coronantur densis altaria lychnis.

Natali etiam vii vitream lucernam, ut moris sui est, A graphice describit, et Nat. xi alias e metallo fabrefactas omnium oculis subjicit. Hæc et alia refert poeta noster, partim etiam videnti populo describere non sustinet, ne tædium audientibus ingerat, atque compendii ergo :

> Munera erant de more sita, hæc quæ cernitis illic
> Omni promta die.

Illustris autem est candelabrorum mentio subsequentibus in versibus 16 :

> vel circumfixa per omnes
> Ordine dimenso quasi candelabra columnas,
> Depictas exstare gerunt quæ cuspide ceras,
> Lumina ut inclusis reddantur odora papyris.

Quot igitur, quantumque pretiosa sacris in ædibus tum temporis ornamenta haberentur, expressum intuemur; quibus addere juvat quædam aliunde petita loca, ne nudum Paulinum exhibeam. Theodoretus, lib. i, cap. 31 Hist. : Διεκοσμεῖτο δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον βασιλικοῖς τε παραπετάσμασι, καὶ κειμηλίοις B λιθοκολλήτοις χρυσοῖς. *Ornabatur autem et divinum altare regiis velis, donariisque aureis gemmatis*. Euseb. in Vita Constantini, lib. iv, cap. 59, Apostolorum templum ab eodem imperatore Constantinopoli describens, interius tectum asserit universum auro fuisse contectum. Aur. Prudentius, item Paulino coævus, Peristeph. in hymno S. Laurentii tyrannum sic adloquentem inducit :

> Hunc esse vestris Orgiis
> Moremque et artem proditum est,
> Hanc disciplinam fœderis,
> Libent ut auro antistites.
> Argenteis scyphis ferunt
> Fumare sacrum sanguinem,
> Auroque nocturnis sacris
> Adstare fixos cereos.

Ferventibus igitur in Christianam religionem ethnicorum minis etiam pretiosis vasis utebatur Ecclesia. Occulte id quidem propter timorem factum, sed tamen C factum. S. Aug., lib. iii contra Cresconium, cap. 29, hæc profert ex gestis proconsularibus habitis *Constantino Maximo Augusto et Constantino jun. nob. Cæs. coss.*, hoc est an. Ch. 320, ut recte statuit Valesius, non vero, ut putavit Baronius, 306 : *Posteaquam apertum est, in bibliotheca inventa sunt ibi armaria inania. Ibi protulit Sylvanus capitulatam argenteam, et lucernam argenteam*. Sed et ante scriptum erat *calices duos aureos, itemque calices sex argenteos* ab eodem Sylvano traditos. Hæc Augustinus, ut Sylvanum evincat, persecutionis tempore fuisse *traditorem*. Anastasius Bibl. (seu antiquior libri Pontificalis auctor) *in Sylvestro* præter alia vasa aurea ac argentea hæc memorat : *Donavit patenam argenteam pensantem libras viginti, scyphos argenteos duos, qui pensaverunt singuli libras denas. Amas argenteas duas*, etc. *Obtulit candelabra aurichalca septem ante altaria, quæ sunt in pedibus decem*, etc. Candelabra quoque exprimit Athanasius in ep. ad Orthodoxos. Celebris autem S. Ambrosii sententia evasit in lib. ii Offic., cap. 28, quam etiam D Gratianus refert in c. *Aurum*, 12, q. 2. Ait ibi : *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget*, etc. *Quid enim dices : Timui ne templo Dei ornatus deesset? Respondebit :* **835** *Aurum sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur*, etc. Prosequitur vero, et aperto sermone pretiosam sacris ædibus fuisse suppellectilem asserit, omnium consensu probatam, et egenorum nihilo secius præsidio destinatam. Sunt hæc, doctissime Magliabechi, venerandæ antiquitatis argumenta, quæ novatoribus opponamus, nostrarum ecclesiarum ornamenta calumniantibus. Quid ergo satyricum in nos producunt hæretici, atque ethnicam insulsamque sententiam canunt? *In templis quid faciat aurum* quærunt; sed eos elegantissime castigat Joannes Tomcus Bosnensis ep. in Orat. pro eccles. ornam.

Quod autem spectat ad alteram propositi partem, qua contendit Ottius, cereos lucernasque non nisi nocte accendi consuevisse in ecclesiis, Paulinum ecce

pro nobis stantem in medium adduco. Inquit iste A Natal. III:

> Clara coronantur densis altaria lychnis,
> Lumina ceratis adolentur odora papyris,
> Nocte dieque micant. Sic nox, splendorque diei
> Fulget, et ipsa dies cœlesti illustris honore
> Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Nihil clarius occurrit. Sed et Nat. XI sic ait:

> His scyphulis incerta relucent
> Lumina, cum fert festa dies.

Et infra scyphuli meminit ad continuum luminis usum destinati:

> Continuum scyphus est argenteus aptus ad usum,

qui et noctu diuque lucebat, quemque importuno sibi lumine micantem fur extinxit. Distinguendum itaque reor inter sacras antiquorum lucernas eo pacto quo inter ævi nostri lampades ac lumina distinguitur. Alia enim lumina nocturno tempori, alia diurno inserviebant; omnia tamen in templi cultum excogitata. Quæ lampas modo dicebatur relucere, B quum ferebat festa dies, noctu hoc munere carebat. Audi subsequentes versus:

> Tunc vero sine usu
> Luminis ad speciem tantum suspensa manebat.

Superius vero alias descripserat lucernas nocti illustrandæ destinatas. At Ottius lucernas hasce nocturnas necessitati sacra facientium adscribit, non ecclesiæ cultui. Hallucinatur Calvinista, quandoquidem quum latro hic ad furta accessit, lampas illa nullis tum sacris peragendis lumen præbebat; quin expresse illam quavis nocte, imo per totam noctem, lucere consuevisse dignoscimus; ait enim de scypho loquens:

> Hunc importuno sibi lumine prædo micantem
> Protinus exstinguit, namque id quoque noverat idem
> Sæpe solere mori, cum stuppa perarida longam
> Conderet in noctem consumto lumen olivo.

Igitur in pium religionis sacræque ædis cultum noctu non minus quam interdiu lampades adhiberi solebant. C Quo sane expressius nihil reperiri potest. Addam etiam Venantii Fortunati, qui uno post Paulinum seculo floruit, testimonium. Describit ille lib. V, carm. 5, diem festum Ascensionis, populorumque ad ecclesiam concursum, et ait:

> Undique rapta manu lux cerea provocat astra,
> Credas ut stellis ire trahendo comas.
> Lacteus hinc vesti color est, hinc lampade fulgor
> Ducitur, et vario lumine picta dies.
> Inter candelabros radiabat et ipse sacerdos.

Nunc armis Baronii rem agam. Laudat ille Epiphanii epistolam ad Johannem Hierosol. **836** episc. ubi ait: *Quum venissem in villam quæ dicitur Arablatha, vidissemque præteriens ibi lucernam ardentem, interrogassemque quis locus esset, didicissemque esse ecclesiam*, etc. *Accidit id quidem*, ut ait Baronius, *interdiu, nam noctu non mirum multas vidisse ubique lucernas.* Constat autem ex pluribus antiquis Patribus cereos laudabili usu in templis comburi solitos, quod probare supervacuum foret. Repetit tamen Ottius Hiero- D nymi autoritatem ab Annalium parente satis ibidem explicatam, atque hic integram victoriæ spem sistit. Inquit S. doctor advers. Vigilant. *Cereos non clara luce accendimus, sicut frustra calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, et vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris. Quod si aliqui, propter imperitiam et simplicitatem secularium hominum, vel certe religiosarum feminarum, de quibus vere possumus dicere: Confiteor, zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde perdis?* Verum hic animadvertendum negare Hieronymum non potuisse diurnam cereorum accensionem, quum id et in Occidente et Hierosolymis in usu fuisse supra exploratum effecerimus, et ipse ibidem hæc habet: *Per totas Orientis ecclesias, quando legendum est evangelium, accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Ipse quoque Vigilantius omnino mentis expers fuisset, si quum nusquam id moris comperiisset, adhuc inflatis buccis hæc protulisset: *Videmus moles cereorum sole fulgente accendi.* S. Cyrillus Hieros. Hieronymo antiquior in præf. ad Catecheses, et alibi, S. Greg. Nazianz. Hieronymo coævus in orat. 40 aliique testantur in baptismate conficiendo luminaria incendi solita. Igitur diurnus cereorum usus negari non poterat. Causa itaque cur incenderentur Vigilantium ad calumniam catholicis infligendam moverat; arbitrabatur enim id a religiosis populis fieri, quasi martyres aliqua illustratione et lumine crederentur egere, ut beati essent. Non vendo conjecturam meam, sed ipsam Vigilantii calumniam. Sunt ejusdem hæretici verba: *Magnum honorem præbent hujusmodi homines beatissimis martyribus, quos putant de vilissimis cereolis illustrandos, quos Agnus, qui est in medio throni cum omni fulgore majestatis suæ illustrat.* Respondet ergo Hieronymus, non clara luce accendi cereos ab hominibus hac ratione adductis, sed ad lætitiæ signum, ut infra evangelicis exemplis probat; neque sub hac prava opinione nocturno tempore solere luminaria incendi, sed ut noctis tenebræ hoc solatio temperentur, ne cæci cum Vigilantio in tenebris dormiant. Tum subsequitur: ac si qui forent inter seculares homines, feminasque religiosas, qui hoc facerent sub ea ratione quæ Vigilantio in mentem venerat, eos excusat, et zelo Dei ac sine crimine id peractum evincit. *Si faciunt*, ait, *quid inde perdis? Causabantur quondam et apostoli, quod periret unguentum, sed Domini voce correpti sunt; neque enim Christus indigebat unguento, nec martyres lumine cereorum.* En iterum Vigilantii mens expressa. Credebat ille cereos ideo incendi a fidelibus, quia lumine illo martyres indigerent, et hinc illum Hieronymus prolato exemplo increpat. Si Christus, cui unguenti nulla erat necessitas, feminam ungentem laudavit, cur et nos Christianum non commendemus, qui martyribus lumine haudquaquam **837** egentibus cereos accendit? At secundum scientiam non faciunt. Illud verum omne; neque enim sanctorum beatitati quidquam confert terrenum lumen. Sed quid inde? Fides accendentibus prodest. *Quicumque*, ait infra egregius doctor, *accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem, dicente Apostolo: Unusquisque in suo sensu abundat. Idololatras appellas hujusmodi homines?* Idem etiam in epist. ad Riparium dixerat: *Accensine ante tumulos martyrum cerei idololatriæ insignia sunt?* Pergit porro Ottius, et hæc Lactantii verba lib. VI, cap. 2. laudat. *Num igitur mentis suæ compos putandus est, qui auctori et datori luminis candelas ac cereorum lumen offert pro munere?* aitque ita papistis displicuisse, ut hanc propositionem inter Lactantii errores numerarint, causamque gentilium contra doctorem Christianum defendant. Sunt illustres calumniæ ignaro in nos brachio intortæ. Nemo inter ipsos heterodoxos habetur qui plures in Lactantio nævos non agnoscat. Qui graviores lapsus est in errores, in minorem hunc ruere potuit. Sed neque censura hic dignus Lactantius, ut mecum omnes consentient catholici, quin potius ejus censores castigandi. Agit ille in ethnicos, eorumque cæcitatem validis excipit argumentis; ea enim ducti Deo tamquam in caligine sito luminibusque indigenti cereorum lumen offerebant. En aperta Lactantii verba: *Mactant igitur opimas ac pingues hostias Deo quasi esurienti; profundunt vina tamquam sitienti; accendunt lumina velut in tenebris agenti.* Id etiam aliis inculcat, quæ apud eumdem videre licet. Si a quibusdam e nostris hic Firmianus carpitur, hic ipsi censura se exhibent dignos, ut in aliis non paucis se exhibuere testimonio Possevini. Non diffiteor tamen hinc alicui hæretico ansam præberi posse catholicum cereorum usum impetendi. Sed videant illi an eisdem in nos mucronibus pugnent quibus in gentiles ferebatur Lactantius. Nos Deo, luminum patri, lumina offerimus honoris gratia, non ut ab ejus oculis caliginem depellamus. Hoc in Lactantio potius excusandum quam arguendum, qui

nondum solidis fidei rudimentis imbutus, in arenam A contra ethnicos descendit; cui nil pensi fuit religioni sacræ patrocinium parare, dum ejus adversarios profligaret. *Utinam*, de illo ait ad Paulinum nostrum Hieronymus scribens ep. 13, *tam nostra confirmare potuisset, quam facile aliena destruxit*. Perverse igitur asserit Ottius nos contra dc ctorem Christianum causam gentilium suscepisse. Neque minus sobrie litem nobis intentat, quia de idololatris ac Hebræis in catholicam Ecclesiam cereorem usum derivemus. Plura sunt quæ ex ethnicis, Judæisque ad nos fuere translata, neque tamen ipsis acatholicis stomachum movent, sed venerationem quam maximam incutiunt. Cur ergo nos hic arguendos arripiunt? Nimirum illis ego Hieronymum objiciam de proposito cereorum usu ita loquentem : *Non diffiteor, omnes nos, qui in Christo credimus, de errore idololatriæ venisse; non enim nascimur, sed renascimur Christiani. Et quia quondam colebamus idola, num colere Deum non debemus, ne simili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, et idcirco detestandum est; hoc fit martyribus, et idcirco recipiendum est*. Augustinus quoque lib. XXI contra Faust., cap. 10, hujusmodi verbis hæreticorum oppositionem occupat, de paganorum Judæorumque sacrificiis **838** loquens : *Tantum*, ait, *interest inter sacrificia paganorum et Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, et præfigurationem prænuntiantem. Sicut autem non ideo contemnenda vel detestanda virginitas est sanctimonialium, quia et Vestales virgines fuerunt, sic non ideo reprehendenda sacrificia patrum, quia sunt et sacrificia gentium : quia sicut inter illas virginitates multum distat, quamvis nihil aliud distet nisi quæ cui voveatur atque reddatur, sic inter sacrificia paganorum et Hebræorum multum distat eo ipso quod hoc solum distat, quæ cui sint immolata et oblata; illa scilicet superbæ impietati dæmoniorum, illa vero uni Deo*, etc. Quid itaque, Magliabechi celeberrime, ad ista obmurmurabunt hæretici? Audiere veterum testimonia diurnum cereorum usum asserentia; Paulinum nostrum audiunt, quo nemo melius adversus illos hoc in proposito certat. Si tot sanctos in prævaricatorum album conjiciendos arbitrantur, hoc illorum eruditioni, B quum majora etiam audeant, integrum relinquamus. Vale.

DISSERTATIO DECIMA SEPTIMA.

AD SANCTI PAULINI VERSUM : « CELLULA DE MULTIS, » ETC., NAT. XI.

De veterum Christianorum sepulchris.

Ad clarissimum doctissimumque virum Joannem Ciampinum Romanum, magistrum brevium gratiæ, litterarum apostolicarum majorem abbreviatorem, et in utraque signatura referendarium.

Emersit apud nonnullos opinio, Ciampine vir eruditissime, scilicet priscis temporibus haudquaquam licuisse in sacris ædibus fidelium Christianorum corpora tumulare, quia quibusdam imperatorum edictis id interdictum deprehenditur. Hinc egregius scriptor Cabassutius ad can. 6 concilii Namnetensis : *Serius*, ait, *in usum ecclesiarum receptum fuit, ut fidelium cadavera intra templorum ambitum sepelirentur*. Tum Gregorii Magni temporibus hanc invaluisse consuetudinem concedit, quippe quæ ex ejus dialogis evidenter eruitur. Laudantur in hanc rem can. 36 concilii Bracarensis primi, ubi *intra basilicas sepeliri Fidelium cadavera prohibentur*, et can. 17 concilii Triburiensis anno 895 coacti, illud idem interdicens. Pro his etiam militant lex 2 de sacrosan. Eccles., in qua sic legitur : *Nemo apostolorum vel martyrum sedem humanis corporibus existimet concessam*, et lex ult. cod. Theod. de Sepulcr. viol. his expressa verbis : Μηδεὶς ἐν ἐκκλησίᾳ ταπτέτο νεκρὸν, *Nemo in ecclesia sepeliat mortuum*. Kepperus heterodoxus homo in Polit. Eccles. lib. I, cap. 15, postquam similes protulit auctoritates, in hanc mirabilem sententiam descendit : *Postquam vero, crescente superstitione, sacra pro defunctis sub Gregorio Magno fieri cœperunt, tunc etiam cœmeteria templis vicina fecerunt monachi et sacrificuli*, **839** *ut sacra illa facilius obire et quæstum majorem facere possent*. Est hæc et plurium novatorum invidiosa de nobis opinio. Verum aperte nimis hunc hæreticum ejusque asseclas falli, simulque apud veteres in usu fuisse, ac non sine laude peractum, ut in sacris ædibus fidelium cadavera humarentur, solidis evincere testimoniis post eruditissimum Spondanum nitar, quibus præsentium temporum morem cum antiquis consentire penitus ostendam. Sunt Paulini versus :

> Cellula de multis, quæ per latera undique magnis
> Adpositæ tectis præbent secura sepultis
> Hospitia.

Hæ profecto cellulæ in ipsa fuere basilica, ejusque partem constituebant; dixerat enim Paulinus, furem clausis basilicæ foribus inclusum, iisque reclusis mane fugam arripuisse :

> Harum una fur abditur, atque ubi mane
> Claustra patere videt, reserata prosilit aula.

Nihil vero aliud mihi videntur quam eædem quas nos Italico sermone vocamus *cappelle*. Quod et ex ejusdem Paulini ad Severum epistola 12 manifeste iterum probo. *Totum*, inquit ille, *extra concham basilicæ spatium alto et lacunato culmine geminis utrimque porticibus dilatatur, quibus duplex per singulos arcus columnarum ordo dirigitur. Cubicula* (en tibi cappellæ præfatæ) *intra porticus quaterna longis basilicæ inserta secretis orantium, vel in lege Domini meditantium, prætereu memoriis religiosorum ac familiarium accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent*. Rursus C ecce vides in hisce cubiculis tumulos Christianæ gentis fuisse sitos. Lateribus autem basilicæ cellulæ istæ seu cubicula insita erant, eodemque procul dubio ordine quo præsentium temporum cappellæ dispositæ conspiciuntur. Nam porticus ibi memoratæ, intra quas cellæ collocabantur, ecquid aliud sunt, quam quæ nobis *laterales basilicæ naves* nuncupantur? Geminas porro hujusmodi naves extra majorem ecclesiæ concham utrimque sitas, alto ac magnifico opere suisque columnis distinctas, videre est in immani mirabilique ecclesia metropolitana Mediolani, tibique in Urbe æterna degenti plura circumquaque exempla suppetunt. Sed ut cubiculorum quæ Paulinus memorat significationem evidentius attingamus, en tibi Anastasii Bibliothecarii in Sergio papa hac de re testimonium : *Hic tectum*, ait, *et cubicula universa in circuitu basilicæ B. Apostoli Pauli studiosius renovavit ac reparavit*. Defunctos autem vita hisce in cubiculis tumulatos ex eodem auctore discimus in Marcellino : *Hic sepultus in cœmeterio Priscillæ in cubiculo claro*. D Fuit et apud Græcos usurpatum eodem sensu cubiculi nomen. Anonymus de Locis sanctis cap. 1 apud clariss. Du Fresnium in Gloss. med. et inf. Latin. : Καὶ εἰς τὸ μέσον τῆς τρούλλας εἰς τὸ ἔδαφος κουβούκλειον πέτρινον ὡραιότατον : *Et in medio Trulli super solum jacet cubiculum ex marmore formosissimum*. Idem Anonymus cap. 15 refert : Τὸ μνημεῖον τῆς Ῥαχὴλ κουβούκλιον πέτρινον : *monumentum Rachelis in cubiculo marmoreo*. Eadem cubicula quoque οἰκίσκοι appellabantur a Græcis. S. Nilus in descriptione templi ab Olympiodoro præfecto exstructi sic ait : Ἐν δὲ τῷ κοινῷ οἴκῳ πολλοῖς καὶ διαφόροις οἰκίσκοις διειλημμένῳ ἀρχεῖσθαι ἕκαστον οἰκίσκον πεπηγμένῳ τιμίῳ σταυρῷ, etc. *In communi vero æde multis variisque distincta cubiculis attolli cubiculum unumquodque, composita intus venerabili cruce*. Itaque istis in cellulis quum piorum memoriæ, seu tumuli statuerentur, evidenter elucet, in basilicis fidelium **840** sepulcra fuisse locata. Alius præterea pius inter catholicos usus obtinuit ab

ipsis Ecclesiæ incunabulis, ut martyres in sacris conderentur ædibus, uti in notis animadverti ad versiculum illum in Nat. XI :

Quæ cineres reverenda tegunt altaria sacros ;

ubi etiam innui fas non fuisse templa absque martyrum corporibus aliquibusve reliquiis sacrare. Illud certissimum et extra omnem dubitationis aleam positum. Alius autem mos erat fidelibus, nempe omni studio curare, ut SS. martyrum corporibus cadavera sua apponerentur, quia tantorum apud Deum intercessorum precibus se fortius adjuvandos arbitrabantur. Paulinus in Panegyr. Celsi pueri hæc de filio sibi defuncto habet :

Quem Complutensi mandavimus urbe propinquis
Conjunctum tumuli fœdere martyribus.
Ut de vicino sanctorum sanguine ducat,
Quo nostras illo purgat in igne animas.

Sanctus quoque Augustinus a Paulino ipso interrogatus, *an cuique post mortem prosit quod corpus ejus apud sancti alicujus memoriam sepeliatur* (sunt ejus verba lib. V Retract., cap. 64), librum unum reposuit *de Cura pro mortuis gerenda*. Ibi vero ait : *Hoc abs te vidua memorata petiverat pro defuncto in eis partibus filio suo, et rescripseras consolans eam, idque etiam nuntians de cadavere fidelis juvenis Cynegii quod materno et pio affectu desideravit esse completum, ut scilicet in beatissimi Felicis confessoris basilica poneretur.* Probat ibidem hanc piam consuetudinem Augustinus, neque ab hoc fideli juvene tantum, sed ab universis fidelibus usurpatam affirmat. In calce libri hæc satis expresse subjicit doctor magnus : *Quod vero quisque apud memoriam martyrum sepelitur, hoc tantum mihi videtur prodesse defuncto, ut, commendans eum etiam martyrum patrocinio, affectus pro illo supplicationis augeatur.* Unusquisque igitur apud martyrum tumulos sepeliebatur, atque idcirco intra templorum ambitum. S. Maximus Taurinensis episcopus, serm. 55, hujusce rei fidem facit : *Ideo hoc*, inquit, *a majoribus provisum est, ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat, dum illos Christus illuminat, nobis tenebrarum caligo diffugiat. Cum sanctis ergo martyribus quiescentes evadimus inferni tenebras eorum propriis meritis, attamen consocii sanctitate.* Florebat Maximus quincto epochæ nostræ seculo, et quum is *a majoribus provisum* asserat ut ossa nostra sanctorum ossibus copulentur, continuo patet prioribus Ecclesiæ seculis Christianorum cadavera in templis componere consuetum fuisse. Nonnulla vero, ut multis parcam, istius rei exempla dabo non longe nimis adscita, sed Mediolani nata. Quietis locum in Ambrosiana basilica sub altari sibi vivens destinarat S. Ambrosius, ubi dein SS. Gervasii ac Protasii corpora locavit. At ille in orat. ad populum de iisdem martyribus habita : *Hunc ego locum prædestinaveram mihi; dignum est enim ut ibi requiescat sacerdos, ubi offerre consuevit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem. Locus iste martyribus debebatur.* S. Satyrus ejusdem Ambrosii frater, vir inter laicos dumtaxat connumeratus, parem sortitus est quietis sedem; ab amantissimo enim fratre in S. Victoris tumulo depositus est, additique sepulcro versiculi, a Dungalo quoque relati :

Uranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambrosius.
841 Hæc meriti merces, ut sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans abluat exuvias.

Aliud etiam in Ambrosiana basilica non minoris antiquitatis pretiique monumentum occurrit, Manliæ nempe Dædaliæ virginis piæ sarcophagus his versibus distinctus:

Martyris ad lævam recubent quæ membra sepulcro,
Ut, lector, noscas, est operæ pretium.
Clara genus, censu pollens, et mater egentum
Virgo sacrata Deo Manlia Dædalia.

Reliquos versus a Grutero in Inscript. volum. pete. Sed et S. Marcellina juxta S. Ambrosii fratris tumu-

A lum requiem invenit : quod, uti apertissimum, probatione non indiget. Hi igitur omnes, quod ecclesiasticus poscebat usus, intra sacrarum ædium ambitum sepulturam aut in vivis constituti sibi destinaverant, aut post mortem aliorum studio sunt nacti, ut mirer Cabassutium in hæc verba exiliisse : *Verum non in alia templi parte, quam in vestibulo, conditus Constantinus Augustus : quod idem censendum pariter existimo de episcopis.* Atqui S. Ambrosium aliosque fideles juxta SS. martyrum corpora cineres suos composuisse tam certum, ut nihil hæsitationis obveniat. Quum vero SS. martyres sub templorum altaribus quiescerent, quis non videt Christianos quoque fideles, nedum episcopos, in interioribus sacrarum ædium penetralibus suam invenisse sepulturam? Quam autem improvide ad contrarium firmandum canon concilii Moguntiaci inducatur, quem refert etiam Gratianus in c. *Nullus* 13, quæst. 2, nemo non videt. Est ille his conceptus verbis : *Nullus mortuus intra ecclesiam sepeliatur nisi episcopi, aut abbates, aut digni presby-*
B *teri, aut fideles laici.* Etiam laicos fideles præter episcopos et presbyteros templis inferri post mortem solitos hinc discimus, tantum abest ut contrarium inde suadeatur. Itaque solos infideles hæreticosve, aut etiam laicos parum pios, puta sine pœnitentia defunctos, usuris addictos, occisores, aut hujusmodi morbis tactos respicit laudatus canon, quos a sacris in ecclesia sepulturis arcendos omnino constituit. Quod si quidam canones et imperatorum leges adversus pium hunc morem emanarunt, non alia ratio in causa fuit, nisi quia nimis in ædibus sacris tumulorum cadaverumque moles augebantur, ut propterea coercendi ex parte fuerint Christiani, quibus extra ecclesiam sacer locus alium aperiebat sepulcri campum. Hincmarus Rhemensis episcopus in S. Remigii Vita apud Sur., tom. I, quamdam *ecclesiolam* memorat *in qua eique circumjacentibus atriis ex antiquo erat cœmeterium Rhemensis ecclesiæ*. Vides igitur *ex antiquo*, videlicet ante S. Remigii tempora, qui seculo
C Christi quincto degebat, tum in ipsis templis, tum etiam circa illa Christianorum tumulos fuisse constitutos. Gothofredus ad l. IX cod. Theod., tit. 17 de Sepulcr. viol., *Observandum*, ait, *etsi Christiana religione invalescente contra legem obtinuerit sanctorum reliquias in civitatibus condi, atque ad ejusmodi sepulcra plerumque ædiculæ, seu martyria exstructa fuerint, in quibus imperatores Constantinopoli, mox et sacerdotes singulari privilegio fuerint sepulti, privatis tamen idem non licuisse.* Hæc apposite ad legis sensum, quibus et ego lubens subscribo. At hinc illud discimus, in urbanis quidem templis per aliquod tempus interdictam fidelium sepulturam, quia, et antiquis ethnicorum placitis, et Christianorum pariter principum edictis, cautum erat ne in **842** urbibus sepulcrum mortuo concederetur; in ecclesiis vero extra urbem sitis, cujusmodi primo Christianæ religionis ævo pene omnes erant, id non licuisse, parum sapit qui negare ante tot veterum testimonia audeat. Non sum denique eorum immemor quæ tu in egregio
D opere de Veter. Monim., tom. I, cap. 17, Cœmeteria illustrando protulisti, sed apud temetipsum tua adhibere inutilis opera censeretur. Unum idcirco producam Onuphrium Panvinium virum tanti in antiquitatum scientia nominis, qui in suis ad Platinam additamentis libellum de Cœmeteriis iisdem proposuit. Docet autem *cœmeteria non solum ecclesias fuisse et basilicas, sed aliquid amplius quam ecclesiæ urbanæ, sepulcra scilicet Christianorum, quæ intra urbem fieri non poterant, habuisse.* Id innumeris ille exemplis roborat, quæ apud illum et apud Spondanum, in lib. de Christ. Sepul., recolenda volentibus reservamus. Hinc igitur, Ciampine doctissime, ni mea me fallit opinio, elucescit quam parum æque Kepperus aliique in Christianorum sepulcra ferantur. Profecto non Gregorii Magni temporibus, nempe seculo æræ nostræ septimo, vicina templis loca sibi in tumulum usurpare cœperunt fideles, ut illi nobis invidiam conflaturi ineptiunt, sed ipsis prioribus Ecclesiæ seculis id apud

non paucos receptum fuit, ut intra ipsas tumularentur basilicas. Quibus hucusque enarratis si calculum tuum pro summa qua polles eruditione addideris, A ego non tam quod hæreticorum calumniam everterim, quam quod tibi placuerim, mihi summopere gaudebo. Vale.

DISSERTATIO DECIMA OCTAVA.

AD SANCTI PAULINI NATALEM XII.

De votis votivisque Christianorum oblationibus in sanctorum venerationem factis.

Ad cl. virum P. Guillelmum Bonjour Ord. Eremitarum S. Augustini.

Oblationes quas alicui sancto voti cultusque causa catholicus populus dicat irridebat olim Erasmus vir multa eruditione petulans, et de religione parum quandoque bene meritus. In colloquio, quod *Naufragium* inscribitur, hunc pium Ecclesiæ morem carpere instituit, apud subsequutos hæreticos non parum gratiæ idcirco nactus. Verum tantam maledicendi libidinem allatis veterum Patrum testimoniis, ac uno potissimum sancti Paulini oraculo fretus, neque brevitatis, neque modestiæ oblitus, retundere statui, tum ut calumnia, quam novatoribus hodiernis placere video, uno ictu confodiatur, tum etiam ut sanctorum cultus veterum Patrum autoritate fortius confirmetur. Tibi vero, clarissime Bonjour, brevem hanc disquisitionem offerendam censui, ut apud litterariæ
843 reip. cultores perspicuum fiat quanto studio quantaque animi observantia eruditionem prosequar tuam. Ubi enim prodiit tua illa Dissertatio, quam de Josephi castissimi viri cultu sub Serapidis nomine instituisti, et cui Paulinum quoque Nolanum subscripsisse intelliges, continuo in magnam tui admirationem fui raptus. Et plane quid a te sperandum non est, quum ad maturiores annos perveneris, si florentissima ætate adeo philologicis doctrinis imbutum te prodidisti? Parum tamen hoc tibi laudis fuisset, ni scientiam tuam modestia etiam ac humanitate clariorem effecisses. Et illa quidem nunc est quæ me laudibus tuis parcere cogit; hæc vero quæ meis hisce commentationibus animum fiduciamque ad te accedendi fecit. Sed jam proposita impleamus. Variæ antiquitus fieri solebant oblationes. Aliæ enim panis erant, ac vini, quæ in usum incruenti sacrificii transferebantur, et de illis concilium Matisconense secundum, cap. 4, ait : *Propterea decernimus ut omnibus dominicis diebus altaris oblatio ab omnibus viris et mulieribus offeratur tam panis quam vini.* Cyprianus quoque lib. de Opere et Eleem., Augustinus, seu alius autor serm. 215 de Temp., Eligius Noviom. tract. de Rectitud. cathol. convers. tom. I, Augustin.,Bona Rer. Liturg. lib. I; cap. 23, aliique non pauci istiusmodi morem commemorarunt. Aliæ erant oblationes olei aut ceræ ad luminaria, de quibus præter laudatum autorem serm. 215 de Temp. loquitur canon. 4 apostolorum in hæc verba : Μὴ ἐξὸν δὲ ἔστω προσάγεσθαί τι ἕτερον πρὸς τὸ θυσιαστήριον, ἢ ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν, καὶ θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς. *Offerre autem non liceat aliud ad altare quam oleum ad luminare, et incensum tempore sacræ oblationis.* Aliæ sacrorum vasorum, vestium ac ornamentorum fuere oblationes, quas Græci ἀναθήματα vocant, et de quibus omnium uberrime Anastasius Biblioth., Coccius tom. II, lib. VI, art. 15, et Raynaudus Heterocl. Spirit. sect. 2, puncto 3, verba faciunt. Aliud postremo oblationum genus nos docet Paulinus, quæ sanctis ex voto aut veneratione offerebantur. Hæ autem ex rebus quibuscumque constabant, ut omnium pietati se accommodaret sancta religio. Divites opulenta dona; pauperes quod sibi, pusillum licet, suppetebat, beatorum in obsequium conferebant. Neque hæc donaria voto carebant; ut enim quisque sanctorum opem ad effugienda pericula implorabat, voto etiam sese obstringere sancto patrocinanti solebat. Hujusmodi votorum (quæ tamen minus proprie sic appellantur) quam sit rectus usus, theologis nostris ostendendum relinquo; non enim tantam messem mihi proposui. Factum igitur, non jus hoc loco quærimus; et confestim hujusce rei luculentus adsertor Paulinus accedit in Nat. XII, ita loquens :

Venerat huc quidam placitum sibi solvere votum
Urbis Abellinæ de finibus advena nostris
Sedibus. Hic porcum studio curante paratum
Dilatumque diu, ut simul annis atque sagina
Cresceret, huc illuc perduxerat; atque ubi venit,
Pingue pecus voti jugulat de more voventum.

Ecce quam apertis verbis antiquum eorum morem
B qui Deo in honorem sanctorum vota nuncupabant hic indicat scriptor noster. Repetit infra :

Et votum complesse putat.

844 Item :

In quibus heu demens oblati munera voti
Fraude fidem violans converti in damna salutis.

Et alibi :

Confestim voti ratione soluta
Debitor ille intus meritæ compage catenæ
Solvitur...

Primum istud est S. Felicis miraculum, qui Abellinum incolam pro fraudata voti parte castigavit. Alterum a Paulino propria ejus facundia ornamentoque verborum refertur, ubi iterum votivarum oblationum in S. Felicis cultum egregiam injicit mentionem. Audiamus canentem :

Agricolæ quidam de nostris longius oris,
Apula trans urbem Veneventum rura colentes,
De grege setigero multis a fœtibus unum
C Excerpsere sibi, et curatum tempore multo
Paverunt in vota suem, et cœpere paratum
Ducere sancitam sancti Felicis ad aulam.

Subdit :

Mens anxia nutat in anceps,
Nam voti revocare viam pia pectora nolunt,
Rursus Felicis veneratum limina longe
Ire pudet vacuos devoti muneris.

Steterat sus pondere saginæ pressus, ac propterea iidem agricolæ sues alios minores legerunt, ut votum omnino persolverent. Ait hinc Paulinus :

Quod devota fides obstricti debita voti
Maturare parans tali ratione putavit,
Pluribus ut modicis unum pensaret opimum.
Ergo sacrum huc venere locum, votisque patratis...

Tertium Paulinus memorat prodigium hisce versibus.

Nam genere abjunctam, pecus armentale juvencam
D Quidam homines æque longinqua huc sede profecti
Secretam primo lactantis ab ubere matris
Nutrierant nostris votivo munere pactam
Pauperibus.

Sed et in Nat. VIII hæc ait :

Omni namque die testes sumus, undique crebris
Cœtibus aut sanos gratantia reddere vota
Aut ægros varias petere, et sentire medelas.

Et hæc quidem erga sanctum vota oblationibus etiam additis conspicua erant. Omnes autem in pauperum alimenta cedebant, nempe *ut saturo gauderet pauper martyr :* quod nos hisce tribus exemplis poeta sacer edocuit, qui etiam dilucide addit vota hæc martyribus nuncupata. Audiamus :

Sed qui mos esse videtur
Persolvenda piis longe sua vota ferentum
Martyribus...

Alia præter hæc vota sanctis voveri consuevere, quæ hujusmodi oblationibus carebant. Quidam se beatorum

basilicas visitaturos, alii se festos eorum dies celebraturos vovebant, quorum votorum exempla nobis idem Paulinus præbebit. Morabatur ille in Hispaniis, quum Natalem primum cecinit, voveratque suum ad Nolanam urbem iter invisendi S. Felicis causa. Itaque ait :

Et qua requiescis in aula
Hunc liceat celebrare diem, pia reddere coram
Vota, et gaudentes inter gaudere tumultus.

In natali vero II illud idem scribit quum se Nolæ reddidisset :

Tria tempore longo
Lustra cucurrerunt, ex quo solemnibus istis
Coram vota tibi, coram mea corda dicavi.

In Nat. IV hæc habet :

Annua vota mihi remeant.

In Nat. V itidem :

Exoptata dies anno, quæ dulcia festa
Et mea vota novas.

845 Quod si quis *vota* his versibus memorata pro puris putis precibus intelligenda esse contendat, dicat, rogo, num preces ad S. Felicem ejus tantum natali die funderet Paulinus? Hoc utique non affirmabit; ait enim Paulinus Nat. IX :

Nam quæ, rogo, votis
Cassa dies oritur, vel magnis rara catervis?

Igitur vota eo die novata erant carmina, quæ S. Felici quotannis voverat noster vates. Hoc autem expressum reliquit ipse Nat. VI :

Lex mihi jure pio posita hunc celebrare quotannis
Eloquio famulante diem, solemne reposcit
Munus ab ore meo Felicem dicere versu,
Lætitiamque meam modulari carmine voto.

En carmen votum, en S. Felici promissum debitumque munus. Vide autem quam bene hæc vota idem Paulinus a votivis oblationibus supra relatis distinguat. Sic loquitur Nat. laudato :

Flensque iterum, sed lætitia, modo debita sancto
Vota refert, non ære gravi, nec munere surdo,
Munere sed vivo linguæ, mentisque profusus.

Paulino, qui hucusque rem confecit, juvat alios apponere propositi nostri testes, ut in lucem melius veritas efferatur. De S. Felice Nolano epigramma etiam elaboravit S. Damasus papa, cujus postremi versus ita se habent :

Te duce servatus mortis quod vincula rupi
Versibus his Damasus supplex tibi vota rependo.

Prudentius in Hymno de SS. Hemeterio et Chelidonio similia profert :

Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes voce, votis, munere.

Hic, ni fallor, cum vota pura, tum oblationes memorari videmus. Gregorius vero Turonensis, lib. II Hist. Franc., cap. 37, *Domino*, ait, *gratias agentes, et vota B. confessori* (Martino) *promittentes læti nuntiaverunt regi*, etc. S. Augustinus, lib. II contra Faustum, eumdem hæreticum hæc nobis objicientem inducit : *Idola vertistis in martyres, quos vo'is similibus colitis.* Egregium autem est in hanc rem Eusebii Cæsariensis testimonium. Postquam hic lib. XIII Præpar. evang., cap. 7, a nobis coli sanctos affirmavit, ut veræ pietatis milites, denique amicos, addit : Ὅθεν καὶ ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν ἔθος ἡμῖν περιμέναι, καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταυταῖς ποιεῖσθαι. *Unde tumulos eorum frequentare, et circum eosdem vota illis nuncupare solemus.* Verum quia vocabulum τὰς εὐχὰς pro *precibus* positum quibusdam videri posset, sine, quæso, me verbi hujus rationem explicare, ut palam fiat apud Græcos Patres proprie εὐχὴν pro *voto*, προσευχὴν vero pro *oratione* aut *prece* usurpari. Henricus Stephanus in Thes. Græcæ linguæ id pluribus exemplis probat, et ego duobus clarissimis roborabo testimoniis. Gregorius

A Nyss. orat. 2 de Orat. domin. ad illud Matthæi VI, *cum oratis*, etc., inquit : *Non dixit*, ὅταν εὔχησθε, *id est cum vota facitis, sed* ὅταν προσεύχησθε, *id est cum oratis*, etc. *Sed quænam est horum nominum differentia?* εὐχὴ, *id est votum, quidem promissio est alicujus rei, quæ pietatis nomine dedicetur, et sacris destinetur;* προσευχὴ *autem, id est oratio, est petitio bonorum, quæ Deo cum supplicatione offertur*, etc. Tum subdit : *Multis in locis Scripturæ ejusmodi* τῆς εὐχῆς, *id est voti significationem, videre licet*, etc. Non minus aperte loquitur S. Augustinus in epist. 59 ad Paulinum nostrum scripta, ubi hæc habet : *Nam eam, quam dicunt* εὐχὴν, *raro ita Scriptura ponit, ut intelligatur oratio; sed plerumque et multo usitatius votum appellat* εὐχὴν; προσευχὴν *vero* **846** *semper orationem vocat.* Et infra : *Porro si usitatius, ut dixi, in Scripturis votum appellatur* εὐχὴ, *excepto nomine generali orationis ea proprie intelligenda est oratio, quam facimus ad votum, id est* πρὸς εὐχήν. *Voventur autem omnia quæ offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio*, etc. Sed re-

B deamus ad nostra, iterumque vota sanctis nuncupata prodamus. Concilium Namnetense, can. 20, ita fatur: *Omnibus interdicatur ut nullus votum faciat, aut candelam, vel aliquod munus pro sanitate sua rogaturus alibi deferat, nisi ad Ecclesiam Domino Deo suo.* Ego plane assentiri non possum clarissimo Du Fresnio, qui in Gloss. med. et inf. Latin. hic *votorum* nomine dies paganorum festos significari censet. Candelæ enim, aliaque munera pro recuperanda valetudine æterno numini oblata, quæ hic memorantur, satis docent *vota* hujusmodi pro *tabellis votivis* esse intelligenda. Scilicet antiquis non minus quam nostris temporibus has Deo beatisque viris suspendere tabellas in usu fuit. Audi præclarissimum hac de re testimonium Theodoreti Cyrensis episcopi, qui, ut optime nosti, medio fere seculo quincto scribebat. Hæc autem ejus sunt verba in serm. 8 de Martyribus ad Græcos : Ὅτι δὲ τυγχάνουσιν ὧνπερ αἰτοῦσιν οἱ πιστῶς ἐπαγγέλλοντες, ἀναφανδὸν μαρτυρεῖ τὰ τούτων ἀναθή-

C ματα τὴν ἰατρείαν δηλοῦντα. Οἱ μὲν γὰρ ὀφθαλμῶν, οἱ δὲ ποδῶν, ἄλλοι δὲ χειρῶν προσφέρουσιν ἐκτυπώματα, καὶ οἱ μὲν ἐκ χρυσοῦ, οἱ δὲ ἐξ ὕλης ἀργύρου πεποιημένα. Quæ ita vertit Zenobius Acciajolus : *Pie vero fideliterque precatos ea maxime consequi quæ desiderant, testantur illa quæ votorum rei dona persolvunt, manifesta nimirum udeptæ sanitatis indicia. Nam alii quidem oculorum, alii vero pedum, alii porro manuum simulacra suspendunt ex argento aurove confecta.* Plura addit laudatus Theodoretus, quæ brevitatis ergo nunc sileo. Sed et videre est illustrem hujusmodi votorum memoriam apud Paulinum in Natali III inter illos versus quos ex codice nostro vetustissimo præteritæ nunc restituimus aut addimus editioni. Sunt autem hi :

Alma dies magnis celebratur cœtibus, omnes
Vota dicant sacris rata postibus, omnia gaudent...

Hic profecto votivæ memorantur tabellæ, quæ sacris suspendebantur basilicarum postibus; *dicare* enim

D *vota* idem est ac *suspendere vota*. Vota autem appellantur *rata*, hoc est *exaudita* ad instar Ovidiani versus lib. I Fast. :

Efficiatque ratas utraque diva preces.

In memoriam igitur munerum intercessione sancti Felicis a Deo receptorum, atque ad testandum exauditi voti pignus tabulæ ad sacras templorum fores deferebantur. Ad hæc utique si respexisset Erasmus, fortasse dicacitati pepercisset, neque votivarum erga sanctos oblationum aut tabellarum usum hactenus catholica ab Ecclesia probatum tam mordacibus sarcasmis invasisset. Ceterum si mos hujusmodi nuperis novatoribus non bene accommodatur, litem etiam vetustissimis Patribus ii intentent oportet, a quibus quum sanctitate vincantur et eruditione, ita et pietatis rationibus facile superabuntur. VALC.

DISSERTATIO DECIMA NONA.

AD S. PAULINI NATAL. XIII, VERS. 87.

De sanctorum martyrum natalibus.

Ad clar. virum Antonium Felicem Marsilium Bononiensis cathedralis archidiaconum.

847 Jampridem, Marsili clarissime, una cum eminentissimo Annalium parente Baronio aliisque multis credideram, quotquot in ecclesiasticis fastis sanctorum natales proponuntur, eosdem si non perpetuo, at sæpissime diem eorumdem emortualem designare. In hanc autem sententiam eo facilius ibam, quo accuratius animadverteram ab ipsa nos nonnumquam moneri Ecclesia, quum in alium quam in obitus diem sanctorum solemnia caderent. Tunc enim hymnis precibusve paulum mutatis sibi ab antiqua consuetudine declinatum omnium Ecclesiarum magistra prodebat. Verum celeberrimi scriptores P. Papebrochius primum, deinde P. Pagius, me diutius in errore versatum præteritis annis commonuere; ille enim in Conatu chronico hist. ad Catalogum Roman. pontif. pag. 25 ait : *Itaque in hodiernum tempus, exceptis paucis, veteres fere omnes Romani episcopi alio coluntur die quam dicendi sunt obiisse.* Pagius vero in Critica Baroniana ad an. Ch. 67, num. 18, hæc habet Papebrochii vestigiis inhærens : *Dies quibus sancti pontifices coluntur, aut quos eorum morti vel sepulturæ martyrologi aliique attribuunt, nihil plerumque cum die obitus aut sepulturæ commune habent.* Immo longius procedit num. seq. dum reliquos sanctos eidem regulæ subesse pronuntiat; inquit enim: *Sancti itaque plerumque aliis diebus quam quibus ad cœlestem patriam migrarint culti.* Et infra : *Hinc pauci sancti quibus obierunt diebus coluntur.* Vix vero novam hanc et ego opinionem indueram, tantosque viros omnino sequebar, quum antiquam a Paulino magis firmari animadverti, reque ad examen revocata, infirmis nuperam hanc niti fundamentis intellexi. Quæ igitur super hisce per otium disserere licuit, en oculis tuis subjecta prodeunt, obsequii potius meritum quam eruditionis laudem mihi allatura. Primum vero de sanctorum festis diebus quædam adnotabo, ut eorum institutionem continuo nobis favere perspicuum fiat. Quæcumque enim antiquitus in Ecclesiam Dei inducebantur solemnia, eum ipsum diem respiciebant quo SS. martyres vitæ suæ consummarant cursum, cœloque redditi toleratæ mortis fructum primo 848 perceperant. Celebris est S. Cypriani locus in epist. 37 ad Presb. et Diac., ubi sedulo illos hortatur ut dies quibus martyrum quilibet e vivis excesserat adnotent. *Denique*, ait, *et dies eorum quibus excedunt adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare possimus; quamquam Tertullus scripserit et scribat, ac significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalem vitam gloriosæ mortis exitu transeunt, et celebrentur hic a nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum quæ cito vobiscum Deo protegente celebrabimus*, etc. Epist. quoque 34 idem Cyprianus : *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties martyrum passiones, et dies anniversaria commemoratione celebramus.* Antiquius etiam hac de re testimonium proferamus, nempe epistolam Smyrnensis Ecclesiæ de S. Polycarpi martyrio, quæ inter sacros fœtus antiquitatis ad nostra usque tempora pervenit. Inquiunt autem piissimi viri : *Sancti martyris ossa gemmis auroque pretiosiora tumulo mandavimus.* Ἔνθα ὡς δυνατὸν ἡμῖν συναγομένοις ἐν ἀγαλλιάσει, καὶ χαρᾷ, παρέξει ὁ Κύριος ἐπιτελεῖν τὴν τοῦ μαρτυρίου αὐτοῦ ἡμέραν γενέθλιον, etc., *ubi sane nobis in unum aliquando coactis Dominus præstabit, ut, cum exsultatione et gaudio ejus martyrii diem instar natalis festi celebremus.* Igitur apostolicis etiam temporibus natalis appellabatur hic dies martyrum commemorationi dicatus, illudque vocabulum apud veteres diem tantummodo sanctorum emortualem designabat. Primum audiamus Paulinum Nat. XIII ita loquentem :

A Et merito sanctis iste natalis dies
Notatur, in quo lege functi carnea
Mortalitatis exuuntur vinculis,
Et in superna regna nascuntur Deo.

Quia tum cœlo SS. martyres nascebantur, natalis nomen eorum obitus diei inditum. S. Petrus Chrysol. serm. 129, *Natalem*, ait, *sanctorum cum auditis, carissimi, nolite putare illum dici quo nascuntur in terram de carne, sed de terra in cœlum, de labore ad requiem*, etc. Euseb. Gallicanus, sive Cæsarius, homil. 50 de S. Genesio : *Beatorum martyrum passiones natales vocamus dies, quando eos martyrii vita et gloriæ fides dum ingerit morti, genuit æternitati.* Eadem in sententia sunt S. August., serm. 1 de Sanct.; Nicolaus PP., in Resp. ad consulta Bulgar., cap. 5; Rhaban., lib. II de Instit. cler., cap. 43; Radulphus Flavi., lib. VII, cap. 2 in Levit.; Amalar., lib. IV de Eccles. Offic., cap. 35; Belet., de Divin. Off., cap. 4, et alii. Ex horum autem autorum consensu patet eos tantum antiquis temporibus dies solemni honore B fuisse insignitos, sanctorumque memoriis sacratos, quibus iidem toleratæ mortis beneficio supernæ redditi fuerant quieti. In hanc rem testis luculentissimus accedit Paulinus, siquidem Nat. XIII inquit :

Hinc ergo sanctis, sive confessoribus
Dies sacratos, in quibus functi diem
Mortalis ævi morte vitali suum
De labe mundi transierunt ad Deum,
Populi fideles gaudiis solemnibus
Honore Christi gratulantes excolunt.

849 Quoties igitur seu in vetustis martyrologiis, seu apud Christianos Patres *natalis* vocem comperimus, continuo justum diem intelligamus oportet, quo sancti alicujus obitus seu sepultura annuis recolitur votis. Hinc martyrologia originem, hinc fasti ecclesiastici primordia sua cognoscant. Et profecto constanter affirmandum reor, non nisi seris Ecclesiæ seculis factum ut alius dies sanctorum commemorationi dicatus haberetur, quam qui eorum obitus memoriam quotannis renovaret. Autor est Gregorius C Turon., lib. II de Mir. Martyr., cap. 29, S. Germani temporibus, hoc est seculo Christi quinto, institutum fuisse S. Juliani martyris solemnem diem. Ignorabatur quo die decessisset B. martyr; hinc populus anxius, incertusque dies piis eorum votis obstabat. Divinitus tamdem subsidium ignaris præstitum, et quæsitus dies, cœlo ipso revelante, innotuit. Inquit laudatus autor : *Hujus festivitatis temporis ignara plebs mœsta pendebat, nesciens diem in quo martyr beatus deberet pro virtutis ac passionis gloria honorari, et hæc ignorantia usque ad B. Germanum Autisiodorensem antistitem est protracta*, etc. *Tunc ille, Oremus, inquit, et fortasse nobis hæc Domini potentia revelabit. Quod cum fecissent, mane orto ait,* V *kal. mensis septimi celebrandam esse festivitatem.* Si liberum olim fuisset quoto magis placeret die sanctorum commemorationem celebrare, utique non adeo segnes in S. Juliani solemniis instituendis ii fuissent populi, neque tanto studio tempus quo recolenda *ejus passionis gloria* foret investigassent. Quamobrem D animadvertas quotquot scriptores martyrologia publicis consignavere tabulis, id potissimum præ oculis habuisse, ut emortuales sanctorum dies quanto certius posset exprimerentur. S. Gregor. M. ad Eulogium Alexandr. epist. 29, lib. VII : *Nos autem*, inquit, *pene omnium martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione missarum solennia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo nomen, locus et dies passionis ponitur.* In hanc rem Ado Vienn. archiep. scribit in præf. ad suum Martyrologium : *Huic operi ut dies martyrum verissime notaretur, qui confusi in kalendis inveniri solent, adjurit martyrologium ab urbe Roma Aquileiam transmissum.*

Beda quoque, Adone antiquior, in suorum operum A Catalogo : *Martyrologium*, ait, *de natalitiis SS. martyrum diebus, in quo quos invenire potui non solum qua die, verum etiam quo genere certaminis, vel sub quo judice mundum vicerint, diligenter annotare studui.* Eo autem hæc omnia spectant, ut unum Pagii fundamentum dejiciamus; inquit enim : *Sanctos plerumque aliis diebus quam quibus ad cœlestem patriam migrarint cultos, sive quia persecutionis tempore minus exquisite notatio haberi potuerit dierum quibus passi sunt*, etc. Quantopere vero in hisce diebus notandis seduli Christicolæ forent, ex relatis scriptorum suffragiis jam patuit. Audiatur præterea Chrysost. hom. 26 in Epist. II ad Corinth. *At vero*, ait, *servorum Christi vel monumenta ipsa sunt illustria, quæ regiam et dominam omnium civitatem obtinuerunt; tum mortis illorum dies noti sunt omnibus qui festi per totum orbem aguntur.* Quapropter hoc pro certo habeamus, nullos fere olim festos dies in Ecclesia Dei fuisse institutos, nisi eos quibus sanctorum **850** e vita de- B cessio quotannis recolebatur. Sed jam quærentes audio cur nonnumquam vetusta inter se martyrologia dissideant, nec cum ipsis martyrologiis sanctorum acta non raro conveniant. Si unum tantum obitus diem sacri repræsentarent fasti, aut acta illa fidem non haberent, aut ipsa inter se martyrologia de veritate certarent. Ego cum varias edisseram hujusce discrepantiæ caussas, tum ne ipsam quidem tantam esse demonstrare pergam, ut (quod Pagius sensit) nullus ferme sanctorum emortuales dies nunc observetur. Neque enim inficias imus quorumdam festa non ipsis martyrii diebus coli, sed id tantummodo præstamus, ut ea raro contingere, et fere semper martyrologio monente, ostendamus. Hæc quoque, et non alia est Florentinii sententia in adnot. 11 ad martyrol. Hieronymianum, et Petri Damiani in opusc. cui tit. *Dominus vobiscum.* Itaque primam rationem cur quorumdam sanctorum alio die quam quo obierint memoria celebretur, eam assignari posse puto, quod olim quadragesimali tempore aut nullæ aut paucæ feriæ C sanctorum commemorationem admittebant, eorumque propterea honores in alios extra Quadragesimam protrahere necesse erat. Sic festum Annuntiationis e die 25 Martii in 18 Decemb. a concilio Toletano x, can. 1, rejectum est; neque alia intercessit caussa. Synodus Laodicena, can. 51, statuit *quod non oporteat in Quadragesima martyrum natales peragere, sed eorum in sabbato et dominica tantum memoriam fieri.* Idem habetur in Capitulis Martini Bracarens., cap. 48 : *Non liceat in Quadragesima natales martyrum celebrare, sed tantum sabbato et dominico die pro commemoratione eorum oblationes offerri.* Si igitur in sabbatum dominicumve diem sanctorum natales quadragesimali tempore incidebant, eorum commemoratio utique permittebatur, aliis vero diebus id interdictum. Hinc diversis diebus quam quibus e vivis excessere, quidam coluntur beati, quod nempe annus illorum obitus Quadragesimæ causa celebrari non posset. Sane ubique locorum hujusmodi consuetudinem invaluisse minime crediderim; in Ecclesia tamen D Ambrosiana adeo constans fuit, ut nullius sancti festum durante Quadragesimæ jejunio, etiam nunc celebretur, et in alios referantur dies quæ alioqui iisdem temporibus celebranda forent. De hoc legendus Carolus Guyet. e soc. Jes. in Heortolog. lib. II, cap. 2, 3. Secundo, quia sancti alicujus natalis dies a digniore festo occupabatur. Sic S. Basilii festum e die prima Januar. in 14 Jun., et S. Remigii e die 15 ejusdem mensis in primum Octobr. conjecta fuere. Sanctorum deinde translatio efficere potuit ut diversus ab emortuali dies ipsorum commemorationi fuerit dicatus. Nonnulla, quæso, quæ ad id quo de agimus pertinent consideremus. Sacras martyrum reliquias sub Constantino tantum transferri cœpisse Paulinus auctor est disertissimus. Natali XI inquit ille :

Ut Constantino primum sub Cæsare factum est
Tunc famulis retegente suis, ut sede priori
Martyres accitos transferrent in nova terræ
Hospitia.

Quod tam sero pretiosæ sanctorum exuviæ in varias **851** transferri partes cœperint, ethnicorum imperium in causa fuisse videtur; constat enim antiquo Romanorum jure extinctorum corporum translationem fuisse interdictam, ut l. 39, ff. de Religios., et Plinius epist. 73, lib. x, docent. Vix autem sub Constantino Christi fides extulit caput, quum hinc inde triumphales martyrum reliquiæ ad populorum opem transvehi cœpere. Iterum Paulinus ait :

Ex illo sacri cineres quasi semina vitæ
Diversis sunt sparsa locis, quaque osse minuto
De modica sacri stipe corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic pia gratia fontes
Et fluvios vitæ generavit gutta favillæ.

Em. Baronius ad diem 15 Jun. in martyrol., et Azor., tom. I Instit. Mor., lib. IX, cap. 8, quæst. 11, ex eo tantum tempore in Gallias et per Occidentem cœpisse beatorum corpora transferri censent quo Franci Romana Ecclesia a Longobardis aliisque tyrannis vindicata liberum fecere piorum commercium. Sed multis ante seculis hunc obtinuisse morem cum Paulinus tum innumera suadere possunt exempla, ut mirum sit viros doctissimos in hanc opinionem concessisse. Unus legatur Gregorius Turonensis, et res palam fiet. *Translationis* vero nomen non ad quamcumque reliquiarum transvectionem refertur, sed eam dumtaxat respicit, quando ab aliquo justæ sepulturæ loco ad alium sacra pignora asportantur. Nam quod S. Ignatii martyris statim post ejus cædem corpus Antiochiam Syrorum hominum studio delatum fuerit anno Ch., ut Baronius arbitratur, 110, ejus reliquiæ translatæ minus apte dici potuere. Tam celebres dein hujusmodi translationes sunt factæ, ut earum quotannis memoria solemniter recoli in Ecclesia cœperit, earumque mentio nonnumquam in martyrologiis fit obvia. Quocirca post Florentinium doctissimus Pagius suspicatus est pro diebus sanctorum emortualibus substitutos quandoque translationum dies fuisse. Mihi hujusmodi rem examini subjicere non vacat; ea tamen non præteribo quæ Guyetus in eamdem quæstionem lib. II, cap. 2, quæst. 3, Heortolog. ait : *Verum quantum fas est conjicere, ideo fortasse celebritas major præfatis diebus indicta est, quod natalis sanctorum illorum Quadragesimæ tempore eveniat, quo tempore a celebratione festorum fuisse olim abstentum observavimus.* Sed jam ad controversiæ caput aggrediamur, et in ejus arcem invadamus. Et quæso, Marsili sapientissime, confestimne Pagium veritatem attigisse arbitraberis, quum in severam illam absolutamque sententiam discessit, qua nullorum pene sanctorum natales, seu obitus dies, nunc observari pronuntiavit? Ego nequaquam reor. Hanc ideo opinionem sequutus est ille, ut in Romanorum pontificum chronologia calculis suis robur pararetur. Quam bene tamen illi res cesserit, ex quibusdam cognoscamus exemplis, et in eosdem Romanos antistites tantummodo inquiramus. Neque enim mihi suadere umquam potui tam incaute Romanum martyrologium falli, aut fallere posse, ut quos nobis tamquam dies mortis in sanctorum festis plerumque proponit, ii sint a nobis diversi omnino censendi. Quandoquidem quænam adeo graves crebræque causæ intercedere potuerunt, ob quas priorum seculorum usus in sanctorum natalibus **852** colendis ab Ecclesia Romana penitus eliminaretur, et martyrologii fides passim turbata jaceret? Jam vero ipsius Pagii calculos in examen vocemus. S. Linus an. Ch. 67, duobus videlicet post Petri Paulique obitum annis, e vivis sublatus est, ejusque mors cum in Romano, aliisque martyrologiis, tum in chronico veterum pontificum ad diem 23 Septembr. refertur. Quid ad hæc Pagius? *Sed non existimandum*, ait, *Linum eo die ad superos transiisse, cum dies quibus in martyrologiis veteres pontifices col ntur, et in auctiori Chronico veterum pontificum dicuntur sepulti, ad aliquam eorum translationem ut plurimum pertineant.* Coluntur

præterea S. Cletus die 26 Apr., S. Anacletus die 13 Jul., S. Evaristus die 26 Octobr., S. Telesphorus die 5 Januar., S. Soter die 22 Apr., et in hoc die assignando martyrologia omnia cum veteri pontificum chronico consentiunt; et eamdem nihilo secius cantilenam Pagius repetit, videlicet iis diebus non credendum horum sanctorum mortem, sed aliquam potius translationem contigisse. Sed parcat vir clar., si expresso lubentius Ecclesiæ Romanæ aliorumque scriptorum testimonio quam nudæ illius opinioni fidem habendam esse aperte pronuntiamus. Enim vero cuinam magis, dum emortualem summorum pontificum diem perquirimus, quam Ecclesiæ Romanæ auscultandum est, quæ præsens olim eorum agones inspexit, adnotavit, atque ad posteros in martyrologiis relatos transmisit? Placet sane philosophis pluris esse unius, non modo multorum, assertionem, quam unius tantum, et quidem sine aliquo argumento inficiantis opinionem. Ecquid enim ille vincet, qui id ipsum quod in quæstione versatur pro ratione argumentoque profert? Reliqua videamus. SS. Petrus ac Paulus die 29 Junii, S. Clemens die 23 Novembr., S. Alexander die 3 Maii, S. Hyginus die 11 Januar., S. Pius die 11 Jul., S. Anicetus die 17 April., S. Callistus die 14 Octobr., S. Urbanus die 25 Maii, S. Fabianus 20 Januar., S. Lucius 4 Martii, S. Stephanus die 2 Augusti, S. Sixtus II die 6 ejusdem mensis, S. Dionysius 26 Decembr., S. Eutychianus 8 ejusdem mensis, et S. Caius die 22 April., in publicis tabulis coluntur; istisque diebus eorum martyrium sepulturamve contigisse non Romanum modo martyrologium, sed Hieronymianum, ut vocant, Ado, Beda, Notkerus, Wandelbertus, chronicon veterum pontificum, Anastasius et alii explorate testantur. Quare tot antiquorum consensui in horum pontificum natali die assignando victas manus dare coactus est Pagius. Qua igitur ratione fretus in illam sententiam ire vir doctissimus potuit, ut adeo paucos beatos ipso obitus die solemniter coli assereret, si ex ipsis tantum Romanis pontificibus tot eodem die recoluntur? Immo et hisce ille moveri exemplis debuit, ut si de aliquibus diebus festis non temere dubitari posse sibi videbatur, eos potius ex comperto martyrologii more, non levi ductus opinione, explicaret. Sed et attingere non pigebit quæ ipsi plane difficultatem peperere. S. Sixti obitus in martyrologiis Romano, Hieronymiano, Usuardi, Adonis, Rosweydi, Wandelberti, aliorumque multorum ad diem 6 Aprilis refertur; ab Anastasio tamen, a Floro, aliisque paucis infimæ notæ scriptoribus die 3 ejusdem mensis memoratur. Pagius vero neutrum diem ad Sixti mortem spectare ait, **853** quippe in diem 3 Julii, si annos pontificatus numeraveris, ejus martyrium cadere animadvertit. Sed quam lubricis ille nitatur fundamentis, quantumve ejus regulæ in pontificum chronologia nutent, mei non est instituti perpendere. Pauca tamen, ut quod ad Sixtum pertinet absolvatur, producam. Chronicon, ut vocant, Damasi hæc de illo habet : *Sixtus annis decem, mensibus tribus, diebus viginti uno. Fuit temporibus Hadriani a consulatu Nigri et Aproniani usque Vero* III *et Ambibulo.* Ad hæc Pagius : *Sed error irrepsit in numeros, legendumque* mensibus duobus die uno, *ut habetur in auctiori chronico veterum pontificum, in catalogo Palatino, et in duobus catalogis Corbeiensibus.* Quum vero, teste eodem Damasi chronico, die 3 Maii anno Ch. 116 martyrium subierit S. Alexander, qui Sixto in pontificatu præcessit, hinc Pagius ad diem 3 Julii anni 126 trahendum Sixti obitum censet. Sed primum in producendis veterum testimoniis major in Pagio diligentia desideratur; nam catalogi Corbeienses, quos ille pro sua correctione adfert, quique apud Papebrochium in Conatu chronico historico post S. Felicis IV Vitam inveniuntur, aliter se habent, Sixtumque his produnt verbis. *Sixtus an. X. m. 3. d. 22.* VIII *id. Apr.* En ut ii etiam in assignando emortuali die S. Sixti cum Romano martyrologio consentiunt. Deinde an inter S. Alexandri mortem Sixti-

A que electionem nullum (ut vocant) interpontificium fuit? Sane Anastasio aliisque testibus 27 dies intercessere. Et cur hos quoque in censum Pagius non refert? Si demum an. Ch. 116, ipso die 3 Maii, quo S. Alexander ad Superos evolavit, Sixtus pontificatu est auctus, cur in Damasi Chronico non ab an. 316, sed a consulatu Nigri et Aproniani, qui in annum Ch. 117 cadit, ejus numerantur anni? Dicam confidenter quæ sentio : chronicon Damasi omnium consensu auctorem incertum habet, pluribusque erroribus scatet, quos ipse Pagius aliique identidem emendent oportet, ut inde quid referant emolumenti. Quænam igitur toties peccanti fides habenda? Oleum facile operamque perdere arbitror quoscumque huic uni fidere scriptori in pontificia chronologia conspicio. Ipsius etiam Pagii confessione ad an. Ch. 130, num. 3, patet, interpontificiorum tempus omnino nobis ignotum. *Annotatur quidem*, ut ait idem, *illud tam in libro Pontificali, quam in chronico auctiori veterum pontificum : sed præterquam quod inter horum* B *librorum autores non convenit, vacatio sedis non ex certis monumentis, sed ex proprio calculo ab illis descripta.* Cur ergo tantum Pagio laboratur, ut electionum obitusque dies ex iis ipsis autoribus hauriantur? Cur tam promte adversus Romani martyrologii fidem fertur? Itaque S. Sixtum die 6 Apr. aut obiisse aut sepulturæ traditum mihi suadeo, et ab hujusmodi die S. pontificis tempora sunt retro numeranda. Ad Eleutherum papam transeo. Hunc Pagius die 26 Maii, quo a Romana Ecclesia colitur, sepultum non negat, licet quorumdam testimonia in aliam sententiam vergant. Quod est ad S. Victorem, Pagius eum obiisse diem non diffitetur die 28 Jul. quo eodem die martyrologium Romanum, chronicon auctius veterum pontificum, antiqui catalogi, Anastasius, alia martyrologia et Henschenius eum coli testantur. Non audiatur ergo Hieronymianum **854** martyrologium, Papebrochius in Conatu chronico-hist., et nonnulli pauci qui in alium diem referunt sancti hu- C jus obitum. Zephyrinus ejus successor martyrii palmam consequutus die 26 Aug. in martyrologiis præter Hieronymianum universis et reliquorum scriptorum documentis dicitur. Verum ex fluxis incertisque pontificatus annis illum die 12 Jul. vita defunctum Pagius arbitratur. Nil tamen vir doctissimus contra tot monumentorum consensum evincet, ni prius certum aliquem proferat autorem, qui tum pontificatum, tum interpontificiorum tempora securus erroris signet. Certe hoc ab illo præstari non poterit, dum interim certi, ac ii quidem numero et autoritate præcipui, scriptores pro nobis pugnent. Quum in Sardinia exul obierit S. Pontianus, mirum non est si ejus obitus ad varios dies hinc inde trahatur. S. Cornelium una cum S. Cypriano die 14 Septembr. inter vivos esse desiisse, quo eodem die in singulis martyrologiis mortem oppetiisse dicuntur, Pagius quoque contra Papebrochium erudite ostendit. S. Felix die 29 Maii ab omnibus pœne refertur; sed suorum calculorum, ac Hieronymiani martyrologii testimonio D fretus die 22 Dec. extinctum Pagius affirmat. Quum nihilominus inter se chronica et catalogi longe in assignanda pontificatus continuatione dissideant, nescio quam multum fidei sibi queat conciliare. Hucusque igitur, Marsili doctissime, per tria epochæ nostræ priora secula complures vidimus SS. pontifices ex Pagii consensu ipsis diebus queis coluntur martyrii corona donatos. Dum vero paucorum admodum qui supersunt mortem aliis contigisse diebus quam quibus coluntur nullis probare solidis argumentis queat, proximum est ut nos omnem Romano potius martyrologio quam levissimis aliorum rationibus fidem habeamus. Quamobrem tactam ante querelam nunc repeto, cur Papebrochius et Pagius adeo paucos beatos die eorum emortuali nunc in Ecclesia Dei honorari pronuntiarunt, si tot ex ipsis duntaxat pontificibus contra horum opinionem ita recoluntur? Quamquam et hanc nuperam sententiam exemplis pluribus profligare arduum non foret, si per otium

liceret. Nunc unum animadvertisse sufficiat, nempe Eusebium in lib. de Martyr. Palæstinæ, qui libro VIII Hist. subjici solet, plurium martyria diemque etiam martyrii memoriæ tradidisse. Hi autem dies prorsus cum Romani martyrologii fide consentiunt. Coluntur die 17 Nov. SS. Alphæus et Zachæus; Eusebius vero hæc de illis habet : Δίου μηνὸς ἑπτακαιδεκάτῃ (αὐτὴ παρὰ Ῥωμαίοις ἡ πρὸ δεκαπέντε καλανδῶν Δεκεμβρίων) τὰς κεφαλὰς ἀποτέμνονται : 17 *die mensis qui vocatur Dius, hoc est apud Romanos ad* XV *kal. Decemb., capite privantur*. S. Procopii memoria in die 8 Julii cadit, quo sepulturam B. martyr est nactus, apposite videlicet ad ea quæ tradit Eusebius, dum Δεσίου μηνὸς ὀγδόῃ πρὸ ἕπτα εἰδῶν Ἰουλίων, *Desii mensis octava die, quæ est apud Romanos* VII *id. Julii*, illum asserit e vivis excessisse. Sic sanctorum Dionysii, Timolai, Agapii, Apphiani, Theodosiæ, Sylvani, Hadriani, Euboli, aliorumque plurium emortuales dies ab Eusebio traditi, cum hodiernis eorum festis concordant, uti Romanum docet martyrologium. Quod si germana etiamnum exstarent martyrum acta, eamque fidem quam Eusebius scriptor celeberrimus **855** mererentur, utique in martyrologio sanctorum natales recte consignatos fere semper legeremus; nam quis igno-

A rat eadem martyrum acta seculorum sæpe posteriorum fœtus fide non raro infirma esse, atque idcirco cum martyrologiis certissimis minime componenda? At vereor ne plus æquo auribus tuis, Marsili clarissime, molestiam creaverim, quum ea ad te pertulerim documenta quæ tibi eximiæ eruditionis viro levia videri possunt, aut, quod summum est, ignota non erunt. Scilicet ad hoc unum doctissimam in ædibus tuis academiam instituisti, ut Ecclesiasticæ Historiæ sacrorumque canonum et rituum secretiora illustrares, illudque opus adeo feliciter sapienterque a te præstitum fuit, ut te Felsina nostra venerari, tota vero litteratorum respublica demirari nequeat satis. Et utinam aliquando nobis liceret publicis typis commendatas intueri præstantissimas illas dissertationes, quibus præcipuæ per te dirimuntur ecclesiasticæ controversiæ; tunc enim non tam sibi de lucro suo gauderet Ecclesia, quam tibi de tanta doctrinarum ubertate gratularetur. Et quamdiu, quæso, eruditorum desideria mora tua patiere torqueri? Modestiæ tuæ con-
B siliis ut tamdem renunties votis poscimus iteratis, atque ego interim ut humanitate qua soles hanc dissertationem excipias te sedulo rogare non desinam.

DISSERTATIO VICESIMA.

AD S. PAULINI POEMA POSTREMUM.

S. Paulini de elementis sententia perpenditur.

Ad præclarissimum doctissimumque virum Josephum Ferrarium em. cardinalis Federici Cacciæ, archiepiscopi Mediolanensis generalem vicarium.

Male de Paulino, Ferrari Musarum omnium decus, meritus mihi viderer, si singularem ejusdem de elementis opinionem insalutatam præterirem, eoque gravius in præsentiarum mei me silentii pœniteret, si tempus omnino accommodatum ad meum erga te tuasque virtutes prodendum obsequium paterer tam facile mihi elabi. Nimirum ad S. antistitis gloriam, meamque in te observantiam plurimum conducere sentio, si illum et in philosophicis disciplinis non ultimas tulisse demonstrem : et viro, tum philosophiæ, tum aliarum artium quæ animum nostrum informare queunt, laude præstanti, hanc quoque Paulini virtutem proponam. Et quidem, ut aiebat Boyle in Dub. et Paradox. chymico-phys., part. 1 Dial., *Opiniones de elementis tanti sunt inter physiologiæ dogmata momenti, quanti elementa ipsa sunt inter corpora universi*. Cur igitur Paulinum, quem in reliquis sequutus sum, nunc de elementis proloquentem in concione destituam? Pulcherrimam **856** plane in postremo ejusdem poemate quæstionem animadvertas, siquidem ibi non ignem, sed cœlum S. doctor inter elementa componit. Hoc ubi philosophorum vulgus audierit, ita me ament superi, sibi vix a risu, certe ab admiratione, non temperabunt. Vulgaria illi solum quatuor elementa agnoscunt, terram videlicet, aquam, aerem et ignem; quicquid ab his diversum occurrit, præoccupatis eorum ingeniis aut crucem figit, aut assertum monstro potius quam vero simillimum videtur. Quamobrem operæ pretium duxi non obviam cuicumque Paulini opinionem illustrare, ne tanti Patris eruditio minus a quibusdam intellecta aut male audiat, aut etiam exsibiletur. Ejus verba primo intueamur :

> Distribuitque locis mare, terras, aera, COELUM,
> Quatuor hæc hausit variis exordia rebus.
> Sunt homines terris, sunt addita sidera CŒLO,
> Aere pendet avis, liquido natat æquore piscis :
> Sic ELEMENTA suis decoravit singula formis.

Elementorum compaginem, situmque infra describit :

> Claudit enim Oceanus terram; mare clauditur; ipse
> Axe sub æthereo medius concluditur aer.

Hæc profecto, et non alia Paulini sententia. Cœlum is non vero ignem inter elementa recenset. Immo et imaginariam illam ignis sphæram, quam Aristoteles supra aeris regionem commentus est, quomque, omnes discimus, nemo ex eruditis nunc credit, sibi nequaquam arrisisse tum Paulinus palam facit, quum de illa ne verbum quidem. Sed quibus calculis fretus in hujusmodi opinionem Paulinus concessit? Ego subinde pro virili investigabo, et in primis, dum de elementis disceptationem instituo, me nolle adversus aliorum sententias, multoque minus adversus
C peripateticos, in arenam descendere lubens fateor, quum et brevitatis sit mihi ratio habenda, eorumque dogmata satis erudite in examen adduxerint disertissimi temporum nostrorum philosophi, ac inter illos potissimum emineant Helmontius, Gassendus et Boyle, eximia procul dubio ingenia. Unam idcirco Paulini sententiam prosequemur; et illam, ni mea me fallit opinio, sacrarum Scripturarum autoritate niti plane affirmo; earum enim testimonio ignis in elementorum censum haudquaquam refertur. S. Petrus in Epist. II, cap. III : *Expectantes*, inquit, *et properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes solventur, et elementa ignis ardore tabescent*. Ecce ab igne elementa distinguit apostolus, quum per illum hæc aut consumenda aut in melius reformanda nos docet. Sed et cœlum, urgebis, ab elementis inibi diversum dignoscitur. Ego non video. Supra namque ita loquebatur Petrus : *Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem, et quæ in*
D *ipsa sunt, exuretur*. Vidistin et hic ab elementorum serie distinctam terram? Quum vero hinc terram elementum non esse argui nequeat, idem quoque de cœlis affirmare absurdum non erit. Cœli enim, terræque vices, quæ supremum judicii diem instare docebunt, ita S. Petrus memorat, ut non ab elementis distinguere, sed singillatim clarioris explicationis ergo describere videatur. Quid quod et alios Christianæ fidei sectatores a Paulini sententia minime abhorruisse compertum habeo? Gennadius Massiliensis presbyter in libello de Eccles. Dogmat., cap. 69, hæc habet : *Elementa*, **857** *id est cœlum et terram, non credamus abolenda per ignem, sed in melius commutanda*. Philastrius episcopus Brix., vir sanctitate ac eruditione inter veteres Patres notus, lib. de Hæres., cap. 46, cœlum inter elementa numeravit. *Scriptura*, inquit ille, *in primo die cœlum et terram facta declarat duo hæc elementa*. Eloquentissimus quoque scriptor Theodo-

retus, serm. 3 ad Græc. infid. de Angel., apertissime hanc sibi opinionem inhæsisse demonstrat; ait enim de Deo : Πάθη τινα συνεκλήρωσε τοῖς στοιχείοις, ἵνα τὸ μὲν κάλλος αὐτῶν, καὶ τὸ μέγεθος θαυμάζεσθαι παρασκευάσῃ τὸν ποιητήν : τὰ δέ γε συνεζευγμένα παθήματα κωλύει τὴν θείαν αὐτοῖς προσφέρειν προσκύνησιν. *Nonnullas affectiones elementis adjunxit, ut illorum quidem species et magnitudinem intuentes homines ad opificem demirandum attollerentur, ipsæque vicissim labes ac affectiones simul junctæ eosdem cohiberent, quo minus ea tanquam deos adoranda censerent.* Tum addit non de igne exempla, sed de cœlis, in quibus sol et luna quandoque deficiant. His adjicit aeris, terræ, aquarumque infirmitates, ut recte singulis elementis sua inesse vitia ostendat. Sed et idem autor, serm. 4 de Mater. et Mundo, eamdem sententiam confirmavit. Ibi enim inquit : Τούτους δὲ τοὺς ὅρους ἔστιν ἰδεῖν τὰ ἄψυχα στοιχεῖα φυλάττοντα : *Hos autem fines videre est ab ipsis elementis inanimis custodiri.* Multa in probationem congerit, et hæc in primis concludendo profert : Διά τοι τοῦτο, καὶ ἡ γῆ μεμένηκεν οἷάπερ ἐξ ἀρχῆς ἐγεγόνει. Καὶ ὁ ἀὴρ ἣν ἐξ ἀρχῆς ἔλαχε φύσιν, ἄσυλον διετήρησε. Καὶ ἡ θάλαττα οὔτε συγχρώννυται, οὔτε αὔξεται. Καὶ ὁ ἥλιος τήκειν οὐ δύναται καὶ διαλύειν ὃ θέει στερέωμα, etc. *Ex quo factum est ut tellus hodieque ita permaneat, sicut ab initio fuit constituta, et aer, quam ab initio natura sortitus est, inviolatam conservet; neque item mare augescat, neque decrescat; utque sol firmissimum illud cœlum, per quod currit, eliquare aut dissolvere non possit.* Cœlum igitur Theodoretus in elementis numeravit, quodque etiam animadvertendum est, nullam de iisdem agens ignis mentionem injecit. Sane apud veteres quidam exstitere, qui ita cœlum elementi nomine appellandum putarunt, ut ignem non excluderent, atque idcirco quinctum elementum excogitarunt. Audi L. Apuleium, lib. de Mundo : *Elementorum inter se mutui nexus arctis affinitatibus implicantur, et quinque conjuges copulæ his ordinatæ vicibus attinentur, ut adhæreant etiam gravioribus leviora. Aquam in se habet tellus, et aqua, (ut alii putant) vehit terram. Aer ex aqua gignitur; ignis ex aerea densitate conflatur; æther vicissim ignesque illi immortales Dei vivacitate flammantur.* Quinque elementa aperte facit Apuleius quinque nexibus inter se colligata. Istis autem maximam afferunt lucem quæ supra disseruerat : *Cœlum ipsum, stellæque cœligeræ, omnisque siderea compago æther vocatur, non (ut quidam putant) quod igneus sit, et incensus, sed quod cursibus rapidis semper rotetur. Elementum vero non unum ex quatuor, quæ nota sunt cunctis, sed longe aliud numero quintum, ordine primum, genere divinum, et inviolabile.* Nihil evidentius utique proferri poterat, ex quo præstantissimum elementorum æthera fuisse disceremus. Hinc est quod Jovi æthera assignarunt nonnulli, quos arguit S. Augustinus lib. IV, cap. 10, de Civ. Dei, hisce verbis : *Jovem, inquiunt, in æthere accipimus, in aere Junonem. Et hæc duo elementa conjuncta sunt. Mare Neptuno tribuitur, terra Plutoni.* **858** Tum ridet magnus doctor quod Juno Jovi, Neptuno Salacia, Plutoni Proserpina conjunctæ dicantur : *Si enim*, ait, *hæc ita essent, tria potius elementa mundi esse, non quatuor, eorum veteres proderent, ut singula deorum conjugia singulis dividerentur elementis.* Ludovicus Vives, vir eruditissimus, in notis ad hunc locum pro quatuor elementis Augustinum intellexisse censet terram, aquam, aerem et ignem. Alia tamen est Augustini mens. Nil de igne ibi, sed de æthere tantum is verba facit, quem Jovis nomine designatum atque inter elementa numeratum ab antiquis asseruerat. Recentes porro ethnicos addit ab iisdem dissidere, quum Jovem Junoni, hoc est aerem ætheri copularent, unoque propterea ex illis elemento conflato, tria tantummodo ex eorum sententia elementa constituerentur. Sensim aperuimus quænam de elementis veterum placita forent, nunc rem clarius illustrabimus, et Gassendum virum ceteroqui doctissimum suis interpretationibus ab eorum opinione discessisse

A identidem ostendemus. Empedocles, apud Plutarch. lib. I, cap. 3, de Placit. philosoph. inquit :

> Τέσσαρα γὰρ πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε·
> Ζεὺς αἰθὴρ, Ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' Ἀϊδωνεύς.
> Νῆστίς θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον.
>
> Radices primum rerum tibi quatuor edam.
> Jupiter æthereus, Juno vitalis, ad hos Dis,
> Et Nestis lacrymis humanos quæ rigat alveos.

Gassendus, lib. III, sect. 1, cap. 2, Phys., hic *non obscure Jovis nomine intelligi ignem* inquit, Plutarchum fortasse secutus hæc ad eos versus dicentem : Δία μὲν γὰρ λέγει τὴν ζέσιν, καὶ τὸν αἰθέρα : *Jovis enim nomine calorem intelligit, atque ætherem.* Sed una cum Plutarcho minus recte sentit vir doctissimus. *Æther* ab Empedocle *Jovis* nomine insignitus longe ab ignis elemento differt; idem enim ipsum est cœlum, de quo Apuleium disserentem nuper audivimus, et alios insuper disserentes inducemus. Orpheus (seu Onomacritus ille sit) in hymno ad Rheam elementa

B quatuor recenset :

> Ἐκ σοῦ γὰρ καὶ γαῖα, καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
> Καὶ πόντος, πνοιαί τε.
>
> Ex te nam tellus, cœlumque, et pontus, et auræ
> Emersere.

Vides hic οὐρανὸν, hoc est *cœlum* esse Orpheo, atque Empedocli *æthera*. Quid igitur cœlum pro igne capi, rursus æthera pro igne sumendum Gassendus censet? Et quidem lib. eod. ad hos versus ait : *Nimirum cœli nomine ob ignes in eo apparentes ignem intellexit.* Sed ingenio suis jam præoccupato opinionibus omnia, diversa licet, favere videntur, quemadmodum oculorum vitio nonnumquam fit, ut quæ nusquam apparent intueamur; quæ vero exstant, falsa imaginis colorumve varietate aciei intentæ obversentur. Etenim an adeo verborum inopia veteres laboravere, ut quum elementum ignis describere vellent, cœli vocabulo abuti cogerentur? Euripides apud Empiricum, lib. II advers. Phys., universa ex

C æthere et terra gigni arbitratus est :

> Αἰθέρα, καὶ γαῖαν πάντων γενέτειραν ἀείδω.
>
> Ætheraque et terram rerum decanto parentem.

Gassendus ibidem addit *Nomine ætheris intelligendum esse ignem vel ex ipsa Aristotelis interpretatione intelligi potest* I *de Cœlo*, 3, *et* IV *Phys.*, 5. **859** Sed falsum est Euripidi æthera idem esse ac ignem, et Stagyritæ hanc interpretationem in animum uspiam incidisse. Nil profecto hac de re habet Aristoteles IV Phys., cap. 5, libro vero I de Cœlo, cap. 3; tantumque abest ut æthera pro igne accipiat, ut etiam ab illo penitus diversum constituat. Sunt ejus verba : Διόπερ ὡς ἑτέρου τινὸς ὄντος τοῦ πρώτου σώματος παρὰ γῆν, καὶ πῦρ, καὶ ἀέρα, καὶ ὕδωρ, αἰθέρα προσωνόμασαν τὸν ἀνωτάτω τόπον ἀπὸ τοῦ θεῖν αἰεὶ τὸν ἀΐδιον χρόνον, θέμενοι τὴν ἐπωνυμίαν αὐτῷ. Ἀναξαγόρας δὲ καταχρῆται τῷ ὀνόματι τούτῳ οὐ καλῶς, ὀνομάζει γὰρ αἰθέρα ἀντὶ πυρός. *Quapropter quia primum corpus*

D *diversum quiddam est à terra, igne, aere, atque aqua, ætherem superum locum appellaverunt a semper currendo perpetuo tempore posita appellatione. Anaxagoras vero hoc nomen non recte adhibet, pro igne enim ætherem dixit.* Ætherem illum, quem elementis annumerari audiebamus, Aristotele teste, non aliud quam ignem esse Gassendus vir disertissimus pronuntiabat. Sed quam recte, quam accurate, jam nemo non videt. Nil minus revera quam hujusmodi dogma Philosophus excogitavit. Verum evidentius perspiciamus quænam hac de re sit ejusdem sententia, ut ipsum Gassendum a memorata opinione validius dejiciamus. Audi perspicua verba in lib. de Mund., cap. 2 : Οὐρανὸν δὲ, καὶ ἄστρων οὐσίαν μὲν αἰθέρα καλοῦμεν, οὐχ ὥς τινες διὰ τὸ πυρώδη οὖσαν αἴθεσθαι, πλημμελοῦντες περὶ τὴν πλεῖστον πυρὸς ἀπηλλαγμένην δύναμιν· ἀλλὰ διὰ τὸ ἀεὶ θεῖν κυκλοφορουμένην στοιχεῖον οὖσαν ἕτερον τῶν τεσσάρων, ἀκήρατόν τε, καὶ θεῖον. *Cœli porro siderumque substantiam ap*

pellamus ætherem, non quidem ideo quod ignita flagret ipsa, ut aliqui censuerunt, valde errantes circa potentiam illam maxime ab ignea natura abhorrentem, origine vero hujus vocabuli inde ducta, quod semper æther currat motu circumductili, quum sit illud elementum a quatuor illis diversum, tum interitus expers, tum divinum. Præterea idem Aristoteles, lib. II de Gen. anim., cap. 3, animalium semini calidam quamdam substantiam inesse inquit, quæ respondeat τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ, *ipsi siderum elemento.* Hinc igitur, Ferrari eloquentissime, satis mirari nequeo cur tanta philosophorum turba, quæ unum Aristotelem præceptorem sequitur, elementum hoc ita contempserit, ut ne illius quidem mentionem in suos inferre libros sint dignati. Quæ enim clarior Aristotelis opinio proferri quam ista potest? Plutarchus ipse, lib. I de Placit. philosoph., ab Aristotele asserit fuisse tradita στοιχεῖα τέτταρα, πέμπτον δέ τι σῶμα αἰθέριον ἀμετάβλητον, *quatuor elementa, et quintum quoddam corpus immutabile.* Itaque si in posterum quis quærat quomodo cœlum seu æther elementi nomine designetur, quidve Paulinus noster B hac sententia significaverit, parata responsio erit, nempe ætherem substantiam quamdam subtilissimam esse, motuque perpetuo præditam, quæ ad rerum generationem, corporumque constitutionem confluit, quemadmodum terra et aqua. Hinc, ut arbitror, Lucretius, lib. V, *ætherem liquidissimum ac diffusilem* vocat. Item Orpheus, seu Onomacritus, ab æthere omnia nutriri sensit, dum universum mundum constitutum ait:

Ἐκ πυρὸς, ἐξ ὕδατος, καὶ γῆς, καὶ παντοτρόφ' αἴθρης.

Ex igne, ex aqua, et terra, et omnia nutriente æthere. Idem autor in hymno ad Amorem quatuor elementa recensuit:

> Αἰθέρος οὐρανίου, πόντου, χθονὸς, ἠδ' ὅσα θνητοῖς
> 860 Πνεύματα.
>
> Ætheris, et ponti, terræ, et spirabilis auræ.

Et hic Gassendi interpretationem haud probo: ætheC ris enim nomine ignem intelligendum putat, quum substantia illa hic referatur quæ in altero supralaudato carmine omnia nutrire dicitur, et expresse ab igne distinguitur. Quod enim vir doctissimus Franciscus Patritius, lib. VII Panaug., ait: *Æther universus ex veterum Græcorum sapientia ignis est,* tam longe ab eorum sententia discedit, ut jam confutatione non egeat. Quibus animadversis lux quædam Vergilio affulgebit ita lib. II Georg. canenti:

> Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther
> Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes
> Magnus alit magno commistus corpore fœtus.

Quin et Pacuvius in Chryse hoc idem apertissimis tradidit verbis:

> Quod nostri cœlum memorant, Graii perhibent æthera,
> Quidquid est hoc, omnia is animat, format, auget, alit, serit,
> Sepelit, recipitque in se omnia, omniumque idem est Pater.

Vides ergo, apud veteres cœlum, sive ætherem, seu substantiam illam quam Empiricus, lib. II adversus Phys. et alibi, κυκλοφορητικὸν σῶμα, *mobile in orbem corpus* appellat, pro elemento habitam, atque idcirco quum ab illis æthera una cum terra, aqua et aero recenseri audies, non ignem continuo, ut Gassendus censuit, sed elementum ab igne diversum inibi designatum intelliges. Plura vero ad hanc spectantia quæstionem brevitatis memor omitto, unumque pro dictorum coronide animadverto. Materia illa subtilis, quam Cartesius vir summi ingenii primus omnium excogitasse est visus, ita peripateticos novitate percellit, ut tamquam audacissimum figmentum e scholis eliminandum exclament. At nonne mutato paululum nomine idem est ac antiquorum æther, eademque *diffusilis* substantia, unde omnia formantur atque nutriuntur? Miretur quidem ætas nostra aut damnet Cartesium; communem ille cum antiquis sortem subeat oportet, quando ingeniosam ab illis audacemve sententiam mutuatus, ex imitatione potius quam ex inventione sibi nomen quæsivit. Sed et substantia illa ætherea, quam Robertus Fluddus medicus inter prima rerum principia statuit, nonne ab autoribus per me laudatis tradita primum fuit, et inde in acutissimi viri libros transfusa? Ita verum est quod Ecclesiastes cap. I ait: *Nil sub sole novum,* et in scientiarum cultura nil fere excogitari posse, quod in veterum scholis procusum aliquando non fuerit. Hæc sunt, Ferrari eruditissime, quæ ad Paulini versus adjungenda censui, quæque tamdem ab eruditione tua suffragium præstolantur. Enimvero non postremum est decus tuum philosophiæ exquisitiori nomen dedisse, interque seriem reliquarum scientiarum, quibus ornaris, hanc quoque tuam ita fuisse factam, ut non Physiologus minus quam divini humanique juris peritissimus videare. Hujusmodi igitur ornamentis disceptationi meæ, ut ad te accederet, animum addidisti; nunc humanitate præstabis ut accedentis obsequium sua non careat felicitate. Vale.

DISSERTATIO VICESIMA PRIMA.

DE CRUCE NOLANA.

861 Ne nimium in notis immorarer, placuit huc ea omnia conjicere quæ de cruce a Paulino descripta disserere non alienum videbatur. Duplex crucis olim figura componi solebat. *Commissa* una vocabatur, quum nempe ligno erecto alterum brevius supra et in ipso vertice transversum committebatur, ita ut nil ex eodem ligno erecto supra exstaret. *Immissa* altera fuit, videlicet quum ligno erecto transversum injungebatur, ita ut ipsum secaret. Prioris exemplum littera T exhibet; alterius passim occurrit in templis, aliisque Christianorum monumentis. Utri Christus affixus fuerit, incertum; quamquam eruditissimi viri Lipsius, cap. 10, lib. I de Cruce, et Gretserus, lib. I, cap. 3, de S. Cruce, decus hoc *immissæ* cruci contigisse firmis nixi argumentis contendant. Ego omni quæstione dimissa, Crucis a Paulino memoratæ figuram prosequar, et cujusnam generis fuerit, brevibus inquirere pergam. Generatim crucis effigiem describit ille Nat. XI, aitque:

> Forma crucis gemina specie componitur, et nunc
> Antemnæ speciem navalis imagine mali,
> Sive notam Græcis solitam signare trecentos
> Explicat existens, cum stipite figitur uno,
> Quaque cacumen habet, transverso vecte jugatur.

D En utriusque crucis distinctam imaginem. *Immissa* ex antemnæ seu mali navalis specie intelligitur, de qua Gretserus luculentum dignumque cedro opus promulgavit, Bosius lib. I, cap. 5 de Cruce triumph., et Lipsius lib. I, cap. 9, de Cruce, aliique non pauci egere. *Commissa* vero crux per *notam Græcis solitam signare trecentos,* videlicet per Tau delineatur. Hoc exemplo non semel Paulinus est usus, quippe qui in ep. 2 ad Sulpic. Sever. ita loquitur: *Christus non multitudine, nec virtute legionum, sed jam tunc in sacramento crucis, cujus figuram per litteram Græcam Tau numero trecentorum exprimitur, adversarios principes debellavit.* S. quoque Augustinus serm. 1 de Temp., fer. 2 post dominicam Passionis: *Prævidit ergo,* ait, *mysterium sanctus Gedeon: denique eligit trecentos viros ad prælium, ut ostenderet, non in numero multitudinis, sed in sacramento crucis mundum ab incursu gravium hostium liberandum; trecenti enim in Græca littera Tau similitudinem crucis ostendit.* Tertull. lib. 1 adversus Marcionem: *Ipsa enim littera Græco-*

rum Tau, nostra autem T, species crucis. Dirutum Serapidis templum fuit, Theodosio M. imperante, ibique, ut Ruffinus lib. xi, cap. 29, Hist., Sozomenus lib. vii, cap. 13, Socrates ac Suidas testantur, litteræ Ægyptiorum Hieroglyphicæ inventæ fuerunt, quæ crucis imaginem præ se ferebant. Earumdem typum profert Kircherus in Interpr. **862** obelisci Ægypt., hierogl. 5, signis prorsus cum nostro T convenientibus. Crucem etiam hujusmodi, ni fallor, deformare videtur I. Firmicus vetustissimus autor lib. de Profana Relig., quum ait : *Cornua nil aliud nisi venerandum crucis signum monstrant. Hujus signi uno extenso ac directo cornu mundus sustentatur, terra constringitur, et e duorum quæ per latus vadunt compagine oriens tangitur, occidens sublevatur, ut sic totus orbis tripartita stabilitate firmatus*, etc. Propterea *crucem baculo stante bicornem* supra nuncupavit Paulinus, eisque verbis unam crucem *commissam* expressit, quæ, ut is infra addit,

Stipite figitur uno,
Quaque cacumen habet, transverso vecte jugatur.

His de cruce *commissa* animadversis, crucis illius quam e Nolana basilica perditissimus latro amovit, seu monili orbavit, descriptionem a Paulino petamus. Sunt ejus verba :

Ergo eadem species formam crucis exerit illam,
Quæ trutinam æquato libratam stamine signat.
Subrectoque jugum concors temone figurat,
A Sive superciliis a fronte jugantia vultum
Lumina transversis imitatur cornibus arbor.

Hinc porro crucem Nolanam *commissæ* consimilem elaboratam fuisse colligo. Singula dispiciamus. Si stipitem erigas, ejusque cacumini trutinam æquis hinc inde lancibus pendentem imponas, utique crucis memoratæ formam fueris nactus; nam stipes rectus trutinæque brachia litteram T intuentibus exhibent. Rursus si rectum currus alicujus temonem jugo vertici imposito consideres, eamdem itidem crucis effigiem litteræ T simillimam ab illo designari videbis. Denique si vultus humanos inspicias, et supercilia, nasique et oris dispositionem contemplemur, nonne ejusdem crucis figura nostris occurrit oculis? Fateor nihilominus non ita pro certo statui posse quænam sit Paulini mens hocce in loco, quandoquidem temonum cum jugo superaddito forma crucem potius *immissam* quam *commissam* nostra hac tempestate repræsentat. Contra facies humana hujus potius B quam illius figuram præfert, etenim supra oculorum supercilia nullum attollitur in fronte lævi ac plana signum, quo tertium crucis cornu eminere videatur. Sit hac de re aliorum judicium, mea nunc est sententia, Nolanam crucem *commissæ* consimilem fuisse efformatam, et fortassis ad Labari similitudinem, cujus effigiem exhibet præter Baronium Bosius lib. vi, cap. 13, de Cruce triumph. Sed accuratiorem aliorum sententiam opperiri præstat.

DISSERTATIO VICESIMA SECUNDA.

SPICILEGIUM EX OPERIBUS S. PAULINI DEPERDITIS.

863 Gennadius de Scriptor. eccles. S. Paulini opera his verbis recenset : *Paulinus Nolæ Campaniæ episcopus composuit versu brevia, sed multa, et ad Celsum quemdam epitaphii vice consolatorium libellum super morte Christiani, et baptizati infantis spe Christiana munitum ; et ad Severum plures epistolas ; ad Theodosium imperatorem ante episcopatum prosa panegyricum super victoria tyrannorum, eo maxime quod fide et oratione plus quam armis vicerit.* Est hic ille panegyricus, de quo Hieronymus ad Paulinum ipsum scribens, ep. 13, incredibilia in laudem ejus protulit, nobisque propterea intolerabile illius desiderium injecit. Sequitur Gennadius : *Fecit et sacramentarium, et hymnarium. Ad sororem quoque epistolas multas de contemtu mundi dedit, et de diversis causis disputatione diversa tractatus edidit. Præcipuum tamen opusculorum ejus est liber de Pœnitentia et de Laude generali omnium martyrum.* O jacturam non satis deplorandam! Postrema hæc amisimus, et nescio an umquam reparare licebit. Exstat in Ambrosiana bibliotheca vetustissimus codex, quem seculo octavo atque etiam septimo exaratum crediderim, characteres ad seculi Merovingici scripturam accedunt, et non nihil Saxonicæ præferunt, cujusmodi exempla nobis exhibuit Mabillonius V. C. in laudatissimo opere *de Re diplomatica.* Continentur autem isto in codice veterum Patrum sententiæ, et explicationes in quædam Scripturæ loca. Augustinus, Hieronymus et Gregorius majorem implent partem, ac omnium recentissimus autor inter eos venit Isidorus Hispalensis episcopus. Quædam S. Paulini fragmenta ibi mihi occurrerunt, quæ nunc publici juris facere congruum videtur. Inter ea potissimum, quæ inibi animadversione digna sum ratus, illa sunt verba : *Christus post passionem et ascensionem ad cœlos, sicut Heliseus ascendit in Bethel, id est in domum Dei, conversus maledixit Judæis post 42 annos ascensionis suæ, et immisit duos ursos, id est duos reges horrendos, Vespasianum et Titum, qui de sylvis Gentium prodeuntes crudeli eos strage jactaverunt.* Petavius chronologorum princeps, lib. xi, cap. 17, de Doctr. temp., et alibi, eversam a Tito Hierosolymam evincit anno epochæ nostræ 70, cui consentiunt scriptores reliqui. Si igitur ab hoc anno retro numeres 42 annos, quos Paulinus inter Hierosolymæ excidium et ascensionem Dominicam intercessisse affirmat, venies ad annum epochæ ejusdem 28 aut 29, si utrumque terminum simul numeres. Unde anno 29 Dionysiano secundum Paulinum Christus Dominus passione consummata C in cœlum ascendit. Eusebius Cæsariensis in Chronico **864** urbem hanc asserit captam anno 42 ab anno 15 Tiberii, et recte; revera enim annus 29 æræ vulgaris incidit in 15 Tiberii, quo anno consules processere duo Gemini. Quum tamen Eusebius censuerit Christum anno 18 Tiberii passum, hinc est quod lib. iii Hist. eccl. Hierosolymam a Tito captam asserit *quadraginta solidis annis expletis post facinus in Christum admissum ;* qua in opinione Paulinus eumdem non sequitur, quum ex ejus verbis Christus anno 15 Tiberii crucifixus et in cœlos delatus evidenter appareat. Ceterum Paulino in hac sententia concordes deprehenduntur omnes fere vetusti Patres, qui Christum duobus Geminis coss. passum, anno scilicet 15 Tiberii statuerunt : Clemens Alex. lib. i Strom., Tertullianus advers. Judæos, cap. 8, Lactantius lib. iv Div. Inst., cap. 10, Sulpicius Severus lib. ii Sacr. Hist., S. Augustinus lib. xviii, cap. ult., de Civ. Dei (quamquam ipse ibidem sibi contradicere videatur), Paulus Orosius lib. vii D Hist., Africanus apud S. Hieronymum in cap. 9 Danielis, et alii quamplurimi, quibus accedunt etiam recentiores nonnulli. Singulariter vero 42 annos a passione Christi ad Hierosolymæ excidium effluxisse docuit Clemens Alex. lib. i Stromat., ubi sic habet : *A passione Christi ad eversionem Hierosolymorum anni sunt 42, menses 3.* Sanctus quoque Hieronymus in cap. i Sophon., vers. 17, hæc ait : *Post annos 42 dominicæ passionis circumdata est ab exercitu Hierusalem, et consummatio illius facta est cum festinatione.* Quod repetit in ep. 150 ad Helbiam, quæst. 8. Hæc quidem opinio de Christi passione anno 15 Tiberii et 29 epochæ nostræ peracta paucos nunc habet sectatores, celebris tamen ita olim fuit, ut illi Paulinum subscripsisse mirum non sit. Illud quidem mirum videbitur, nempe scriptorem quemdam Gallicum, cui criticum in S. Augustini opera examen debemus, hanc opinionem ita dissimulasse aut ignorasse, ut eam Augustino in mentem numquam obve

nire potuisse pronuntiarit. Est inter opera hujus magni doctoris sermo 204 ita inscriptus : *De eo quod scriptum est de S. Heliseo : Ascende, calve*, etc. Ibi præter alia dicitur : *Quid est : Ascende, calve, ascende, calve, nisi ascende crucem in loco Calvariæ? Et hoc attendite, fratres, quia sicut sub Heliseo 42 pueri lacerati sunt, ita et post 42 annos passionis dominicæ venerunt duo ursi, Vespasianus et Titus*. Tum subjicit Hierosolymæ vastationem per Romanos factam, additque : *Post 42 annos a duobus ursis, Vespasiano et Tito, gens illa sacrilega quod merebatur excepit*. Hinc memoratus autor occasionem arripit hunc sermonem exsibilandi, eumque Augustino abjudicandi. Inquit ille insulsum plane videri hoc effatum, quum non 42, sed 36 aut 37 annos post Christi passionem subversa fuerit Hierosolyma; esse hoc enorme in chronologiam peccatum, ac propterea Augustino sermonem indignum. Errat ille, ac in veterum Patrum lectione hospes videri posset, quandoquidem, uti superius animadversum est, plerique ex illis Christum passum duobus Geminis coss., hoc est anno Tiberii 15, censuere, ac inter eos potissimum S. Augustinus. Ab eo autem anno ad urbis sanctæ eversionem 42 annos colligere necessarium fuit. Quod si chronologorum recentium doctissimis placitis sententia hæc adversatur, neque Augustino, neque Paulino id vitio vertendum, qui communi celebrique **865** opinioni favebant. Non igitur istam ob causam Augustinum ille sermo dedecet, quamvis et ego certissimum arbitrer ab ejus calamo non prodiisse, sed potius a Paulini operibus deperditis expressum fuisse, quod hæc fragmenta legenti confestim patebit. Ut autem ad eadem fragmenta redeamus, tria ultima procul dubio ex libro de Pœnitentia, quem supra omnes laudari a Gennadio audivimus, sunt hausta; reliqua vero ex epistolis deperditis, aut ex alio Paulini opere desumta crediderim. Mihi etiam temperare non potui quin lepidam omnino atque apocrypham memorarem epistolam, quæ in ornatissimo Ambrosianæ bibliothecæ ms. inter Hieronymianas sexagesima quinta dicitur, et hunc titulum præfert : *Item Hieronymus de duodecim doctoribus*. Ejus initium ita se habet : *Vis nunc acriter, mi frater, ut tibi, quasi de luminaribus quæ in toto firmamento mundi refulgent, pauca de scriptoribus qui nobis multa de obscuritatibus, quæ propter carnalem mentem intelligentiam impediunt, ad splendorem considerationis spiritualem proferre potuerunt, manifestissime dicam*. Tot verborum salebræ ac circumlocutiones fœtum hunc Hieronymi haudquaquam esse continuo nos **866** monent. Ibi vero censura profertur in Augustinum, Hilarium, Origenem, Ambrosium, Eusebium Cæsariensem, Heliodorum et Dardanum. Tum hæc de Paulino nostro maleferiatus autor eructat : *Paulino visum est magister fieri, et non erat ante discipulus; et fructum sine radice oriri fierique temptavit; ideo ejus conscriptiones scriptore et charta non indigent*. De Pelagio deinde, Joviniano, Julio Africano et Fannonio scriptore ignoto sententiam profert. Verum tam longe abest ut hæc epistola Hieronymo sit adscribenda, ut ab ejus stylo, opinione ac sanctitate omnino abhorrere dignoscatur. Huic insulso figmento subjiciendas duxi castigationes atque additamenta ad reliquos Paulini Natales. Quum enim exemplaria typis hucusque commissa, et præcipue editionem Plantin. Antuerp. an. 1622, cum præstantissimo codice Ambrosiano contulerim, quosdam desiderari ibi versus, quosdam in melius restituendos in melius perspexi. Itaque has animadversiones alicui forte Paulini opera impressuro non modicum profuturas exhibeo in me, ut quantum est tanti scriptoris honor in dies augeatur.

EX OPERIBUS S. PAULINI DEPERDITIS EXCERPTA.

867 Præcepit Dominus corvis ut pascerent Heliam in torrente Choreb sedentem. Mira profecto res est ut viro sancto avis immunda vitæ subsidia ministraret. Unde si et nos contemnentes etiam propria, imitemur paupertatem Heliæ, credite dicenti, quod immunda animalia, idest homines peccatores, devoto nobis obsequio ministrabunt.

Cur Heliseus mansuetus ac mitis parvulos legimus bestiis tradidisse? Heliseus propheta figuram Christi gerebat. Denique vocabulum istud *Salus Dei* interpretatur. Salus autem Dei quid aliud est nisi Filius ejus qui et Salvator est mundi? Parvuli vero inludentes saluti Dei in Heliseo Judæorum habuere personam, qui clamabant dicentes : *Ascende, calve, ascende*. Quod in Calvariæ loco Christus ascensurus erat in crucem, *Et conversus*, ait Scriptura, *maledixit eis in nomine Domini*. Et exierunt duo ursi de sylva, et interfecerunt 42 infantes. Et Christus post passionem et ascensionem ad cœlos, sicut Heliseus ascendit in Bethel, id est in domum Dei, conversus maledixit Judæis post 42 annos ascensionis suæ, et immisit duos ursos, idest duos reges horrendos, Vespasianum et Titum, qui de sylvis gentium prodeuntes, crudeli eos strage jactaverunt.

Justus septies cadit in die, et resurgit. Qui semel cadit et iterum, quomodo justus vocari possit? Ideo justus dicitur, quia cadens erigitur. Septimus autem numerus requiem docet. Qui in septimo ciderit, cavere debet, ne ulterius cadat. Jam oportuerat post unum lapsum cavere de reliquo; sed quia misericors Deus est, patienter suffert hujusmodi lapsus, ut quis vel in septimo resipiscat. Si autem negligentior quis effectus resurrectionis transierit numerum, non potest dici justus, sed propter multitudinem delictorum in peccatorum numero deputatur. Duobus modis homo delinquit; proposito et casu, ut alius peccare velit, et alius prævenlatur peccato. Sed casus duplici dividitur modo, ignorantia et infirmitate. Judas proposito **868** peccavit dicens : *Quid vultis mihi dare, et ego vobis illum tradam?* Hic quod proposuit volens implevit, et ideo justam sceleratissimæ voluntatis mercedem recepit. Petrus vero infirmitate Dominum negavit mortem timens, qui se mortem pro Christo passurum esse promiserat. Sed quia derepente victus fuerat, ideo velocem lapsi veniam promeretur. Paulus vero ignorans persecutor effectus celeri venia sanatur, ipso etiam attestante : *Persecutus sum Ecclesiam Dei, sed misericordiam consecutus sum, quod ignorans feci*. Vides ergo, alios nolentes cadere, alios elidi propria voluntate. Duo etiam quædam in homine sunt, oblivio et ignorantia. Obliviscitur homo Deum, cum peccare proponit; ignorat autem, cum præventione delinquit, ut puta fornicatus est quis volens, alius vero repugnans fornicationi infirmitate victus est. Unum quidem est amborum peccatum, sed non erit æqualis pœnitentia, quia ille volens, hic vero nolens in certamine victus succubuit. Vides quæ sit peccati distantia? Ecce quomodo cadit justus, et Domino manum supponente salvatur, etc.

Dei voluntati nostra potestate adjuvemus, ut ipse sua virtute nostræ faveat voluntati, quia scriptum est : *Neque volentis, neque currentis, sed Dei miserentis est*. Velle enim, et currere nostrum est; Dei autem misereri, ipsa etiam Veritate apostolos adtestante : *Sine me nihil potestis facere*. Et Paulus : *Quid habes*, inquit, *quod non accepisti? Si accepisti, cur gloriaris, quasi non acceperis?* etc.

Itaque si quis exacerbaverit Deum, Moysi imitetur exemplum, qui dubitationis culpam pœnitentiæ et humilitatis satisfactione delevit. Si sacrilegii quis crimen incurrit, imitetur Aaron, qui confessionis et humilitatis per medelam transgressionis expiatus crimine sacerdotii meruit principatum. Si quis adulterium et homicidium fecerit, consideret David et agat pœnitentiam, atque medicamine sanus effectus in ti-

more Dei permaneat. Si quis in confessione fuerit A victus et tormentis cedens fidei exstiterit proditor, Petri, qui negavit, imitator existat. Egressus foras, idest egressus a perfidia, fleat amariter, et recurrat ad fidem. In magnis peccatis magnorum virorum delicta monstrantur, ut simili modo si infirmus quis aut humilis erraverit, respiciens ad exemplum magnorum virorum facilis vitæ aditum inveniat, et ad fidem pœnitentiamque convertatur, etc.

NOTÆ ET OBSERVATIONES
IN S. PAULINI OPERA.

IN EPISTOLAM PRIMAM.

869 Not. 1. *Severo.* — *Severus* hic cognomento *Sulpicius* dicitur Gennadio lib. de Scriptoribus ecclesiasticis, cap. 29, nec aliter eum indigitat Gregorius Turonensis lib. I de Miraculis S. Martini, cap. 1, et libro X Histor. Francor., cap. 31. Alii malunt *Sulpicium Severum* dictum; atque ita præfert vulgata in-B scriptio epistolæ ejus ad Aurelium diaconum, itemque ad Bassulam socrum. Etsi Paulino simpliciter semper *Severus* nominetur, quod et apud Turonensem fere obtinet, seipsum tamen in dialogis singulariter *Sulpicii* nomine inducit. Quare cum eadem ætate nunc *Severus* nunc *Sulpicius*, ἁπλῶς, nominetur, apparet non semper autores, cum solitarium aliquod cujusquam nomen ponerent, proprium posuisse, posteaquam unum cuique tantum proprium nomen fuerit. Videsis Francisci Sylvii Progymnasmatum centuriam secundam, cap. 41, ubi docet sæpe cognomen nomini præpositum.

Fuit domo Aquitanus, ut ipse fatetur dialogo 1, cap. 20, et Gennadius. Et quidem e Nitiobrigibus, cum libro II sacræ Historiæ Phœbadium (qui Ageni Galliarum episcopus fuit, teste Hieronymo de Script. eccles., cap. 108) suum vocet episcopum. Notum autem Agennum esse in Nitiobrigibus.

Vixit maxime *Elusone*, ut habet Paulinus epist. 6, C vel *Primuliaci*, ut idem habet epistola 11 et 12, quæ quo loco sita sint ibidem vide. *Tolosæ* quoque eum habitasse, colligere est ex epistola Severi ad socrum Bassulam.

Non fuit Bituricensis episcopus, quod multis viris doctis visum, sed presbyter tantum, uti testatur Gennadius, nunc Primuliaci nunc Elusone degens, ut præferunt Paulini epistolæ jam citatæ. Rosweydus.

Not. 2. *Insultante Zabulo.*—Id est *diabolo.* Ita fere semper Paulinus, antiquiores se Patres secutus, qui ita extulere. Cyprianus ad Demetrianum, cap. 6: *Quid in ruinam zabuli per ipsum et cum ipso cadis?* Ita ibi vetustissimi libri: quæ **870** scriptio et aliis locis apud Cyprianum in veteribus editionibus fuit, ubi nunc *diabolus* obtinet. Apud eumdem, autor libri de Aleatoribus, cap. 3: *Deorbati zabuli caligine invicem sibi manus inserunt;* et aliquoties eodem libro, Hilarius in Matthæi caput XXIV, canone 26: *Furem enim esse ostendit zabulum, ad detrahenda ex nobis spolia pervigilem.* Idem in cap. XII Matth., can. 12: *Contusam* D *a se in tentatione prima omnem zabuli indicat potestatem.* Ambrosius lib. V, cap. 1, de Fide ad Gratianum: *Feralem illum cetum, zabulum scilicet, ultimis temporibus venerabili sui corporis passione prostratum perculit.* Hymnus ecclesiasticus de S. Michaele:

> Michaelem in virtute conterentem zabulum.

Glossæ Claromarescanæ mss., *Zabulus diabolus.* Glossæ Aquicinctinæ mss., *Zabulus, Satanas, contrarius.* Item, *zabulum habitaculum pulcritudinis:* ubi prius Græcum, alterum Hebraicum est vocabulum *zabulon*, quod apud D. Hieronymum, de Nominibus Hebraicis, dicitur *habitaculum fortitudinis*, vel *fluxus noctis.* Verissima est *zabuli* originatio, quam viri docti jam suggessere, a διαβάλλω, Æolice ζαβάλλω; et ut inde *diabolus*, ita hinc *zabolus.* Rosveydus.

Not. 3. *In sacerdotium tantum Domini, non etiam in locum ecclesiæ dedicatus.* — Qui non ad certum titulum hujus vel illius ecclesiæ presbyter ordinabatur, ἀπολελυμένως, vel ἀπολύτως χειροτονεῖσθαι, absolute ordinari dicebatur; idque vetitum est postea canone 6 conc. Chalcedonensis: Μηδένα ἀπολελυμένως χειροτονεῖσθαι μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον, εἰ μὴ εἰδικῶς ἐν ἐκκλησίᾳ πόλεως ἢ κώμης, τοὺς δὲ ἀπολύτως χειροτονουμένους ὥρισεν ἁγία σύνοδος ἄκυρον ἔχειν τὴν τοιαύτην χειροθεσίαν. *Neminem absolute ordinari, nec presbyterum, nec diaconum, nisi specialiter in ecclesia civitatis vel pagi: eos autem qui absolute ordinantur, decrevit sancta synodus irritam habere ejusmodi manuum impositionem.* In quem locum scribens Zonaras ait olim cum presbyteri ordinarentur expressum fuisse nomen tituli vel ecclesiæ ad quam ordinabantur. καὶ ὥσπερ νῦν ἕκαστον τῶν ἀρχιερέων τῆσδε τῆς πόλεως ἐπίσκοπον ὁ **871** χειροτονῶν αὐτὸν προβληθῆναι λέγει· οὕτως τὸ παλαιὸν πᾶς χειροτονούμενος τῆσδε τῆς ἐκκλησίας ἱερεὺς ἢ διάκονος ἁπλῶς ὠνομάζετο. *Quin ut hoc tempore unumquemque pontificum hujus civitatis episcopum creari dicit ordinator: sic olim quicumque sacerdos vel diaconus ordinabatur, hujus ecclesiæ nuncupabatur.* Sic ad verbum interpretationem effero, ut constet ab ipso ordinatore titulum prolatum fuisse, quamvis in desuetudinem id abiisse Zonaras idem de presbyteris et diaconis testetur. Vide Photii Nomocan. tit. 1, cap. 33, ubi emenda can. Chalcedon., proc. 26. Duc. Vide Glossar. Lat. C. Cangii ad vocem Titulus, tom. III, p. 1134.

Not. 4. *De Elusone.* —Versabatur in civitate Barcinonensi Paulinus: eo pervenerat octava luce de Elusone profectus hic nuntius, et Pyrenæum transcenderat, qui Narbonensis Galliæ ad Hispanias est agger; indicat igitur autor Elusonem urbem fuisse Galliæ Narbonensis. Hoc ipsum confirmat Itinerarium Burdegalense, a P. Pithœo editum, quod Elusionem vocat: *Civitas Tolosa L.* 7, *Elusone M.* 9, vicus Ebromago *M.* 10, *civitas Narbone M.* 15. Itaque Elusonem collocat inter Tolosam et Narbonam in Gallia Narbonensi, Elusam autem inter Burdigalam et Tolosam in Aquitania, et Novempopulis: proinde distinguenda est Elusa ab Elusione urbe; nec assentiendum Abrah. Ortelio aliisque recentioribus geographis, qui corrupte apud Paulinum legi putant *de Elusone* pro *de Elusa;* et apud Ammianum Marcellinum legunt lib. XV: *In Narbonensi Elusa est, Narbona et Tolosa;* sed contra ex Paulino corrigendus est Marcellinus, cum Elusa non sit in Gallia Narbonensi, vel certe nihil in Marcellino mutandum. Duc.

Josephus Scaliger prolegomenis ad emendationem Temporum scribit *Elusonem* oppidum esse cum arce veteri in finibus Nitiobrigum, qua amne Draguto a Petrogoriis dividuntur, vulgo *Lausun.* Rosweydus.

IN EPIST. II.

Not. 5. *Deservimus altario Dei, et mensis salutaribus ministramus, jam nomine officioque seniores.* — *Senior, presbyter*, vis Græce vocis πρεσβύτης. S. Cyprianus epist. 75: *Qua ex causa necessario apud nos fit ut per singulos annos seniores et præpositi in unum conveniamus ad disponenda ea quæ curæ nostræ commissa sunt.* Prudentius in passione S. Hippolyti: *Offertur senior nexibus implicitus.* Hippolytum presbyterum antea vocaverat. Carolus Cangius in Glossario Lat., tom. III, p. 809.

IN EPIST. III.

Not. 6. *Ad venerabilem socium coronæ tuæ patrem nostrum Aurelium.* — *Corona*, dignitas clericalis, sacerdotalis, episcopalis, pontificalis : quia corona est insigne præcipuum clericatus et sacerdotii. S. Augustinus, epist. 147 ad Proculianum : *Per coronam nostram nos adjurant vestri, per coronam vestram vos adjurant nostri.* Hac etiam voce ut illustri honoris titulo compellabantur summi pontifices et episcopi. Ennodius, lib. IV, epist. 22 ad Symmachum papam : *Erigat parvulos inplorata coronæ vestræ miseratio.* Tarraconenses episcopi epist. 2 ad Hilarium papam : *Provinciali litterario sermone debita coronæ vestræ obsequia deferentes.* Anastasius in S. Cornelio PP. : *Cornelius respondit : Ego de corona domini* (Cypriani episcopi) *litteras accepi, non contra rempublicam.* Marculfus lib. I, form. 26, quæ inscribitur, *Indiculus commonitorius ad episcopum : Præsentem indiculum ad coronam beatitudinis vestræ direximus.* Ita passim utuntur S. Hieronymus epist. 81, Paschasinus Lilyb. in epist. ad Leon., Florianus in epist. ad Nicetium, Quodvultdeus diaconus in epist. ad S. Augustinum, tom. VI operum ejusdem Augustini, Sidonius lib. VI, epist. 4, Paulinus Nolanus epist. 18 ad Delphinum, Braulio Cæsaraugust. in epistola ad Isidorum Hispalensem, Fortunatus in epistola præfixa libris de Vita S. Martini, et lib. V, in epist. ad Martinum Gallic. episcopum, S. Bernardus epist. 205 ad episc. Roffens., etc. CANGIUS, tom. I Glossar. Lat. p. 1225.

Not. 7. *Panem unum... in quo etiam trinitatis soliditas continetur.* — An panis hic trifidus fuit, ut Trinitatem repræsentaret? In tribus panibus Trinitatem agnoscit Augustinus de Tempore serm. 171 in illud Lucæ XI : *Quis vestrum habebit amicum*, etc., et ita commentatur : *Non sine sacramento tres petit panes, quia unus hospes erat gratia pietatis, sed substantia Trinitatis. Nonne unus hospes erat in tribus qui venit ad patrem Abraham? Hospes et amicus, pransor et mansor; et omnia illi in Trinitate* **872** *sunt exhibita humanitatis obsequia, quia Trinitatis gloria refulget. Trinum attulit vitulum pater, tres mensuras similaginis conspersit futura mater, paritura filium, pro qua pater mactavit agnum, et ipsa corpus Christi in Trinitate jam fecerat sacramentum.* Idem serm. 29 de Verbis Domini, cap. 3 : *Cum autem perveneris ad tres panes, hoc est ad cibum et intelligentiam Trinitatis, habes et unde vivas et unde pascas*, etc. *Panis est, et panis est, et panis est : Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.* ROSVEYDUS.

IN EPIST. IV.

Not. 8. *Panem unum quem unanimitatis indicio misimus.* — Ita in more erat positum apud sanctiores Patres ut panem sibi invicem in unitatis et unanimitatis symbolum eulogiæ quoque invicem mitterent. Paulinus epist. 1 ad Severum : *Panem Campanum de cellula nostra tibi pro eulogia misimus.* Idem epistola 45 ad Alypium : *Panem unum sanctitati tuæ unitatis gratia misimus, in quo etiam Trinitatis soliditas continetur. Hunc panem eulogiam esse tu facies dignatione sumendi.* Idem epistola 46 ad Romanianum : *Ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de bucellato Christianæ expeditionis, in cujus procinctu quotidie ad frugalitatis annonam militamus, panes quinque tibi pariter et filio nostro Licentio misimus.* Augustinus epistola 34 ad Paulinum : *Panis quem misimus, uberior benedictio fiet dilectione accipientis vestræ benignitatis.* Hinc Christus Eucharistiam in pane instituit, uti ad 6 epistolam dicetur. ROSVEYDUS.

IN EPIST. V.

Not. 9. *Socrum sanctam.*—Bassulam intelligit, Severi socrum, de qua infra et hac eadem epistola : *Sanctam parentem nostram, matrem in Christo, coheredem tuam, veneratione qua digna est, salutari peto;* et epistola 11 ad Severum loquens de segmento S. crucis, quod Therasia Paulini uxor Bassulæ miserat : *Hoc specialiter sorori nostræ venerabili Bassulæ misit conserva comunis.* Inter Severi epistolas tertia est ad Bassulam socrum. ROSVEYDUS.

A Not. 10. *O vere Israelita.* — Sic epist. 36 (nunc 49) *ut Christum videret sicut Israel.* Alludit nimirum ad etymologiam nominis Israel, quam tradunt Eusebius apud Hieronymum de Nominibus Hebraicis : Nazianzenus orat. 2 de Theologia, Hilarius in psal. XIII, Philo in lib. de Profugis et de Abraham, Basilius in I Isaiæ : Ἰσραὴλ, ὃς ἑρμηνεύεται, Ὁρῶν Θεόν, *Israel, qui vertitur, Videns Deum*; et rursus Hieronymus in Amos IV, in Oseæ VIII, et in XXXI Jeremiæ. Sed idem tamen in Quæstionibus in Genesim hanc etymologiam non tam veram quam violentam existimat, licet omnium sermone detritam, seque angeli potius autoritate duci profitetur, qui rationem hanc affert : *Contra Deum fortis fuisti.* Quare interpretatur Aquila, Ὅτι ἦρξας μετὰ Θεοῦ, *Quoniam dominatus es cum Deo.* LXX et Theodotio : Ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ, *Quoniam invaluisti cum Deo. Sarich enim, vel Sar, a quo vocabulo Israel derivatur, principem sonat.* Ita locum hunc corrigit doctissimus Delrius noster, qui et Hieronymum censet non tam ex sua quam ex aliorum sententia
B hic locutum : cui tamen non assentior, cum constet eum potius commentarios suos in prophetas e Græcorum Patrum voluminibus expressisse, non discussis eorum sententiis ; in Quæstionibus autem Hebraicis doctiores Hebræos secutum esse, quibus et recentiores in hac Israelis etymologia potius assentiuntur, ut Pagninus et alii, qui admonent, si dicamus, ex veterum sententia, Israel, quasi sit, ישראיאל, *Is roch el, Vir videns Deum*, tum necesse esse scribi ישראל per schin, hoc est ש cum puncto in cornu dextro, cum contra in omnibus libris per sim scribatur, hoc est ש cum puncto in cornu sinistro. Melius igitur deducitur a verbo שרה, quod sonat *dominari* et *invalescere.* DUC.

Not. 11. *Per septena Domini candelabra.* —Apocalypsis I, 12 : *Et conversus vidi septem candelabra aurea, et in medio similem Filio hominis.* Recte autem ex Badii et Gravii editionibus scriptum est *septena* pro *septem.* DUC.

Not. 12. *Fumigante lino.*— Ita recte scriptum pro
C *ligno*, quod habuit editio Parisiensis. Sic enim Isai. XLII, 3 : Λίνον καπνιζόμενον οὐ σβέσει ; *Linum fumigans non exstinguet.* DUC.

Not. 13. *Impie qui valebat.* — Ante erat *impari æquivalebat*, e quo Romanus amicus faciebat *ire par ei qui valebat*, plausibili omnino conjectura, quod et sensum habeat commodissimum, nec a Paulini discrepet stilo, et ex vulgata **873** lectione sponte nascatur, et nullum denique afferat incommodum. Præferenda tamen videtur lectio quam dedit ex mss. B et P, ita enim melius respondent sibi membra periodi, et redditio sui cuique adverbii, et sonus ipse compositionis, quæ omnia Paulini os sapiunt, Vigilantius æger *temere*, catechumenus valens *impie* festinabat, videlicet nondum Christianæ pietatis viscera habens, nec compati doctus infirmis, quia nondum erat corporis (inquit Paulinus) nostri membrum. ROSVEYDUS.

Not. 14. *Romæ zelotyporum incendia clericorum.*— Baronius, tomo IV Annalium ecclesiasticorum anno
D Christi 394, Siricii papæ X ita in hunc locum, et eum qui mox sequitur de *Urbico papa*, commentatur : « Jam, puto, sentis quem Paulinus per *Urbicum papam* intelligat : non alium quidem quam qui tunc Romanæ præerat Ecclesiæ pontifex, ipsum Siricium, quem infensum absque causa aliqua, ut ait, pati coactus fuerit. Accidit plane sanctum Paulinum juste conqueri de Siricio papa, atque aliis nonnullis Romanæ Ecclesiæ clericis, de quibus etiam conquestum vidimus sanctum Hieronymum, quod sæpe superius diximus, ut plane acciderit hac ex parte male audire Siricium, quod adversus adeo insignes sanctitate et doctrina viros ubique spectatos fuerit commotus.

« Sed quanam causa? Num quod non receperit ipsum inter clericos in Ecclesia, quem ab alio ordinatum esse sciebat : idque sit quod idem Paulinus ait : *Urbici papæ superba discretio?*

« Vel fortasse ideo Siricius illi succensuit, quod ordinatus statim fuerit ex laico presbyter : quod ne

fieret a quovis episcopo, idem Siricius data epistola ad orthodoxos, adhibita contestatione, admonuisset? At si hoc crimen fuit, in episcopum Barcinonensem Lampium culpa rejicienda fuit. Paulinus enim, ut ipse sæpe testatur, vim passus est. Sed et in tanto viro veniale hoc, sicut in Ambrosio et aliis, qui non ad presbyteratum tantum, verum etiam ad episcopatum ex laicis catechumenis inviti provecti sunt.

« Verum cum hæc omnia quæ passus est Romæ Paulinus, idem ipse livori tantum adscribat et invidiæ, illud opinandi haud levem affert occasionem, nimirum, quod adveniente ipso Paulino Romam post tam longum spatium temporis, omnium oculi in ipsum conversi fuerint, obstupescentium præ miraculo, cum viderent consularem virum presbyterum factum, mox in monachum transformandum, celebri concursu tum civium, tum etiam exterorum frequentatum officiis. Etenim ejus fama illis veluti quodam classico excitatis, factus est ad eum invisendum frequens undique concursus, non Romanorum dumtaxat civium, sed et peregrinorum antistitum, ex partibus etiam transmarinis properantium; nec privato tantum munere, sed etiam publicarum functione legationum. Hæc, inquam, tot tantaque nonnullorum moverunt invidiam, ut ait, livorem induxerunt, excitarunt et iram: cum ille pacis filius sic male affectis animis nullo opportuniori remedio, ut ipse addit, occurrendum putavit, quam maturata ab urbe discessione. Quod et faciendum Severo proposuit, qui tunc in patria iisdem invidiæ ictibus vexabatur. » Rosweydus.

Not. 15. *Afri quoque ad nos episcopi.* — Paulinus infra, epistola 46 ad Romanianum, meminit Africanorum episcoporum, a quibus litteras acceperat: *Inde epistolas receperamus, id est Aurelii, Alypii, Augustini, Profuturi, Severi, jam omnium pariter episcoporum.* Rosweydus.

Not. 16. *Patroni Dominædii mei Felicis.* — Idem epist. 13, panegyrico 3 in Felicem,

Et celebrare diem datur, et spectare Patroni
Præmia.....

Et Natal. vii, sæpe. Item Nat. viii.

Patroni dicti veteribus Christianis *sancti* præcipue *tutelares*, S. Augustino, lib. de Cura pro mortuis, cap. 4, 18; S. Ambrosio, lib. x in Lucam, c. 21; Prudentio, hymn. 1 et 2 peristeph.; S. Eulogio in Apologet., etc. Cangius in Glossar. Lat., tom. III, pag. 205.

Not. 17. *Dominædii mei Felicis.* — Felicem Nolanum vocat *Dominædium*, quasi Dominum ædis seu basilicæ Nolanæ. Sic epist. 9: *Natalitium de mea solemni ad Dominædium meum cantilena;* et epistola 10: *In quo personis puerorum ac virginum choris vicini Dominædii nostri Felicis culmina resultabant;* et epist. 12: *Basilica igitur illa, quæ ad Dominædium nostrum communem patronum, in nomine Domini Christi jam dedicata celebratur;* et epist. 28, quæ est ad Victricium: *Quem Dominus experiri voluit potentiam apud se sancti sui confessoris, dilectissimi Felicis Dominædii nostri.* Item Natali 7:

Quam quod mihi tectis
Ipse meis quibus est, idem Dominædius egit.

Quod non monerem, nisi viderem Ambrosium Leonem lib. ii de Nola, cap. 11, hic lapsum, qui existimavit **874** tempore Paulini Deum a Nolanis dictum Dominædium, *quod verbum,* inquit, *in ore jurantium ac invocantium Deum usque ad nostra tempora servatum audimus.* Non recte Parisina editio hic *Domini ac Ducis*, loco *Dominædii*, exhibet. Rosweydus.

Not. 18. *Panem Campanum de cellula nostra tibi pro eulogia misimus.* — *Eulogiæ* privatim quas episcopi ac presbyteri ultro citroque dabant et accipiebant, ab ipsis a quibus mittebantur benedictione consecratæ, et ut plurimum *panes benedicti* ab iis appellantur. Mittebantur etiam cum litteris salutatoriis, quarum formulam exhibet Marculfus lib. ii, form. 42, 43, 44. De hujusmodi *eulogiis* ac panibus benedic-
A tione consecratis agunt S. Basilius in Regula, c. 133; Paulinus Nolanus in epistola ad Alypium et in epist. ad Romanianum; S. Fructuosus in Regula, c. 23; Regula S. Columbani, c. 10; Regula Magistri, cap. 76; Gregorius Turon., lib. iv hist., cap. 16, lib. v, c. 14, lib. vi, cap. 5, lib. viii, c. 2, 20, lib. x, c. 16, de Gloria confessorum, c. 31; Fortunatus lib. xi, poem. 8, 11; Hincmarus Remensis in Capitul. ad presbyteros parochiæ (*id est* diœcesis) suæ, cap. 7, 16, et alii quamplures.

Eulogiæ vocabulo etiam donati panes qui in ecclesia offerebantur ad sacrificium et benedicebantur, ex quibus pars aliqua seligebatur ad Christi corpus conficiendum. Distribuebantur autem *eulogiæ* istæ iis qui ob impedimentum quodpiam diebus festis et Dominicis *communicare non erant parati*, ex decreto Pii PP. apud Burchardum, lib. v, c. 27, et concilio Nannetensi, c. 9, atque adeo ipsis catechumenis, qui jus sumendæ Eucharistiæ non habebant: quibus id erat loco sacramenti, vel etiam *sacramentum* quoddam,
B uti appellat S. Augustinus lib. ii de peccat. Remiss., cap. 26, laxiore videlicet notione, quia precibus sanctificabatur (hinc *panis benedictus fieri* vetatur in die Paschæ et in festivitatibus quibus solent et debent corpus Christi recipere Christiani, in præceptis synodalibus Petri de Collemedio archiepisc. Rotomag., quod etiamnum observatur die Paschæ in illa diœcesi): distribuebantur (inquam) post missam per sacerdotem cunctis præsentibus paulo ante dimissionem. Leo IV PP. de Cura pastorali: *Eulogias post missas in diebus festis plebi distribuite.* Et summa cum animi submissione et cultu ex manu sacerdotis oris osculo prius salutata recipiebatur, ut testatur Cabasilas. Quippe, ait S. Augustinus lib. ii de peccatorum Remissione, cap. 26: *Hic panis, quamvis non sit corpus Christi, sanctus est tamen, et sanctior cibis quibus alimur.* Unde θεῖος ἄρτος, *divinus panis*, dicitur Pachymeri lib. v Hist., cap. 8. Atque inde, quemadmodum sacra Eucharistia a jejunis manducabatur; et si quis jejunus non esset, et si acciperet, vicino por-
C rigebat ad manducandum: quod etiamnum observari in Ecclesia Græca tradunt Allatius lib. iii de Eccles. Occid. et Orient. Consensu, cap. 9, § 1, et Goarus ad Euchologium. De eulogiis post missam distributis agit etiam Pius Papa et martyr lib. ii quinque libror., c. 117, et ex eo Hincmarus in Capitulis presbyteris suæ parochiæ datis anno 752, cap. 7: *Ut de oblatis quæ offeruntur a populo, et consecrationi supersunt, vel de panibus quos deferunt fideles ad ecclesiam, vel certe de suis, presbyter convenientes partes incisas habeat in vase nitido et convenienti, ut post missarum solemnia, qui communicare non fuerunt parati, eulogias omni die dominico et in diebus festis exinde accipiant; et illa unde eulogias presbyter daturus est ante in hæc verba benedicat, et sic accepturis distribuat*, etc. Eadem habent concilium Nannetense an. 895, c. 9, et Regino de Vita et Conversatione presbyterorum, c. 61.

Eulogiarum primam institutionem synodo Antio-
D chenæ sub Constantio celebratæ videtur adscribere Balsamon ad can. 2; sed illas antea in usu fuisse ex scriptoribus constat. Vide S. Augustinum, lib. iii contra Petilianum, cap. 16. Atque hæc quidem *eulogias* publicas spectant, quæ scilicet populo post peractam sacram liturgiam distribuebantur. Cangius in Glossar. Lat., pag. 290 et 291, tom. II, n. 2. Qui de variis eulogiis plura scire voluerit consulat idem Glossarium, pagg. iisdem et seqq.

Not. 19. *Apophoretum.* — Ita olim scriptum *apophoretum*, ἀποφόρητον. Nota, apophoreta pro muneribus a convivio referri solitis Suetonio in Caligula, cap. 55; in Vespasiano, cap. 29; Martiali, inscriptione libri ultimi; Lampridio in Heliogabalo; veteri Scholiaste Juvenalis ad *mustacea*, sat. 6. Item pro donis datis in munerum editione et dignitatum votis, Symmacho lib. xi, epist. 81, libro v, epist. 56, libro ix, epist. 59. Quam vocem veteres Patres in spiritalibus suis conviviis et sacris muneribus usurparunt

De conviviis Ambrosius Exhortatione ad Virgines: *Qui ad convivium magnum invitantur, apophoreta secum referre consueverunt. Ergo ad Bononiense invitatus convivium,* **875** *ubi sancti martyris* (Agricolæ) *celebrata translatio est, apophoreta vobis plena sanctitatis et gratiæ reservavi*: quæ repetit epistola 55 cum reliquias clavorum, sanguinis et crucis martyrum Vitalis et Agricolæ Bononia redux Mediolanum secum detulisset. Idem in caput I Epistolæ D. Pauli ad Romanos: *Ad Evangelium omnes invitati apophoreta duplicia consequuntur. Remissam enim peccatorum accipiunt, et filii Dei fiunt.* Zeno quoque Veronensis sermone 4 ad neophytos post baptisma, agens de convivio spiritali, ad quod Veteris Novique Testamenti viri sancti symbolam conferunt, ultimam Zachæi symbolam pro apophoretis habet: *Zachæus sine mora quadruplicia expungit apophoreta.*

De triumphis principum et magnis votis, Ambrosius Exhortatione ad Virgines de S. Agricolæ translatione: *Apophoreta autem solent habere triumphi principum; et hæc apophoreta triumphalia sunt. Christi enim nostri triumphi sunt martyrum palmæ.* Idem in caput III epistolæ S. Pauli ad Ephesios: *Sicut in magnis votis maximo dantur apophoreta; ita et magnifico manifestato* (Christi) *mysterio, gaudii et lætitiæ causa tam egregio munere donati sunt homines, quod illis satis sit ad copiam salutarem.* Augustinus epistola 179: *Velationis apophoretum lætissime accepimus*, intelligens munus sibi a Proba et Juliana transmissum in gratiam solemnitatis, cum velum virginitatis Demetriadi fuit traditum.

Quia hic Paulinus *scutellam buxeam* Severo pro apophoreto mittebat, non abs re, quod notat Isidorus, lib. XX Originum, cap. 4, de vasis escariis: *Apophoreta a Græcis a ferendo poma vel aliquid nominata: est enim plana.* ROSWEYDUS.

Not. 20. *Nigellatum.* — Petrus Danesius (monente Frontone nostro), professor olim Parisiensis, ad oram sui libri ita annotarat: « Signinum nigellatum arbitror ab eo dici ea vasa fictilia, quæ ab Italis porcellana vulgo vocantur. Fiunt autem ex testis contusis addita calce: quæ cum sint foris candida, aeri claro apposita figuras intus nigellas quasi transparentia intuenti ostendunt. » Ita ille. Quæ interpretatio si admittatur, et *nigellatum* et *ea vascula* de eodem capi debent, per quæ alia quædam, quæ pueris suis demandaverat, mitti optarit. At vero alicui videatur Paulinum expetere ad se mitti *nigellatum per ea vascula quæ pueris demandaverat*, id est *per vasa fictilia*, ut mox explicat. Quare si quis per *nigellatum* vel vinum nigellum, vel oleum, vel liquamen aliquod intelligat, non ille fors a mente Paulini aberrabit. Certe hæc talia vasis quoque fictilibus condi solita, nimis quam notum. Nec infrequens sibi mutuo nunc oleum, nunc muriam mittere, ut patet Ausonii epistola 21 ad Paulinum. Olei frequens apud monachos usus. Paulinus epist. 3 ad Severum: *Parcimoniæ curam gerens, facilem nos victum cibo simplici capere, coctis in gutta olei et aquæ copia pultibus, docuit.* Nonnemo fors per *nigellatum* intellexerit olus atrum, quod condi et condiri solet in ollis fictilibus. Columella lib. XII, cap. 56. Propius vero, *nigellatum* esse oleum ex nigella, quæ μελάνθιον, unde oleum melanthinum, Actuario lib. VI, cap. 10 de Methodo medendi. Paulinus autem variis subditus infirmitatibus oleo medico opus habuit; unde epistola 3 ad Severum laudat *obsequium* Victoris, quod *membris* ejus *unctor* fuerit. ROSWEYDUS.

IN EPIST. VI.

Not. 21. *Uno pane vivamus.* — De Eucharistia intelligit, quam Christus in pane et vino in unitatis symbolum instituit. Cyprianus, epistola 63 ad Cæcilium, cap. 6: *Quemadmodum grana multa in unum collecta, et commolita, et commixta, panem unum faciunt; sic in Christo, qui est panis cœlestis, unum sciamus esse corpus, cui conjunctus sit noster numerus et adunatus.* Idem, epistola 76 ad Magnum, cap. 2:

A *Quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum, quem portabat, indicat adunatum: et quando sanguinem suum vinum appellat, de botris atque acinis plurimis expressum atque in unum coactum, gregem item nostrum significat, commixtione adunatæ multitudinis copulatum.*

Præclare S. Chrysostomus, homilia 24 in caput X ad Corinthios I: Τί γὰρ λέγω κοινωνίαν, φησί; αὐτό ἐσμεν ἐκεῖνο τὸ σῶμα. Τί γάρ ἐστιν ὁ ἄρτος; σῶμα Χριστοῦ. Τί δὲ γίνονται οἱ μεταλαμβάνοντες; σῶμα Χριστοῦ, οὐχὶ σώματα πολλά, ἀλλὰ σῶμα ἕν. Καθάπερ γὰρ ὁ ἄρτος ἐκ πολλῶν συγκείμενος κόκκων ἥνωται, ὡς μηδαμοῦ φαίνεσθαι τοὺς κόκκους, ἀλλ' εἶναι μὲν αὐτούς, ἄδηλον δὲ αὐτῶν εἶναι τὴν διαφορὰν τῇ συναφείᾳ· οὕτω καὶ ἀλλήλοις καὶ τῷ Χριστῷ συναπτόμεθα. Οὐ γὰρ ἐξ ἑτέρου μὲν σώματος σύ, ἐξ ἑτέρου δὲ **876** ἐκεῖνος τρέφεται, ἀλλ' ἐκ τοῦ αὐτοῦ πάντες. *Quid enim*, inquit, *dico communicationem? Sumus ipsum illud corpus. Quid enim est panis? Corpus Christi. Quid autem* B *fiunt, qui sumunt? Corpus Christi; non corpora multa, sed unum corpus. Quomodo enim panis ex multis granis compositus est unitus, ut nusquam appareant grana, sed sint quidem ipsa, non manifesta autem sit eorum differentia propter conjunctionem: ita etiam inter nos et Christo conjungimur. Non enim ex alio quidem corpore tu; ex alio autem ille nutritur, sed ex eodem omnes.*

Augustinus, feria 2 Paschæ de Sacramentis fidelium, apud Gratianum de Consecratione dist. 3, cap. 36: *Panis iste indicat unitatem. Sic et vinum in multis racemis fuit, et modo unum est, unum est in suavitate calicis post pressuram torcularis.* Idem tract. 26 in Johan.: *Propterea quippe, sicut etiam ante nos intellexerunt homines Dei, Dominus noster Jesus Christus corpus et sanguinem suum in iis rebus commendavit, quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit.* Ibidem ante: *Non po-* C *test vivere corpus Christi nisi de spiritu Christi. Inde est quod exponens nobis apostolus Paulus hunc panem,* Unus panis, *inquit*, unum corpus multi sumus (*I Cor.* X, 17). *O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis!* Et mox: *Litigabant utique ad invicem Judæi, quoniam panem concordiæ non intelligebant, nec sumere volebant. Nam qui manducant talem panem, non litigant ad invicem; quoniam unus panis, unum corpus multi sumus.* Idem epistola 59 ad Paulinum: *Voventur autem omnia quæ offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio; quo sacramento prædicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, utique in compage corporis Christi. Cujus rei sacramentum est, quod* unus panis, unum corpus multi sumus. Idem in psalmum CXLVII: *Unus panis, unum corpus multi sumus. Ipse dicit. Ergo si unus panis totum corpus Christi, membra Christi frusta panis sunt.* Hinc olim sibi invicem panem in unitatis et unanimitatis symbolum mittebant, ut ad epistolam quartam docui. ROSWEYDUS.

D

IN EPIST. VII.

Not. 22. *Profuturi.* — Ad hunc exstat epistola Augustini 149, quem *fratrem* vocat, indicans episcopum esse. Narrat defunctum Megalium, cujus primatus successorem disponebat Profuturum. ROSWEYDUS.

Not. 23. *Severi.* — Paulinus et Therasia Romaniano epist. 46: *Sanctorum et carissimorum virorum inde* (ex Africa) *epistolas receperamus, id est Aurelii, Alypii, Augustini, Profuturi, Severi, jam omnium pariter episcoporum.* Severus hic est episcopus Milevitanus, cujus meminit Augustinus epist. 34, scribens ad Paulinum et Therasiam: *Beatissimus frater Severus de condisciplinatu nostro Milevitanæ antistes Ecclesiæ, bene apud eamdem civitatem cognitus, debito nobiscum officio sanctitatem vestram salutat.* Ipse Severus, epistola 37, se Augustini discipulum fuisse profitetur: *Deo gratias, frater Augustine, cujus donum est, quidquid in nobis bonorum gaudiorum est.*

Cui respondet Augustinus epist. 135. Meminit ejusdem Severi tamquam Milevitani episcopi epist. 129 ad Olympium, et epistola 110 (quæ potius Acta sunt designando sibi Eradio successore) meminit Severi jam mortui, cui successorem, quem ipse Severus designaverat, dedit. ROSWEYDUS.

Not. 24. *Coepiscopus Augustinus est.* — Vox *coepiscopus* accipitur pro eo episcopo quem *coadjutorem* vocamus, ut et apud S. Augustinum epist. 34. Vide quid de chorepiscopis scribat Carolus Cangius in Glossario Lat., tom. I, p. 969.

Not. 25. *Æschino enim dicitur, quod audit Mitio.* — Proverbiali forma dictum ex Adelphis Terentii, ubi Æschinus adoptatus est a Mitione patruo. ROSWEYDUS.

IN EPIST. IX.

Not. 26. *Ut attingas Christum.* — Scriptum est Ephes. v, 14 : Ἔγειραι ὁ καθεύδων, καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός. *Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, et illuminabit te Christus.* Quidam ex veteribus, ut Ambrosius in Commentario in hanc epist. et Augustinus in psalmum III vertunt, *Exsurge a mortuis, et continget te Christus*, id est, ἐπιψαύσει, inquit Beza, *non autem* ἐφάψεται, *ut putavit Erasmus.* Sed potuit tamen Erasmus adversus Bezam se tueri testimonio S. Hieronymi, cujus verba in Commentario **877** significant, audisse ipsum quemdam de hoc loco in ecclesia disputantem, qui diceret, legendum non ἐπιφαύσει σοι, sed ἐφάψεταί σου, *continget te Christus* : verumtamen neutri lectioni assentiendum puto, sed autoritati potius S. Johan. Chrysostomi acquiescendum, qui ita scripsit homil. 18 in eamdem Epist. ad Ephes. : Οἱ μὲν φασι, Καὶ ἐπιψαύσεις τοῦ Χριστοῦ, οἱ δὲ φασιν, Ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός· μᾶλλον δὲ τοῦτό ἐστι. *Alii quidem dicunt, Et tanges Christum ; alii vero dicunt, Et illuminabit te Christus, et magis ita est*, cum addit, Ἀπόστηθι τῆς ἁμαρτίας, καὶ δυνήσει τὸν Χριστὸν ἰδεῖν. *Discede a peccato, et poteris videre Christum*, Quod autem profert Beza, ἐπιψαύσει τοῦ Χριστοῦ, *continget Christum*, a nullo veterum, quod sciam, agnoscitur : nam Ambrosius, quem citat, in Commentario habet ut diximus. Paulino favet Chrysostomus, sed vulgatam præfert lectionem, quam etiam tuetur Epiphanius hæresi 46. DUC.

IN EPIST. X.

Not. 27. *Quasi rhamnus.* — Ita legendum, non *ramus*, uti habebat prima editio. Locus est psalmi LVII, v. 10. Gregorius Nyssenus in eum psalmum : Τὸ χαλεπώτατον ἐν ταῖς ἀκάνθαις εἶδος ἡ ῥάμνος, ἧς ὀξεῖαι μὲν αἱ ἀκμαί, συνεχεῖς δὲ αἱ προβολαί, βλαπτικαὶ δὲ τῶν προσεγγιζόντων, καὶ ἰώδεις αἱ ἀμυχαί. *Species inter spinas omnium difficillima est rhamnus, cujus acutæ sunt cuspides, continuæ vero prominentiæ, et eos qui accedunt propius lædentes ; venenosæ autem lacerationes.* Augustinus ibidem : *Quid est rhamnus? Spinarum genus est. Densissimæ quædam spinæ esse dicuntur.* D. Hieronymus in Habacuc III : *Rhamnus plena sentibus, et hericio similis.* Et in Aggæi II : *Rhamnus spinosus frutex, et arbuscula sentibus uncinisque contexta, quæ teneat quidquid attigerit, et retentum vulneret, et vulneratorum sanguine delectetur.* ROSWEYDUS.

IN EPIST. XI.

Not. 28. *Vel* ΔΙΩΡΥΞ. — Annotarat in edit. Parisiensi nescio quis post finem epist. Διωρυχή. *forte melius* διορυγή, *cum dictio hæc fossam et fossatum significet,* διωρυχὴ *vero parietum perfossionem. Hoc enim loco, ni fallor, imitatur S. Paulinus locum illum ex Gen.* II, *cap. de fluvio illo, qui de paradiso egressus dividebatur in quatuor capita.* Et negandum quidem non est, διορυγὴν significare fossam, id quod inter alios docet Plutarchus initio vitæ Fabii Maximi : Οὕτω γὰρ μέχρι νῦν αἱ διορυγαὶ φόσσαι : sed in veteribus Plutarchi codicibus διόρυγες scribitur : *Sic enim ad hoc usque tempus* διόρυγες *fossæ dicuntur* : quæ verba omissa sunt ab utroque Latino interprete, Guarino et Cruserio,

A non a Gallico Amyoto. Sed et διώρυξ dicitur fossa ducta a flumine, quam lectionem hic exhibet ms. P. in quo erat, *Israel dioraχg*. Ecclesiastici XXIV, 41 : Κἀγὼ ὡς διώρυξ ἀπὸ ποταμοῦ, καὶ ὡς ὑδραγωγὸς ἐξῆλθον εἰς παράδεισον. *Et ego sicut fossa de flumine, et sicut aquæductus exivi in paradisum.* Vulgata Lat. : *Ego quasi fluvii dioryx, et sicut aquæductus exivi de paradiso.* Ubi notandum, licet cum Græcis quæ nunc exstant, ἐξῆλθον εἰς παράδεισον minus conveniant quæ profert Paulinus *a paradiso fluit*, convenire tamen cum Vulgata, *exivi de paradiso*, fortasse quod ejus autor legerit ἐξῆλθον ἐκ παραδείσου. DUC.

Not. 29. *Humeris suis.* — Parabola hæc pastoris, ovem humeris suis ad ovile reportantis, erat olim expressa in sacris calicibus. Tertullianus libro de Pudicitia, cap. 6 : *Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio pecudis illius, utrumne Christiano an ethnico peccatori de restitutione colliniet.* Ibidem, cap. 10 : *Cui ille, si forte, patrocinabitur pastor, quem in calice depingis*, etc., *de quo*
B *nihil libentius bibas quam ovem pœnitentiæ secundæ.* Hac specie Christus in hagioglyptis Romanis sæpius occurrit. Expressit olim Philippus Winghius, curiosus omnis antiquitatis indagator, cujus ectypon par fratrum antiquitatem ecclesiasticam æque admirantium et amantium, Antonius et Hieronymus Winghii, ille abbas Lætiensis, hic canonicus Tornacensis, ad me misere.

Ad exemplum Christi humeris ovem deferentis, jam olim hodieque quidam episcopi, quibus id pontifex indulget, pallium ex ovis lana confectum humeris deferunt. Cujus mysterium egregie explicat Isidorus Pelusiota lib. I, epistola 136 ad Herminum comitem : Τὸ δὲ τοῦ Ἐπισκόπου ὠμοφόριον ἐξ ἐρίου ὄν, ἀλλ' οὐ λίνου, τὴν **878** τοῦ προβάτου δορὰν σημαίνει, ὅπερ πλανηθὲν ζητήσας ὁ Κύριος, ἐπὶ τῶν οἰκείων ὤμων ἀνέλαβεν. Ὁ γὰρ Ἐπίσκοπος, εἰς τύπον ὢν τοῦ Χριστοῦ, τὸ ἔργον ἐκείνου πληροῖ· καὶ δείκνυσι πᾶσι διὰ τοῦ σχήματος, ὅτι μιμητής ἐστι τοῦ ἀγαθοῦ καὶ μεγάλου ποιμένος,
C ὁ τὰς ἀσθενείας φέρειν τοῦ ποιμνίου προβέβλημένος. Καὶ πρόσχες ἀκριβῶς· ἡνίκα γὰρ αὐτὸς ὁ ἀληθινὸς ποιμὴν παραγίνεται διὰ τῆς τῶν Εὐαγγελίων τῶν προσκυνητῶν ἀναπτύξεως, καὶ ἐπανίσταται καὶ ἀποτίθεται τὸ σχῆμα τῆς μιμήσεως ὁ Ἐπίσκοπος, αὐτὸν δηλῶν παρεῖναι τὸν Κύριον, τὸν τῆς ποιμαντικῆς ἡγεμόνα, καὶ Θεὸν καὶ δεσπότην. *Id autem amiculum, quod episcopus humeris gestat, atque ex lana, non ex lino, contextum est, ovis illius quam Dominus aberrantem quæsivit, inventamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur, atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit. Ac diligenter animum attende. Nam cum ipse verus pastor per adorandorum Evangeliorum apertionem accedit, tum demum episcopus assurgit, atque imitationis habitum deponit; hinc nimirum, Dominum ipsum, pastoralis artis ducem, ac Deum et herum adesse significans.*

D Simili modo Germanus C. P. patriarcha in rerum ecclesiasticarum Theoria : Τὸ δὲ ὠμοφόριον ὃ περιβέβληται ὁ Ἐπίσκοπος, δηλοῖ τὴν τοῦ προβάτου δορὰν, ὅπερ πλανώμενον εὑρὼν ὁ Κύριος, ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτοῦ ἀνέλαβε, καὶ σὺν τοῖς μὴ πεπλανημένοις ἠρίθμησεν. *Humerale autem quo episcopus circumdatur, significat ovis pellem, quam errantem cum Dominus invenisset, super suis humeris assumsit, et cum iis quæ non erraverant recensuit.*

Qui præterea addit, cur crucibus pallium hoc insignitum sit. Ἔχει δὲ καὶ σταυρούς, διὰ τὸ καὶ τὸν Χριστὸν ἐπὶ τοῦ ὤμου βαστάσαι τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, ἔτι δὲ καὶ οἱ θέλοντες κατὰ Χριστὸν ζῆν, ἐπὶ τῶν ὤμων αἴρουσι τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἡ κακοπάθεια· σύμβολον γὰρ κακοπαθείας ὁ σταυρός. *Habet autem et cruces, quia Christus super humero ipse quoque gestavit crucem suam. Præterea etiam qui volunt secundum Christum vivere, super humeris tollunt crucem suam, id est afflictionem : symbolum enim afflictionis crux est.* Plura

de pallio archiepiscopali videsis apud sacrorum Ri- A tuum Scriptores. ROSWEYDUS.

Not. 30. *Ebromagum.* — Meminit hujus Ebromagi Ausonius civis noster epist. 22 ad Paulinum : *Is nunc adusque vectus Ebromagum tuam;* hanc quippe lectionem ceteris præferendam censeo, quarum mentionem facit doctiss. Elias Vinetus, sive *Ebromagum*, sive *Hebromagum*, sive *Ebromagus* legas, quod multa ejusmodi oppida urbesque occurrant in Aquitania et tota Gallia, quæ in vocem *magus* desinunt, ut Argantomagus, Cassinomagus, Carantomagus, ut constat ex Antonini Itinerario et Tabula Peutingeriana, in qua putat Ortelius, Thesaurum suum geographicum conscribens, hanc urbem *Ebromagum* vocari *Eburomagum* : sed cum inter Lactoram et Carcassionem collocet Eburomagum illa Tabula, et Iter Jerosolymitanum cum Antonino editum inter Elusionem et Carcassonem, plane diversa videtur esse civitas ab hac Ebromago. Jos. Scaliger, lib. II, cap. 9 Ausonianarum lect., oppidum fuisse vult ad confluentes Duranii et Garumnæ, quod quia in modum castrorum horreis B publicis et turribus amplificatum fuit ab uno ex posteris Paulini, Pontio Leontio, Burgus vocatum fuit. Sed cum nullo tibicine conjecturam suam fulciat, assentiendum potius videtur Eliæ Vineto, qui veteris appellationis vestigiis insistens, infra Burgum et infra Braviam in ripa Garumnæ situm vicum nomine *Embrau*, veterem Ebromagum esse suspicatur.

Neuter tamen Lucaniaci villæ Ausonianæ verum situm inquirens, admonuit nomen etiamnum retinere pagum ad sinistram Duranii in Oceanum delabentis ripam collocatum, vulgo *Lugagnac*, quem scimus in ditione esse illustrissimi domini Barraldii, qui vice amiralii Aquitaniæ dum θαλασσοκρατεῖ, nuper insignem de piratis, qui totum illum tractum Aquitanicum infestum habebant, victoriam reportavit.

Lucaniacum Ausonii male collocat in finibus Medulorum Jos. Scaliger popularis noster, quasi Boiis finitimum, cum adversetur ejus epistola 6 in qua non longe a portu Condate constituitur, ac proinde in C ripa Duranii, vicinus urbi quam nunc Liburniam vocant : idem colligitur ex epist. 22 ad Theonem. Atqui nec Meduli nec Boii ultra Garumnam aut ad Duranium extenduntur, nec satis sibi constat idem Scaliger, cum, cap. 9 lib. II Ausonian. Lectionum, Lucaniacum ad ripam Duranii, cap. 14, situm fuisse vult, non procul a ripa Garumnæ. DUC.

IN EPIST. XII.

879 Not. 31. *Dulcibus ac speciosis abutitur.* — Nove utitur, ne dicam abutitur, vocabulo hoc *abuti*, Paulinus. *Abuti* enim hic est *non uti*. Ita infra, epistola 27, laudat S. Paulum quod esset *abutens licito*, id est abstinens a mercede Evangelii, quam licite recipere poterat. Ita et Victricium ibidem extollit a licitorum abstinentia : *Tua sanctitas non solum de abusione licitorum et abstinentia commodorum visibilium Christianæ paupertatis divitem gloriam tenet.* Idem epistola 36 : *Tamen et simplici sensu secundum litteram, cum res postulat, non abutendum est.* Hoc loco D *non abuti* est *uti*, ut ante *abuti* erat *non uti*. Hac significatione etiam usurpavit Augustinus epistola 59 ad Paulinum, atque ita explicat locum D. Pauli ad Col. II, 22 : *Quæ sunt omnia in corruptionem per abusionem*; ita enim ille : *Omnia hæc*, inquit, *magis ad corruptionem valent, cum superstitiose ab eis abstinetur, ut eis homo abutatur, id est non eis utatur secundum præcepta et doctrinas hominum.* Græce apud D. Paulum est : Ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει. Vulgatus interpres : *Quæ sunt omnia in interitum ipso usu*, ut videatur legisse χρήσει, quamquam ἀπόχρησις seu *abusus* significare etiam potest *consumtionem usu*, ut apud Plautum, Asinaria, act. I, sc. 3 : *Ubi illa quæ dedi ante? abusa sunt.* Ita Nonius Marcellus explicat. Boetius quoque in VIII Topic. Ciceronis : *Utimur iis quæ nobis utentibus permanent, iis vero abutimur, quæ nobis utentibus pereunt.* Autor incertus de Limitibus ex libro Frontini secundo : *Plurimis deinde locis terminos sacrificales non in fine ponunt, sed ubi illos sacrificii potius opportunitas suadet poni, hoc est loci commoditas, in quo sacrificium abuti commode possit.* Ubi amicissimus Rigaltius in Glossis suis Agrimensoriis *abuti* interpretatur, igne consumere. ROSWEYDUS.

IN EPIST. XIII.

Not. 32. *Pammachio.* — Palladius cap. 122 : *Ad eum* (Pinianum ascetam agentem in Campaniæ et Siciliæ agris) *accessit vir proconsularis, nomine Pammachius : qui cum mundo renuntiasset, vitam egit optimam, et suas opes partim quidem vivus dispersit, partim autem moriens reliquit pauperibus.* Hieronymus præfatione in Danielem : *Obsecro vos, Pammachi* φιλομαθέστατε, *et Marcella, unicum Romanæ sanctitatis exemplum.* Augustinus lib. II contra Pelagium, cap. 3 : *Sanctus presbyter Ruffinus, Romæ qui mansit cum S. Pammachio.* Baronius, tomo V, anno Christi 410, Innocentii papæ 9, Honorii 16, Theodosii III impp., cum ab Alarico Gothorum rege Urbs capta est, ponit Pammachii obitum ex Hieron. præfatione in librum I Comment. in Ezechielem : *Ecce subito mors mihi Pammachii atque Marcellæ, Romanæ urbis obsidio, multorumque fratrum et sororum dormitio nuntiata est.* Memoria ejus exstat in Martyrologio III kal. Septembris. ROSWEYDUS.

Not. 33. *Amaritudinem luctus.* — Quod est in Vulgata Latina Ecclesiastici XXXVIII, 17 : *Propter delaturam autem amare fer luctum illius uno die.* LXX dixerunt : Πίκρανον κλαυθμὸν καὶ ποίησον τὸ πένθος κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτοῦ ἡμέραν μίαν. *Amarum fac ploratum, et fac luctum secundum dignitatem ejus uno die* ; et vers. 19 : Ἀπὸ λύπης γὰρ ἐκβαίνει θάνατος, καὶ λύπη καρδίας κάμψει. *A tristitia enim provenit mors, et tristitia cordis flectet virtutem.* Vulgata Latina : *A tristitia enim festinat mors, et cooperuit virtutem.* Convenit cum textu Paulini, quasi esset καλύψει, non κάμψει : quod argumento est, eum in Græco textu Ecclesiastici ita plane legisse, ut autor Vulgatæ legit : ideoque non continuo Latinas versiones Scripturæ emendandas, vel mutandas ex edito Græco textu, cum alio antiquiori forte Græco libro usi fuerint versionum illarum autores. DUC.

Not. 34. *Per illam venerabilem regiam.* — Intelligit portam primariam basilicæ apostolicæ D. Petri. Ita *regia* olim absolute usurpata pro regia seu primaria porta templi, monasterii, triclinii, uti in Onomastico ad Vitas Patrum docui ex Vita Mariæ Ægyptiacæ, Ennodio, Gregorio Turonensi, Anastasio Bibliothecario. Quibus nunc hæc addo. Eusebius lib. VIII Hist. eccles., cap. 4, mediam portam βασιλίδα vocat. Fors huc quoque respicit Isidorus in Glossis : *Tullia, media, regia*, ut portam mediam, seu regiam designet. Regula magistri ms. cap. 30 : *Mox clausis ab ostiariis regiis in suis et ipsi jacentes stratis, per horarum silentium et noctis appetant somnum* ; cap. 47 : *Ne* **880** *cum in sola lingua Deum laudamus, in sola regia oris nostri Deum admittamus*; cap. 67 : *Ut videantur de ingressu limine forensi exterioris regiæ monasterii in petenda oratione regulam adimplere*; cap. 95 : *Duobus fratribus ætate decrepitis cella intra regias monasterii prope constituatur.* Ibidem, *Regia monasterii a foris circellum habeat ferreum in fimella, quo ab adveniente concusso, cujuslibet supervenientis intus indicetur adventus.* Ita videtur quoque explicandus Anastasius Bibliothecarius in Leone III : *In ingressu basilicæ supra regias majores fecit imagines ex argento.* Item : *Fecit in basilica Dei Genitricis ad præsepe in ingressu præsepii regias vestitas ex argento purissimo, pensantes simul libras centum viginti et septem; et super ipsas regias velum modicum fundatum, habentem in circuitu listam de chrysoclavo. Nec non et alia vela Tyria super ipsas regias majores tria in ingressu basilicæ cum periclysi de fundato.* Bulengerus noster lib. II de Donariis pontificum, cap. 57, priore loco apud Anastasium per *regias* intelligit structuras quasdam super vias prominentes, in quibus imagines et statuæ collocari poterant; posteriore, ornamenta ex auro et

argento. Sed cum tot citati autores *regias* usurpent pro portis primariis, autoritatem quis alterius significationis requirat. Sane vela supra regias seu portas appensa, uti hic meminit Anastasius, videre est in monumentis quibusdam Romanis, quæ vetustas reliqua fecit, quorum ectypa quædam penes me habeo. ROSWEYDUS.

Medio ævo, *regiam* absque adjuncto, dici solitam primariam portam ostendit ex Ennodio, Gregorio Turon., Anastasio Bibliothecario, aliisque scriptoribus Rosweydus in hunc locum, et in Onomastico ad Vitas Patrum. At præcipuam portam basilicæ Vaticanæ, *reginam* aliquando nuncupatam fuisse affirmare non ausim sine alio exemplo; quamvis eam lectionem antiquiores editiones præferant, et Puteanus codex bonæ notæ ac pervetustus (nunc Regius). Alioquin, utut sit de usu vulgi, potuit Paulinus jure eòdem portam illam primariam aut *reginam* absque adjuncto nuncupare, aut *reginam portarum*, quo Appiam dixit Statius; *reginam viarum*, in Surrentino Pollii. CHIFFLETIUS, in Paulino illustrato, pag. 42 et 43.

Not. 35. *Per accubitus.* — Colligimus vocabulo hoc innui mensas. Notum autem *accubita* et *accubitus* Latinis esse quod Græcis ἀνακλιντήρια seu *reclinatoria*, uti vocantur a Wilramo abbate in Cantica Cantic. cap. II. Ab accumbendo ut hic satis innuitur nota vox. Hinc *accubitus* et *accubita* dicta ipsa prandia apud Isidorum, lib. XX Origin., cap. 1, et Papiam, pag. 135. Antiquus est istorum accubitorum usus. Nam cum veteres Christiani communes epulas ut mutuæ caritatis indices ac illices, quas ideo ἀγάπας vocabant, in præcipuis anni solemnitatibus invicem, atque ideo in ipsis ecclesiis celebrare solerent, id postea quoad epularum locum improbatum est. Vetitum enim fuit crebris conciliorum canonibus in ipsis sacris ædibus συνεσθίειν καὶ . . . . aut τὰς ἀγάπας ποιεῖν uti observare est ex synodo Laodic., can. 28, et Trull. can. 74, concilio Antisiodor., cap. 9, Aquisgranensi, cap. 80, S. Bonifacio archiep. Mogunt. in Capit. cap. 21, Attone episc. Basil. in Capit., cap. 22, quod hæc paganismum quodammodo saperent, cum paganis solenne esset in festivitatibus suis in templis ipsis publica agere convivia, ut docent Ammianus lib. XXII, et Tertullianus lib. de Conviviis. Epulæ porro istæ solennes non jam amplius in ecclesiis, sed in adjunctis ad hunc usum ædibus, quas accubitorum nomine donarunt, celebrari cœpere. Cujus quidem moris postmodum inducti meminit præ ceteris Anastasius Bibliothecarius in Leone IV papa, pag. 178, ubi potissimum ejusmodi epulas in Christi natalitiis celebratas perinde observat. Ejusmodi accubitorum ecclesiis adjunctorum meminit idem Anastasius in Gregorio III, pag. 74, et in Leone III, pag. 129, et ibid., pag. 178. CANGIUS, Constantinop. Sacr., pag. 130.

Not. 36. *Aquæ vivæ piscis Christus.* — Tertullianus lib. de Baptismo, cap. 1: *Sed nos pisciculi secundum* ἰχθὺς *nostrum Jesum Christum in aqua nascimur.* Optatus lib. III adversus Parmenianum de Christo: *Hic est piscis, qui in baptismate per invocationem fontalibus undis inseritur, ut quæ aqua fuerat, a pisce etiam piscina vocitetur. Cujus piscis nomen, secundum appellationem Græcam, in uno nomine per singulas litteras turbam sanctorum nominum continet,* ἰχθὺς *enim Latine est Jesus Christus, Dei Filius, Salvator.* Augustinus, lib. XVIII de Civit. Dei, cap. 23, refert hæc ad Sibyllæ Erithrææ vel Cumanæ vaticinium: *Horum Græcorum quinque verborum, quæ sunt* Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ, *quod est Latine, Jesus Christus Dei filius Salvator, si primas litteras jungas, erit* ἰχθὺς, *id est piscis: in quo nomine mystice intelligitur Christus, eo quod in hujus mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate* **881** *vivus, hoc est, sine peccato esse potuerit.* Versus Græcos, quibus ἀκροστιχῶς hæc a Sibylla repræsentantur, habes apud Eusebium in Oratione Constantini, cap. 18. Beda in Lucæ caput XXIV: *Quid signare credimus piscem assum, nisi ipsum mediatorem Dei et hominum, hominem passum? Ipse enim latere dignatus in aquis generis hu-* A *mani capi voluit laqueo mortis nostræ, et quasi tribulatione assatus est tempore passionis suæ.* Idem in cap. XX Johannis: *Piscis assus, Christus est passus.* Quomodo homo spiritualis sit piscis assus, vide apud Athanasium, ut circumfertur, quæst. 79. In memoriam Christi vel baptismi monebat olim Christianos Clemens Alexandrinus lib. III Pædag., c. 11, ut annulis suis piscem insculperent. ROSWEYDUS.

Not. 37. *Spectaculum sacer editor exhibebas.* — Dabitur, spero, mihi venia, si hic obiter (quia editoris spectaculorum hic mentio est) suggeram locum e libro II Machabæorum, c. IV, vers. 19, ubi de quinquennali agone Tyri agitur. Ἀπέστειλεν Ἰάσων ὁ μιαρὸς θεωροὺς, ὡς ἀπὸ Ἱεροσολύμων Ἀντιοχέας, παρακομίζοντας ἀργυρίου δραχμὰς τριακοσίας εἰς τὴν τοῦ Ἡρακλέους θυσίαν. *Misit Jason facinorosus ab Hierosolymis viros peccatores portantes argenti didrachmas trecentas in sacrificium Herculis.* Valde vereor ne quid vitii in *peccatores* lateat. Suspicor interpretem scripsisse B *spectatores*, atque ita reddere voluisse Græcum θεωροὺς, quod a θεᾶν *spectare* deduxerit. Nec aliter habent vetustissima mss. et editiones. Sixtina editio per Caraffam cardinalem procurata θεωροὺς vertit *ministros*; plenius editio Plantiniana, *sacrorum procuratores*. Θεωροὶ et *spectatores* sunt, et *spectaculorum editores*, seu *sacrorum curatores*. Posterior significatio huic loco quadrat. Hesychius: Θεωροὶ, οἱ θεοπρόποι, καὶ οἱ θεώμενοι. καὶ οἱ φροντίζοντες περὶ τὰ θεῖα. *Theori, consulentes oracula, spectatores et curatores sacrorum.* Idem, Θεωροὺς, θεωρητὰς, ἐπόπτας. *Theoros, spectatores, inspectatores.* Suidas: Θεωροὶ, οἱ εἰς θυσίαν πεμπόμενοι καὶ τὰς ἑορτάς. *Theori, qui ad sacrificia et festa mittebantur.* Idem: Θεωροὶ μέν τοι λέγονται οὐ μόνον οἱ θεαταὶ, ἀλλὰ καὶ οἱ εἰς Θεὸν πεμπόμενοι, καὶ ὅλως, τὰ θεῖα φυλάττοντες, ἢ φροντίζοντας οὕτως ὠνόμαζον· ὤρην γὰρ ἔλεγον τὴν φροντίδα. *Theori tamen vocantur non solum ipsi spectatores, sed etiam qui ad Deum mittebantur* (sive ad ludos edendos, sive ad consulenda oracula). *Denique sic vocabant rerum divi-* C *narum custodes aut curatores;* ὤρην *enim ipsam curam dicebant.* Pollux lib. I, cap. 1, § 18: Ἰδίως δὲ τὸ ἐκ Δελφῶν καλεῖται Πυθόχρηστον, καὶ οἱ χρώμενοι, θεωροί. *Proprie autem Delphicum oraculum, Pythium, et hoc consulentes,* θεωροί *nominantur.* Idem lib. II, cap. 4, § 7: Οἱ γὰρ Πυθῶδε, θεωροὶ καὶ θεωρικὴ ὁδὸς, καὶ θεωρὶς ναῦς, ἀπὸ τοῦ πρὸς Θεὸν ὁρούειν ἢ ὁρμᾶν, ἢ ὁδεύειν λέλεκται. *Nam qui ad Pythium Apollinem sunt,* θεωροὶ, *id est spectatores*, seu potius *consultores oraculorum, spectatrix via, et navis theoris dicta est, quod ad Deum impellatur, festinet aut proficiscatur.*

Atque hanc conjecturam meam cum Serario nostro olim proposuissem, statim damnavit suam, qua *precatores* legendum suggesserat. Sed morte præventus emendare non potuit. ROSWEYDUS.

Not. 38. *De hac tua, ut dici solet, pera.* — Proverbii specie dictum, cum suo sumtu quis quidpiam facit. ROWSEYDUS.

Not. 39. *Et apostolico eminus solio coruscans.* — Cave intelligas hic per *solium*, sedem seu cathedram D apostolicam. Intelligit locum, quo conduntur apostolorum corpora. Ita Paulinus Natali 9, pag. 609:

Qui sua fulgentis solii pro limine Felix.

Et in fragmento Nat. 9, de Felicis Nolani humiliore tumulo:

Et magni solium breve confessoris adorat
Jugiter e variis congesta frequentia terris.

Et in carmine quod ex suburbana S. Felicis ecclesia exscripsit P. Sirmondus ad Sidonii lib. IV, epist. 18:

Sic et dilecti solium Felicis honorans.

Quod *sublime solum* est Ambrosio, in Monumentis Christianis apud Gruterum de Nazarii solio:

Et sublime solum martyris exuviis.

Qui locus et *confessio* dictus. Martyrologium Romanum prid. non. Julii: *Cum ad confessionem B. Pauli die octavarum apostolorum oraret.* Cassiodorus Varia-

rum lib. x, epist. 2 : *Tenemus aliquid apostolorum proprium, si peccatis dividentibus non reddatur alienum : quando confessiones illas, quas videre universitas appetit, Roma felicior in suis finibus habere promeruit.* Ejus vocis frequens usus in Anastasio Bibliothecario, uti in Hilaro papa, Sixto, etc.

In absida erat hic locus. Evodius lib. I, cap. 3 de Miraculis B. Stephani : *Cum in loco absidæ supra cathedram velatam essent reliquiæ constitutæ.* Gregorius Turonensis de Gloria confessorum, cap. 96 : *Ante vitream absidam, qua sancta* (Albini) *concluduntur membra sedebat.* Idem in libro de Vitis Patrum in Gregorio Lingoniensi episcopo, **882** cujus reliquias Tetricus episcopus transferre volebat : *Ante altare basilicæ fundamenta jacit, erectaque absida miro opere construit et transvolvit.*

Nec procul erat ab altari : quia ex vetere usu martyrum corpora sub altari condebantur, secundum illud Apocalypsis cap. VI : *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium quod habebant.* Unde confessio altari jungitur ab Anastasio Bibliothecario in Sixto III : *Fecit confessionem B. Laurentii martyris cum columnis porphyreticis, et ornavit transendam, et altare, et confessionem sancti martyris Laurentii de argento purissimo.*

ROSWEYDUS

Vide not. 304.

Not. 40. *Quare prætento nitens atrio.* — Fuit hic porticus marmorea, nunc magna ex parte diruta, quadrangularis formæ quam Domnio I tanta magnificentia ornavit, ut *paradisus* appellaretur. De quo loco ita Paulus diaconus lib. v, cap. 31 : *Domnio pontifex Romanæ ecclesiæ locum, qui paradisus dicitur, ante basilicam B. Petri, candidis lapidibus marmoreis mirifice stravit.* Ita Attilius Serranus de 7 Urbis Ecclesiis, cap. 1, agens de ecclesia S. Petri in Vaticano. An locus ille a tempore Domnionis seu Doni papæ ob eam causam *paradisus* dictus sit, equidem nescio. Paria Diacono habet Anastasius in Dono I : *Hic atrium B. Petri apostoli superius, quod paradisus dicitur, estque ante ecclesiam in quadriporticum, magnis marmoribus stravit :* quæ totidem verbis repetit Aimoinus lib. IV, cap. 35. Paradisi ante ecclesiam D. Petri meminit quoque Leo Marsicanus lib. II, cap. 9 Chronici Cassinensis, agens de loco sepulturæ Othonis II imp. : *Romam rediens eodem tempore defunctus est, atque in labro porphyretico sepultus, in atrio ecclesiæ beati Petri apostoli, introeuntibus in ecclesia ipsius paradisum ad lævam.* Ad Vaticanæ ecclesiæ atrium seu paradisum referendum epigramma, quod habes in inscriptionibus Gruteri, pagina 1173, hoc titulo : *In parad. beati Petri;* quod *paradisum* explicate lege :

Quamvis clara fides multum de luminis aula
Plusque loci meritis nobilitetur opus,
Est tamen his pulcris specialis gratia rebus,
Spectantumque oculos ars pretiosa rapit :
Johannes hoc comsit opus, quem rite coronat
Urbis Romanæ pontificalis apex.

Sic in ecclesia Laterana ibidem titulo. *In paradis.* habes quatuor diversa epigrammata, in quibus porticuum et fontium mentio.

Ad Romanam consuetudinem etiam alibi extra Romam, atrium ante ecclesiam ita vocabatur. Leo Marsicanus lib. III, cap. 26 Chronici Cassinensis de ecclesia Cassinensi a Desiderio abbate refecta vel potius exstructa : *Fecit et atrium ante ecclesiam, quod nos Romana consuetudine paradisum dicimus.* Idem lib. IV, cap. 8, agens de Elgaita Roberti ducis uxore, quæ hic sepeliri optavit : *In ecclesiæ,* inquit, *paradiso ante basilicam Petri apostoli tumulari oravit.* Sic area illa ampla (ut ad Aimoinum notatur a Jacobo *de Bruel*) quæ est Lutetiæ ante primariam ædem B. Mariæ, et vulgo *le parvis* dicitur, in antiquis dicti loci chartis *paradisus* appellatur. ROSWEYDUS.

Not. 41. *Cantharum ministra manibus et oribus.* — Josephus Vicecomes lib. I de Antiquis baptismi Ritibus, cap. 6, locum hunc pro baptisterio ecclesiæ Vaticanæ adducit, quod a Paulino dicatur in *atrio* seu *vestibulo* esse, quo loco olim baptisteria erigebantur, sed cum usum aquæ hujus ipse Paulinus exprimat, manibus videlicet oribusque lavandis, apparet alium fontem a baptisterio fuisse. Quare Baronius tomo IV Annalium, anno Christi 384, Damasi papæ 18, Valentiniani 9, et Theodosii 6 impp., quod baptismalem Vaticanæ ecclesiæ fontem ad sepulcrum D. Petri existimaret se ex Prudentio elicuisse (de quo ad eum autorem proxime, Deo dante, inquiremus), alium quoque hic fontem diversum a baptismali agnoscit, quem ipse quoque Damasi operi tribuit. Pari modo labitur Josephus, dum Sidonii hunc locum lib. II, ep. 2 ad Domitium, *Huic basilicæ appendix piscina forinsecus, seu, si græcari mavis, baptisterium ab Oriente complectitur,* ad sacrum baptisterium trahit. Profana hæc sunt villæ ornamenta. Imposuit illi nomen *basilicæ*, quod hic non ecclesiam, sed profanam augustam domum signat.

Frequens usus apud veteres Christianos fontium seu cantharorum ante ecclesiam, manibus, oribusque lavandis. Eusebius lib. x, cap. 4 : Ἱερῶν δ' ἐνταῦθα καθαρσίων ἐτίθει σύμβολα, κρήνας ἄντικρυς πρόσωπον ἐπισκευάζων τοῦ νεὼ, πολλῷ τῷ χεύματι τοῦ νάματος, τοῖς περιβόλων ἱερῶν ἐπὶ τὰ ἔσω προϊοῦσι τὴν ἀπόῤῥυψιν παρεχομένας. *Fontes ex adversa fronte templi profluentes aqua redundantes positi, quibus omnes, qui in sacros templi ambitus introeunt, sordes corporum* **883** *abluant : qui fontes sacrosancta baptismatis lavacra repræsentant.* Ita Leo ante Ostiensem D. Pauli basilicam, fontem cum cantharo huic usui condidit, de quo hoc octastichum ad Ennodium suum vulgavit primus Sirmondus noster :

Unda lavat carnis maculas, sed crimina purgat
Purificatque animas mundior amne fides.
Quisque suis meritis veneranda sacraria Pauli
Ingrederis, supplex ablue fonte manus.
Perdiderat laticum longæva incuria cursus.
Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit :
Provida pastoris per totum cura Leonis
Hæc ovibus Christi larga fluenta dedit.

De simili fonte intelligendus Ennodius carmine 149, quod inscribitur, *De fonte baptisterii S. Stephani, et aqua, quæ per columnas venit.* Comparata enim hæc erant in templi atriis ad usum ingredientium. Paulinus supra epistola 12 :

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro
Plebs.

Nempe lavabant olim Christiani manus ante fores templi, ut internæ puritatis admonerentur. Insinuat Tertullianus lib. de Oratione, cap. 11 : *Quæ ratio est, manibus quidem ablutis, sed spiritu sordidato orare ?*

Sic olim apud ethnicos delubra erant templa cum talibus fontibus. Isidorus lib. XV, cap. 4 : *Delubra veteres dicebant templa fontes habentia, quibus ante ingressum diluebantur, et appellari delubra a diluendo.* Quæ expressa ex Servio in II Æn. : *Alii dicunt, delubrum esse locum ante templum, ubi aqua currit, a diluendo.* Item in IV Æn. : *Delubrum dictum propter lacum, in quo manus abluuntur.* De hoc ethnicorum ritu pleni poetarum libri.

Fontibus ante templum positis successit apud Christianos vas aquæ lustralis, levium peccatorum expiatricis, ad vestibulum templi poni solitum, qua fideles faciem aspergebant. Tale labrum videtur, quod Constantinopoli nuper erutum exhibetur in Inscriptionibus Gruteri, pag. 1046, n. 9, cum hac inscriptione : ΝΙΨΟΝ ΑΝΟΜΗΜΑΤΑ, ΜΗ ΜΟΝΑΝ ΟΨΙΝ. *Lava peccata, non solum faciem :* quod desumtum ex libro VI, cap. 13 Anthologiæ veterum epigrammatum, uti monuit doctissimus Rigaltius. Habetur ibi inter cancrinos versus metricos mira dexteritate compositos per repedationem, quos retrograde eosdem relegere est non motis litteris, quos Sidonius lib. IX, epistola 14, recurrentes vocat. Scriptum erat hoc carmen ad Diomedis sepulcrum, quem ego S.

Diomedem medicum, quia ægritudinis ibi fit mentio, A existimo, qui Nicææ tempore Diocletiani martyrium subiit, cujus celebris exstat memoria in Menologio Græcorum 16 Augusti, et ex eo in Martyrologio Romano. Cedrenus in Basilio meminit templi, quod Constantinopoli Diomedi martyri erectum erat, quod ille splendidissimis donariis ornavit. Rosweydus.

Vide not. 304.

Not. 42. *Quatuor columnis.* — Ita quidem cantharus hic Paulini tempore quatuor columnis ambiebatur : sed post Symmachus octo porphyreticis columnis ornavit, uti nunc conspicitur. Ita Attilius Serranus loco citato. Anastasius in Symmacho tantum hæc habet : *Cantharum B. Petri cum quadriporticu marmoribus ornavit.* Anastasius ms. Bertinianus in Stephano, ubi et liber ille desinit, in fine post *consummans*, hæc addit nondum edita : *Interea renovavit in atrio ante fores beati Petri apostoli, qui quadriporticus dicitur, columnas marmoreas octo miræ* B *pulchritudinis sculptas, quæ desuper quadris composuit, et æreum desuper collocavit tegumen.* Rosweydus.

Not. 43. *Superans sanctitate pietatem.* — In editionibus Badii et Gravii, *civitate pietatem* : sed in Parisiensi emendatum fuit, typographico forte correctore, *pietate civitatem.* Doctissimus Cauchius conjiciebat legendum *ipsam superans pietate pietatem.* Vera lectio manuscripti P., *sanctitate pietatem*, ut nimirum paulo ante dixit, *quod pietati domesticæ prætulerit justitiam caritatis.* Maluit scilicet pudicitiæ suorum hospitum, quam filiarum suarum consulere, ut pietas paterna suadebat. Duc.

Not. 44. *Labores fructuum.* — Vertit, ut est apud Hilarium, Augustinum, Prosperum, Cassiodorum, et vetus Psalterium. Oritur diversitas ex æquivoco nomine καρπῶν, quod juncturam manus cum cubito significat, et simul fructum. Hieronymus epist. 141 : *Cum Latini interpretes Græci verbi ambiguitate decepti*, καρποὺς *fructus magis quam manus interpretati* C *sint*; at in Gallico Psalterio et Vulgata Latina : Τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου φάγεσαι, vertitur, *Labores manuum tuarum manducabis*; nec aliter Hieronymus ex Hebræo. Duc.

Not. 45. *Consignatus est.* — Sapientiæ II, 5 : Σκιᾶς γὰρ πάροδος ὁ καιρὸς ἡμῶν, καὶ οὐκ ἔστιν ἀναποδισμὸς τῆς τελευτῆς ἡμῶν, ὅτι κατεσφραγίσθη, καὶ οὐδεὶς ἀναστρέφει. *Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri, quoniam consignata est, et nemo revertitur.* Ita Vulgata **884** Latina, et verbum ἐσφραγίσθη retulit ad ἀναποδισμὸν, quod *reversionem* sonat, non *impedimentum*, ut in Bibliis Basiliensibus editum est : Paulinus autem retulit ad τελευτὴν, *finem*, quem consignatum esse dixit, metaphora ducta, ut ait Vatablus, ab iis quæ ut rata et firma sint obsignantur. Itaque obsignatus dicitur finis, quod immutari non possit; et reversio occlusa, quoniam, ut ait poeta, *inde negant redire quemquam*, nec datur ab obitu mortis pedem referre. Duc. D

IN EPIST. XV.

Not. 46. *Inebriari.* — Locus videtur expressus, ut alii non pauci, ex S. Ambrosio qui lib. I extr. de fide ad Gratianum sic ait : *Poculum quod lætificat cor hominis sobrietatem inebriat, crapulam fidei et veræ religionis exhalat; crapulam castitatis infundit* : Apud quem etiam legerim, *ad sobrietatem inebriat.* Sacchinus.

Not. 47. *Ad vesperum..... tristis de fame prandii, placaretur nobis de refectione cœnandi.* — ¶ Semel tantum quotidie sub noctem corpus reficere erat antiquis usitatissimum. Vide lib. I S. Augustini de Moribus Ecclesiæ catholicæ, cap. 33, tom. I.

IN EPIST. XVI.

Not. 48. *Clarorum in ducibus aut philosophis virorum.* — Rosweyd., *indicibus* : Non capio. Stephanus Claverius ad Claudianum hic per *indices* nihil aliud signari putat, quam titulos et stemmata nobilitatis. Tibullus :

> Quid quaque index sub imagine signet.

Quid si totum locum ita legamus ? *Quibus egregiæ clarorum in ducibus aut philosophis virorum virtutes ad nobilem famam, non nisi per labores et pericula emicuisse memorantur.* Nempe philosophi per labores, duces per pericula emicuere Rosweydus.

Not. 49. *Extremas veritatis lineas.* —Rosweyd., *extremæ.* An *extremas ?* Terentius Eunucho act. IV, sc. 2 :

> Certe extrema linea
> Amare haud nihil est.

Nannius lib. I Miscellan., cap. 20, id est extremo gradu, seu ordine. Est autem, inquit, ea pars theatri, ubi spectatores sedent, primum divisa in cuneos, postea in lineas, quasi in quædam intersepta, ne compressio alicubi orta in totum theatrum inundet, et universos spectatores affligat. Unde illud quoque Ovidii ad puellam vitabundam alterius consessus, ait :

> Cogit nos linea jungi.

Hinc ultima linea, pro ultimo ordine; unde et illud,

> Mors ultima linea rerum.

Aliter Erasmus aliique qui de circo scribunt, qui consulendi, si quos hæc noscendi lubentia tenet. Rosweydus.

Not. 50. *Quasi truncis sensibus.* —Edit. Rosweyd., *carens sensibus.* Ita ms. Vat. et Fabricii editio. Ante vulgatum *quasi truncis sensibus* : quod etiam rectum. Claudianus de Bello Getico :

> Scilicet Arctois concessa gentibus urbe
> Concutiet regnum Rhodano, capitique superstes
> Truncus erit.

Curtius lib. VII : *Capite deciso truncum humari jussit.*

Not. 51. *Patior ex copia.* — Græce ἐκ περιουσίας, *ex abundanti.* Nec opus Claverii lectione, *Patior esse copiam.* Sic Clemens Alexandrinus lib. I Pedagogi, cap. 6 : Ἔξεστι δὲ ἡμῖν ἐκ περιουσίας πρὸς τοὺς φιλεγκλήμονας ἐπαποδύσασθαι. *Licet autem nobis velut ex quadam redundanti copia eos aggredi, qui in reprehendendis aliis delectantur.* Rosweydus.

IN EPIST. XVII.

Not. 52. *In sede ac sinu domni..... Felicis.* — Apud scriptores ævi medii venerationem præcipuam habere appellationem *domni*, apice uno ex *Domini* voce rejecto, observarunt pridem viri docti, et tribui vulgo ecclesiastica dignitate fungentibus ac vitæ sanctitate insignibus. Ita passim episcopis hanc tribuunt Gregorius M., Paulinus Nolanus, Evodius, Fortunatus, Nicetius Trevir., Avitus Viennensis, Gregorius Turon., Ennodius, Ivo Carnotensis et alii. Cangius, in Glossar. tom. II, p. 161, n. 1.

Not. 53. *In omni loco dum.* — Apud Isaiam prophetam LVIII, 9, hæc tantum legimus apud LXX : Ἔτι λαλοῦντός σου ἐρεῖ, Ἰδοὺ πάρειμι. *Adhuc loquente te dicet, Ecce adsum.* Chrysostom. hom. de Diversis Novi Testamenti Locis, 28, *Quales ducendæ sint uxores*, paulo aliter citat, quasi esset, λαλοῦντός σου ἐρῶ, *loquente te dicam*, Homiliæ item in psalm. IV et Hom. 79 inter eas quæ sequuntur homilias ad Antiochenos, in eamdem sententiam hunc prophetæ locum profert, ut ostendat in omni loco Deum preces exaudire; **885** licet illa verba, *in omni loco*, tamquam ex textu Scripturæ non addat : *Numquid enim est homo, ut locum petas ? Deus semper prope est. Adhuc enim loquente te dicam, Ecce adsum. Licet in foro sis, sive in via, sive sis ubicumque, Deo poteris invocato petitionem obtinere.* Ita citatur et ab Augustino de Verbis Apost. serm. 3. Duc.

IN EPIST. XVIII.

Not. 54. *Victricio.* — Fuit hic octavus inter Rotomagenses episcopos, cujus celebris exstat memoria in Fastis Romanis 7 Augusti : *Rotomagii S. Victricii episcopi, qui adhuc miles sub eodem Juliano pro Christo abjiciens cingulum, a tribuno multis tormentis afficitur, et capitis damnatur : sed carnifice, qui ad eum cædendum missus fuerat, cæcitate percusso, ipse vinculis solutis liber evasit : postea episcopus factus, Morinorum et Nerviorum gentes indomitas verbi prædicatione ad fidem Christi perduxit, et demum confessor in pace quievit :* quæ adumbrata sunt ex Paulini ad Victricium epistola 18. Ad hunc exstat epistola 2 decretalis Innocentii papæ. Rosweydus.

Not. 55. *Pare Paschasio.* — Duc. : Rectius ms. P., *patre Paschasio*, id est socio et contubernali, sicut dixit idem Paulinus epist. 12 ad Severum :

> Quosque suo Deus Ambrosio post longa revelat
> Secula, Protasium cum pare Gervasio.

Rosweyd. : Retineri potest *patre*. Nam vere Paschasius Ursi spiritalis pater fuit. Paulo ante : *Per hujus enim ipsius manus genitus, in lectulo baptizatus redit.* Ita Paulinus Delphinum, qui illi baptismum contulerat, patrem quoque vocat.

Not. 56. *Tychicus tuus.* — Ita mss. Vat. et Vien. Duc. : ms. P., *Tyticus tuus :* quo fit ut legendum suspicer *Tychicus*, ut apud Apostolum Ephes. VI, v. 21 : *Omnia vobis nota faciet Tychicus, carissimus frater, et fidelis minister in Domino.* Duc.

Not. 57. *In terra Morinorum.* — Huc videtur respicere Augustinus epistola 80 ad Hesychium : *Ad Oceani etiam littora in occidentalibus partibus Ecclesiam pervenisse jam novimus.* Rosweydus.

Not. 58. *Nervici Littoris.* — Retinenda ea lectio conspirantibus libris. Sic *Nervicanus tractus et limes* Notitiæ imperii : qui non mutandus in *Ebruicanus*, quod Scaligero visum fuit Ausonianarum Lectionum lib. II, cap. 6 et 14, et ex eo Brouvero nostro ad Fortunatum lib. III, carm. 8. Ut Paulini vulgata lectio Notitiæ, ita Paulino Notitia lucem præfert. Citat quoque Brouverus noster ex Actis SS. Quintini, Crispiniani et Macræ, Rictium Varum *Nervici limitis* præfectum. Ortelius quoque in Thesauro geographico *Nervicum* littus *Ebruicano* præfert, uti et Velserus explicatione prioris schedæ Peutingerianæ, cap. 5. Video quoque Scaligerum posteriore Ausonianarum Lectionum editione totum illud de *Ebruicano* littore omisisse cap. 6, etsi retinuerit cap. 14. Rosweydus.

Not. 59. *Et illico antiqui serpentis invidia concitato in furias Tribuno.* — Sic Apoc. c. XX, 2 : *serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas.* Hæ voces *antiquus* et *vetustus* sæpe occurrunt in libris veterum theologorum Christianorum cum de diabolo est sermo. Idem Paulinus Nolanus de eodem loquens ea voce utitur epist. 1, n. 8, *caput draconis antiqui ;* epist. 13 ad Pammachium, n. 15, *draconis antiqui cruenta sævitia.* Natal. 4 S. Felicis, v. 157, *serpens antique ;* et Nat. 7, v. 83, *vetustior hostis.* Paulinus alter Petricordias lib. III de Vita et Miraculis sancti Martini :

> Ille ait antiquo, serpens distente.....

Et lib. VI :

> Anguis ut antiqui dirum rapuere venenum.

Eadem voce utuntur SS. Patres, S. Leo M. serm. 3 de Quadrag. : *Non desinit nobis hostis antiquus laqueos peccati ubique tendere ;* et in epist. ad Demetriadem (alias S. Prosper), *antiquus hostis malignius fremit.* Hieronymus epist. ad Theophilum, *Nequaquam amplius antiquus serpens sibilat.* Augustinus in psalm. XXX. *Alium habemus inimicum, diabolum, serpentem antiquum.* Gregorius M. homil. 27 in Evang., *Nec curat antiquus hostis hæc faciens, ut terrena tollat, sed ut caritatem in nobis feriat ;* ita et paulo ante. Item homil. 34 in Evang. ante med., *Ille antiquus hostis qui Deo esse per superbiam similis concupivit ;* et sic in Moralibus sæpissime. Bernardus serm. 1

A in die sancto Paschæ sub initio : *Non meministi, serpens antique, quam confusus abscesseris olim cum dicere præsumsisses, Mitte te deorsum.*

Not. 60. *Floridas confessorum purpuras.* — Vox *confessor* vario significatu solet accipi : sæpe eos denotat **886** qui Christum palam coram tyrannis confessi, quolibet pœnæ genere affecti, superstites tranquillam mortem obierant ; interdum cantores et psalmistas, qui sunt in inferiori clericorum gradu in can. 11 concil. Carthag. et in Sacramentario S. Gregorii M. ; quandoque etiam monachos qui pro expiandis delictis *confessionem*, seu pœnitentiam, abdicata seculari vita, monasticam ineunt ; nonnunquam pro confessario usurpatur apud quem peccata deponuntur. Sed hic potissimum dicti *confessores* qui martyrio vitam pro Christo, quem palam confessi et contestati sunt, finierunt. Præter Johannem Antiochenum et synodum Orientalem in epist. ad Cyrillum apud Facundum Hermianensem lib. VIII, S. Ambrosius
B lib. II ad imperatorem Gratianum : *Jam satis, omnipotens Deus, nostro exitio, nostroque sanguine, confessorum neces, exsilia sacerdotum, et nefas tantæ impietatis eluimus.*

IN EPIST. XIX.

Not. 61. *Urani.* — Baronius tom. V, an. Christi 431, Uranium hunc existimat eum esse qui Paulini discipulus obitum ejus scriptorum monumentis posteritati commendavit, qui tractatus exstat apud Surium tomo III de Vitis sanctorum, 22 Junii. Rosweydus.

Vide hunc tractatum post elogia immediate ante Vitam S. Paulini.

IN EPIST. XX.

Not. 62. *Anastasium amantissimum esse humilitatis nostræ.* — Baronius tom. V, anno Christi 398, Anastasii papæ 1, Arcadii et Honorii impp. 4. Inter hæc autem, ait, Anastasius papa, hoc ipso suæ sedis
C exordio, quæ tempore prædecessoris perperam facta scisset, magna sollicitudine emendare quamprimum curavit. Quod enim (ut suo loco dictum est) non ignoraret, paulo illiberaliter cum S. Paulino viro clarissimo, qui una cum Therasia conjuge monasticam amplexus vitam in Nolanum agrum secessit, Siricium, cui successit, egisse ; ipse simul ac in thronum pontificium evectus est, officiosissimas litteras ad episcopos pro ipso Paulino dedit ; quem et omni officiorum genere postea frequentandi nullam penitus occasionem prætermisit. Rosweydus.

Not. 63. *Ad natalem suum.* — Uti olim imperatores imperii sui ortum seu natalem celebrabant, ita Romani pontifices cathedræ seu episcopatus sui natalem celebrare sunt soliti. Sixtus pontifex ad Cyrillum episc. Alexandrinum anno Christi 430 : *Ad beatum apostolum Petrum fraternitas universa convenit : ecce auditorium congruens, auditoribus conveniens audiendis. Habuerunt coepiscopi nostri illum gratulationis testem, quem habemus honoris exordium. San-*
D *ctæ namque et venerabili synodo, quam natalis mihi dies favente Domino congregarat, quia sic credendum est, ipse præsedit.* Idem epistola ad Johannem episcopum Antiochenum : *Audivit universa fraternitas, quæ ad natalis mei convenerat diem, qualiter bono humani generis apostolicæ sedis me præside gratulentur.* Hilarius papa in epistola ad episcopos Tarraconensis provinciæ : *Lectis ergo in conventu fratrum, quos natalis mei festivitas congregarat litteris vestris.*

Ea festivitas inter solemnia connumerabatur, veluti illa indicant, quæ profert Anastasius Bibliothecarius in Vita Hadriani I : *Denique ejus beatitudo fecit et pharum majorem in eadem B. Petri ecclesia in typum crucis, qui pendet ante presbyterium, habentem candelas mille trecentas et septuaginta. Et constituit ut quatuor vicibus in anno ipsum pharum accenderent, id est in Nativitate Domini, in Pascha, in natali apostolorum, et in natali pontificis.*

Primo natalis cathedræ die sermones ab episcopis

ipsis habiti. Ita Gregorius Nazianzenus orat. 7 ; item A Nyssenus tomo II operum, Chrysostomus tomo V operum, Ennodius 5 Sacra Dictione. Aliquando aliorum panegyricis laudati : ita Petrus episcopus a Chrysologo sermone 107, Laurentius Mediolanensis episcopus ab Ennodio 1 Sacra Dictione. Quin et anniversario cathedræ die concionem habebant episcopi. Augustinus homilia 24 et 25 ex libro I Homiliarum; Leo sermone 1, 2 et 3. Sic 30 anno natali sacerdotii seu episcopatus Epiphanii dictio 9 dicta apud Ennodium lib. I Carminum. Vide Ferrarium lib. II de Ritu sacrarum concionum, cap. 35.

Utut natales privatorum episcoporum apud suos celebrati fuerint, unius tantum Petri natalis seu cathedra apud omnes in cultu fuit. Augustinus serm. 15 de **887** Sanctis in festo Cathedræ S. Petri : *Institutio solemnitatis hodiernæ a senioribus nostris cathedræ nomen accepit, ideo quod primus apostolorum Petrus hodie episcopatus cathedram suscepisse referatur. Recte ergo ecclesiæ natalem sedis illius colunt,* B *quam Apostolus pro Ecclesiarum salute suscepit.* Rosweydus.

Not. 64. *Si Dominus commeatum donaverit.*—*Commeatus* est spatium ac tempus, ut apud eumdem Paulinum epist. 10 ad Delphinum, n. 3, *sterilis ficulneæ commeatum a Domino vineæ deprecatus est.* Est etiam licentia seu facultas alicujus rei peragendæ; interdum etiam pro abeundi licentia, ut epist. 49 ad Macarium, n. 1, quandoque pro refectione usurpatur. Sed scriptoribus Christianis sæpissime est vitæ prorogatio, seu facultas vitam producendi a Deo impetrata. Postremo hoc significatu accipiendus est hic locus, sicut et epist. 50 ad Augustinum, n. 14, *præstante mihi ac tibi commeatum dierum Christo*, et clarissime epist. 13 ad Pammachium, n. 8 : *Quia spirantis adhuc filii commeatum poterat impetrare.* Eodem sensu Paulinus alter in Vita S. Ambrosii. Marius Mercator lib. Subnotat., cap. 7 : *Si autem Deus vitæ commeatum dederit, et ad retractan-* C *dos hos optimos libros tuos..... tempus indulserit.* S. Fulgentius epist. 1 de Conjugali Debito : *Sic sum repentina corporis ægritudine correptus, ut febrium violenta nimietas commeatum mihi vitæ præsentis auferret, nisi,* etc.

Not. 65. *Alingonensi Ecclesiæ.* — Emendandus est ex hoc loco alter epistolæ 21 ad Amandum, *unum de Alingonensibus dignamini mittere :* dicitur enim portus Alingonis, de quo Sidonius Apollinaris epist. 12 lib. VIII ad Trigetium : *Post hæc portum Alingonis tam piger calcas, ac si tibi nunc esset ad limitem Danubinum contra incursaces Massagetas proficiscendum.* Hodie Lengonem vocant urbem, ad sinistram ripam properantis in Oceanum Garumnæ sitam, quæ septem leucis a Burdigala distat, et nunc ad diœcesim pertinet episcopi Vasatensis, non archiepiscopi Burdigalensis; ad ditionem autem comitis Benangæi et Candalæ, postquam hereditario jure successionis vel emtionis ad illum, ab Arnaldo Gartia milite translatum est. D Scribit enim Gabriel Lurbæus in Chronico Burdigalensi, jam ab anno Christi 1170 Lengonem oppidum jure beneficiario cessisse collegium canonicorum, ad fanum S. Severini in suburbio Burdigalæ ædificatum, eidem Gartiæ et ejus posteris, ea conditione, ut duodecim lampetras die designato quotannis eidem collegio pendant. Sic oppidum istud licet S. Amandi successoribus archiepiscopis sit ereptum, et ecclesiasticæ ipsorum jurisdictioni subtractum, rediit tamen ad S. Paulini successores, quorum politicæ ditioni subjectum est, quando iidem comites Candalæ domini sunt illius feudi ac domicilii, quod fuit olim Paulinorum, quodque Podium Paulini etiamnum vocatur Burdigalæ, atque eo nomine primum inter cives Burdegalenses locum obtinent. Nihil ad hunc locum pertinet Alinganiensis ille vicus, quem ex Gregorio Turonensi profert Ortelius; ille enim in territorio urbis Turonicæ, non circa Garumnam collocatur cap. 16 Miracul. Duc.

IN EPIST. XXII.

Not. 66. *Sibi ergo habeat armilausam suam.* — Illud genus locutionis, *sibi ergo habeat armilausam*, usurpavit etiam alibi Paulinus, ut epist. 4 : *Sibi ergo habeant arrogantiam, sibi divitias, sibi nobilitatem et justitiam suam sola carne Judæi : nobis ad salutem satis est Christus*; et epist. 6 : *Sibi habeant sapientiam, sibi felicitatem suam : nobis inopiam nostram, ut putant, et stultitiam nostram relinquant*; et epist. 29 : *Sibi habeant litteras suas oratores, sibi sapientiam suam philosophi, sibi divitias suas divites, sibi regna sua reges : nobis gloria et possessio et regnum Christus est.* Imitatur Plautum, apud quem in Curculione Phædromus adolescens ait : *Sibi sua habeant regna reges, sibi divitias divites : sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prælia, dum mihi abstineant invidere.* Apud eumdem prologum agit in Aulularia Lar familiaris, cujus hic mentio fit in fine epistolæ; at ex Virgilio III Æneidos illa sunt Æneæ Heleno vale dicentis :

Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua.

Duc.

Not. 67. *Armilausam suam.* — Usus est hac eadem voce epist. 13 : *Cum præterea facie non minus quam armilausa ruberet.* Numerat inter genera vestium Isidorus lib. XIX Originum, cap. 22 : *Armelausa vulgo vocata : quod ante et retro divisa atque aperta est, in armos tantum clausa quasi* **888** *armiclausa, c littera ablata.* Vetus interpres Juvenalis sat. 5, vers. 143 : *Viridem thoraca, armilausam prasinam.* Mauritii locum profert ex strategicis doctissimus Rigaltius, ex quo genus fuisse militaris vestis brevioris colligimus, unde et caligas militares minimeque monachales huic tabellario tribuit Paulinus. Sic ergo Mauritius : Ποῖα δεῖ φορεῖν ἱμάτια τοὺς πεζοὺς, εἴτε ζωστήρια Γοτθικὰ, εἴτε ἀρμελαύσια ἔχουσι.... μέχρι τῶν γονάτων. ... Suidas in Etymologico : Ἀρμελαύσιον παρὰ τὸ ἅρμα τὸ ἐπάνω τῶν ὅπλων. Constat ergo non ultra genua fuisse productam vestem hanc, et similem ei quam equites armis superjectam gestant suis insignibus distinctam, quam et tunicam armorum vulgo appellant. *cotte d'armes.* Duc.

Armilausam. — *Armilausa* est sagum militare quod thoraci superinduitur; sed vestem militarem hic facit etiam Paulinus, et epist. 13 : *Cum præterea facie non minus quam armilausa ruberet.* Passio S. Bonifacii martyris edita ab Holstenio : *Vir est quadratus.... coccinea armelausia indutus.* Anastasius Bibliothecarius in Gregor. II, pag. 70, de Luithprando rege Longobard. : *Atque sic ad tantam compunctionem piis monitis flexus est, ut quæ fuerat indutus exueret, et ante corpus Apostoli poneret, mantum, armilaisiam, balteum, spatam, atque ensem deauratam.* Almuciis canonicorum etiam armilausiorum nomen inditum a quibusdam. Cangius, in Glossar. Lat., tom. I, pag. 336.

Not. 68. *Nec chlamyde curtalini.* — Chlamydem propriam esse militum vestem, docet Nonius, cum paludamentum eam vocari scribit; et Herodianus, cum lib. VII : Πορφυρᾷ χλαμύδι περιβαλεῖν, *purpureo paludamento induisse* imperatorem milites dixit. Plautus quoque in Pseudolo chlamydatum militem introducit. Ergo curtalinos istos militiam obiisse colligimus, ut indicant etiam jurisconsulti, dum citant legem 14 de Privilegiis eorum qui in sacro palatio, ubi mentio fit militiæ cohortalinorum, et Leg. 26, de Cohortalibus principum, et leg. 3 de Officialibus rectorum provinciarum. Nam cohortalini dicebantur apparitores et officiales magistratuum qui provinciis præerant. Citat et vetus Glossarium Brissonius : *Cohortalinus* εὐτελὴς θυρωρὸς τοῦ πραιτωρίου, hoc est *vilis janitor prætorii.* Cujacius etiam præstantissimus J. C. scribens in lib. X Codicis, tit. 23, cohortales ait esse perpetuos præsidum apparitores, tum profert locum ex libro XLV Basilicorum, tit. 1,

ubi Thalelæus ex Patricio definit cohortalinos, beneficiarios habentes curam mansionum equorum. Ὁ δὲ μακαρίτης Πατρίκιος τοὺς κορταλίνους καλεῖ μὲν beneficiarios, λέγει δὲ φροντίζειν αὐτοὺς τῶν ἀλλαγῶν τῶν ἵππων. cortalini sunt igitur iidem qui in Codice cohortalini dicuntur, quandoquidem quod antiquiores Latini autores cohortem dixerunt vel chortem, locum nimirum in villa tectis circumdatum, quod circa eum pecus coerceatur, id posterioris ævi scriptores curtem vocarunt, hoc est villæ partem, vel ipsam villam. Sic in libris Feudorum curtem vel alodem dicuntur vendere, qui villam vendunt; sic Godefridus monachus in Annalibus loquitur: *In quadam curte monachorum de Evera latens.* In legibus Bajoariorum, cap. 14: *Si quis in curtem alicujus intraverit;* et in legib. Aleman., tit. 10 Helmodus citatus a Fr. Hotomano in librum de Feudis, in Historia Slavorum lib. I, c. 14: *Habuit præter alia curtes duas nobiles;* et cap. 32: *Rex consistebat in curte regia Hilgelestein.* Abbas item Urspergensis in Frederico I. Et ut annotat idem Hotomanus, curtis pro villa sumitur, ut sæpe res ex potiore parte appellantur; deinde magnificæ domus rusticæ, curtes etiam dictæ; et regiæ curtes, palatia principum in villis et in urbibus; unde factum ut apud Græcos etiam historicos posterioris ævi, et apud jurisconsultos κόρτῃ et κούρτη diceretur aula principis. Codinus de Officiis Constantinop.: Ὑπηρετοῦσι δὲ οἱ κορτινάριοι εἰς τὴν τοῦ βασιλέως σκηνὴν ἥτις κόρτη ὀνομάζεται. *Ministrant vero cortinarii ad imperatoris tabernaculum, quæ appellatur corte.* Ut igitur cohortem et curtem confundunt autores, ita hic eosdem cohortalinos, et curtalinos, principum vel præsidum officiales et apparitores Paulinum appellasse probabile est. Duc.

IN EPIST. XXIII.

Not. 69. *Ex abundantia.* — Prior locus est Matth. XII, 34, posterior Ecclesiastici XIII, 19, ex duobus Scripturæ versiculis conflatus ab Autore: Πᾶν ζῶον ἀγαπᾷ τὸ ὅμοιον αὐτοῦ καὶ τῷ ὁμοίῳ αὐτοῦ προσκολληθήσεται ἀνήρ. *Omne animal diligit simile sibi, et simili sibi copulabitur vir.* Proverbium hoc apud gentiles invaluit. **889** Aristoteles Ethicor. 8: Ὅμοιον ὁμοίου ἐφίεται; et Agatho apud Platonem in Convivio: Ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει, *Simile simili semper adhæret.* Duc.

Not. 70. *Deum fœneras.* — ¶ Paulinus noster cum quarto casu dicit, *fœnerare;* cum alii dicant, *fœnerare alicui*, quod est *fœnori dare.* Idem Paulinus epist. 32, n. 19: *Amplius est Dominum quam hominem fœnerare.* Item in serm. de Gazophylacio 34 inter epist., n. 2, *Deum fœnerat.* Et mox, *Qui enim fœnerat pauperes Domini.* Et n. 5, *Fœneremus igitur Dominum de donis Domini.* Item Cyprianus de Habitu virginum: *Patrimonio tuo Deum fœnera, Christum ciba;* sic enim habent mss. codices, ut adnotat J. F. Gronov. in Observat. Ecclesiast., c. 1. Idem Cyprianus de Orat. dominica: *Quando quis miseretur pauperis, Deum fœnerat.* Et Augustinus serm. 65: *Sufficit ad gloriam dantis... quod misericordia fœneret Deum, quod pascat in paupere Christum.* Et serm. 1 in psalm. XLVIII, n. 9: *Fœneres Christum, accipiat in terra parva, ut reddat tibi in cœlo multa.* Sic verbum istud cum accusativo jungit Martialis lib. I, epigram. 77: *Hæc omnes fœnerat una deos.*

Not. 71. *Servilium præreptor operum.* — Omnino legendum existimo *præreptor* vel *præcerptor.* Nempe sedulitate sua omne serviendi officium Paulino præripiebat, et præcerpebat Victor. Sic epist. 4 ad Severum: *Contendam præripere hospitis gratiam.* Et epistola 36 ad Macarium: *Stupens laborem sibi sine labore præcerpi.* In ms. B. erat *præreptor.* Sic Ambrosio lib. VI in Lucam, c. 7, *præripere hospitis gratiam.* Rosweydus.

Not. 72. *Ex libro enim tuo.* — Intelligit librum Severi de Vita S. Martini, ubi, capite 26, narrat humile Martini erga se obsequium: *Aquam*, inquit, *manibus nostris ipse obtulit;* quod Paulinus erga Victorem æmulatus est. Rosweydus.

Not. 73. *Ad orexim monachorum.* — *Orexis* est cibi appetentia, aviditas, ex Græco ὄρεξις. Johannes Sarisberiensis lib. VIII Policrat., c. 6: *Et quos magis onerare voluerint majoribus oneratos minoribus poculis ingurgitant, et distendunt; et donec rapidam* (forte leg. *rabidam*, ut apud Juvenal.) *orexin excutiant, aliquid amicitiæ aut festivitati credunt esse subtractum.* Cangius in Glossar. Lat., tom. III, p. 63.

Not. 74. *Miscuisset in crumilum.* — In veteri codice scriptum offendit doctiss. Cauchius *in crumilum*, in altero etiam Put. legebatur *in crubilum:* quam ob causam suspicatur idem corrigendum *in cumerum*, allatis Festi et Horatii locis: cui tamen nequaquam assentior, sed receptam lectionem sic intelligo, ut velit Paulinus spiritualem hunc coquum facile additurum fuisse fabæ ac milio reliquas frugum vel seminum species, quarum fit mentio apud Ezechielem, nimirum lentem, et hordeum, et viciam in cumulum, hoc est, ut pultes illæ ex faba et milio augerentur hoc cumulo, et ita panes Ezechielis æquarent. Ita locutus est Cicero 2 in Rullum: *Accesserint in cumulum manubia nostrorum imperatorum.* Porro Ezechielis locus est cap. IV, 9: Λάβε σεαυτῷ πυρούς, καὶ κριθάς, καὶ κύαμον, καὶ φακὸν, καὶ κέγχρον, καὶ ὄλυραν, καὶ ἐμβαλεῖς αὐτὰ εἰς ἄγγος ἓν ὀστράκινον, καὶ ποιήσεις αὐτὰ σεαυτῷ εἰς ἄρτον. *Sume tibi triticum, et hordeum, et fabam, et lentem, et milium, et siliginem, et immittes ea in vas unum fictile, et facies tibi ex eis panes.* Viciam hic vertit Paulinus ὄλυραν de qua Hieronymus: *Quam nos viciam interpretati sumus, LXX Theodotioque posuerunt ὀλύραν, quam alii avenam, alii sigalam putant.* Vide etiam Isaiæ XXVIII, 25, correxit idem Cauchius in illis verbis, *sed farina confecit aut milio;* quod aptius judicavit, *sed panico confecit aut milio;* et mox: *Fabam introivit panico.* Ego vero receptam lectionem in voce *panicio* nequaquam rejicio, quod eam tueatur Isidorus lib. XVII Originum, cap 3: *Panicium dictum, quod in multis regionibus ex eo panis vice homines sustententur, quasi panis vicium.* Veriorem tamen etymologiam profert Plinius lib. XVIII, cap. VII: *Panicum a paniculis dictum.* Duc.

Not. 75. *Crumilum* — ¶ Sic reposuimus ex duobus mss. codicibus Belgic. et Vien. Eadem voce usus est Gregorius Turon. de Glor. confess., cap. 98. *Adserens*, inquit, *eum intra Augustidunensem terminum commoratum fuisse, et sæpius in hoc vasculo vel olus, vel crumelum coctum cum illo sumsisse.* Quid sit autem *crumilus* seu *crumelus*, non satis perspectum habeo. Forte legendum, *grumulum.* A voce enim *grumus* factum diminutivum *grumulus* pro qualibet acervatione et strue. *A grumus* facta gallica vox, *grumeau.* Vide Dacereum ad Festum in voce *grumus*, p. 170. Ante erat in editione Rosw. *in cumulum.*

Not. 76. *Frumentationem.* — Desumtum hoc ex psalmo LXXVII, v. 25, ubi Vulgatus habet *cibaria:* sed Psalter. Rom. et Gallic. et Cassiodorus cum Paulino, *frumentationem*, Græce est ἐπισιτισμός. Hesychius, ἐπισιτισμὸν, ἐφοδιασμόν. Rosweydus.

Not. 77. *In misericordia pingui donec*, etc. — Scriptum ergo **890** invenit in textu LXX Paulinus, vel autor illius Latinæ versionis, quam sequebatur ἐν ἐλέῳ πίονι, unde vetus Psalterium et Augustinus habent psal. XCI, 2: *In misericordia pingui.* Vulgata Lat.: *In misericordia uberi.* In aliis libris Græcis est ἐν ἐλαίῳ πίονι, *in oleo pingui:* quod convenit cum Hebræo, ex quo Hieronymus *in oleo uberi.* Theodoretus ex Symmacho: Ἡ παλαίωσίς μου ὡς ἐλαία εὐθαλής; *Vetustas mea sicut oliva germinans.* Idem Paulinus infra epist. 24: *Cujus senectus in misericordia uberi requiescat.* Duc.

Not. 78. *In protoplastis.* — Ita primos parentes Adamum et Evam Græci Patres appellant a Deo ipso creatos. Clemens Alexandr. III Strom.: Οἷς κατηκολούθησαν οἱ πρωτόπλαστοι τοῦ Θεοῦ. *Quas consecuti sunt, qui a Deo primi formati fuere.* S. Jo. Chrysostomus lib. I de Providentia: Διὰ τοῦτο καὶ τοῦ παρα-

δείσου τὴν ἀρχὴν ἐξέβαλε τὸν πρωτόπλαστον. *Quocirca* A *primum hominem quoque a principio e paradiso expulit*; et lib. II : Ἐπὶ τὸν τοῦ πρωτοπλάστου ἔλθωμεν παῖδα. *Primi parentis inspiciamus filium*; Cyprianus de Habitu virg. : *In Scripturis fere omnibus ad protoplastum Deus loquitur*. Duc.

Not. 79. *Obsutus*. — Pro *oculos mentis obsitus*, quod erat in Paris. edit. emendavimus ex mss. et veteribus editionibus, *oculos mentis obsutus*, quod ita loqui amet Paulinus : κατὰ τοὺς ὀφθαλμοὺς συνεῤῥαμμένος, ut Græci dicunt ἀποῤῥάπτειν στόμα *os obstruere*. Sic epistola 6 : *Pyrenæus agger nomen magis quam jugum horrendus interjacet*; et epist. 7 : *capillum ad cutem cæsi*. Virgil. lib. I Æneid. : *Tristior et lacrymis oculos suffusa nitentes*. Duc.

Not. 80. *Peccator de anima sua currit*. — Ubi scriptum hoc esset, post multum laborem tandem invenimus, nimirum Proverb. VII, 23 : Οὐκ εἰδὼς ὅτι περὶ ψυχῆς τρέχει. *Nesciens quod pro anima currit*. Vulgata Lat. : *Et nescit, quod de periculo animæ illius agitur*. Convenit cum locutione Græcorum, apud quos B proverbialiter dicitur, τρέχειν τὴν ἐσχάτην, *qui extremum periculum incurrit*, et τρέχειν περὶ ψυχῆς. scilicet κίνδυνον, vel δρόμον, vel ἀγῶνα. Profert Budæus ex Gregorio Nazianz. contra Julianum : Ἤσθετο πολλῶν τῶν περὶ ψυχῆς τρεχόντων. *Animadvertit multos animæ periculum incurrere*. Dionysius Halicarnass. lib. III Antiquit. : Ὁ δὲ ἕτερον νῦν τὸν ὑπὲρ τῆς ψυχῆς ἀγῶνα τρέχει. *Nunc non aliam ob causam currit pro capite*, hoc est in capitis discrimen adducitur. Duc.

Not. 81. *Et homo est, et quis cognoscet eum?* — Locus est Jeremiæ, XVII, 9 : Βαθεῖα ἡ καρδία παρὰ πάντα, καὶ ἄνθρωπός ἐστι, καὶ τίς γνώσεται αὐτόν; *Profundum est cor super omnia, et homo est, et quis cognoscet eum?* Hieronymus ex Symmacho, *Inscrutabile cor omnium; vir autem quis est qui inveniat illud?* Theodoretus in Commentario : Ἀνθρώποις μὲν, φησὶν, ἀκατάληπτα τὰ τοῦ πέλας βουλεύματα, κέκρυπται γὰρ τὰ τῆς καρδίας κινήματα. *Ab hominibus quidem comprehendi nequeunt consilia proximi : quia sunt occulti* C *motus cordis*. Licet autem de quovis homine plerique intelligant, de Christo tamen exponunt (qui cum homo sit, propter occultam Divinitatem non cognoscatur) una cum Paulino Tertullianus adversus Judæos cap. 14, et III in Marcion., cap. 7; Cyprianus lib. II, cap. 10 advers. Judæos; Epiphanius hæresi 30; Ambrosius de Institutione virgin., cap. 16; Augustinus III contra Faustum, cap. 11; Lactantius lib. IV, cap. 13. Duc.

Not. 82. *Quia non habitabat*. — Sapient. I, 4 : Εἰς κακότεχνον ψυχὴν οὐκ εἰσελεύσεται σοφία, οὐδὲ κατοικήσει ἐν σώματι κατάχρεῳ ἁμαρτίας. *In maleficam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccato*. Reposuerant hoc loco typographici correctores, *non habitabit*, quod in Scriptura sit κατοικήσει restituimus ex Bad. et Grav. *habitabat*. Duc.

Not. 83. *Indicata testatur*. — Veteres editiones mendose habebant, *judicata testatur* pro *indicata*; sic enim scriptum est, quod narrat Paulinus, licet fallente memoria paululum ab eo discedat, quod de D pondere capillorum additur; II Reg. 14, 26 : Ὡς ἂν ἐκείρετο. ὅτι κατεβάρυνεν ἐπ' αὐτὸν. καὶ ἔστησε τὴν τρίχα τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ διακοσίους σίκλους. ἐν τῷ σίκλῳ τῷ βασιλικῷ. *Quando tondebatur, quoniam aggravabat in eum, et ponderavit capillum capitis sui ducentos siclos in siclo regio*. Vulgata Latina nihil discrepat, *ducentis siclis pondere publico* : ut via regia dicitur, ἡ λεωφόρος. Duc.

Not. 84. *Superposuerunt iniquitates meæ caput meum*. — In illo versu 5 psalmi XXXVII : Ὅτι αἱ ἀνομίαι ὑπερῆραν τὴν κεφαλήν μου. Vertit etiam Ambrosius. *Iniquitates meæ superposuerunt super caput meum*; et explicat : *Supertransierunt caput meum, et supereminent mihi, ut sensus meos deprimant*; et S. Augustinus, *Sustulerunt caput meum*. Vulgata, *Supergressæ sunt caput meum* : quamobrem corrigendæ sunt omnes editiones priores quæ hic apud Paulinum habent, *iniquitates meas*. Duc.

Not. 85. *Ros enim*. — Locus est Isaiæ cap. XXVI, v. 19 : Ἡ γὰρ δρόσος παρὰ σοῦ ἴαμα αὐτοῖς ἐστι. *Ros qui a te, sanitas* **891** *ipsis est*. Ubi Vulgata : *Quia ros lucis, ros tuus*. Pagninus et Vatablus : *Ut ros olerum, ros tuus*. Quæ diversitas accidit ex Hebræo אורות *oroth* in plurali, quod et *lumina* et *olera* vertere potes. Elegans similitudo verbo hoc ambiguo clauditur, quasi dicat : Sicut ros lucis seu antelucanus oleribus et herbis agrestibus gratissimus est, eaque reviviscere facit, ita ros tuus cadens super ossa arida, ea viviscere faciet. Vide ibi Gasparem nostrum Sanctium. Utitur Paulinus et infra epistola 17, 26 et 31, quo posteriore loco Frontonem nostrum consule. ROSVEYDUS.

Not. 86. *Ad confusionem malorum* — Id est *dæmonum*, quos hic vocat *angelos ad seductionem paratos*. Atque ita *Malum* apud Matthæum cap. VI, v. 13; *Sed libera nos a malo*, ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. multi Patres intelligunt, uti et cap. V Matthæi, v. 37 : *Quod autem his abundantius est, a malo est*, ἐκ τοῦ πονηροῦ; et cap. XIII, v. 19 : *Venit malus*, ὁ πονηρός. Tertullianus de Fuga in persecutione cap. 2 : *Sed erue nos a maligno, id est ne nos induxeris in tentationem, permittendo nos maligno*. Hoc lib. de Oratione, cap. 8, dixerat, *Sed evehe nos a malo*. Ita quoque Chrysostomus, Euthymius, et Theophylactus in cap. VI Matth. Rursus Tertullianus lib. de Pœnitentia, cap. 5 : *Ut denuo malus recuperata præda adversus Dominum suum gaudeat*. Idem libro de Patientia, cap. 11 : *Certemus igitur quæ a malo infliguntur sustinere*; et cap. 14 : *Dissecabatur malus cum Job immundam ulceris sui redundantiam magna æquanimitate distringeret* : sæpius ita utitur eo libro. Idem de Cultu feminarum, cap. 5 : *Christianus a malo illo adjuvabitur?* Idem lib. II ad uxorem, cap. 6 : *Omnia extranea, omnia inimica, omnia damnata adhærendæ saluti a malo immissa*; sæpius eodem libro. Cyprianus de Oratione dominica, cap. 10 : *Quando in tentationibus nostris nihil malo liceat, nisi potestas inde tribuatur*; atque ita aliquoties ibidem usurpat. ROSWEYDUS.

Not. 87. *Ut aurum cephas*. — Sic reposuimus ex ms. P. et editione Badii. cum in Paris. et Graviana esset *aurum paz*, fortasse quod Hebraice legatur Canticor. V, 2 : ראשו כתם פז *roscho ketem paz*. *Caput ejus aurum obrizum*, ut vertit Pagninus; vel ut Montanus, *massa auri obrizi*; nam et ita Aquila Græce extulit, λιθία χρυσίου, *lapidea* vel *massa auri*, Theodotio vero, ἐπίσημοι ἐν χρυσίῳ. *Insignes in auro*. Male Kircherus in suo Indice Hebraico, χρυσίον κεφαλή, *aurum caput*. nam LXX scripserunt χρυσίον κεφάζ. *aurum cephas*, ut constat ex Gregorio Nysseno in Canticum homil. 13, qui κεφάζ exponit ἀνόθευτον καὶ πάσης ἐπιμιξίας ἀλλότριον, εἰλικρινὲς καὶ καθαρόν, *purum et quod omni mixtura careat, et sincerum*. Ambrosius in psalmum CXVIII, octonario 15 : *Caput ejus aurum cephas. Unde et Aquila petram aurum dixit : Symmachus, lapidem aurum, quod significat stabilem eminentemque sapientiam*. Deceptus est fortasse vir sanctissimus, existimans Hebraico in textu fuisse vocem *Cephas*, quæ petram significat, unde nomen S. Petro apostolo : sed sola vox כתם *kethem* grumam seu massam significat auri, vel frustum auri puri, quale est Indicum, ideoque conjungitur cum voce פז *pas*, quæ aurum item obrizum sonat. Sunt ergo qui putent ex duabus dictionibus *kethem* et *pas*, sive *phas* ut veteres Hebræi legebant, conflatam fuisse vocem κεφάζ. Alii vero, inter quos Delrius noster, existimant LXX scripsisse χρυσίον ἐκ φάζ, *aurum ex Phas*, id est ex illa regione advectum, et degenerasse illam dictionem in κεφάζ, sicut Danielis X, 5, אופז *Ophas* nomen loci esse putat Pagninus, quod scriptum sit Jerem. X, 9 : *Argentum de Tharsis et aurum de Ophas*. LXX dixerunt : Ἀπὸ Θαρσὶς ἥξει χρυσίον Μωφάζ. *Ex Tharsis veniet aurum Mophas*. Symmachus. Proverb. VIII : Κρείσσων καρπός μου χρυσίου Ὠφάζ· *Melior fructus meus auro Ophaz*. Alii deducunt a radice פזז, quod est *roborare* et *confirmare*; nam aurum purius redditum est solidius. Vera igitur lectio est *cephas*, cum Latinam Scri-

pturæ editionem sequatur Paulinus e Græco textu LXX expressam. Duc.

A *Aurum cephas.* — ¶ Ms. codex Vien., *aurum ophaz.* Sic Danielis cap. x, v. 5, apud LXX : *Et lumbi ejus præcincti auro ophaz.* Sed hic codex Vaticanus LXX et ms. Reg. cum editis tribus habent *cephas.* Ambrosius de obitu Valent. et serm. 15 in psalm. cxviii, v. 1, *cephas* habet ab Aquila *petram*, a Symmacho *lapidem aurum* interpretatum, et lib. ii de Spiritu sancto in prologo. Vera igitur et optima lectio, *aurum cephas.*

Not. 88. *Sed hoc ut tu magis intelligis, emendetur.* — Ita mss. Vaticanus et Belgicus : ante erat, uti et ms. habet Puteanus, *sed hoc, ut tu mavis intelligi, semen detur.* Frontoni nostro ἄπουλος videbatur locus et Paulinum forte de semine humano tamquam coagulo verba facere : certe Columella ubi de caseo agit, semen quoddam pro coagulo usurpari scribit. Ita ille. Quia Paulinus hic mentionem facit *lactis* et *vini*, item *primæ nascentium mulctræ*, constatque ex antiquis autoribus, olim **892** pueris recens natis et baptizatis *lac* et *vinum* datum, videatur fortasse alicui Paulinum alludere ad eum morem, qui in Gallia etiamnum ætate Hugonis Victorini durabat, quo pueris recens natis sub vini specie eucharistia administrabatur. Immo ait suo quoque tempore purum vinum non consecratum loco sanguinis datum, quam consuetudinem sublatam optabat. Ita enim ille lib. i de Cæremoniis, Sacramentis et Observationibus ecclesiasticis, cap. 20, agens de recens baptizato : *Si ejus valetudinis est, sacramenta unitatis, id est, corpus et sanguinem Christi accipere debet. Pueris recens natis idem sacramentum in specie sanguinis est ministrandum digito sacerdotis, quia tales naturaliter sugere possunt. Augustinus ad Bonifacium contra hæresim Pelagianorum* (*Contra duas ep. Pelag. lib.* i, *cap.* 22) : *In Ecclesia Salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis, quæ in baptismo dimittuntur, peccata traxerunt: Nec illud cogitetis eos vitam habere posse, qui sunt expertes corporis et sanguinis Christi, dicente ipso Domino :* Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem (*Johan.* vi), etc. *Ergo* (*si sine periculo fieri potest*) *juxta primariam Ecclesiæ institutionem sacramentum eucharistiæ in specie sanguinis est tradendum pueris. Unde ignorantia adhuc formam retinens, sed non rem, dat eis loco sanguinis vinum; quod penitus supervacaneum arbitrarer, si sine scandalo simplicium dimitti posset. Si autem in reservando sanguinem Christi vel ministrando pueris immineat periculum, potius supersedendum videtur. Nec terreant vos præmissa Augustini verba. Ipse enim alibi* (*Serm. de infantib.*), *quasi ea determinans dicit : Nulli est aliquatenus ambigendum tunc unumquemque fidelium corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando in baptismo membrum corporis Christi efficitur; nec alienari ab illius panis consortio, etiamsi antequam illum panem comedat et calicem bibat, de hoc seculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat.* Si hic ritus Paulini ætate etiam in Galliis viguit, et eum emendari voluit, aliqua fortasse lux loco huic obscuro affulgebit.

Quod id in Gallia olim obtinuit, ut vinum recens baptizatis traderetur, etiam hac nostra ætate duravit in ecclesia Dordracensi, uti refert Wilhelmus Lindanus lib. iv Panop., cap. 25.

Quod si jam data interpretatio minus satisfaciat, quod in ea vini tantum mentio fiat, non etiam lactis; quodque hic apud Paulinum duarum specierum videatur fieri commixtio (petit enim hoc emendari, *quo prima nascentium mulctra coalescit :* fecit autem lactis et vini mentionem; et vinum Veteri Testamento, lac Novo deputat); quod si, inquam, prædicta interpretatio minus satisfaciat, videri possit Paulinus allusisse ad eam consuetudinem qua olim post baptismum *vinum lacte mixtum* baptizatis præbebatur. Ejus meminit S. Hieronymus in caput lv Isaiæ, illud comma, quo invitamur *emere vinum et lac*, explicans. *Quod vinum miscuit et Sapientia in cratere suo, omnes stultos seculi mundique sapientiam non habentes provocans ad bibendum : et ut non solum vinum emamus, sed et lac, quod significat innocentiam parvulorum : qui mos ac typus in Occidentis Ecclesiis hodie usque servatur, ut renatis in Christo, vinum lacque tribuatur. De quo lacte dicebat et Paulus :* Lac vobis potum dedi, non solidum cibum (*I Cor.* iii). *Et Petrus :* Quasi modo nati parvuli, rationale lac desiderate (*I Petr.* ii). *Unde et Moyses vinum et lac in Christi intelligens passione, mystico sermone testatur :* Gratiosi oculi ejus a vino, et candidi dentes ejus a lacte. Quia igitur hac epistola Paulinus lac impense commendat, et gratiæ in Ecclesia *ubera bona super vinum* legis deprædicat, miratus forte fuit lac vino mixtum baptizatis præberi, eumque ritum optaverit ex mente quoque Severi emendari.

Nec temere dictum videtur ab Hieronymo, eum morem in Occidentis Ecclesiis observatum. Nam in Orientis Ecclesiis usurpatum non facile legas. Quod
B enim Josephus Vicecomes lib. v de Baptismo, cap. 44, asserit, eum morem Clementi Alexandrino lib. i Pædagogi, cap. 6, notum notatumque, vereor ut labatur. Varia quidem de lacte narrat ad explicationem loci Pauliniani I Cor. iii contra Gnosticos quosdam, qui per *lac* imperfectum quid designari pertendebant; non tamen ea quæ narrat ait usurpata in Ecclesia. Ibidem ait lac cum aqua misceri : quis autem dixerit eum apud Græcos baptismi ritum fuisse.

Quia Clementis locus illustris est, et servire possit ad mysterium ritus, qui olim in Occidentis Ecclesia fuit observatus, cujus hic Paulinus videtur meminisse, eum subjiciam. Ναὶ μὴν ἐπιμίγνυται τὸ γάλα καὶ οἴνῳ τῷ γλυκεῖ· ἐπωφελὴς δὲ ἡ μίξις καθάπερ ἀνακιρναμένου τοῦ πάθους εἰς ἀφθαρσίαν· ἐξοῤῥοῦται γὰρ ὑπὸ τοῦ οἴνου τὸ γάλα καὶ σχίζεται, καὶ ὅ τί περ αὐτοῦ νόθον, τοῦτ' ἀποχετεύεται· κατὰ τὰ αὐτὰ δὲ τῆς πίστεως ἡ κοινωνία ἡ πνευματικὴ πρὸς τὸν παθητὸν ἄνθρωπον, τὰς σαρκικὰς ἐπιθυμίας ἐξοῤῥοῦσα, εἰς ἀϊδιότητα συστέλλει τὸν ἄνθρωπον, τοῖς θείοις ἀπαθανατίζουσα (*Clem. Alex.*
C *lib.* i *Pædag., cap.* 6). *Porro autem miscetur* **893** *quoque lac vino dulci : est autem utilis mixtio, veluti contemperata affectione ad incorruptionem. Lac enim a vino serescit et scinditur, et quidquid ejus est adulterinum, id tamquam per aquæductum educitur. Eodem autem modo se habet spiritualis fidei societas in hominem patibilem. Serescere enim faciens carnales concupiscentias, hominem ad æternitatem contrahit, divinis immortalem efficiens.* Rosweydus.

Not. 88 bis. *Crines ejus abietes nigræ.* — Canticorum v, 11 : *Comæ ejus, sicut elatæ palmarum, nigræ sicut corvus.* LXX vero dixerunt · Βόστρυχοι αὐτοῦ ἐλάται, μέλανες ὡς κόραξ. *Cincinni ejus elatæ; nigri tamquam corvus.* Alii vertunt, *Comæ ejus palmæ fructus, nigræ sicut corvus.* Animadvertendum est enim, et in Latina Vulgata, et in ea quæ de Græca versa est, vocem *elatæ* palmæ fructum significare, non genus palmæ præ aliis proceræ, ut quidam censent. Nam ἐλάτη Galeno est τὸ ἁπαλὸν ἐκβλάστημα τῆς φοίνικος, *tenerum palmæ germen.* Dioscorides lib. i, cap. 124 :
D φοίνιξ, ἣν ἔνιοι ἐλάτην ἢ σπάθην καλοῦσι, περικάλυμμά ἐστι τοῦ καρποῦ τῶν φοινίκων ἀκμὴν ἀνθούντων. *Palma, quam alii elaten aut spathen appellant, fructus palmarum adhuc florentium involucrum est et calix.* Marcellus vocat *horticosum palmæ adhuc florentis operimentum.* Hujus autem elatæ cortex niger est, et aliquantum subfulvus. Plinius lib. xii, c. 24 : *Est præterea arbor, ad eadem unguenta pertinens, quam alii elaten vocant, quod nos abietem, alii palmam, alii spathen.* Andreas Mathiolus scribens in Dioscoridem, admonet Plinium eo loco palmæ adhuc florentis fructus involucrum cum abiete arbore confudisse, vocabulorum propinquitate deceptum : atque inde colligit Delrius noster, deceptos fuisse a Plinio sanctissimos viros Ambrosium lib. ii de Spiritu sancto, et in Oct. 15 in psalm. cxviii, et Paulinum, et in causa fuisse ut hoc loco verterent *abietes*, cum in exemplaria Græca incidissent, quibus vox palmarum deerat. Ego tamen illi non assentior, sed utrumque ab errore vindicandum

censeo, cum optimorum autorum testimonio constet Græcam vocem ἐλάτην duo significare, et abietem, et palmæ fructum, sed non arborem ipsam palmam, ut Plinius videtur existimasse. Genes. xxi, 15: Ἔῤῥιψε τὸ παιδίον ὑποκάτω ἐλάτης: *Projecit puerum sub abiete.* Ezechielis xxxi, 8: Καὶ ἐλάται οὐκ ἐγένοντο ὅμοιαι κλάδοις αὐτοῦ. *Et abietes non fuerunt similes ramis ejus.* Isaiæ xli, 19: Στήσω ἐν ἐρήμῳ ἐλάτην. *Statuam in deserto abietem.* Pagninus ex Hebræo vertit, *Cincinni ejus crispi, nigri tamquam corvus*: cum autem e Græco LXX vertit, *Comæ ejus ductiles*, meo judicio errat, tum quod omnes libri habeant ἐλάται, non ἐλαταί: ut Numeror. xvi, 38: Ποίησον λεπίδας ἐλατάς. *Fac laminas ductiles*; tum quod dictio βόστρυχοι, *crines*, cum ista ἐλαταί jungi non possit, cum alterius sit generis; quo etiam vitio laborat Latina versio, qua Paulinus est usus. *Crines abietes nigræ*, cum Græce sit, Βόστρυχοι ἐλάται μέλανες ὡς κόραξ. Ergo crines nigri dici possunt, non abietes: sed receptam versionem examinandam non censuit, ut neque Ambrosius. Duc.

Not. 89. *Dispositi a seculis.* — Ita codex P. Suffragatur huic lectioni locus Apostoli non absimilis Eph. iii, 9: Οἰκονομία τοῦ μυστηρίου τοῦ ἀποκεκρυμμένου ἀπὸ αἰώνων ἐν τῷ Θεῷ. *Dispensatio sacramenti absconditi a seculis in Deo.* Duc.

Not. 90. *Formam peccatricis.* — Videtur ex Ambrosio expressum lib. vi in Lucam, cap. 7: *Quæ* (Ecclesia) *merito speciem accipit peccatricis, quia Christus quoque formam peccatoris accepit.* Quæ deinde in Paulino sequuntur de multimodis florum odorumque suavitatibus, paria iis habet idem Ambrosius loco citato. Rosweydus.

Not. 91. *Fidelium operatio.* — Id est *misericordia.* Verbo enim *operari* et inde derivatis proprie sancti Patres utebantur de operibus misericordiæ. Mox Paulinus: *Operibus enim pietatis et misericordiæ.* Epist. 10 de Melania pascente in Ægypto quinque monachorum millia: *Nec volens gloria operationis agnosci, tamen operis magnitudine prodebatur.* Epistola 12: *Operando præceptis ipsius, videbis eum in omni paupere.* Tertullianus lib. de Idololatria cap. 23, agens de eo qui juratus per ethnicos deos scripto cavit mutuanti: *Dominum oremus, ne qua nos ejusmodi contractus necessitas circumsistat. Et si ita evenerit, det fratribus operandi copiam, vel nobis omnis abrumpendæ necessitatis constantiam.* Vult peccatum hoc operatione seu eleemosyna redimendum. Idem lib. iv contra Marcionem, cap. 16: *Nam etsi major est bonitas quæ operatur in extraneos.* Cyprianus magistri insistens vestigiis libro de Lapsis, c. 13: *Incunctanter et largiter fiat operatio; census omnis in medelam vulneris erogetur; opibus et facultatibus nostris, qui de nobis judicaturus est, Dominus fœneretur*: et mox: *Pœnitenti, operanti, roganti potest clementer ignoscere.* Idem libro de Unitate Ecclesiæ, cap. 1: *In nobis vero sic unanimitas diminuta est, ut et largitas operationis infracta est.* Idem epist. 52, cap. 9: *Pro abluendo et purgando* **894** *delicto tuo largiter et frequenter operare.* Qui et peculiarem librum de *Opere et Eleemosynis* inscripsit, uti et tertii Testimoniorum libri ad Quirinum caput primum a *Bono operis et misericordiæ* auspicatur, et secundum ab *Opere et Eleemosynis.* Pontius in Vita Cypriani: *Fiebat itaque exuberantium operum largitate, quod bonum est ad omnes.* Optatus lib. iii contra Parmenianum, agens de legatis a Constante imp. missis in Africam ad sublevandam egestatem plebis et concordiam conciliandam, *Operarios unitatis* vocat. Prudentius quoque in Psychomachia Avaritiæ opponit Operationem seu Eleemosynam et Miserationem:

> Cum subito in medium frendens Operatio campum
> Prosilit.

Ubi non recte Aldus, Antonius Nebrissensis et Georgius Fabricius, *Miseratio* reposuere contra fidem omnium mss.

Non abs re Pamelius ad Cyprianum suspicatur Misericordiæ nomen *Operationis* inditum, quod inter

A opera bona præcipua sit eleemosyna. An profectum ex eo cum eleemosynæ mentio fieret apud Matthæum xxvi, 10; Marci xiv, 6: *Bonum opus operata est in me?* Rosweydus.

Not. 92. *Fœneratur et pascitur Christus.* — Ita constanter legunt veteres editiones Bad. et Grav. cum Paris. Et *serenari* dicuntur non modo apud poetas tempestates, sed et apud Plinium (*Lib.* ii, *c.* 6) animi humani nubila: magis tamen familiaris est locutio ista Paulini cum de eleemosyna et liberalitate in pauperes agitur, quam exhibet ms. P. *fœneratur*; epist. 34: *Vult fœnerari ex iis quæ ipse largitus est*, id est mutuum accipere. Idem ibidem: *Qui miseretur pauperi, Deum fœnerat*, id est, Deo mutuum dat; quod Ambrosius sic extulit in lib. de Basilicis non tradendis, *Qui largitur pauperi, Deo fœnerat*, et ita Vulgata Lat. Proverb. xix, 17. Cum utroque enim casu jungitur etiam apud probos Latinitatis autores. Martialis lib. i, epigram. 77: *Hæc sapit, hæc omnes fœnerat una deos.*

B In quem locum Chalderinus: *Hæc adeo dives est, ut possit dare nummos in fœnus omnibus diis.* Sed non semper tamen fœnerari est dare in fœnus vel ad usuram, licet Festo fœnus sit nummorum fœtus; ut neque Græcis δανείζεσθαι aliud sonat sæpe quam simpliciter mutuum accipere, δανείζειν mutuum dare. Sic apud Plutarchum Περὶ τοῦ μὴ δεῖν δανείζεσθαι, *Liber de vitando ære alieno*, sive in fœnus sumatur, sive simplex mutuum. Deuteron. xxviii, 12: Καὶ δανειεῖς ἔθνεσι πολλοῖς, σὺ δὲ οὐ δανειῇ. *Fœnerabis gentibus multis, et ipse a nullo mutuum accipies*, ut habet editio Lat. Sixti V, quasi dicat, Nulla premeris necessitate, cum omnibus rebus sis abundaturus: neque verbum לוה *lavah*, ad usuram dare, sed mutuum dare significat: ne causentur Judæi permissas sibi fuisse usuras. Sic psal. iii, 5, idem verbum Græce vertitur κιχρῶν. Χρηστὸς ἀνὴρ ὁ οἰκτείρων καὶ κιχρῶν. *Jucundus homo, qui miseretur et commodat.* Paulinus epistola 12: *Commodemus in pauperibus suis Christo*; sed ibi-
C dem præferenda videtur lectio manuscripti, *quanto amplius est Dominum quam hominem fœnerari*, illi Vulgatæ, *et Domino quam homini*: alioqui etiam fœnerare est quovis modo largiri, ut Plinius ait lib. ii, cap. 6: Solem *ceteris sideribus lumen suum fœnerare.* Duc.

Not. 93. *Fidei misericordiam prætulisset.* — Ambrosius lib. vi in Lucam, cap. 7: *Misericordiæ fidem prætulit, quæ tunc habet meritum, si fide præcedente conferatur.* Rosweydus.

Not. 94. *Qui magno emit, non vendit.* — Ambrosius ibidem: *Tam vili auctione vult æstimari Christus, ut ab omnibus ematur, ne quis pauper deterreatur*, etc. *Ipse nos pretioso sanguine emit, non vendidit.* Vide eumdem lib. iii de Spiritu sancto, cap. 18, non longe a fine. Rosweydus.

Not. 95. *Non amanti divitias.* — Ambrosius supra: *Non amanti divitias, non amanti honores seculi, non amanti quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi; non amanti quæ videntur, sed quæ non videntur; non cupido vitæ,*
D *sed ei qui festinat dissolvi, et cum Christo crucifixus esse mundo.* Rosweydus.

Not. 96. *Sapientis limina, ut jussum est, exterentes.* — Jubet hoc Sapiens Ecclesiastici vi, 36: Ἐὰν ἴδῃς συνετὸν, ὄρθριζε πρὸς αὐτὸν, καὶ βαθμοὺς θυρῶν αὐτοῦ ἐκτριβέτω πούς σου. *Si videris prudentem, mane surge ad eum, et gradus ostiorum ejus exterat pes tuus.* Augustinus quoque tractatu 7 in Joannem βαθμοὺς θυρῶν vertit, *limen ostiorum illius.* Duc.

Not. 97. *In lege.* — Conjiciebamus legisse Paulinum διὰ τοῦ νόμου, I Corinth. xiv, 19, pro διὰ τοῦ νοός μου, nisi forte receptam Græcam lectionem ut exprimeret, scripsit *ex intelligentia mea*, non *in lege*, quasi esset ἐν νόμῳ. Duc.

Not. 98. *Quocumque vel in domum indigni.* — Locus est expressus ex Ambrosio lib. vi in Lucam, cap. 7: *Quocumque vel in domum immundi, vel in domum Pharisæi audieris justum venisse, contende præripere hospitis gratiam, præripere regnum cœlorum.* Unde

et reliqua, **893** quæ hic subjungit, Paulinus desumsit. Ita enim Ambrosius: *Ubicumque audieris Christi nomen, accurre; in cujuscumque interiorem domum Christum intrasse cognoveris, et ipse festina. Cum repereris sapientiam, cum repereris justitiam in alicujus penetralibus recumbentem, accurre ad pedes, hoc est, vel extremam partem quære sapientiæ. Noli fastidire pedes. Fimbriam illa tetigit, et sanata est.* Rosweydus.

Not. 99. *Expandamus illi capillos.* — Ambrosius ibidem: *Expande capillos, sterne ante eum omnes tui corporis dignitates. Non mediocres capilli sunt, qui possunt tergere pedes Christi. Testatur hoc ille, qui quamdiu capillos habuit, vinci nequivit* (*Judic.* XVI). *Denique et mulierem decalvatam orare non decet* (*I Cor.* II). *Habeat sane capillos, quibus Christi circumvolvat vestigia, quibus suæ criniculis pulchritudinis et decoris, sapientiæ pedes tergat: ut extremo saltem rore divinæ virtutis humescant, figat justitiæ pedibus oscula sua.* Rosweydus.

Not. 100. *Fortasse enim ideo, etc.* — Ambrosius loco citato: *Et fortasse ideo non lavit pedes suos Christus, ut eos lacrymis nos lavemus. Bonæ lacrymæ, quæ non solum nostrum possunt lavare delictum, sed etiam Verbi cœlestis rigare vestigium, ut gressus in nobis ejus exuberent.* Rosweydus.

Not. 101. *Vulnerata caritatis.* — Manuscr. P., *Vulnerata caritatis*, e Græco ad verbum Τετρωμένη ἀγάπης ἐγώ εἰμι: quod Ambrosius item Apologia David posteriori sic effert, cap. 10: *Vulnerata caritatis ego sum:* alii, *Vulnerata caritate*, ut in Basiliensi editione, et apud eumdem Ambrosium in Psalm. CXVIII, octonario 15. Duc.

Not. 102. *Sola sancta tergere.* — Hoc est, vestigia plantarum: pars enim inferior pedis designatur, quam alii soleam vocant. Ambrosius serm. 74: *Via vitæ ubi Dominus resurrexit nota facta solo attrita est plurimorum.* Cicero Tuscul., V: *Mihi calceamentum solorum callum, cubile terra.* Lucretius lib. IV:

> Avia Pieridum peragro loca nullius ante
> Trita solo.

Duc.

Not. 103. *Si unguentum meum vile sit.* — Ambrosius supra: *Misi in Domini corpus unguentum? Spirare incipit, quod mortuum putabatur. Ideo unusquisque adoriatur emere labore suo nisuque virtutum alabastrum unguenti; non vile aliquod atque commune, sed pretiosum unguentum alabastri, et unguentum pisticum. Si enim quis fidei congreget flores, et prædicet Jesum Christum crucifixum, in omnem Ecclesiam, quæ Christi corpus est, mundo mortua, requiescens Deo fidei suæ transfundit unguentum: olere incipit tota domus Domini passionem.* Rosweydus.

Not. 104. *Nomina sua.* — Ambrosius libro VI in Lucam, cap. 9: *Magna Christi gratia, qui omnia prope vocabula discipulis ipsis donavit.* Rosweydus.

Not. 105. *Omnem veram.* — Vaticanus codex: *Omnem veram*: atque ita Jeremiæ II, v. 21, apud LXX est, Ἄμπελον καρποφόρον πᾶσαν ἀληθινήν: *vitem fructuosam, omnem veram.* Ita quoque Ambrosius lib. VI in Lucam, cap. 9, legit ex quo hic pleraque Paulinus expressit. Et quod de *petra* mox dicitur, *etiam discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit*, ad verbum desumtum est ex Ambrosii loco jam citato. Rosweydus.

Not. 106. *Quid pro suscepta carne?* — Adumbratum ex Ambrosio lib. VI in Lucam, cap. 7: *Quid enim referamus pro susceptæ carnis injuria, quid pro verberibus, quid pro cruce, obitu, sepultura?* et quæ sequuntur reliqua hac pagina in Paulino, ad verbum pene ex Ambrosio sunt. Rosweydus.

IN EPIST. XXIV.

Not. 107. *Si recte diligas, non recte dividas, peccasti.* — Utitur illo Genes. loco IV, 7, per accommodationem quam vocant. Sic enim LXX: Οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκης, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλης, ἥμαρτες; ἡσύχασον. *Nonne si recte obtuleris, recte autem non di-*

A *viseris, peccasti? quiesce.* Vulgata: *Nonne si bene egeris, recipies?* Hæc Caino dicuntur, quod in recta divisione prima secundis, cœlestia terrenis, præferenda sint. Ambrosius lib. II de Cain et Abel, cap. 6: *Ut prima secundis, non primis secunda præcurrunt; et cœlestia terrenis, non terrena cœlestibus præferuntur.* S. Johan. Chrysostomus homil. 18 in Genes.: Προσήνεγκε τὰ τυχόντα, οὐδεμίαν σπουδὴν οὐδὲ ἀκρίβειαν ἐπιδειξάμενος, ἐχρῆν δὲ τὰ τιμιώτερα προσάγειν. *Obtulit qualiacumque obveniebant, nulla ad delectum adhibita diligentia, cum debuisset pretiosissima offerre.* Duc.

Not. 108. *Ecclesia te serviente possideat.* — Quod hic de Severo scribit Paulinus, quomodo non sibi, sed Ecclesiæ possessiones servarit, idem de Paulino et Hilario Arelatensi episcopo scribit Prosper (leg. *Jul. Pomerius*) lib. II de Vita contemplat., c. 9: *S. Paulinus ingentia prædia, quæ fuerunt sua, vendita pauperibus erogavit: sed cum postea factus esset episcopus,* **896** *non contemsit Ecclesiæ facultates, sed fi-*
B *delissime dispensavit. Quo facto satis ostendit, et propria debere propter perfectionem contemni, et sine impedimento perfectionis posse quæ sunt communia Ecclesiæ possideri. Quid sanctus Hilarius? Nonne et ipse omnia bona sua aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogavit? Is tamen cum merito perfectionis suæ fieret ecclesiæ Arelatensis episcopus, quod illa tunc habebat ecclesia, non solum possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hereditatibus ampliavit.* Rosweydus.

Not. 109. *Nec habitas in dormientium sepulcris.* — Provocari se dicit Deus Isaiæ LXV, 3, *ab iis qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt.* LXX dixerunt: Καὶ ἐν τοῖς μνήμασι καὶ ἐν τοῖς σπηλαίοις κοιμῶνται διὰ ἐνύπνια. *Et in sepulcris et in specubus dormiunt propter somnia;* quod S. Cyrillus Alexand. explicat: *In somnis et spectris decepti, et notitiam rerum futurarum indagantes.* Procopius dixit: Ἐν μνήμασι διὰ τὰς νεκυο-
C μαντείας. *In sepulcris propter divinationem per mortuos.* Sumsisse videtur ex Theodoreto, cujus hæc verba sunt in Catena Regia ms.: Ταῖς καθ' ὕπνους γενομέναις φαντασίαις ἀκολουθοῦσι, καὶ τούτου χάριν καὶ παρὰ τοὺς τάφους καθεύδειν ἀνέχονται. *Spectra et visa quæ in somniis apparent sectantur, et hac de causa juxta sepulcra dormire contenti sunt.* Hieronymus addit: *In delubris idolorum, ubi stratis pellibus hostiarum incubare soliti erant, ut somniis futura cognoscerent, quod in fano Æsculapii usque hodie error celebrat ethnicorum.* Quod autem, ait Plinius, *in dormientium projectorum sepulcris*, haustum videtur ex Romano Psalterio, ubi Psalmus LXXXVII, 6: *Sicut vulnerati projecti dormientes in sepulcro*: quod sic effertur in Græca editione Romana: Ὡσεὶ τραυματίαι ἐρριμμένοι καθεύδοντες ἐν τάφῳ. Ambrosius item agnoscit illud *projecti* et Apollinaris: Οἷάπερ οὐτηθέντες ἀκήδεστοι περὶ τύμβους εὕδουσι *Quemadmodum vulnerati projecti et incurati circa sepulcra dormiunt.* Duc.

Not. 110. *Carnales athletæ.* — De continentia
D athletarum Clemens Alexand. III Stromatum: Φασὶ δὲ καὶ ἀθλητὰς οὐκ ὀλίγους ἀφροδισίων ἀπέχεσθαι δι' ἄσκησιν σωματικὴν ἐγκρατευομένους. *Aiunt quoque athletas non paucos abstinere a venere, propter exercitationem corporis continentes.* Tertullianus ad Martyres cap. 3: *Nempe enim et athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, ut robori ædificando vacent: continentur a luxuria, a cibis lætioribus, a potu jucundiore, coguntur, cruciantur, fatigantur.* Vide etiam Basilium homil. *Non adhærendum rebus secularibus;* Johan. Chrysostomum homil. 23 in I Corinth. et in epist. ad Timoth. I, homil. 8. Duc.

Not. 111. *In Adam solam nobis imaginem remansisse.* — Paulinus more multorum Patrum distinguit *imaginem* a *similitudine;* hanc peccato Adami vult perditam, illam remansisse. Hinc epistola 2 ad Severum: *Ut vere ad primordialem dignitatem, hoc est, Dei similitudinem reformemur.* Rosweydus.

Not. 112. *Lividum faciens corpus suum.* — Expri-

monitur his verbis illa Pauli I Cor. IX, 27: Ὑπωπιάζω τὸ σῶμα, καὶ δουλαγωγῶ; quasi diceret: *Lividum facio corpus meum, et in servitutem redigo:* quo pacto etiam in codice Claromontano Latine editum fuisse testatur Beza, *Lividum reddo:* et interpres Irenæi lib. IV, cap. 72: *Lividum facio corpus:* atque ipse Paulinus rursum epist. 43 ad Augustinum, quæ inter Augustinianas est 58, Hesychius et Suidas: Ὑπώπια, τὰ ὑπὸ τοὺς ὀφθαλμοὺς οἰδήματα. Ὑπώπια *dicuntur tumores, qui sub oculis oriuntur.* Jul. Pollux: Τὰ ὑπὸ τοὺς ὦπας τῶν πληγῶν ἴχνη. *Quæ sub oculis apparent plagarum vestigia.* In veteri Glossario, Ὑπώπια, *Suggillata*, id est partes circa oculos percussionibus contusæ et lividæ. Inde ὑπωπιάζειν proprium athletarum verbum, quod est suggillare eam partem quæ est sub oculis, vel aliam quamvis corporis partem, ut solebant pugiles pugnis et cæstibus. Atque ita scribitur apud Chrysost. homil. 22 in I Corinth. qui exponit: καταστέλλω καὶ ὑποτάττω μετὰ πολλῶν ἱδρώτων: *Coerceo et cum sudoribus multis subjicio:* itemque apud Theophylactum et Œcumenium. Apud alios legitur ὑποπιέζω, hoc est deprimo, elido, vexo, dejectum opprimo, quod luctatorum est: et hanc lectionem exhibent Clemens Alexand. III Stromat., Gregorius Nazianz. adversus Eunomianos, Basilius et Commentarius Theodoreti. In regiis mss., ὑποπιάζω, quod Doricum est. Utraque similitudine pugilum et luctatorum usus est Apostolus, et utrumque verbum exprimunt Cyprianus de Singularit. cleric. cum vertit, *Affligo*, et autor Latinæ Vulgatæ, *Castigo*. Duc.

Not. 113. *Ut apprehendatis.* — Apud Paulum, hoc tantum est: Οὕτω τρέχετε, ἵνα καταλάβητε. *Sic currite, ut comprehendatis;* nec additur ἅπαντες, *omnes*, I Cor. IX, 24. Eamdem tamen sententiam ex hoc loco eruunt quidam tractatores, ut Theodoretus: Ἐκεῖ πολλῶν ἀγωνιζομένων, εἷς ἀνακηρύττεται μόνος, ἐνταῦθα δὲ τῶν καλῶς ἀγωνιζομένων ἕκαστος ἀξιοῦται τῆς ἀναῤῥήσεως. *Illic cum multi certant, unus* **897** *solus a præcone victor renuntiatur, hic autem eorum qui recte certant, unusquisque renuntiationem assequitur.* Hieronymus epist. 28: *Non est invidus agonotheta noster, nec alterius palma alteri parat ignominiam, omnes athletas suos desiderat coronari.* Quod autem sequitur: *scissura in corpore esse non potest*, aliunde depromtum esse non potest, nisi ex illis I Cor. XII, 25: Ἵνα μὴ ᾖ σχίσμα ἐν τῷ σώματι. *Ut non sit schisma in corpore*, vel scissura, vel dissidium. Loquitur illic de corpore humano, sed additur v. 27, *vos autem estis corpus Christi.* Duc.

Not. 114. *In terra Cham.* — Alias, *Chanaan.* Emendandum, *in terra Cham*, ex psalmo CV, 22: Θαυμάσια ἐν γῇ Χάμ. *Mirabilia in terra Cham*, id est in Ægypto; in psal. CIV, 23: *Jacob accola fuit in terra Cham:* at terra Chanaan Palæstina. Levitici XIV, 34: *Cum ingressi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis.* Nisi forte hoc fuit autoris μνημονικὸν ἁμάρτημα, ut pro *Cham* scripserit *Chanaan*. Paulo post *profligatis* dixit *patrimoniis*, hoc est venditione distractis, ut Cyprianus in lib. de Opere et Eleemosynis citans illa Matth. XIII, 44, dixit: *Negotiatorem cœlestis gratiæ distractis omnibus rebus suis pretiosum margaritam de quantitate patrimonii sui debere mercari.* Duc.

Not. 115. *Destruat inimicum et defensorem.* — Vulgatus noster pro *defensorem* habet *ultorem*, Græce τιμωροῦντα (leg. ἐκδικητήν). Sed *defensor* obtinebat ætate Paulini, uti constat ex Severo Sulpicio lib. de Vita S. Martini, cap. 7, cum admirabile illud Martino ex sacris Litteris ad episcopatum Turonensem suffragium accessit, quo Defensor quidam eo nomine episcopus qui Martini electioni præcipue resistebat, confusus est. *Nam cum fortuito lector*, inquit Severus, *cui legendi eo die officium erat, interclusus a populo defuisset, turbatis ministris, dum exspectatur qui non aderat, unus e circumstantibus sumto Psalterio, quem primum versum invenit, arripuit. Psalmus autem hic erat:* Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et

A defensorem (*Psal.* VIII, 3). *Quo lecto, clamor populi tollitur, pars diversa confunditur.*

Quæ quidem divinam voluntatem investigandi ratio a pluribus olim usurpata. Ita Clodoveus, primus Galliarum rex Christianus, cum expeditionem contra Arianos pararet, nuntios misit ad B. Martini basilicam, ut inde aliquod victoriæ auspicium acciperet (*Gregor. Tur. lib.* II, *cap.* 37 *Hist. Franc.*). Accepit; nam intrantibus nuntiis hi versus decantati sunt: *Præcinxisti me, Domine, virtute ad bellum: supplantasti insurgentes in me subtus me, et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti* (*Psal.* XVII).

Ita ad D. Martini sepulcrum Meroveus rex Francorum curavit tres codices poni, Psalterii, Regum et Evangeliorum (*Idem, lib.* V, *cap.* 14). Ex Psalterio versus exiit: *Verumtamen propter dolositatem posuisti eis mala* (*Psal.* LXXII), etc. Ex libris Regum: *Pro eo quod dereliquistis Dominum Deum vestrum* (*II Paral.*

B VII), etc. Ex Evangeliis: *Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur* (*Matth.* XXVI), etc.

Ita Gregorius ipse Turonensis (*Idem, lib.* V, *cap.* 49), cum videret Platonem archidiaconum et Gallienum per vim abripi a Leudaste, Psalterium aperuit, legitque: *Eduxit eos in spe, et non timuerunt: et inimicos eorum operuit mare* (*Psal.* LXXVII): et Leudastis navis demersa est, altera superstite.

Heraclius triduo exercitum lustrat, apertisque postea inviolatis Dei Evangeliis invenit sibi mandari, ut in Albania hiemet. Cedrenus anno 13 Heraclii, et ex eo Baronius tom. VIII anno 622. An occurrit illud I Cor. XVI: *Vel etiam hiemabo?* an ad Tit. III: *Ibi enim statui hiemare?*

Quomodo autem diabolus inimicus et defensor sit, explicat ipse Paulinus epistola 4: *Ut destruat inimicum boni et defensorem mali.* Rosweydus.

Not. 116. *Sicut Abrahæ dedit.* — Videsis hæc expressa ex Paulino apud Eucherium (quisquis ille Eucherius sit; certe famoso illo Lugdunensi episcopo

C posterior est, cum Gregorium Magnum citet), lib. II Commentariorum in Genesim, cap. 17: *Sed quid hæc victoria Abrahæ de quinque regibus indicabat, quos ille fidei pater mysterio superavit, nisi quod fides nostra si confirmata sit in spiritu principali, totidem corporis nostri sensus Dei verbo subigat.* Quæ totidem verbis et Isidorus repræsentat, Commentariorum in Genesim, cap. 11, qui pro *mysterio* legit *in prælio*. Rectius Paulinus, et magis ad sensum sacrarum Litterarum hic victoriam Abrahami de quatuor regibus habet, et ad quatuor corporis elementa refert. Vere enim Abraham quatuor reges, qui Lot captivum ceperant, expugnavit. Rosweydus.

Not. 117. *Et sicut ille pro fratre quinque in regibus victo victor.* — Lectio hæc est ab amico Romano ingeniose ad rem præsentem et ex vestigiis veteris lectionis excogitata. Ante tantum erat: *Pro propinquo in regibus victor;* quæ tolerari poterat, ut apparet ex Eucherio **898** et Isidoro, qui ita loco jam citato ex-

D hibent: *Nam sicut ille de proximo in regibus victor exstitit; ita et fides pro anima victrix de exteriore homine triumphabit.* Rosweydus.

Not. 118. *Per litteram Græcam T.* — Etiam hæc Eucherius et Isidorus in Commentaria sua transtulere, ubi Eucherius etiam numerum 18, quem Paulinus hic præterit (nisi membrum hoc omissum fuerit a librariis ob difficultatem Græci numeri, ι et η, quod nominis Jesu compendium est), explicat: *Quod vero ille non in multitudine, nec virtute legionum, sed tantum in trecentis decem et octo comitantibus adversarios principes debellavit, jam tunc in sacræ crucis figuram* [*quæ per T litteram Græcam et* Jesu *nomen, qui per* ι *et* η *Græcis characteribus scribitur, qui Salvator interpretatur, in numero trecentorum decem et octo exprimitur*] *imaginabatur; quod nos Christi passio liberaret a dominatu quinque carnalium sensuum, qui nos antea variis vitiis captivatos exsuperaverunt.* Restitui apud Eucherium *imaginabatur* ex Isidoro, quod illi ad integrandum sensum deerat.

Uti Eucherius et Isidorus sua ex Paulino sublegere, A ita Paulinus ex amicissimo sibi Ambrosio quædam adumbravit. Ambrosius prologo libri de fide ad Gratianum : *Petis a me fidei libellum, sancte imperator, profecturus ad prælium. Nosti enim, fide magis imperatoris quam virtute militum quæri solere victoriam. Nam et Abraham trecentos decem et octo duxit ad bellum, et ex innumeris trophæa hostibus reportavit, signoque dominicæ crucis et nominis, quinque regum victriciumque turmarum subacto robore et ultus est proximum, et filium meruit et triumphum.* Idem libro I de Abraham, cap. 3 : *Numeravit*, inquit, *trecentos decem et octo, ut scias non quantitatem numeri, sed meritum electionis expressum. Eos enim adsciscit, quos dignos numero fidelium judicavit, qui in Domini nostri* Jesu *Christi passionem crederent. Trecentos enim T Græca littera significat, decem et octo autem summam* ι η (id est Jesus) *exprimit nomen. Fidei ergo merito*, etc. Ita legendus iste locus. Faustus quoque Rhegiensis de Spiritu sancto : *Sacer numerus, dicimus, quia trecenti in æra sive supputatione signum crucis* (T scilicet), *decem et octo vero* Jesu (scilicet ι η) *adorandum nomen ostendunt.*

Simili ratione Tertullianus lib. III adversus Marcionem, cap. 4, trecentos Gedeonis socios ad crucis mysterium refert,

> Hoc etenim signo prædonum stravit acervos
> Congressus populo Christi sine milite multo,
> Tercenteno equite (numerus Tau littera Græca).

Sic et Augustinus sermone 108 de Tempore : *Gedeon elegit trecentos viros ad prælium, ut ostenderet non in numero multitudinis, sed in sacramento crucis mundum ab incursu gravium hostium liberandum. Trecenti enim in Græca T similitudinem crucis ostendunt.* Et paulo post : *Gedeon typum gessit Domini Salvatoris. Et quia trecenti secundum Græcum computum* (T litteram innuit) *crucem faciunt, ita tunc Gedeon in trecentis viris Judæorum populum de crudelissimis gentibus eripuit, quomodo postea Christus per mysterium crucis totum genus humanum de potestate diaboli liberavit.* Item Gregorius Magnus lib. XXX Moral., cap. 17. *Tricenarius numerus in Tau littera continetur, quæ crucis speciem tenet. Cui si super transversam lineam id quod in cruce eminet adderetur, non crucis species, sed ipsa crux esset. Quia ergo iste trecentorum numerus in Tau littera continetur, et per Tau litteram, sicut diximus, species crucis ostenditur, non immerito in his trecentis Gedeonem sequentibus illi designati sunt, quibus dictum est : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Luc.* IX) : quæ totidem verbis repetit Isidorus in caput VII Judicum.

Eodem mysterio Ambrosius in Lucam lib. VI, cap. 7, explicat illud Johannis XII : *Potuit enim venumdari trecentis denariis.* Ait : *Trecenta autem æra crucis insigne declarant.* Rosweydus.

Not. 119. *Cujus mysterii virtute trecentis... cubitis.* — Idem mysterium in trecentis cubitis Arcæ recognoscit Isidorus cap. 7 in Genesim : *Potest quidem et in his trecentis cubitis signum ligni passionis ostendi. Ipsius enim litteræ T numerus crucis demonstrat signum, per quod socii Christi passionis effecti per baptismum, longitudinem vitæ æternæ percipimus.* Quæ totidem verbis Beda repetit QQ. super Genesim, ubi loco *per quod* rectius *quo* habet. Supplenda tamen apud eum littera T, quæ textui ejus deest. Rosweydus.

IN EPIST. XXV.

Not. 120. *Exterminati sunt.* — Locus est apud Sophoniam proph. I, 2 : Καὶ ἐξωλοθρεύθησαν πάντες οἱ ἐπηρμένοι ἀργυρίῳ. *Et exterminati sunt omnes, qui erecti sunt argento.* Vulgata Latina : *Disperierunt omnes involuti argento.* Similis sententia est Ecclesiastici XXXI, 5 : **899** Ὁ ἀγαπῶν χρυσὸν, οὐ δικαιωθήσεται, καὶ ὁ διώκων διαφθορὰν, αὐτῆς πλησθήσεται. *Qui aurum diligit, non justificabitur ; et qui insequitur corruptionem, ipsa replebitur.* Vulgata : *replebitur ex ea.* Duc.

Sic Baruch. III, vers. 18 et 19 : *Qui argentum thesaurizant, et aurum, in quo confidunt homines, et exterminati sunt.* Rosweydus.

Not. 121. *Satis felicior est.* — Ita subinde amant loqui autores, nunc *magis*, nunc *satis* comparativo gradui jungendo. *Magis fortior.* Arnobio lib. I et sæpius apud Plautum. *Satis* hic valet *valde*, ut Cypriano epist. 20 *litteræ satis sobriæ.* Julio Capitolino in Marco Antonio, *satis nobilis.* Ælio Spartiano in Severo *studiis satis deditus.* Ruffino ad Gaudentium : *Ne a sermonibus quidem satis elocutionibusque discedere.* Rosweydus.

Not. 122. *Ut protectores efficiamini.* — Suidas : Προτέκτωρ εἶδος ἀξιώματος Ῥωμαϊκοῦ. *Protector, Romanæ dignitatis genus.* Glossæ Basilicorum : Πριμοσκουτάριοι. ὑπερασπισταὶ οἱ νῦν λεγόμενοι Προτέκτορες. *Primoscutarii, propugnatores, qui nunc dicuntur Protectores.* Menander de Legat. : Προτέκτωρ δηλοῖ παρὰ Ῥωμαίοις τὸν εἰς τοῦτο καταλεγόμενον ἀξίας, τὸν βασίλειον προσκεπαστήν *Protector significat apud Romanos*
B *regium propugnatorem, ad id genus dignitatis electum.* Instituti sunt a Gordiano Juniore. Cedrenus : Μετὰ δὲ τοῦτον ἐβασίλευσεν Ἰουνίωρ μῆνας τρεῖς, ὃς πρῶτος ἐποίησε κανδιδάτων καὶ προτέκτορας. *Post hunc regnavit Gordianus Junior mensibus tribus, qui primus instituit candidatum et protectores.* Frequens *protectorum* mentio apud Ammianum, *domestici* lib. XIV, XV, XVIII, XXI, XXVI, *ducis Mesopotamiæ* lib. XVIII. Rosweydus.

Protectores. — Corporis imperatoris custodes, qui *principis latus protegebant*, ut est in lib. IX cod. Theod. de Protectoribus. Horum scholam instituisse Gordianum autor est Cedrenus, quæ longe dignioris ordinis ceteris Palatinis scholis habita est : adeo ut Constantius, Constantini M. pater, protector, deinde tribunus fuerit, ad idque muneris militantes fere omnes adspirarent. Jul. Firmicus lib. III Matth. cap. XIV : *Faciet scutarios, vel imperatorum protectores, vel qui proprio excubitu salutem principibus servent.*
C Cangius, in Glossar. Lat., tom. III, pag. 448.

IN EPIST. XXVI.

Not. 123. *Sebastiano.* — *Sebastianus* hic fortassis est cujus meminit Severus, dialogo 3, cap. 1 : *Hæc me loquente, Gallo jam ad narrandum parato, irruit turba monachorum, Evagrius presbyter, Aper, Sebastianus, Agricola.* Rosweydus.

IN EPIST. XXVII.

Not. 124. *Florere Clarum.* — Clari hujus aliquoties fit mentio apud Paulinum. Epitaphium ei scripsit Paulinus, quod habes epistola 12. Sepultus fuit in domestica Severi Ecclesia, uti ibidem habetur. Meminit ejus Severus epistola 2 ad Aurelianum diaconum de obitu S. Martini, et in Vita S. Martini, cap. 25. Solemnis ejus memoria adscribitur in Martyrologio Romano 8 Novembris, et Turonis ponitur. Rosweydus.

IN EPIST. XXVIII.

Not. 125. *Endelechium.* — Notat Sirmondus noster ad Sidonium epistola 8 libri IV. Endelechii hujus, qui
D Romæ rhetor cathedram tenuit, mentio exstat in veteri annotatione codicis Apuleiani in bibliotheca Vaticana : *Ego Salustius legi et emendavi Romæ feliciter, Olybrio et Probino coss. in foro Martis controversiam declamans oratori Endelechio. Rursus Constantinopoli recognovi Cæsario et Attico coss.* Fuit hic Severus Sanctus Endelechius, orator et poeta Christianus, cujus exstat breve carmen de mortibus boum. Rosweydus.

Not. 126. *Theodosio.* — Meminit Hieronymus epistola 13 ad Paulinum libri pro Theodosio ab eodem compositi, quem ait *prudenter ornateque compositum.* Meminit ejusdem Cassiodorus lib. I Sacrar. Lection., cap. 21 ; item Gennadius in Catalogo virorum illustrium, cap. 48, qui *Panegyricum super victoria tyrannorum* vocat. Rosweydus.

IN EPIST. XXIX.

900 Not. 127. *Dum asperitate setarum compungi-*

mur. — ¶ Olim monachi confectas ex camelorum pilis vestes deferebant, ut inde liquet, et ex Sulpicio de Vita S. Martini, c. 7, in descriptione ordinis monastici a S. Martino instituti : *Plerique*, inquit, *camelorum setis vestiebantur, mollior ibi habitus pro crimine erat.* Paulinus Petricordias lib. II Vitæ ejusdem S. Martini :

> Multis vestis erat setis contexta cameli,
> Quæ levibus stimulis vigiles compungeret artus,
> Excludens tenuem compuncta carne soporem,
> Mollia ne fluxum nutrirent mollia corpus,
> Lascivæ et tenui vestis fluctaret amictu.

Inde suspicor monachorum cilicia et almucias canonicorum traxisse originem, quod et ipsi vestes e pellibus carni proximas olim induerint, exemplo S. Johannis Baptistæ pilis camelorum vestiti et zona pellicea circa lumbos præcincti, ut testantur Matthæus c. III, et Marcus c. I; sed et epist. 49 ad Macarium Paulinus *pellibus sutis vestitum Vagium, prævii Johannis habitum veste setigera imitantem*, dicit n. 12.

Not. 128. *Natalium sancti, dictionem fecisse meritorum.* — In codice P. (nunc Regio) legebatur *natalium sanctis dictionem*, quemadmodum et in eo ms. cujus meminit Cauchius, ideoque conjicit emendandum, *sanctis adjectionem fecisse meritorum :* sed minori immutatione libens substituerem, *sanctis auctionem fecisse meritorum.* Favet huic suspicioni nostræ quod sequitur : *Auxit meritum sacerdotis commemorata nobilitate conjugii.* Duc.

Sed et Paulinus hic non minus lectioni Cauchii favet. Nam præcedit : *adjiciens nomen ex infulis.* Retineo tamen vulgatam lectionem, capioque *dictionem* uti apud Ennodium; quam dictionem præclare Sirmondus noster Sidonio restituit lib. VIII, epistola 11 : *Hic ut arreptum suaserat opus, ethicam dictionem pro personæ, temporis et loci qualitate variabat:* ubi male ante, *et hic additionem :* cedro digna correctio. Rosweydus.

Not. 129. *Marcellino consule avo.* — Edit. *Grin.* in marg. : Marcellinus et Probinus coss. anno Christi 342, temporibus Constantini et Constantii. *Schol.* edit. in marg. : Hieronymus hanc putat filiam Marcellini : verum Ruffinus, in secunda Invectivarum ad Hieronymum, neptem ipsius dicit.

Not. 130. *Viliore asellis burico.* — Non fuit causa cur in margine adderent quidam : Alii, *burdico.* Vox est non illius solum ævi scriptoribus, sed etiam antiquioribus nota, quæ non burrhum, aut pyrrichum, vel aliquod indumenti genus rufum significat, ut quidam in suis in S. Hieronymi epistolas notis scripserunt; neque a Buris Achaiæ urbe deductum est nomen, ut putat Erasmus, unde mitterentur burici : sed veteres interpretes Horatii in oden 27, lib. I, docent *mannos* dici, *equos, parvos burdos, seu buridos :* et in Epod. IV : *Manni equi sunt, quos vulgo burdones sive burichos nominamus :* et epist. 7 lib. I : *Mannis, parvis equis burichis.* Glossarium vetus, *Mannis*, βουρίχοις. Id in causa fuit, ut duobus in locis apud S. Hieronymum, ubi de mannis fit mentio, quidam addiderint in margine *buricis*, quæ vox postea in textum irrepsit, ut in Commentario in cap. X Ecclesiasticæ : *Subita a diabolo dignitate perflati vias publicas mannis terunt, quos vulgo lubricos vocant.* Ita vetus editio Frobeniana; sed recentiores, *quos vulgo buricos vocant :* at in editione Mariani Victorii illud glossema sublatum est, et epistola 26 idem Hieronymus : *Ubi videris fumare patinas, ubi argenti pondus, ubi ferventes buricos mannos, comatulos pueros, pretiosas vestes.* Sed abesse a quibusdam libris mss. vocem *buricos* testatur Erasmus, quæ in optimo libro V. C. Nicolai Fabri τοῦ μακαρίτου nusquam comparet, et videtur assuta, ut indicetur quid vocet mannos, hoc est, parvos et admodum viles equos conductitios. Retinuit hanc vocem Aquitanica nostra et Gallica dialectus, sed ad asellos tantum indicandos, quos *bourriques* et *bourriquets* appellant. Duc.

Not. 131. *Filia Babylonis.* — Baronius, tomo IV, anno Christi 397 : Quam, inquit, urbem cum sic nominet filiam Babylonis, ut tamen in pluribus dicat eam præ se ferre filiam Sion, facile puto intelligis, ea nominis unius urbis varietate discriminatos esse gentiles a Christianis; nimirum ut ea ex parte Roma Babylon dicatur, ubi adhuc in ea gentilitia vigeret impietas; Sion autem in pluribus, utpote quæ Christianis abundaret, **901** in quibus cultus religionis veræ micaret.

Existimo potius Romam hoc tempore dictam Paulino Babylonem, uti et Hieronymo, ratione turbarum et illecebrarum, quarum Romæ magna erat copia, cum Hierosolymis quies esset, ut clare hic Paulinus. Ita Hieronymus epistola 17 ad Marcellam, quam nomine Paulæ et Eustochii conscripsit, ut eam Roma Hierosolymam evocaret, proponit ei tumultus Urbis. Idem facit epistola 18, quam suo nomine ad eamdem Marcellam scribit. Vide hæc fuse explicata contra hæreticorum calumnias in Anti-Capello meo, cap. 5. Rosweydus.

Not. 132. *Martinum... recitavi.* — Primum fuisse Paulinum, qui Romanæ urbi Martini Vitam notam fecerit, testatur Posthumianus apud Severum dialog. 1, cap. 16 : *Primus eum Romanæ urbi vir studiosissimus tui Paulinus invexit.* Rosweydus.

Not. 133. *Nicetæ qui ex Dacia... advenerat.* — Baronius tomo V, anno Christi 397, primum Nicetæ Romam adventum ex numero Natalium S. Felicis a Paulino editorum ita deducit. Cum Paulinus, inquit, scribens (*Epist.* 28) ad Severum testetur quolibet anno se statuisse conscribere versibus ejusdem Felicis Natalitium, plane ex numero eorumdem annos quoque licebit suo ordine adnumerare. Sed cum in nono a Paulino edito Natalitio mentio habeatur de posteriori ejusdem Nicetæ adventu Nolam, eumque contigisse dicat anno quarto a priori ipsius adventu, affirmare opus est ipsum ejus priorem adventum, tempore quo Natalitium quintum elaboravit, accidisse. De ejus enim posteriore adventu, quo meminit de priore, isti sunt versus (*Natal.* 7) :

> Venisti tandem quarto mihi redditus anno :
> Sed grates Christo, quia te vel sero revexit.

Cum igitur hac ratione priorem ejus adventum contigisse oportuerit tempore quinti editi Natalitii; in quem Domini annum illud potissimum inciderit, hoc exquirendum est.

Numeranda quidem esse Natalitia illa Paulini ab ultimo anno, quo adhuc detentus in Hispania Romam parabat adventum, ex ipso satis intelligi potest. Fuit ille annus Domini 393. Sequenti autem, cum jam ad natalem diem sancti Felicis Nolam se contulisset, secundum ordine edidit Natalitium. Cum vero, ut ejus testificatione liquet, jam annum apud eumdem Felicem egisset in ipso agro Nolano, quando et legationem ab episcopis Africanis suscepit, qui fuit annus Domini 395, tertium ab eo scriptum est Natalitium; sequenti vero anno, nempe superiori, quartum. Unde hoc ipso anno 397 ipsum quintum elucubratum fuisse Natalitium, necessario dicendum est : quo tempore et Nicetæ adventum contigisse, æque opus est affirmare; cum a quinto Natalitio usque ad nonum numerus ille perficiatur annorum quatuor, quo Nicetas reditum in Italiam prorogavit. Rosweydus.

IN EPIST. XXX.

Not. 134. *Sed pauper ego.* — Hinc usque ad *ut qui naturali*, citat Augustinus epistola 106 ad Paulinum, quæ in quibusdam libris male inscripta est *Bonifacio;* ejus enim tamquam ad Paulinum missæ meminit ipse Augustinus libro de Dono perseverantiæ, cap. 21 : *Ipsam epistolam, quam jam contra Pelagianos ad sanctum Paulinum Nolanum episcopum feci, cui epistolæ contradicere modo cœperunt, nonne ante annos plurimos edidi? Eam quoque inspiciant, quam dedi ad Sixtum Romanæ Ecclesiæ presbyterum, quando adversus Pelagianos acerrima conflictatione certavimus, et talem reperient, qualis est illa ad Paulinum.*

Meminit ejusdem et Prosper c. 43 contra Collatorem: A *Ut itaque omittamus ea volumina, in quibus ab exordio episcopatus sui, multo prius quam impugnatores gratiæ exsurgerent, pro gratia disputavit, legantur tres ad Marcellinum ipsius libri, ad sanctum Paulinum Nolanum episcopum epistola retractetur.* Rosveydus.

Not. 135. *Ad nihilum redigat.* — Verba sunt psalmi LXXII, 20: Ὡσεὶ ἐνύπνιον ἐγειρομένου, κύριε, ἐν τῇ πόλει σου τὴν εἰκόνα αὐτῶν ἐξουδενώσεις. *Velut somnium exsurgentis, Domine, in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Illud autem, *in civitate circumstantiæ*, ex psalmo desumtum est XXX, 22: Ὅτι ἐθαυμάστωσε τὸ ἔλεος αὐτοῦ ἐν πόλει περιοχῆς. *Mirificavit misericordiam suam in civitate munita.* Ad verbum, *in civitate munitionis*, et ita Felix Pratensis ex Hebræo vertit ut psal. LIX, 2: Τίς ἀπάξει με εἰς πόλιν περιοχῆς; *Quis deducet me in civitatem munitam?* IV Reg. XXIV, 10: Ἦλθεν ἡ πόλις ἐν περιοχῇ, *Civitas circumdata est munitionibus.* Vox Hebræa vertitur ὀχύρωμα, *propugnaculum, munitio*, Zachariæ IX, 3. Hoc loco B psalmi XXX Theodoretus profert ex Symmacho: Ὡς ἐν πόλει **902** περιπεφραγμένῃ. *tamquam in civitate circummunita.* Apud Augustinum et in veteri Psalterio περιοχῆς vertitur *circumstantiæ*, quemadmodum et ab autore Vulgatæ Latinæ psalmo CXL, 3: καὶ θύραν περιοχῆς περὶ τὰ χείλη μου. *Et ostium circumstantiæ labiis meis.* Duc.

Not. 136. *Neque ceris liquentibus.* — Basilius hom. contra Sabellianos, pag. 805: Ξύλα καὶ κηρὸς, καὶ ζωγράφου τέχνη τὴν εἰκόνα ποιεῖ φθαρτὴν φθαρτοῦ μιμημα. *Et pingendi artificium facit imaginem corruptibilem hominis corruptibilis figuram.* Solebant enim ceris pingere, et picturam inurere, ut docet Plinius lib. XXXV, cap. 11, et lib. XXI, cap. 14, scribit ceram varios in colores pigmentis trahi, unde κηρογραφία, ejusmodi artificium, et κηροχυτεῖν, ceram fundere et liquare: quam ob causam Patres Græci, cum de picturis agitur, ceræ quoque meminerunt. Chrysostomus homil. Quod unus est Veteris et Novi Testamenti legislator: Ἐγὼ καὶ τὴν κηρόχυτον ἠγάπησα γραφὴν εὐσεβείας πεπληρωμένην. *Ego et cera perfusam dilexi picturam pietate repletam*; et homil. Εἰς τὸν νιπτῆρα in pelvim seu lotionem feriæ 5: Οὐ σανίδα τιμῶσιν οὐδὲ τὴν κηρόχυτον γραφὴν, ἀλλὰ τὸν χαρακτῆρα τοῦ βασιλέως. *Non tabulam honorant, neque perfusam cera picturam, sed figuram imperatoris.* Citatur locus uterque in synodo VII œcumenica, act. 4, ubi altera interpres melius forte κηρόχυτον vertit *ex cera fusilem imaginem*, vel ex cera fusili constantem. Duc.

IN EPIST. XXXI.

Not. 137. *Primuliacum.* — Ejusdem meminit epist. 12 ad Severum: *Aliam apud Primuliacum nostrum, et priore majorem basilicam præparasse cognovimus.* Fuerit non longe ab Elusone in Nitiobrigibus, ubi Severus maxime degebat.

Apud Gregorium Turonensem de Gloria confessorum, cap. 50 et 51, mentio est Severi cujusdam, qui in territorio Burdegalensi infra terminum Beorretanæ urbis in vico Sexciacensi presbyter fuit, nobili stirpe progenitus, ubi duas ecclesias ædificavit in sessione ruris sui. Severus quoque noster Paulini duas basilicas diversis locis ædificavit: unam, cujus meminit Paulinus epist. 12 ad Severum, sed locum non exprimit; alteram priore majorem apud Primuliacum, cujus ibi item meminit. Si loca quadrare possent, omnino unus idemque Severus statuendus esset. Rosveydus.

Not. 138. *Benedicta Melanius.* — ¶ Sic ms. Viennensis codex, et sic legendum. Ob præclaras enim animi dotes et eximias virtutes illustris hæc mulier masculino nomine fuit a Paulino donata, ita ut eam nec femina dici vellet: *Ad quam tandem*, inquit epist. 29, n. 6, *feminam? si feminam dici licet tam viriliter Christianam.* Hac igitur de causa idem Paulinus in epist. 28 ad eumdem Severum, n. 5, dicit *sanctæ Melani*, juxta lectionem ms. codicis Regii. Item in epistola 29 ejusdem ad eumdem, n. 5, editio Schotti habet *Melanii*; in epistola 32 ad eumdem, n. 11, v. 5, ex mss. codicibus Reg. et Vien. et edit. Schot. legimus *Melani sanctæ*; et in epistola 45 ad Augustinum, n. 3, legitur *de beata hujus filii matre... Melanio.* Non ingratum erit, ut opinor, lectori, si ad correctionem nostram stabiliendam hic aliquid inseratur ex Henrici Norisii Augustiniani Adventoria P. Francisco Macedo. « Cum (inquit pag. 4 et 5 lib. I Histor. Pelagianæ, cap. 15) expenderem inscriptionem librorum S. Augustini *de Gratia Christi, et de Peccato originali*, nempe: *Sincerissimi fratres, dilecti a Deo Albine, Piniane et Melania*, non admisi correctionem Baronii qui, an. 409, pro *Albine* putavit *Albina* reponendum; nisi, addit ibidem, *præter Albinam matrem fuerit illic Albinus filius.* Etenim ea ætate feminarum nomina non semper feminina terminatione efferebantur. Paulæ filia neutræ terminationis cognomen habuit, nempe *Eustochium.* Immo mulierum nomina a SS. Patribus cum terminatione masculina id temporis exprimi solita affirmavi. Ita Albinam junioris Melaniæ matrem passim *Albinus* in recto casu vocatam indicavi. Augustinus præter inscriptionem libri *de Gratia Christi*, hunc titulum epistolæ 227 dedit: *Albino, Piniano et Meliano*; ubi certum est legendum esse *Melanio.* Hieronymus epist. 79 ait: *Albinus, Pinianus, Melania salutant vos.* Possidius Calamensis in indice Librorum S. Doctoris Hipponensis scribit libros *de Gratia Christi et Peccato originali* missos *ad Pinianum, Albinum et Melaniam.* Ita Patres qui anno 400 florebant Albinæ nobilissimæ feminæ nomen scripsere. » Qui plura volet consulat eumdem doctissimum Henricum *Noris* Augustinianum, in Adventoria P. Francisco Macedo, in qua fuse disputat de inscriptione libri S. Augustini de Gratia Christi, *Albine, Piniane et Melania.* De Melania autem vide **903** Palladium Lausiac., c. 117 usque ad 214. Vide not. 194.

Not. 139. *Discussis.* — Ea verior lectio, ut intelligatur de Judæis, qui discussis et resignatis suis si- C gnaculis (Judæi enim *munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus* Matth. XXVII), repererunt sepulcrum vacuum, nec tamen resurrectioni fidem habuerunt. Ita Gretzerus noster tom. II de Cruce, ad epistolam hanc Paulini. Bignæus in Parisiensi editione monet reponendum *indiscussis*, ut referatur ad Christum clauso et non resignato sepulcro resurgentem. Rosveydus.

Not. 140. *Simulacrum Jovis.* — Præter Ruffinum, Socratem, Theodoretum et Sozomenum, quos in margine addidit nescio quis in editione Parisiensi, testatur omnibus illis antiquior Eusebius lib. III, c. 25 de Vita Constantini, Veneris non Jovis simulacrum in loco passionis et sepulturæ Domini erectum fuisse: Δεινὸν ὡς ἀληθῶς ταφεῶνα ψυχῶν κατασκευάζουσι νεκρῶν εἰδώλων, σκότιον Ἀφροδίτης ἀκολάστῳ δαίμονι μυχὸν οἰκοδομησάμενοι. *Nefandum revera et exsecrabile bustum animarum construxere, et recessum lascivo Veneris dæmoni ædificarunt.* Omisit Interpres vocem D σκότιον, quam si referas ad μυχὸν, tenebricosum et obscurum recessum fuisse intelliges; vel potius pro σκότιον legendum, ut apud Sozomenum lib. II, c. 11, ζώδιον, vel certe, ut fert alia lectio Christophorsoni, ξόανον ἱδρύσαντο, *simulacrum defixerunt.* Itaque sic emendabitur Eusebii locus: Νεκρὸν εἰδώλου ξόανον Ἀφροδίτης ἀκολάστῳ δαίμονι, καὶ μυχὸν οἰκοδομησάμενοι. *Bustum animarum construxere, ac mortuum idoli simulacrum lascivo dæmoni Veneris, et recessum ædificarunt.* Atque ita convenient hæc cum illis Paulini quæ sequuntur, *stabat simulacrum dæmonis, et ara simulacri pecudum busto fumabat* (sic enim potius emendandum videtur quam, cum Cauchio, *busta fumabant*), *et Dei nomen deferebatur statuis mortuorum.* Vide etiam Nicephorum l. VIII, c. 28. Conveniunt et cum Veneris simulacro illi planctus quibus ait postea Paulinus *Veneris amasium mixtas semiviris planxisse meretrices*; nam et horum mentio fit apud Ezechielem, cap. VIII, v. 14: *Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* LXX dixerunt: καὶ ἰδοὺ ἐκεῖ γυναῖκες

καθήμεναι θρηνοῦσαι τὸν Θαμμούς. *Et ecce illic mulieres plangentes Thammus*. Theodoretus : Ὁ Θαμμαοὺς ὁ Ἄδωνίς ἐστι κατὰ τὴν Ἑλλάδα φωνήν. *Thammus, secundum linguam Græcam, Adonis est.* Hieronymus in Commentario : *Quia juxta gentilem fabulam in mense Junio amasius Veneris et pulcherrimus juvenis occisus, eumdem Junium mensem eodem appellant nomine, et anniversariam ei celebrant solemnitatem, in qua plangitur a mulieribus quasi mortuus, et postea reviviscens canitur atque laudatur.* Plutarchus in Alcibiade : Ἀδωνίων γὰρ εἰς τὰς ἡμέρας ἐκείνας καθηκόντων εἴδωλα πολλαχοῦ νεκροῖς ἐκκομιζομένοις ὅμοια προὔκειντο ταῖς γυναιξί, καὶ ταφὰς ἐμιμοῦντο κοπτόμεναι, καὶ θρήνους ᾖδον. *Incurrentibus enim in dies illos Adoniis, simulacra passim mortuis qui efferuntur similia exponebant feminæ, et exsequias planctibus repræsentabant cantilenisque lugubribus.* Duc.

Videatur μνημονικὸν ἁμάρτημα Paulini, nisi *passionis locum* late capias, ut comprehendat etiam locum resurrectionis. In eo enim statua Jovis posita fuit, in loco vero passionis statua Veneris. Hieronymus epistola 13 ad Paulinum de Institutione monachi : *Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini, per annos circiter centum octoginta, in loco resurrectionis simulacrum Jovis, in crucis rupe statua ex marmore Veneris a gentibus posita colebatur; existimantibus persecutionis autoribus, quod tolerent nobis fidem resurrectionis et crucis, si loca sancta per idola polluissent. Bethleem nunc nostram, et augustissimum orbis locum, de quo Psalmista canit :* Veritas de terra orta est (*Psal.* XLVIII, *vide Hier. in cap.* VIII *Ezech.*), *lucus inumbrabat Thamuz, id est Adonidis; et in specu ubi quondam Christus parvulus vagiit Veneris amasius plangebatur.* Veneris statuam in loco passionis collocatam testatur etiam Alexander monachus homilia de Inventione S. crucis et Georgius Hamartolus in Chronico. Unde ab hac Veneris statua Calvariæ mons appellatus videtur *Venerarium*. Ambrosius in psalmum XLVII : *Dominus secundum cœli tractum in Venerario passus est, qui erat locus in latere Aquilonis.* Mons autem Calvariæ ad latus est aquilonis. Vide Gretzerum nostrum de Cruce lib. I, cap. 62. Rosveydus.

Not. 141. *Conregnabat.* — Doctissimus Cauchius corrigebat, *filium rogabat, ut sibi :* nos suspicabamur minori immutatione scribendum, *Dominum rogabat;* sed facessant oportet conjecturæ, cum manifestum sit Sulpicii Severi vestigiis insistere Paulinum, cujus Annalium vel historiæ fecit ante mentionem, *Ut quæ de annalibus non unius gentis, sed generis humani fugerint;* nisi forte ex alterius cujuspiam historici monumentis narrationem uterque hausit. Sic ergo Sulpicius lib. II Histor. sacræ : *Nam Helena mater principis Constantini, quæ Augusta cum filio conregnabat,* **904** *cum Hierosolymam agnoscere concupisceret, reperta ibi idola ac templa protrivit.* Restituendus ergo videtur locus hoc pacto : *Cum Hierosolymam agnosceret, filium rogabat, cum quo Augustæ nomine conregnabat, ut sibi facultatem daret.* Unde et paulo post subjicit Paulinus, *prompto filii imperatoris adsensu mater Augusta.* Voluit igitur ut Augusta diceretur mater Helena Constantinus, ideoque regnasse cum filio illa dicitur, cum Hierosolymam agnosceret, hoc est, *cum loca sancta reviseret*, ut loquitur Ambrosius in concione de obitu Theodosii, qui veritatem etiam istius historiæ autoritate sua corrobat. Duc.

Not. 142. *Numquam tegi marmore.* — Id miraculum ad hanc usque ætatem perseverare testatus nobis est R. P. Franciscus Canillacius nostri ordinis presbyter, cum Constantinopolim pergens sancta illa loca peregrinus voti solvendi causa inviseret. Sed et aliud de iisdem vestigiis miraculum narrat Sulpicius Severus, quod omittendum a nobis non est, cum simile de cruce Christi subjiciat Paulinus. *Ut cum quotidie,* inquit Sulpicius, *confluentium fides certatim Domini culcata diripiat, damnum tamen arena non sentiat.* Paulinus infra : *Quæ quidem crux innumeris quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta*

A *non sentiat, et quasi intacta permaneat, quotidie dividuam sumentibus et semper totam* (leg. *dividua... tota*) *venerantibus.* Duc.

Hieronymus libro de Locis Hebraicis : *Ad orientem Hierosolymæ, torrente Cedron interfluente, ubi ultima vestigia Domini humo impressa hodieque monstrantur, cumque terra eadem quotidie a credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuo recipiunt.* Severus lib. II sacræ Historiæ : *Illud mirum quod locus ille, in quo postremum institerant divina vestigia, cum in cœlum Dominus nube sublatus est, continuari pavimento cum reliqua stratorum parte non potuit.* Paulinus lib. V de Vita S. Martini :

Aut hinc jam reducis gavisa ad sidera Christi,
Postrema excepit felix vestigia tellus,
Quæ tam sanctifici conservans munera tactus,
Quidquid ad ornatum commentum dextra paravit
Dedignata suis longe discussit arenis.

B Beda lib. de Locis sanctis, cap. 7 : *Ultima Domini vestigia, cœlo desuper patente, ubi adscendit, visuntur; quæ cum quotidie a credentibus terra tollatur, nihilominus manent, et eamdem adhuc speciem sui, velut impressis signata vestigiis, servant.* Quod equidem eo mirabilius censeri debet, cum in obsidione Hierosolymæ mons hic ab exercitu Romano insessus sit, quis dubitet multa tunc ibi subversa et effossa ? Locus tamen hic tanto post tempore illæsus mansit. Rosveydus.

Not. 143. *Ut detrimenta non sentiat.* — Cyrillus, cathec. 10, ex hac crucis multiplicatione et dispersione, quæ tamen semper integra manet, colligit Christi Divinitatem. Τὸ ξύλον τὸ ἅγιον τοῦ σταυροῦ μαρτυρεῖ, μέχρι σήμερον παρ' ἡμῖν φαινόμενον, καὶ διὰ τῶν κατὰ πίστιν ἐξ αὐτοῦ λαμβανόντων, ἐντεῦθεν τὴν οἰκουμένην πᾶσαν σχεδὸν ἤδη ἐπλήρωσαν. *Lignum crucis Christum testatur, ad hodiernam diem apud nos apparens, et apud eos qui secundum fidem ex illo hinc capientes universum orbem fere jam repleverunt.* Ros-
C veydus.

IN EPIST. XXXII.

Not. 144. *Infantes niveos... habitu.*—Idem Paulinus in epistola 49 ad Macarium, n. 14, de recens baptizato Valgio, *quem ad unanimitatem tuam, de rudi matris Ecclesiæ fœtu immaculatum candente lanitio, pastor exigui gregis, sed magni pignoris munerator, ut xenium spiritale transmisi.* Hic denotatur alba, seu vestis candida quam induebant recens baptizati in puritatis et innocentiæ quam profitebantur symbolum. Statim enim atque de fonte nudi egrediebantur, stola alba induebantur. Albis autem vestibus ideo post baptismum indutos Christianos opinantur passim viri doctiores, quod (ut ait S. Paulus ad Ephesios, c. V) *antea tenebræ erant, nunc autem lux in Domino;* quæ est sententia Clementis Alexandrini lib. I Pædag., cap. 6. Unde *nova baptismatis lux* baptismus dicitur in cod Theod., Græcis φώτισμα. Vide Theodulfum Aurelianensem de Ordine baptismi cap. 14.
D S. Zeno Veron. ep. Invit. 2 ad fontem : *In fontem quidem nudi demergitis, sed ætherea veste vestiti mox inde surgetis.* Lactantius carm. de Resurrectione :

Candidus egreditur nitidis exercitus undis.

Ordo Romanus : *Et deportantur ipsi infantes* (baptizati) *ante eum* (episcopum), *et dat singulis stolam candidam, et chrismale, et decem siliquas, dicens : Accipe vestem candidam et immaculatam, quam perferas ante tribunal D. N. Jesu Christi in vicem æternam.* Concilium Rotomagense anno 1050, can. 19 : *Ut baptizati, in eadem ecclesia* **305** *in qua regenerationis gratiam acceperunt, et in qua parochiani exsistunt, per octonos dies in albis repræsententur cum cereis ardentibus.* Conradus Uspergensis anno 1124 : *Infantes suos in sabbato sancto Paschæ et Pentecostes cum candelis et cappa quæ dicitur vestis candida, et patrinis comitantibus ad baptismum deferant, eosque veste innocentiæ indutos per singulos dies usque in octavum*

diem ejusdem sabbati ad ecclesiam deferant et celebrationi divini officii interesse satagant. Ubi *cappam* appellat quod alii *chrismale*. Dabantur albæ sumtu Ecclesiæ, ut innuit Greg. M. lib. VII, indict. 1, ep. 2. Ejusmodi porro vestis *albæ* baptizatorum mentio est passim apud scriptores, Dionysium, de Hierarch. eccl. cap. 1, 2, 5; S. Cyrillum, cathec. 4; Jobium apud Photium, n. 223; Johan. Moschum, cap. 207; Socratem, lib. VII, c. 17; S. Augustinum, ep. 168, serm. 137 de Tempore; S. Ambrosium, lib. de His qui mysteriis initiantur; Prudentium, lib. I adversus Symmachum; Gregorium M., lib. VII, indict. 2, epist. 5: Fortunatum, lib. V, poem. 4; Gregorium Turonensem, lib. V, cap. 11 de Vitis Patrum cap. 1; Lambertum in Vita S. Heriberti archiepisc. Coloniensis, n. 21; Alcuinum de Officiis divinis; Rabanum Maurum, de Institut. cleric. lib. I, cap. 29, Amalarium, lib. de Ecclesiast. Officiis, c. 29, 33; Honorium Augustod., lib. I, cap. 243; Durandum, lib. VI Ration., cap. 82; in concilio Insulano an. 1288, c. 17, etc. Quod vero de baptizandorum et baptizatorum nuditate tradunt scriptores, quidam in dubium vocant de sequiori sexu. Verum id etiam de iis desertim refertur a Chrysostomo in epistola ad Innocentium, Johanne Moscho cap. 3, Cypriano, seu autore libri de Singularitate clericorum, et in concilio IV sub Menna, act. 5, p. 751 edit. Colon. 1618. CANGIUS in Glossar. Lat., tom. I, pag. 121.

Not. 145. *Ut sacros cineres.* — Dedicatio templorum fieri non poterat sine reliquiis sanctorum. Synodus VII, canone 7: Ἐπίσκοπος χωρίς ἁγίων λειψάνων καθιερῶν ναὸν καθαιρείσθω ὡς παραβεβηκὼς τὰς Ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις. *Episcopus absque lipsanis consecrans templum deponatur, ut ille qui ecclesiasticas traditiones transgreditur.*

Balsamon, lib. I, respons. 38: Διαφορὰ μεγάλη ἐστὶν Ἐκκλησιῶν καθιερωθεισῶν δι' ἐγκαινίων ἀνοίξεων, καὶ ἐνθρονιασμοῦ, χρίσματός τε ἁγίου μύρου, καὶ ἀποθέσεως λειψάνων ἁγίων μαρτυρικῶν, καὶ τῶν μὴ οὕτως ἁγιασθεισῶν. *Magna differentia est inter ecclesias consecratas per encœnia, apertiones, embroniasmum, sacri unguenti unctionem, et collocationem sanctarum reliquiarum martyrum, et eas quæ sic sanctificatæ non sunt.*

Ambrosius epist. 85 ad sororem suam Marcellinam de reliquiis Gervasii et Protasii: *Cum basilicam dedicassem, multi tamquam uno ore interpellare cœperunt, dicentes: Sicut in Romana basilicam dedices. Respondi: Faciam, si martyrum reliquias invenero.*

Metaphrastes 19 Junii apud Surium de Theodosio, qui assumtis partibus Gervasii et Protasii Constantinopolim profectus erat: *Ante hanc magnam itaque civitatem eis excitat pulchrum et elegans templum, et in ea sacras martyrum reliquias deponit, tamquam thesaurum super millia (divinus dicit David [Psalm.* CXVIII]) *auri et argenti.*

Paulus Diaconus in Justiniano: *Facta sunt encœnia sanctorum apud Constantinopolim, et recondita sunt* λείψανα *Andreæ et Lucæ apostolorum, et transiit Menas episcopus cum sanctis* λειψάνοις, *sedent in carruca aurea imperatoria lapidibus insignita, tenens tres thecas sanctorum apostolorum in genibus suis, et ita encœnia celebravit.* ROSVEYDUS.

Not. 146. *Crux, corpus, sanguis, martyris ipse Deus.* —Brouverus noster ad librum III Fortunati, carmine 25, capit hoc de corpore Christi in altari olim sub cruce composito, cujus ritus meminit synodus Turonensis II anno Christi 570 celebrata, tempore Johannis papæ III, et 6 Chariberti regis, canone 3, cum decernit, *Ut corpus Domini in altari non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur.* Hinc idem Fortunatus loco jam adsignato laudat Felicem episcopum Bituricensem, qui corpori Domini hiero thecam seu turrim sacram fecerat:

Quam bene juncta decent, sacrati ut corporis Agni
Margaritum ingens aurea dona ferant.
Cedant chrysolithis Salomonia vasa metallis:
Ista placere magis ars facit atque fides.
Quæ data, Christe, tibi Felicis munera sic sunt,
Qualia tunc tribuit de grege pastor Abel.
Et cujus tu corda vides, pietate coæquas
Saraptæ merito, quæ dedit æra duo.

Similis *turris, in qua ministerium dominici corporis habebatur,* meminit Gregorius Turonensis lib. I de Gloria martyrum, cap. 86, ubi narrat miraculum, quomodo turris ex impuri diaconi manibus elapsa, se sponte per aera ad altare receperit. ROSVEYDUS.

Not. 147. *Cum apostolis et martyribus, quorum venerandus cinis subjiciatur altaribus.*—Non super altaria olim, sed sub **906** altaribus et intra altaria recondebantur sanctorum reliquiæ, ut videre est apud Augustinum serm. 32 de Diversis, cap. 3, Gregorium Turon. lib. X Histor., cap. 31, lib. I de Mirac., cap. 63, et apud Paulinum nostrum sæpe sæpius in hac eadem epistola, et Natal. 9 S. Felic., v. 401 et 402.

Spectant de superis altaria tota fenestris,
Sub quibus intus habent sanctorum corpora sedem.

Et appendebantur circum altare vela, ne pulvis sanctarum reliquiarum capsulis inhæreret, unde hodie paramenta altaris. Hujusmodi velum pro paramento ante mensam majoris altaris appensum vidi nuper in ecclesia urbis Galardonis quatuor leucas a Carnuto distantis.

Not. 148. *Caccabata.* — Id est *denigrata.* Sentit Paulinus versibus suis obfuscari potius templi parietes, quam illustrari. In convicium hoc vocabuli abiit. In Vitis Patrum, lib. VI, libello 15 Pelagii, num. 29: *Bene tibi fecerunt cinerente et caccabate.* Agitur de Moyse eremita Æthiope. Et num. 25 de Macario fornicationis accusato, etsi falso: *Et appenderunt in collum meum caccabatas ollas, et ansas vasorum.* Hinc Zenoni Veronensi, sermone 6 ad Neophytos post baptismum, *panes caccabacei* dicuntur panes nigri: *Non illos aura corrupit, non fumus amarus infecit, non frigus elisit; quod plus est, sine fermento levati sunt. Certe caccabacii non sunt; non vetusti, non usti, non crudi, non mucidi: lacteus illis color est, lacteus sapor est.* Tertullianus adversus Hermogenem, cap. 41, *caccabaceum materiæ motum* vocat ex mente Hermogenis, quod esset turbulentus instar ollæ ebullientis. Johannes Filesacus, lib. I Selectorum, cap. 3 et 14, a καχκαβίζειν voce perdicum *caccabata* deducit, pro garrulis et nugacibus. Sed clare Paulinus splendori novorum et recens incrustatorum parietum nigrorem, seu obscuritatem, versuum suorum opponit, et Zeno lacteum colorem caccabacio seu nigro. ROSVEYDUS.

Not. 149. *Intra Apsidem.* — Majorem altaris concham, quæ Græcis scriptoribus unde κόγχη dicitur, Latini inferioris ætatis passim *absidam,* seu *absidem* appellavere. Diserte enim Paulinus epist. 12 (nunc 32) absidam cum concha confundit. Nec abludit Walafridus Strabo, lib. de Rebus eccles., cap. 6, dum ait *absidam* esse exedram separatam a templo, et Græce κύκλον vocari. Verum si res stricte accipiatur, aliud fuit *concha,* aliud *absida.* Nam *absida* proprie est semicirculus ἡμίκυκλος qui ab inferiori θυσιαστηρίου parte in altum assurgit, et in *apsidem,* seu arcum, aut semicirculum sinuatur: concha vero ipsius apsidis pars interior in conchæ speciem superne camerata, curvata et sinuata. Unde recte Paulinus *apsidem* a camera, interiori scilicet, distinguit: *Apsidem solo et parietibus marmoratam camera musivo illusa clarificat. Apsidam* porro et *absidem* dici vulgo idem annotat Paulinus. Si quando autem plura essent altaria in templo aut æde sacra, unumquodque *absidam* suam habebat. Leo Ostiensis, lib. III, cap. 28: *Unicuique altari sua absida.*

Notandum quoque ut plurimum *absidam* dici a scriptoribus ipsam concham, vel ipsam sacram mensam, seu altare: verbi gratia cum in absidis repositas sanctorum reliquias scribunt, quas sub altaribus et intra altaria recondi solitas notum est. CANGIUS, in Constantinop. Christ. lib. III, p. 45 et 46.

Not. 150. *Trichora sub altaria.* — Rarius verbum

trichorum, nec unius certæ constitutæque significationis. A Spartianus in Pescennio Nigro : *Domus ejus hodie Romæ visitur in campo Jovis, quæ appellatur Pescenniana, in qua simulacrum ejus in trichoro constituit.* Ad quem locum ita Isaacus Casaubonus : *In trichoro*, id est, in uno e trichoris. Magnatum ædes et palatia tribus distinctis partibus constare solent : quarum una ingredienti adversa occurrit, duæ sunt ad latera : has tripartitas domos architecti vocabant trichora, τρίχωρα. Statius Papinius in Tiburtino Manlii Vopisci.

> Quid nunc ingentia mirer,
> Aut quid partitis distantia tecta trichoris ?

Architecti nostri vocant hodie papiliones : quia harum partium (ædificii corpora vulgo dicimus) diversa tecta sic consurgunt, ut in metatura castrorum separata totidem papilionum fastigia. Ita Casaubonus, non omnino male

Aliter Claudius Salmasius ad eumdem locum : *In trichoro domus*, inquit, *id est in fastigio*. Nam in fastigio B domorum augustarum statuæ collocari solitæ, ut et in fastigiis templorum. Vopiscus in Vita Floriani : *Imago Apollinis, quæ ab his colebatur, ex summo fastigio in lectulo posita sine cujuspiam manu deprehensa est.* Fastigium autem *trichorum* dictum a forma triangulari : nam τρίχωρον et τρίγωνον, idem. Galenus in Lexico Hippocratis : Ἀέτωμα τὸ εἰς ὕψος ἀνατεταμένον τῆς ὀροφῆς ὥσπερ τρίγωνον. Omnia enim ædificiorum tecta apud veteres aut erant plana, aut fastigiata. Sed minus recte Claudius.

Quid *trichorum* sit, non aliunde melius disces quam **907** ex hoc loco Paulini : *Reliquiis apostolorum et martyrum intra absidem trichora sub altaria sacratis.* Vult intra majorem absidem duas alias absidas fuisse, sub quibus singulis singula erant altaria, vel potius unum altare in medio trichori positum, sive inter tres absidas, id est in medio majoris absidis, ita tamen ut et duas alias laterales absides respiceret. Atque ita quoque Spartianus videtur intelligendus, ut statua Pescennini Nigri collocata sit in C trichoro, id est in medio trichori. Nam totus locus tribus constans absidibus vel partibus dicebatur trichorus, vel trichorum.

Dixi *unum altare*, quia primoribus Ecclesiæ temporibus unicum plerumque altare in templis erat, uti constat ex templo Tyri a Paulino ejusdem urbis episcopo ædificato; de quo Eusebius lib. x, cap. 4 : Ἐφ' ἅπασί τε τὸ τῶν ἁγίων ἅγιον θυσιαστήριον ἐν μέσῳ θείς. *Altarique denique tamquam sancto sanctorum in medio sanctuarii sito.* Idem postea mystice explicans : Σεμνὸν δὲ καὶ μέγα καὶ μονογενὲς θυσιαστήριον ποῖον ἂν εἴη ἢ τῆς τοῦ κοινοῦ πάντων ἱερέως τῆς ψυχῆς τὸ εἰλικρινὲς καὶ ἁγίων ἅγιον; *Augustum porro ingens et unum altare quid aliud significat, quam purum sanctum sanctorum animi, qui est communis omnium sacerdos.* Nec movere debet quod hic habeas *altaria* numero multitudinis; nam ita et mox habes in carmine :

> Sancta Deo geminum velant altaria honorem,

cum tamen præcedat : *Hic titulus indicat deposita* D *sub altari sancta sanctorum.*

Uti hic in templo a Paulino exstructo habes tres absides, totidem vel etiam plures olim in aliis templis fuere. Anastasius Bibliothecarius in Hadriano : *Tres absidas in Cosmedin constituit.* Idem in Leone III : *Fecit in triclinio majori miræ pulcritudinis decoratam absidam, de musivo ornatam, et absidas duas dextra lævaque super marmore et pictura splendentes.* Idem in eodem : *Cum absida de musivo ; sed et alias absidas decem dextra lævaque diversis historiis depictas.* Absidas has videtur et conchas vocare Paulinus hac eadem epistola, n. 13 : *Cum duabus dextra lævaque conchulis intra spatiosum sui ambitum absis sinuata laxetur :* et jam ante, n. 12, *concham* agnovit, quæ ipsa absis est. Facit forte huc et locus Paulini Natali 10 :

> Est etiam interiore sinu majoris in aulæ
> Insita cella procul, quasi filia culminis ejus,
> Stellato speciosa tholo, trinoque recessu
> Dispositis sinuata locis.

Lucem quoque dabit *trichoro* nostro Dioscorides libro I, cap. 133 de Acacia : Τῷ δὲ φθινοπώρῳ φέρει σπέρμα ἐν θυλάκοις συνεζευγμένοις, τριχώροις, ἢ τετραχώροις. *Autumno semen profert lenticula minus, in folliculis annexis, ternum quaternumve capacibus.* Idem lib. IV, cap. 167, de Lathyride : Καρπὸν δὲ ἔχει ἐπ' ἄκρων τῶν κλάδων τρίχωρον, περιφερῆ, ὥσπερ κάππαριν, ἐν ᾧ τρία σπερμάτια διειργόμενα ἐλύτροις ἀπ' ἀλλήλων. περιφερῆ, μείζονα ὀρόβων. *In summis autem surculis fructum gerit triplici loculamento distinctum, rotundum ceu capparim, in quo tria sunt minuta semina incursantibus tuniculis inter se discreta, ervis majora.* Vides hic conceptacula triloca vocari τρίχωρα. Veteres quoque Glossographi, etsi alias sæpe barbari, hunc Paulini locum videntur præ oculis habuisse, et rite explicasse. Glossarium Camberonense ms. : *Tricora, tres cameræ dicuntur, vel absidæ.* Glossæ Aquicinctinæ mss. : *Tricora, tres cameras, vel tres absidas.* Glossarium Ultrajectense monasterii S. Jerusalem ms.: *Tricorium locus juxta ignem causa prandii concameratus.* Papias Vocabularista : *Tricora, tres cameras sive absidas.* Idem : *Tricorum est locus, ubi pranditur juxta ignem, rupis alta.* Catholicon Johannis a Janua : *Trichorum, tris componitur cum chorus ; et dicitur hoc trichorum, ri, et hoc trichorium, rii, id est locus juxta ignem, causa prandii, habens tres cameras vel absidas; et corripit illam syllabam cho.* Vocabularium Gerardi a Schueren : *Trichorum, ri, et Trichorium, rii : Een eetsteae by den viere, drije verlait hebbende,* Τρίχωρον scribendum, non τρίχορον ut vult Januensis. Nam τρίχορον correpto *cho* aliud est, unde τριχορία? Conflatus vocabulorum typographiæ ortu impressus, *trichorium* in *tritorium* vertit. *Tritorium dicitur locus juxta ignem causa prandii, habens cameras tres vel absidas, teste Hugucione. Potius tamen tritorium videtur dici trichorum vel camera, in qua sunt tres lecti : et componitur a tris et torus hoc rium, rii.* Vides ut barbari vocabularistæ divinent, rem tamen aliquo modo attingant.

Uti dixere *trichorum* de loco ubi tres cameræ erant seu recessus, ita et *octochorum* templum, quod octo recessus seu diversa loca habet. Inter monumenta Christiana in Thesauro inscriptionum apud Gruterum, pag. 1166, n. 8, habes carmen Ambrosii Mediolani in templo S. Theclæ ad Fontem :

> Octochorum sanctos templum surrexit in usus,
> Octogonus fons est munere dignus eo.
> **908** Hoc numero decuit sacri baptismatis aulam
> Surgere, quo populis vera salus rediit
> Luce resurgentis Christi, qui claustra resolvit
> Mortis, et e tumulis suscitat exanimes.

Ubi vides in mysterium octavi diei, videlicet resurrectionis, Christo et templum *octochorum* et fontem *octogonum* excitatum. Ne turbet *cho* et *go* breviata, cum Græce per ω scribantur. Solemne sacris scriptoribus accentum magis quam quantitatem respicere. ROSVEYDUS.

Not. 151. *Camera musivo ilusa.* — Quod Paulino hic *musivo illudere*, id aliis *musivo depingere*. Spartianus in Pescennino Nigro : *Hunc in Commodianis hortis, in porticu curva, pictum de musivo, inter Commodi amicissimos videmus.* Gregorius Turonensis lib. v Histor., cap. 45 : *Ecclesiam fabricavit, quam columnis fulcivit, variavit marmore, musivo depinxit.* Ita ibi emendandum ex Aimoino, lib. III de Gestis Francorum, cap. 42. Frequens hæc musivi pictura occurrit in vitis pontificum apud Anastasium. Hinc *musivarii* leg. 1 cod. de Excusationib. artific., quemadmodum illic legendum esse docet leg. 2, eodem tit. cod. Theod. a musivo opere. ROSVEYDUS.

Not. 152. *Stat Christus agno.* — Mox idem Paulinus :

> Sub cruce sanguinea niveo stat Christus in agno.

Agni figura olim Christus sæpissime expressus, quod cum Johannes Baptista ita indigitarit, Johannis

t, cui anno 692 synodus Constantinopolitana quinisexta (cujus cujus fidei illa sit), canone 82, veram Christi effigiem prætulit. Et ut vetuerit agnum pingi, contrarius tamen semper usus in Occidentali Ecclesia obtinuit, quem sacra Scriptura ad exprimendam Christi humilitatem et mansuetudinem per agnum adumbrare solet. Sæpius in Vitis Pontificum per Anastasium Bibliothecarium occurrit Christus agni specie effictus. Agnus sub cruce stat in lapide altaris Vesontione, cujus figuram vide apud Chiffletium, pag. 208. Item agnus sub cruce rupi insistens exstat apud Jacobum Bosium, lib. VI de Cruce triumphante, cap. 12, ubi quinque fontes emittit, unum ex pectore, et singulos ex singulis pedibus, quibus quinque Christi vulnera designantur.

Duo agni sub cruce se e regione aspicientes sunt Narniæ in templo S. Januarii, ubi et S. Cassius sepultus est : citat Baronius ad Martyrologium 29 Junii. Quamquam per duos agnos existimo potius fideles designatos vel recens baptizatos. Sic Paulino hac eadem epistola :

Circumdansque rudes festis altaribus agnos.

Nisi forte Cassius ipse, qui sibi sepulcrum et epitaphium existimatur condidisse, se suamque conjugem per duos agnos signat. Nam epitaphium apud Baronium ad Martyrologium Romanum 29 Junii, quod exstat Narniæ in ecclesia cathedrali supra januam cryptæ sancti Juvenalis, ubi et corpus S. Cassii requiescere creditur, meminit Faustæ conjugis ejus ibidem sepultæ. ROSVEYDUS.

Not. 153. *Vox Patris cœlo tonat.* — Mox idem Paulinus :

Deum revelat vox paterna.

Josephus Scaliger, explicatione ad numisma Constantini imp. Byzantini, existimavit Deum Patrem in picturis his designatum per hæc verba e rutila nube erumpentia : HIC EST FILIUS MEUS DILECTUS. Sed Johannes Macarius, ὁ μακαρίτης, qui Romæ varia sacræ antiquitatis monumenta lustravit, autor mihi est Deum Patrem expressum per manum e nube prodeuntem, et Filium velut designantem. Sane manus e nube sæpius veterum monumentis non absimili occasione reperitur. Mox, n. 17, ubi Pater Filium Agni specie expressum, coronat e nube, puto tantum manum e nube protensam cum corona fuisse.

Sub cruce sanguinea niveo stat Christus in agno,
Alite quem placida sanctus perfundit hiantem
Spiritus, et Genitor rutila de nube coronat.

Huc facit crux in abside ecclesiæ S. Clementis, ubi supra crucem manus cum corona. Locum Agni Christus crucifixus est, quem existimo Agni loco positum, quod synodus Constantinopolitana quinisexta [quæquæ illa sit] decrevisset Agni loco Christum posthac statuendum ; si quidem ea absis a Nicolao I ornata est, uti nominis indicia præ se ferunt, qui non diu post synodum illam vixit.

Sæpius manus extensa e cœlo in numis et monumentis veterum occurrit. Numus Constantini Magni apud Eusebium lib. IV de Vita Constantini, cap. 73 : Ἤδη δὲ καὶ νομίσμασιν ἐνεχαράττοντο τύποι, πρόσθεν μὲν ἐκτυποῦντες τὸν μακάριον, ἐγκεκαλυμμένον τὴν κεφαλὴν σχήματι, θατέρου δὲ μέρους ἐφ᾽ ἅρματι τεθρίππῳ ἡνιόχου τρόπον, ὑπὸ δεξιᾶς ἄνωθεν ἐκτεινομένης αὐτῷ χειρὸς ἀναλαμβανόμενον. *Jam vero in ipsis numis exculptæ formæ, quæ una parte beatum hunc nostrum obvoluto capite repræsentabant, altera parte quadrigis instar aurigæ insidentem, demissa illi cœlitus manu dextra exceptum.* Cujus ectypoma habes apud Baronium tomo III, anno Annalium Christi 337, n. 468. Manus e cœlo cum corona supra caput Arcadii repræsentantur in numo ejusdem apud **809** Baronium tomo V, anno Christi 395, et Gretzerum nostrum de Cruce lib. I, cap. 15 ; item supra caput Eudoxiæ et Placidiæ apud eumdem Gretzerum, ibidem, cap. 16. In Vesontione Johannis Jacobi Chiffletii, parte 2, cap.

A 12, exstat monumentum Warnarii comitis, qui Palmæ quiescit, ubi palma seu manus e cœlo protenditur, in indicium ut monasterium Palmense ante destructum restitueret, quod illi visum volunt olim obtigisse. In Thesauro Inscriptionum Gruteri, pag. 1158, n. 8, exhibetur onyx, cum his litteris, GERBA. PROTA., quæ designant SS. Gervasium et Protasium, qui adstant templo vel altari, ubi manus e cœlo porrigitur, forte index revelationis reliquiarum quæ Ambrosio obtigit. Nihil hic in Indice rei Christianæ Scaliger, vel non intelligens mysterium, vel osor reliquiarum. ROSVEYDUS.

Not. 154. *Et per columbam.* — Spiritum sanctum olim columbæ specie expressum fuisse, docet concilium Constantinopolitanum anno 536 sub Menna habitum, ubi, actione 5, habes in epistola clericorum Antiochiæ de Severi Sacrilegio : Τὰς εἰς τύπον τοῦ ἁγίου Πνεύματος χρυσᾶς τε καὶ ἀργυρᾶς περιστερὰς κρεμαμένας ὑπεράνω τῶν θείων κολυμβηθρῶν καὶ θυσιαστηρίων μετὰ τῶν ἄλλων ἐσφετερίσατο, λέγων οὐ χρῆναι B ἐν εἴδει περιστερᾶς ὀνομάζεσθαι τὸ ἅγιον Πνεῦμα. *Columbas aureas et argenteas in formam Spiritus sancti super divina lavacra et altaria appensas una cum aliis sibi appropriavit, dicens non oportere in specie columbæ Spiritum sanctum nominare.*

Jure merito columba super sancta lavacra suspenditur, quod Spiritus sanctus columbæ specie super Christum baptizatum apparuerit, Matthæi III, et quia Spiritus sanctus aquas fecundat, unde Paulinus hic :

Sanctus in hunc cœlo descendit Spiritus amnem,
Cœlestique sacras fonte maritat aquas.

Quod super altaria quoque columbas suspensas fuisse refert concilium, id jam olim Basilio Magno fuit usitatum, qui Eucharistiam columbæ aureæ inclusit, et super altare suspendit, uti habetur cap. 6 Vitæ ejus per Amphilochium, qui mos in pluribus ecclesiis etiamnum in templis nostris durat.

C Et quia hic *crux* sequitur, suspicor Spiritum sanctum columbæ specie cruci insedisse. Plane ex antiquo Ecclesiæ ritu columbæ crucibus insidebant, vel eas supervolabant. Columba crucem supervolat in abside Lateranensis ecclesiæ, quam exhibet Jacobus Bosius, lib. VI de Cruce triumphante, cap. 12. Columba super crucem apparet in lapide altaris apud Chiffletium in Vesontione, pag. 208. Vetustissima columbæ effigies in fastigio crucis inventa Malipore sive civitate S. Thomæ, uti memoriæ prodidit Hieronymus Osorius de Rebus gestis Emmanuelis lib. III ; Maffæus Histor. Indicæ lib. I et XII ; Ciaccon. lib. de Signis crucis, cap. 35 ; Baronius tomo I, anno 57.

Inter crucis hujus adorationem D. Thomas fuit occisus : ne quis suspicetur crucem hanc, quam columba superstat, D. Thomæ sepulcro impositam, sicut Longobardi perticas cum columbis sepulcris eorum qui peregre obierant imponebant, uti memorat Paulus diaconus lib. V Histor. Longob., cap. 34 : *Ad perticas autem locus ipse dicitur, quia ibi olim perticæ, id est* D *trabes erectæ steterant, quæ ob hanc causam juxta morem Longobardorum poni solebant. Si quis enim in aliquam partem, aut in bello aut quomodocumque exstinctus fuisset, consanguinei ejus intra sepulcra sua perticam figebant, in cujus summitate columbam ex ligno factam ponebant, quæ illuc versa esset, ubi eorum dilectus obiisset, scilicet ut sciri posset in quam partem is qui defunctus fuerat quiesceret.* Refert quoque Nicetas, lib. V Juris Græco Latini, Responsor. lib. I, gentiles quosdam columbas ad sepulcra mortuorum immolasse.

Cave hic mendacissimum Josephi Scaligeri commentum, qui in commentatione ad numisma argenteum Constantini imp. Byzantini, a Marquardo Frehero illi propositum, hæc habet post explicatam vetustissimam Trinitatis picturam per verba, *agnum columbam*, quod ex Paulino hausit, etsi eum non nominet. *Hæc erant*, inquit, *symbola simplicissima illorum temporum, cum formas rerum aut animalium, non au-*

tem humanas auderent pingere. Nam anchoram, navem, piscem, columbam sculpebant aut pingebant, hominem non item. Οὐ γὰρ, *inquit Clemens,* εἰδώλων πρόσωπα ἐναποτυπωτέον οἷς καὶ τὸ προσέχειν ἀπείρηται. Fallitur et fallit Scaliger. Clemens ibi non de imaginibus sacris agit, sed de palæ in annulo sculptura, quam non vult esse inter Christianos alicujus idoli (v. g. Neptuni, etc.), sed potius rei alicujus aut animalis, quæ rem aliquam bonam insinuare possit. Locus est lib. III Pædagog., cap. 11 : Αἱ δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔστων πέλεια, ἢ ἰχθὺς, ἢ ναῦς οὐριοδρομοῦσα, ἢ λύρα μουσικὴ, ᾗ κέχρηται Πολυκράτης, ἢ ἄγκυρα ναυτικὴ, ἣν Σέλευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ. Κἂν ἁλιεύων τις ᾖ, Ἀποστόλου μεμνήσεται, καὶ τῶν ἐξ ὕδατος ἀνασπωμένων παιδίων· οὐ γὰρ εἰδώλων πρόσωπα ἐναποτυπωτέον, οἷς καὶ τὸ **910** προσέχειν ἀπείρηται· οὐδὲ μὴν ξίφος, ἢ τόξον, τοῖς εἰρήνην διώκουσιν, ἢ κύπελλα τοῖς σωφρονοῦσιν· πολλοὶ δὲ τῶν ἀκολάστων, γεγυμνωμένους ἔχουσι τοὺς ἐρωμένους, ἢ τὰς ἑταίρας, ὡς μηδὲ ἐθελήσασιν αὐτοῖς, λήθην ποτὲ ἐγγενέσθαι δυνηθῆναι τῶν ἐρωτικῶν παθημάτων, διὰ τὴν ἐνδελεχῆ τῆς ἀκολασίας ὑπόμνησιν. *Sint autem nobis signacula, columba, vel piscis, vel navis quæ cursu celeri a vento fertur, vel lyra musica qua usus est Polycrates; vel anchora nautica, quam insculpebat Seleucus.* Rationem autem addit cur hæc signacula probet : *Et si sit piscans aliquis, meminerit apostoli et puerorum qui ex aqua extrahuntur. Neque enim idolorum sunt imprimendæ facies, quibus vel solum attendere est prohibitum.* Immo, inquit, non omnia inanimata vel animata convenit sculpi. *Sed nec ensis, vel arcus, iis qui pacem sectantur; nec pocula iis qui sunt moderati et temperantes. Multi autem libidinosi nudatos eos habent quos amant, vel amicas; ut ne si velint quidem, possint affectionis amoris oblivisci, quod libido et intemperantia eis perpetuo in mentem revocetur.* Loco perspecto perlectoque claret quam perverse Scaliger quæ de idolis dicuntur ad sanctorum imagines transferat. Si, inquit Clemens, symbola aliqua sculpere in palis annulorum delectet, ea insculpite, quæ sensum aliquem mysticum insinuent, ut sunt columba, piscis, navis, quo videlicet meminerimus Petri apost., qui factus est piscator hominum, et puerorum qui e fonte baptismatis levantur.

Forte columbæ meminit et ad baptismum refert, tum quia olim super baptisteria suspendi solita, uti jam probavimus; tum quia columba e diluvio ramum oleæ ad aream retulit in baptismi mysterium. Ambrosius lib. de iis qui mysteriis initiantur, cap. 3 : *Dimisit Noe columbam, quæ cum ramo olivæ legitur revertisse. Vides aquam? vides lignum? Columbam aspicis, et dubitas de mysterio. Aqua est ergo qua caro mergitur, ut abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium. Lignum est, in quo suspensus est Dominus Jesus, cum pateretur pro nobis. Columba est, in cujus specie descendit Spiritus sanctus, sicut didicisti in Novo Testamento, qui tibi pacem animæ, tranquillitatemque mentis inspirat.* Cyrillus Catechesi illuminatoria 17 : Ταύτης ἔφερε τύπον μερικῶς κατά τινας ἡ ἐπὶ Νῶε περιστερά· ὥσπερ γὰρ ἐπ' ἐκείνου, διὰ ξύλου καὶ ὕδατος αὐτοῖς μὲν ἐγένετο ἡ σωτηρία, καινῆς δὲ γενέσεως ἀρχὴ, καὶ ἡ περιστερὰ ἀνέστρεψε πρὸς αὐτὸν τὸ πρὸς ἑσπέραν, ἔχουσα φύλλον ἐλαίας· οὕτω φασὶ καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον κατῆλθεν ἐπὶ τὸν ἀληθινὸν Νῶε, τὸν τῆς δευτέρας γενέσεως ποιητήν. *Hujus aliqua ex parte ferebat typum secundum quosdam columba illa Noe. Nam sicut per illius lignum et aquam facta est ipsis quidem salus, nobis autem initium novæ generationis, et columba reversa est ad eum sub vesperam, habens virgam oleæ, sic, inquiunt, et Spiritus sanctus descendit super verum Noe, alterius generationis factorem.*

Polycratis annulus etiam piscationis memoriam refricat, quem constat in mare projectum, rursum a piscatoribus in pisce extractum. In eo autem lyram sculptam fuisse, ex hoc Clementis loco discimus. Fors et lyra in memoriam revocat lyram Davidis, qua Deum laudavit.

Per navim in memoriam revocari potest Ecclesia, cujus arca typum gessit, testante Prospero, de Vocatione Gentium cap. 4. Sed et navicula piscatoris, Matth. v, et crucis Ecclesiæ figuram gessit. Augustinus serm. 22 de Diversis : *Opus est ergo ut in navi simus, hoc est, ut ligno portemur, ut mare hoc transire valeamus. Hoc autem lignum, quo infirmitas nostra portatur, crux est Domini in qua signamur, ut ab hujus mundi submersionibus vindicemur.* Idem ibidem inferius : *Fecerunt Judæi Domino quanta voluerunt, quia factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Postea vero surrexit a mortuis, ut pro discipulis in Ecclesia tamquam in navi constitutis, et fide crucis suæ tamquam in ligno portatis, et tentationibus hujus seculi tamquam fluctibus maris periclitantibus, solus oraret.* Memini me in gemmis veterum navim expressam vidisse. Clementis hunc locum Hervetus verterat, *navis quæ vento per aera fertur*; et in Græco Florentino erat, οὐροδρομοῦσα : unde Sylburgius legendum putat οὐριοδρομοῦσα, id est, *quæ vento secundo fertur :* sed οὐρανοδρομοῦσα est in ms. Palatino, et in ms. exemplari unde Florentina editio emanavit, scriptum fors fuerit, οὐροδρομοῦσα, quod valet οὐρανοδρομοῦσα. Et sic de Argo navi per cœlum lata quis forte capit.

Quam vero inepte dicat Scaliger, tempore Paulini, cujus versus de cruce, agno et columba affert, non fuisse ausos Christianos pingere humanas formas, vel ipse Paulinus prodit, et eum redarguit, qui hac ipsa epistola 12, ex qua sua Scaliger depromsit, meminit S. Martini a Severo in templo picti una cum Paulini imagine.

Adstat Martinus perfectæ regula vitæ,
Paulinus veniam quo mereare docet.
Hunc peccatores, illum spectare beati,
Exemplar sanctis ille sit, iste reis.

911 Idem Natali 10 S. Felicis meminit martyrum utriusque sexus, qui supra regias seu medias fores picti erant; item aliorum sanctorum Veteris Testamenti, Job, Tobiæ, Judith, Esther, qui supra laterales fores seu arcus depicti erant. Pudet pigetque ineptiarum Scaligeri, qui tamen criticorum deus est. Omni seculo ante Paulinum humanas sanctorum formas effigiatas fuisse, fuse probat Bellarminus lib. II de Imaginibus, cap. 9 et 10. Vide Gretzerum tom. III, de cruce lib. I, cap. 26. ROSWEYDUS.

Ex epistola 12 (nunc 32) Paulini ad Severum, corpus Dominicum sub cruce, vel sub crucis figura in ciborio reponebatur, quod confirmatur ex concilio Turon. II, can. 3, quo statuitur : *Ut corpus Domini in altari, non in imaginario ordine, sed sub crucis titulo componatur*, id est sub ipso ciborio, non vero in tabernaculo, uti appellamus, quod *imaginarius ordo* dicitur, seu in auro argentove elaborato, variisque figuris ac imaginibus adornato opere. Unde conficitur sacrosanctam eucharistiam ad viaticum sub ipso ciborio jam olim asservatam in pyxide, pependisse sub cruce, quod etiamnum in plerisque nostratibus, præsertim cathedralibus ecclesiis, observatur. Pendebat autem sacra pyxis ex columba, qua Spiritum sanctum apud Christianos adumbrari constat. Ejusmodi vero aurearum et argentearum columbarum altaribus, seu sacris mensis, et ipsis etiam baptisteriorum fontibus imminentium meminit synodus V Constantinopolit., act. 5, in qua continentur expostulationes cleri adversus Severum qui columbas altaris et baptisterii abstulerat. Columbas altaribus impendisse ex Latinis scriptoribus potissimum colligitur, ex Paulino, loco supra citato, ubi totum altaris apparatum describit, præterea ex testamento Perpetui episcopi Turon., tom. V Spicilegii Acheriani. Hunc præterea morem adstruit Udalricus lib. II Consuetud. Cluniac., cap. 30. *Prædictam autem pyxidem diaconus cum columba jungiter pendente super altare... abstrahit.* Et lib. I, cap. 9 : *Ipsæ autem hostiæ cum fuerint consecratæ, mutantur quatuor cum illis quæ in pyxide et aurea columba super altare pendente jugiter servantur, maxime propter infirmos, ut quidquid de eis eveniat, viaticum sit in promptu.* Meminit denique Anastasius in Hilario et S. Innocentio PP. ejusmodi

columbarum altaribus impendentium. Ex quibus eum invaluisse in Ecclesia Orientali et Occidentali morem abunde colligitur. CANGIUS, in Constantinop. Christ. lib. III, pagg. 55, 56.

Not. 155. *Crucem corona.*— Duplex apud Paulinum crucis coronatæ species. Primam hic exhibet, cum lucidus circulus crucem ambit :

Crucem corona lucido cingit globo.

Talis crux lucido velut iride circumscripta globo anno Christi 363 Judæis apparuit, cum autore Juliano Apostata templum Hierosolymis restituere aggrederentur : de qua ita Gregorius Nazianzenus oratione 2 in Julianum : Ὁ δὲ ἔτι παραδοξότερον καὶ περιφανέστερον, ἔστη φῶς ἐν τῷ οὐρανῷ τὸν σταυρὸν περιγράφον, καὶ τὸ πρότερον ἐπὶ γῆς ἀτιμαζόμενον τοῖς ἀθέοις καὶ σχῆμα καὶ ὄνομα, νῦν ἐν οὐρανῷ δείκνυται πᾶσιν ἐπίσης, καὶ γίνεται τρόπαιον τῷ Θεῷ τῆς κατὰ τῶν ἀσεβῶν νίκης, τροπαίου παντὸς ὑψηλότερον. *Quod autem hoc etiam mirabilius clariusque fuit, lux in cœlo stetit, crucem in orbem describens : at nomen illud et figura, quæ in* B *terra prius impiis contemtui fuerat, in cœlo nunc omnibus ex æquo ostenditur, Deoque victoriæ adversus impios obtentæ trophæum efficitur, trophæo omni sublimius et præstantius.* Quo referas cruces quæ circulo dicuntur inclusæ. Talis crux coronata, teste Maffeio nostro (*lib.* XII *Hist. Ind.*), fuit Thomæ apostoli, *Insculpta quadrato lapidi, sanguineis et in speciem recentibus conspersa guttis, lapideo item circulo inclusa.* Talis Juliano Apostatæ nefariis sacris operanti apparuit, asserente Gregorio Nazianzeno (*Orat.* 1 *in Julian.*); quod infaustum aruspicibus omen visum, licet ipse eludere conatus sit. Τὸ δ' οὖν λεγόμενον, ὅτι θυομένῳ τὰ σπλάγχνα τὸν σταυρὸν ἀναδείκνυσι στεφανούμενον. ὃ τοῖς μὲν ἄλλοις φρίκην παρέσχε καὶ ἀγωνίαν, καὶ τοῦ ἡμετέρου κράτους συναίσθησιν, τῷ δὲ διδασκάλῳ τῆς ἀσεβείας καὶ θάρσος δῆθεν, ὡς περιγεγραμμένων ἡμῶν καὶ συνειργμένων· οὕτω γὰρ τὸν σταυρὸν καὶ τὸν κύκλον παρεσχεδίασε. *Ferunt, cum Julianus sacrificaret, victimarum exta coronatam crucem ostendisse. Quæ res* C *alios quidem horrore atque anxietate perfudit; effecitque ut potentiam nostram agnoscerent : at impietatis magistro animum videlicet addidit, tamquam circumscripti atque undique conclusi essemus. Sic enim crucem et circulum ex tempore interpretatus est.* Tales quoque cruces spectantur in numis impp. Christianorum, corona plerumque quercea vel florea circumdatæ. Talis in numo Zenonis et Valentiniani impp. apud Lipsium l. III de Cruce, cap. 16; Eudoxiæ et Valentiniani III apud Gretzerum nostrum tom. III, de Cruce lib., cap. 16 ; Pulcheriæ et Majoriani, cap. 17 ; Julii nepotis et Zenonis, cap. 18. Tales cruces miniatæ corona seu circulo circumdatæ pingi solent in parietibus ecclesiarum consecrandarum, **912** quo Pamelius Liturgicorum tom. I, pag. 502, allusum vult a Paulino, cum ait : *Dextra lævaque crucibus minio superpictis :* quamquam apud Paulinum corona non circumdat crucem, sed potius vertici ejus imponitur, ut mox sequitur.

Mirum jam olim apud Ægyptios cruces circulo D circumdatas, quales exhibet Tabula Isiaca Bembi apud Jacobum Bosium, lib. V de Cruce triumphante, cap. 6, qui et cap. 10 crucem decussatam circulo inclusam ex obelisco Augusti et Constantii repræsentat, et circulum æternitatis symbolum esse docet.

Alteram crucis coronatæ speciem, cum ipsi crucis vertici corona imponitur, Paulinus his versibus prodit :

Ardua floriferæ crux cingitur orbe coronæ.

Item :

Sanctorum labor et merces sibi rite cohærent,
Ardua crux, pretiumque crucis sublime, corona.

Ejusmodi fuit in Constantini labaro, teste Eusebio (*Lib. Vitæ Constant. c.* 25) : Ὑψηλὸν δόρυ χρυσῷ κατημφιεσμένον, κέρας εἶχεν ἐγκάρσιον, σταυροῦ σχήματι πεποιημένον, ἄνω δὲ πρὸς ἄκρῳ τοῦ παντὸς στέφανος ἐκ λίθων πολυτελῶν καὶ χρυσοῦ συμπεπλεγμένος κατεστήρικτο. *Hastile oblongum erectumque, auro undique* A *obductum fuit : quod cornu habuit transversum ad formam crucis constructum. Supra in fastigio ipsius operis corona affixa, lapidibus pretiosis et auro polite circumtexta.* ROSVEYDUS

Coronas a principibus et magnatibus templis olim oblatas, et supra sacram mensam appensas legimus apud autores ecclesiasticos. CANGIUS, in Constantinop. Christ., p. 38.

Not. 156. *Quorum figura est in columbarum choro.* — In Paulini cruce crucis coronam columbæ circumdabant, et coronam ipsam quasi coronabant : erantque numero 12, ut apostolorum numerum exprimerent. Contra in cruce quæ exstat in curvitate absidis ecclesiæ S. Clementis, 12 columbæ cruci insistunt, et corona eas circumdat : cujus ectypon habes apud Jacobum Bosium de Cruce triumphante lib. VI, cap. 11, quæ eadem videtur fuisse quam ad Gretzerum nostrum illustrissimus cardinalis Borromæus misit : certe columbæ ita alternatim apud Bosium stant, uti Gretzerus describit tomo III de Cruce lib. I, cap. 33. ROSVEYDUS.

Not. 157. *Petram superstat.* — Quæ hic habes de Christo, petra, quatuor fontibus, item de palma, priore versu habes expressa in sarcophago marmoreo Romæ, qui erutus fuit ex solo basilicæ S. Petri anno 1590, itemque alio ibidem, quæ manu sua delineavit Philippus Winghius, quorum delineatio penes me est. Similem historiam Paulinus in camera absidis in templo S. Felicis musivo pingi curaverat. ROSVEYDUS.

Not. 158. *De qua sonori quatuor fontes meant.* — Apud Bosium lib. VI, cap. 12, de Cruce triumphante, habes ectypon ex abside ecclesiæ Lateranensis, ubi crux rupi insistit, ex qua oriuntur quatuor flumina paradisi. Item eodem capite Christus cum cruce gemmata insistit petræ, unde quatuor fluvii profluunt : quod monumentum olim fuit Sexti Petronii Probi post antiquæ D. Petri basilicæ tribunam situm, nunc in navim novæ basilicæ translatum. Vide Baronium tomo IV Annalium, anno Christi 395, ubi et aliud monumentum habes simile, etsi neutribi fluvii bene expressi sint : bene expressit Bosius. ROSVEYDUS.

Not. 159. *Totum vero extra concham basilicæ spatium.* — Idem mox : *Cum duabus dextra lævaque conchulis intra spatiosum sui ambitum apsis sinuata laxetur.* Vides utrobique *concham* ad apsidem pertinuisse. Inter monumenta Christiana in Thesauro Inscriptionum, pag. 1168, n. 4, carmen hoc de simili concha capio :

Perdiderat proprium, sacræ quæ prominet aræ,
Tecta vetustatis sylvatæ, concha diem.

Erat pars templi ubi sacrificium offerebatur. Evagrius, lib. IV Histor. eccles., cap. 30, de templo S. Sophiæ Constantinopoli : Ἔστι μὲν οὖν τὸ μῆκος ἐκ τῆς καταντικρὺ θύρας τῆς ἱερᾶς κόγχης, ἔνθα τὰ τῆς ἀναιμάκτου καλλιερεῖται θυσίας, μέχρις αὐτῆς, ποδῶν ρλ'. *Longitudo a porta quæ e regione sacræ conchæ, in qua incruentum offertur sacrificium, sita est, ad ipsam concham usque, pedes continet* 190. Hinc in Glossario ms. Bertiniano : *Absida, sacrarium.* Mysterium conchæ seu absidis in templis veterum explicat Germanus Constantinopolitanus archiepiscopus in Historia sua ecclesiastica et mystica Theoria : Ἡ κόγχη ἐστι, κατὰ τὸ ἐν Βηθλεέμ σπήλαιον, ὅπου ἐγεννήθη ὁ Χριστός· κατὰ τὸ σπήλαιον ὅπου ἐτάφη. Quæ ita olim vertit Anastasius Bibliothecarius ineditus : *Concha est in similitudinem speluncæ, quæ fuit in Bethlehem, in qua natus est Christus, et in similitudinem speluncæ, in qua sepultus est.* ROSVEYDUS.

Vide not. 320 in Nat. 10 S. Felic., v. 181 et 182.

Not. 160. *Cubicula intra porticus quaterna longis basilicæ lateribus inserta, secretis orantium, vel in lege Domini meditantium, prætered memoriis religiosorum ac familiarium accommodatos ad pacis æternæ requiem locos præbent.* — Ejusmodi cubicula erant oratoria in quæ secedebant privatim orantes, a quibus cubiculis seu oratoriis capellarum **913** nostrarum quæ cingunt

utrumque ecclesiæ latus (uti nunc appellantur) origo desumta. In hisce oratoriis privatis seu cubiculis jam Paulini tempore humabantur religiosorum hominum corpora. Anastasius Bibliothecarius in Marcellino : *Hic sepultus est in cœmeterio Priscillæ, in cubiculo claro.* In Sergio : *Hic tectum et cubicula quæ circumquaque ejusdem* (S. Petri) *basilicæ sunt... studiosius innovavit ac reparavit.* Ejusmodi cubiculorum non semel alibi meminit idem Anastasius. Exinde in subsequentibus seculis videtur manasse pessima consuetudo indiscussim inhumandi in ecclesiis quorumcumque corpora, modo pro jure sepulturæ certum quoddam solverint pretium; ita ut quod dabatur olim merito, nunc concedatur auro, quod SS. Patribus unum et idem est ac si venderentur Ecclesiæ sacramenta.

Not. 161. *Quos inserere his litteris nolui.* — Et alii versus exstant hodieque in suburbana S. Felicis basilica, quos exscripsit Sirmondus noster ad Sidonium lib. IV, epistola 18, omnis rei antiquariæ solertissimus scrutator, quos Paulinus non misit ad Severum, quod ejus ecclesiæ non quadrarent, qui novam exstruebat ecclesiam, ubi ante vetus non fuerat. Sunt autem hi versus :

Parvus erat locus ante, sacris angustus agendis,
Supplicibusque negans pandere posse manus :
Nunc populo spatiosa sacris altaria præbet
Officiis medii martyris in gremio.
Cuncta Deo renovata placent, novat omnia semper
Christus, et in cumulum luminis amplificat.
Sic et dilecti solium Felicis honorans,
Et splendore simul protulit et spatio.

ROSWEYDUS.

Not. 162. *Duabus dextera lævaque conchulis.* — Ut hic δίκογχος vel potius τρίκογχος, si majorem concham simul comprehendas, absis templi a S. Paulino ædificati, a fornice concharum specie, ita τρίκογχον in Chronico Alexandrino anno 39 Theodosii, cum ob terræ motum solemnis memoria agitur τῆς λιτανίας ἐν τῷ τρικόγχῳ πρὸ η' Ἰδῶν Νοεμβρίων. *Litaniarum in trichoncho* VIII *idus Novembris.* Sic ἑπτάκογχον triclinium, septem fornicibus concharum specie suffultum, in Palatio Justiniani imp. quod Hormisdæ dicebatur, uti habet collatio Constantinopoli habita cum Severianis tempore Johannis II papæ. Conchulas in absida agnoscit etiam Glossarium ms. Bertinianum : *Absidas, latiores conchulas.* ROSWEYDUS.

Not. 163. *Una earum immolanti hostias jubilationis patet.* — Hæc Paulinus de binis conchis minoribus verba faciens. Ubi pro *patet*, legendum *parat* censuerim; quippe in hac concha *hostias non immolat antistes*, sed in media et majori concha : prothesis vero *hostias jubilationis immolanti*, seu potius immolaturo antistiti parat, vel præparat. Cum enim in utraque concha quæ ad sacram liturgiam peragendam necessaria sunt, atque adeo in prothesi hostia et vinum, in diaconico vestes et libri, et vasa ac ministeria ecclesiastica parentur, inde binæ *paratoria* nuncupantur in ordine Romano : *Calicem autem subdiaconus accipit sequens, et dat acolytho, et ille revocat in paratorium*, nempe in *prothesin*, ubi calices et cetera vasa ad sacrificii usum reponebantur, quod ex sacris liturgiis abunde probari potest. CANGIUS, in Constantinop. Christ. lib. III, pag. 59 et 60.

Not. 164. *Altera post sacrificium capaci sinu receptat orantes.* — Peracto enim sacrificio eo secedebant sacerdotes et diaconi, et sacrorum librorum lectioni operam dabant. Certe in ea concha factas ejusmodi lectiones docet satis superque Codinus lib. de Offic., c. 15, n. 4, dum ait imperatorem in ædem Sophianam secedere, ibique magni Basilii precationes a patriarcha prælectas exaudire πλησίον τοῦ διακονικοῦ, hoc est juxta concham, quæ διακονικὸν vocabatur ; nam haud procul exstabat sedes imperatoris cum sacrorum librorum lectionem auditu excipiebat. Diaconicum igitur hæc concha appellata est quod esset quodammodo appendix majoris diaconici seu secretarii, in quo et A ecclesiasticæ vestes et sacra (uti appellantur passim) ministeria asservabantur, ex quo quæ ad sacram liturgiam peragendam necessaria erant promebantur, et in hanc concham deferebantur, quæ inde diaconicum appellata est ; nam in ea vestes sacras induebant, et sacerdos sacra facturus, et diaconi ei ministraturi. Unde cum scevophylacii appellatione donaretur, perinde majus diaconicum, inde etiam diaconicum minus, seu concha diaconici, scevophylacium interdum vocatur : adeo ut quæ in liturgiis S. Marci et S. Jacobi, ἐν διακονικῷ peragi preces exacto sacrificio dicuntur, ea in liturgia Chrysostomi ἐν σκευοφυλακίῳ fieri scribantur.

Metatorii denique appellationem habuit eadem concha, quemadmodum majus diaconicum. Sed et non desunt qui totum bematis, extra altaris vela atque adeo extra majorem concham, spatium diaconicum appellatum **914** volunt, quod cum intra vela, seu παραπετάσματα de quibus mox agemus, solis sacerdotibus consistere liceret, quæ bematis pars inde ἱερα- B τεῖον propriedicta est, reliqua diaconis permissa esset, ut qui ad utramque concham, prothesin scilicet et diaconicum, pro officii ratione peragendi, in iis consistendi necesse haberent. Nam Symeon. Thess., lib. de Templo, ait nulli licere in sacro synthrono sedere præterquam sacerdotibus, ac ne ipsis quidem diaconis, quibus alius attributus est locus, *diaconicum*, locus sic dictus, in quo considere licitum sit. Videtur enim διακονικὸν appellari etiam velum altaris, quasi totum bematis spatium quod extra vela altaris patet diaconicum sit, et quia in eo et consistere et progredi pro functionis suæ ratione, non autem sacrarium ingredi illis liceret, quemadmodum subdiaconis eadem bematis spatia, cum subdiaconi et lectores in solea extra bematis cancellos consisterent, ut docet idem Thessalonicensis. Atque inde colligitur quid statuat canon 21 synodi Laodic. dum ait *non licere subdiaconis intra bematis cancellos consistere* : οὐ δεῖ ὑπηρέτας χώραν ἔχειν ἐν τῷ διακονικῷ, id enim solis C diaconis licebat. Ita porro hunc canonem capiendum par est credere, etsi Balsamon et Zonaras diaconicum de munere diaconi interpretati sint. Priori sane sententiæ favet Isidorus Mercator, qui διακονικὸν *secretarium* vertit : *Secretarium*, inquit, *quod Græci διακονικὸν vocant*, quæ totidem verbis habentur in concilio Arelatensi, can. 66, ita ut per *secretarium* concham intellexerit quam Græci διακονικὸν nuncupant quæ a diaconis in ea ministrantibus nomen sumsit, uti observavimus. Nam vix est simile vero diaconicum pro exedra extra ædem ita nuncupata sumi debere, cum et in ea quibusvis ecclesiæ ministris consistere fas esset, et ex ea clerici omnes ad altare procederent. Jam vero quod in concilio Arelatensi II sub Siricio PP., can. 15, *diaconi sedere inter presbyteros in secretario* vetantur, id videtur intelligi aut de majori diaconico, secretario, vel vestiario, in quo sacerdotes, vel antistites, de rebus ecclesiasticis deliberaturi secedebant; et ut verbis utar Sulpicii Severi, cum vel *salutationibus vacantes, vel audiendis negationibus* (forte D *negotiationibus*) *occupati* in eo considebant ; vel potius de minori diaconico, id est, concha quam διακονικὸν vocant. In hoc enim diaconico, quando sacerdotes sacra facturi in eo sacras vestes induunt, aut alia quæ ad sacram liturgiam spectant exsequuntur, cum iis, ob reverentiam quam sacerdotali characteri debent, sedere prohibentur. CANGIUS, in Constantinop. Christ. lib. III, pag. 60 et 61. Vide Glossarium Latinum ejusdem, tom. III, pag. 770.

Not. 165. *Perlucente transenna.* — Transennæ in basilicis mentio quoque apud Anastasium Bibliothecarium in Sixto III : *Fecit Confessionem B. Laurentii martyris cum columnis porphyreticis, et ornavit transennam et altare et confessionem S. martyris Laurentii de argento purissimo.* Bulengerus noster, lib. III, de Temp'is, cap. 14, per *transennam* intelligit pergulam extra templum porrectam, qua transitur superposito tecto. Est, inquit, quasi quædam superior ambulatio inter utramque basilicam interjecta. Ita

quoque Nicolaus Perottus episcopus Sipontinus in Cornucopia sua ad epigramma 41 Martialis de Regno *transennam* capit. Hoc loco Paulini videtur mihi *transenna* cancellatum aliquod opus fuisse. Quid autem transenna sit, non aliunde melius disces quam ex eo quod habet Eusebius lib. x, cap. 4, de templo Tyri ædificato a Paulino ibidem episcopo, dum de atrio loquitur : Εἰς τετράγωνόν τι σχῆμα περιφράξας τὸν τόπον (ἁγίων) κίοσιν πανταχόθεν ἐπαιρομέναις ὧν τὰ μέσα διαφράγμασι τοῖς ἀπὸ ξύλου δικτυωτοῖς ἐς τὸ σύμμετρον ἥκουσι μήκους περικλείσας. *Locus autem atrii seu vestibuli* (male Christophorsonus *sanctuarii*) *in speciem quadrati columnis sublimibus est undique circumseptus : quarum media intervalla sunt interstitiis, ligno instar retis aut transennæ cancellatis, in mediocrem et æquabilem longitudinem porrectis, circumclusa.* Et post de loco sanctuarii : Αὖθις καὶ τάδε, ὡς ἂν εἴη τοῖς πολλοῖς ἄβατα, τοῖς ἀπὸ ξύλου περιέφραττε δικτύοις, εἰς ἄκρον ἐντέχνου λεπτουργίας ἐξησκημένοις. ὡς θαυμάσιον τοῖς ὁρῶσι παρέχει τὴν θέαν. *Ista rursus ut a plebe et multitudine eo non posset accedi, cancellis ex ligno fabricatis circumdedit : qui adeo artificiosa solertia ad summum elaborati sunt, ut mirabile spectaculum intuenti exhibeant.* Idem, lib. IV de Vita Constantini, cap. 59, agens de templo Apostolorum Constantinopoli a Constantino Magno condito : Δικτυωτὰ δὲ πέριξ ἐκύκλου τὸ δωμάτιον ἀνάγλυφα χαλκῷ χρυσῷ κατειργασμένα. *Interiorem ædis partem undique in ambitum circumductam reticulato opere ex ære et auro affabre facto convestivit.* Ut hic tres arcus habes cum transenna, sic Natali 10 tria ostia cum cancellis :

> Trinaque cancellis currentibus ostia pandunt.

Onomasticon Latino Græcum Argentorati olim editum anno 1536, *Transenna*, κιγκλίς, quod significat portam cancellatam, seu valvas cancellatas. Sic Polluci **915** libro VIII, cap. 10, et Aristophanis interpreti, κιγκλίδες, αἱ τῶν δικαστηρίων θύραι, a Romanis καγγέλλωται seu καγκελωταὶ dictæ.

Ut transenna hic ad arcum seu ostium, sic in circo transenna ad carceres. Veteres Glossæ Græco-Latinæ : Βρόχος ἐν ἀφετηρίαις τεταμένος, *transenna :* nempe funis ab uno extremo ad alterum in carceribus seu repagulis protensus. Veteres Glossæ Latino-Græcæ : *Transenna*, ὕσπληξ, παλλαγμαπαρίου σημεῖον. Bulengerus noster, de Circo cap. 11, legit ἀπαλλαγή, id est *missio equorum :* et μαππαρίου σημεῖον, *signum mappæ :* non quidem quod mappa et transenna idem esset, sed quod mappa missa linea statim extenderetur : carceres circi cancellati quoque erant. Callisthenes in Vita Alexandri Magni : Ἠνοίγησαν δὲ ἀφετῆρες τῶν καγκέλλων, *aperti sunt carceres cancellorum.* ROSVEYDUS.

Not. 166. ***Quasi diatritam speciem ab utraque in utramque spectantibus præbet.*** — Quid *diatrita species* sit, satis apparet ex descriptione Paulini. Sic Vitruvio, lib. IX, cap. 4, *species* usurpatur, cum res aliquam in partem conversa spectat. Aliud διάτριτος apud medicos, vel pro tridui inedia, vel pro tertiana febri. ROSVEYDUS.

Diatritam pro *diatretam. Diatretus*, perforatus, cælatus, ex Græco διάτρητος. Hic *species* est quod *face de bâtiment* dicimus, uti a Vitruvio, lib. IX, cap. 4, vox hæc usurpatur. *Species diatrita*, nostris, *face à jour percée de fenêtres et de portes.* CANGIUS, in Glossario Lat., tom. II, pag. 86, n. 1.

Not. 167. ***Alma domus triplici patet ingredientibus arcu.*** — Idem Paulinus infra,

> Ter geminis geminæ patuerunt arcubus aulæ.

Ante occidentales porticus præcipuarum ecclesiarum prostat quadrata ingens area, seu atrium, quod vestibulorum ecclesiarum præcipuum est ornamentum. Eadem porro αὐλῆς appellatione donantur ejusmodi areæ ante ædes sacras a nonnullis. *Impluvia* Paulinus noster Natali 10, v. 8, ea atria appellat :

> Istic porticibus late circumdata longis
> Vestibula impluvio tectis reserantur aperto,
> Et simul astra oculis, ingressibus atria pandunt.

A Semitæ vero multiplices erant, quæ portis elegantibus claudebantur, quod videre est etiamnum in ecclesiis cathedralibus, de quibus Paulinus Natal. 10, v. 37 et seqq.:

> Basilicis hæc juncta tribus, patet area cunctis,
> Diversosque aditus ex uno pandit ad omnes,
> Atque itidem gremio diversos excipit uno
> A tribus egressos, medio spatiosa pavito.

In arcu ecclesiæ (ut vocat Paulinus) manus iis imponebantur quorum crimina publica erant, ibique consistebant pœnitentes publici, ut videre est apud divinorum officiorum expositores ; quam consuetudinem plures etiamnum tenent feria quinta in Cœna Domini ecclesiæ cathedrales in reconciliatione publice pœnitentium, inter quas metropolitana et primatialis ecclesia Rotomagensis, cathedrales ecclesiæ Ebroicensis, Carnotensis, Useticensis, et S. Pontii Thomeriarum. Partim ex CANGIO, in Constantinop. Christ., pag. 20.

B Not. 168. *Simplicibus produnt.* — Tertullianus lib. adversus Valentinianos, cap. 3 : *Nostræ columbæ domus simplex, etiam in editis semper et apertis et ad lucem.* Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ, cap. 6 : *Simplex animal et lætum est columba, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum ; hospitia humana diligere, unius domus consortia nosse ; cum generant, simul filios edere ; cum commeant, volantibus simul cohærere, communi conversatione vitam suam degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia unanimitatis implere. Hæc est in Ecclesia noscenda simplicitas, hæc caritas obtinenda, ut columbas dilectio fraternitatis imitetur, ut mansuetudo et lenitas agnis et ovibus adæquetur.*

Cyrillus Catechesi Illuminat. 17 : Κατῆλθεν δὲ ἴσως ἐν εἴδει περιστερᾶς, ὥς φασί τινες, τῆς καθαρᾶς, ὡς ἀκεραίου. καὶ ταῖς ὑπὲρ γεννωμένων τέκνων καὶ συγχωρήσεως ἁμαρτιῶν εὐχαῖς συνεργούσης. *Descendit autem*
C *forte in specie columbæ mundæ, ut aliqui dicunt tamquam simplicis, propter puros et innocentes et pueros parvulos, qui nascuntur ex Spiritu sancto, et propter remissionem peccatorum orationibus consequendam.* Quod in ænigmate prædictum vult idem Canticorum v, 12 : *Oculi tui sicut columbæ super plenitudines aquarum.* Idem Catechesi Illuminatoria 18, in illud Isaiæ cap. LXVI, v. 8 : *Qui sunt isti?* Νεφέλαι διὰ τὸ πνευματικὸν, καὶ περιστεραὶ διὰ τὸ ἀκέραιον. *Nubes propter spirituale, columbæ propter simplicitatem.*

Augustinus libro II adversum Faustum Manichæum, cap. 45 : *Disciplina Catholica propterea simplici fide prius nutriri oportere docet mentem Christianam, ut eam capacem faciat ad intelligenda suprema et æterna.* Idem contra **916** Epistolam Fundamenti, cap. 4 : *In catholica enim Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cujus cognitionem pauci spirituales in hac vita perveniunt, ut eam ex minima quidem parte, quia homines sunt, sed tamen sine dubitatione cognoscant, ceteram quippe turbam non intelligendi vivacitas, sed*
D *credendi simplicitas tutissimam facit.* Vide Tertullianum, lib. de Baptismo, cap. 2, ubi duas assignat rationes cur quidam non simpliciter credant, scilicet, *simplicitatem divinorum operum, et magnificentiam quæ in effectu repromittitur.* Quod declarat simplici apparatu baptismi, unde tamen consequitur æternitas. ROSVEYDUS.

Not. 169. *Amne ministro.* — Cur in ingressu templorum canthari et luteres aqua pleni vel etiam fontes apud Christianos collocarentur, disces etiam ex S. J. Chrysostomi serm. 25 de Verbis Apostoli : *Habentes autem eumdem spiritum*, in eo tomo in quem conjecimus Homilias de diversis Novi Testamenti locis, pag. 369 : Καθάπερ γὰρ κρήνας εἶναι ἐν ταῖς αὐλαῖς τῶν εὐκτηρίων οἴκων νενόμισται, ἵνα οἱ μέλλοντες εὔχεσθαι τῷ Θεῷ, πρότερον ἀπονιψάμενοι τὰς χεῖρας οὕτως αὐτὰς εἰς εὐχὴν ἀνατείνωσιν· οὕτω καὶ τοὺς πένητας ἀντὶ πηγῶν, καὶ κρηνῶν ἔστησαν οἱ πατέρες πρὸ τῶν θυρῶν, ἵν' ὥσπερ ὕδατι τὰς χεῖρας ἀπονίπτομεν, οὕτω

φιλανθρωπίᾳ τὴν ψυχὴν ἀποσμήχοντες πρότερον, οὕτως εὐχώμεθα. *Quemadmodum enim solemne est ut fontes præsto sint in atriis templorum, ut qui preces fusuri sunt ad Deum, manus prius lotas inter precandum attollant; ita pauperes fontium vice ante fores collocaverunt majores nostri, ut non aliter ac manus abluimus aqua, prius per beneficentiam abstersa anima, tum demum preces nostras offeramus.* Duc.

In medio areæ seu atrii Sophianæ ædis Constantinopol. phialam instituit Justinianus. Sic labrum seu fontem appellabant ubi perennes aquæ saliebant, e quibus plebs lavaretur: quia, inquit Eusebius lib. x Histor. ecclesiast., cap. 4, non licebat ἀνάγνοις καὶ ἀνίπτοις ποσὶ τῶν ἔνδον ἐπιβαίνειν ἁγίων. In hac Sophiana phiala erant fontes alii, seu putei, qui aquam populis ædem ingressuris ad lavationem suppeditabant. Porro ante ædium sacratum vestibula balnea et lavacra publica collocata docet inprimis Eusebius loco citato, in descriptione ædis Tyrensis, et Paulinus epist. 12 et 31, ut et Natali 9 et 10, apud quem *cantharus* appellatur, *fastigiatoque* interdum *solido ære tholo* tectus describitur. Sunt enim canthari aquarum receptacula, unde aquæ erumpunt. Idem Paulinus Natali 10:

> Interior variis ornatibus area ridet.

Vide seqq. Quippe fideles priusquam ædem ingrederentur, aquis istis, quæ a sacerdote benedicebantur, facies et manus lavabant. Hinc Paulinus ad Severum:

> Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
> Cantharus, intrantumque manus lavat amne ministro.

Atque hæ fontium aquæ quotannis in pervigilio sacrorum Theophaniorum, interdum in ipso festo die, consecrabantur et benedicebantur, quarum benedictionis ordo habetur in Euchologio Græcorum. Harum loco successere apud Latinos, quæ in templorum valvis exponi solent, lustrales undæ, uti qui de ritibus ecclesiasticis scripsere pridem docuerunt. Cangius, in Constantinopoli Christiana, lib. III, cap. 22, pag. 21 et 22.

¶ Hanc, ut opinor, lotionem intellexit Johannes Abrincensis, deinde Rotomagensis archiepiscopus in lib. de Divinis Officiis, in nocte Natalis Domini, pag. 34, ubi peractis nocturnis, antequam agat de officio missæ ad galli cantum, dicit: *Clerus et populus lavatum exeant.* Hinc, opinor, fontes juxta cathedrales et præcipuas ecclesias. Vide not. 41.

Not. 170. *Paulus apostolico.* — Videtur hic Paulus episcopatui præfuisse Nolano, cum Paulinus hæc scriberet; quem ut hic *sacerdotem*, mox vocat *antistitem:* quod ætate Paulini idem erat. Amicus Romanus suggerebat per *Paulum* hic forte intelligi *Paulinum.* Sed hoc tempore videtur Paulinus nondum fuisse episcopus, quod colligere est ex epistola 16, ubi Anastasius vocaverat ad natalem suum consacerdotes, id est episcopos Campaniæ: et notat se præter morem fuisse invitatum, cum ea invitatio consacerdotibus tantum deferri soleret. Jam vero epistola hac 12 describit Nolanam ecclesiam a se ædificatam, cujus ædificationis meminit etiam Natali 9, in secundo adventu Nicetæ: atqui primus adventus Nicetæ contigit antequam Anastasius esset pontifex, siquidem Baronius recte calculum subducit tomo V Annalium 397, secundus vero quadriennio post, et basilica illa jam ante secundum Nicetæ adventum perfecta erat, ad quam illum Paulinus Natali 9 lustrandam duxit, nisi forte secundo vel tertio Anastasii anno Paulinus creatus fuerit episcopus: quod plane non liquet. Rosweydus.

Not. 171. *Hic locus est veneranda penus qua conditur, et qua* **917** *promitur alma sacri pompa ministerii.* — In bemate, ubi stabat sacra mensa seu altare, concha major erat duas minores adjunctas habens, alteram ad dextram et septentrionem, alteram ad sinistram et ad meridiem altaris. Harum concharum alteram quæ ad dextram seu septentrionem statuitur, πρόθεσιν Græci appellant, quasi dicas propositionem, seu *propositionis mensam*, a cæremonia quæ in ea peragitur nomen habentem. « In ea namque (ait Allatius) sacerdos ante missam, et una cum eo ministrantes, res omnes ad sacrum complendum necessarias, ut panem, vinum et alia præparant, quibus finitis secedunt ad sacram mensam ubi sacra liturgia inchoatur. » Utramque concham *secretarium* vocat Paulinus, priorisque seu prothesis usum sic describit: *Hic locus*, etc., ut supra. Et epistola 12 ad Severum (nunc 32) de binis istis conchis verba faciens: *Una earum* (inquit) *immolanti hostias jubilationis patet.* Ubi pro *patet*, legendum, *parat*, censuerim. Cangius, in Constantinop. Christ., p. 59.

Not. 172. *Si quem sancta tenet meditanda in lege voluntas, Hic poterit residens sacris intendere libris.* — Conchas majori adjunctas *secretaria* appellasse Paulinum supra observatum est. Proinde idem est *paratorium* quod *secretarium.* Repositos autem fuisse libros ecclesiasticos in hac concha docet idem Paulinus, dum illius usum sic describit: *Si quem sancta tenet*, etc., ut supra, in ea enim concha sacræ lectiones fiebant, sacrique libri finita liturgia publice prælegebantur. Id, ni fallor, satis innuit ipse Paulinus; nam cum dixisset unam earum concharum immolanti hostias jubilationis antistiti parare, hæc subdit: *Altera post sacrificium capaci sinu receptat orantes.* Cangius, in Constantinop. Christ., lib. III, pag. 60.

Not. 173. *Geminatus est titulus.* — Scilicet unus titulus picturam, alter reliquias spectat; quare epigraphen suam singulis feci, quæ ante deerat. Rosweydus.

Not. 174. *Alite quem placida.* — Hæc pars sacræ picturæ, qua hiantem agnum S. Spiritus specie columbæ perfundit, exstabat etiamnum Romæ in sarcophago in ædibus Bernardi Bisciæ prope Sapientiam, anno 1591, cum eam Philippus Winghius expressit, cujus ectypon Winghii fratres supra nominati servant. Rosweydus.

Not. 175. *Et magno nomine Lucas martyr.* — Baronius ad Martyrologium Romanum 18 Octobris, conjunctim legit *Lucas martyr*, existimatque Paulinum in ea fuisse sententia, ut Lucam martyrio affectum crediderit; quod et Servius noster in Apparatu suo evangelico sequitur, qui addit Paulinum etiam Natali 9 Lucam martyrem vocare. Sed neuter locus plane evincit Lucam martyrio functum fuisse. Nam priore loco *martyr* referri potest ad *Nazarium*, uti impressimus ex veteribus editionibus: posteriore nulla mentio martyrii in carminibus quæ Lucam spectant. Nisi martyrem velis, quia ibi martyribus interjungitur. Sed et martyr dici potuit, *quia multa passus est pro Christi nomine*, uti habet Martyrologium Romanum; quo modo Paulinus Felicem quoque Nolanum martyrem vocat Natali 9:

> Hoc etiam micare domus quo martyris alta.

Lucam tamen vere martyrem fuisse aliqui veteres prodiderunt, quod tempore et loco alibi opportunius discutiendum. Videri posset Paulinus, dum *Lucam magno nomine* vocat, respexisse ad id quod *Luca* seu *Lucanus* in Italia pro magno olim usurpabatur, eo quod in Lucania erant armenta maxima, uti testatur Lucilius:

> Quem neque Lucanis oriundi in montibu' tauri
> Ducere protelo validis cervicibu' possent.

Unde apud Ennium, citante Varrone, lib. VI de Lingua Latina, *Luca bos*, id est magnus bos, seu elephas. Eodem modo usurpavit Lucretius lib. V, et Silius lib. VI. Vide eumdem Varronem dicto loco, ubi triplicem rationem adfert cur elephas dictus sit *bos Luca.* Præ ceteris placet illa Verginii, quod maxima quadrupes in Italia esset bos, et quia in Lucania Pyrrhi bello primum visi elephanti, inde vocarunt *Lucam* seu *Lucanum bovem.* Aberravit a mente Varronis Baronius tomo I, anno Christi 58, n. 54, dum ratione S. Lucæ, cui bos tribuitur, adducit Varronem quasi asserentem *bovem* in Italia vocari *Lucam.* Nec enim *bos* vocatur *Luca*, sed elephas vocatur *Luca bos.* Rosweydus.

IN EPIST. XXXIII.

Not. 176. *Alethio.*—Nescio an hic ille sit qui tempore Paulini fuit episcopus Cadurcensis, cujus Paulinus (si tamen noster sit) meminit in epistola, cujus fragmentum tantum exstat apud Gregorium Turon., lib. II Histor. Franc., cap. 13 : *Qualis autem*, inquit, *fuerit hic* (Venerandus) *pontifex, testatur presbyter Paulinus*, **918** *dicens : Si enim hos videas dignos Domino sacerdotes, vel Exsuperium Tolosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdegalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Engolismæ, vel Venerandum Arvernis, vel Alithium Cadurcis, vel nunc Pegasium Petragoriis, utcumque se habent seculi mala, videbis profecto dignissimos totius fidei religionisque custodes.* Etsi enim tempore Paulini Cadurci sederit Florentius episcopus, uti patet ex epistola præcedente, Alethius post eidem successit. Et prima Paulini editio hic inscribit, *Alethium episcopum fratrem suprascripti.* ROSVEYDUS. Vide Vitam S. Paulini, cap. 48, n. 3.

IN XXXIV. SERM. DE GAZOPHYLACIO.

Not. 177. *De gazophylacio.*— Erat olim in templis locus qui gazophylacium dicebatur quo recondebantur eleemosynæ in pauperes erogandæ. Frequens ejus mentio in sacris Litteris. Chrysostomus tomo de diversis Novi Testamenti locis, homilia 22 *de Eleemosyna et Collatione in sanctos*, postquam populum Antiochenum (non Constantinopolitanum, uti putavit Franciscus Bernardinus Ferrarius, lib. II, cap. 10, de Antiquo ecclesiast. epistol. Genere, et lib. I de Ritu sacrarum concionum, cap. 26; nam Antiochiæ habitam constat ex fine epistolæ, ubi ait Hierosolymam eleemosynis sublevatam a civitate ista, quod habetur Act. II) monuit ut privatim quædam pro pauperibus seponerent. Γενέσθω τοίνυν ἐκκλησία τῷ τρόπῳ τούτῳ ἡ ἑκάστου οἰκία, χρημάτων ἱερῶν ἔνδον ἀποκειμένων. Καὶ γὰρ τὰ γαζοφυλάκια τὰ ἐνταῦθα κείμενα τούτων ἐστὶ σύμβολον. *Hoc itaque modo uniuscujusque domus Ecclesia fiat, sacratas opes inter se conservans.*

C *Enimvero gazophylacia quæ in templis sunt, illarum symbolum gerunt.* Augustinus in psalmum LXIII : *Quid est gazophylacium? Arca Dei, ubi colligebantur ea quæ ad indigentiam servorum Dei mittebantur.* Possidius in Vita S. Augustini, cap. 24 : *De neglecto a fidelibus gazophylacio et secretario, unde altari necessaria inferuntur, aliquando in ecclesia loquens admonebat, quod etiam beatissimum Ambrosium se præsente in ecclesia tractavisse nobis aliquando retulerit.* Concilium Carthaginense IV, canone 93 : *Oblationes dissidentium fratrum, neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur.*

Gazophylacium hoc Paulinus hic *mensam* quoque vocat. Tertulliano *arca* dicitur Apologet. cap. 39 : *Etiam si quod arcæ genus est, non de ordinaria summa, quasi redemtæ religionis congregatur*, uti et Augustino loco citato; Cypriano *corbona* lib. de Opere et Eleem., cap. 5 : *Dominicum celebrare te credis, quæ corbonam non respicis?* ubi etiam *gazophylacium* vocat. ROSVEYDUS.

Not. 178. *Suspenso tibi, immo munito calcandæ vestigio.* — Ita correxi ex conjectura. Ante erat *suspenso tibi in monumento calcandæ vestigio*, nullo sensu. Romanus amicus corrigebat *in momento*. Veram conjecturam meam esse vel ipse Paulinus dicet, qui epistola 2, pag. 29, lin. 22, habet *munito pede tutus ingrediar.* ROSVEYDUS.

IN EPIST. XXXVI.

Not. 179. *Eum spirituum trium consensus invitet.* — Sensus est : Christus, quo præsente dicebant euntes in Emmaus duo discipuli, *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* etiam nobiscum manebit, si duo quæ sunt in nobis, vel potius tria, id est caro, anima, et spiritus, ad eum invitandum consenserint. Ipse enim dixit : *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Vide in epist. 3 ad

A Aprum (nunc 44), *Habentes autem cor ardens*, etc. Tria autem illa in homine Patres, ex S. Paulo 1 Thessalon. V, distinguere solitos clarum est. Vide ipsum Paulinum epist. 2 ad Amandum (nunc 12) *Cum spiritus Deo serviens*, etc. SACCHINUS.

IN EPIST. XXXVIII.

Not. 180. *Secretum taciti ruris.* — Hæc erant religiosæ vitæ præludia, quibus simile quid narrat de S. Gregorio Nazianzeno præceptore suo Hieronymus in Catalogo script. ecclesiast., cap. 117 : *Episcopum in loco suo ordinans, ruri monachi vitam exercuit.* Sophronius dixit : Ἐν ἀγρῷ μοναδικὸν βίον ἀπηνέγκατο. Gregorius in ejus Vita : Ἔρχεται εἰς Ἀριανζὸν χωρίον Καππαδοκίας, ὅπερ ἔκτησεν ἐκ πατρικοῦ κλήρου. *Arianzum parvenit Cappadociæ pagum, quem ex paterna hereditate ad se devolutum possidebat.* Possidius, cap. 3 Vitæ S. Augustini : *Placuit* **919** *ei, percepta baptismi gratia, ad Africam et propriam domum agrosque remeare, in quibus constitutus triennio, a se jam alienatis*

B *secularibus curis, cum iis qui eidem adhærebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus, bonis operibus, in lege Domini meditans die ac nocte.* DUC.

Vide de hoc secessu ad meditandum elegantem et accuratum tractatum P. nostri Julii Nigronii, qui 6 est inter asceticos. ROSVEYDUS.

IN EPIST. XXXIX.

Not. 181. *Si vasta quasi dumis sordeat, neque propheticis aut apostolicis nubibus compluatur, in aridam solitudinem gratia deserente damnabitur.* — *Vastum* maxime dicitur de agris qui non excoluntur. Tabularium Vindocinense ch. 237 : *Quæ dum priscis coleretur temporibus, 12 den. census solvebat, modo vero quia vasta est, nihil census reddit, sed est allodium.* Tabularium ecclesiæ S. Stephani Lemovicensis anno 1081 : *Fecit Gosbertus archidiaconus totam terram de monte S. Johannis esse vastam.* CANGIUS, in Glossar. Lat., tom. III, p. 1260.

C Not. 182. *Ultra betam semicoctam.* — Ubi nos legimus in Vulgata Isaiæ LI, 20, *Filii tui dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus*, Græce est apud LXX, Οἱ υἱοί σου καθεύδοντες ἐπ' ἄκρου πάσης ἐξόδου, ὡς σευτλίον ἡμίεφθον, οἱ πλήρεις θυμοῦ Κυρίου. *Filii tui dormientes in capite omnis viæ sicut beta semicocta, pleni furoris domini.* S. Hieronymus in Isaiam : *Pro beta semicocta reliqui interpretes orygem captum et illaqueatum transtulerunt, qui Hebraice appellatur* תאו, *quod genus bestiæ nascentis in eremo inter munda animalia in Deuteronomio* (Cap. XIV) *ponitur, pro quo LXX Syra lingua opinati sunt thoreth, quæ dicitur beta. Qui inter vitia et virtutes medius fluctuat, et duplici corde accedit ad servitutem Dei, hic vocatur beta semicocta.* Cyrillus : Οἱ παρειμένοι τὰς φρένας, καὶ ἐκλελυμένοι τὸν νοῦν ὡς σευτλίον ἡμίεφθον. *Qui remissi animis sunt, et mente soluti, sunt similes betæ semicoctæ.* Porro insipidæ sunt betæ, nisi pipere condiantur : Martialis lib. XIII, 13 :

D Ut sapiant fatuæ stultorum prandia betæ,
O quam sæpe petet vina piperque coquus!

Suetonius in Augusto cap. 87 : *Octavius Augustus ponit assidue betissare pro languere, quod vulgo lachanissare dicitur.* Λάχανον Atticis *beta* est, λαχανίζειν, *languere*. Glossar. λαχανίζουσι, *vacillant.* DUC.

IN EPIST. XL.

Not. 183. *Potionati.... a vino unguentorum de salice salutaris Domini.* — ¶ *Potionatus* vulgo idem est ac veneno sublatus; hic vero vox est contrariæ significationis a vero potionare desumta, quod est medicinam accipere. Hac postrema significatione accipiendum est quoque illud chartæ Octaviani cardinalis apud Ughellum, tom. III Ital. sacr., pag. 635 : *Excipimus... infirmos, et quasi graviter debiles, potionatos et sanguine minutos*, etc.

IN EPIST. XLII.

Not. 184. *Florentio* — ¶ Hic *Florentius* fuit Cadurcensis episcopus, ut colligitur ex omnibus titulis codicum mss. et editorum ad hanc epistolam. Ms. Reg. : *Incipit a l Florentium episcopum de civitate Cadurcensium.* Ms. Vien. : *Ad Florentium episcopum Cadurcensem.* Ed. Bad. ut ms. Reg., sed addit *epistola.* Grav. item, *Divi Paulini.... epistola*, sicut et Schot. *Sancti*, etc. In omnibus legitur *de civitate Cadurcensium;* sed in editione Grin., *Patri Florentio Cadurcensium episcopo, Paulinus.*

Pamelius tom. I Liturg., pagg. 507, seculo V, citat hanc Paulini epistolam cum inscriptione *ad Florentium Tiburtinensem episcopum*, pro *Cadurcensem;* quod unde habeat nescio. Sed cum ibidem ponat Innocentium papam ad hanc Florentium Tiburtinensem episcopum scripsisse epistolam suam octavam, facile apparet Pamelium ex eo vulgatam Paulini inscriptionem mutasse; quo accedit quod Innocentius etiam litteras dederit ad Victricium Rotomagensem episcopum, cujus quoque meminit Paulinus. Hæc occasio fuerit Pamelio inscriptionem mutandi. Rosveydus.

IN EPIST. XLIII.

920 Not. 185. *Desiderio.* — Hic ille est *Desiderius* cui Severus Vitam D. Martini inscripsit. Rosveydus.

Not. 186. *Dissicit paleas.* — ¶ Ita Mss. codices Reg. et Vienn. In editis, *disjicit*, sed *dissicit paleas*, id est *separat paleas* a tritico. *Dissicere* enim, *removere, separare,* dicitur Johanni de Janua; aliquando etiam *dispergere, dissipare.* Prudentius Cathemerin. hymn. I : *Tu Christe somnum dissice*, et lib. Peristeph. in hymno S. Laurentii archilevitæ, v. 209 :

Cum membra morbus dissicit.

Sic enim legitur in vetustissimis codicibus mss., ut testatur N. Heinsius in notis. Adde Paulinum Petricordiam in lib. III, v et VI, de Vita S. Martini Turonensis episcopi, ex quinque pervetustis codicibus a Francisco Jureto collatis.

IN EPIST. XLIV.

Not. 187. *Ad mensam potentis* — Ecclesiastici XIII, 12, tale quid occurrit : Προσκαλεσαμένου σε δυνάστου, ὑποχωρῶν γίνου. *Si advocaverit te potentior, fac ut recedas;* et cap. XXXI, 13 : Ἐπὶ τραπέζης μεγάλης ἐκάθισας : μὴ ἀνοίξῃς ἐπ' αὐτῆς φάρυγγά σου. *Ad mensam magnam sedisti, non aperias super illam faucem tuam;* et v. 16 : Οὗ ἐὰν ἐπιβλέψῃ, μὴ ἐκτείνῃς χεῖρα. *Quocumque aspexeris, ne extendas manum;* et v. 20 : Καὶ εἰ ἀναμέσον πλειόνων ἐκάθισας, πρότερον αὐτῶν μὴ ἐκτείνῃς τὴν χεῖρά σου. *Et si inter plures sedisti, ne extendas manum tuam prior.* Ex his fortasse locis conflatam sententiam istam protulit Autor noster, quantum ex indicio nobis librorum constituit. Duc.

Not. 188. *Conjux.* — Hic de Apri presbyteri conjuge Amanda presbyterissa agit Paulinus. *Presbyteræ, presbyterissæ*, erant presbyterorum uxores, eorum nempe qui abdicato ex consensu mutuo matrimonii usu, divino cultui se mancipabant, sacerdotes effecti vel episcopi. Otto Vercellensis episcopus epist. 8 : *Possumus quoque presbyteras vel diaconas illas existimare, quæ presbyteris vel diaconis ante ordinationem conjugio copulatæ sunt, quas postea caste regere debent*, etc. Gregorius M. lib. IV Dialog., cap. 11: *Illic presbyter quidam commissam sibi cum magno timore Domini regebat ecclesiam : qui ex tempore ordinationis acceptæ presbyteram suam ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propius accedere nunquam sinebat.* Ubi observandum ejusmodi presbyteras in eadem æde qua mariti vitam caste exegisse; idque Ecclesiæ canonibus sancitum tradit idem Gregorius lib. VII, indict. 2, epist. 39, ubi cum episcopos una cum mulieribus habitare vetasset, hæc subdit : *Hoc tantummodo adjecto, ut hi, sicut canonica decrevit autoritas, uxores, quas caste debent regere, non derelinquant.* Quibus consonat lex 43 cod. Theod. de A Catholic. et Concil. Turon. II, c. 19, sed periculosam fuisse interdum ejusmodi conversationem docet exemplum a Flodoardo allatum lib. I Histor. Remensis, cap. 14, unde in concilio Toletano III, c. 5, satius esse dicitur ut in alia domo presbyteræ habitent. In hanc sententiam autor libri de singularitate clericorum inter opera S. Cypriani : *Cum videam de Christianis plerosque maritos pariter et uxores continentiam destinantes domicilia singularia magis eligere, ut consensu communium votorum sine irritatione præsentiæ, et concordante secessu, valeant obtinere.* Vide Gregorium Turon. lib. I Histor., cap. 39. In concilio Arelatensi II, cap. 3, ejusmodi *presbyteræ conversæ uxores* dicuntur, quibus concessum erat in domibus clericorum habitare, quemadmodum matribus, aviis et sororibus : ita tamen ut a conjugibus suis ii abstinerent, ut est in concilio Turonensi I, cap. 2; Arvernensi, c. 13; Aurelianensi IV, c. 17; et Autisiodorensi, c. 21; sed et nec communem lectum et cellam haberent, ut est in iisdem conciliis Aurelian. et B Autisiodor. locis citatis, et in Turon. II, c. 19. Jubebantur præterea vivere ut sorores, in concilio Arvernensi, c. 19, et Matisconensi I, c. 11. Ita tamen in eadem domo cum uxore habitare licebat presbyteris, dummodo alterius clerici testimonio uterentur, quo eorum vita clarior appareret. Vide concilium Gerundense sub Hormisda PP., c. 7; Braccarense III, c. 1, 4; et concil. Turon. II, c. 12, 19. Sed hunc cohabitationis usum et morem exagitant S. Gregorius Nazianzenus, S. Chrysostomus et S. Basilius.

Denique si maritis presbyteris vita excedere contingeret, alteri nubere vetabantur. Ita concilium Aurelianense I, c. 13; Epaonense, c. 2; fragmentum concilii Ilerdensis allatum a Surio post concilium Ilerdense; concilium 921 Romanum sub Zacharia PP., c. 5; Vermeriense anno 752, c. 3, etc. Atque inde forte *presbyteræ* dictæ generalius omnes viduæ seniores quæ sacris in Ecclesia exercitiis vacabant. Glossæ mss. ad concilium Laodic., c. 11 : *Presbyteræ, id est viduæ seniores.* Ubi Isidorus Mercator et C Ferrandus diaconus, c. 221 : *Mulieres quæ apud Græcos presbyteræ appellantur, apud nos autem viduæ seniores, conversæ et matriculariæ.* Atque hæ quidem *presbyteræ* seu *presbyterissæ*, uti vocantur in ordine Romano, vestitu longe modestiori quam ceteræ feminæ utebantur, ut docet idem Gregorius M. lib. VII, indict. 2, epist. 7. De earum ministeriis hæc attigit Atto Vercellensis episcopus epist. 8 : *Sicut enim hæ quæ presbyteræ dicebantur, prædicandi, jubendi vel edocendi; ita sane diaconæ ministrandi, vel baptizandi officium sumserant : quod nunc jam minime expedit.* De presbyterissis vel presbyterorum uxoribus agunt præterea synodus Trullana, can. 12, 13, et Leo VII PP. in epist. ad Gerhardum Lauriacensem archiepiscopum, pag. 11. Cangius, in Glossar. Lat., tom. III, pagg. 408, 409, 410. Vide idem Glossarium in voce Sorores, tom. III, p. 903.

Not. 189. *In opera.* — Ea lectio melior quam *in opere.* Exprimit enim textum LXX Paulinus Prover- D bior. XXXI, 17 : Ἤρεισε τοὺς βραχίονας αὐτῆς εἰς ἔργον. *Firmavit brachia sua ad opus;* et v. 19 : Τοὺς πήχεις αὐτῆς ἐκτείνει εἰς τὰ συμφέροντα, τὰς δὲ χεῖρας αὐτῆς ἐρείδει εἰς ἄτρακτον. *Cubitos suos extendit ad utilia, manus autem suas firmat ad fusum;* et v. 27 : Σῖτα δὲ ὀκνηρὰ οὐκ ἔφαγε. *Cibos autem pigros non comedit.* In quem locum annotat Flam. Nobilius scholium : Ἄρτον ὀκνηρίας, *panem socordiæ.* Paulinus dixit, *escas pigritiæ.* Vulgata Latina, *Panem otiosa non comedit.* Duc.

Not. 190. *Misericordia.... suscitabit filios*, etc. — Non aliunde videntur ista depromta, nisi ex eodem libro et capite Proverbiorum, quod viduæ liberalis et munificæ laudes complectitur, cap. XXXI, 28 : Ἐλεημοσύνη δὲ αὐτῆς ἀνέστησε τὰ τέκνα αὐτῆς, καὶ ἐπλούτησαν. *Eleemosyna autem ejus suscitabit filios ejus, et ditati sunt;* ita Romana editio, cum qua Paulinus consentit, non Complutensis, ἀνέστησαν τὰ τέκνα αὐτῆς, sed cum Vulgata Latina, *Surrexerunt*

filii ejus. Paulo post, ubi de filiis prophetarum agit, historiam attingit quam leges IV Reg. IV, 38, et cap. VI, 4 : *Cumque venissent ad Jordanem, cædebant ligna. Accidit autem ut cum unus materiam succidisset*, etc. Sed apud Paulinum corrigendum fortasse, *ad componendam pace silentii animam*, non *pacem silentii*. Sic enim dixit epist. 1 ad Aprum : *Ecclesiarum tumultus et concilia inquieta declinans*. Duc.

Not. 191. *Ros enim qui ab illo est, sanitas*. — Locus est Isaiæ XXVI, 19 : Ἡ γὰρ δρόσος παρὰ σοῦ. ἴαμα ψυχῆς. *Ros enim qui a te, sanitas animæ*. Vulgata Latina : *Quia ros lucis, ros tuus*. Sic Prov. XVI, 24 : Γλύκασμα δὲ αὐτῶν, ἴασις ψυχῆς. *Dulcedo vero eorum, sanitas animæ*. Citavit eumdem Isaiæ locum antea epist. 17 ad Delphinum, ubi eodem modo legit : *Ros enim qui ab illo est*. Duc.

Not. 192. *Pinguescent fines deserti*. — Psalmo LXIV, 13, profertur illud, *Pinguescent fines deserti*, ubi videtur interpres quem sequitur Paulinus legisse Πιανθήσονται ὅροι τῆς ἐρήμου, quemadmodum et apud Hilarium, Augustinum, Cassiodorum et Arnobium, Ambrosium item de Institutione virginis, cap. 15, et in Romano Psalterio editum est : at in Gallico Psalterio, quod est in Vulgata, τὰ ὡραῖα τῆς ἐρήμου, *speciosa deserti*. Romana ex Vaticano codice LXX : τὰ ὄρη τῆς ἐρήμου, *montes deserti*, quemadmodum et Apollinaris, οὔρεα πίον' ἐρήμου, *Montes pingues deserti*. S. Hieronymus ex Hebræo, *pascua deserti*; Aquila et Symmachus νομαί, *pascua*. Duc.

IN EPIST. XLV.

Not. 193. *Quintus diaconus*. — Meminit hujus Augustinus epistola 59 ad Paulinum : *Quod de perventione tam prospera fratris et compresbyteri nostri Quinti, et qui cum eo navigaverunt, cito nos Dominus exhilaravit*. Fuerat hic portitor litterarum Augustini ad Paulinum, qui et responsum a Paulino ad Augustinum retulit. Rosweydus.

Not. 194. *Melanio*. — Intelligit ipsam Melaniam, quæ nunc *Melania*, nunc *Melanius*, nunc *Melanium* dicta. Sic et supra epist. 12. Mss. præferebant,

Hoc Melani sanctæ delatum munere Nolam.

Vide Præludia mea ad VIII librum de Vitis Patrum, num. 6. Ita videtur capiendus Augustinus epistola 227 : *Carissimis fratribus Albino, Piniano et Melanio :* ita lego pro *Meliano*. Intelligit Albinam et Melaniam, cum apud Alypium episcopum Thagastæ in Africa versarentur. **922** An feminæ hæ, *Melania, Albina*, dictæ *Melanius et Albinus* a virili fortitudine qua affectus omnes mundumque superarunt, qua forma Phryges ob effeminationem Phrygiæ dictæ? Confirmari posset ex Vita Eugeniæ, cap. 7, ubi cum Eugenia tegendi sexus causa dixisset se vocari Eugenium, dixit D. Helenus : *Recte te Eugenium vocas: viriliter enim agis, et confortetur cor tuum pro fide Christi. Ergo recte vocaris Eugenius*. Ita S. Franciscus D. Jacobam insignem matronam Romanam, *non D. Jacobum, sed fratrem Jacobum, propter vitæ probitatem et sanctimoniam, vocabat*, uti refert Bartholomæus Pisanus lib. III conformit. 4, parte 2. Rosweydus.

Vide not. 138.

IN EPIST. XLVI.

Not. 195 *In translatione S. Clementis*. — An Romani, an Alexandrini? Intelligo potius Clementem Romanum pontificem, qui decem libros scripsit Recognitionum, quos forte Paulinus rogatu Ruffini interpretandos susceperat. Certe ea interpretatio videtur ad Ruffinum pervenisse; quam cum Ruffinus deprehenderet minus commode præstitam, eumdem Paulinum adhortatus est ut attentius studium in Græcis litteris poneret. Fatetur hæc ipse Paulinus hac ipsa epistola. Unde post apparet Ruffinum vel Paulini interpretationem interpolasse, vel de novo Clementinos illos libros vertisse. Certe ex Ruffini interpretatione hodie circumferuntur hi libri inscripti Gaudentio episcopo, an Brixiano an Novariensi, dubites, quia uterque Ruffini seculo clarus in Italia.

A Suscepit Ruffinus hanc interpretationem rogatu Silviæ virginis, quam eam esse existimo quæ Palladio Lausiacæ Historiæ cap. 142 *Silvania*, Heraclii in Paradiso cap. 42, et Paulino epist. 11 ad Severum *Silvia* dicitur. Gennadius quoque in Catalogo scriptorum ecclesiasticorum fatetur Clementem a Ruffino Latinitate donatum. Ipse Ruffinus epistola ad Macarium de adulteratione librorum Origenis, meminit librorum qui appellantur Ἀναγνωρισμός, id est *Recognitio*, quos Clemens Romanus scripsit, licet ab hæreticis depravatos fateatur. Ἀναγνώσεων libros vocat in præfatione ad eos. Rosweydus.

Not. 196. *Sensu potius apprehenso*. — Fatetur Paulinus, cum verba plene intelligere vel exprimere non posset, se sensum conatum opinione sua adumbrare. Ruffinus vero etiam verba conatus est exprimere, uti fatetur epistola dedicatoria ad Gaudentium : *In cæteris autem, quantum potuimus, operam dedimus, non solum a sententiis, sed ne a sermonibus quidem satis*
B *elocutionibusque discedere*. Unde forte colligas novam a Ruffino interpretationem susceptam. Rosweydus.

IN EPIST. XLIX.

Not. 197. *Macario*. — Existimo hunc Macarium esse cujus meminit Palladius cap. 123, enumerans eos qui ad Pinianum, nunc in Campaniæ, nunc in Siciliæ agris agentem, asceseos sacræ causa accesserunt : *Similiter etiam quidam nomine Macarius ex vicaria*. Intelligit eum vicaria præfectura Romæ functum fuisse. Unde merito sollicitat eum Paulinus ut Secundiniano naufragam navem cum mercibus repostulanti a procuratore Posthumiani senatoris, qui eam in Brutiorum littore ad heri sui possessionem adlapsam occupaverat, auxilio sit. Procurator ille conventus a judice provinciali primo vi rebellarat, inde Romam confugerat. Huic Macario Ruffinus inscribit apologiam suam pro Origene, quem *virum desideriorum et fidelissimum* vocat. De ejus scriptis Gennadius Catalogo illustrium Ecclesiæ scriptorum,
C cap. 28 : *Macarius scripsit in urbe Romana adversus Mathematicos librum, in quo labore Orientalium quæsivit solatia litterarum*. Quo alludit Hieronymus apologia 2 contra Ruffinum : *Ergo nisi de Oriente venisset, eruditissimus vir hæreret adhuc inter mathematicos*; intelligens nimirum Macarium Romanum, quem Ruffinus sibi perfamiliarem habuit, quemque a Mathematicis abstraxit. Diversus hic est Macarius a Macario Romano, cujus Vita exstat in Vitis Patrum quos Baronius ad Martyrologium Romanum 2 die Januarii confuderat, uti docui ad librum I Vitarum Patrum. Rosweydus.

Not. 198. *Soliti commeatus*. — Sardiniensis hic commeatus navium frugibus in Italiam importandis. Sic *commeatus Alexandrinus*. Suetonio Neronis, cap. 20 : *Captus modulatis Alexandrinorum laudationibus qui de novo commeatu* **923** *Neapolim confluxerant*. Rosweydus. Vide not. 64.

Not. 199. *Variis, ut marina jactatio et navalis instructio poscit, officiis*. — Occasione senis hujus qui
D omnia nautica explevit officia, ut e naufragio evaderet, juvat hic adscribere quæ habet Augustinus de Cantico novo, et reditu ad cœlestem patriam, ac vitæ periculis cap. 2, tom. IX, ubi eleganter sub navalium apparatuum et instrumentorum metaphora nos hortatur ut prompti navem conscendamus, qua ad cœlestem patriam enavigemus. *Præparemus sitarcias, apprehendamus et ascendamus navem fidei simul et crucem; nec desit anchora spes nostræ salutis ; extendamus funes, diversas virtutes ; vela caritatis colligamus, invocemus ventum prosperum verbum Dei ; exhauriamus sentinam a peccatis, per eleemosynas mundetur conscientia. Non impediatur hujus nostri cursus navigii, operemur manibus ut possumus. Manibus suis sentinam exhauriebat qui dicebat :* Manibus meis coram eo nocte, et non sum deceptus (*Psal.* LXXVI). *Non negligamus nostra peccata : minuta sunt, sed multa sunt. Fluctus unus validus irruens obruit navem, minaturque naufragium ; humor autem*

per rimas influens, et in sentinam veniens, nisi subinde siccetur, hoc idem facit. Ergo exhauriatur sentina, non negligatur misericordia; quia eleemosyna a morte liberat, et ipsa purgat peccata. Adsit nostra tutela Christi gratia, celeuma nostrum dulce cantemus Alleluia, ut læti ac securi ingrediamur sempiternam ac felicissimam patriam. Non metuat anima mare hoc magnum, seculum scilicet, cujus fluctus ac turbines sentimus inimicas seculi potestates. In Deo sperantes multi jam sancti hos fluctus spreverunt, multi calcaverunt, multi super ejus aquas ambulantes, securi ad patriam pervenerunt: sed exsurgit ventus validus, et magna tempestas sua cujusque cupiditas. Titubat fides in mari? Clamet in te Petrus, Domine, pereo: *dabit manum mergenti; nec sinet perire ille, qui propter nos dignatus est super aquas ambulare.* Rosweydus.

Not. 200. *Supparum stabat, vela navis faciebat. Aqua*, etc. —Ita εὐστόχως Romanus amicus legebat, cum ante esset: *Si parum stabat, vel navis vela faciebat, aqua.* Ita in Isidori Regula 20, ubi de custode sacrarii agitur, fœda labes ex simili inhæret. Nam ubi habes, *vel vestes suere*, scribendum ex ms. Coloniensi, qui variorum Patrum regulas continet, *vela vestesque sacræ.* Rosweydus.

Not. 201. *Haustum humore destricto.* — Ita idem amicus suggerebat, cum ante *ore* tantum esset loco *humore.* Nempe *umore* olim scribebant pro *humore*, cujus duæ initiales litteræ omissæ a librariis, ob similem terminationem vocis præcedentis, uti iidem alias geminare eamdem erant soliti, terminationem vocis præcedentis repetendo et adjungendo initio sequentis vocis. Centies notata hæc antiquariis. Ut hic in Paulino omissa syllaba initialis ratione similis terminationis in præcedenti voce, ita apud Sidonium videntur duæ syllabæ omissæ lib. IX, epist. 15:

Limans faceta quæque sic poemata,
Venetam lacessat ut favore Mantuam,
Homericaque paret ipse gloriæ.

Quid hic *paret?* Silet Savaro. Sirmondus noster impressit, *par et.* Sed ita *que* in *Homericæque* redundabit. Legerim:

Homericæque æquiparet ipse gloriæ.

Æquiparet, id est par sit, ut Plauto, Trin. act., v. 2. Vides manifeste *æqui* omissum in *æquiparet*, quod *æque* præcederet in *Homericæque.* Simile mendum omissione unius litteræ contigit Lampridio in Alexandro Severo, ubi Casaubonus et Salmasius frustra laborant: *Rerum memoria singularis, quam nemo nisi Acholius ferebat adjutam.* Ms. Palatinus, item vetus editio Mediolanensis, necnon Veneta: *Quam nemo nicoa holius ferebat adjutam.* Initiale *m* vocis *mnemonici* omissum ob finale simile præcedentis vocis *quam.* Rosweydus.

Not. 202. *Quod quotidie nobis in manu et apostolorum et martyrum.*—Ita prima editio et mss. Gravius: *Nobis Immanuel apostolorum.* Romanus amicus suggerebat: *bonus Emmanuel apostolorum*, etc. Sed vulgata lectio certissima et verissima *Manus*, id est potestas. Ita sæpissime usurpat Paulinus. Carmine 27, Natali 9:

Felicisque manu nobis operata revolvam.

Eodem Natali:

Sed quacumque pii est pars corporis, et manus exstat:

Idem fragmento Natalis 11.

Quam divina manus medica virtute per omnes
Est illic operata vias.

Ita Actorem cap. XIX, v. 2: *Virtutesque non quaslibet faciebat Deus per manum Pauli*, videlicet tanquam per instrumentalem causam. Recte *manus* pro potentia ponitur, quia manus est *organum organorum*, ut ait Aristoteles, de Partibus animalium lib. IV, cap. 10: Ἔστι γὰρ ὡσπερεὶ ὄργανον πρὸ ὀργάνων. Rosweydus.

Not. 203. *Sicut nycticorax.* — Locus est ex psalmo CI, 7. Ἐγενήθην ὡς νυκτικόραξ ἐν οἰκοπέδῳ. *Factus sum sicut* **924** *nycticorax in domicilio.* In ms. legebatur *nocticorax*, mendose; quemadmodum et vitiose do-

A ctissimus ille vir *nycticora* scribendum contendebat, cujus meminit epistola illa quæ nunc primum editur ex codice Nolano; quæque licet alioqui minime videatur a stilo Paulini discedere, hoc nomine posset in suspicionem ψευδεπιγραφίας venire. Citatur ab Ant. Agellio in Commentario in psalmos. Certum est communi omnium autorum consensu νυκτικόρακα dici quasi nocturnum corvum, et κόρακα non a κόρη, quæ pupillam significat, sed a κόρος, quæ vox nigrum sonat, nomen habuisse. Aristoteles de Histor. animal. lib. VIII, cap. 3: Τῶν νυκτερινῶν ἔνιοι γαμψώνυχές εἰσιν, οἷον νυκτικόραξ, γλαύξ, βύας. *Nocturnarum etiam nonnullæ aduncis unguibus sunt, ut cicuma, noctua, bubo.* Ita vertit Gaza νυκτικόρακα, *cicumam*, idemque apud Aristotelem lib. IX, cap. 34, in otii avis descriptione pro nycticorace vertit *ululam.* Ulysses Aldrovandus neutro modo recte verti a Gaza putat lib. VIII Ornithologiæ, cap. 6, et *otum* potius esse. Immerito tamen suspicatur fictam a Gaza fuisse vocem *cicuma*, cujus Festus et Isidorus meminere in
B Glossis. *Noctuam* alii volunt orientalem quamdam esse avem. Hieronymus, epist. 135, testatur Symmachum vertisse vocem Hebræam *upupam:* et verosimile sit aliquam speciem earum avium esse quæ generatim aliquando noctuæ appellantur, et noctu vagantur et incedunt. Apollinaris, Ἢ νυκτὸς κόρακα ψιλῶν δαπέδων ναετῆρα. *Aut noctis corvum nudorum pavimentorum incolam.* Duc.

Not. 204. *Dei fugitivum prophetam ultor et custos cetus excepit.*—¶ Sic ms. Reg. cum edd. Bad. et Grav. Hæc eadem reperiuntur in carmine 21 ad Cytherium de naufragio Martiniani, v. 195, 217 et seqq., et carm. 19 ad Jovium, v. 105 et 113.

Scite dictum. Succurrit et illud S. Gregorii Moral. lib. VI, 14: *Fugitivum Dei tempestas invenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit; et quia autori suo obedire renititur, ad locum quo missus fuerat, suo reus carcere portatur.* Sacchinus

Not. 205. *In tabernaculis viri.*— Psalmo CXLVI, 10:
C Οὐκ ἐν δυναστείᾳ ἵππου θελήσει, οὐδὲ ἐν κνήμαις τοῦ ἀνδρὸς εὐδοκεῖ. *Non in potentia equi voluntatem habebit, neque in tibiis viri beneplacitum est ei.* Ita quoque ex Hebræo Hieronymus: *Non in fortitudine equi voluntas ejus, neque in tibiis viri placetur ei.* At Romanum et vetus Psalterium, Hilarius et Augustinus cum Paulino vertunt *in tabernaculis viri*, quasi legerint apud LXX non ἐν κνήμαις, sed ἐν σκηναῖς ἀνδρός. Ambrosius in Psalterio habet *in tibialibus viri beneplacebit ei:* unde etiam Hieronymus in Commentario: *Videtur non vocare tibias, sed περικνημῖδας, quia bellatorem virum descripserat, et quodcumque tibias texerit.* Sed fallitur tamen Hieronymus hic ὁ νομιζόμενος, neque Chrysostomus aut Euthymius aliter legerunt; ac nunc est apud LXX κνήμαις, non περικνημῖδας, sive ocreas quibus tibiæ crurave armantur. Nam nec in textu Græco apud Chrysostomum aliud occurrit quam ἐν κνήμαις; et Euthymius tibiarum ipsarum haberi rationem ait: Ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς βραχίοσι τῶν χειρῶν, οὕτω καὶ ἐν ταῖς κνήμαις τῶν ποδῶν ἡ περιουσία δυνά-
D μεως. *Sicut enim in brachiis vires manuum potissimum consistunt, ita in tibiis vires pedum.* Duc.

Tabernaculis viri, pro *tibiis viri*, irrepsit. Facilis enim librariis fuit error ex notarum ambiguitate, quibus plurimum utebantur, existimantibus compendia quæ non erant. Sacchinus. ¶ Minus bene, varietas enim orta videtur ex varia lectione Græca κνήμαις et σκηναῖς.

Not. 206. *Eliæ meloten.* — Ita III Reg. cap. IX, 13, et IV Regum cap. II, 8, 13, 14, *pallium Eliæ* Septuaginta μηλωτὴν vocant. Eucherius lib. II, cap. 10, Instructionum ad Salonium: *Melotæ in Regum libro pellis simplex, qua monachi Ægyptii etiam nunc utuntur, ex uno latere dependens.* Hieronymus epistola 28: *Elias igneo curru raptus ad cœlum, melotem reliquit in terris.* Athanasius in Vita Antonii, interprete Evagrio, cap. 58: *Melotem et pallium tritum, cui superjaceo, Athanasio episcopo dato.* Glossarium Claromarescanum ms.: *Melotes, pellis ovina simplex, qua mo-*

nachi utuntur, *ex uno latere dependens*. Eadem dicta et *pera*. Cassianus lib. II, cap. 8, de Institutis cœnobiorum: *Ultimus est habitus eorum pellis caprina, quæ melotis vel pera appellatur et baculus*. Ubi Fronto noster Ducæus, tomo I, in Chrysostomum, pag. 12, suspicatur scribendum *diphthera* pro *pera*; quia Sozomenus de Ægypti monachis habet: Διφθέραι δὲ ἀμφιέννυσθαι κατὰ μίμησιν Ἡλίου τοῦ Θεσβίτου. *Isti ad exemplum Eliæ Thesbitæ pellibus se induebant*. Alardus vero Gazæus accuratus Cassiani commentator pro *pera* substituendum censet *penula*. Verum cum rursus Cassianus, collatione 11, cap. 3, peram et baculum jungat, *Sumpto itaque baculo et pera*; et Isidorus, lib. XIX Originum, cap. 24, diserte **925** habeat, *Meloles, quæ etiam pera vocatur*, et ita vetustissimi mss. libri tum Cassiani tum Isidori præferant, retinenda videtur *pera*, quia melote loco peræ quoque serviebat. Glossarium Camberonense: *Melota, lanuta et pera vocatur. Est autem pellis caprina a collo pendens usque ad lumbos præcincta*. Mirum quid alia Glossaria mss. suggerunt. Glossarium Claromarescanum: *Melota vestis est de pilis camelorum. Melus animal quod est taxus, cujus pellis mellota dicitur*. Glossarium Steweчhii: *Melos genus bestiæ, unde melotes antiqui Patres faciebant*. ROSVEYDUS.

Not. 207. *Xenium*. — Franciscus Juretus, notis ad librum I Paulini de Vita S. Martini, legit *ut encænium*, secutus vestigia Badianæ editionis, in qua *enxenium*. Vult autem *encænii* nomine indicari hunc senem (qui paganus ante fuerat) nunc recenter renatum fidei Christianæ, et Deo dedicatum. Sed *xenium* probum mihi videtur, pro quo librarii sæpissime *exenium* scribebant. Vide quæ notavi in Vitis Patrum ad Vitam S. Antonii, et ibidem in Onomastico. Uti hic Victor in xenium mittitur, ita Christus dicitur a Ruffino in symbolo alternatim Pilato Herodique in xenium missus: *Velut reconciliationis suæ xenium, justum sibi invicem mittebant Jesum*. Quod figuratum vult Oseæ X, 6: Καὶ αὐτὸν εἰς Ἀσσυρίους δήσαντες ἀπήνεγκαν ξένια τῷ βασιλεῖ Ἰαρείμ; quod vertit: *Et alligantes adduxerunt eum xenium regi Iarim*; ubi vulgatus habet: *Siquidem et ipse delatus est munus regi ultori*. ROSVEYDUS.

Not. 208. *Quamquam et altior et hic intellectus habeatur*. — Non immerito quis dubitet, num pro *et hic* scribendum sit *ethicus*, ut intelligat sensum moralem; nam mox sequitur de *sensu secundum litteram*. Sic apud Hieronymum epist. 151, quæst. 10: *Psalmi qui litteris prænotantur, per ethica nos ducunt ad theologica, et ab elementis occidentis litteræ, quæ destruitur, transire faciunt ad spiritum vivificantem*. Sic supra ad epistolam 9 monui felicissime Sidonio a Sirmondo nostro restitutum *ethica* pro *et hic*. ROSVEYDUS.

Not. 209. *De ipsis locis exiguum pulverem*. — Theodorus Studites in Dogmatico de Honorandis Imaginibus, tomo III Bibliothecæ SS. Patrum: *Loca in quibus natus est Christus, sancta sunt, et habenda venerationi: et si quis illinc acceperit sive pulvisculum seu lapidem, eum adornat atque complectitur, quasi peculiarem thesaurum aut sacras quasdam reliquias*. ROSVEYDUS.

Not. 210. *De ipso crucis ligno sumere et habere benedictio est*. — Benedictionis et magnificentiæ loco æstimabant olim viri ac mulieres vel minimam ligni crucis particulam e collo gestasse Chrysostomus Demonstratione contra gentiles *Quod Christus sit Deus*: Αὐτὸ δὲ τὸ ξύλον ἐκεῖνο, ἔνθα τὸ ἅγιον ἐτάθη σῶμα καὶ ἀνεσκολοπίσθη, πῶς ἐστι περιμάχητον ἅπασι; καὶ μικρόν τι λαμβάνοντες ἐξ ἐκείνου πολλοὶ, καὶ χρυσῷ καταкλείοντες, καὶ ἄνδρες, καὶ γυναῖκες τῶν τραχήλων ἐξαρτῶσι τῶν ἑαυτῶν καλλωπιζόμενοι. *Ipsum ergo lignum, in quo positum sanctum corpus Domini, et crucifixum, quare nam habere totus orbis ita contendit, ut qui parvum quiddam ex illo habent, hoc auro includant tam viri quam mulieres, et cervicibus suis aptant, hinc valde honestati et magnifici, muniti et protecti*. Sic Macrina virgo, Gregorii Nysseni soror, ferreum crucis signum et annulum particula S. crucis munitum e collo ge-

A stabat, referente ipso Gregorio in encomio Macrinæ. Sic et magnus confessor cruciculam S. cruce insignitam de collo suspendebat, uti habetur lib. II, cap. 9, Vitæ ejus per Theodorum eremitam. ROSVEYDUS.

Not. 211. *Et sine myoparone*. — Ante erat *et sene meo parone*. Jacobus Billius V. C., lib. I, cap. 6, Observationum sacrarum, affuturam huic loco lucem arbitratur, si sic legamus, *et sine myoparone piraticam in terra agens*, etc., additque, in insulis Rupellæ vicinis, omnibusque illis oris maritimis vigere crudelem consuetudinem, ut si gravior tempestas navem aliquam in littus ejecerit, naufragos hostium loco habeant ii ad quos illa delata est, et omnia confestim diripiant, quæ fluctuum rabies illis dereliquerit. Et hoc jus melioribus seculis usurpatum fuisse colligit ex hoc loco procuratoris Posthumiani senatoris. In editione appendicis Bibliothecæ Patrum annotatum erat sub finem hujus epistolæ Paulini: Melius, *sine myoparone*. Est autem myoparo navigii genus, Gellius lib. X, cap. 25; a piratis sic dictum, Isidor. Orig.
B lib. XIX, cap. 1; vel a Paro insula, Turnebus lib. III, cap. 1 Advers., qui ait myoparones piraticos esse lembos; et Nonius Marcellus: *Myoparo est navicula piratarum*. Ita Gallica nostra dialectus expeditum navigii quoddam genus *brigantinum*, quasi piraticum lembum, vocat.

Isti vero qui res naufragorum diripiunt, piraticam exercent, licet in mari lembo vecti non vagentur. Cujacius **926** in lib. I cod. Justinian., tit. 6: *Res fisci est ubicumque natat*. In Anglia quoque, Sicilia et Italia, ad fiscum pertinere dicuntur res naufragorum. Imperator Antoninus, lib. I, mitiorem legem in naufragos sancit: *Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad littus, ad dominos pertineat; fiscus meus se non interponat. Quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur?* et lib. V: *Si quisquam de submersis navibus aliquid accipisse detegitur, judex, conquerentibus his qui nudantur, mulctandi et proscribendi habeat potes-*
C *tatem*. Rursus in codice Theodos., lib. XIII, tit. 8, Valentinianus imper.: *Si quis navicularius naufragium se sustinuisse affirmat, provinciæ judicem adire festinet, ac probet apud eum testibus eventum*. In codice denique Henriciano regum nostrorum, lib. XX, cap. 14, art. 6, decernitur ut si intra annum mercator res naufragio amissas repetierit, sumptus tantum refundat quos alii fecerint cum res illas e naufragio eriperent; et multis curiæ supremæ Parisiensis senatusconsultis furtum declaratur direptio naufragorum, cujus etiam jurisdictioni Rupella et vicinæ illi insulæ sunt subjectæ. DUC.

Variam de naufragis pro cujusque gentis indole sententiam videsis apud doctissimum Fridericum Lindebrochium Glossario ad codicem legum antiquarum. ROSVEYDUS.

IN EPIST. L.

Not. 212. *Saturati sunt porcina*. — Quam hic duplicem lectionem affert Paulinus ex psalmo XVI, 14: *Saturati sunt porcina*, vel (ut alia Psalteria ha-
D bent) *saturati sunt filiis*, ejus varietatis originem aperit Augustinus Enarratione in eum psalmum: *Ex ambiguo*, inquit, *Græco interpretatio duplex evenit*. Vere enim apud Græcos olim duplex scriptio fuit. Alii enim legebant υἱῶν, id est *filiis*, alii ὑῶν vel ὑείων, id est *porcis* vel *porcinis*, uti etiam testatur Euthymius.

Utrumque explicat Augustinus supra: *Saturati sunt porcina, id est, immunditia, conculcantes margaritas sermonum Dei*. Scholium Græcum LXX interpretibus hoc loco ad vocem ὑῶν, *porcorum*, appositum explicat ἀντὶ τοῦ ἀκαθαρσίας, *pro immunditia*, aliud habet παρανομίας id est, *iniquitatis*. Psalterium quoque Romanum *porcinam* habet, uti et Arnobius et Cassiodorus, qui etiam de *immunditia* interpretantur. Hieronymus, vel quisquis eo posterior concinnator Commentariorum in psalmos est, utrumque Græcum illud scholium videtur olim legisse: Nam ait: *Dimiserunt reliquias, immunditiam et iniquitatem, conculcantes*

margaritas sermonum tuorum; quæ postrema verba vides Augustinum quoque usurpasse, vel ab alio ex eo usurpata.

Quod si *filios* legas, idem Augustinus supra per *filios* intelligit *opera mala*, quod fusius idem deducit epistola 59, qua Paulini quæstionibus respondet.

Nec desunt qui *porcinam* ad litteram de porcina carne intelligant, ut dicat Judæos a vetitis cibis non abstenturos. Ita Apollinarius in Metaphrasi:

Πλησθέντες σιάλων λίπον υἱάσι λείψανα δαιτός.

Impleti porcis liquere superflua natis.

Nam cum δαιτὸς *convivii* superflua dicat, de cibis videtur intellexisse, quem sequitur Mariana noster. Rosveydus.

Porcina, ὑῶν, *suibus*, vel υἱῶν, *filiis*. Hieronymus ex Hebræo vertit *filiis*. Nobilius in hunc locum: ὑείων, liber Vaticanus. Quod autem in antiquioribus libris scriptum esset, sine accentu, et librariis usitatum esset ad ι, litteram adjungere ε, vicissimque ad ε adjungere ι, inde videtur duplex scriptura fluxisse (quod etiam innuit S. Augustinus) ut in Græcis codicibus partim sit υἱῶν quod significat *filiis*, partim ὑείων et ὑῶν, quæ significant *porcinis* et *porcis*. In scholio quidem ad marginem Vaticani codicis apposito hæc ad verbum ὑῶν leguntur, *pro* ἀκαθαρσίας, *immunditia: non solum enim ipsi immundi fuerunt, sed etiam filiis suis immunditiam communicaverunt*. In aliis etiam commentariis est ὑῶν, atque ad eum locum sic legitur ἐχορτάσθησαν τῶν παρανομούντων, *impleti sunt iniquis. Et aliter. Omni, inquit, transgressione repleti sunt et ad filios suos transmiserunt*. Apollinarius in Metaphrasi, *impleti porcellis, reliquerunt filiis reliquias convivii*. In Psalteriis Romano et Arabico, et apud Arnobium et Eucherium est *porcina*. Paulinus in epistola ultima ad sanctum Augustinum utramque lectionem agnoscit. *Saturati sunt porcina, vel sicut in quibusdam Psalteriis scriptum audio, saturati sunt filiis*. Eamdem varietatem notat sanctus Augustinus
927 in epistola qua respondet Paulino, et in hunc psalmum affert hæc: *Sane illo versu ubi dictum est, saturati sunt porcina, nonnulla exemplaria, saturati sunt filiis, habent, ex ambiguo enim Græco interpretatio duplex venit*. Omnino in Græcis codicibus lectio υἱῶν frequentior est. In codicibus Theodoreti partim est ὑῶν, partim υἱῶν, partim etiam υἱοί, *filii*, quam etiam habet Theodorus Antiochenus. Ac Theodoretus quidem continuo subjungit huic lectioni valde similem interpretationem Symmachi, quam etiam refert Eusebius.

Not. 213. *Carthagini hiemares*. — Recte mss. quindecim habent *exhiemarem*. Alii cum editis, *hiemarem*. Sed credimus legendum *hiemares*. Quippe ad hanc Paulini petitionem respondens Augustinus in epist. 149, n. 2, scribit: *Simul etiam miseram, sicuti jusseras, et illius epistolæ exemplum, quam tuæ caritati apud Carthaginem de corporum resurrectione rescripseram, ubi de usu membrorum exorta erat quæstio*, quibus verbis designare videtur epistolam 95, in qua, n. 7, de membrorum officiis post resurrectionem disserit, quæ epistola ad Paulinum in Italia commorantem scripta est circiter finem anni 408. Hæc RR. PP. Benedictini ad novam editionem Epistolarum S. Augustini.

Not. 214. *Quia subsecuturæ admirationis fidem in oculis posita passionis pœna cæcabat*. — Bene explicat S. Paulinus quomodo gladius potuerit pertransire animam Deiparæ, scilicet non avertente ipsa cogitationem ad ea quæ poterant dolorem lenire. Haud enim dubie si voluisset vehementius cogitare de resurrectione, aut mentem figere in æquissimo et mirabili consilio redemptionis humanæ, et fructu passionis Christi, magnopere potuisset dolorem lenire: sed quia id tempori aptum non erat, neque decorum, ut, tam acerbos ultro subeunte cruciatus filio, ipsa refugeret societatem doloris, ea potius considerabat quæ dolorem exacerbare possent, ut esse filium suum tam observantem ac pium, tam graviter tamque ini-

A que cruciatum. Atque eo pacto *in oculis posita passionis pœna cæcabat fidem subsecuturæ admirationis*; id est occultabat admirationem et gaudium ex resurrectionis gloria et majestate. Ubi eleganter dicitur *nihil sibi præsumens de ipsius resurrectione*; tamquam iniquum putaret præsumere, prægustare, et quodammodo præflorare lætitiam triumphi, dum ille cruentus totus ac moriens adhuc pugnat. Sacchinus.

IN PASS. S. GENESII ARELAT.

Not. 215. *Genesium*. — Celebris hujus memoria exstat in Tabulis ecclesiasticis 25 Augusti, apud Prudentium hymno 4 Περὶ στεφ.; Fortunatum lib. VIII, carmine 4. Functus hic est exceptoris officio. Paulino Nolano vulgo hæc homilia in Genesium tribuitur. Dubito sane. Fors Paulini Biterrensis episcopi est, qui Paulino nostro aliquanto anterior. Video Papyrium Massonum in descriptione fluminum Galliæ eam tribuere Patienti Lugdunensi episcopo. Exstat Hilarii Arelatensis episcopi relatio de miraculo per merita S.
B Genesii præstito suo tempore, cum pons super Rhodanum concideret. Item sermo Fausti Rhegiensis episcopi vel Eusebii Gallicani, qui male tribuitur Eusebio Emisseno. Meminit et miraculorum quorumdam Gregorius Turonens. lib. I de Gloria martyrum, cap. 68 et 69. Alius est Genesius mimus, Thymelicæ artis magister, cujus eodem quoque die Martyrologia meminere, quem non rite Savaro, lib. I de Eccles. Claremont., cap. 17, cum priore confundit. Nam thymelicus Romæ fuit, exceptor ille Arelate. Alius item Genesius martyr, qui notus Martyrologio Romano 11 Octobris, cum Anastasio presbytero, et Placido, aliisque sociis. Sunt et alii duo Genesii extra Romanas Tabulas, in suis tamen ecclesiis in Arvernia celebres. Prior est Genesius martyr juxta castellum Tigernense, qui in albis positus per martyrium ad cœlum migravit, de quo Gregor. Turon. lib. I de Gloria martyrum, cap. 67, cujus festum, teste Savarone supra, V kal. Novembris celebratur. Posterior fuit episcopus Claremontensis 25, et celebris ejus memo-
C ria 3 Junii. De quo videsis eruditissimum Savaronem in Originibus Claremontanis. Rosveydus.

IN POEMA II.

928 Not. 216. *Sphondylus*. — Antea erat *funditus*, loco *sphondylus* seu *spondylus*. Genus est ostreorum in deliciis habitum. Seneca epist. 95: *Memini fuisse quondam in sermone nobilem patinam, in quam quidquid apud lautos solet diem ducere, properans in damnum suum popina congesserat: veneriæ sphondylique, et ostrea eatenus circumcisa, qua eduntur, intervenientibus distinguebantur echinis, torti districtique sine ullis ossibus mulli constraverant*. Ibidem mox: *Pariter sunt, quæ disponi solent, jure uno perfusa; nihil intersit ostrea echinis, sphondyli perturbati mullis concoctique ponantur*. Plinius libro XXXII, cap. 11, in Nomenclatore piscium, ordine alphabetico ponit *sphondylus*. Idem eodem libro capite 10: *Tertianis mederi dicitur sphondylus per se adalligatus*. Macrobius lib. II Saturnalium, cap. 11, ex indice quarto
D Metelli pontificis maximi inter lautitias numerat in cœna pontificia: *Ante cœnam echinos, ostreas crudas, quantum vellent, peloridas, sphondylos, etc., iterum sphondylos, glycomeridas*. Galenus l. III de Alimentis, cap. 33: Τὰ δὲ σμικρὰ χήμια, καὶ οἱ σφόνδυλοι, καὶ οἱ σωλῆνες, καὶ αἱ πορφύραι, καὶ οἱ κήρυκες, ὅσα τ' ἄλλα τοιαῦτ' ἐστι, σκληρὰν σάρκα ἔχουσι. *Parvæ hiatulæ, sphondyli, ungues, purpuræ, buccinæ, omniaque hujusmodi duram carnem habent*. Galenus lib. II aphorism. 18: Βραδύτατα δὲ καὶ κατὰ βραχὺ βόειον κρέας τρέφει, καὶ κοχλίαι, καὶ σφόνδυλοι θαλάττιοι. *Tardius et paulatim alit caro bubula, et cochleæ, et sphondyli marini*. Ita mavult cl. Nonius in aureolo suo de Ichthyophagia lib. retineri vocem Græcam, quam quod priore loco vertit Martinus Gregorius *vertebras*, posteriore Nicolaus Leoniceus *verticillos*. Columella lib. VIII, cap. 16: *Limosa regio maxime idonea est conchyliis, muricibus et ostreis, purpurarumque tum concharum pectunculis, balanis vel sphondylis*.

,Qui aliis *sphondyli*, eos Athenæo volunt *trachelos* esse. Posidippus apud eum in Locris:

Πίννας. τραχήλους μύας.

Piuna, trachelos musculos.

Ita capit Dalechampius, Rondeletius libro xi de Testaceis, cap. 34, et Robertus Constantinus in Lexico. Hesychio, *tracheli* sunt *purpuræ*. Τραχήλους, τὰς πορφύρας, ἔνιοι τοὺς σπονδύλους τῶν κογχυλίων. *Tracheli, purpuræ, quidam interpretantur de vertebris conchyliorum*: Vertebræ hic sunt cervices sive callus et caro interior ostreorum. Vide Hesychium in Ταραντῖναι, ubi ait eas partes ad cibum expetitas. Petronius: *Mox cibis validioribus pastus, id est bulbis cochlearumque sine jure cervicibus hausi parcius merum*. Sic *spondylus* apud Plinium lib. xxxii, cap. 11, ubi de *perna* agit, capiendus, *Intus pro spondylo grandis caro est*. Idem, ibidem, cap. 6: *Ostrea crassitudine potius spectanda quam latitudine. Neque in luto capta neque in arenosis, sed solido vado, spondylo brevi atque non carnoso, nec fibris lacinioso, ac tota in alvo*. ROSVEYDUS.

IN POEMA III.

Not. 217. *Libyam*. — Id est *Africam*. Sallustius in Jugurtino: *In divisione orbis terræ, plerique in parte tertia Africam posuere; pauci tantummodo Asiam et Europam esse, sed Africam in Europa*. ROSVEYDUS.

IN POEMA V.

Not. 218. *Omnipotens quem mente colo*. — Precatio hæc matutina edita est Ausonii nomine in principe ejus editione Mediolanensi 1490, ubi versus novem sequentes post septem primos videlicet ab *Ipse opifex* deerant: quos Mariangelus Accursus in Diatribis suis in Ausonium, Solinum, et Ovidii Metamorphosim, monuit inserendos ex vetustis Hieronymi Aleandri membranis, in quibus et Paulino hæc precatio inscribitur, et primus versus ita concipitur:

Omnipotens solo mentis mihi cognite cultu.

Quæ precatio post et Ausonii et Paulini editiones pariter occupavit. ROSVEYDUS.

929 Not. 219. *Deceptumque adjunxit Adam*. — Paulini hæc locutio. Adam videlicet fuisse deceptum, communis ei est cum multis Patribus, qui et ante et post eum vixere. Vide eruditissimos commentarios Benedicti nostri Justiniani in I ad Timotheum cap. ii, v. 14, quomodo hic loquendi modus conveniat cum illo Apostoli: *Vir non est seductus*. Breviter conciliat Augustinus lib. xi de Genesi ad litteram, cap. ultimo: *Ergo alio quodam modo etiam ipse deceptus est: sed dolo illo serpentino, quo mulier seducta est, nullo modo illum arbitror potuisse seduci in illo modo, quo illa potuit. Hanc autem proprie seductionem appellavit Apostolus, quia id quod suadebatur cum falsum esset, verum esse putatum est*. Eva igitur vere decepta et in errorem inducta arte dæmonis, Evæ autem Adam acquievit non errore, sed (ut ibidem Augustinus dicit) *amicabili quadam benevolentia, ne suas, quibus deperibat atque diffluebat, mortiferas delicias contristaret*. ROSVEYDUS.

Not. 220. *Raptus quadrijugo penetrat super æthera curru Elias*. — Beda, in libros Regum quæst. 27, auguratur poetarum fabulam de quadriga Solis ex Eliæ historia ortum sumsisse; immo et nomen Ἥλιος ab Ἡλία apud Græcos dictum. *Ut autem eidem currus et equos tribuant, de miraculo sumtum Eliæ prophetæ, qui curru igneo et equis igneis est raptus ad cœlum, Johannes Constantinopolitanus episcopus æstimat. Quod etiam Græce* Ἥλιος *dicitur* Sol (*sicut etiam Sedulius, cum de Eliæ adscensu caneret, ostendit, dicens*:

Quam bene fulminei prælucens semita cœli
Convenit Eliæ, merito qui et nomine fulgens
Hac ope dignus erat. Nam si sermonis Achivi
Una per accentum mutetur littera, Sol est)

audientes Græci, etc. Vide Chrys. hom. de Adscensione Eliæ. ROSVEYDUS.

IN POEMA VI.

Not. 221. *In opprobrio Matrum*. — Notandum etiam *matrem* matronam signare non tantum quæ pepererit, sed etiam improlem, ut pro nutrice accipi notat Nonius. *Barthius*, Adversar. Commentar. lib. xxxii, c. 3.

Not. 222. *Præstet et hunc genitus*. — Ante erat *Præstitit hunc genitus*. Vota Elisabethæ in adventu τῆς Θεοτόκου sic nuncupat Paulinus. At etiam tum natus non erat adorandus ille fœtus: nedum ut esset, quod jam præstitisse genitum sancta matrona diceret. Neque ob natales ab æterno et ante rerum principia vocat genitum, quia beneficium ab eo cum maxime datum, licet antequam genitus fuerit, agnoscit. Res est voti et futuri, non facti. Scribe *Præstet et hunc genitus*. Sic sit propitius, postquam natus erit, ut fuit antequam nasceretur, dignatus has adire sedes in matre. JO. FED. GRONOVIUS, in Observat. ecclesiast. scriptor. c. 10.

IN POEMA IX.

Not. 223. *Hierusalem habitabit*. — ¶ Ibidem ter quaterve *Hierusalem* occurrit duabus prioribus syllabis correptis, productis tribus posterioribus, ut et alibi apud eumdem, idque ad exemplum Græcorum. Certe in Metaphrasi psalmorum Apollinaris passim pari modo Ἱερουσαλήμ. Ἱερουσαλῆς, Ἱερουσαλῆν, et in vocativo casu, Ἱερουσαλῆ. Vide illum psalmis cxxxvi et cxlvii.

IN POEMA X.

Not. 224. *Ab homine*. — Docent grammatici corroborari syllabam adspiratione: inde S. Paulinus videtur ea pro consonante uti; sic infra ad Cytherium,

Exsul soli et hospes sali.

Et alibi. SACCHINUS.

¶ Aldhelmus similiter adspiratione pro consonante utitur, de Sylvestro:

Plurima virtutum hic fecit signa sacerdos.

De Agnete:

Inclyta hæc fuerat flagrans virtute pudoris.

Not. 225. *Mortis pabula vivens*. — ¶ Sic *mortem vivere* dixit Tertullianus de Pallio: *Hactenus Sodoma, et nulla Gomorrha, et cinis omnia, et propinquitas maris juxta cum solo mortem vivit*. Apud Prudentium hymn. 13, v. 32: *Vivere justitiam Christi*; quod est, legem divinam vita moribusque exprimere.

Not. 226. *Ninguida Pyrenæi*. — ¶ Id est montes Pyrenæos nivibus obsitos. *Ninguidus* idem quod *nivosus*; veteres enim *ninguis* pro *nix* dixere. *Ninguidi saltus* apud Ennodium 930 in Vita S. Epiphanii. Prudentius Peristeph. hymno 2, v. 54: *Pyrenas ninguidos*. Ibidem hymno 5, v. 97: *Tunc quoque ninguidus*. Apud Ausonium ep. 23: *Juga ninguida Pyrenæi*; et epist. 25: *Ninguida Pyrenæi hospitia*. Et in veteri epitaphio apud Gruterum 1169, 6: *Nunguidi montium colles*.

Not. 227. *Tua prodigis otia*. — Quod Paulinus Ausonio otium objicit, hoc sibi ipse in senio optabat Ausonius Mosella:

Tempus erit, cum me studiis ignobilis oti
Mulcentem curas, seniique aprica foventem
Materiæ commendet bonos.

Idem epigram. 33:

Huic ego, quod nobis superest ignobilis oti
Deputo, sive legat quæ dabo, sive tegat.

ROSVEYDUS.

Not. 228. *Pellitis bigerris*. — Notitia provinciarum. *Bigorra, castrum Turbensis territorii, provinciæ Novempopulanæ. Bigerra civitas*. Gregor. Turon. lib. ix, cap. 20 Hist.: *Beorretana urbs*; lib. i de Mirac., cap. 74, et de Glor. confessor., cap. 49. Unde *Biger-*

rones Cæsari Aquitaniæ populi. Et *Bigerricus turbo* Sidonio libro VIII, epistola 12, id est ventus flans a Bigerronibus. Frigidus ventus ille Bigerricus, quia ninguidæ Pyreni adjacet Bigerra, unde Bigerrones mastrucis et villosis vestibus amiciuntur, qui et hujusmodi vestibus nomen dederunt; nam dictæ sunt *Bigerricæ*. Sulpicius Severus, dial. 1, cap. 1: *A proximis tabernis Bigerricam vestem, brevemque atque hispidam quinque comparatam argenteis rapis*. Fortunatus libro III, cap. 1, de S. Martino:

Induitur sanctus hirsuta Bigerrica palla.

Glossarium vetus ms. *Bigerra, vestis grossa, id est vellata*. Indigenæ vulgo *marlotas* vocant ex Græco, id est villosas vestes, vel hirtas vellere. Ita erudite Savaro ad Sidonium deducit. An *marlotæ*, quasi μαλλωταί? Glossæ Isidori: *Bigera, vestis gufa vel villata*. Lege *Bigerra, vestis grossa*. ROSVEYDUS.

Paulinus hic *Bigerros* pellibus seu villosis vestibus amiciri consuevisse annotat. Unde *Bigerra*, apud Papiam, *vestis ruffa, id est valva, quæ et bilis dicitur*. *Bilis* dicitur pro *vilis*. Ugutio: *Bigerra est vestis villosa*, etc. CANGIUS, in Glossar. Lat. tom. I, p. 554.

Not. 229. *Arenosos Vasatas*. — Unde Sidonius lib. VIII, epist. 12 ad Trigetium: *Tantumne te Vasatium civitas; non cespiti imposita, sed pulveri; tantum Syrticus ager, ac vagum solum, et volatiles ventis altercantibus arenæ sibi possident?* ROSVEYDUS.

Not. 230. *Rauranum*. — Mss. codices Reg., Voss., et vetus Lugdunensis codex a Vineto collatus, ac tres editi in margg., *Raraunum*. (VINET.: Certe *Rauranum* esse potest: et Rauranum, translata in primam syllabam diphthongo, legitur in Itinerario illo Antonini, inter Mediolanum Santonum, et Biturigum Cuborum Argantomagum, cum iter ex Aquitania in Gallias describitur.)

Not. 231. *Curules*. — Ms. Voss. *secures*. ¶ Non male. *Secures* enim inter insignia dignitatum senatorum seu consulum apud Prudentium reperiuntur hymn. 10 de Passione S. Romani martyris, v. 143:

Nonne cursim transeunt
Fasces, secures, sella, prætexta et toga,
Lictor, tribunal...

IN POEMA XI.

Not. 232. *Parræ*. — Videtur respexisse, dum hæc scriberet Paulinus, Theocriti carmen ex Eidyllio 5, quo Comatas caprarius Laconis pastoris disparem provocationem deridet, simillimamque ostendit, si vel philomelam pica, vel epopa cygnum provocet:

Οὐ θεμιτὸν, Λάκων, ποτ' ἀηδόνα κίσσας ἐρίσδεν,
Οὐδ' ἔποπας κύκνοισι.

Paulinus quidem antithetis usus dictionibus, non minus apte fulicas, utpote nigras, cygnis opposuit, philomelæ parram, dissimillimam cantu alitem. Est enim feralis et inauspicatæ garrulitatis. Ita Mariangelus, Diatriba in Ausonium. ROSVEYDUS.

IN POEMA XIV.

Not. 233. *Pectora liminibus sterni*. — Magna olim veneratione fideles, dum templo appropinquarent, sternebant se ante templorum limina. Paulinus infra Natali 6:

Sternitur ante fores, et postibus oscula figit,
Et lacrymis rigat omne solum, pro limine sancto
Fusus humi.

Sidonius lib. I, ep. 5 ad Heronium: *Triumphalibus apostolorum* **931** *liminibus affusus, omnem protinus sensi membris male, fortibus explosum esse languorem*. Evodius lib. II de Miraculis S. Stephani, cap. 2: *Ante limina gloriosi martyris prostrata, effusos sui cordis dolores expressit*. Mox: *Ante sacra ejus limina prostratæ noctu diuque flentes:* ROSVEYDUS.

Not. 234. *Ornantur limina velis*. — Solemne olim fuit vela liminum foribus appendere. Paulinus supra Natali 6:

Qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus

A Immo tota templi facies cum portis ornata erat. Machabæorum I cap. IV: Καὶ κατεκόσμησαν τὸ κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ στεφάνοις χρυσοῖς, καὶ ἀσπιδίσκοις, καὶ ἐνεκαίνισαν τὰς πύλας καὶ τὰ παστοφόρια, καὶ ἐθύρωσαν αὐτά. *Et ornaverunt faciem templi coronis aureis, et scutulis, et dedicaverunt portas, et pastophoria, et imposuerunt eis januas*. Crebra velorum ante regias seu majores templi portas mentio apud Anastasium Bibliothecarium in Leone III de templo S. Petri: *Fecit vela alba holoserica majora tria, quæ pendent ante regias in introitu*. Idem ibid. de templo S. Mariæ ad præsepe: *Fecit velum aliud majus album, quod pendet ante regias majores in introitu*. Ibidem de templo B. Mariæ: *Fecit super ipsas regias velum modicum fundatum*, etc., *et alia vela Tyria super regias majores in ingressu basilicæ cum peryclisi de fundato*. Item: *Velum rubeum, quod pendet ante regias majores*.

Non in limine tantum erant vela, sed et ante sacrarium. Sic olim in templo Salomonis erat velum
B ante sancta sanctorum, II Paralipom. III. Josephus l. VIII Antiq., cap. 2, καταπέτασμα τοῦ ἀδύτου, *velum adyti*; de quo Paulinus carmine 15:

Tunc et discusso nudata altaria velo
Amisere sacri relligionem adyti.

Clemens, si forte, epist. 2 ad Jacobum: *Cura sit ostiariis, ne quis negligens aut ignarus ad velum januæ domus Domini manus incondite tergat, quia velum atrii domus Domini sanctum est*. Hieronymus epist. 3 ad Heliodorum: *Nepotianus erat sollicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si janitor creber in porta, vela semper in ostiis, si vasa luculenta*. De velis ante sacrarium capiendus Chrysostomus Homilia 3 in Epistolam ad Ephesios: Ὅταν ἴδῃς ἀνελκόμενα τὰ ἀμφίθυρα, τότε νόμισον διαστέλλεσθαι τὸν οὐρανὸν ἄνωθεν, καὶ κατιέναι τοὺς ἀγγέλους. *Quando videris trahi, quæ in ostiis sunt vela, tunc existima cœlum superne diduci, et descendere angelos*. Ita hic capiendum ἀμφίθυρον, pro velo ostii, seu velothyro: quæ postrema
C vox sæpe usurpatur in Vitis pontificum per Anastasium et Guillelmum bibliothecarios, et βηλόθυρα nota Codino lib. de Officiis aulæ Constantinopolitanæ, et Scholiastæ Aristophanis ad Ranas. Ita forte explicandum quoque ἀμφίθυρον apud Evagrium, lib. VI, cap. 20, de dono Chosroe S. Sergio martyri misso: Ἀμφίθυρον Οὐννικὸν κεκοσμημένον χρυσίῳ. *Et velum Hunnicum tegendis ostiis auro collustratum*. Christophorsonus vertit: *Unicum utrimque apertum auro collustratum*, qui videtur referre ad θυμιαματήριον, *thuribulum*, quod præcedit. Musculus vertit: *Et unicon utrimque apertum, auro ornatum;* et in margine notat: Οὐννικόν *genus vestis est. Vide Suidam*. Dum Suidam adeo, nihil de genere vestis invenio. Ipse in οὐννικόν remittit ad vocem ἀπόνοια; ubi verba citat Procopii, quæ referunt genus tonsuræ Massagetis usitatum, item Venetis, quod οὔννιον (an οὐννικόν?) dicebant: credo quod Hunnis ea tonsura usitata esset. Paria cum Evagrio verba habet Theophylactus Simocatta Historiæ Mauricianæ lib. V, cap. 14, ubi
D Pontanus noster vertit: *Hunnicum, quod utrimque aperiretur, auro ornatum*. Gretserus noster, tomo II de Cruce, ubi historiam de cruce a Chosroe missa ex Simocatta exprimit, legit, ἀμφίθυρον οὐρανικὸν, quæ eadem verba in versione Latina servat. Sane non semel existimavi οὐννικόν abbreviate Græcis scriptum pro οὐρανικόν. Et color huic lectioni esse posset ex Chrysostomi loco ante citato, ubi cum ἀμφίθυρον *velum seu cortina trahitur*, dicitur οὐρανὸν *cœlum superne diduci*. Apud Nicephorum, lib. XVIII, cap. 22, ubi eadem de Chosroe historia habetur, Johannes Langus interpres vertit: *Et amphithyrum Hunnicum, auro ornatum;* et scholion hoc apponit: *Amphithyrum Hunnicum, judicio meo, carceres sive cancelli sunt, sacratiorem aræ mensam vel circumdantes, vel populum ab ea arcentes, in quorum parte utraque janua sit, et aditus ad eam ferens, operis Hunnici*. De opere Hunnico seu Unnico assentior Lango: sic enim a gentis artificio varia dicta; et ut non abeam a re sacra, apud Gregorium

Turonensem in Vitis Patrum, cap. 17, in Nicetio, A *coopertorium calicis Sarmaticum*, id est a Sarmatis artificiose factum; et apud Gregorium M. lib. XII Registri, epistola 7 ad Adulowaldum: *Evangelium theca Persica inclusum.* Recte quoque videatur ἀμφίθυρον σύνιχον appellari posse diptychum sacrum in altaribus tempore sacrificii poni solitum, uti alias monui in Onomastico ad Vitas Patrum. Non recta Johannes Meursius in **932** Glossario Græco-barbaro de tabulis biforibus capit; quales hodie in altaribus, inquit, collocantur, intelligens videlicet tabulam altaris.

In altaribus quoque vela erant et pallæ. Mach. I, cap. IV, v. 51: καὶ ἐπέθηκαν ἐπὶ τὴν τράπεζαν ἄρτους, καὶ ἐξεπέτασαν τὰ καταπετάσματα. *Et posuerunt super mensam seu altare panes, et appenderunt velamina.* Clemens Romanus, uti vulgo præfertur, epistola 2 ad Jacobum: *Pallæ altaris solæ in ea pelvi laventur.* Theodoretus lib. I Histor., cap. 31: Διεκοσμεῖτο δὲ καὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον βασιλικοῖς τε παραπετάσμασι, καὶ κειμηλίοις λιθοκολλήτοις χρυσοῖς. *Ornabatur autem et divinum altare regiis velis, et donariis aureis gemmatis.* Fortunatus lib. II, carm. 3, de oratorio crucis apud Turones per Gregorium Turonensem excitato:

Denique sancta cruci hæc templa Gregorius offert,
Dum pallas coperit signa gerendo crucis;

id est, dum pallas cruce insignitas cooperit, quod ex mente ejus est, dum altare pallis cruce insignitis cooperit, quas *pallas* mox *vela* vocat,

Atque dicata cruci condita vela placent.

Anastasius in Stephano IV: *Super altare in ecclesia S. Laurentii coopertorium fecit, et inter columnas altaris dextra lævaque vela alba.* Item: *In circuitu altaris fecit tetravela octo, quatuor ex albis, quatuor ex coccino.* Concilium Toletanum XIII, cap. 7: *Qui insana temeritate abrepti altaria nudantes, sacratis vestibus exuunt.*

Vela templorum sæpius sanctorum imaginibus erant insignita, maxime eorum quibus offerebantur. Evodius lib. II, cap. 4 de Miraculis S. Stephani, meminit veli divinitus oblati cum imagine S. Stephani crucem gestantis, et draconem pede calcantis, quod ad memoriam S. Stephani suspensum est. Venantius paulo ante profert pallas seu vela crucibus distincta. ROSVEYDUS.

Not. 235. *Lumina ceratis adolentur odora papyris.* — Idem Natal. 7:

Quam fumosa dabat ceratis cella papyris.

Papyrum in lucernis et cereis adhibitam non semel observare est vice ellychnii: Johannes de Janua: *Dicitur papyrus, quasi parans pyr, id est ignem, eo quod in cereis et lampadibus ponitur ad ardendum.* Idem: *Dicuntur funalia licinii a funibus, inter ceram quos ante usum papyri cera circumdatos habuere majores.* Gregorius Turon. de Vitis Patrum, c. 8: *In quo* (cincindeli) *nec papyrus addita, nec olei gutta stillantis adjecta*, etc. Drepanius de cereo paschali:

Æquoream cohibet formatrix cera papyrum.

Gregorius M. lib. I Dialog., c. 5: *Omnes lampades ecclesiæ implevit aqua, atque ex more in medio papyrum posuit.* Fortunatus lib. II Vitæ S. Hilarii, sub finem: *Quantum fuit cerei longitudo, cera jacens inventa est papyro consumta*, etc. *Papyrus* autem est planta nascens in palustribus Ægypti, aut quiescentibus Nili aquis, ex cujus libro texebantur vela, vestes ac funes, ut docent Theophrastus lib. IV Hist. plant., c. 9, et Plin. lib. XIII, c. 11. Hinc non semel storeas monachorum, et mattas ex papyro confectas legimus. CANGIUS, in Glossar. Lat., tom. III, pag. 132 et 133.

Not. 236. *Nocte dieque micant.* — Religionis causa luminaria accensa constat ex sacris Litteris de candelabro aureo. Josephus quoque libro XVIII Antiq., cap. 6, testatur quotidie lucernam accensam ante stolam pontificiam, cum in turri Antonia servaretur. Luminaria etiam de die accensa, uti hic habet Paulinus. Hieronymus adversus Vigilantium cap. 3: *Et absque martyrum reliquiis, per totas Orientis ecclesias, quando legendum est evangelium, accendunt luminaria jam sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Ipse Vigilantius ibidem apud Hieronymum, cap. 2 de Usu ecclesiarum variarum: *Prope ritum gentilium videmus sub prætextu religionis introductum in ecclesias, sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi.* Epiphanius epistola ad Johannem Hierosolymitanum: *Cum venissem in villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque præteriens ibi lucernam ardentem, interrogassemque quis locus esset, didicissemque esse ecclesiam.* Consule Baronium, tomo I, anno Christi 58. ROSVEYDUS.

Not. 237. *Spargite flore solum, prætexite limina sertis.* — Solemne fuit tumulos sanctorum liminaque ecclesiarum floribus adornari. D. Augustinus, lib. XXII de Civitate Dei, cap. 8, narrat duo miracula per flores edita, qui reliquiis S. Stephani oblati et ad- B moti fuerant. Hieronymus epitaphio Nepotiani: *Martyrum conciliabula diversis floribus et arborum comis, vitiumque pampinis obumbravit.* Gregorius Turonensis de Gloria confessorum, capite 50 de S. Severo: *Solitus erat flores liliorum tempore quo nascuntur colligere, ac per parietes hujus ædis appendere.* Fortunatus lib. VIII, epigramma 9:

Texistis variis altaria festa coronis,
Pingitur ut filis floribus ara novis.

933 Etiam ethnicis natura duce is honos innotuit, qui ita deos suos falsos exornare et exorare soliti: qui ritus apud autores profanos passim occurrit. ROSVEYDUS.

IN POEMA XV.

Not. 238. *Primis lector servivit in annis.* — ¶ Hic observo Felicem plures annos in officio Lectoris Ecclesiæ serviisse, indeque ad ministerium exorcistatus evectum. Olim in officio ostiariatus per plures annos C probati ad ministerium lectoratus promovebantur, et sic ad alios ordines, prout Ecclesiæ necessitas postulabat. Nec video quare in plerisque diœcesibus jam nunc minores quatuor ordines una eodemque die conferantur. Hodie clericos pudet annos tres duosve in hisce inferioribus ordinibus Ecclesiæ servire, qui ubi vigesimum quintum ætatis annum attigerint, statim ad sacerdotia convolant tum honoris tum quæstus gratia. Olim, et Cypriani ævo, ut videre est in illius epistolis 33 et 34 et nonnullis aliis, solis provectæ ætatis hominibus meritis et doctrina insignibus lectoris munus demandabatur, quin etiam et confessoribus qui publice coram tyrannis et tortoribus Christum fuerant confessi. At postmodum ad illud admissi impuberes et infantuli.

Not. 239. *Quateretur eclesia bello.* — Ita mss. Mutarant correctores, *quateretur regula.* Versum in Epithalamio Juliani et Iæ Cauchius similem legit:

Grande sacramentum, quo nubit Eclesia Christo.

D Tertullianus lib. II adversus Marcionem:

Sic et apostolico decurrit Eclesia verbo.

Nec ullam habent rationem Græcæ orthographiæ poetæ sacri in ejusmodi vocibus. Fortunatus ad Felicem lib. III:

Nupsisti Ecclesiæ, felicia vota jugasti.

Idem rursus de Vita S. Martini:

At super hac petra fundata Ecclesia regnat.

Nec religioni ducunt in ejusmodi nominibus Græcis vel Hebræis variam usurpare syllabarum quantitatem, unde et Tertullianus in Genesi dixit:

Hic positus custos Adamus cum conjuge fida.

Et rursus ibidem:

Ergo ubi conjugio sese jam fidus Adamus,

DUC.

Quateretur Eclesia bello. — ¶ Ita legendum; sic enim in duobus mss. codicibus Germ. reperitur scri-

ptum. Quidam non intelligentes locum depravarunt, A et contra fidem mss. codicum substituerunt, *quateretur regula bello*. Sed et Paulinus noster elisa altera sæpe primam syllabam in voce *Eclesia* corripit, ist. 32 ad Severum, n. 5, v. 13 et 14.

Aula duplex tectis ut Eclesia Testamentis.
Læta novos geminis ut mater Eclesia partus.

Et carm. ad Cytherium, v. 766 :

Et Eclesiæ navem reget.

In Epithalamio Juliani et Iæ, v. 167 et v. 196 :

Grande sacramentum quo nubit Eclesia Christo.

Et Natal. 9 cum omnibus mss. codicibus legendum :

Hic vos nectat amor quo stringit Eclesia Christum,
Conceptosque Deo notat intus Eclesia fœtus.

Utitur eadem licentia Tertullianus lib. III adversus Marcionem :

Esse caput Christum, sunt cujus Eclesia membra.

B Licuit igitur veteribus poetis Christianis primam syllabam facere brevem in *Eclesia*. Ac ego non dubito quin hæc vox a malis criticis immutata fuerit in aliis veterum versibus, quod ex collatione mss. codicum deprehendi potest. His autem locis *Eclesia* cum simplici *c* scribi debet.

Not. 240. *Fovebat heredem.* — Ita doctissimus Cauchius pro *vovebat*; sed retineri potest vulgata lectio, cum usurpari soleat, ubi de heredibus agitur. Ut : *Ad bona parentum liberos admittit naturæ simul et parentum commune votum*. L. Scripto. D. Unde liberi. *Vovebat* igitur, hoc est, votis dari optabat heredem. Duc.

Not. 241. *Nervoque rigescunt.* — Ordinem quemdam similem in suppliciis Christianorum exponit Eusebius lib. v, cap. 1 Histor. eccles. Sigonius lib. III, cap. 15 de Judiciis, eum cruciatum equulei fuisse vult, quo fidiculis membra distendebantur. Beda quoque in Vita S. Felicis hunc locum sic expressit : *Mittitur in carcerem tenebrarum, manus simul et col-* C *lum ferrea vincula stringunt, nervo pedes arctantur, fragmenta quoque testarum subter eum sternebantur.* Hinc ergo corrigendum est Usuardi Martyrologium 14 Januarii, scribendumque, *post tormenta in carcerem mitteretur, et cochleis ac testulis suppositis vinctus jaceret;* nam et ita res narratur apud Adonem : **934** *Non mediocribus vinculis adstrictus, cochleis ac testulis suppositis extenditur.* Pari cruciatu affectus est Eustratius in Nicephoro, lib. VII, cap. 14. Duc.

IN POEMA XVI.

Not. 242. *Cubili.* — ¶ *Cubile*, hic idem est quod *cubiculum*. Eodem sensu Hieronymus, epist. 22, hanc vocem usurpat : *Et quia nocte extra orationes publicas in suo cubili unusquisque vigilat*, etc. Et Cassianus lib. IV, c. 12 : *Considentes intra cubilia sua, et operi ac meditationi studium impendentes.* Vide Cassiodorum lib. VI, epist. 13, et Leonem Ostiensem D lib. III Chronic. Casin., cap. 26.

IN POEMA XVII.

Not. 243. *Nicetæ.* — *Nicetas* hic (quem Latine *Vincentium* seu *Victorem* dicas, ut hoc carmine Paulinus : *Niceta, bene nominatus corporis victor*) Dacorum fuit episcopus, cujus celebris est memoria in Tabulis ecclesiasticis 7 Januarii : *In Dacia S. Nicetæ episcopi, qui feras et barbaras gentes Evangelii prædicatione mites reddidit ac mansuetas.* Doctissimus fuit, et Romanis admirandus, uti scribit Paulinus epist. 40 ad Severum. Hujus quoque meminit Paulinus Natali 9.

Diversus hic est Nicetas confessor ab alio Niceta martyre, qui tempore Gratiani imperatoris ab Athanarico morte affectus est, cujus meminit Martyrologium Romanum 15 Septembris, Metaphrastes eodem die, Suidas in Athanarico, et Nicephorus lib. II, cap. 48. Rosveydus.

Not. 244. *Merra.* — ¶ Sic emendatum ex ms. codice Germ. Ante erat *myrrha*.

Emendandum est *merrha liquores*, alludit enim ad historiam Exodi XV, 23 : καὶ οὐκ ἠδύναντο πιεῖν ὕδατα ἐκ Μεῤῥᾶς. *Et non potuerunt bibere aquam de merrha.* Origenis interpres homil. 7 in Exodum : *Non poterant aquam bibere de merrha.* Sic ergo scribendum et apud Augustinum quæst. 56 in Exodum. Vulgata Latina edidit *mara*. Hieronymus ep. 127 : *Marah ex amaritudine nomen accepit. Marah, intellige aquas occidentis litteræ, quibus si immittatur confessio crucis, et passionis dominicæ sacramenta jungantur, omne quod importabile et triste videbatur ac rigidum, vertitur in dulcedinem.* Ambrosius de Institutione virginis : *Fons mara per lignum dulcoratus.* Tertullianus adv. Judæos XIII : *Hoc enim lignum tunc in sacramento erat, quo Moyses aquam amaram indulcavit, et nos ligno passionis Christi aquam baptismatis potantes, fide quæ est in Christum, reviximus.* Simili dictione usus est Paulinus ipse Nat. 8 :

Divisor pelagi, et dulcator fontis amari

et eamdem figuram passionis agnoscit Theodoretus quæstione 26 in Exodum.

Hanc ipsam historiam attigit et epist. 27 autor noster. *Quasi merrham illam* (sic enim legendum, non *myrrham*) *in manu Moysi per lignum mysterii, ita beatitudinis tuæ sanctus et dulcis affatus, in dulcedinem lætitiæ spiritali suavitate mutavit.* Duc.

Not. 245. *Et rate armata titulo salutis.* — Gretserus noster de Cruce lib. II, cap. 26, et ex eo Jacobus Bosius lib. VI de Cruce triumphante, cap. 9, interpretatur de cruce loco tutelæ in navi posita, quod existimant innuere Chrysostomum Demonstr. advers. gentil. *Quod Christus sit Deus* : Σταυρὸν πανταχοῦ χορεύεσθαι εἴδοι ἐν θαλάττῃ, καὶ πλοίοις καὶ νήσοις. *Crucem ubique celebrari videre licet in mari, in navigiis, in insulis.* Item Ephræm serm. de Cruce : *Crux navigantium gubernatio.* Item Ambrosium in psalm. XLVII : *Bene navigant qui in navibus Christi crucem sicut arborem præferunt. Atque inde explorant flabra ventorum, ut corpora sua dirigant ad sancti Spiritus gratiam, in ligno Domini tuti atque securi.*

Quamquam Ephræm potius de gubernaculo navis videtur capiendus, ut mox sequetur, et Chrysostomus cum Ambrosio de malo et antenna, ut hic de antenna Paulinus habet, et alii Patres. Justinus, apologia 2 pro Christianis : Θάλασσα μὲν γὰρ οὐ τέμνεται ἢν μὴ τοῦτο τὸ τρόπαιον, ὃ καλεῖται ἱστίον, ἐν τῇ νηῒ σῶον μείνῃ. *Mare non scinditur, nisi tropæum hoc, quod malus vocatur, salvum in navi maneat.* Origenes, homilia 8 de Diversis, vel quis alius apud Hieronymum tomo IX : *Antennæ navium, velorum cornua, sub figura nostræ crucis volitant.* M. Minutius Felix in Octavio : *Signum sane crucis naturaliter visimus in navi, cum velis tumentibus vehitur, cum expansis palmulis labitur, et cum erigitur jugum : crucis signum est.* Ambrosius, seu Maximus Taurinensis, serm. 56, tom. IX : **935** *Cum a nautis scinditur mare, prius ab ipsis arbor erigitur, velum distenditur, ut cruce Domini facta, aquarum fluenta rumpantur, et hoc dominico securi signo portum salutis petunt, periculum mortis evadunt. Figura enim sacramenti quædam est velum suspensum in arbore, quasi Christus sit exaltatus in cruce. Atque ideo, confidentia de mysterio veniente, homines ventorum procellas negligunt, peregrinationis vota suscipiunt : sicut autem ecclesia sine cruce stare non potest, ita et sine arbore navis infirma est. Statim enim diabolus inquietat, et illam ventus allidit : at ubi signum crucis erigitur, statim et diaboli iniquitas repellitur, et ventorum procella sopitur.* Hieronymus, vel quis alius in Marcum XV : *Navis per maria antenna cruci assimilata sufflatur.* Varia numismata navium, ubi malus et antenna crucem præferunt, vide apud Jacobum Bosium lib. V de Cruce triumphante, cap. 12. Rosveydus.

Not. 246. *Antemna crucis ibis undis.* — Est figura, nam *cruce antennæ* (seu *antemnæ*) scribendum erat

Paulino. *Antenna* est lignum in navibus cui vela adfiguntur, quod malo transversum alligatum formam crucis efficit. Cyprianus in ligno vitæ :

Arboris hæc species uno de stipite surgit,
Et mox in geminos extendit brachia ramos :
Sicut plena graves antennæ carbasa tendunt.

BARTHIUS. Advers. Comment. lib. XXXIII, cap. 3.

Not. 247. *Celeusma.* — *Celeusma*, seu *celeuma*, clamor est nautarum symphoniace expressus. Sidonius lib. VIII, epist. 12 : *Hic tuas laudes modificato celeumate, simul inter transtra remiges, gubernatores inter aplustria canent.* Idem libro II, epistola 10 :

Curvorum hinc chorus helciariorum
Responsantibus Alleluia ripis
Ad Christum levat amnicum celeuma.

Maxime id insonabant nautæ, cum portui jam proximi essent. Hieronymus epistola 1 ad Heliodorum : *Lætantium more nautarum epilogi celeuma cantandum est.* Fortunatus lib. IV de Vita Martini : *Atque petens portum, vada complet nauta celeuma*, ubi *celeuma*, *æ*, habes. Etiam calcantes in torculari celeumate usi. Hieronymus in cap. XXV Jeremiæ : *Instar calcantium in torculari celeuma cantabitur.* ROSVEYDUS.

Not. 248. *Gubernaclo crucis.* — Gubernaculum navis, crucis formam refert. Hinc Chrysostomo sermone de Cruce : Σταυρὸς πλεόντων κυβέρνησις. *Crux navigantium gubernatio* ; quod et apud Ephræmum habes sermone de Cruce. Exstant varia numismata Fortunæ cum gubernaculo, ubi crucis speciem videre est. Videsis Jacobum Bosium de Cruce triumphante lib. V, cap. 12, ubi ectypon habes ex numo Trajani et corneola quadam. ROSVEYDUS.

Not. 249. *Ibis et scupos.* — Apud Ptolemæum lib. III Geographiæ, cap. 9, habes in Mysia superiore inter Dardaniæ civitates Σκοῦποι ; item apud Trebellium Pollionem in Regilliano *Scupi*, et in codice lib. VIII, Titulo 45, *Scuppi*. Alii, ut puto, sunt Σκόποι Stephano, quam ait Thaciæ esse urbem, cujus meminit Lepidus in octavo libro historicæ epitomes, quæ Zonaræ tomo III dicitur in Basilio Porphyrogenito πόλις Σκοπίων, item Nicetæ Choniatæ, Nicephoro Gregoræ πολίχνιον Σκοπίων, *oppidulum Scopiorum*, quod ibidem Triballorum esse dicit. ROSVEYDUS.

Not. 250. *Pilleatus.* — ¶ Sic emendatum ex ms. codice Germanensi. Ante erat in editis *pelleatus*. ROSVEYDUS. Hieronymus mox citandus Bessis *pellitos populos* jungit. Vetustissimus is habitus primorum Patrum. Prudentius Psychomachia :

Pellitosque habitus sumsit venerabilis Adam.

Propertius lib. IV, elegia 1 :

Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres,

Prudentius lib. II contra Symmachum :

Aut pelle Lybistidis ursæ
Compositam chlamydem villoso corpore gestent.

Cicero pro M. Scauro, citante Asconio : *Sordidissimæ levissimæque genti, ac prope dicam pellitis testibus condonetur.* Ovidius lib. IV de Ponto, eleg. 8 :

Littora pellitis nimium subjecta Corallis.

ROSVEYDUS.

Not. 251. *Pilleatus.* — *Pilleati*, seu *pileati*, apud Gothos dicti potissimum *qui inter eos generosi exstabant, ex quibus eis et reges et sacerdotes ordinabantur*, ut ait Jornandes de Rebus Geticis, cap. 5 et 11. Atque eo quidem verbo usus hic videtur Paulinus noster ad designandos præcipuos ex Getis aut Dacis. CANGIUS, in Glossar. Latin., tom. III, pag. 278.

Not. 252. *Et Bessos.* — ¶ Sic emendatum ex duobus mss. codicibus Germ. et Reg. Ante erat, *versos*. DUC. Corrigendum ex ms. P. *et Bessos imitare in ipsis*. Bessos enim legulos auri converti dicit in aurum : de quibus antea dixit :

936 Et sua Bessi nive duriores
Nunc oves facti.

Strabo lib. VII : Βεσσοὶ δὲ ὑπὲρ τὸ πλέον τοῦ ὄρους νέμονται τοῦ Αἵμου καὶ ὑπὸ τῶν λῃστειῶν λῃσταὶ καλυβῖταί τινες καὶ λυπρόβιοι. *Bessi majorem Æmi montis partem tenent, et propter latrocinia latrones appellantur, vitamque degentes duram.* Solino quoque post Herodotum Thraciæ populi sunt. Latinus Pacatus quæsitores auri eos vocat, ut hic Paulinus auri legulos. In Panegyrico Theodosii : *Parum ille pretiosum putabat aurum, quod de montium venis, aut fluminum glareis quæsitor Bessus, scrutator Callaicus eruisset : illud purius splendidiusque credebat, quod dedissent dolentes, quod hominum lacrymæ non amnium aquæ abluissent.* DUC.

Proba videtur vulgata lectio, *versos*, maxime cum alii mss. cum ea conspirent, et belle sibi respondent, *vertis* et *versos*. Sic ante : *versos monachis latrones*. Legulorum auri Bessorum meminit quoque Claudianus in Consulatu Manlii Theodori :

Quidquid luce procul venas rimata sequaces
Abdita pallentis fodit sollertia Bessi.

De Bessis monachis mentio habetur in Vita S. Theodosii Cœnobiarchæ in Cappadocia, 11 Januarii. Hieronymus epistola 3 ad Heliodorum de Bessis ad fidem conversis : *Bessorum feritas, et pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam inferiis homines immolabant, stridorem in dulce Christi fregerunt melos.* Inter epigrammata Christiana apud Gruterum in Inscriptionibus, pag. 1169, habetur epitaphium S. Marcellini presbyteri Bessis oriundi. ROSVEYDUS.

IN POEMA XVIII.

Not. 253. *Vela ferant foribus.* — Portæ sanctæ cum cancellatæ essent, velis ut plurimum obducebantur, ne quæ peragebantur sacra in altaribus a quibusvis conspicerentur. Epiphanius epist. ad Johannem Hierosol. : *Inveni ibi velum pendens in foribus ecclesiæ.* Denique in concilio Narbonensi 589, can. 13 : *Juniores clerici jubentur senioribus vela ad ostia sublevare.* Ejusmodi ad ædium sacrarum introitus, ac regias portas, velorum non semel mentio occurrit apud scriptores, quorum locos aliquot collegit Rosveydus ad Paulinum (*Not.* 234). CANGIUS, in Constantinop. Christ., lib. III, pag. 63.

Not. 254. *Ceris.* — Bedæ tempore lectum fuit *cereis*, uti patet ex ejus libro de Metris, cap. de Episynalepha sive Diæresi, ubi ait in hoc carmine apud Paulinum *e* et *i* juncta esse. ROSVEYDUS.

Not. 255. *Animam sponsantes dotibus.* — *Desponsare* est certa sponsione conjungere; *sponsare* non est sane usitatum, quod hic usurpat Paulinus. Idem tamen reperitur in bono illo Onomastico Argentoratensi, *sponso*, *sponsas*, μνηστεύω. Et apud Tertullianum de Velandis Virginibus cap. 11 : *Quanto magis tempus illas velabit sine quo sponsari non possunt, et quo urgente sine sponsalibus virgines desinunt esse.* BARTHIUS, Adversar. Commentar. lib. XLII, cap. 21.

Not. 256. *Pervilibus.* — Male hactenus in editis, *servilibus*. Viduæ minuta vocat pervilia. Vox nota Livio lib. I Belli Macedon. : *Annona quoque eo anno pervilis fuit.* ROSVEYDUS.

Not. 257. *Postibus oscula figit.* — Religiose olim templorum limina salutabantur et osculis adorabantur. Prudentius in S. Laurentium hymno 2 Περὶ στεφάνων :

Ipsa et senatus lumina
Quondam luperci et flamines,
Apostolorum et martyrum
Exosculantur limina.

Idem hymno 11 Περὶ στεφάνων de S. Hippolyto :

Oscula perspicuo figunt impressa metallo.

Vel quod portæ æreæ essent, vel laminis æreis aut argenteis obductæ. Arator lib. II Histor. apostolicæ :

Tota concurritur urbe,
Qui primus nova tecta petat, quive oscula figat
Postibus, et tacta sacretur parte cylindri.

Chrysostomus homil. 30 in Epistolam II ad Corinth. : Ναὸς ἐσμεν τοῦ Χριστοῦ· τὰ τοίνυν πρόθυρα φιλοῦμεν τοῦ

ναοῦ καὶ τὴν εἴσοδον, ἀλλήλους φιλοῦντες. Ἢ οὐχ ὁρᾶτε ὅσοι καὶ τὰ πρόθυρα τούτου φιλοῦσιν, οἱ μὲν κύψαντες, οἱ δὲ τῇ χειρὶ κατέχοντες, καὶ τῷ στόματι τὴν χεῖρα προσάγοντες; καὶ διὰ τούτων τῶν πυλῶν, καὶ τῶν θυρῶν, καὶ εἰσῆλθε, καὶ εἰσέρχεται, πρὸς ἡμᾶς ὁ Χριστὸς, ἡνίκα ἂν κοινωνῶμεν. *Templum Christi sumus. Itaque templi vestibula et aditum osculamur, cum alii alios osculamur. An non cernitis quotnam homines etiam hujusce templi vestibulis osculum figunt, partim inclinato capite, partim manu tenentes, atque ori manum admoventes? Ac per has portas et januas* **937** *ingressus est Christus, et ad nos ingreditur cum communicamus*. Gregorius Turonensis lib. IV Miracul. S. Martini, cap. 14 : *Ut basilicæ S. Martini limina oscularentur*. Fortunatus lib. IV de Vita S. Martini, de basilica S. Appollinaris Ravennæ :

> Rursus Apollinaris pretiosi limina lambe
> Fusus humi supplex.

Hinc limina ornata velis. Vide ante. Hinc phraseos usus obtinuit, *proficisci ad limina Apostolorum*, id est, ad basilicas SS. Apostolorum. Claudianus, vel quisquis est, ad Jacobum magistrum equitum :

> Per cineres Pauli, per cani limina Petri.

Acta Alexandri pontificis : *Tu si ad limina S. Petri duxisses eum*. Rosveydus.

IN POEMA XXII.

Not. 258. *Vasta eructavit ab alvo*. — Ut dixit in Propemtico Nicetæ : *Ut mersum caperet, deinde redderet haustum*. Tertullianus de Resurrect. carnis, capite 58 : *Quod Jonas devoratus a bellua maris, in cujus alvo naufragia digerebantur, triduo post incolumis exspuitur*. Jo. Chrysostomus homil. 5 in Epist. ad Colossens. Πῶς τὸ θηρίον τὸν Ἰωνᾶν εἶχεν ἐν τῇ γαστρὶ, καὶ οὐκ ἀπώλετο; πῶς δὲ αὐτὸν καὶ ἤμεσεν ἀσινῆ. *Quomodo bellua Jonam habebat in ventre, et non peribat? quomodo autem eum evomuit illæsum?* Et homil. 56 de diversis Novi Test. Locis : καθάπερ γὰρ ἐκεῖνον μετὰ τρεῖς ἡμέρας κῆτος ἤμεσεν, οὐχ εὑρὼν ἐν αὐτῷ τὴν οἰκείαν τροφήν. *Ut enim illum post tres dies cetus evomuit, cum in eo proprium et conveniens non reperisset alimentum*. Duc.

Not. 259. *Tria fata*. — Locus erat Romæ ad Tria fata, cujus meminit Procopius Belli Gothici lib. I, circa finem. Anastasius in Honorio : *Fecit ecclesiam B. Hadriano martyri in* Tribus fatis, *quam et dedicavit, et dona multa obtulit*. Idem in Hadriano : *In ecclesia vero B. B. Cosmæ et Damiani in* Tribus fatis *vestem de stauracin fecit*. Item : *Basilicam SS. Cosmæ et Damiani sitam in* Tribus fatis *restauravit*. Unde Fridericus Lindebrochius humanissimis ad me litteris suggerebat, in Cypriano epist. 21 pro *usque ad Trian facta*, legendum *usque ad* Tria fata. Probissima conjectura, si modo constaret epistolam illam Romæ scriptam esse. Non desunt rationes, quibus ex Africa Romam missa videatur, et sic vulgata lectio retineri posset. Barbara ibi multa locorum nomina. Rosveydus.

Tria fata. — ¶ Ita Romani Parcas nominare consueverant : iisque locus erat Romæ consecratus. Vide Procop. loco supra cit.

IN POEMA XXIII.

Not. 260. *Clamosos verberat hostes*. — ¶ Sic emendatum ex ms. codice Germ. et ed. Schot. in marg. Edd. quinque, *cum nosset*, mendose. Edit. Rosveyd., *communes*.

Suspicatur legendum doctissimus Cauchius *damnosos*, vel certe *clamosos verberat* : sed receptæ lectionis vestigiis insistendo scribere posset quis, *cunctantes verberat hostes*, pro *cum nosset*. Indicat nimirum dæmones urgeri pœnis, cum exire differunt et cunctantur. Ita Johan. Chrysostomus homil. 26 in II ad Corinth. : Οὐδενὸς ὁρωμένου, οὐδενὸς ἐπικειμένου ταῖς πλευραῖς τοῦ δαίμονος, φωναὶ καὶ σπαραγμοὶ, μάστιγες, βάσανοι, γλῶσσαι ἐμπιπράμεναι, τοῦ δαίμονος οὐ φέροντος τὴν θαυμαστὴν δύναμιν ἐκείνην. *Cum nemo cernatur, nemo dæmonis lateri incumbat, voces et dilacerationes, verbera et cruciatus, linguæ conflagrantes audiuntur, dæmone videlicet eximiam et admirabilem illam potentiam non ferente*. Duc.

Not. 261. *Sacrum est, nec in ora relapsis*. — Ita veterem lectionem repræsentavit ex mss. doctissimus Cauchius, cum ante esset, *nefas est ignorare* ; quam confirmat Severus Sulpicius dialogo 3 de Vita S. Martini : *Si quando exorcizandorum dæmonum curam S. Martinus reciperet, solitum accidere, ut plures sublatis in sublime pedibus penderent, nec defluerent tamen vestes super faciem, ne verecundiam faceret nudata pars corporum*. Paulo post idem Cauchius corrigit, *cum tegmina membris*, pro *tegmine* : recte sane, cum vestes corporis sint tegmina, sicque vocentur a Theodulpho in versibus, quos antiquiora Missalia exhibebant dominica in Ramis palmarum, sed ex codice ms. sic emendanda :

> Tegmina sic animæ sternamus corpora nostra,
> Quo per nos semper sit via tuta tibi.

938 Vestes animarum ait esse corpora, quod membris animæ tegantur ac veluti obvelentur. Duc.

¶ Versus ille varie interpolatus erat in excusis libris : cum Rosveydo emendavimus ex mss. codicibus Belg. et Germ. *sacrum est, nec in ora relapsis*. Quo quid apertius? dicit vestes in ora non relapsas ; quod et Sulpicius Severus lib. III Dialog., art. 6, innuit his verbis : *Cerneres miseros sublatis in sublime pedibus quasi de nube pendere, nec tamen vestes defluere super faciem, ne faceret verecundiam nudata pars corporum*. Legimus sane de energumenis factitari sæpius solitum ad memorias et tumulos martyrum et confessorum ut exorcizandi dæmones corpora vexatorum in altum raperent pedibus sursum versis, ita tamen ut vestes pudenda membrorum tegentes non relaberentur, sicut Paulinus noster id se spectasse refert.

Not. 262. *Lychnum*. — ¶ Sic emendavimus ex ms. Germ. codice. Ante erat *lignum*, mendose.

Dubium non est quin emendandum sit *lychnum* pro *lignum*. Ita paulo post :

> Sed puer, exstincto abstulerat qui lumine lychnum.

Et alibi :

> Et vice suspensus lychni pendebat apertio.

Solent enim lucernæ funibus vel catenis adstrictæ pendere, ut apud Virgilium I Æneid. :

> dependent lychni laquearibus aureis.

Lucretius lib. V :

> Lumina pendentes lychni claræque coruscis.

Et hic noster rursus :

> Pendentes lychni spiris retinentur ahenis.

Duc.

Not. 263. *Ut status hujus erat*. — *Status* pro *statura*. Gregorius Turonensis lib. IV Histor., cap. 24 : *Celsum patriciatus honore donavit, virum procerum statu, in scapulis validum, lacerto robustum*, etc. Lex Bajvv., tit. 1, c. 11, § 1 : Fiat tunica plumbea secundum statum ejus, quod ipsa pensaverit, auri tantum donet qui eum occidit. Cangius, in Glossar. Lat., tom. III, p. 953.

¶ *Status*, pro *statura*. Sic *jactus* pro *jactura* ; *jactum ferre*, pro *jacturam ferre* apud Paulinum, carm. 21 ad Cytherium de naufragio Martiniani, v. 339. Sic *statum* pro *statura* dixisse S. Cyprianum lib. de Mortalitate, *statu celsus*, ex membranis adnotat J. F. Gronovius in Observat. ecclesiast., c. 3. Sic apud Statium, *brevis status* pumilionum. Apud Columellam de Gallis, *status altior quæritur*. Ambrosius serm. 10 in psalm. CXVIII : *Est enim homo statu celsus, vultu decorus*.

Not. 264. *Contigero similis juveni*. — Perbelle observavit P. Scriverius v. 150, veterum θαυματοποιοῖς fuisse genus ludicri, adeo ut in extremo ligno stantes pueri luctarentur : quod *nutantia pondera fronte perticata ferre* dixit Martialis; fronte quippe, non humeris ut bajulorum genus palangarii, memorati Nonio,

qui fustibus onera portabant, ut hodieque faciunt. Sed istos θαυματοποιοὺς *contigeros* dixisse Paulinum eruditæ illius observationi addimus, Natali 7 Felicis. J. F. Gronovius, in Observat. ecclesiast., cap. 10.

Not. 265. *Tactis hoc sospite fratre medullis.* — Correctio hæc ab amico Romano. Ante erat *Tectis hoc hospite fratre medullis.* Ita et ms. Consideratione forte dignum, an sit legendum *Tectis Medullis*, ut hic, qui a Felice curatus est, hospes fuerit Paulini, e Medullis Galliæ populo? quos cur *Tectos* vocet, non video, nisi alludat ad Tectosages illis vicinos. Rosveydus.

IN POEMA XXIV.

Not. 266. *Dextras damus.* — *Dextras dare* est *fœdus inire.* Claudianus in Ruf. lib. I :

> sociat perituro fœdere dextras.

Et lib. II :

> Tradisne tuas, dux optime, dextras.

Veteres manum (ut Germani hodie solemus) dedisse invicem salutantes clarum ex hoc loco Paulini. Abeuntes nos solemus : faciebant itidem antiqui. Vide Xenophon Cyri Pæd. lib. V :

> Cum inimus amicitias.

Idem priscorum mos. Valerius Flaccus lib. II :

> Ut videt, ipse ultro primus procurrit ad undas,
> Miraturque viros, dextraque amplexus et hærens
> Incipit.

Barthius, Adversar. Commentar. lib. XXV, c. 8, et ib. XLVIII, cap. 18 :

Not. 267. *Labente blandis classe securus vadis.* — Sic ms. Regius codex cum ed. Rosv. Ita emendavimus olim ex conjectura. Ante erat *lambente.* Sumsit ex Virgilio VIII Æneid. :

> 939 Labitur uncta vadis abies, mirantur et undæ.

Et lib. 10 :

> Labitur alta secans fluctuque æstuque secundo.

Ex eodem est usitata poetis locutio, *Iter secabat;* ut VI Æneid.

> Ille viam secat ad naves.

Duc.

Not. 268. *Ut mox salubri barca.* — Isidorus lib. XIX Originum, cap. 1 : *Barca est quæ cuncta navis commercia ad littus portat. Hanc navis in pelago propter nimias undas suo suscipit gremio.* Sic emendandum ex codice ms. Collegii nostri Parisiensis. Glossæ veteres : Ἀκάτιον, ἡ βάρκα, τὸ λέμβος ; est ergo parvi navigii genus, quod antea scapham appellavit. Barcariorum classis mentio fit in Notitia utriusque Imperii. Duc.

Not. 269. *Virtute cassa mors fuit.* — Sic Virgilius :

> Cum victis certamen et æthere cassis,

XI Æneid. Non minus tamen Latina σύνταξις altera vocis hujus, quam exhibet ms. P., *Mors cassa virtutis fuit.* Sic enim Statius IX Thebaid., v. 629 :

> Hei mihi cur penitus simque augur cassa futuri.

Duc.

Not. 270. *Somnos anhelabat graves.* — ¶ *Anhelare* cum quarto casu, Paulino commune cum veteribus poetis. Prudentius Apotheos. v. 685 :

> Nec fluctum semper anhelat.

Ibid., v. 923 :

> Fundit opus natura suum, quod parvula anhelent
> Vascula.

Et ejusdem Apotheos. v. 843 :

> Nunc flatum tepidum calor exhalatus anhelat.

Statio Theb. XI :

> Juppiter
> Phlegræ lassatus anhelat prælia.

A Et Catilina Ciceroni dictus *anhelare scelus.* Idem Cicero in Arateis de Capricorno :

> Tum gelidum valido de pectore frigus anhelans.

Not. 271. *Intra mare, et exter maris.* — ¶ Paulinus noster Jonam *exterum maris intra mare* eleganter dicit, eamdemque vocem usurpat in eodem carmine ad Cytherium v. 507 :

> Nunc iste vobis exter, et vester manet.

Ibidem, v. 816 :

> Fuit exter Ægypti solo.

Et Natal. 8 S. Fel. :

> Sed moribus exter.

Item epist. 11 ad Severum, n. 3 :

> Exter fratribus meis.

Eadem plane vox reperitur apud Tertullianum carmine de Jona et Ninive ; sic enim de Jona loquitur :

> Neque tinctus aquis, maris intimus exter.

B Vel, ut placet Philippo Roberto,

> Maris inter et exter.

Not. 272. *Fraternitas.* — Fraternitatem hic intellige non unius, ut epist. 35, *Obsecro fraternitatem tuam ;* sed plurium, hoc est fratrum cœtum, ut epist. 3, *Fraternitatemque monacham soluto farre distendat.* Hieronymus ad Theophylum epist. 31, *Te universa fraternitas suppliciter salutat.* Idem est quod in calce epistolæ 32, *Fratres qui nobiscum in monasterio sunt, te salutant.* Duc.

Not. 273. *Exigua largus.* — Hic quoque locus emendationem ex conjectura admisit, cum ante esset *largos*, ut et sententia sit concinnior, et lex carminis sanctius observetur. Sensus est, si forte munus sit exiguum, affectus largitate compensatur ejus exilitas. Simile illud de vidua, Natali 6 :

> Quam Deus e pretio mentis non munere cernens.

Duc.

C Not. 274. *Avara mendicabula.* — Gyrovagos monachos egregie hic depingit Paulinus, qui monasteriis suis relictis, per diversas cellas, nescio qua pietatis vana specie, vagabantur, de quibus ita Regula S. Benedicti, cap. 1 : *Quartum genus est monachorum, quod nominatur gyrovagum : qui tota vita sua per diversorum cellas hospitantur, semper vagi, et numquam stabiles*, etc. Agunt de ejusmodi gyrovagis præterea Regula Magistri, c. 1 ; Petrus Damian. lib. V, epist. 9 ; S. Bernardus ep. 68 ; Odo Cluniac. lib. I Collat., cap. 23 ; Statuta Hugonis Cluniac., pag. 1465, etc. Carolus Cangius, in Glossar. Lat., tom. II, pag. 683, n. 1.

Not. 275. *Centumcellas.* — Ita ms. codex P. cum ante esset *Centumcellis.* — Correctores fortasse typographici casum mutarunt, quod ignorarent usitatam autoribus illius ævi locutionem, qui nonnumquam per quartum, nonnumquam per sextum casum nomina urbium indeclinabilia enuntiabant, ut viri docti nuper observarunt. Sic apud Frontinum *Colo-*
D *nia Veros, Colonia Gravíscos, Cassinos et Agninos ;* et apud Vopiscum in Vita Probi : *Copto præterea et Ptolemaide urbes, ereptas barbarico servitio ;* et apud Frontinum rursus : *Puteolis colonia*, *Fundis oppidum.* Duc.

940 Not. 276. *Pares in unum.* — Allusit ad illud II Cor. IV, 14 : *Quæ societas luci ad tenebras?* et Ecclesiastici XIII, 21. Τί κοινωνήσει λύκος ἀμνῷ ? οὕτως ἁμαρτωλὸς τῷ εὐσεβεῖ. *Quid communicabit lupus cum agno? sic peccator ad pium.* Quibus gemina sunt illa apud gentiles : Horat. Epod. IV :

> Lupis et agnis quanta sortito obtigit,
> Tecum mihi discordia est.

Homerus Iliad. χ :

> Οὐδὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσιν.
> Neque lupi et agni concordem animum habent.

et, Πρὶν κεν λύκος οἶν ὑμεναιοῖ. *Ante lupus sibi junget ovem.* Aristophanes in Pace. Sed istud de alitibus in

unum convolantibus est ex eodem Ecclesiastici lib. xxvii, 9 : Πετεινὰ πρὸς τὰ ὅμοια αὐτοῖς καταλύσει.

Volatilia ad similia sibi divertent

Duc.

Not. 277. *Pastis adornet crinibus.* — Ante erat *passis*, id est expansis. Sed rectius *pastis* crinibus Nazaræus adornare verticem dici potest. Sic enim epistola ad Severum 4 : *Vitamque nostram quasi Nazaræum crinem pascentes Deo in castitate et parcimonia consecremus.* Sic et apud profanos autores dicebantur diis pascere crinem, qui comam nutriebant in honorem deorum. Virgil. vii Æneid. :

sacrum tibi pascere crinem.

Euripidi in Bacchis, hoc est, πλόκαμον τρέφειν, et Homero Ἰλιάδ. ψ, χαίτην τρέφειν. Pausaniæ in Arcadicis, τρέφειν κόμην. Solebant Græci veteres comam alicui deo consecrare. Nutrire comas, dixit Valerius Flaccus Argonaut. vi. Alere capillum, Plinius lib. iv, cap. 15. I Cor. xi, 14 : *Vir si comam nutriat*, ἀνὴρ· ἐὰν κομᾷ. Horatius simili locutione dixit lib. ii, sat. 3 :

sapientem pascere barbam.

Duc. Vide not. 290.

Not. 278. *Postea fiat hostium.* — Emendandum videtur, *præda fiat hostium;* captus enim est Dalilæ dolis irretitus, unde idem Paulinus epist. 4 de Samsone : *Utinam tam prudens ad cavendam mulierem, quam fortis ad strangulandum leonem! Sed carnali victus illecebra, cum prævaluisset forti, ab infirmitate superatus est.* Et paulo post : *Optemus hujus leonis præda fieri, ne simus præda leonis inimici.* Duc.

Not. 279. *Sit fortis anima mortificans asinum suum.* — Asinum vocat suum corpus ad libidines suopte impetu pronum, ut apud S. Hieronymum Hilarion in ejus Vita : *Ego*, inquit, *aselle, faciam ut non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis; fame te conficiam et siti; gravi onerabo pondere, per æstus indagabo et frigora, ut cibum potius quam lasciviam cogites.* Gregorius Nazianzenus Κατὰ σαρκός :

Θὴρ ἀδάμαθ' ὕλης ἔκγονε μαρναμένης.

Bellua pugnaci prodita materia.

Duc.

Not. 280. *Consumat ignes criminum.* — Ita legit codex P. non *igne criminum* : quam lectionem ut vulgatæ præferamus, suadet idem Gregorius simili locutione utens, ubi de castigatione carnis agit :

Ὄφρα καταψύξειας ἐμὴν φλόγα, καὶ μυδόεσσαν
Ῥύψειας παθέων τηκεδόν' ἀργαλέων.

Ut sedare meum ardorem, atque abstergere possis
Sordes, affectus quos vehit iste ferox

Idem hic noster Natali 7 :

Bellorum temperet ignes.

Duc.

Not. 281. *Ferrumque damni.* — Ni fallor, amota rectius metalepsi legetur, *Ferrique damnum nesciat.* Haud aliter epistola 4 de Samsone ipse verba faciens, dixit : *Ne illa inimica novacula in caput nostrum ascendat, nosque gratia spirituali tamquam illo Nazaræo crine dispoliet, qui quanto servantibus bono maneat, et exitio decerpatur incautis.* Duc.

Not. 282. *Costa fortis hæc tibi.* — Costam appellat uxorem Cytherii μετωνυμικῶς, eo quod primi hominis uxor ex ipsius costa procreata sit. Ita pro uxore costam dixit Gregorius Nazianz. poemate 1 Περὶ τῶν καθ' ἑαυτόν :

Καὶ μοναχοῦ βιότοιο, βίου μέλλοντος ἀπαρχῆς,
Πλευρῆς οὐ χατέοντος ἑὸν δέμας ἀμφαγαπώσης.

Cœlestis vitæque hujus, quæ conjugis expers
Ducitur, æterni referens præludia secli.
Nec costam quærit.

Duc.

Not. 283. *Agitator Israel.* — Deum vocat Israelis agitatorem, ut loquitur Elisæus, in cœlum rapto Elia,

A IV Regum ii, 12 : *Pater mi, currus Israel et auriga ejus*, et IV Regum xiii, 14, Joas rex Israel, mortuo Elisæo. Græce est, Ἅρμα Ἰσραὴλ καὶ ἱππεὺς αὐτοῦ, *Currus Israel et eques ejus.* Ambrosius tamen lib. de Nabuthe, cap. 15, sic extulit : *Pater agitator Israel, et eques ejus, hoc est, qui populum Domini bono ductu regebas.* Agitatores enim dicebantur aurigæ qui in ludis circensibus cursus regebant, et quadrigas agitabant. Leg. ult. cod. de Maleficis : *Si quisquam ex agitatoribus, id est aurigis, contra* **941** *hoc editum venire tentaverit.* Glossarium : *Agitator*, ἡνίοχος, ἐλάτης. Cicero iv Academ. : *Agitator callidus equos sustinebo.* Plinius lib. xxxiv, cap. 5 : *Cujus quadrigam cum agitatore operuit musca.* In nomocanone, tit. 13 de Laicis, cap. 21 : Οὐκ ἔστι δὲ παιγνιακὴ τέχνη ἡ ἀτιμοποιὸς ἡ τῶν ἀθλητῶν, καὶ τῶν ἡνιόχων. *Non est autem ars ludicra ars athletica, nec irrogat infamiam, nec ars agitatorum.* Interpres hoc ultimum omisit. Concil. Arelatense i, can. 4 : *De agitatoribus qui fideles sunt, placuit eos, quamdiu agitant, a communione*
B *separari.* Duc.

Not. 284. *Partis senectam panibus.* — Conjiciebat legendum *Partim* doctissimus Cauchius : sed minori mutatione correxerim lubens, *Patris senectam panibus;* sic enim dixit paulo ante, *Patris altor et fratrum foret.* Exemplum aquilæ, quod subjicit, rem confirmat. Idem enim de aquilis, quod de ciconiis alii scriptores tradunt, refert Gesnerus ex Johanne Tzetze in Chiliadibus : *Pulli aquilarum*, inquit, *et ciconiarum adulti parentes suos alunt, et volatum ipsorum promovent. Johan. Tzetzes in Chiliad.* Hoc ipsum ex Athenæo narrat Aldrovandus lib. i Ornithologiæ : sed deceptus est ab antiquiori interprete, qui perperam locum illum expressit lib. xiii, c. 10 :

Ubi senecta mox gravis compresserit,
Juvenes volantes quæritant actæ fame.

Græce enim est :

Ὅταν δὲ γηράσκωσιν, ἤδη δὴ τότε
Ἐπὶ τοὺς νεὼς ἴζουσι πεινῶντες κακῶς.

C Rectius interpres recentior Dalechampius : *Delubrorum fastigiis insident esurientes miseræ.* De ciconiis adi Plinium l. x, cap. 23, et Ælianum libro iii, cap. 24. Duc.

Not. 285. *Cœlitis.* — Recte conjecit legendum Cauchius *cœlitis* pro *cœlestis* : similem enim amat locutionem usurpare Paulinus, ut pro *cœlesti* regno, *cœlite* regno dicat. In hoc ipso poemate paulo ante :

Ut corde puro cœlitis prudentiæ
Potum pudicus hauriat.

Et infra Natali. 9 :

Qui colitis sacros paradisi cœlitis hortos.

Item :

Namque et apostolici cineres sub cœlite mensa.

Tale illud Ovidii i Fastor. :

Cœlitibus regnis a Jove pulsus eras.

Cœlestes vice versa pro *cœlitibus* dixit Q. Catulus apud
D Ciceronem, i de Natura deorum,

Pace mihi liceat cœlestes dicere vestra.

Duc.

Not. 286. *Explicant instar crucis.* — Quod hic ait Paulinus, alites instar Crucis explicare suspensa pennis corpora, expressit etiam autor Commentar. in Marcum apud Hieronymum, cap. 11 : *Aves quando volant ad æthera, formam crucis assumunt.* Minutius Felix in Octavio : *Signum crucis visimus in navi, cum velis tumentibus vehitur.* Idem de Cruce Tertullianus Apologet. cap. 16, Justinus in Dialogo cum Tryphone Duc.

Not 287. *Sic iste pullus.* — Proverbior. v, 18 *Cerva carissima, et gratissimus hinnulus.* Græcus textus, quem exprimit Paulinus, sic habet : Ἔλαφος φιλίας, καὶ πῶλος σῶν χαρίτων, ὁμιλείτω σοι. *Cerva amicitiæ, et pullus gratiarum tuarum conversetur tecum.* Ambrosius iii Officior., cap. 1, et Hieronymus Homil. 3 in Cantic. apud Origenem : *Cervus amicitiæ, et pullus*

gratiarum confabuletur tecum. Illud σῶν omittitur, ut hoc loco, in editione Romana. Vatablus : *Cerva amorum, et caprea gratiæ, hoc est, uxor, quæ est velut cerva gratissima.* Ambrosius rursus lib. I de Jacob et Vita beata, c. 7 : *Præstantissimo autem inhæreat, sicut scriptum est : Cervus amicitiæ, et pullus equi gratiarum conversetur tecum.* Glossarium : Πῶλος *equuleus, pullus.* At dictio quidem Græca πῶλος, asini, equi, vel elephantis pullum significat, et aliorum quadrupedum; sed si Hebrææ linguæ sequamur proprietatem, et istius loci sententiam, pullus capræ designari videtur, non equi. Dictio quoque Latina *pullus*, quamvis et de aquilis et aliis avibus usurpetur, hoc tamen in Proverbiorum loco de pullis avium non potest intelligi, cum Græca vox πῶλος, quam exprimit Latinus interpres, avibus non conveniat, ut Latina quadrupedibus et avibus. Duc.

IN POEMA XXV.

942 Not. 288. *Juliani.* — Hic ille est Julianus Memoris filius, cujus tunc diaconi meminit Augustinus B epistola 131 ad Memorem patrem ejus, ex qua apparet eum Augustino fuisse carissimum. Hic post episcopus Campanus (id est in Campania) ut habent meliores libri, non Capuanus (ut in vulgato Gennadio [In pervetusto ms. codice Germ. 1000 annor., nec *Campanus*, nec *Capuanus episcopus* dicitur] de Scriptor. ecclesiast., cap. 45, habetur) fuit : qui etiam Pelagiano errore fuit infectus, et acer Augustini demum impugnator, cui variis libris respondit Augustinus. In Campania vixisse testatur etiam Prosper carmine in obtrectatorem Augustini :

Aut hunc fruge sua æquorei pavere Britanni,
Aut huic Campano gramine corda tument.

Vulgatus Prosper in Chronico, Theodosio XVIII, et Festo coss. eum *Atellanensem* facit. Est autem Atella Campanorum in Italia oppidum. Vetustissimi tamen libri mss. ibi habent *Eclanensis* seu *Heclanensis.* Notus Eclanensis ager libro de Limitibus in Calabria sive Apulia. Beda in Cantica vocat eum *Celanensem episcopum in Campania.* Apud Virgilium VII Æneid. *Celena* vel *Celenna* est locus Campaniæ, Junoni sacer, C teste Servio. Scripsit varia opuscula, de quibus Beda in Cantica, et Gennadius supra. Rosveydus.

Not. 289. *Iæ.* — Proprium feminæ nomen Iæ. Arnobius lib. V de la Atis sponsa : *Virgo sponsa quæ fuerat . quam Valerius pontifex Iam nomine fuisse conscribit, exanimati pectus lanis mollioribus velat, dat lacrymas cum Agdesti, interficitque seipsam : purpurantes in violas cruor vertitur interemtæ.* Martyrologium Romanum 4 Augusti : *In Perside sanctorum martyrum Iæ et sociarum, quæ cum novem millibus Christianis captivis sub Sapore diversis pœnis afflictæ martyrium subierunt.* Hujus nomine templum vetustate pene collapsum restituit Justinianus. Procop. lib. I Ædif. Justiniani. Remansit hoc nomen apud nostrates, *Ida, Iye, Iyken.* Fridericus Lindebrochius varie doctus ad Adelphos Terentii pro *Iam* citat *Titiam*, nescio an ex ms. Schottus noster *Ætiam* divi- D nabat. Rosveydus.

Not. 290. *Pastis cumulatum crinibus.* — Sic editio Schot. ex ms. codice. Ed. Rosv., *passis ;* mendose. Non accumulant caput *passi*, hoc est soluti et passim dati, crines. Scribendum autem *pastis* ex Virgilio, ut annotavit Ducæus ad illud 13 (nunc XXI, v. 536) :

Sanctumque Christo Nazaræus verticem
Pastis adornet crinibus.

Ubi pariter inoleverat *passis.* Ambrosius de Jejunio, cap. 7 : *Ita ut eorum nullus capillus capitis exureretur, quia illam quoque comam paverant.* Et in Hegesippo lib. IV : *Fluxu corporis sexum dissolvere, pascere comam, vultum dealbare.* Prudentius Peristeph. 1 : *Jugibus longum catenis an capillum paverint.* J. F. Gronovius, in Observat. ecclesiast. scriptor, c. 10.

Vide Not. 277.

Not. 291. *Memor.* — Nunc *Memor*, nunc *Memorius*, dicitur. Ad Memorium episcopum exstat epi- A stola 131 Augustini, ubi et Juliani meminit. Ejusdem etiam mentionem facit lib. I contra Julianum, cap. 4 : *Ego certe beatæ memoriæ Memoris patris tui non immemor, qui mecum non parvam inierat amicitiam colloquio litterarum, teque ipsum mihi carissimum fecerat.* Rosveydus.

Not. 292. *Æmilius.* — Meminit hisce temporibus Æmilii episcopi Palladius in Dialogo, agens de legatione ex Romano concilio Constantinopolim : *Acceptis sancti viri Æmilius et Gaudentius episcopi, una cum Valentiniano Bonifacioque presbyteris, imperatoris Honorii, et Papæ Innocentii, et Italiæ episcoporum Chromatii Aquileiensis, et Venerii Mediolanensis, ac reliquorum episcoporum epistolis, una et commonitorio concilii totius Occidentis, conditionibus publicis Constantinopolim concessere.* Metaphrastes *Æmilium* hunc vocat Beneventanum episcopum. Vide Baronium tomo V, anno Christi 405. Rosveydus.

IN POEMA XXVI.

943 Not. 293. *Roscidus.* — Roscidum spiritum hic appellat, quod Danielis III, 50, dicitur πνεῦμα δρόσου διασυρίζον, *ventus roris susurrans*, a Gregorio Nazianzeno δροσερὸν νέφος in Poemate 1.

Ἐν φλογὶ δ' Ἀσσυρίῃ δροσερὸν νέφος ἀμφεκάλυψε
Θαρσαλέους τρεῖς παῖδας, ἐπεὶ χέρας ἐξεπέτασσαν.

Roscidaque egregios juvenis nubecula texit
Assyria in flamina tendentes brachia sursum.

In Paraphrasi psalmi CXXXVI clarum insedisse etiam ultimæ Coloniensi editioni mendum fœdissimum :

Illic Assyriæ mediis in mœnibus urbes.

pro *urbis :* ipsam enim Babylonem Assyriam urbem vocat. Duc.

Not. 294. *In quibus iste feras.* — Potuit hic quoque Gregorium imitatus videri, cujus hæc germana sunt, in poemate Περὶ τῶν καθ' ἑαυτόν, ubi suas ita comparat calamitates cum veterum illorum Danielis et Jonæ periculis, ac deinde subjicit :

Καὶ γὰρ δὴ θῆρές τε καὶ ἄγριον οἶδμα θαλάσσης
Καὶ δῆρις στονόεσσα, καὶ αἰθομένου πυρὸς ὁρμὴ,
Πάντα κακοὶ τελέθουσι βίου δηλήμονες ἄνδρες.

Namque et fluctus atrox, et lamentabile bellum,
Crudelesque feræ, furibundus et impetus ignis,
Sunt scelerati hominis vitæ certissima pestis.

Duc

IN POEMA XXVII.

Not. 295. *Sic æque divina.* — Baronius tomo I, anno Christi 58, num. 42, postquam egisset de tribus festis Christi, Nativitatis, Epiphaniorum, et Ascensionis, quæ creduntur ab apostolis instituta, quod ejus institutionis nulla reperiatur memoria, sicut aliorum festorum, citat Paulini carmina, quibus videtur insinuare hæc divinitus instituta ; quod in hunc sensum accipiendum docet Baronius : Deus qui in decalogo legem præscriptam dedit, qua festos dies juberet coli, eosque illos esse postea declaravit, quibus maxima quædam ipse contulisset in Hebræum populum beneficia ; quæ ne memoria exciderent, mille aliis monumentis in mentibus voluit esse fixa : cum vero postea longe majora per Filium suum in hunc mundum missum, universo humano generi elargitus est dona, et immensa addidit beneficia ; cur non videretur ab eo pariter esse statutum, ut eorum memoria æque solemniter celebritate anniversaria coleretur ? Neminem enim hæc adeo perspicua negaturum putamus, nisi qui omnis prorsus a Deo inditæ homini rationis est expers : cum præsertim, ut pluribus dictum est, illa priora, horum quæ postea contigerunt, typum gererent ; sicque ea etiam ratione, illa fore legitima sempiterna, prædicta essent ; quod licet typice aliquando et ad tempus illa, postea vero secundum veritatem forent ab omnibus perpetuo celebranda. Rosveydus.

Not. 296. *Grande sacramentum.* — *Sacramentum dupliciter dicitur* (inquit Hugo a S. Victore lib. II Speculi eccl., c. 12) ; *aliquando enim sacramentum dicitur*

sacræ rei signum, velut in baptismo exterior ablutio, quæ interiorem significat emundationem. Aliquando dicitur sacramentum, quasi sacrum secretum, vel sacramentum Incarnationis, et hujusmodi. Postremo sensu collation. I Carthagin., c. 5 : *Incarnationis dominicæ sacramentum.* Concilium Carthaginense an. 595 : *Intimamus resurrectionis dominicæ sacramentum* VII *iduum Aprilium adfuturum fore.* Sic *crucis, resurrectionis et ascensionis sacramenta* dixit S. Hieronymus epist. 48 ad Sabinianum diaconum : *Sacramentum symboli, sacramentum resurrectionis ex mortuis.* Ruffinus lib. I in eumdem Hieronymum, et in præfatione ad Origenem Περὶ ἀρχῶν : *Sacramentum natalis Domini.* S. Gregorius M. in Sacramentario, p. 6. Vide S. Augustinum epist. 118 ad Januarium. CANGIUS, in Glossar. Lat., tom. III, pag. 659 et 663.

Not. 297. *Verba suis aliena loquens.* — Insinuat unum eumdemque loquentem uno idiomate, a diversis intellectum, atque si singulorum idiomate loqueretur; de qua re varia Patrum sententia. Vide Baronium tomo I, anno Christi 34, num. 242. ROSVEYDUS.

944 Not. 298. *Sic Deus omnisonæ modulator et arbiter unus harmoniæ.* — Ita Augustinus quoque, epist. 28, in hujus mundi gubernatione quasi perpetuum Dei canticum agnoscit : *Si homo carminis artifex novit quas quibus moras vocibus tribuat, ut illud quod canitur, decedentibus ac succedentibus sonis pulcherrime currat ac transeat : quanto magis Deus nulla in naturis nascentibus et occidentibus temporum spatia, quæ tamquam syllabæ ac verba ad particulas hujus seculi pertinent, in hoc labentium rerum quasi mirabili cantico, vel brevius vel productius quam modulatio præcognita et præfinita deposcit, præterire permittit.* ROSVEYDUS.

Not. 299. *Adorat.* — Id est *honorat.* Sic infra :

Et magni solium breve confessoris adorat.

Vide Dungalum, pag. 884, ubi ex Genesi, Josue et Psalmis ostendit *adorari* in sacris Litteris sæpe accipi pro *honorari.* Unde Hieronymus in illud, *Adorate scabellum pedum ejus,* tractat : *Adorare in Scripturis dupliciter dicitur : dicitur enim adoratio quasi in Deum, et dicitur adorare quasi honorare.* ROSVEYDUS.

Not. 300. *Unctus adest Domini.* — Hic quoque proclive fuit, emendare, *Unctus adest Domini,* hoc est christus Domini, quemadmodum et docte corrigit Cauchius, cum subjicit, *christus comitatus amicis,* episcopus nimirum Daciæ Nicetes aliis sacerdotibus comitatus. Χριστὸς enim Græcis, *unctus* Latinis. Tertullianus adversus Praxeam, cap. 28 : *Si tamen nomen est Christus, et non appellatio potius ; unctus enim significatur ;* et de Baptismo, cap. 7 : *Aaron a Moyse unctus est, unde christus dicitur a chrismate.* Hieronymus in cap. XII Oseæ : *Oleo unctionis ungebantur prophetæ, sacerdotes, ac reges.* DUC.

Not. 301. *O mihi fulminea Cherubim.* — Isaiæ VI, v. 6, habetur *seraphim.* Quare videtur μνημονικὸν ἀμάρτημα. ROSVEYDUS.

Not. 302. *Conceptosque Deo notat intus Eclesia fetus.* — Intelligit sacramentum confirmationis, cum exterius frons signatur, et intus anima notatur. Quod cape de charactere confirmationis; jam enim præcesserat de baptismate, cum ait :

Sic animas steriles in nomine gratia trino
Innovat.

Sic et Prudentius Hymno ante somnum :

Cultor Dei, memento
Te fontis et lavacri
Rorem subisse sanctum,
Te chrismate innotatum.

Theodoretus in cap. I Cant. : *Qui initiantur baptismo, post satanæ abnegationem et confessionem fidei, veluti signo ac nota regia, spiritualis unguenti chrismate inuncti, sub ea visibili unguenti specie, invisibilem sanctissimi Spiritus gratiam percipiunt.* ROSVEYDUS.

Not. 303. *Hinc sterilis peperit septem.* — Desumtum ex I Reg. II, v. 5, ubi Vulgatus *plurimos* habet, Hebræi et LXX, *septem.* ROSVEYDUS.

A Not. 304. *Fulgentis solii pro limine.* — *Solium,* limen : maxime *limen confessionis,* ad quod subsistebant qui pietatis ergo sanctorum sepulcra visitabant, quod σολία Græcis nuperis : nam ipsa sacraria solis presbyteris patebant. Sidonius lib. IV, epist. 18 :

Sic et dilecti solium Felicis honorans.

CANGIUS, Glossar. Lat. tom. III, pag. 895. Vide not. 319.

Not. 305. *Ecce vides quantus splendor.* — Luminarium et cereorum usus in Ecclesia sat antiquus est. Lampades quoque ac lychnuchi orbiculares, et in modum coronæ effecti circuli complures a laquearibus pendebant, gradatimque sibiipsis impositi, ita ut infimus major esset medio, et medius supremo, singulique lampadibus vitreis adornati, cujusmodi eleganter describuntur a Paulino Natal. 7. CANGIUS, in Constantinop. Christ., pag. 39.

Not. 306. *Camera crispante lacunar.* — Sidonius lib. II, epist. 10 de Ecclesia Lugduni ædificata a Pa-
B tiente episcopo :

Intus lux micat, atque bracteatum
Sol sic sollicitatur ad lacunar,
Fulvo ut concolor erret in metallo :
Distinctum vario nitore marmor
Percurrit cameram, solum, fenestras,
Ac sub versicoloribus figuris
Vernans herbida crusta sapphiratos
Flectit per prasinum vitrum lapillos.
Hinc est porticus.

ROSVEYDUS.

Not. 307. *Metallo.* — Id est columnis marmoreis. Metallum dicitur quævis materia quæ effoditur ex terræ visceribus. Sic lapis altaris metallum dicitur. Pontificale ms. Bertinianum in ordine consecrandi templa, ubi **945** de tabula seu lapide altaris hæc Oratio est : *Supplices tibi Domine Deus Pater preces effundimus, ut metalli hujus expolitam materiam, supernis sacrificiis imbuendam, ipse tuæ dotare sanctificationis ubertate digneris, qui quondam scripsisti lapi-*
C *deis legem in tabulis.* Alia : *Deus omnipotens, universarum rerum rationalis artifex, qui creaturas formans lapideum metallum ad obsequium tui sacrificii condidisti, ut legis libationi pararetur altare : annue dignanter, ut quidquid hic oblatum consecratumque fuerit nomini tuo, assurgat religioni, proficiat spei, innitatur fidei, sit honori.* Sic *metallum miniarium.* Plinio lib. XXXIII, cap. 7. Idem lib. XXXVII, cap. 7 de Sarda gemma : *Primum Sardibus reperta; sed laudatissima circa Babyloniam, cum lapicidinæ quædam aperirentur, hærens in saxi corde. Hocque modo metallum apud Persas defecisse traditur.* Sic Silio lib. VIII, *nivea metalla* de marmore :

Tunc quos a niveis exegit Luna metallis,

quod Straboni lib. V est μέταλλα δὲ λίθου λευκοῦ. Fortunatus lib. III, carmine 25, de turre eucharistica Felicis :

Cedant chrysolithis Salomonia templa metallis.

D Anastasius Bibliothecarius in Silvestro : *Obtulit scyphum singularem ex metallo corallo.* Ibidem, *metallum Porphyreticum.* ROSVEYDUS.

Not. 308. *Didymus cognomine.* — Cognomen proprie dicitur prænomini vel proprio nomini additum nomen familiæ vel gentis : at hic nomen solum significat, quasi diceret duplex nomen habuisse Apostolum, cum tamen, quantum ex Scriptura quidem constat, Hebraice diceretur Thomas, quæ vox apud Græcos vertitur Δίδυμος : utraque autem *geminum* sonat, ut Genes. XXV, 24 : Καὶ τῇδε ἦν δίδυμα ἐν τῇ κοιλίᾳ, תומם. *Et huic erant gemini in utero ejus* et Genes. XXXVIII, 27. Theophylactus in cap. XX Johannis, v. 24, interpretationem esse nominis Thomas docet cum dicitur, Εἶπεν οὖν Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος. *Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus. Ut enim Cephas interpretamur Petrum, sic et Thomas dicitur, hoc est, si interpreteris, sonat Didymus.* Leontius observat evangelistam nullius nomen apostoli interpretatum esse nisi Thomæ, Euthymius appellatum eum

fuisse Thomam, quod cum fratre altero natus esset. Id tamen necesse non esse recte admonet Maldonatus noster, cum potuerit esse usitatum in ejus familia, ut cognomen Gemini in gentibus Romanis Rubellia et Fusia; quo pacto etiam Spurii et Fusci apud eosdem Romanos dicebantur, licet nec colore fusci, neque natalibus spurii essent. Ita demum Johan. v, 2 : *Piscina quæ cognominatur Bethsda.* κολυμβήθρα ἡ ἐπιλεγομένη βηθεσδά; hoc est, *quæ vocatur Bethesda;* et Roman. xi, 17 : Σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ. *Tu Judæus cognominaris.* Vertit interpres Vulgatæ, *Judæus appellaris.* Duc.

Not. 309. *Chalcidicis.* — *Chalcidicum*, hic est *Chalcedonium*, ne quid erres. Chalcedone enim in Bithynia passa Euphemia, non Chalcide in Eubœa. Testatur quidem Stephanus a Chalcide apud Græcos formari Chalcidium, uti a Chalcedone Chalcedonium; Paulinus tamen a Chalcide fluvio, qui Chalcedoni nomen fecit, teste eodem Stephano, formavit Chalcidicum. Ita et Sidonius, carmine 2 in Panegyrico Anthemii, agens de Byzantio, cui Eurus a proxima Chalcedone spirat :

Proxima Chalcidici sensim tuba temperat Euri.

Ita et alii Latini scriptores, uti Hieronymus interpres Eusebii in Chronico, et Cassiodorus in Fastis Apollonium Stoicum vocat *Chalcidicum*, quem Capitolinus in Marco et Eutropius lib. viii vocant *Chalcedonium.*

Sirmondus noster ad Sidonii Panegyricum monet scribendum *Calchidicum*, non *Chalcidicum;* idque firmari vult ex vetustissimis exemplaribus synodi œcumenicæ, in quibus non *Chalcedonensis*, sed *Calchedonensis* nuncupatur; item ex veteribus nummis, qui numquam aliter repræsentent. Sed receptam hactenus scriptionem tuentur omnes scriptores antiqui, et diserte Stephanus in καρχηδών. Nec movere multum debent vetusta exemplaria, cum certo constat, pleraque nomina, quæ *h* adjunctum habent, diversimode scribi, et *h* sæpe transponi. Sic invenias etiam in vetustissimis exemplaribus *Chartago* pro *Carthago*, item *Phyton* pro *Python*, sic et *Cherintus* pro *Cerinthus*, itidem *cheruci* pro *ceruchi.* A nummis quoque nullum certum argumentum hic sumi potest, cum et in iis variatum sit. In Thesauro rei antiquariæ Huberti Goltzii, in nummo Sabinæ Tranquillianæ habes ΧΑΛΚΗΔΟΝΙΩΝ; in alio nummo, ΧΑΛΚΕΔΟΝΩΝ; in nummo Anniæ Faustinæ, ΚΑΛΚΗΔΟΝΩΝ. In Græcia ejusdem Goltzii exstat in duobus numismatibus, ΧΑΛΚΗΔΟΝΩΝ. Rosweydus.

Not. 310. *Corpora transfixos trabalibus inclita clavis.* — 946 *Trabale*, lignum quod transit per rotas. Ita *clavo trabali figere*, dixit Cicero 5 in Verrem. Vita SS. Ferreoli et Ferrutii : *Capitibus beatorum martyrum trabales clavi .... malleis ferreis affixi.* Cangius, in Glossar. Lat., tom. III, pag. 1158.

Not. 311. *Mare.* — *Mare* sanctæ mensæ, nihil aliud est, quam aquarum receptaculi, seu *cavus mensæ recessus* ad instar θαλάσσης, quod circa altaria ad abluendas victimas apud Judæos exstrui solebat, ut est lib. III Reg. cap. xviii, et lib. II Paralip. cap. iv, v. 6. Cangius, in Constantinop. Christ. lib. iii.

Not. 312. *Liminibus.* — Hac voce utuntur passim scriptores dum de ædibus sacris loquuntur, aut de iis quæ ad ipsas sacras ædes voti causa proficiscuntur. Paulinus infra,

Cede sacratis
Liminibus serpens.

Hinc familiaris loquendi formula, *ad limina sanctorum proficisci*, aut ea visitare, cum de iis qui ad eorum sepulcra seu memorias peregrinationes instituunt, verba faciunt scriptores. Nam cum sanctorum reliquiæ ac corpora intra absidas, vel bemata, in confessionibus, id est, sub ipsis altaribus recondita essent, bemaque ingredi solis liceret presbyteris, unde presbyterium Latini appellarunt; fideles in liminibus, seu in soleis bematis, consistebant, ibique preces suas ac vota exsolvebant. Nicolaus PP. I epist. 8 : *Tanta*

A *hominum millia protectioni atque intercessioni beatorum apostolorum principis Petri ex omnibus finibus terræ properantium, sese quotidie conterunt, et usque in finem vitæ suæ apud ejus limina semel mansura proponunt*, etc. Ita passim apud Victorem III lib. iii Dialog., Leonem Ostiensem lib. iii, c. 49, et alios : quibus in locis vox *limina* pro ipsa æde sacra sumitur, id est, pars pro toto. Quamquam non desunt qui *limina* pro ipsa prima ædis porticu, atque adeo ipsis foribus, intelligi debere contendunt, in quibus sub sistebant peregrinantes, cum eo prosequerentur cultu ipsos martyres, ut et ipsam ædem sacram subire vererentur, et se indignos censerent. Paulinus Natal. 6, v. 442 et 444 :

Mediis in liminibus stans
Vota refert.

Sed et interdum ipsos postes osculabantur : unde apud Chrysostomum homil. in epist. ad Corinth., πρόθυρα τοῦ ναοῦ φιλεῖν; Aratorem lib. ii Histor. sacr.; B et Paulinum Nat. 6, *oscula figere postibus;* Prudentium hymn. 2 et 11, *apostolorum et martyrum exosculari limina;* denique apud Gregorium Turon. lib. iv de Mirac. S. Martini, cap 14, *limina S. Martini osculari.* Paulinus loco laudato :

Sternitur ante fores
Fusus humi.

Cangius, in Constantinop. Christ., lib. iii, pag. 64 et 65.

Not. 313. *Mensa Petri recipit, quod Petri dogma refutat?* — Ita conjiciebat legendum Cauchius. Ante erat *Mensque Petri.* Intelligit per *mensam* altare, ut et sequenti versu :

Unus ubique calix Domini, et cibus unus, et una
Mensa, domusque Dei.

Dionysius Areopagita Hierarch. eccl. cap. 2 : Τὴν ἱερὰν ἀσπασάμενος τράπεζαν, *Post deosculationem sacræ mensæ*, id est altaris. Solebant enim olim altaria martyrum corporibus imponi vel apponi. Prudentius C hymno 11 Περὶ στεφάνων, de sepulcro et altari S. Hippolyti :

Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis,
Propter ubi apposita est arca dicata Deo.
Illa sacramenti donatrix mensa, eademque
Custos fida sui martyris apposita.

Hieronymus adversus Vigilantium cap. 3 : *Male facit ergo Romanus episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli, secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria?* Quamquam *Mensque Petri* retineri poterat, ut intelligat mentem seu animam Petri non recipere seu admittere has comessationes, quas doctrina sua damnavit. Rosweydus.

De eodem abusu Augustinus presbyter Alypio Thagastensi episcopo scripsit anno 395 epistolam, quæ in nova S. Augustini editione primum prodiit n. 29, narrans quibus adhortationibus demum obtinuerit ut Hipponenses catholici abhorrerent a luxuriosis con- D viviis, quæ in sanctorum natalitiis apud Africanas Ecclesias celebrare mos erat. Exstat Hipponensis concilii anno 393 celebrati canon concilio iii Carthaginensi insertus, *Ut nulli episcopi vel clerici in ecclesia conviventur ..... Populi etiam ab hujusmodi conviviis, quantum fieri potest, prohibeantur :* qui canon, procurante haud dubie Augustino tunc presbytero, editus fuit. Quippe Aurelium Carthaginensem paulo ante contestatus erat in epistola 22 ut viis omnibus occurreret huic malo per totam Africam dudum 947 grassanti; idque ipsi nisi concilii autoritate tolli non posse insinuarat. PP. Benedictini in epist. 29 S. Augustini.

¶ Unde autem hæc in Ecclesia exorta fuerint, ibidem exponit Augustinus n. 9 : *Scilicet post persecutiones tam multas tamque vehementes, cum, facta pace, turbæ gentilium in Christianum nomen venire cupientes hoc impedirentur, quod dies festos cum idolis suis solerent in abundantia epularum et ebrietate consumere,*

nec facile ab his perniciosissimis et tam vetustissimis voluptatibus se possent abstinere, visum fuisse majoribus nostris, ut huic infirmitatis parti interim parceretur; diesque festos post eos quos relinquebant, alios in honorem sanctorum martyrum vel non simili sacrilegio, quamvis simili luxu, celebrarent : jam Christi nomine conligatis, et tantæ autoritatis jugo subditis salutaria sobrietatis præcepta traderentur, quibus jam propter præcipientis honorem ac timorem resistere non valerent; quocirca jam tempus esse, ut qui non se audent negare Christianos, secundum Christi voluntatem vivere incipiant, ut ea quæ ut essent Christiani concessa sunt, cum Christiani sunt, respuantur.

Hanc ipsam ob causam Gregorius Thaumaturgus, teste vitæ ipsius scriptore Gregorio Nysseno, institutis in honorem sanctorum martyrum diebus festis, indulsit ut sese in iis fideles exhilararent. Eodem consilio adductus est Gregorius I. PP. ut hæc in lib. IX Regist., epist. 71, Mellito abbati Brittaniam pergenti commendaret : *Et quia boves solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet eis etiam hac de re solennitas immutari, ut die dedicationis, vel natalitiis sanctorum martyrum ... religiosis conviviis solennitatem celebrent ... ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant.* Sed Augustinus S. Ambrosium laudat in lib. VI Confessionum, c. 2, quod Mediolani cibos ad sanctorum memorias afferri vetuerit, ut *ne ulla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, et quia illa quasi parentalia superstitioni gentilium essent simillima.* RR. PP. Benedictini.

Vide Ambrosium de Elia et Jejunio, c. 17, et Augustinum serm. de Diversis 5 et 101.

Not. 314. *Aquæ cæcator Amalec.* — Attingit historiam, quæ narratur Genes. XXVI, 14 : *Invidentes Palæstini, omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham illo tempore, obstruxerunt, implentes humo.* LXX dixerunt ἐνέφραξαν φρέατα. Excæcandi verbo usus est Paulinus, ut apud Græcos dicitur τυφλὴ πίδαξ, fons non apparens; τυφλούμεναι πηγαί, quæ fiunt τυφλαί, et obscurantur, seu inarescunt, vel alios sub terra meatus quærunt. Ovidius IV de Pont., eleg. 2 :

> Scilicet ut limus venas excæcat in undis.

Sed ejusmodi passum esse injuriam Isaac, dicit Scriptura, cum diversaretur apud Abimelech regem Palæstinorum in Geraris, non ab Amalecitis vexatum, qui procul a Philisthæorum finibus habitabant. Nam ut autor est Josephus lib. III Antiq., cap. 2 : Οἱ τὴν Γοβολίτην καὶ τὴν Πέτραν κατοικοῦντες καλοῦνται Ἀμαληκῖται. *Qui Gobolitidem regionem et urbem Petram incolunt, vocantur Amalecitæ.* Itaque Arabiæ Petrææ sive Idumææ inferioris incolæ erant Amalecitæ. Unde Hieron. in Tradit. Hebraic. II Reg. : *Amalecites et Idumæus unum est.* Duc.

IN POEMA XXVIII.

Not. 315. *Istic porticibus late circumdata longis.* — Harum porticuum intercolumnia ut plurimum cancellis ac pluteis munita erant, quibus incumbere licebat, et in atrium prospicere. Paulinus

> Sed circumjectis in porticibus spatiari.

Romani vero ejusmodi atria *paradisos* vocabant, Galli *parvis*. Ita passim scriptores vocem hanc usurpant a Græco παράδεισος desumtam, estque locus septus porticibus in quibus deambulationes fiunt. Cangius, in Constantinop. Christ., pag. 20.

Not. 316. *Impluvio.* — Ita reposuerat Cauchius in margine sui libri, nescio an ex conjectura, an ex libro impresso. Ante erat *in clivo*, quod malim retinere, donec quid certius constet fide mss. Rosveydus.

Vide not. 167.

Not. 317. *Trinaque cancellis currentibus ostia pandant.* — A nao in bema aditus patebat per tres portas quæ in cancellis aperiebantur, mediam ingentem vel majorem, alias minoris magnitudinis ad utrumque latus. Ejusmodi bematis portas ἁγίας θύρας scriptores Græci passim 948 vocant. Cangius, in Constantinop. Christ., lib. III, 3, pag. 63.

A Not. 318. *Agmina concharum.* — *Concha*, vas aquis capiendis aptum. Eucherius in librum Regum : *Lutres, conchæ, vel canthari aquarii.* Martyrium quatuor coronatorum : *Cœperunt in nomine Christi cavare conchas, et pegas, et lectos, cum sigillis et cantharis, cum magna tenuitate artis.* Anastasius in Leone III, de Patriarchio Lateranensi : *In quo loco et accubita collocavit, et in medio concham porphyreticam aquam fundentem*, ubi per *accubita* intelligo cancellos et repagula circumquaque structa, quibus incumbebant, uti hic Paulinus :

> Sed circumjectis in porticibus spatiari
> Copia larga subest, interpositisque columnas
> Cancellis fessos incumbere, et inde fluentes
> Aspectare jocos.

Rosveydus.

Vide not. 320.

Not. 319. *Vicit brevis astula flammam.* — Sæpius hæc vox Paulino usurpata. Epistola 11 : *Et in segB mento pene atomo astulæ brevis.* Epistola 12 : *Brevis astula pignus.* Scribunt plerique *hastula*, quasi diminutivum ab hasta esset : sed scribendum *astula*. Isidorus l. XVII Originum, c. 6 : *Astula a tollendo nuncupata, quasi abstula. Fomes est astula, quæ ab arboribus excutitur recisione, aut astulæ ambustæ, aut ligno cavata, a fungis nomine accepto, quod ita capiat ignem. De quo Virgilius : Rapuitque in fomite flammam*, quæ fere desumta ex Servio Danielis ad I Æn. et cum eo comparanda. Idem lib. XIX Originum, cap. 19 : *Ascia ab astulis dicta, quas a ligno eximit.* Hispani hodie *astillas* vocant quæ Græci κάρφη. Aliis autoribus dicitur *assula*, forte ab absiliendo, dum materia cæditur. Plinius. lib. XVI, cap. 11 : *Flos crudus resinæ, cum multa assula tenui brevique avulsus, conciditur ad cribri minuta.* Idem lib. XXIX, cap. 2 : *Alii succidam, assulis tædæ subjectis, et subinde interstratis, oleo aspersam accendunt.* Vitruvius lib. VII, cap. 6 : *Cæmenta marmorea sive assulæ dicuntur, quæ marmorarii ex operibus dejiciunt.* Festus : *Fomites sunt assulæ, C ex arboribus, dum cæduntur, excussæ* : quæ pene exscribit Isidorus supra : unde apparet olim apud Festum *astulæ* lectum pro *assulæ*. Ab *assula* Plinio lib. XXII, cap. 22, *assulose* formatur : *Calamus melior, qui minus fragilis, et qui assulose potius quam raphani modo frangitur.* Plautus Captivis et Menæchmis *assulatim*; item Nævio. Vide Nonium. Rosveydus.

Not. 320. *Insita cella procul, etc.* — Quid fuerit *concha* inter eruditos omnino non constat. Concha bematis, seu partis illius templi in qua sacra peraguntur pars præcipua fuit. Ex ichnographis aliquot a Goaro exhibitis pag. 13, 26, 27, videre est in ea parte in qua stat, vel statuitur altare, recessus aliquot in modum hemicylindri superne (ut par est credere) in conchæ speciem clausi. Concha autem plerisque in ecclesiis ita porro efficta erat, ut etsi unica superne appareret, trinos tamen recessus operiret, ac proinde triplicem concham efficeret, ut observat Silentiarius part. 1, versu 272, ubi satis D ostendit inferne, seu sub conchæ volutatione tres conchas contineri quæ unica sphæræ quarta parte continentur ac conteguntur. Trinos istos recessus belle descripsit Paulinus Natal. 10 :

> Est etiam.....

et epist. 32 ad Severum :

> Prospectus vero basilicæ... receptat orantes.

Triplicem igitur recessum habet concha sub ea de concameratione, majorem et medium, in quo erat sacra mensa, et sacerdotum sedes, seu synthronus. Duos præterea alios minores, alterum ad dextram seu septentrionem, quem prothesin vocabant; alterum ad sinistram seu meridiem, diaconicum appellatum. Enimvero ab hac triplici concha *trichoram apsidem* apud Paulinum dictam vult Salmasius. Cangius, in Constantinop. Christ., lib. III, pag. 44.

Vide not. 150 et 159.

Not. 321. *Stellato speciosa tholo.* — *Tholus* est testudo orbiculata, in sphæræ modum compacta. Hanc

vulgo θόλον vocant Græci scriptores. Est autem θόλος apud Isidorum et Papiam, *eminens rotunditas et fastigium templi*. Ugutioni autem proprie *tholus, est velut scutum breve, quod in medio tecti est, in quo trabes coeunt*. A quibusdam etiam vocatur *trullus*. CANGIUS, in Constantinop. Christ., pag. 29.

Not. 322. *Tunc quoque cum dabitur, etc.* — Egregie Paulinus materialem templi structuram incipit transferre ad spiritalis templi structuram et ornatum; quo illi præiverat Panegyristes quidam oratione sua, quam habuit in dedicatione templi Tyri, a Paulino ejus urbis episcopo **949** non tam renovati, quam ampliore forma recens exstructi : ex qua intelligere est, monente Baronio, tomo III, anno Christi 314, ecclesiarum structuras haud perfunctorie absque spiritali intelligentia, sed summo religionis studio consuevisse a majoribus erigi; nempe ut quælibet structuræ pars quid mysticum præsignaret; usque adeo ut ipsi etiam throni atque subsellia, ipsæque templi fenestræ, divinum aliquid repræsentarent, locis in eis pro cujusque dignitate dispositis, et egregie concinnatis. Sane qui templa hæc duo comparaverit, Nolanum et Tyrium, magnam inter utrumque similitudinem inveniet, et utrumque ad æmulationem Salomonii templi fuisse. ROSVEYDUS.

Not. 323. *Qui vorat Æthiopem.* — Hic quoque nonnihil a Scripturæ sententia discedit autor, cum dicat draconem Æthiopas devorare, cum apud Davidem psalmo LXXIII, 14, legamus contra, *Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum;* quo loco nonnulli ad litteram intelligunt ejecta fuisse cadavera Ægyptiorum in Æthiopicum littus Africæ una cum principe ipsorum Pharaone. Pharao igitur est ille draco datus in escam Æthiopibus. At hic noster ait draconem vorare populos Æthiopum spiritualium, hoc est, eorum qui vitiorum æstibus exusti et inobscurati sunt. Utramque tamen sententiam involvit in suo commentario in cap. VIII Oseæ Cyrillus Alexandr. : Οἱ γὰρ μελάντατον ἔχοντες ἔν γε δή σφισιν αὐτοῖς καὶ ἀφεγγῆ τὸν νοῦν, Αἰθίοπες εἰκότως καὶ νοοῖντ' ἂν καὶ λέγοιντο πρός τε ἡμῶν αὐτῶν καὶ παρὰ Θεοῦ. Οὗτοι τρέφουσι τὸν πολυκέφαλον δράκοντα, καὶ αὐτοὶ αὐτὸν σιτοῦνται πάλιν. *Qui enim nigerrimam et lucis expertem in seipsis mentem habent, jure Æthiopes et intelligi et dici a nobis ipsis et a Deo possunt. Hi multicipitem draconem pascunt, ipsique vicissim ab eo pascuntur.* DUC.

IN POEMA XXX.

Not. 324. *Antiochia et Ostia Lucam.*— Mirum a Paulino asseri Lucæ reliquias servari Antiochiæ et Ostiæ, cum Martyrologium Romanum 9 Maii dicat ejus reliquias translatas ex Achaia Constantinopolim, quod et aliunde sequenti notatione docetur : et 18 Octobris in eodem Martyrologio ossa S. Lucæ dicantur Constantinopoli translata Patavium. Nisi tantum velit Antiochiam et Ostiam, Lucam Evangelii proseminatorem habuisse egregium : fors et reliquias aliquas ejus aliunde expetierint. Gregorius quoque papa, cum diaconus Constantinopoli legatum ageret, impetravit a Tiberio imp. brachium S. Lucæ. Baron. an. 586. ROSVEYDUS.

Not. 325. *Nam Constantinus, etc.* — Quod hic Paulinus habet de reliquiis Andreæ et Timothei Constantinopolim translatis a Constantino, habes etiam apud Hieronymum adversus Vigilantium, et ubi Lucam jungit : *Sacrilegus fuit Constantinus imperator, qui sanctas reliquias Andreæ et Lucæ et Timothei transtulit Constantinopolim?* Mirum tamen et Hieronymum ipsum et alios omnes autores translationem harum reliquiarum Constantio assignare. Hieronymus additione ad Chronicon Eusebii anno 19 Constantii : *Reliquiæ apostoli Timothei Constantinopolim invectæ.* Idem anno 20 ejusdem imp., *Constantio Romam ingresso, ossa Andreæ apostoli, et Lucæ evangelistæ a Constantinopolitanis miro favore suscepta.* Eo anno ponunt hanc translationem vetustissimi mss. etiam Amandinus, litteris capitalibus scriptus, non 21, uti expres-

A sit Scaliger. Ita idem Hieronymus de Scriptoribus ecclesiasticis in Luca : *Sepultus est Constantinopoli, ad quam urbem vigesimo Constantini anno ossa ejus cum reliquiis Andreæ apostoli translata sunt de Achaia.* Ado in libello Festivitatum apostolorum, 24 Januarii, postquam de Timothei natali egit : *Cujus corpus cum reliquiis B. Andreæ et Lucæ, 20 Constantii anno Constantinopolim translatum est.* Ad Constantium quoque horum translationem referunt Menexa 30 Novembris in Andrea, et 18 Octobris in Luca. An Constantinus animo destinarat facere, quod postea filius ejus Constantius perfecit? Certe in eum finem apostolorum ecclesiam ædificarat. Socrates lib. I, cap. 26 : Ἀποτεθεὶς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἐπωνύμῳ τῶν Ἀποστόλων, ἣν δι' αὐτὸ τοῦτο πεποιήκει, ὅπως ἂν οἱ βασιλεῖς τε καὶ ἱερεῖς, τῶν Ἀποστολικῶν λειψάνων μὴ ἀπολιμπάνοιντο. *In ecclesia Apostolorum reponitur Constantinus : quam quidem ecclesiam ob eam ipsam causam Constantinus ædificaverat, ne imperatores et sacerdotes apostolorum reliquiis aliquando destituerentur.*
B Vide Baronium ad Martyrologium Romanum 9 Maii. ROSVEYDUS.

950 Not. 326. *Alpha itidem mihi Christus et Ω.* — Apocalypsis c. I, v. 8 : *Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus.* Et cap. XXII, v. 13 : *Ego sum α et ω, primus et novissimus, principium et finis.* Clemens Alexandrinus lib. I Pædagog., cap. 6 : Εἰκότως γάλα αὖθις ὑπισχνεῖται τοῖς δικαίοις ὁ Κύριος, ἵνα δὴ σαφῶς ὁ Λόγος ἄμφω δειχθῇ, Α καὶ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος. *Jure justis lac Dominus pollicetur, ut aperte Verbum esse utrumque ostendatur, α et ω, principium et finem.* Tertullianus lib. de Monogamia, cap. 5 : *Duas Græciæ litteras summam et ultimam sibi induit Dominus, initii et finis concurrentium in se figuras; uti quemadmodum α ad ω usque volvitur, et rursus ω ad α replicatur, ita ut ostenderet in se esse et initii decursum ad finem, et finis recursum ad initium : ut omnis dispositio in eum desinens, per quem cœpta est, per Sermonem scilicet Dei, qui caro factus est, proinde desinat*
C *quemadmodum et cœpit.* Quæ exscribit Isidorus l. I Etymol., c. 3. Epiphanius in Ancorato inde geminam Christi naturam colligit. Item Origenes tom. I in Johan. Prudentius hym. 9 Cathemerinon :

Corde natus ex parentis ante mundi exordium,
Alpha et ω cognominatus, ipse fons et clausula
Omnium, quæ sunt, fuerunt, quæque post futura sunt.

Reperiuntur varii nummi imperatorum cum α et ω inscripti. Vide apud nostrum Gretserum, tom. III, de Cruce lib. I, cap. 9 : *Constantii;* c. 10 : *Magnentii* et *Decentii;* c. 11 : *Joviani.* Item apud Lipsium lib. III de Cruce, cap. 15 : *Decentii.* Vide et Gretzerum nostrum tomo III, de Cruce lib. I, cap. 30.

Occasione harum litterarum Marcus et Colarbasus hæretici hæresim suam struxerunt in alphabeto Græco. Tertullianus de Præscript. cap. 50 : *Non defuerunt post hos Marcus quidam et Colarbasus, novam hæresim ex Græcorum alphabeto componentes. Negant enim veritatem sine istis posse litteris inveniri; immo totam plenitudinem et perfectionem veritatis in istis lit-*
D *teris esse dispositam; propter hanc enim causam Christum dixisse, Ego sum α et ω.* Hinc in nummo Basilidianorum apud ducem Arschotanum, *Alphaeto,* quod est α et ω. Nam ω olim Ionice etiam per ο scriptum; ut patet apud Scal., p. 102 Animadv. in Græca Eusebiani Chronici. ROSVEYDUS.

Not. 327. *Vexillumque crucis super omnia sidera fixit.* — Mirum quomodo vexillum crucis super omnia sidera fixum sit. Appariturum in cœlo signum crucis in die judicii, asserunt plerique Patres ex Matth. XXIV : *Tunc parebit signum filii hominis in cœlo.* Sed hoc signum an ex aere formandum sit, an vero sit ipsa crux futura in qua Christus pependit, dubium est. Pro posteriore sententia videtur S. Paulinus facere, cui consonat Chrysostomus homilia de Cruce et Latrone : Βούλει μαθεῖν πῶς καὶ βασιλείας σύμβολον ὁ σταυρὸς, καὶ πῶς σεμνὸν τὸ πρᾶγμά ἐστιν; οὐκ ἀφῆκεν αὐτὸν μόνον ἐπὶ τῆς γῆς, ἀλλ' ἀνήγαγεν αὐτὸν εἰς τὸν οὐρανόν. Πόθεν δῆλον τοῦτο; μετ' αὐτοῦ μέλλει

ἔρχεσθαι ἐν τῇ δευτέρᾳ αὐτοῦ καὶ ἐνδόξῳ παρουσίᾳ. *Vis* A *discere quomodo crux sit regni nota et symbolum, et quam inclita res sit? Non reliquit solam in terra, sed duxit eam in cœlum. Unde hoc liquet? Cum ipso ventura est in secundo ejus et glorioso adventu.* Gretserus noster libro I de Cruce, cap. 92, censet Chrysostomum, quod aliquando futurum est, tamquam ad jam factum respexisse. Sane cum Chrysostomus et Paulinus aliis locis crucis in terra existentis meminerint, omnino dicendum, ex ejus Paulinique sententia factum dici, quod jam ab æterno destinatum erat; vel certe novo miraculo replicatio crucis admittenda esset. Apparituram in cœlo, ut duxi, in die judicii, crucem ipsam Christi testantur multi. Sibylla l. VI Oraculorum :

> Ὦ ξύλον, ὢ μακαριστὸν, ἐφ' ᾧ Θεὸς ἐξετανύσθη,
> Οὐχ ἕξει σε χθὼν, ἀλλ' οὐρανὸν οἶκον ἐσόψει,
> Ἡνίκα ἀστράψῃ τὸ νέον Θεοῦ ἔμπυρον ὄμμα.

> O lignum felix, in quo Deus ipse pependit,
> Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis,
> Cum renovata Dei facies ignita micabit.

Ephræm serm. de Cruce : Αὐτὸς (σταυρὸς) πάλιν ἐν τῇ δευτέρᾳ παρουσίᾳ τοῦ Χριστοῦ πρῶτος μέλλει ἀναφαίνεσθαι, ὡς τίμιον καὶ σεβάσμιον, καὶ ἅγιον σκῆπτρον τοῦ βασιλέως Χριστοῦ κατὰ τὸν λόγον τοῦ Δεσπότου εἰπόντος, Ὅτι φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ Υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ. *Hæc crux rursus in secundo adventu Domini prima in cælo apparebit, tamquam pretiosum, et venerabile, et sanctum Regis Christi sceptrum, secundum verbum Domini dicentis: Et apparebit signum Filii hominis in cœlo.* Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 13, videtur ejusdem sententiæ. Nam cum Hierosolymis catechesim suam haberet in præsentia crucis seu trophæi Jesu salutaris, ait : Τοῦτο μετὰ τοῦ Ἰησοῦ φαίνεσθαι μέλλει πάλιν ἐξ οὐρανοῦ· προηγήσεται γὰρ τοῦ βασιλέως τὸ τρόπαιον. *Hoc cum Jesu apparebit rursus in cœlo : præcedet enim Regis trophæum.* Cujus sententiæ ob locum Chrysostomi **951** jam citatum fuit Thomas Waldensis tomo III, de Sacramentalibus C tit. 20, cap. 158, qui existimavit eo respicere Isaiam cap. LXV, v. 22 : *Secundum dies ligni erunt dies populi mei*, quasi colligendi sint electi, cum lignum crucis levatum fuerit in cœlum : sed alium sensum illi loco tribuunt interpretes.

Franciscus noster Soarezius in 3 partem D. Thomæ, quæst. 59, art. 6, disput. 57, sect. 2, refert quosdam esse, qui præter hoc privilegium, quo crux ipsa Christi in cœlo appariture est in die judicii, addunt perpetuo in cœlis conservatam et incorruptione donatam iri, instar corporum gloriosorum, eo quod peculiari quadam ratione fuerit redemtionis nostræ instrumentum, et altare in quo Christus seipsum sacrificavit. ROSVEYDUS.

Not. 328. *Ad te veneranda Dei crux.* — Immerito displicet hæreticis veteris Ecclesiæ ritus, salutandi, alloquendi, adorandi crucem. Græci Latinique Patres similes formulas passim usurparunt. Ambrosius Orat. in funere Theodosii : *Helena accedit ad Golgotham, et* D *ait : Ecce locus pugnæ, ubi est victoria? quæro vexillum salutis, et non invenio. Ego, inquit, in regnis, et crux Domini in pulvere. Ego in aulis, et in ruinis Christi triumphus ille adhuc latet, et latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemtam arbitror, si redemtio ipsa non cernitur? aperiatur humus, ut salus fulgeat.* Habes in Menologio Græcorum 13 Septembris in profesto Exaltationis S. crucis, præclara crucis elogia, ubi crux salutatur, adoratur : Χαίροις, ὁ ζωηφόρος σταυρὸς, τῆς εὐσεβείας τὸ ἀήττητον τρόπαιον, ἡ θύρα τοῦ παραδείσου, ὁ τῶν πιστῶν στηριγμός. *Salve crux vitam ferens, pietatis insuperabile trophæum, janua paradisi, fidelium fulcrum.* Quomodo autem hæ locutiones accipiendæ sint, docet Augustinus tract. 1 in Johan. : *Dicimus quidem lignum vitam, sed secundum intellectum lignum crucis unde accepimus vitam.* Tropice nimirum vel relative hæc intelligenda monent scholastici. ROSVEYDUS.

IN POEMA XXXI.

Not. 329. *De Gothorum, etc.* — Dungalus hunc natalem cum ea inscriptione citat. Contigit hæc cœlitus immissa victoria anno Christi 406, Innocentii papæ 5, Arcadii et Honorii impp. 12, cum Rhadagaisus Gothorum rex cum ducentis millibus suorum totam Italiam inundavit, uti habet Marcellinus in Chronico. Sed divinitus territus, sine prælio victus vinctusque est, ita ut vilissimarum pecudum modo captivi Gothi venderentur, uti refert Orosius lib. VII, cap. 37. Meminit ejusdem victoriæ Augustinus de Civit. Dei lib. V, c. 23, et serm. 29 in Lucam ROSVEYDUS.

IN POEMA XXXV.

Not. 330. *Ut rudis ille annis, et novus iret aquis.* — *Ire* ex eruditione seculari *mori* significat. Papinius Silvarum lib. I, 2 Epiced. Glauciæ, et Statius,

> Ibimus omnes.
> Ibimus; immensis urnam quatit Æacus umbris.

B BARTHIUS, Adversar. Commentar. lib. XIII, c. 14, et lib. XLIII, c. 3.

Not. 331. *Lætor obisse... seclo.* — *Seclum* Christianis non certum semper annorum numerum, sed vitæ alicujus etiam spatium, designat. Omnia vero eximia sunt, et poterat locus sic distingui :

> Lætor obisse, brevi functum mortalia, seclo.

Seclo obiisse lætor, quia vivat jam in cœlo. BARTHIUS, Adversar. Commentar. lib. XIII, cap. 14.

Not. 332. *Fungi mortalia*, et *perfrui*. — Cum casu non vulgari. Prius Lucretianum est, *mala fungi* lib. III :

> Et mala multa animus contagine fungitur ejus.

Alterum in Lucani fragmento a Lutacio citato :

> Thebais Alcmenæ quam cum frueretur Olympi
> Rector.

BARTHIUS, Adversar. Commentar. lib. XIII, c. 14.

Not. 333. *Cuncta gerens hominem.* — Est Græcismus, et Virgilio debitus, *cuncta, quo ad cuncta.* Ipse C Paulinus noster, v. 83 hujus panegyrici :

> Paruit ille libens, Deus OMNIA cum Patre concors.

952 *Cuncta* ergo est *per cuncta* sola distinctio constituenda; cujus in hac interpretatione ordinem nemo non videt. BARTHIUS, Adversar. Commentar., lib. XIII, cap. 14.

Not. 334. *Sine lege fidei.* — Ita vetus codex (ante erat *sine lege fideli*, ut alibi passim), secunda longa, non brevi, ut perperam hactenus editum est infra :

> Aut illum gremio fidei pater excipit almo;

siquidem, ut testatur Cauchius, aliter exhibet illum versum vetus liber :

> Aut illum gremio exceptum fovet Abrameo.

Vel *Abramio*, ut antea :

> Quem tu Abramiæ caritatis æmulus.

Sic etiam corrigendum post :

> Finis enim legis Christus, quia lege fidei
> Prædictus.

Et rursus :

> Prescribens veteri finem legemque fidei

Et Natali 5 :

> Discutiebat ovans galea scutoque fidei.

Et carm. 5 de S. Johanne :

> Auscultat nato genitrix, vis tanta fidei.

Qui versus nimis sedulas correctorum manus effugit. DUC.

Sine lege fidei. — ¶ Hanc genuinam lectionem corruperunt cum reposuerunt Badius, Gravius, Grinæus, Poelmannus et Schottus,

> Et genus humanum passim sine lege fideli.

In eodem Panegyrico, v. 351, pro

> Præscribens veteri finem legemque fidei,

reposuerunt,

> Præscribens veteri fidei legemque modumque.

Familiare est Paulino et vetustissimis Christianis A poetis *fidei* mediam producere. Id quidam non intelligentes sæpe locos immutarunt temere, et corruperunt contra fidem mss. codicum : quod inter opera Paulini nostri quamplurimis in locis factum est; nam in ode ad Nicetam ubi in optimis exemplaribus mss. Reg. et Germ. est v. 50:

Orbe cum sanctæ pia pars fidei;

in quibusdam editis repositum :

Orbe cum felix fidei piæ pars.

Natal. 4 S. Felicis, v. 67, in mss. duobus codicibus Germ. et in edit. Rosv. legitur :

Prodidit, ut nobis esset pia vena fidei;

pro quo Badius, Gravius, Grinæus et Poelmannus reposuerunt,

Prodidit, ut fidei nobis esset pia vena;

Et versu, 127 :

Fidei quoque solus,

B pro *solusque fidei*, ut præferunt mss. duo codices Germ. et ed. Rosv.

Item, v. 129, pro

Tantum quia causa fidei,

reposuerunt,

Fidei tantum quia causa.

Natal. 5, v. 45:

Firmabat amore fidei,

in mss. 2 Germ. et ed. Rosv., pro quo Badius et Gravius substituerunt

Fidei firmabat amore.

Simile exemplum citat Beda ex eodem Paulino :

Discutiebat ovans galea scutoque fidei.
(*Vers.* 125.)

Qui versus sic legitur Natal. 5 S. Felicis in mss. duobus codd. Germ. et in edd. Rosv. et Schot. in marg. In aliis corruptus est, ubi sic habetur :

Discutiebat ovans galea fidei quoque scuto.

Item Natal. 8 S. Fel., v. 106 ·

Virtute fidei
Fortior Ezechias.

Sic enim legitur in ms. Germ. codice et editis Grin., Rosv. et Schot. in marg. Alii immutarunt,

Fideique vigore
Fortior Ezechias.

Et versu 285 pro

Simul atque fidei,

Badius, Gravius et Schottus reposuere

Fideique probatæ.

Sed et in carmine 6 de laudibus S. Johannis Baptistæ, v. 143, mediam syllabam producit Paulinus in voce *fidei :*

Auscultat nato genitrix, vis tanta fidei.

Certe tot exempla ostendunt ipsis poetis hoc fuisse peculiare; quod etiam obiter attigit Fabricius in Commentario suo ad poetas Christianos.

Not. 335. *Cernite nulla suis emergere semina campis Ni prius intereant tabe soluta putri.* — **953** Restaurationem mortuorum ex seminum putrefactione ex exinde surgentibus novis granis probabant prisci Christiani philosophi, ut vides apud Æneam Gazæum in Theophrasto. Eo spectant hi versus Tertulliani lib. II in Marcion

In grano latet arbor, at hoc nisi terra sepultum
Putrescat, non dat decoratos arbore fructus.

Ubi Barthius emendandum censet :

Putris edat, non dat decoraturos bene fructus.

Idem Tertullianus libro de Judicio Domini :

Arida sic vacuis redduntur semina terris,
Et penitus fixis putrescunt mortua sulcis.
Nonne animatur et hinc reparatis culmus aristis?

Barthius, Adversar. Commentar. lib. XXXV, c. 18.

¶ De resurrectione mortuorum, comparatione ex seminibus terræ sumta, agit Prudentius lib. II contra Symmachum, v. 306 et seqq.

Not. 336. *Nuda seris, vestita legis, jacis arida grana.* — *Vestitus* ager dicitur cui fructus insunt, et *abso* opponitur seu *inculto*. Charta Conradi regis an. 967 apud Jo. Columbum lib. II de Episc. Sistaric., n. 3 : *Omnia in omnibus cultis et incultis, vestitis et desertis, quæsitis et quærendis*, etc. Alia ejusdem anni in Tabulario abbatiæ Belliloci in Lemovicibus, n. 68 : *Hoc est, villam nostram, quæ vocatur Candidas, videlicet cum mansis vestitis, advestiendis, campis, pratis*, etc. Alia an. 1298 in Hist. Guinensi, p. 128 : *Terram scilicet quamdam nemore vestitam in loco qui dicitur*, etc. Cangius in Glossar. Lat., tom. III, pag. 1291.

Not. 337. *Pauper in Abraham.* — Ita veram lectionem repræsentat vetus liber, cum ante esset *Abrahamo*. Haud aliter Natali 9 :

Quos pius Abraham, sacer Isac, lenis Iacob.

Et Natali 4 :

Sic pater Abraham Domini præcepta secutus.

Sidonius Apollin. lib. VII, epistol. 7 :

Abraham, sanctis merito sociande patronis.

Et rursus :

Abraham jam te comperegrinus habet.

Duc.

Not. 338. *Et erit vermibus esca suis.* — Vermium in inferno futurorum mentio Isaiæ LXVI, v. 24 : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.* Ecclesiastici VII, v. 19 : *Vindicta carnis impii, ignis et vermis.* Judith cap. XVI, v. 21 : *Dabit enim ignem et vermes in carnes eorum, ut urantur, et sentiant usque in sempiternum.* Marci IX, v. 43 : *Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.* Quibus locis ignem proprie, vermem tropice pro conscientiæ excarnificatione accipiunt plerique interpretes. Sed quid vetat utrumque proprie sumi, et veros vermes in inferno esse? Basilius in psalmum XXXIII,
C v. 12, agens de pœnis in barathro futuris : Εἶτα σκωλήκων τι γένος ἰοβόλον καὶ σαρκοφάγον, ἀπλήστως ἐσθίον καὶ μηδέ ποτε κορεννύμενον. *Inde vermium innumerabilium genus venenosum ac carnivorum, esitans quidem semper, nec tamen se exsatians.* Augustinus lib. XXI de Civitate Dei, cap. 9 : *Legitur in veteribus Scripturis : Vindicta carnis impii, ignis et vermis. Potuit brevius dici, Vindicta impii. Cur ergo dictum est, carnis impii, nisi quia utrumque, id est, et ignis et vermis, pœna erit carnis?* Prosper lib. III de Vita contemplativa, cap. 12, pro hac sententia citatur a P. Cornelio in Isaiam, quia apud eum est, *edacissimis in æternum dilaniari vermibus, nec finiri;* sed de conscientiæ verme intelligendus ille videtur, quia præmisit : *et consumentis conscientiæ vermis immortaliter rodit.* Ribera in Apocalypsis cap. XIX, cum sæpius mentio sulphuris fiat in Scripturis, et æterno igni jungatur, existimat æque sulphur proprie ac ignem intelligendum. Rosweydus.

D Not. 339. *Propinquis conjunctum tumuli fœdere martyribus.* — Intelligit Justum et Pastorem martyres, quorum memoria Compluti, ubi filiolum suum terræ mandaverat, celebris est; de quibus Prudentius hymno 4 Περὶ στεφάνων :

Sanguinem Justi, cui Pastor hæret,
Ferculum duplex, geminumque donum,
Ferre Complutum gremio juvabit
Membra duorum.

Etiam duobus milliaribus infra Terranum Lusitaniæ illis **954** templum erectum erat, cujus inscriptionem videre est inter Monumenta Christiana apud Gruterum, pag. 1053, num. 2. Natalis eorum dies assignatur in Tabulis ecclesiasticis 6 Augusti. Rosweydus.

Not. 340. *Ut de vicino sanctorum sanguine.* — Fuit ea veterum religio captandi sepulturæ locum apud memorias martyrum, ut eorum patrocinio juvarentur. Augustinus lib. de Cura pro mortuis, cap. 4 : *Non video quod sit adjumentum mortuorum, provisus sepeliendis corporibus apud memoriam sanctorum lo-*

cus, nisi ad hoc, ut dum recolunt ubi sint reposita eorum quos diligunt corpora, iisdem sanctis illos tamquam patronis susceptos apud Dominum adjuvandos orando commendent. Constantinus in templo Apostolorum, quod Constantinopoli exstruxerat, inter duodecim apostolorum thecas sepeliri voluit : Τῆς τῶν Ἀποστόλων προσρήσεως κοινωνὸν τὸ ἑαυτοῦ σκῆνος μετὰ θάνατον, προνοῶν ὑπερβαλλούσῃ πίστεως προθυμίᾳ γεγένησθαι, ὡς ἂν καὶ μετὰ τελευτὴν ἀξιῷτο τῶν ἐνταυθοῖ μελλουσῶν ἐπὶ τιμῇ τῶν Ἀποστόλων συντελεῖσθαι εὐχῶν. *Incredibili fidei propensione providens, cum jam corpus suum communem cum apostolis appellationem post mortem participaret, fore ut defunctus quoque precationum, quæ ibidem essent ad apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur,* addit : Ὠφέλειαν ψυχῆς ὀνησιφόρον τὴν τῶνδε μνήμην ποιεῖσθαι αὐτῷ πιστεύων. *Quamplurimum utilitatis illorum memoriam animæ suæ conciliaturam existimans.* Non dubium thecas illas reliquiis apostolorum nobilitatas. Narrat enim Socrates lib. I, cap. ultimo, templum hoc apostolis a Con- B stantino ædificatum, ne apostolorum reliquiis imperatores destituerentur. Sequentes reges magnæ gratiæ deputabant, si vel ante fores templi apostolorum sepelirentur. Chrysostomus homilia *Quod Christus sit Deus* : Καὶ ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλει δὲ, οὐδὲ πρὸς τοὺς Ἀποστόλους ἐγγὺς, ἀλλὰ παρ' αὐτὰ τὰ πρόθυρα ἔξω ἀγαπητὸν εἶναι ἐνόμιζον οἱ τὰ διαδήματα περικείμενοι τὰ σώματα αὐτῶν κατορύττεσθαι, καὶ γεγόνασι θυρωροὶ λοιπὸν τῶν ἁλιέων οἱ βασιλεῖς. *Et Constantinopoli reges nostri magnam gratiam putant, non si prope apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliantur, fiantque piscatorum ostiarii reges.* Jacobus Maronis discipulus, apud Theodoretum in Philotheo cap. 21, collegit varias sanctorum martyrum reliquias, ut apud eas sepeliretur, *tamquam in extrema paupertate peregrinus apud divites mercatores.* Apud Gruterum in inscriptionibus inter Christiana epigrammata, maxime urbis Romæ, pag. 1167, num. 2, est epitaphium Satyri in ecclesia S. Nazarii ad martyris latus sepulti, ab Ambrosio fratre compositum : C

Uranio Satyro supremum frater honorem
Martyris ad lævam detulit Ambrosius.
Hæc meriti merces, ut sacri sanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuvias.

Apud eumdem in Monumentis Christianis, p. 1055, n. 6, exhibetur epitaphium Marcellinæ, quod habetur Mediolani in templo D. Ambrosii :

Marcellina, tuos cum vita resolveret artus,
Sprevisti patriis corpus sociare sepulcris,
Dum pia fraterni speras consortia somni,
Sanctorumque cupis cara requiescere terra.

A Et pag. 1170, num. 2, inter epigrammata sacra, maxime urbis Romæ, epitaphium Silvii presbyteri in civitate Jureiæ :

Martyribus Domini animam corpusque tuendo
Gratia commendans tumulo requiescit in isto
Silvius.

Item pag. 1167, num. 4, epitaphium Marinæ

Sanctorum exuviis penitus confine sepulcrum
Promeruit sacro digna Marina solo.

Pag. 1169, num. 7, epitaphium Sarmatæ presbyteri in civitate Vercellensi :

Discite qui legitis, divino munere reddi
Mercedem meritis, sedes cui proxima sanctis
Martyribus concessa Deo est, gratumque cubile.
Sarmata quod meruit venerando presbyter acto
Septies hic quinos transegit corporis annos,
In Christo vivens auxiliante loco.
Nazarius namque pariter Victorque beati
Lateribus tutum reddunt, meritisque coronant.
O felix, gemino meruit qui martyre duci
B Ad Dominum meliore via, requiemque mereri.

955 Quæ omnia eo lubentius produxi, ut heterodoxis nostris appareat, quis fuerit sensus veterum Christianorum de sanctorum meritis. Rosveydus.

Not. 341. *Infantes castis vincite suffragiis.* — *Suffragium* secunda correpta etiam alibi occurrit. In Epigrammatis sacris urbis Romæ apud Gruterum, pag. 1166, num. 2, in epitaphio Bonifacii papæ,

Ista beatorum sunt pia suffragia.

Paulinus carm. 15, v. 293 :

Hæc nunc per ejus suffragata litteras.

Rosveydus.

Not. 342. *Poterimus vivere celso.* — Edd., *possimus.* Antiquam lectionem exhibet Cauchius ex ms., *poterimus vivere celso,* quam confirmat et alterius loci correctio sub finem Propemptici Nicetæ :

Quoque contendas comites erimus.

C **956** et rursus :

Jam vias illas licet oderimus,

pro *licet execremur.* Tertullianus eodem more modoque lib. II adversus Marcionem :

Sic verum quid sit poteritis Pascha videre.

Catullus ad Lesbiam ἀρχαϊκῶς :

Dein cum millia multa fecerimus.

Ennius apud Ciceronem de Officiis :

Nec mi aurum posco, nec mi pretium dederitis.

Doc. — ¶ Adde *noverimus* tertia longa apud Prudentium in præfatione ad Psychomach., v. 58.

ANNO DOMINI CCCCXXVI.

CLAUDIUS MARIUS VICTOR
SIVE
VICTORINUS.

NOTITIA.

(Ex Gennadio, Catal. illustr. viror.)

Victorinus rhetor Massiliensis, ad filii sui Etherei (Al. Etherii) personam commentatus est in Genesin, id est a principio libri usque ad obitum Abrahæ patriarchæ. Quatuor versuum edidit libros Christiano quidem et pio sensu : sed ut pote sæculari litteratura homo occupatus, et nullius magisterio in divinis Scripturis exer- D *citatus, levioris ponderis sententias figuravit. Moritur Theodosio et Valentiniano regnantibus.*

Plura de eo agunt Honorius in Catalogo; et ex recentioribus Sixtus, Eisingrenius, Possevinus et alii sub Theodosio Juniore et Valentiniano III claruisse referunt.

CL. M. VICTORIS
COMMENTARIORUM IN GENESIN
LIBRI TRES.

PRÆFATIO AD DEUM OPTIMUM MAXIMUM.

Summe et sancte Deus, cunctæ virtutis origo,
Omnipotens, quem nec subtili indagine rerum
Mentibus humanis sensu comprendere fas est,
Et nescire nefas (nam te ratione profunda
In tribus esse Deum, sed tres sic credimus unum,
Unica personas ut tres substantia reddat,
Indiscreta pio conservans fœdera nexu).
Tu sine principio, pariter sine fine perennis,
Solus es atque idem, nullique obnoxius ævo.
Tu spatium rerum, mentis quocunque recessus
Tenditur, excedis, spatio neque cingeris ullo.
Nec te qui capiat locus est, immensus enim es tu.
Quin etiam humanæ nefas contingere menti
Qualis imago tua est, oculis ignara videri,
Ni cui cernendam speciali numine sese
Exhibeat : nec vero est qui virtute creata
Te vegetet motus, per quem sumus atque movemur.
Tu mens et sacræ penitus substantia mentis :
Tu ratio, et plenæ prudens rationis origo.
Tu virtus, virtutis apex, atque ipsa profecto
Tu vita, et genitor vitæ, lucisque profundæ ;
Tu lux vera Deus, tu rerum causa, vigorque :
A te principium traxit quodcunque repente
Ex nihilo emicuit, tantoque auctore repletum
Vel vim mentis habet, vel formam in membra recepit;
Te Dominum natura probat servata caducis
Patribus, et jussam seriem datus ordo fatetur.
Tu dociles numeros distinguens, pondera librans,
Mensuras varians, modulos, motumque gubernans,
Alternas servare vices, jugemque recursum
Rerum stare jubes, et mentis imagine plenum
Edere nota tibi jam sæcula, volvere mundum.
Non uno tu contentus dotare creata
Munere, quidquid agis varios largiris in usus :
Quinimo nil non causa, Deus alme, tuorum
Efficis, ipsa licet nobis ignota tuorum
Factorum ratio atque modus ; contraria nempe
Quæ putat humanæ solers ignavia mentis,
Dum certant, plus pacis habent, sic omnia, dives
Conditor, adversis etiam cognata elementis
Nectis, et effusis a te virtutibus imples.
Et tamen hæc cum sint in majestate creandi,
Nil horum quæ gignis eges, mundique peracti
Et per te stabili rerum compage manentis
Nil prorsum indigus es ; nec in hoc tua gloria tantum
Quod præstanda facis bonus auctor, sed quod et ipsa
A Efficere ut possint causis præbere secundis
Non dedignaris : quæ qui tua munera sentit
Munus et ipse tuum est, tibi ut uni accepta referre
Omnia homo merito possitque et debeat unus.
Nam tibi sola, Deus, gigni quod cuncta juberes
Causa fuit bonitas : cum jussis vivere primum
Spiritibus, mundoque frui, quem mente gerebas,
Atque omnes in te rerum cognoscere causas,
Et super terras et aquas volitare dedisti.
Certa quibus cœlum sedes, queis libera corda
Arbitriumque sui largitus es omnibus : ut jam
Alterutram in partem vellent se vertere possent :
Ut hæres justis merces meritisque piorum,
Hoc quoque conferres præstando, ut debitor esses:
Nam quod de primis cœlesti in sede creatis
B Unus (dum lucis Domino, vitæque subque
Invidet auctori, titulumque hunc appetit) auctor
Maluit esse mali, primamque inducere mortem,
Cum scelerum sociis celso dejectus olympo :
Virtuti nihil inde tuæ præjudicat, illud
Cui satis est fecisse bonum : sed copia laudis
Hæc est summa tuæ, quod cum se extollere supra
Divini virtutem apicis scelus esset, et ingens
Relligio nulla prorsum delebilis unda :
Non tamen ingratis vitam sensumque negasti :
Quin etiam arbitrio mentis gaudere dedisti.
Nec tamen arbitrii natura in utrumque valentis
Accusanda venit nobis : namque inde perire
Posse datum est cunctis, ut vivere dulcius esset :
Mutuaque alterni compar mensura pericli
C Cederet ad meritum, cum indice digna severo
Præmia sanctorum geminaret pœna malorum.
Porro etiam (mihi si fas est hoc dicere, salva
Pace tua, genitor) majus fortassis apud te est
Non peccasse bonum, per lubrica tempora vitæ,
Quam miseris peccasse malum : sed videris ut se
Hoc habeat, causas uni cui credimus omnes.
Interea satis est nobis, quod vilia terræ
Pondera dum sacra inspiras ratione, tuaque
Informas virtute, tuumque effingis adinstar,
Nobiliora facis, dum lato in sidera vultu
Erexisti hominem, quem sævi fraude tyranni
In mortis laqueos, et ad impia tartara raptum
Unigeni redimis profuso sanguine nati :
Eque imis eremi dona ad majora petitum
D Restituis, quam factus erat, vitæque perenni
Reddis, et in cœlum diro vetus hoste subacto.
Jam jam nemo patrem temerarius arguat Adam,
Quod, leve præscriptum violata lege resolvens,

Ad lethum patefecit iter, nam culpa parentis
Compensata satis, quia plus est vincere mortem
Quam nescisse mori : cœli nunc lætus ab aula
Despicit ætherios axes, et sidera calcat,
Dispositosque vocat ventura in regna nepotes,
Quos iterum formavit aquis, iterumque renasci
Æterni docuit dives sapientia Patris.
Te te igitur, Deus alme, precor, qui numine prono
Das sentire animis, et te, charissime Patris
Nate tui, da mellifluum in præcordia verbum
Nostra tuum, et linguas nobis infunde disertas,
Dum teneros formare animos et corda paramus
Ad veræ virtutis iter puerilibus annis.
Inclyta legiferi jam pandito scrinia Mosi,
Quæ sit origo poli, vel quæ primordia mundi,
Arcanamque fidem quid toto excusserit orbe
A Mentibus ambiguis qua vires traxerit aucta
Pestis, et in vitium mores cessere vetusti.
Da, Deus, æternæ describere mystica vitæ,
Da simul et mentem, da congrua tempora menti,
Da studium, tanto ne desit cura labori,
Successumque bonum studii, quodque omnia vota
Jure supercurrit (scribenti candida mens est),
Ne damnes tantum quod nunc reus audeo munus,
Criminibusque meis connive et parce benignus.
Quod si lege metri quidquam peccaverit ordo,
Peccarit sermo improprius, sensusque vacillans,
Hinc nullum fidei subeat mensura periclum.
Per Dominum Christum, qui tecum natus eadem
Majestate viget, pariter qua Spiritus almus
Incomprensa animis sæclorum in sæcula vivit.
B

LIBER PRIMUS.

Ante polos, cœlique diem, mundique tenebras,
Ante operum formas, et res, et semina rerum,
Æternum sine præteriti, sine fine futuri
Esse subest : cui semper erat Deus unus, apud quem
Vivebat genitus Verbum Deus, et simul almus
Spiritus, arcani vitalis summa vigoris.
Una trium quos concordi substantia nexu
Conjungens summa æternum virtute beabat,
Regnabatque potens in majestate creandi ;
Jam res, et causas rerum, casusque futuros,
Et facienda videns, gignendaque mente capaci
Sæcula dispiciens, et quidquid tempora volvunt
Præsens semper habens : immensum mole beata
Regnum erat ipse suum, regni nec teste carebat,
Virtus trina Deus, qui primum semine nullo
Corpora dans rebus, dum res existere cogit,
Jam nostrum effecit munus quod solus habebat.
Utque istum faceret dives sapientia mundum,
Cuncta simul genuit : sed post hæc semina rerum
Ornavit superinductis informia formis,
Temporaque in seriem bene conditus ordo redegit.
Nam non (sacrilegi sensit quod lingua furoris)
Casus mentis inops, dum nescia semina volvit,
Tam prudens contorsit opus ; nec dicere factum
Ante ævum fas est, quia tempore nata moventur.
Nec porro æternum mundum, superisque coævum
Credere fas, stabilem semper tenuisse vigorem :
Nam quod corporibus constat, cœpisse fatendum est.
Corpus enim quod plaga terit, quod tempora solvunt
Atque abolent, ipso qui tendit ultima fine,
Principium ostendit ; quod quæ sortita probantur,
Aut facta hæc credi par est, aut nata putari.
Factum igitur constat mundum, quod quisque subactus
Annuit, et vero convictus dogmate credit,
Concedens fecisse Deum, qui numine Verbi
Et virtute potens, quidquid natura putatur,
Disposuit, jussit, movit, munusque creatum
Succiduis vicibus (semper fugitiva reformans)
Sustinet, ac volucrem retrahens circumrotat orbem.
Qui si cuncta etiam mavult dissolvere raptim,
Confestim in similes formas redeuntia reddet.
Tanta Patris vis est, et tanta est gloria Verbi.
Ut vero semel attingam primordia rerum,
Excelsi convexa poli, terræque jacentes,
Pars prima est operis : sed terras unda tegebat,
Aeraque in medio sordenti nube madentem,
Et tenebris se vasta nigris velabat abyssus ;
Et sacer extensis impendens spiritus undis,
Altrices animabat aquas, ac semina rerum
Nondum compositis fundenda ad germina terris
Insinuanda dabat ; cum lux immissa superne
C Emicuit dicente Deo, discretaque nigrum
Umbra peplum retrahens, summo discessit olympo,
Tum divina diem appellans prudentia lucem,
Indidit et tenebris obscuræ nomina noctis
Sic facta uda dies de mane ac vespere primo.
Rursus mane novum, primo jam vespere pulso,
Reddita lux fecit, cum se firmissima moles
Fluctibus e mediis concreto corpore cedens
Extulit, ac, late duro solidata rigore,
Divisas suspendit aquas, gelidumque profundum
Axibus objecit calidis, seque æquore septo
Nixa superfudit rebus, quas circite vasto
Contegit æthereum, deducto hinc nomine, cœlum.
Forsitan hic aliquis sic secum errore perito
Disserat, æthereis ne desint pabula flammis,
D Et nimius calor ima petens, alimenta sequendo,
Exurat mortale genus, cœlumque coruscum
Non possint terrena pati, subjecta deorsum est
Machina firma poli, quæ dum nos protegit umbra,
Interea super impositis frigescit ab undis.
Numinis at vero divini quærere causas
Mens fuge nostra procul : plus sit tibi credere semper
Posse Deum quidquid fieri non posse putatur,
Et magnum pelagus super astra et sidera ferri,
Ipsorum ratione proba qui credere nolunt,
Et mundum pendere volunt, quem conditor ipse
Gestet, et immenso constantem pondere volvat.
Tertia lux tumidos stupuit discedere fluctus,
Cum Deus, impulsis reliqui jam gurgitis undis,

Aeriis magnum spatiis patefecit inane :
Arida tunc primum mundi pars ima retectam
Ostendit faciem, tremefactaque numine Verbi
Cærula nudatas cinxerunt æquora terras.
Quas vario raptim jussas fructescere fetu,
Luxuriosa novo texerunt germina limo.
Et rudis et tenero prorumpens cespite lætis
Jactavit se silva comis, speciemque secundum
Edidit una suam quæque arbor et herba virescens
Et fructum et semen vestitaque gramine terra est.
Jam tribus exactis, motu succensa citato,
In flammas ignisque globum se cogere jussa est
Solis prima dies, fundataque semina lucis
Puniceos roseo sparserunt fomite crines :
Lunaque noctis honor, quæsito lumine fulgens,
Inferiore via soli subjecta pependit,
A quo susceptos radios percussa refudit.
Astraque distinctis cœlum pingentia zonis,
Floribus æthereis varios vibrare colores,
Et magis ornatis se resplendere tenebris,
Cærula nox stupuit, rutilis dum spicula flammis
Fusca micant, urgentque alacres nova sidera jactus,
Quæ solare jubar radiis obducit apertis,
Tempora quadrifidi mensurans quattuor anni.
Sol quoque, cum cursus Lunæ sit menstruus, uno
Contentus cursu revolutum conficit annum,
Artificemque sacrum mira compage fatetur.
Quinta dies movit spirantia corpora ponto,
Quæ liquor humectans genuit, sparsitque profundum
Delicias pelagi, vario quas germine miris
Formavit natura modis, educere jussa
E toto partes formasque ex corpore inani.
Quin etiam in brutas animam dedit ire figuras,
Quæque salis tumidi squallentia gurgite terga
Cete vasta levant, molli differta sagina,
Edidit, et qui horum conservat corpora, nostris
Corporibus nocet ipse liquor, genitalis alumnus
Piscibus, ipsa etiam terræ qui germina nutrit.
Hinc volucres quoque molle genus traxere vigorem,
Nam liquidas dum format aquas, immissaque pon- [tum
Vita subit, fervent multo tumida æquora partu :
Nec satis est pisces genus omne exsurgere, quodque
Squammea turba salo summas evadit in undas,
Ni volitans in aquis sensim natet æthere puro,
Æthereos volucris contingere docta recessus.
Ergo materies avibusque et piscibus una est.
Jam bis terna dies claro radiabat olympo,
Tertia post calidi genitalia munera solis :
Jamque tepens tellus gravidos laxaverat artus,
Cum majora agitans jussit Deus edere terram
Omne animal, vegetat ratio quod sola movendi :
Cui servire datum quo rerum postulat usus.
Nec mora prorumpunt fetis vitalia terris
Pignora, quæque sui generis sortita figuras.
Hic mihi jam fas sit quædam perstringere, quædam
Sollicito trepidum penitus transmittere cursu,
Mutata quædam serie transmissa referre.
Postquam cuncta datus generatim protulit ordo,
Veris plena bonis, et multa dote referta,
A Quæ Deus in longam seriem mansura foveret,
Auctori perbella suo tum machina visa est.
Sed quid id est, quod mundus erat, quod sidera, et [ortus,
Ætheraque et vitreum pelagus, terræque virentes,
Ni spectator adest, tantæ quem gloria molis
Impleat, atque oculis avidum per singula ducat?
Quorsum tam lati fines possessioque ampla,
Si rerum possessor abest? Hæc rector olympi
Secum animo versans, et Verbi pondere librans,
Stat data summa operi, bona sunt quæcunque crea- [vit.
Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe
Et sit imago Dei : similem decet esse creanti,
Liber ad arbitrium, fruitur qui mente creatis.
B Dixerat hæc, et factus homo est, seu corpore toto,
Sive anima ac specie, forsan quo more futura,
Quo facienda facit, quo factum semper habebat,
Et si præteritum jam nondum accesserat ævum.
Ergo hunc præpositum rebus, cum conjuge jussit
Crescere per sobolem, terrasque replere vacantes.
Tum natura semel rebus concessa creatis,
Præsertim quas vita movens animare videtur,
Multiplicat quæcunque suis primum edita formis.
Septima lux magnum ut vidit cessasse Parentem,
Sed generum tantum numeros desiisse creare,
Et requiem tenuisse suam, tum jure sacrata est
Perfectum quæ vidit opus : namque hoc quoque ple- [num est
Virtutis, cessasse Deum, posuisse labores.
C Nam genitus formam Patris quam dextra pararet,
Bis ternis Dominum satis est patrasse diebus.
Septima lux docuit venerandæ exempla quietis,
Quam cœlesti omnes sperare jubemur in aula,
Si modo non desint operum bona facta piorum.
Hæc quoque lux illam signat, quæ tartara Christus
Solvit, et evicto reditum patefecit Averno :
Dum patriam ille semel victor rediturus in aulam,
Jamque malorum expers, humana in carne quiescit.
Sic cessare Deus, sic otia sumere novit,
Plus ut agat cessans, pariter sine fine quiescens.
Ac sine fine operans, seriemque et tempora miscens
Cessando consummat opus quodcunque crearat.
Sed qualem, qualique Deus formaverit Adam
Materia, hic paucis cum Mose resumere fas est.
D Primus enim meritis, postremus in ordine toto
Factus homo, ut sese rebus præstare creatis
Nosset, et hinc laudes Domino persolveret æquas.
Ergo hominem factura Dei manus optima Summi,
Tractatu facilem ac bene gnarum cedere limum,
Et flexum formamque sequi qua ducitur arte,
Sumit, et humanam qualem jam mente gerebat
Explicat in speciem, tum flatu immissa vaporo
Vita rigavit humum : tellus mollita liquore,
Vertitur in carnem, et sanguis qui lubricus humor
Distendit molles per nota foramina venas.
Tunc mentis jam plenus homo, tellure relicta,
Exilit, ac Dominum prudens rationis adorat.
Haud aliter bustis mandata resurgere apertis
Corpora, cum Christi cœlo delapsa patenti

Majestas gravidæ reserabit viscera terræ,
Exilient, Dominumque colent terræque polique.
Nam quod non habuit cum sic e pulvere vili
Humanum in formam compactum est corpus hono- [ram,
Perfacile est rursum integrum ut de pulvere reddat,
Quod jam habuit multos cælatum terra per annos.
Sic ex antiquis prodibunt jussa sepulcris
Corpora quæque suas rursum assumentia partes.
Sic nil præteriti est quod non sit forma futuri.
Sed jam hominis tempus, sedem atque habitacula [primi
Pandere, ubi toto acceptum pro semine vulnus.
Eoos aperit felix qua terra recessus
Editiore globo, nemoris paradisus amœni
Panditur, et teretis distinguitur ordine silvæ.
Hic ubi jam spatiis limes discernitur æquis
Solis, et æternum paribus ver temperat horis.]
Illic quæque suis dives stat fructibus arbor,
Pomaque succiduis pellantur mitia pomis :
Quæ jucunda epulis, et miri plena vigoris,
Membra animosque fovent, pascuntque sapore et [odore.
Sidereos hic terra vibrat distincta colores,
Semper flore novo frondens, fructuque recenti.
Hic fragiles solvunt calamos, animata vigore
Muneris ambrosii, spirantia cinnama odores.
Sed nec quod Medus redolet, vel crine soluto
Fragrat Achæmenius, quod molli dives amomo
Assyrius, messisque rubens Mareotica nardo,
Quod Tartessiaci frutices, quod virga Sabæi,
Quodque Palestinus lacero flet vulnere ramus,
Omnia certatim hunc congesta putabis in hortum.
Namque huc cuncta Deus pariter, quæ singula certis
Accepit natura locis, conferta regessit :
Motaque dum leni vibrat nemus aura meatu,
Unum ex diverso nectar permiscet odore,
Fitque novum munus, sibi nulla quod asserat arbor.
Quaque tremens blando sensim jactata fragore,
Commotis trepidat foliis, sonat arbore cuncta
Hymnum silva Deo, modulataque sibilat aura
Carmina, nec vacuus vanum quatit aera motus.
Quippe apud auctorem, qui totum mole sub una,
Res rebus nectens, alterna lege retentat,
Nil temere fieri vel frustra credere par est.
Quin etiam speciosa, nemus, silvæque coruscæ,
Argumenta operum sunt, et plantaria rerum.
Nec dubium primi quin delicta ante parentis,
Hic sua fixissent pariter tentoria secum,
Gloria, simplicitas, studium, sapientia, veri
Diva tenax, prudentia, gratia, honorque, salusque,
Præclarique animæ affectus, atque inclyta virtus,
Et quidquid pulchrum orbis habet : quid denique [paucis
Enumerare velim quam plurima munera verbis?
Jam satis hoc fidei est, læto quod semine surgens
Hinc arbor vitæ, celsis petit aera pomis :
Illinc diverso nocitura peritia fructu,
Notitiam rerum suspendit ab arbore legis.
Ad gremium sacri nemoris, quod silva coronat,
A Fons scatet, et diti prolem virtute maritat,
Quadrifido tumidum lætus caput amne resolvens,
Ditior Oceano ; jugi nam gurgite pronus
Ille suos donat latices, iste accipit omnes,
Nec turget tamen ; at minor est, qui crescere tantis
Fluctibus infusis, quam qui decrescere nescit
Amnibus effusis : quorum primo ordine Phison
Prosilit exsultans, fontis pars quarta beati,
Edens naturæ quas dat prudentia dotes,
Gangetisque replet populos, atque Indica regna
Distendit limo, terrasque et semina volvens.
Quæ facit arva serit, nudis qua squallet arenis
Aurea fulgentis inter ramenta metalli.
Hic ubi fulmineo rutilans carbunculus igne,
Ac viridi radiat fulgescens luce smaragdus.
B Nec minor inde Geon, placidis sed mitior undis
Niliacas attollit aquas, arsuraque late
Diluvio tegit arva pio, cœloque repugnans
Temperat Æthiopum stagnis refluentibus undas.
Tertius hinc rapido percurrens gurgite Tigris
It comes Euphrati juncta quos mole ruentes
Tellus victa cavo sorbet patefacta baratro,
Donec in Armeniæ saltus ac Medica Tempe,
Quos non sustinuit, nec jam capit, evomat amnes,
Sed Tigris, nigro tanquam indignatus Averno,
Prosilit æthereas motu majore sub auras,
Et rursum spelæa subit, mersusque cavernis
Intus agit fremitus, et fortior obice factus
Multiplicatur aquis, atroque citatior antro
Exit, et Assyrios celeri secat agmine campos.
C Justior Euphrates, diti qui gurgite largus
Irrigat arentes subjectæ Persidis agros,
Mollibus elicitus rivis, atque omnibus æque
Servit, et humanos totum se præbet in usus :
Donec siccus aquis, nomen quoque prodigus ipsum
Consummat terris, pelagi quod debuit undis.
Hæc igitur cuncto naturæ ditia fetu
Imperia, et tanta virtutum dote refertæ
Deliciæ, prima est hominis possessio primi :
In quam deductus, vita exsultare perenni
Accola jussus erat, tales ergo ille locatus
Inter delicias et longe pinguia Tempe,
Dum fit adhuc dignus, discitque labore mereri,
Expers mœrorum, curæque ignarus agebat.
Tantum apud auctorem est, meriti pro nomine
D [summi,
Nondum aliquid meruisse mali. Quantum ergo puta- [mus,
Solvere posse patrem reditura in tempora vitæ :
Cujus apud famulos jam tum largitio pura,
Non merces paradisus erat? quodque illa severæ
Legis scita tulit, libertatisque periclum
Facturus, vitam, servanti jussa, recepit.
Spondet adhuc majora bonis, et præmia servat,
Qui causam meritis statuit, dum : Vescere, dixit,
Arboribus cunctis, hanc tantum horrere memento,
Quæ diversarum gestans examina rerum,
Notitiam recti atque mali sub cortice gestat,
Nam transgressores mors cruda et dira sequetur.
Tali lege data, ratio docet optima quod non

Mortalem Deus in primævo tempore fecit
Primum hominem, quin ille sibi mortem attulit ultro.
Namque et in hoc est magna Dei indulgentia summi :
Dum quod non meritis, sed tantum sponte benigna
Largitur famulis, nostri cupit esse laboris,
Et se quod donat mavult debere videri.
At tu quem sacri nectit custodia juris,
Ne querere angustis quod clausa licentia metis
Parte sit orba sui : nil hac tibi lege recisum est.
Ante potestatem tantum terræque marisque
Nactus eras, nunc jam regni vitæque perennis,
Porro et mortis habes : tunc ut sibi cuncta parentem
Indulsisse pium rudis incola crederet orbis,
Omne animal, quod jam tellus dare jussa crearat,
Effundens tacito vernans e corpore semen,
Jussit adesse Deus, proprioque obedire tyranno ;
Scilicet ut cunctis bene congrua nomina rebus
Inderet, atque suo factum unumquodque vocaret
Nomine, natura quod natum est suapte moveri.

Nec mora, viventum parendi haud nescia, sistit,
Omne genus natura Deo, quacunque vocantur
Mundi parte novi coeunt animalia in ipso
Temporis articulo modici, sive illa fuissent
Molli lenta gradu, aut rapido promptissima cursu,
Impete vel subito consueta per aera labi,
Aut innare undis, aut pondere lubrica ferri.
His Deus omnipotens Adam præsente vocatis,
Unumquodque suo donavit munere largus,
Armavitque manu, cornu, pede, dente, veneno,
Atque aliis, quibus artis inops animique minoris
Et ratione carens animal se protegat, et se
Servet ab adversis rebus : sed nullum animantum
Æqua homini specie vultuque habituque vigebat.
Ast homini prope divinos addebat honores,
Totque inter duplici vitam illustrantia sexu
Impar solus erat, dudum qui conjugis aptam
In se materiem gignendæ ignarus habebat.

Ergo opus aggreditur notum Deus, ictaque raptim
Corda viri tanto dissolvit languida somno,
Mentis ut experti costam subduceret unam,
Inde caro fit jussa sequi : nam sponte recedens
Pellis, iter planum costæ præbebat eunti,
Illæsis prorsum membris, et corpore sano.
Quæ varios operante Deo digesta per artus,
Accepit formam, calidisque animata medullis
Versa in opus vitæ est, sexu jam grata secundo.
Sic permissa suo formata est Eva marito.
Hoc nunc turba loco stolidissima desine tandem
Quæsitis animum vanis torquere, nec isthic
Quærere cur hominis confecta est femina membris,
Cum jam a principio molli de pulvere fingi
Posset, et ex nihilo, causas desiste latentes
Scrutari : quamquam, si conjectare licebit,
Ex homine effecta est mulier, cognatio quædam
Mutuum et alternum inter se ut misceret amorem,
Semet in alternis cogens agnoscere membris.
Hinc Evam partem esse sui, mox protinus Adam
Sensit ut exsultans tetigit nova gratia mentem,
Mentis et affectus in viscera nota receptus
A Irruit, et tanto penetravit in osse calore,
Ut jam scire daret, quod conjunx esset, et uxor,
Quid dulces nati, postponendique parentes
Conjugibus, quid nam una ambos in carne manere,
Æternam pariter vitam ducentibus esset.

Porro dum mundi vitiis et labe carebant
Divinis vigeri animis, nullius egeni,
Cum penes hos esset mundi substantia, et omnes
Quas dabat orbis opes, nec prorsum obnoxia morbis
Corpora gestabant, non hos cogebat ad esum
Pausæ ignara fames : qui si mandata supremi
Servassent integra Dei, crudelia mortis
Imperia, et diros nescissent usque dolores.
Callidus at serpens Domini perfringere legem,
B Talibus incautam persuasit fraudibus Evam :
O vitæ melioris inops, rerumque bonarum
Gens ignara hominum ; neque enim bona nosse putandus
Qui prava ignorans, etiam distinguere nescit
Quo diversa bonis inter se limite distent.
Atque ideo augustos homini fas carpere fructus
Noluit esse Deus, ne mentis nube remota
Immittant in cœlum oculos, atque optima noscant,
Sintque deis similes. Hic nunc excurrerere paulum
Fas fuat, et turpes veterum deflere ruinas.

Ah ! nimium miseri gentiles, quos furor egit
In varios ritus, cognomina multa deorum
Fingere, pluralemque Deo vocem addere soli.
Serpentis primam hanc sonuit vox impia diri,
C Qui mortis tum causa fuit, nam credula postquam
Rupit sacrilegis præscriptum morsibus Eva,
Experti jam docta mali, consortia culpæ
Quærit, et incautum fraudis male gnara maritum
Qua periit prior arte petet ; sic, hoste subactus
A gemino, cedit sceleri miserabilis Adam,
Pomaque degustat sacri plenissima succi,
Sed quia legis in his suberant præscripta severæ,
Plus quam vipereo mortem allatura veneno.
Ut primum illicito, violarunt ora sapore,
Confestim sensere nefas, facinusque peractum
Crevit, et ignaro percussit pectora sensu.
Hinc timor, inde pudor, sumpserunt primitus ortum.
Nam dum corda homines celsarum conscia rerum,
Et cœlo tantum rectoque intenta gerentes
D Pectora ad excelsum ferrent conversa parentem,
Dum secretorum miracula divinorum,
Claro incorporeæ mentis splendore notarent,
Nondum contigerat membrorum cura suorum.
Quos ubi deseruit vitæ vigor ille perennis,
Jam morte affectos, demum frigusque calorque
Aeriæ subiere vices, ac vestis egenos
Se primum sensere homines, sexuque latenter
Erubuere suo, taciti miserabile questi.
Idcirco umbrosæ e foliis nova tegmina fici
Decerptis texunt, post culpam, mente receptum
Corpore velato denudatura pudorem.
Nec satis, ignorant quid agant, qua crimen inustum
Seque ipsos fugiant : cuperent, si forte pateret,
Condere se barathro, usque adeo contermina pœnæ

Culpa suæ est, ut jam miseros mortale paventes
Mortis imago juvet; silvas umbrosaque lustra
Obtendunt, vanis solatia falsa tenebris.
Nam quo te timidum fas est subducere corpus ?
Tete, inquam, quæ vox vili de pulvere fecit,
Virtus viva Patris, mundi occultissima, præsens
Implet, et in penitos exit diffusa recessus.
Tune potes Dominum fugiens evadere, tu ne
Omnia cernentem sperasti posse latere,
Ut vastis jaceas tenebris? celabere nunquam.
Ergo ubi peccati genitus pudor attigit Adam
Quærentem latebras, mox audiit : Heus! ubi es, Adam?
Quid vero est quod te quærit Deus, inscius an ne id
Forte rogat? cui te Domino subducere summo
Nec mors ipsa potest, fragili quam mente subisti,
Cur ubi sis quærit, nisi quod te morte doloris
Lapsum sponte tua secum non esse fatetur,
Et cœlo cecidisse sacro; sed sancta parentis
Desperare vetat pietas, clementia cujus
(Fas dixisse mihi, fas sit quoque dicta probasse)
Justitiam excedit ; nec tam me voce severa
Corripiens, ubi sis, trepido quid pectore quæras,
Terret, quam recreat quod adhuc post crimina lap- [sum
Immersumque metu, latebris ac pene sepultum,
Evocat et revocat : ne vero exempla petantur
Longius, ostendit culpæ donatio mitem.
Postquam excussa reos manifestat causa parentes,
Incepere Deo cœlum, mare, terra, loquente
Contremere, et vastos concussa aperire recessus.
Dumque reos punit sententia, tartara condit.
Quandoquidem nostris visum est decedere jussis,
Jam mihi justa novos feriet censura nocentes.
Principio inter totius viventia mundi
Tu maledictus eris, et pejor quam tegis intus
Invida mens coluber, qui cœlum intrare creatos
Dejecisti homines, vetitasque attingere fruges
Fraude tua impulsis præduræ mortis origo es.
Ergo ut digna nefas pœnæ mensura sequatur,
Ex quo hominem terræ immersti, tu stratus iniquo
Membra solo, duram sulcabis pectore terram.
Et vetitos tentare cibos quia feceris, hinc jam
Vilis semper edes squalentia viscera terræ.
Et quia te dignæ placuit tibi primus ut esses
Inventor mortis pœna moriere perenni,
Humanique odium generis specialiter in te
Ac genus omne tuum bello experiere potenti.
Perpetuumque tui, mors ut tibi longa, timorem
Esse dabo ; pedibus repes, et pectore prono ;
A Teque tuo mulier perimet cum semine, cujus
Callidus extremis tantum insidiabere plantis,
Ut trepidans etiam capiti vestigia figat.
Dixit, et exsanguem sic est exorsus in Evam
Et tu quæ, minimo solam te perdere fructu
Non contenta, virum similes temeraria in ausus
Traxisti, instar eris famulæ, subjectaque duros,
Arbitrium sensura viri, patiere labores.
Casibus et vero (inceptum quoniam prior ausa es
Multiplicare nefas) semper versabere multis.
Tum pariens crebris adeo torquebere natis,
Ut quos mortales faciet tua culpa creari,
Mortis nonnunquam laceræ sint causa parenti.
Tu quoque cui monitus nostros et prima salutis
Vincula femineis postponere fraudibus auso
B Sponte mori placuit, talem reus excipe sortem,
Criminibus tellus, quam tu sulcabis aratro,
Sit maledicta tuis, spinas tribulosque minaces
Culta ferat, fallatque tuum spes improba votum.
Nec tibi terra fidem servet : tu vivere lætus
His in deliciis, et cunctis vivere sæclis
Sponte recusasti ; duro nunc vive labore,
Perpetuum quoque vive miser, dum lenta senectus
In terram te restituat terræque recondat.
Dixit, et ignaros ne cœli injuria lædat,
Veste tegit pecudum miserans, vitamque tueri
Edocet ; et ne iterum similes exiret in ausus,
Infaustum mortis formidine percutit Adam.
At ne perpetuam vitali ex arbore vitam
Protraherent, miserosque reos graviora manerent
C Supplicia, in tantis nimium diuturna periclis
Tempora ducentes, dirisque obnoxia pœnis,
Continuo sacris jussos decedere lucis
Expellunt venti, nemoris quos silva profundi
Concitat, atque illos libranti turbine nexos
Aura vehens, sacra paradisi ab sede repellit.
Ergo hinc ejecti juvenes, terrisque relati,
Perdita dimissi suspirant gaudia luci,
Expertes tanti spatii, expertesque pericli,
Sed non expertes, agitat qui corda, doloris.
Quo ruerint, quid perdiderint, quæ vita sequatur,
Quæ fuerint tacita tristes in mente volutant.
Porro etiam quid se supremo in fine futurum est,
Hærent solliciti : sibi num graviora supersint,
Nullane spes superet miseris, num morte perenni
D Perdant quod superest; an cum via mortis amaræ
Per lignum ingruerit mundo populisque futuris,
Possit adhuc aliquod per lignum vita redire.

LIBER SECUNDUS.

Hactenus arcanam seriem, primordia mundi,
Ut sincera fides docuit, sine fraude cucurri,
Dum dignis letho vitiis terrena carerent :
Nunc hominum mores, et jam mortalia versu
Aggresso, omnipotens vires Deus adde poetæ.
Postquam sacratis decedere jussus uterque
Sedibus ac regnis genitalia contigit arva,
Inque sua stetit exsul humo, mirabile quali
Ore rudes stupeant tam barbara rura coloni,
Quæ non frugifera distinctaque arbore vernant.
Nec species placet ulla soli, nam mixta coacto
Pondere congeries confusa mole locatur.
Ardua caute rigent, silvis depressa laborant
Plana, carentque herbis, horrescunt edita dumis

Heu quibus hæc spectant oculis, quo pectore cernunt,
Quorum animis paradisus inest, quæ causa doloris
Una subest, dum cunctorum jam plena malorum
Se pandit facies longe tristissima, post tot
Delicias, paradise, tuas, et amœna locorum
Gaudia fertilium, quorum vanissima præsens
Semper adest tristesque animos idæa fatigat.
Nunc honor ille sacri nemoris majore sereno
Irradiat, nunc divitias succurrit ademptas
Silva beata, tuas, nunc pomi dulcior usus
Nectareusque sapor, vivis nunc floribus halans
Tellus absenti tristes contristat odore.
O quam non eadem (exclamant), paradise, rependis,
Immo etiam quanto præ illis hæc dona beatis
Deliciis pejora facis, sic tristibus illis
Jam vitæ perit almus amor, penuria rerum
Insinuat jam dulce mori, ne major egestas
Occurrat graviore malo; nam viscera terræ
Scrutari vesana fames, et quærere cogit
Qua steriles dat silva dapes, adeo usque malignis
Herbarum dubias passim radicibus escas
Explorare juvat, ventremque explere latrantem.
Tandem cunctarum, quibus indiget usus, egenos
Atque inopes rerum, docuit sors ultima summi
Auxilium sperare Patris: tum stratus uterque
Membra solo, lacrymis tantum mutoque dolore
Quæ nequeunt verbis poscunt solatia votis,
Dum pudor internis subducit verba querelis.
Ergo ubi cognovit mutuæ sibi reddita linguæ
Munera, consurgens tali prece supplicat Adam:
Omnipotens, auctor mundi, rerumque creator,
Quem mihi labe mali infensum atque audacibus ausis
Constitui felix olim, dum vita maneret,
Et celeres animos visu super astra daretur
Posse sequi late circum perque omnia fuso,
Hos ego cur oculos tua quondam arcana tuentes
Vel jam non habeo, vel magna ex parte minutos,
Et tetro clausos terreni carceris antro:
Ut jam nil veri præter mortalia quædam et
Fluxa videre datum, ac mundum in pejora labantem,
Atque ideo, Omnipotens, qui semper totus ubique es,
Ad te confugimus, trepida te mente precamur,
Exaudi miseros, quos semper cernis et audis.
Cum me olim parti damnatæ annectere vellet
Ille caput scelerum, mundi infensissimus hostis,
Nil per se solum, ne victus cederet, ausus,
Serpentis formam accipiens, et conjugis illa
Arma meæ duro confecit vulnere, sic nos
Artificis scelerum fraus improvisa subegit.
Cumque ego damnarer justa pro crimine pœna,
Agnovit culpam tanto mens icta dolore,
Ut mihi me de me pœnam præbere putarem,
Idcirco et gemitus pœnæ, lacrymasque negavi,
Amplexusque animo solatia dulcia pœnæ,
Hanc ipsam posthæc sacra inter munera ponens
Pro venia sceleris, non jam detrecto labores,
Quoscunque addideris; tamen interea, optime judex,
A Si juvat, exaudi nil in tua jussa precantes.
Nec jam istud lacrymis et mœsta voce precamur,
Judicii censura tui quo se illa resolvat,
Tota sed ut plenas teneat sententia vires.
Jussisti mota victum me quærere gleba,
Et steriles spinas sparsa pro fruge levandas
Dixisti, et tribulos pro fructibus; ergo serenda est
Ut fallat mea vota seges quæsita labore.
Noscere da quæ sint segetes, quo more serendæ,
Fructiferæ quæ sint herbæ, quæ forma laboris.
Da, Pater, auxilium miserans, hisque imbue sensus;
Tunc erit, ut rerum compos et certa salutis,
Serviat Eva mihi, sævumque experta parentis
Supplicium, pariat populos ut crimine nostro
Plectantur, purgetque patrum peccata, nepotum
B Mortibus æternam faciens successio pœnam.
Interea dum sic orant, serpentis imago
Indice visa metu tacito se tramite ferre,
Leniter ad molles spiris reptantibus herbas:
In se convertit trepidos, dirique doloris
Excusso senio cognatas traxit in iras.
Et prior Eva viro: Si te suprema malorum
Causa movet, rape saxa manu, datur ecce facultas
Auctorem lethi letho dare; callidus ille
Suppliciis doceat propriis, et morte cruenta,
Quam sit triste mori, qui me male perdidit et te.
Dixit, et elapsum cursu petrisque secuta est
Missilibus; quin et duras per robora cautes,
Quo se reptando condebat callidus anguis,
Ambo projiciunt: quarum rigido una lacerto
C In nudum casu silicem dimissa resultat,
Scintillamque ciet, sicco quæ e fomite nata
Exiit in flammam, et crinita incendia late
Extendens tota jam silva ardebat adepta.
Hic horrent, latebrasque gradu trepidante requirunt,
Sed pavidos stupor ipse tenet, curamque sagacem
Injicit insolitæ flammæ: quam cernere rursum,
Et timidi spectare volunt; paulum ergo remoti
Telluris dorso sterilis mirantur opacas
Defluxisse comas, nemorumque horrere favillas,
Fuscarique diem, totas splendescere terras,
Et lucem sub sole novam: nec mente quieta
Accipiunt crepitus stridentibus undique silvis,
Undantesque globos flammarum in sidera latos,
Nec quod radices immersus tendit in imas
D Ignis edax penitus, sumpto quo victa calore
Terra suas pandit generosa ad munera venas.
Quæ cum jam cuncto siccata liquore fuisset,
Mox fieri liquor incepit, rivisque metalla
Fundere quæque suis; fulvo hinc torrente coruscat
Auri summus honos, candenti lacte renidens
Effluit argentum, rigor æris lubricus errat,
Et cogit in mollem resoluto corpore massam.
Vis brevibus formam ardentis comprendere silvæ?
Sulfureæ volitant nemoris per opaca favillæ,
Non aliter quam dum ruptis sicca Ætna caminis,
Egerit immixtis stridentia sulfura flammis:
Tum se decoctis tellus pinguissima glebis
In fetus movit varios, quos imbre marito
Parturiens putri dissolvit rura meatu,

Qua tumidi crepuere sinus, elataque messis
Exstitit, et motis undans trepidavit aristis,
Disceret ut speciem segetis novus accola cultæ.
Nil tamen hinc longus quidquam sibi vindicet usus,
Nil casus virtutis inops, Deus omnia nosse
Quæ bona sunt cum luce dedit, mundoque minori,
Quidquid major habet, sacro innotescere sensu,
Seque per hæc voluit : quod si illibata maneret,
Ut data mens homini est, nullique obnoxia culpæ,
Non illam species, non illam corpora rerum,
Non modus astrorum, numerus nec mollis arenæ
Falleret, aut quantis cum magno terra profundo
Extensa est spatiis, aut quæ mensura peracta est
Molis. Quid resonet motu septemplicis axis
Harmoniæ vocale melos, nunc discitur usu
Assiduisque datur studiis, quanquam arte vel usu
Quod capimus Domino semper donante tenemus.
At vero ad primos ut se digressa parentes
Nostra chelys referat, jam, quæso, attendite paucis.
Pulsus ab augustis paradisi sedibus Adam,
Nullum habuit prius officium, quam conjugis usum,
Atque omnem natis operam navare creandis.
Ergo ubi prima domus natis jam plena duobus,
Inter tam varios solatia multa labores
Attulit, atque novum se vidit uterque parentem,
Multiplicata graves relevavit cura dolores,
Et spes jam subiit propriis gaudere ministris
Ruris in officio : quorum qui maximus ævo,
Arva Cain duris vertebat pinguia rastris;
At vivo gaudere lucro dignissimus Abel
Collibus in nudis et sicci germine campi
Innocuas pascebat oves, et lacte parentes.
Verum exspectati sensere ut gaudia fructus,
Divino intuitu vinci sua vota favore :
Mox decrevit uterque sui libamina fructus
Prima dicare Deo, sacras prior impedit aras
Frugibus ille novis, niveo magis hic litat agno.
Prima sacerdotum species, mox hostia fratris
Impia, sed Christum longe tamen ante figura
Signans, perpetuus nam cum foret ille sacerdos,
Summi Melchisedech ex ordine : protinus in se
Conflata invidia, et fratrum livore suorum est,
Hostia salvifica dum pendet ab arbore factus.
Sic olim ante sui præsensit candidus Abel
Invidiam fratris : nam cum de fruge litasset
Iste sua, niveo ille agno, mox protinus altum
In cœlum ascendit combusto fumus ab agno.
At contra per inane volans de frugibus illis
In terram rediit fugienti fumus olympo :
Aut quod pejores Domino sacraverat, aut quod
Illi non gratum est, animo quod prodit avaro.
Inde Cain tamen insanas flammatur in iras,
Invidiæ ducens illo de fonte venenum,
Unde propinarat serpens, fratremque cavendi
Ignarum, sæva mactatum cæde trucidat.
Heu facinus! Quo non miseros furiosa libido,
Quo non ira, recens odium, et vis improba cogit?
Quid meret innocuus frater? num sanctior ille
Quod fuit, interimi meruit? jam facta parentum
Non est posteritas quod quidquam accuset, et ipsi
A Flagitium addidimus : jamque est quod callidus anguis
Objiciat, si fors illum accusare velimus,
Quod morimur : namque ad cumulum prima illa propago
Criminis, adjecit mortem, culpamque parentum
Inductam mundo (horrendum est id dicere) fecit
Impietas scelus esse novum, sic impie, sic tu
Dire Cain, primore novum cæde inficis orbem :
Pro qua perpetuas pœnas jam morte solutus
Æternumque dabis, longe serpente nefando
Deterior, tua metimur si crimina : namque
Attulit ille necem nobis, non intulit : at nos
Cepimus allatam, tu vero hanc primitus infers.
Tanto ille pejor, vitari publicus hostis
B Quod potuit : tu privatus nulla arte caveri
Jam poteras : quis enim dilecto a fratre timeret?
At vero nulla est hominis tam dira nefandi
Culpa, Deus quam non animo clemente remittat,
Si modo pœniteat facti : quod teste Caino
Accipimus, quem tunc fraterna cæde madentem,
Non indignum habuit (tanta est clementia) sese
Correptore Deus, quin blanda voce rogatum,
Frater ubi suus ille foret, facinusque negantem
Arguit, et leviter tanto pro crimine punit.
Nam profugum tantum atque extorrem ab utroque parente
Longius amandat, vastasque relegat in oras,
Et jubet a patriis confestim excedere terris.
Hac etiam longe misero feliciter in re
C Gratificans : gravior nam multo est pœna videri
Inter felices et pura mente beatos
Victuro post supplicium factique pudorem.
Utque sit exsilium levius, comes additur uxor
Fida reo forsan, ne desperatio solum
Arriperet : tum etiam quæ duras pectoris ægri
Molliret curas, et moto corpore fractum
Sisteret amplexu : nullique obnoxia culpæ,
Et Dominum votis et pura mente colendo,
Eliceret quidquid posset satis esse duobus.
Sic multa extorres comitatur gratia, quorum
Auxit multiplicans per nomina mille nepotum
Progeniem Deus omnipotens, regemque Cainum
Esse dedit populis, quos cingere mœnibus urbes
Erudiit, prælonga videns in tempora natos.
D Interea mœsto rursum gravis Eva marito,
Pensarat primum sancto jam pignore damnum,
Reddideratque iterum nata jam prole parenti
Multiplices animi curas, et mixta labore
Gaudia : Seth puero nomen fecere, vice Abel
Quem dedit omnipotens illis Deus : unde secuta est
Posteritas, cujus de semine prodiit Enos,
Qui primus tacita lectus virtute sacerdos,
Posse ciere piis precibus, votoque potentem
Speravit, meruitque Deum, populumque secutum
Imbuit, æterni cultum servare Parentis.
Cujus de serie pollens virtutibus Enoch
Descendens, meritis etiam non impar avitis,
Redditus in sedes patrias orbemque beatum,
Vivit adhuc, et habet vitæ jam regna futuræ.

Hic justi proavus Noe sub tempora cujus
Infecit totum studiis concordibus orbem
Culpa frequens, vitiisque sequens adjunxit avitis
Posteritas vitium : quapropter mille per annos,
Aut prope majores cum vivere consuevissent,
Ne perversi hominum mores crescentibus annis
Augmentum acciperent, vitiis ut terminus esset,
Maxima vita hominum lustra ad duodena redacta est.

Namque Cainigenum cum se conjuncta profanis
Damnasset thalamis in pejus prona juventus,
In varium facinus, Superum deserta favore,
Prosilit, inque omnes currit temeraria lapsus.
Tum Deus averso tam multa ob crimina mundo
Confestim infensus, voces erumpit in istas :
Nequaquam posthæc humana in gente manebit
Spiritus ille meus, vitam nec proferet ultra :
Vivere bissenos decies contenta per annos
Vita nocens hominum : quoniam terrena secuti
Plus carnis quam mentis habent. Sic ergo severa
Ævi constituit tempus sententia certum
Judicis immoti, longæ ne tempora vitæ
Criminis augendi causam præstare valerent.
Flagitii quid enim jam non auderet iniqui
Impia gens hominum? nam magna mole gigantes,
Monstra horrenda hominum, vario de semine nati,
Nil non audebant, quîs una et maxima virtus
Non fore ad extremum pravos, quos dira libido
Crimen in omne trahens, nullas sine sanguine noctes,
Aut sine cæde dies unquam ductare sinebat :
Immemores juris divini, hominumque suique,
Affectusque pii, matrumque, patrumque suorum,
Auctorisque Dei : tantumque in crimina summa
Processum est, homines Dominum ut formasse pigeret,
Ut perversa etiam Deus ob peccata nocentum,
Criminis expertes animas, convolvere vellet,
Atque superfusis terras immergere lymphis,
Rursus in antiquam mundo redeunte figuram.

Unus erat Noe justus, quem propter in iras
Differret prodire Deus : quem vita fidelis
Jam per quingentos immunem criminis annos
Duxerat, et sancta degentem in lege probarat.
Cui sic sancta Deus pandens arcana revelat.
Jamque hominum vitiis infectam turpibus omnem
Aera cum terris in deteriora relapsis
Eluere, et tumido visum est submergere ponto :
Et dum cuncta ruens operit, jussusque residit
Gurgite præcipiti, pollutum diluat orbem,
Implicitosque homines, et quidquid vivere jussum est
Causa hominum, inflati convolvat labe profundi.
Sed quia tu solus cui cordi nostra voluntas,
Devotum sanctis duxisti legibus ævum,
Perversis semper voto meliore repugnans :
Sic decretorum moderabor jura meorum,
Ut mihi cum justas luerit gens impia pœnas,
Purgatæque orbis fæces : tum dignius a te
Incipiat mortale genus, summumque parentem
A Te numerent populi post hæc qui tempora vivent.
Quadratis igitur trabibus contexta paretur
Arca tibi, cubitis sed quæ sit longa trecentis,
Lata quaterdenis, denos super : aera in altum
Terdenis surgens, cubitali ornata fenestra.
Insuper a læva ponatur janua parte.
Tunc calidum bibula spirans compage bitumen
Exploret, tenues et vestiat undique rimas,
Cumque triplex spatium discreverit area duplex,
Sic discernantur propriis animantia nidis,
Ne violent permixta genus, commissaque pugnent,
Confundantque cibos, quorum te condere par est
Tantum materiem : nam dispensata receptis
Ne desit, præstare meum est. Hæc mente fideli
Noe concipiens (sensum ipse animumque ministrans,
B Velle et posse dabat famulo, quodcunque jubebat)
Jussum opus aggreditur, densas prosternere silvas
Incipiens, atque annosas proscindere quercus,
Admittunt luci radios, umbrisque levatur
Campus, et æquævo spoliantur robore valles.
Sed cum tam multo fuerit properata labore
Summa operis cœpti, centum differtur in annos,
Ut bona vita sequens, vitæ delicta prioris
Emendet, mutetque feros gens impia mores.
O miseri, quos tam justæ dilatio pœnæ
Plus facit esse reos : nec jam pro crimine tantum
Præterito, at longe gravius plectentur ob ipsum
Temporis indulti spatium, veniamque neglectam :
Cum testaretur se parcere malle reversis,
Tempore dilato Dominus. Jam mole peracta,
C Machina constabat laterum compage capaci,
Diffugium quod supremum pater ipse pararat
Naufragiis natura tuis, rapidisque fluentis.

Tum Deus e celso famulum dignatus olympo,
Voce monet Noe summum jam tempus adesse,
Condere se latebris, natos cum uxore, nurusque
Eripere instanti exitio, mortisque tenebris,
Cunctaque vivificis animalia reddere claustris :
Sive ea terra fovet, seu clarus sustinet aer ;
Singula de mundis septena, et singula bina
Ex iis quæ sacris minus apta, immunda vocantur,
Nec mora fit, quidquid convexo cardine cœli
Nascitur, ignotum diversis partibus orbis,
Quod stupet Eous, quod pallidus horret Iberus,
Australis Libyæ calidis quod nutrit arenis,
D Scindit Hyperboreas miro quod lumine noctes,
Festinat trepidans et apertæ immergitur arcæ,
Diluvium dicas jam præsensisse, Deoque
Auctori parere suo, et pecudes ratione carentes
Plus quam imprudentes homines ratione valere,
Et si nil sapiunt. Ergo omni semine vitæ
Prægravidam ut primum claudi Deus imperat arcam
Nox ruit, et subitæ cœlum obduxere tenebræ,
Effusoque cadens terras ferit aere nimbus,
Et furit, et toto pariter desævit in orbe.
Nec satis excidio est qui nubibus effluit imber,
Antiquæ laxantur aquæ, jamque æthere aperto
In nubes vacuas cœlum pluit, et reserata
Defluit in lymphas mundus cœlestis abysso,
Atque novos pandit fontes, torrentibus æquos.

Dumque uno immixtum raptim se gurgite jungit,
Quod cœlum, quod terra vomit, quod nubila fundunt
Involvit mersos mixtis cultoribus agros,
Implicitosque greges stabulis, cum civibus urbes,
Obruit inter aquas : populique natante ruina,
Nulla manet rerum facies : tegit omnia flumen,
Crescendoque suum perdunt et flumina nomen.
Mox etiam cursu, nullis satiabilis unquam
Amnibus Oceanus, tam magna mole ruentes
Jam præsentit aquas : aucto quas gurgite major
Pellit, et in cumulum redeuntes surgere cogit.
Donec contractis æstum attollente profundo
Undique littoribus summo se circite jungit
Fluctus, et oppressis concurrunt æquora terris.
Et jam ter quinis super omnia celsior ulnis
Arca ferebatur (namque hæc mensura supremos
Excessit montes) cum quadraginta diebus
Unius pluviæ furor, et mors una fuisset.
Ter quinquagenis dehinc solibus aere sudo
Consimilis ponti modus et mensura remansit.
Dum pater omnipotens jamdudum in carcere gentis
Conclusæ miserans, terris abscedere magnum
Paulatim jussit pelagus, sensimque relabi :
Ne raptim fugiens terras subverteret omnes,
Et stabilem in sedem tellus ut sicca mearet.
Denique diffuso planus mox aere vertex
Prodere se cœpit pedetentim, et summa videri
Posse juga, ac planos scopulis descendere fluctus,
Cumque residenti sensim prorumpere silvas
Æquore, et occultos paulatim surgere colles.
Jamque niger patula speculator missus ab arca,
Aera reppererat placidum, prædaque reperta
Non jam curabat consueta in claustra reverti :
Ergo emissa semel vitali e sede columba,
Nil referens certi, rursum dimissa reportat
Paciferæ frugis parvum libamen olivæ.
Tantus ad judicium hoc, magni cum laude parentis
Clausorum fletus, quo se gaudere revelant,
Exoritur : quantus muris cum victor acerbus
Insultat, subitum obsessis si forte feratur
Auxilium : quantus cum judice missa modesto
Addictos rursum vitæ sententia reddit :
Quantus in ambiguum funus cum vita recurrit
Inter lugentum lacrymas et gaudia fletus.
Posteaquam rursum speculatrix arva patere
Nuntiat, hoc ipso terris quod missa receptis
Non rediit, tædet pigras perferre latebras,
A Et juvat ad cœli ventos spirare patentis,
Atque animam æthereo laxatam pascere sensu :
Sed nulli claustro fas est exire patenti,
Donec relliquias illuc qui jusserat orbis
Ingredier, jubeat sacris excedere claustris.
Cœlitus admonitum fida cum conjuge Noe,
Cumque domo, et natis pariter, nuribusque pudicis
Et nova deductis iterum dare rura colonis,
Cunctaque succiduæ servata animantia proli,
Jam captiva diu claustris emittere apertis,
Quæ bonus humanos opifex servarat in usus.
Quæ postquam data porta ruunt, pars aera pennis,
Pars saltus silvasque petunt, pars mersa cavernis
Infoditur patulis, terræ pars libera campis
Exsultat siccis, et prato vernat aperto.
B At vero mundi sortitus regna secundi
Cuncta oculis Noe lustrans, ac mente capaci
Accipiens, animumque volens saturare replendo,
Cuncta haurit, rapido perlustrans omnia visu,
Ut nova miratur : noto fulgentior ortu
Et mage sol rutilus ridet ; majore sereno
Læta poli facies, et desperata virescunt
Fetibus arva novis : sed adhuc versatur imago
Ante oculos, tantæ semper memoranda ruinæ.
Inter aquas quid pertulerint, quid munere sacro
Non etiam tulerint, fremeret cum verbere sævo
Pontus, et illisas contemneret arca procellas.
Cumque suis Noe quam prompta et lata revolvit
Se circum summi fuerit largitio Patris,
Cogit et attonitos mirari ac volvere secum,
C Unde tot esca animis toto suffecerit anno,
Quis potus, namque hoc constat, si cætera vitæ
Suppeterent, clausos, dum fluctuat arca, perire
Inter aquas potuisse siti, nisi rector olympi
Depositos, hominum auxilio donoque carentes,
Sustinuisset eo quo condidit omnia nutu.
Ille animas longæ perituras carcere noctis
Affectu lucis spolians, virtute replevit.
Ille ut tam segnem possint perferre quietem,
Infudit pigri placidum torporis amorem :
Omnipotens quid enim non ejus dextera possit,
Qui gelidi raptim mersos sub gurgitis undas
Cum visum est ardere facit, flammasque sub ipsas
Algere invectos? et qui nunc tempore parvo
Posse perire homines docuit mergentibus undis,
D Ostendet flammis atque undis posse renasci.

LIBER TERTIUS.

Talia mente gerens, venturaque sæcula cernens,
Non prius officii quidquam servatus inire
Constituit quam sacra Deo laudesque rependat,
Gratesque evaso referat discrimine Noe.
Mox niveo sacra exsurgunt altaria saxo,
Agnovitque hæc prima recens altaria mundus.
Antea totus enim, convexo tramite cœli,
Templum mundus erat, tum dudum ad sacra paratis
Affugit e gregibus septenis hostia præceps,
Seu volucrum ex specie, mollis quas sustinet aer ;
Sive ex his quæ terra parit ; nam septima quæque
Aris sternuntur devota animalia sacris.
Æthereo tum mox ignis demissus olympo
Libat odoratos ad sacra altaria fetus,
Ambrosiumque Deo flagrant holocausta vaporem.
Et quanquam nostri nil muneris indiget, ille
Totius mundi Dominusque Deusque, suorum
Attamen officiis venerari et munere gaudet.
Qui lymphis tandem sic Noe affatur ademptis.
Et si parva fuit, tanto pro crimine, pœnæ

Ultio, vindicibus pluviis, cœloque refuso
Tot scelerum damnasse reos, sedemque nocentem
Terrarum, mage diffuso purgasse profundo:
Non tamen offensi, feriemus verbere tali
Ulterius mortale genus: quamvis ruituras
Per varium facinus, per crimina pristina rursus
Humanas mentes videam, gentesque profanas,
Non tamen interea cessabit dextera vindex,
Supplicia injustis quæ reddat, præmia justis.
Vos igitur, quos vita probat justissima nobis,
Crescite, securi et fecunda prole referte
Arva, nosque [*F.* novosque] greges longis distendite [terris.
Servabunt elementa vices, cunctisque diebus
Sparsis seminibus reddetur debita messis.
Curret opus mundi compar, discordibus horis:
Æstati certabit hiems, ac tempora librans
Veris et autumni fugiens replicabitur annus.
Vosque (quibus regnum solidi permisimus orbis)
Tota tremet, metuetque ampli substantia mundi,
Imperium ecce damus vobis res prorsus in omnes,
Totque inter species rerum: quæ sponte moventur
Carnea membra quidem vestros largimur in usus,
Quanquam interdum vobis a sanguine vivis
Esse volo: quem si quisquam ederit, haud secus acris
Illum judicii plectet sententia, quam si
Hauserit humana fluidum de cæde cruorem:
Quem repetam semper vindex, adeoque requiram,
Ut mihi non solus pendat rationis abundans
Supplicium, sed bruta etiam: cruor omnibus æque
Sit sacer humanus. Verum ne postea quisquam
Diluvium metuat, tali sit fœdere tutus.
Cum levis in nebulas pendens se verterit humor,
Et nigras cumularit aquas in concava nubes,
Effundam radios, et pulchrum circite summo
Arcum componet mihi solis imago recurvum,
Pingentem convexa poli, qui luce colores
Exhibeat varios, et in aera dissipet imbres,
Ignis plus habeat rutilans, et jam minus imbris:
Quod sibi venturi specimen præsumere signi
Posteritas secura potest, ut fœdere tali
Post hæc diluvium credat non esse timendum.
Talibus attenti imperiis cum conjuge Noe,
Post habitas Domino grates, laudesque repensas,
Certatim et limo dulcique uligine læta
Arva pater natique simul, quis firmius ævum,
Mox subigunt rastris, et semine rura maritant.
Tum vere effusis late densissima campis
Herba virens, flavas cum duravisset aristas,
Solis ob ardores in frugum lacte gelato
Reddit multiplicem cumulato fœnore messem:
Et nova prægravido jam palmite vinea dulci
Luxuriat fructu, totaque ex arbore nectar
Parturit, et duro nascentia pocula ligno.
Forte Deo Noe celebrabat lætus honores,
Indulgens sacris epulis, vinumque propinans
Prima e vite novum: quo demum largius hausto,
Hinc alto gravidus somno, membrisque solutis,
Non bene composita cum veste jaceret, humique
A Prostratus, spectanda daret genitalia natis
Membra suis, uni tibi Cham teterrime risum
Movit origo tui, nec jam peccasse sat uni
Esse tibi credens, fratres aspergine culpæ
Contendis maculare tuæ: sententia multo
Quos melior, meliorque animus, detecta parentis
Objecta docuit celare virilia palla:
Nam patrium aversis manibus texere pudorem:
Sed simul atque Japhet, tali dignissima patre
Pignora, quos ideo fratris dedit esse minoris
Jure pater dominos, somno vinoque solutus.
Qui mox natorum evigilans benefacta suorum,
Et Cham demeritum tali mercede rependit.
Cham tu, inquit, maledictus eris, servusque tuorum
Æternum fies ventura in sæcula fratrum.
B Sem vero benedictus erit, fratremque minorem
Participem secum communi sede bonorum
Efficiet, quorum late possessio currat.
Hæc fatus senior, cum jam decurreret annos
Mille minus decies quinos, in pace quievit.
Interea Domini dum sancta in lege vigeret
Posteritas, multis jamque aucta nepotibus, et se
Cœlorum ac terræ Domino committeret uni:
Tunc sanctis hominum parebant omnia jussis,
Terra gravis, liquidum pelagus, vegetabilis aer,
Non opus arte illis, cœlesti namque magistro
Omnia discebant. Sed postquam in crimina mundus
Exiit, et late vitiis sese abdidit imis,
Perdidit insigne hoc munus damnata propago,
Oblitamque Dei plures effingere divos
C Non puduit: tanti est supremi oblivio Patris.
Tum gravis inventor lethi cessare capacem
Fraudis materiam non passus, cuncta maligno
Subdidit arbitrio, quo fatum induceret orbi,
Suaderetque Deum vel jam non esse, vel ista
Inferiora hujus contemnere munia mundi.
Ergo res hominum cunctas, eventaque rerum
Quæ Domino fuerat par assignare supremo:
Assignare vagis persuasit subdolus astris,
Atque avium spectare fibras, motusque volantum,
Et studio ingenti magicæ scelus intulit artis,
Et plures orare deos, idolaque muta
Aut magis idolis latitantem semet, in ipsis
Suasit adorari, multo mage dignus aduri.
Inque nefanda prior descendit crimina Nimroth,
D Impietatis apex Cham servo e semine natus,
Mole et mente gigas, Babylonia regna gubernans;
Persarum hic animos capiens, venator iniquus,
A veris Domini sacris traduxit ad ignem.
Nec modo plus æquo cupidis, hac arte sagaci
Ille caput scelerum, mundi infensissimus hostis,
Illusit curis hominum, sed mentibus ipsis
Irruit, et sensus penitus descendit in omnes,
Mox et in affectus: nam cum patris unica proles
Spem generis letho secum traxisset acerbo,
Infelix Nimroth, lacrymas noctesque diesque
Continuans, hebetique trahens plangore querelas,
Dum furit, et raptum quærit per singula natum,
Effecta mœstum solatur imagine luctum,
Et Pario effectam filii de marmore formam

Credidit infelix incluso vivere sensu,
Et questus audire suos. Mox inde dicatis
Erectisque aris divinos addit honores,
Inque loco jubet esse Dei, tum protinus omnes
Amplexæ gentes scelus hoc, crimenque secutæ,
Pro diis quæque suis caros habuere parentes,
Post etiam simili reges in honore locarunt,
Dixeruntque deos : quorum sub nomine mendax
Græcia, dum veris falsa insinuare laborat,
Addidit obscuras vanis rationibus umbras,
Excusans tumulos atque indita nomina bustis :
Donec per species sese dementia cunctas
Proderet, et rebus minimis membrisque pudendis
Nomen inane Dei, mundo ridente, daretur.
Talibus errorum salebris fomenta daturus,
Ambigua inventor lethi responsa ciebat :
Usus ad insidias aut igni, aut fonte calenti,
Aut terra ex antris ventos spirante loquaces,
Et falsum vani sibi nomen Apollinis indens.
Talibus a Domino gentes trux ille remotas
Captabat laqueis quo ducens cunque volebat :
Tanti est a sancto Domini discedere cultu.

At vero egressi unde sumus, redeamus ad illam
Majorum seriem, quæ paucos aucta per annos,
Usque adeo excrevit, quod mox Oriente relicto,
Inde novas alibi compulsi quærere sedes,
In campum (Sennaar veteres dixere) patentem
Perveniunt : cumque his etiam discedere terris
Cogitur in varias partes spargenda juventus,
Cœpit in hæc mœstas tristissima verba querelas :
Heu ! quam non certus vitæ status ordine cœpto
Fert homines ! quamque ignaros vel prospera fal-
[lunt
Per varios casus! quam voti summa petiti
Tendit in adversum ! jam nos (si dicere fas est)
Quod sperata patrum precibus numerosa nepotum
Crevit turba, piget : spargenda est quippe per orbem
Exsilio cumulata manus, perituraque longe
Finibus a patriis : nos ergo siccine tandem
Longa pauperie defecta, inhonoraque membra
Ignotis dabimus passim tumulanda sepulcris?
Nec saltem miseri tumulis claudemur avitis ?
Nullaque erit nostri post mortem fama superstes !
Quare agite, o juvenes, dum vires turba ministrat,
Quæ vobis superest, quæ finem nesciat ullum,
Egregiam æternis famam dimittite factis.
Urbem condamus, cujus sub mœnia turrem
Usque attollamus, donec pingentia cœlum
Sidera et excelsi convexa attingat olympi,
Nescia posteritas ut nos hinc orbe relicto
In cœlum migrasse putet. Sic mota juventus
Contemnit cautes, et quidquid monte reciso
Defluit, ac domitæ fictos de viscere terræ
Constringunt igni lateres, operisque futuri
Materiam proprio malunt debere labori :
Hanc inter stratum sic nectit utrimque bitumen,
Ut solidas simulent circumdata mœnia cautes.
Mox turris properata subit, mox vertice nubes
Transilit, ac fruitur cœli propiore sereno.

Tum Pater Omnipotens cœlesti voce senatum
A Congregat angelicum, turbæ insana superbæ
Facta stupens, isthæc regni consortibus infit :
En terrena phalanx quo jam temeraria pergat
Cernitis, et quantos imprudens tendit in ausus.
Mortali quæ structa manu contingere celsos
Credit posse polos, et ad æthera ducere nostrum,
Cum nemo indutus terreno corpore, cœlum
Ascendat, nisi qui cœlo descenderit alto.
Sed quia gens una est, eadem quoque forma lo-
[quendi,
In componenda persistent turre, nec ante
Desistent quam mutua opus consensio cœptum
Finierit : tanta est humanæ insania mentis.
Ergo agite (ut vetitum norint quod posse negatum
[est)
B Jam descendamus, tumefactaque corda superbo
Consensu varii turbemus vocibus oris,
Ut quod peccarunt concordis crimine mentis,
Confusæ damnet melior discordia linguæ.

Dixit, et intentos operi, molemque levantes
Mentibus attonitis, subjecta oblivio primum
Intrat, et ignotæ subit imperfectio linguæ.
Increpitant operis studio cessante magistri
Cunctantes socios, sed vocem nemo remittit
Non intellectis : quod si quis tentat, inane
Sibilat, aut rupti fremitu sermonis anhelat.
Si vanum prava susceptum mente laborem
Destituit frustrata manus, jam nemo propinquum,
Nemo patrem sequitur, quem quisque intelligit,
[addit
C Agglomeratque sibi, sociumque adjungere curat.
Dumque perit divisa hujus cognatio gentis,
Gentem lingua facit : sparguntur classibus æquis,
Diductasque petunt vario sub sidere terras.
Haud aliter volucres campi per mollia plana,
Quas gregibus mixtis errare et quærere victum
Persuasit secura dies, cum nocte propinqua
Frondea tecta petunt, exempto cum grege turba
Vulgus quæque suum sequitur, rabidoque volatu
Miscentur, similis qua duxerit aut color aut vox :
Sic tunc in partes populus se dissecat unus,
Et species fit quæque genus, longeque remotis
Considunt terris, atque orbem gentibus implent.
Nec tamen hoc sacri (cum sit sua pœna nocentum)
Muneris est vacuum : nam quamvis ultio justa
D Hæc fuerit, quos non tetigit reverentia cœli,
Quæ sedes propria est mundi, rerumque parentis,
Ut nec se agnoscant, verba inconsueta loquentes ;
Attamen id multum quod rupto hoc fœdere cautum
[est,
Ne, quam paucorum attulerat persuasio culpam,
Cunctorum assensu rursus contingeret omnes,
Et faceret commune nefas : ne prælia dura,
Et rabido populis mors arcessenda furore
Bellum illis civile foret : sic profuit illis,
Inque bonum versa est primæ distractio linguæ,
Quanquam nec prorsum sublata Ebræa loquendi
Consuetudo fuit : cum tunc permanserit oris
Ebræi sonitus, sermoque antiquus, in illis
Qui culpæ expertes. Pars non injusta fuerunt

Natorum quos Sem genuit, custodia justi
Quos tenuit, Dominique etiam reverentia rexit.
Sed postquam toto dementia percita mundo,
(Ut taceam magici scelus intestabile monstri)
In truncos et saxa etiam durique metalli
Arte cavas species, et cassas luce figuras,
Impegit mortale genus, mentesque supernis
Intentas fregit, terræque adduxit inerti,
Convolvitque simul fœdæ contagio labis,
Non secus Æthiopum ferventibus excita terris
Nubila morborum, corrupto tramite cœli
Dum currunt, quisquis percussum fulmine lethi
Ingemuit, simul ipse ruit, quicunque cadentem
Conspexit, cecidit, congestaque funera passim
Dira lues stravit, camposque reliquit inanes:
Sic tunc præcipiti complexos mole furoris,
Ne nihil infectum toto dimitteret orbe,
Comprendit repetens, quos jam dimiserat error.
Donec Chaldæi generis, de semine Thare,
Vir justus, metuensque Dei, cum stirpe suorum
Urbem aliam, moresque novos, sedemque requirens,
Mansit in Assyriis demum novus accola Carrhis.
Qui quadragenis lustris ubi vixit, et uno,
Infaustam hanc vitam felici morte redemit.
Huic, meritis parem, et sanctis virtutibus æquans
Aut longe superans, successit filius Abram,
Vir cœlo dignus, nam primo a limine vitæ,
Verum mente Deum venerans, gentilia semper
Aversatus erat, quem postquam morte parentis
Jussa sequi jam posse Dei, sine fraude liquebat,
Ilis Dominus famulum meritis dignatus adire est.
Quandoquidem toto te solum invenimus orbe
Quem sincera fides juvat et reverentia nostri:
Linque procul sedes patrias, terramque nocentem,
Pollutamque domum: cognatio tota profana est,
Et fugienda tibi; terræ melioris in agros
Me duce pervenies: ne sis pars gentis iniquæ,
Qui sanctæ caput esse potes, tum sacra dicabo
Quæ maneant, benedicte, tibi, nomenque per omnes
Magnificum reddam populos, bona cuncta rependens,
Et benedictus erit, tibi qui benedixerit, atqui,
Qui maledicta tibi conviciaque ingeret, ille
Confestim maledictus erit; benedictio per te
Spargetur tribubus cunctis, ævoque futuro.
Dixit, et imperiis mentem quæ pareat indit,
Promissisque piis credat. Mora nulla repente
Dicto intercedit Domini, sed protinus Abram
Cum gregibus varii generis, famulisque paternis,
Conjuge cum fida, cari cum pignore fratris,
(Cui Loth nomen erat) digressus, limite recto
Ignotum sibi carpit iter: mollissima lætas
Præbent arva vias, blandumque faventibus austris
Arridens, nullis turbatur motibus aer,
In Chanaam terras et regna uberrima Sichem
Donec perveniens, didicit sobolique sibique
Isthæc in sortem imperii cessura futuri.
Unde Deo supplex devotas exstruit aras,
Et veteres revocans, cultor novus, auget honores.
Inde petit Bethelem, sedes quæ lecta beati
A Hospitiis sacrata viri, cunctasque superbis
Excessit meritis terras, quandoque secundo
Post cœlum numeranda loco, nam sede superna
Dignior ista Dei, quæ pignus lege salutis
Emissum mundo tantum mirante paratum
Exciperet visa est, hominemque remitteret astris.
Hic quoque solemnes Abram pater exstruit aras,
Et linquenda novis habitacula ponit in arvis.
Namque fame rursum sedes mutare coactus
Castra movet, totamque domum, famulosque gregesque
Secum agit, et rebus commercia justa rependens
Intrat in Ægyptum, et Sarai appellare sororem
Mavult quam uxorem, ne barbara pectora sancti
Hospitis in cædem stimulet furiosa libido.
Unde et mox Pharao radiantis imagine formæ
B Ictus inardescit, thalamosque et fœdera certa
Lege parat, longos isthæc connubia in annos
Ducturus, ni longe aliter disponeret ille
Auctor conjugii, cui cum minus ista placerent,
Ecce pavor regi mersa formidine mixtus
Ingruit, et subito quatit improba corda tumultu,
Exterretque animos niger horror, et implicat artus:
Ut rex sacrilegæ gentis tam tristia vota
Sentiret damnasse Deum, qui tale profecto
Consilium infudit famulis, ut barbarus hostis
Esse virum Sarai securum agnosceret Abram:
Cum foret expertus quam non impune profano
Appeteret ferro quem nec viduare liceret.
Sponte igitur, nulla violatam labe, marito
Reddit, et ingenti cumulatum fruge remittit
C In Sichem, Bethelemque suam: quo deinde recepti
Cum gregibusque domoque pater, cum conjuge salva,
Exercent campos, et pinguia pascua late
Immixtis carpunt gregibus. Dum jurgia crebra
Inter pastores patrui nata atque nepotis,
Dum non sufficerent capiendis arva duorum
Armentis angusta nimis, plenissimus ergo
Abram justitiæ atque observantissimus æqui,
Quo dirimat lites, et jurgia tollat avara,
Ut natu major, concessos dividit agros:
Junior elegit, qua dulcibus undique fusis
Rura maritat aquis, ripisque umbrantibus inter
Labitur et teretes saltus Jordanis amœnat.
Ergo quo fugiat pastorum jurgia, ab Abram
Declinans, junctos Sodomæ Loth migrat in agros.
D Cum Deus hac Abram mœsti spe pectora firmans:
Ne movearis, ait, fratris quod prole relicta
Nunc solus videare tibi; innumerabile vulgus
Tu mihi solus eris, populique idem auctor amici.
Suspice quadrifidi partes intentus ad orbis,
Inspice nunc austrum versus, septemquetriones,
Qua sol exoritur, qua vespere concidit imo:
Hæc tibimet, prolique tuæ, populisque tuorum
Concedam, æternos illis habitanda per annos,
Quis tu etiam terris longe lateque fruaris.
Surge, et qua pateant gressu prius hospite lustra.
Hæc ait: ille libens paret, sedemque relinquens
Emigrat, Chebronque subit, sub ilice nigra
Ad Mambre querceta pater tentoria figit.
Hic quoque solemnes Domino struit, ut colat, aras.

Interea magno circum turbante tumultu
Hostis adest avidus, varia quem dote referta
Sollicitat tellus, campis illisa resultat
Ungula, et effusis errat populator habenis,
Adversum Sodomæ pinguissima pascua gentis.
Loth vero portis cum rege erumpit apertis,
Et vicina manus regum socia arma ferentum,
Secum equites peditesque trahunt: distenditur agmen,
Confligunt acies pariter, sternuntque caduntque.
Sed turpis Sodomæ luxu emollita juventus,
Ut rursum exarsit repetitus clamor in iras,
Vertunt terga metu: rapido pars mœnia cursu,
Pars montes silvasque petunt, pars septa catervis
Porrigit ignavas ad tristia vincula palmas.
Ut vero patruus captum Loth audiit Abram,
Non fletu, (quid enim fletus conferret inanis?)
Sed virtute parat fratri succurrere capto.
Instructos igitur tercentum deligit omni
De grege, bisque novem famulos, quos ante præeuntes
Insequitur sensim, qua tendere prodidit hostem
Lentum præda gravis: quorum de nocte silenti
Corpora (conflictu dum jam languentia duro
Irrigat, et fessos dulcis sopor alligat artus)
Aggreditur, nil venturum sibi tale putantum:
Ut cum jejuni rabies vasana leonis,
In pecudum saltu penetravit septa voluceri,
Et dente atque pede exanimat, cupidamque vorandi
Ira famem superat, dum meta doloris acerbi
Jamque ovibus vacuas effecerit ultima caulas.
Haud secus ille duces somno vinoque sepultos
Sternentesque Abram populos, regesque trucidat,
Sic tamen ut nullus confundat castra tumultus.
Nemo gradum sentit, nisi quem mens deficit et vox,
Nemo sonum cædis, nisi quem mors excitat, audit:
Sanguine cuncta madent: sicco resoluta sereno
Tellus tabe coit, gressumque morante cruore
Lubrica stagnanti titubant vestigia campo.
Nec tamen omne animans gladiis occumbit apertis,
Servantur prædæ: tanta est moderatio justi
Victoris, reliquos sparsit fuga turpis, et agros
Usque Damascenos instans formido secuta est.
At victor tanti nil motus laude triumphi,
Inter equos, pecudumque greges, populumque receptum,
Aut captum, gazasque (avido quæ pondere victos
Victoresque movent) nil prorsus concupit horum
Magnificus: sed enim tanta inter gaudia mitis,
Et varios hominum reputat sub pectore casus,
Omnes omnino prædas, et præmia belli
Direptis passim populis, regique reservat:
Non sibi se pugnasse docens, decimam tamen offert
Hostibus excussæ, quæ vera est hostia, prædæ
Melchisedech, vinumque et panem ab cæde reverso
Obtulerat, rex ille Salem, qui munere tali
Mystica præmisit summi libamina Christi:
Cujus de manibus sumens Ecclesia corpus
Vivificum panem, cœlesti pota cruore est.
At vero hostili redeuntem e funere lassum
Omnipotens verbis solatur talibus Abram.

A Quandoquidem nullis cupidum te præda subegit
Illecebris, pretium fidei, mercesque laborum
Mecum plena tibi est, teque et tua cuncta tuebor
Hæredi servanda tuo, quem germine sero
Progenitum, mage multo etiam pius auctor amabis.
Nil est quod metuas: hæres tuus ille Damascus
Ut fuat, ipse tuo cernes de semine natum,
Accendat cujus patrios infantia sensus.
Suspice connexum quam denso lumine cœlum
Picta nocte micat, quantis congesta premantur
Sidera sideribus, numerum quæ objecta recusent:
Seminis hoc exemplar habes, stirpisque futuræ
Multiplicis formam. Sic fatus, finit: at ille
Credidit, et nudæ fidei consensio sola
Plenam ad justitiæ et meriti reputata coronam est.
B Atque adeo hinc Abram tanta mercede docemur,
Quanti sit meriti divina credere Verbo.
Demeriti contra quanti non credere: namque ut
Credidit, hac rursum divina voce meretur
Solari, Omnipotens dum verbis incipit istis:
Ille ego sum Deus ac Dominus, qui teque tuosque
Chaldæa de gente tuli, tandemque paternis
Exceptum vitiis, terra meliore locavi,
Ut de te genitus populus meus arva beata
Incolat, et seriem longe lateque propaget,
Gentibus expulsis, quas fœdo errore parentum
Sacrilegos ritus olim fecere profani.
Quod cunctabundus nimium quia credere differs,
Trimam sume mihi torva jam fronte juvencam,
Cum qua par annis blando grege lecta capella,
C Æquævusque aries nostro mactetur honori,
Casta quoque humanæ turtur conjuncta columbæ.
At vero volucrum non sentiat hostia ferrum,
Tantum inter medias pecudes discindere cura,
Quas sic diductas mundis distinguito arenis,
Ut membris coeant altrinsecus æmula membra.
Dixit, at ille Dei monitus servare libenter
Assuetus, raptim properat mandata patrare:
Sed cum dispositam, quo jusserat ordine, terræ
Stravisset seriem, subito manus ingruit atra
Importunarum prædam insectata volucrum,
Quæ ne contactu violarent sacra profano,
Undique sollicitus cavet, et circumspicit Abram.
Sed cum opere attonitum tanto, nec sole cadente,
Vinceret officii moles tam magna recepti,
D Ecce niger terror, tremor horridus, et sopor intrat
Nuntia jussa ferens, venturaque sæcula formans.
Credo, videbatur septum sibi cernere Nilum
Ebrææ gentis populo, serosque nepotes,
Ingentesque supra numerum cognoscere turbas:
Inde truces motus, deductaque castra suorum,
Transmissum pelagus sicco pede, mersa profundo
Agmina, naufragium nulla cum classe secutum,
Ereptosque mari Ebræos, dehinc tota beatæ
Regna Palæstinæ populo patuisse reverso.
Talibus attonito visis non defuit almus
Interpres: Prænosce tuos, sobolemque tuorum,
Inquit, in externis per sæcula quattuor agris
Niliaci illius sensuram dira tyranni
Imperia; at cum tot peregrina expleverit annos,

Servitio eripiam, gentemque ulciscar iniquam,
Et reddam terris, blando quas gurgite cingunt
Nilus et Euphrates. Sed cum peccata nocentum
Gentis Amorrhææ populique hæc regna tenentis
Explerint summam scelerum, dignique paternis
Sedibus expelli fuerint, attamen ante
Longævo felix decedens limite vitæ,
Ploratas natis cum pace et munere nostro
Ad sanctos migrabit avos. Sic fatus, et alto
Cum jam nox terris densas induceret umbras,
Signum e monte dedit: confestim fumeus istic
Apparet clibanus, lampasque ignita videtur;
Tum sacras epulas, mediumque invecta paratum,
Præcipiti cursu delibans flamma voravit.
Interea certus regni, prolisque futuræ,
Munus adire patris cupit Abram: casta sed uxor
Abnuit officium, quod inanem effeta senectus
Jamque uterum sibi fecisset; sed dulce mariti
Pignus spemque novam quacunque ex pellice fusam
Esse suam credens, famulam (cui junior ætas,
Agar nomen erat, tellus Nilotica origo)
Subrogat in thalamos, precibusque aggressa maritum
Servili semen concredere perpulit alvo.
Proh servile nefas! ut primum vivere sensit
Agar ventris onus, fastu tumefacta superbo,
Despexit dominam, et dominam cui matris amorem
Debebat causamque, sui furiosa tumoris.
Recte igitur flagris hanc vir justissimus Abram
Conjugis addixit: quorum magis acta pudore,
In deserta procul secretaque lustra ferarum
Abditur indignans, quam exsul nec spernere cessat.
Sed rursum obsequio privans quod debuit illam
Contemnit quo more potest, mavultque pericla
Desertæ perferre viæ: ni missus olympo
Angelus occurrat, famulamque ad pristina rura
Restituat miti dominæ, blandoque refectam
Hortatu melius jubeat sperare reversam,
Et nomen nati doceat, moresque manusque,
Innumerosque greges tali de stirpe futuros.
Quo majore redit voto jam certa futuri,
Et partu dominum fecit prior ipsa Parentem.
Cum jam decursi spatiis felicibus ævi
Supra octoginta bis ternos clauderet annos,
Ad hos bissenas cum justus et insuper unam
Adderet æstates, solito hunc rursum Pater almus
Alloquio dignatus adit, jussitque senectam
Ducere felicem, simul et promissa revolvit,
Et cum mercedem exspectet, tum corpore prono
Abram suppliciter Dominum prostratus adorat.
A quo mox audit firmata voce futurum
Se patrem innumeræ gentis, lateque patentis,
Et cujus veniant etiam de semine reges.
Hoc tamen a reliquis jussus discernere signo
Ebræam gentem populis, ut sponte resecta
Carne supervacua se circumcidat, et omnem
Masculei sexus præsentemque atque futuram
Progeniem, jussus pueros a matre recentes,
Atque rudes vitæ, dum mens ignara dolendi est,
Præputio exutos, octava luce sacrare.
A Quod qui tam sanctum corrumpere testamentum
Auderet, cessans legi inservire rogatæ,
Exhæres fieret regni vitæque futuræ.
At simul ut vero sibi crederet argumento,
Venturas aliquando suo de semine gentes
Innumeras, nomen Dominus commutat utrique:
Non Sarai tibi, ait, sed Sarra vocabitur uxor;
Et tu non Abram, sed nomine clarior aucto
Venturæ Abraham post hæc vocitabere genti.
Quod commune ideo tibimet cum conjuge vera est,
Promissi quoniam (nihil est re certius ista)
Mater erit generis, teque annum sole remenso
Esse patrem faciet, quamvis ridenda putetis
Virtutis promissa meæ, nec vestra senectus
Impediet quin divini sententia juris
B Æternos semper maneat stabilita per annos.
Sed tamen ignoscam dubiis, pueroque futuro
Imponam nomen, quod culpam hanc arguat, Isac:
Qui nostri indubie servato fœdere pacti
Hæres certus erit, cuncta cum stirpe suorum.
Nec tamen Ismael, Agar de semine natus,
Expers dotis erit, nostro nam munere fultus
Millia multa virum de se ventura potentum,
Bissenis pariter ducibus regnanda creabit.
Dixit: at ille avidus pactum accelerare receptum
Jam centum pulsans annos jam pubere nato,
Se primum gnatumque suum, cunctosque clientes
Ac famulos omnes, quo jussum est, stigmate signat,
Et populum facit esse novum, fontemque piorum,
Una eademque via, tanta est devotio legem
C Accipiens, explensque fidem. Quid non meret ergo
Tam præsens veloxque fides? nam non timor istud,
Sed sincerus amor, famulique probatio justi est,
Quodlibet imperium placida sic mente subire.
Unde Deum sibi promeruit: nempe antea tantum
Audiri solitus, meritum post tale ministri
Jam patitur cerni, cumque indignatio justa
Ultorem stimulet, mortales non tamen ille
Respuit aspectus; nam cum damnare pararet
Crimina terrarum flammisque abolere nocentes:
Aut verum, aut qualem norat se posse videri,
Et nomen numerumque Abraham prodidit ipsi.
Illi namque domi Mambre in convalle sedenti,
Tres subito apparent angusta luce micantes.
Abraham tanti stimulatus imagine visus,
D Procurrit, Dominumque solo prostratus adorat,
Tresque etiam supplex forma veneratur in una:
Quis ut mente pia liceat servire, precatur,
Et refici, in medios æstus tendentibus horis,
Non dedignentur famuli mensisque cibisque.
Usque adeo visus inter sensusque vigentes,
Errabat dubitans, hominis substantia an esset,
Quem norat mens esse Deum: tamen annuit ille,
Officiumque pii non aspernatus alumni,
Oblatosque cibos, mensasque sacravit amicas.
Ut vero, ablatis epulis mensisque remotis,
Hospitibus visum est illinc discedere, tum mox
Inde movens gressus, lateri comes hæret euntum
Hospes ovans, tristique quatit concussa pavore
Pectora, et attonitum venerabilis attrahit horror.

Quippe videt vultus tacitos, visusque severos
In Sodomam Dominum juncta vibrasse Gomorrha,
Pacis et emissos famulos, iræque ministros.
Et cum cognosset tanta quid mole pararet,
Arcanum pandente Deo, causamque docente,
Ultro audet Dominum scrutari an perderet urbem,
Errantis populi per crimina cuncta nocentem,
Si quinquaginta morum probitate piorum
Spectatos aleret. Cumque ipsi diceret: Illis,
Si numerum talem invenio, mihi parcere certum est:
Quid si quinque minus fuerint? tum subdidit. Et, quid
Si quadraginta soli? quid si minus illo
Forte decem numero? quid si bis quinque dabuntur
Innocui? num et tu urbi, Deus optime, parces?
Cumque etiam numero se velle ignoscere tali
Dixisset, famulumque in medio sermone reliquit,
Tendentem ulterius, seque in sua regna recepit.
Dimissi interea cives e sede superna
Angelici, in Sodomæ terras, Loth forte sedentem
Ante fores urbis, jam terris sole propinquo,
Inveniunt: qui cum miro splendore videret
Angelicos radiare viros, descendere summo
E cœlo ratus, in terram prostratus adorat;
Invitatque domum, noctemque avertere tecto
Evincit precibus, simul et convivere suadet,
Innocuosque cibos et pocula parca ministrat.
Dumque epulis sumptis somno indulgere pararent,
Ecce sub occasum lucis, noctisque recursum,
Fœda manus vulgi, si fas dixisse, virilis
Prosilit et juvenum. Insanis puerique senesque
Ignibus uruntur, Lothque ut sibi tradat abuti
Hospitibus cogunt; quid non vesana libido
Ausit? At ille volens populi mollire furorem
Insani, natas, quibus illibata manebat
Virginitas, offert, quoscunque optarit in usus.
Ast effrena cohors, in deteriora profundi
Lapsa mali, vitio sese immiscere minori
Vile putat, nisi se summis etiam implicet; ergo,
Infandum ut patret facinus, Loth opprimit, et jam
Vi majore agitant quam quæ virtute repelli
Humana valeat: cum protinus hospes uterque
Angelicas nudant mentito corpore vires,
A populoque senem cæcata mente furente
Loth retrahunt, inque ipsa domus secreta receptum
Perdenda hortantur confestim abscedere terra.
Qui sint, quid veniant, et quæ præcepta ferentes
Mox explere velint, nil jam sermone patenti
Dissimulant: et ab hac se clade evadere salvum
Posse, domumque suam dicunt, generosque suosque
Colligere affines, et secum abducere mandant.
Ast illos simili cum vulgo crimine tactos
Involvit similis sententia, sana monenti
Credere dum nolunt; quanquam quod credere nolunt
Non est ut multum mirere, abscedere cum Loth
Id quoque ridiculum quod consuluere putaret:
Quem lentum, pigrasque moras sine fine trahentem,
A Hospes uterque videns, manibus cum conjuge raptum,
Virginibusque suis procul extra mœnia ducit,
Et celerare jubet, montesque evadere in altos.
Tali lege data: nec cœlesti igne flagrantes
Post se respiciat quisquam male cautus in urbes.
Loth vero metuens, montes ne tardius altos
Aggressum velox cœli præverteret ira,
Ipse Segor lacrymis petiit, secura recessus
Antra sui, lacrymas autem non sensit inanes,
Concessumque sibi donum speciale salutis
Pluribus impertit, meritumque e munere fecit.
Et jam non solitas raptim obducentia cœlum,
A patria virtute Deo miscente, coacta
Nubila densarant nebulas, sed quas rotat Ætna,
B Quas vomit Inarime, atque Aponus ferventibus undis
Exhalat, quas vicino concussa Vesevo
Eructat tellus, Lyciæ quas sæva Chimæræ
Ora sinu vasto trinæ fornacis anhelat:
Et quocunque loco fallentia sulfura velox
Spiritus inflammans, angusto tramite fusus,
Effluit in lucem rupta tellure vaporans.
Non quod non possit pluvias quoque vertere in ignes,
Totum de nihilo potuit qui condere mundum;
Sed majore bonus judex damnare paratu
Mavult quos miserans urbis morumque ruinæ
Punit in exemplum: mox durum elementa minantur,
Concurruntque undante globo, stipataque flatu
Quæque suo, coeunt flammarum pabula in unum
C Corpus, et infandas terras urbesque nocentes
Sulfurei testudo tegit curvata metalli;
Quam citus et vires angusto tramite sumens,
Spiritus incussam, tanto crepitare fragore
Compulit, et crebro tonitrus agitante corusco
Consternare animos, quotquot spectacula cernunt
Talia. Quin etiam Loth, heu! miserabilis uxor,
Seu tanto stupefacta metu, seu stultà cupido
Illa fuit vetitum contra consurgere pactum,
Femineis innata animis, quæ denique cunque
Causa fuit: Sodomam inspectans se ponte ruentem,
Confestim pœnas violata lege subivit,
In statuam conversa salis, spoliataque luce,
Sic animam infelix cum corpore perdidit omni,
Ut nullum exstaret forma remanente cadaver.
D Ocior inde Segor, luctum prohibente timore,
Horrificoque malo stupidus, mox ingreditur Loth.
Tum sol exoritur toto ferventior igne,
Irarum fulgore micans, radiosque severos
Dirigit in Sodomam: qui postquam lumina flammis
Involvere suis, resolutaque sulfura nexos
Secum præcipitant ignes, siccoque liquore
Dispensata suis stillant incendia tædis.
Fulmineus denso præceps cadit aere nimbus,
Involvitque urbes, et totis sævit in agris,
Ac mixto stridore tonat, vincitque querelas
Flammea tempestas; quæ postquam pabula terris
Repperit incensis, ipsisque insedit arenis.
Erigit immensam conjuncto fomite metam
Ignis, et a terris redeunt in sidera flammæ,

In cineres donec cautes tellusque resultans
Transeat, ac penitus mersæ solvantur arenæ,
Depressisque cavos consumpto cespite campis
Pandunt arva sinus, venisque effusus apertis
Consocians vires qui terras strinxerat humor
Privatum gignit pelagus, quidnam esse putemus,
Quod raptim lacus est, mera virtute refertus,
Qui fuit ante rogus? sic omnipotentia summi
Judicis in gelidas ignem convertere lymphas,
A Ac rursum lymphas ardentem possit in ignem.
Nec tamen hic occulta vacant mysteria, nam quod
Undæ hic sunt, ubi flamma fuit, quod flammea missis
Desuper exstinxit lymphis; fortasse notabat
Luxuriæ calidos ignes, fomentaque primi
Peccato contracta patris, cœlestibus undis
Exstinctum quandoque iri: proque ignibus acris
Justitiæ, quibus illa olim lex dura vigebat,
Salvificis purgatum iri, et lustralibus undis.

CLAUDII MARII VICTORIS

DE PERVERSIS SUÆ ÆTATIS MORIBUS EPISTOLA

AD SALMONEM ABBATEM.

Si Domini templum supplex orator adisti,
Imo et custodem templi, populique magistrum,
Quod tu isthic homines, tot Christi altaria cernis;
Sed si collatis juvat indulgere loquelis,
Hic habitat tuus ille hospes, mea viscera Thesbon,
Cui fratrum ad requiem frondosæ vitis in antro
Herbida cespitibus sunt structa sedilia vivis.
Dic igitur, Salmon, quæ rerum nunc tibi sors est?
Quis patriæ status est? quid te delectat in illa?
Namque agris, opibusque hominum, terræque colonis
Nunc primum illæsæ turbato fœdere vitæ
Barbarus incumbit: nec longæ ad sæcula vitæ,
Constructæ prosunt solido de marmore villæ,
Absumptæque omnes vana in proscenia rupes.
At vero interior pestis, bellumque profundum
Olim nos densa telorum nube fatigat;
Sævior et tanto, quanto est occultior hostis:
Et tamen (heu) si quid vastavit Sarmata, si quid
Vandalus incendit, veloxque abducit Alanus,
Ambiguis spebus licet et conatibus ægris,
Conamur quandam in speciem reparare priorum.
Illa autem nostro quæ sunt amissa periclo
Negligimus, longoque situ squallescere mentis
Ignavi patimur, subjectaque colla catenis
Dedimus, et manicis peccati præda ligamur.
Et prius est vitem purgare, abscindere sentes,
Ostia convulsa ac fractam renovare fenestram,
Quam latos campos animæ, et præcordia cordis
Excolere, et captæ collapsum mentis honorem.
Nil hostis, nil dira fames, nil denique morbi
Egerunt: fuimus qui nunc sumus, hisque periclis
Tentati nihilo meliores reddimur unquam,
Sub vitiis nullo culparum fine manentes,
Nil sanctum est nobis nisi quæstus: et illud honestum est,
Utile quod fuerit, vitiisque vocabula recti
Indimus, et parci cognomen sumit avarus,
At qui confessis vitiis, et crimine aperto,
Non potuere suas virtutis imagine fraudes
Obtegere, occulto foverunt vulnere plagas,
Quos terrena trahit sapientia, nescia veri.
Quosdam infelices qui decipit, incitat error,
Dum causam inquirunt rerum, astrorumque meatus,
Quæ sit forma poli, cur longo flumina cursu
B Non pereant, latus jaceat quo limite pontus:
Quæque Deo tantum sunt nota, recondita cunctis,
Scire volunt (heu grande nefas!) et scire videntur.
Ista quidem, Salmon, sunt nostri crimina sexus.
Sed levis est vestra vitiorum morbus in urbe,
Si non feminei magis exarsere furores.
Ante diem, Salmon, tenebris nox humida condet,
Quam possim mores hujus percurrere turbæ,
Quæ cum lege Dei vivant sub lege virorum,
Proh pudor! haud unquam sine nostro crimine peccant,
Nam nisi delictis faciles traherentur earum,
Haud illas vitiis vellemus vivere nostris:
Nec rigidas auro vestes, nec vellera Serum,
Nec lapides toto quos fert mercator ab orbe,
C Fundorum pretiis emerent suspiria mœsta.
Jungimus at vanas, non est pudor, addere curas
Si gravis ignotis processit Lesbia gemmis,
Et decies Pessina novo radiavit in ostro:
Confestim ornatum sibi quæque exposcit eumdem.
Ergo quod variis studeant occurrere formis:
Atque viris alios aliosque opponere vultus,
Nonne hæc culpa viri est? Quid agunt in corpore casto
Cerussa et minium, centumque venena colorum?
Mentis honor, morumque decus sunt vincula sancti
Conjugii: si forma placet, venientibus annis
Cedet amor: sola est, senium quæ nescit, honestas.
Nam quod perpetuis discursibus omnia lustrant,
Quod pascunt, quod multa gerunt, quod multa loquuntur
D Non vitium nostrum est? Paulo et Salmone relicto,
Quod Maro cantatur Phœnissæ, et Naso Corynnæ,
Quod plausum accipiunt lyra Flacci, aut scena Terenti?
Nos, horum nos causa sumus: nos turpiter istis
Nutrimenta damus flammis: culpane caremus?
Nam velut acceptas referunt specula optima formas,
Sic exempla virum uxores accepta sequuntur.
Sed cur infelix in culpa est femina tantum,
Cum placet stolido conjunx vitiosa marito?
Unus ubique hostis diffuso turbine sævit,
Nec mirum est vinci belli terrore subactos.
Quod si correcti sanum saperemus, et atris
Libera mens nebulis Christo purgata pateret,

Si falcem verbi cordi imprimeremus, et illinc
Vellemus veterum vitiorum abscindere nodos,
Adversus Christi famulos vis nulla valeret :
Nec nos Riphæi prosterneret arcus Alani,
Nec servile etiam subverteret omnia bellum,
Et qui nunc nostra grassantur clade superbi.
Attamen in vestro populo non rara bonorum
Turba viget, multosque pios Ecclesia nutrit.
Sunt plane insontes multi, Pater optime, quorum
Esse velim similis : nec desunt in grege nostro
Victrices reddat quas sexus uterque coronas.
A Ac si quid patriam commendat, si quid in illa est,
Quod juvat ? hoc unum est, hæc sunt solatia vitæ.
Nunc age, chare Pater, cupido mi fare vicissim
Quæ te digna satis requies susceperit : ex quo
Te corde hinc gestans abii, tecumque refelli,
Non equidem invitus recolam mea gaudia Salmon,
Nec te taurorum indicio laudabo bonorum.
Sed jam conclusi nos admonet hora diei,
Surgere, et ad sacros sanctorum occurrere cœtus,
Crastina lux verbis accedet libera nostris.

ANNO DOMINI CCCCXXVII.

MEROBAUDES SCHOLASTICUS.

NOTITIA.

(Ex Galland.)

1. Pauca sunt admodum quæ occurrant de Merobaude scholastico dicenda, eaque haud plane comperta. Illud tamen exploratum videtur, perperam a nonnullis confundi auctorem nostrum cum Fl. Merobaude, qui consul primum processit cum Gratiano anno 377 et iterum cum Saturnino anno 383, cujus meminere Latinus Pacatus (a) et Philostorgius (b). At vero existimarim equidem cum Sirmondo (c), de nostro Merobaude ista cecinisse Sidonium (d) :

Sed nec tertius ille nunc legetur,
Bætin qui patrium (e) semel relinquens
Undosæ petiit sitim Ravennæ.
Plosores cui fulgidam quirites,
Et carus popularitate princeps,
Trojano statuam foro locarunt.

His consona legas apud Idatium, qui ad annum 19 Theodosii Junioris hæc habet (f) : *Asturio magistro utriusque militiæ gener ipsius successor ipsi mittitur Merobaudis, natu nobilis, et eloquentiæ merito vel maxime in poematis studio cum veteribus comparandus, testimonio etiam provehitur statuarum.* Qui quidem locus haud fugit Tillemontium (g).

B II. Fuerit itaque natione Hispanus Merobaudes de quo loquimur ; qui solum patrium barbarorum incursionibus turbatum relinquens, in Italiam confugerit : ubi litteris humanioribus apprime excultus, maxime in pretio apud Romanos fuit habitus ac statua donatus. Merobaudem rhetorem, et fortasse nostrum, laudat semel iterumque Boetius (h). De eo autem quo de agimus, plura videas apud Nicolaum Antonium (i) : neque prætereas velim viros eruditos, qui conscribendæ Historiæ litterariæ Gallicæ incumbunt (j).

III. Porro Merobaudi ascriptum circumfertur carmen *de Christo :* quo sane nomine dignus habendus, qui sacro illi numero poetarum Hispanorum, Juvenci, Prudentii et aliorum accenseatur. Cæterum carmen idem versuum undetriginta pluries typis excu-
C sum novimus, tum a Georgio Fabricio inter poetas Christianos, tum ab Andrea Rivino cum Rustici Helpidii, Lactantii aliorumque carminibus, nec non in bibliothecis Patrum Parisiensibus, Coloniensi ac Lugdunensi.

(a) Lat. Pacat., Panegyr. cap. 28, pag. 334 edit. Paris.
(b) Philostorg., Hist. eccl. lib. VIII, § 1.
(c) Sirmond., ad Sidon., pag. 1235, not. b, opp. tom. I.
(d) Sidon., carm. 9, vers. 293-298.
(e) Leg. forte *solum.*
(f) Idat., Chron. pag. 302, opp. Sirmond. tom. II, edit. Paris.
(g) Tillem., Hist. des emper., tom. VI, pag. 231.
(h) Boet., opp. pagg. 807 et 835, editt. Basil. 1540, 1570.
(i) Nic. Ant., Bibl. vet. Hisp. lib. III, cap. 3, pag. 191.
(j) Histoire littéraire de la France, tom. II, pag. 338.

MEROBAUDIS

HISPANI SCHOLASTICI

CARMEN DE CHRISTO.

Proles vera Dei cunctisque antiquior annis,
Nunc genitus qui semper eras, [a] lucisque repertor,
D Ante tuæ matrisque parens, quem misit ab astris
Æquævus genitor, Verbique in semina fusum

[a] Juvencum imitatur, Hist. Evang. lib. IV, vers. 482 :

Vitæ lucisque repertor.

Qui et lib. I, vers. 35, ait :

Dominus, cœli terræque repertor.

Neque aliter Prudentius, καθημερ. hymn. 4, vers. 9 :

Virgineos habitare sinus, et corporis artus
Jussit inire vias, parvaque in sede morari :
Quem sedes non ulla capit, qui lumine primo
Vidisti, quidquid mundo nascente creares,
Ipse opifex, opus ipse tui dignatus iniquas
Ætatis sentire vices, et corporis hujus
Dissimiles perferre modos, hominemque subire,
Ut posses monstrare Deum, ne lubricus error
Et decepta diu varii solertia mundi
Pectora tam multis sineret mortalia sæclis.
Auctorem scivere Deum te, conscia partus
Mater, et attoniti pecudum sensere timores :
Te nova sollicito lustrantes sidera visu
A In cœlo videre prius, lumenque secuti
Invenere magi : tu noxia pectora solvis,
Elapsasque animas in corpora functâ reducis,
Mundus et ad manes penetras, mortisque latebras
Immortalis adis : tibi tantum non fuit uni
Principium finisve mori, sed nocte refusa
In cœlum ad Patrem scandis, rursusque perenni
Ordine purgatis adimis contagia terris.
Tu solus Patrisque comes, tu Spiritus insons,
Et toties unus, triplicique in lumine simplex.
Quis nisi pro cunctis aliud, quis credere possit,
Te potuisse mori, poteras qui reddere vitam?

Rerum conditor, et repertor orbis.

Phrasi nimirum Virgiliana, Æn. lib. XII, vers. 829 :

Olli subridens hominum rerumque repertor.

Porro hujusmodi acceptio vocis *repertor* pro *creatore*, in novissimo *totius Latinitatis Lexico* Patavino desi- B deratur.

ANNO DOMINI CCCCL

SANCTUS ORIENTIUS

EPISCOPUS AUSCIENSIS.

PROLEGOMENON.

(Ex Galland.)

I. Mirum inter eruditos de Orientii patria, professione ac ætate qua floruit, discidium. Baronius Tarraconensem existimat (*a*), qui postea episcopus fuerit Illiberitanus ; eumdemque ducit cum Oresio cui Sidonii epistola exstat inscripta (*b*). « Id enim opinari, ait vir magnus, patriæ nomen ac studium poeticæ facultatis, et in scribendo suavitas æque a Sigeberto (*c*) atque a Sidonio laudata, facile persuadent. » In Baronii sententiam alii complures concessere : Delrius (*d*), Nicolaus Antonius (*e*), Caveus (*f*), Schurtzfleischius (*g*), Leyserus (*h*), Basnagius (*i*), alii. Ab his dissidet Fabricius (*j*) qui Orientium quidem episcopum Ausciensem agnoscit, sed ab eo diversum fuisse Orientium Commonitorii auctorem sibi persuadet. Cæteros mittimus aliter opinantes : quos inter Sammarthanus, qui veteri Ecclesiæ Ausciensis instrumento innixus sub initium sæculi XII confecto, sedem illam ab anno 323 ad 344 Orientium occupasse perhibet (*k*). Contra vero multo accuratius re inspecta, magis congruentia tradidere post Martenium (*l*) et Oudinum (*m*) eruditissimi Gallicæ Historiæ litterariæ C scriptores (*n*) : quos ergo de Orientio verba facturi præ cæteris affectabimur.

II. Et primum quidem Orientium, non Oresium, Orentium aut Orontium, vocat se ipsum auctor, sic inquiens (*o*):

Ut peccatores vincens *Orientius* omnes.

Sic item eum appellat Venantius Fortunatus, qui medio sæculo VI scripsit in Gallia (*p*):

Paucaque perstrinxit florente *Orientius* ore.

Neque aliter codices mss. unde sumptum ejus opusculum. At Sigebertus Gemblacensis (*q*): *Orentius Commonitorium scripsit metro heroico, ut mulceat legentem suavi breviloquio.* Porro natione Gallum aut saltem in Galliis agentem fuisse Orientium, qui et clades per Gothos medio sæculo V genti Gallicæ illatas D spectarit, ipsemet his versibus luculenter testatur (*r*):

Per vicos, villas, per rura et compita, et omnes
Per pagos, totis inde vel inde viis
Mors, dolor, excidium, strages, incendia, luctus
Uno fumavit GALLIA TOTA rogo.

(*a*) Baron., ad ann. 484, § 138.
(*b*) Sidon., lib. IX, epist. 12.
(*c*) Sigeb., de Script. eccl. cap. 34.
(*d*) Delr., in præfat. ad Orient. Common.
(*e*) Nic. Ant., Bibl. Hisp. vet. lib. IV, cap. 1, tom. I, pag. 206.
(*f*) Cav., Hist. litter., tom. I, pag. 503.
(*g*) Schurtz., in præfat. ad Orient. Common.
(*h*) Leyser., Hist. poet. med. æv., pag. 77.
(*i*) Basnag., ad Canis. Thes., tom. I, pagg. 164 seqq.
(*j*) Fabric., Bibl. Lat. med. æv., tom. V, pagg. 508 seqq. edit. Hamb.
(*k*) Sammarth., Gall. Christ. nov., tom. I, pag. 973.
(*l*) Marten., ad Common. Orient., tom. V, Thes. nov. Anecdot., pag. 19.
(*m*) Oudin., Comment. de Script. eccl., tom. I, pagg. 1068 seq.
(*n*) Hist. littéraire de la France, tom. II, pagg. 251 seqq.
(*o*) Orient., Common. lib. II, vers. 417.
(*p*) Venant. Fort., lib. I de Vit. B. Martin., vers. 17, Bibl. PP. Paris. tom. VIII, pag. 753.
(*q*) Sigeb. Gembl., l. c.
(*r*) Orient., Common. lib. II, vers. 181-184.

Hinc itaque temporis notationem colligimus quo claruit noster auctor, circa scilicet annum 440. De ipsius autem episcopatu silent quidem Fortunatus et Sigebertus : at eorum silentium non est demum tanti ducendum, ut inde satis firmum argumentum eruere quis posse videatur, quo episcopalis dignitas Orientio abjudicetur : imprimis vero si spectemus, rem uno versiculo transigere Fortunatum antiquiorem. Verum hac de re difficultatem demum, si qua sit, tollere censentur Acta sancti Orientii episcopi Ausciensis, quæ vulgata primum a Philippo Labbeo (*a*), Actis sanctorum Bollandianis fuere deinceps intexta (*b*) : quæ quidem licet primævam antiquitatem non referant, in iis tamen nonnulla gesta enarrantur, quæ variis Orientii Commonitorii locis plane congruere intelliguntur : adeoque fidem omnino iisdem Actis detrahere haud æquo jure quis valet, ut recte statuunt eruditi viri superius laudati (*c*).

III. Produnt itaque hujusmodi Acta (*d*), *beatissimum Orientium, mundanæ lubricitatis squalore deposito, se totum casta mente divinæ majestati devovisse, et altioribus honoribus adeptis, pontificalis Auxio civitate cathedræ dignitatem ascendisse.* Hic vero in antecessum improbanda occurrit Basnagii (*e*) et Fabricii (*f*) conjectatio, ex verbis mox adducendis minus recte acceptis efficta, Orientium videlicet fuisse primo idololatriæ addictum. Pergunt porro eadem Acta : *Ecclesiasticis namque dogmatibus apprime eruditus, commissum sibi populum sacro sermone correxit,* PAGANORUMQUE PERVERSITATEM DESTRUXIT : *et ita plenissime doctus tanta doctrina eos erudivit, ut* SPRETA IDOLORUM VILITATE *auctorem suum cognoscerent, et ad legem ejus, baptismatis gratiam accipiendo pertingerent.* Quæ quidem verba, ut cum Martenio loquar (*g*), quam bene conveniunt iis quæ scribit Orientius (*h*) !

Et nos a fæce ethnicorum emersimus,
Eamque tandem rupimus caliginem,
Dum spiritales exaudimus angelos.

Optima sane viri docti interpretatio. Ecquis enim demum non videat Orientium hic non sui, sed neophytorum suorum nomine quibus erudiendis hanc *Orationem* composuit, fuisse locutum ? qui *dum spiritales exaudierunt angelos*, id est episcopos, quos ita nominatos in Apocalypsi novimus (*i*), lætantur se *a fæce ethnicorum emersisse, eamque tandem rupisse caliginem.* Facessat igitur de Orientii idololatria inane commentum.

IV. Præterea ex iisdem Actis erudimur (*j*), Orientium cum provectæ jam esset ætatis, rogatu Theodorici Gothorum regis, qui tum Tolosæ residebat ac late per Aquitaniam et Novempopulaniam dominabatur, cuique proinde suberat sanctus præsul, legationem suscepisse, quo suis precibus terribilem impetum A Aetii ac Litorii ducum Romanorum adversus Gothorum regem averteret. Cujus quidem legationis egregiam descriptionem exhibet Salvianus (*k*), iis prorsus consonam quæ in Actis nostris enarrantur. Hinc vero arrepta Orientio *strages et incendia* describendi occasio, quibus *fumavit Gallia tota*, ut superius intelleximus. Hoc autem bellum a Litorio adversus Gothos infeliciter gestum, anno Christi 439 contigisse tradunt Idacius, Prosper et Cassiodorius in Chronicis : cui proinde anno illiganda esse quoque Orientii legatio ad eumdem Litorium perhibetur. Quo autem anno posthac e vivis excesserit beatus antistes, omnino incompertum. In tabulis ecclesiasticis recolitur ejus memoria calendis Maii : cujus elogium sub eadem die in Usuardi martyrologio sincero ita effertur (*l*) :
B *Apud civitatem Auscium, sancti Orientis episcopi, qui virtutibus ornatus sancto fine quievit.* Quibus porro ista ex Sammarthano addere placet (*m*) : « Monasterium, inquit, sancti Orientii in civitate Ausciensi locupletissimum, quod legimus fundatum a Bernardo Othone comite Fidentiacensi, ejus sacris reliquiis gloriatur. Saltem ibi quiescebat anno 1068. »

V. Jam vero ut de scriptoris nostri litterarum monumentis nonnulla subjiciamus, ea potius cl. Martenii verbis exponere juverit (*n*) : « Habes hic, lector, inquit, COMMONITORIUM SANCTI ORIENTII, inter antiquos poetas Christianos celeberrimi. Carmen istud hactenus desideraverant viri eruditi, maxime vero illustrissimus Annalium ecclesiasticorum concinnator cardinalis Baronius (*o*), *dolens nobilis ingenii omnia periisse*
C *monimenta, imo et nomen ipsum pene oblivione sepultum; quod vix tandem eruderatum obtectaque rubigine purgatum reddere liceat.* Ejus votis aliqua ex parte fecit satis Martinus Delrio Societatis Jesu presbyter eruditus, qui reperto in ms. codice Aquicinctensis monasterio Commonitorii libro primo, tanquam invento thesauro pretioso exsultavit, eumque quam citius cum omnibus etiam quibus scatebat, mendis et lacunis anno 1600 typis mandari curavit : ratus nihilominus in illo suo codice integrum Orientii opus non contineri, sed plura *deesse, minimum de cæteris peccatis, gula, acidia, superbia, fors et plura.* Nec sane sua eum fefellit opinio : nam revera deerat integer liber secundus, quem cum aliis ejusdem auctoris versibus, de Nativitate, de Trinitate, de nominibus Domini et
D Orationibus, ex pervetusto codice insignis ecclesiæ sancti Martini Turonensis ab annis circiter 800 exarato, beneficio cl. viri Gatiani *de Galiczon* tunc præcentoris ejusdem ecclesiæ, nunc episcopi Agathopolis, descriptum, *obtectaque rubigine purgatum* aliquibus abhinc annis (anno 1700) publici juris feci, ac denuo ad ms. codicem emendatum iterum profero (anno 1717), erratis quæ in editione Delrii oc-

(*a*) Labb., Bibl. nov. mss. libr., tom. II, sect. 3, pagg. 596 seq.
(*b*) Bolland., Act. SS. Maii, tom. I, pagg. 61 seq.
(*c*) Hist. littéraire de la France, l. c.
(*d*) Bolland., Act. SS., l. c., pag. 61, num. 1.
(*e*) Basnag., l. c., pag. 164, § 2.
(*f*) Fabric., l. c., pag. 509.
(*g*) Marten., l. c., pag. 19.
(*h*) Orient., Orat. 24, vers. 56 seqq., infra, col. 1005.

(*i*) Apoc. I, 20; II, 1, 8, 12, 18; III, 1, 7, 14.
(*j*) Act. SS., l. c., num. 3.
(*k*) Salvian., de Gubern. lib. VII, capp. 9 et 10.
(*l*) Usuard., Martyrol. sincer., pag. 74 edit. Paris. 1718.
(*m*) Sammarth., Gall. Christ. nov., tom. I, pag. 974.
(*n*) Marten., l. c., pag. 17.
(*o*) Baron., ad ann. 484, § 138.

currerant correctis ac repletis lacunis: tametsi religio mihi fuerit, ea omnia in quibus aliquando auctor in exactas artis poeticæ leges peccavit, immutare. Nam et in antiquis scriptoribus vel ipsa menda venerari debemus.» Huc usque vir doctus. Cæterum A reliqua de operis pretio eruditorum judicia, nec non varias ejusdem editiones hic recensere omittimus, quæ apud Leyserum, Fabricium, atque Gallicæ Historiæ litterariæ auctores ll. cc. facile occurrunt.

S. ORIENTII
COMMONITORIUM.

(Ex ms. codice insignis ecclesiæ S. Martini Turonensis.)

LIBER PRIMUS.

Quisquis ad æternæ festinus præmia vitæ,
Perpetuanda magis quam peritura cupis,
Quæ cœlum reseret, mortem fuget, aspera vitet,
Felici currat tramite, disce viam.
Nam nos, et carnis vitiis, et tempore victi,
Terrenum gradimur, sive doloris iter:
Solaque permixtis hæc sunt modo gaudia votis,
Si, quod non facimus, saltem alii faciant;
Ut quia nunc istud, quod protinus effugit, ævum
Infidis capti degimus illecebris.
Lascivum, miserum, fallax, breve, mobile, vanum,
Heu mala noxarum origo præcipitat.
Omnibus his, raptim quæ sunt moritura, relictis:
Tu forti teneas non moritura fide.
Ergo, age, da pronas aures, sensumque vacantem:
Vita docenda mihi est, vita petenda tibi.
C Sed, quo sit melior nostri doctrina libelli,
Et teneat rectas carminis ordo vias:
Te, Deus omnipotens, et corde, et voce rogare,
Te sine nec linguam solvere, Christe, placet:
Demere qui tenebras revocato lumine cæcis,
Auditum surdis auribus inserere,
Corporis et mentis sævos depellere morbos,
Solvere mutorum qui pius ora soles:
Te penes officium nostri est, et cordis et oris,
Da sentire mihi, da mihi posse loqui:
Nimirum ut nostram vegetent tua munera linguam;
Ac per te de te sit tibi sermo placens.
Mandato cum jussa tuo superaverit omnem
Naturam, nostra voce fruens asina,
D Et stimulis propria subigentem terga Balaam

B Terruerit miro quadrupes alloquio:
Qui magno regis trepidi crebroque rogatu,
Dira super sanctum verba parans populum,
Non potuit proprie motam sibi subdere linguam,
Ore aliud dicens, corde aliud cupiens.
Nam maledicturus nimie benedicere cœpit,
Impendens aliis ora parata aliis.
Ergo nisi eloquium, sensum nisi, Christe, ministres,
Conatus animæ tu nisi, Christe, regas;
Ora homines omnes, et muta, et bruta tenebunt;
Quodque etiam possunt, hoc quoque non poterunt.
Principio geminam debes cognoscere vitam,
A Domino indultam cum ratione homini:
Ut: quoniam brutum terreno est pondere corpus:
Est anima afflatu vivificata Dei:
Nullum sentirent animæ dispendia finem,
Esset in hoc fragili corpore vita brevis.
Unam nascendi ratio prius omnibus affert,
Hanc cura et propriis consequitur meritis.
Nasci non nostrum, nec longum vivere nostrum;
Vitam quæ sequitur vita parare potest.
At licet arbitrio Domini sumamus utramque,
Et neutra obveniat, ni Deus hoc jubeat.
Prima tamen celeri fertur per prona rotatu,
Quæ sequitur totis est data temporibus.
In primam ignari nulla mercede venimus,
Altera de summo parta labore venit.
Nascimur ut Dominum cœli, terræque, marisque,
Quæramus toto pervigiles studio;
Quærimus; ut qui sit, qualis, vel quantus, agat quid,

Versu 8. Al. *quid*.
Versu 10. Ita in editione Delrii; in ms. vero legitur *egimus*.
Versu 12. Hic versus integer deest in editione Delrii.
Versu 20. Delrius *ne*.
Versu 24. In. ms., *solus*.
Versu 27. Al. *nec mirum*.
Versu 28. Delrius, *mihi*.

Versu 30. Al. *loquens*.
Versu 31. Al. *Atque sua stimulis*.
Versu 49. Delr., *Unica*.
Versu 50. Ita ms. subintelligitur *homo*, sive *mortalis*. Cave ergo ne corrigas *consequimur*. Nam hæc verba referuntur ad ea quæ paulo antea dixerat:

Principio geminam debes cognoscere vitam,
A Domino indultam cum ratione homini.

Versu 56. Delr., *turris*.

Possimus vero noscere judicio.
Noscimus; ut digna compertum laude colamus;
Ut vitam tribuat perpetuam, colimus.]
Et colimus non thure dato, non sanguine fuso,
Non vino madidi, non epulis gravidi;
Aurum, vestis, odor, pecudes, libamina, gemmæ,
Et quæ rara homines vel pretiosa putant,
Ante Deum, ut viles terreno e pondere moles,
Ut cœnum, ut sordes, sic inhonora jacent.
Omnia sunt ejus, cujus nos esse fatemur.
Nil proprium est nobis: ipse habet, ipse dedit.
Ecce etenim sancto proclamat in ore prophetæ:
Nolo tuos hircos, nolo tuos vitulos.
Et species agri mecum est, et gloria cœli:
Orbis enim meus est, et quod in orbe meum.
Debita solvantur sancto mihi pectore vota:
Hostia me laudis, puraque vox celebret.
Ergo nihil noster poteris prætendere lector,
Istis quod tibi sit difficile in monitis.
Non longe positum, non est aliunde petendum,
Non re, non sumptu, non opus est pretio.
Sufficit ut Dominum mundi, rerumque parentem,
Cujus in arbitrio, vel bona, vel mala sunt;
Censu majori vincentem verba loquentis,
Unum, incorporeum, perpetuumque sacrum,
Omnia complexum, vel semper in omnibus unum,
Corde pius credas, credulus ore roges.
Sed quid sic nudis tantum sermonibus utor,
Tanquam nulla Dei sint super hoc monita?
Nam primum veteri cautum sub lege memento,
Quæ dudum in solidis scripta fuit tabulis,
Quod nunc per Dominum renovat data gratia Christum,
Atque Evangelii vox veneranda sonat:
Ut, quod saxa prius, modo pectora nostra tenerent,
Esset et uberior bis repetita fides.
Affectu toto Dominum, totisque medullis,
Atque tuum toto dilige corde Deum.
Et recte: quid enim poteris tu justius unquam
Obstrictis tantis solvere muneribus?
Qui tibi, cum limus terrena in fæce jaceres,

A Dempsit perpetui temporis esse lutum:
Qui tibi, quod membris constas, quod mente moveris,
Quod lingua loqueris, quod ratione sapis,
Quod manibus tangis, graderis pede, lumine cernis,
Aure audis, sentis naribus, ore probas,
Ante aliquod meritum, propria pietate ministrat,
Corporis ac animæ sic Pater ut Dominus:
Et non hoc solo contentus munere, quo te
Instruxit membris, sensibus excoluit:
Qui tribuit vitam, largitur commoda vitæ,
Omnibus ut tibi sit prædita deliciis.
Ecce tibi cœlum pendet, tibi terra recedit,
Aera librantur, fluctuat oceanus:
B Noctibus atque dies succedunt, mensibus anni,
Sol splendet, lucent sidera, luna rubet.
Ver varios blandus perfundit germine flores,
Æstas jam gravida fructibus arva coquit,
Autumnus musto madidus, præpinguis oliva est,
Ignibus admotis frigora nescit hiems:
Imbribus arcendis confirmas pendula tecta;
Ignoras ventos ædibus oppositis;
Hirtaque lanigeræ depectens terga bidentis
Mollibus involucris algida membra tegis;
Lenia nec desunt nivei velamina lini;
Sunt etiam Eois pallia velleribus:
Illa ferax jacto reddet tibi semine tellus
Hæc celsis carpent Seres in arboribus.
Denique per totum qui circumvolvitur annum,
C Quidquid habes, totum dat tibi cura Dei.
Campus messe viret, vestitur palmite collis,
Arbore diversa mitia poma metis,
Et studium impendens fecundo providus horto
Utile quo libuit tempore sumis olus.
Accendis pinguem quæcunque in lumina pinum,
Nobilibus mensis cerea flamma micat.
Nec modo terreno tantum servire jubetur
Per varios usus subdita terra homini:
Ipsa etiam quidquid fertur prope nubila, quidquid
Alto subductum volvitur in pelago:
Nunc fallente cibo, nunc texto in retia lino,
Artibus innumeris inde vel inde petis.
Et tibi nunc imo trahitur de gurgite piscis,
D Aere nunc summo decipiuntur aves.

Versu 65. Delr., *rure.*
Versu 68. Delr., *tanta.*
Versu 70. Delr., *cætum.*
Versu 75. Delr., *igitur.*
Versu 76. Delr. hunc versum ita corrupte legit: *Orbis et meus est, et quod in urbe meum.*
Versu 86. Al. *perpetuoque.*
Versu 88. Delr., *pio.*
Versu 96. Delr., *cesset.*
Versu 98. Delr., *tuo.*
Versu 109. Delr., *quæ*, male. Neque melius qui pro suo libitu legere volunt *qui:* nam hoc loco pronomen *quo* refertur ad præcedentem vocem *munere.*
Versu 117. Ita ms.; nec mireris hic *blandus* pro *blandum* legi: nam *solœcismos et barbarismos quos vocant, poetæ adamaverunt*, inquit S. Augustinus lib. ii de Ordine, cap. 4. In ms. alio modo legitur hic versus sic:

Ver tundit blandus varios ut germine flores.

Versu 125. Al. *Levia.*
Versu 127. Delr., *verax.*
Ibid. Delr., *Jacta semina*, quæ lectio tolerari potest: nam veteres, nonnunquam primo pro sexto casu utebantur, et dicebant v. g., *Petrus existens* pro *Petro existente.*
Versu 128. Seres sunt Scythiæ Asiaticæ populi, a quibus nobilis illa lana ex arboribus ex qua fit sericum, advehi dicitur.
Versu 139. Sic restituimus, tametsi Delrius legat *nubile* et ms. *nobile.*
Versu 142. Delr., *petes.*

Agmina venanti prorumpunt densa ferarum
Icta procul jaculis vel laqueata plagis.
Prona petis ferro, canibus fugientia sistis
Contundis frenis ora ferocis equi.
Ad juga panda boves cogis, ad mulctra capellas :
Distillant crispis dulcia mella favis.
De saxis gemmas, aurum producis arenis
Lentaque de terris igne metalla coquis :
Gramina discernis tristes medicantia morbos,
Pellis lethiferum sedulus arte malum.
Quin etiam ut mercem peregrino a littore sumas,
Et tua des aliis atque aliena petas,
Flumina remigio percurris et æquora velo ;
Ibi longinquas absque labore vias :
Aut si formidas pelagus, carpenta movebis,
Teque tuis sternet terra notanda rotis.
Tunc si jactatum quærit blanda otia corpus,
Humida pulvereum balnea suscipient ;
Atque cavo tota spoliatur veste lavacro,
Marcida perdomitis membra fovebis aquis.
Tot tantisque bonis Domini tibi munere partis
Quid tandem dignum reddis amore pio ?
Aut quibus hæc opibus, quibus et persolvere donis,
Vel quanto poteris pendere servitio ?
Nec tamen hæc Dominus, cujus sunt omnia, quærit :
Sufficit ut Dominum servus amatus ames.
Hæc quoque mandati succedit forma secundi
Proximus ut tibi sit sic, velut ipse tibi es.
Nosco salutiferam mansuro munere legem,
Uno quæ cunctis prospicit officio.
Nam cum aliena mihi mandatur cura, necesse est
Ut mea mandetur sic quoque cura alii.
Ecce pecus pecudem fecunda ad pabula ducit,
Admugit proprio buccula læta gregi.
Murmure respondent, qua possunt voce loquuntur,
Inque vicem docilis lambere lingua solet.
Non caret affectu quod fluctibus occulit æquor,
Et volucris volucri est, et fera blande feræ.
Tum si quando venit quocunque ex agmine prædo,
Fortior invalidos ungue vel ore premens,
Seu volucrum res est, seu res est illa ferarum,
Undique collectis tenditur auxiliis,
A Captivam comitem cursu, grege, voce, volatu,
Et si non possunt, eripuisse volunt.
Cumque ita se solo naturæ munere servent,
Quæ nec consilio, nec ratione vigent :
Quid mirum Domini si jussa verenda secutum
Mutua constringet cura hominis hominem,
Atque usu, ingenio, rebus, ratione peritus
Ut sua quæ tua sunt commoda frater agat ?
Hinc venit illa placens merito sententia, nectens
Humanum parili conditione genus :
Nec facias aliis quidquid fieri tibi non vis ;
Idque aliis facias, quod tibi vis fieri.
Quod genus est hominum, quis sexus, ritus et ætas,
Quis neget hoc rectum, quis neget esse probum ?
B Quid non mandatum late complectitur arctum ?
Plenius hac tradi quid brevitate potest ?
Namque ea quæ mala sunt, fieri modo sic mihi nolim,
Ut rursum cupiam quæ bona sunt fieri.
Judice non opus est, doctor nec quæritur ullus :
De nobis scimus quæ bona, quæ mala sunt.
Gaudebis certe, si quis te nocte viantem
Blandus vicinum ducat in hospitium :
Tu quoque sollicitus provisis excipe tectis
Illum, qui sera nocte viator erit.
Veste tegi nudus, sitiens ad pocla vocari,
Esuriens optas ut satiare cibis :
Te quoque permoveat proprii par causa laboris,
C Divide cum miseris pallia, pocla, cibos.
Ecce manum poscis lapsus, solatia mœstus,
Auxilium trepidus, consilium dubius :
Id mœstis, dubiis, trepidis, labentibus offers :
In simili causa fac ut ameris amans.
Certe incusari falso te crimine non vis,
Crimine falso alios insimulare noli.
Odisti furem ; furtum cave : perdere non vis
Per vim quæ tua sunt ; nil violenter agas.
Pacta tibi dubio non vis nutare paratu :
Promissam certo pectore redde fidem.
Quæ tibi detraxit velles succidere linguam :
Cura sit ut nullum livida verba notent.
Mutua cumque petas, vis sumere protinus æra,
Mutua poscentem dextera prompta juvet.
D Inflatos fastu damnas : depone tumorem ;
Quod fugis in celsis nesciat inferior.
Certe si soror est, vel mater, carave conjunx

Versu 148. Al. *freno.*
Versu 153. Delr., *discernens.*
Versu 160. Al. *deque.*
Versu 161. Delr., *lassatum.*
Versu 167. Al. *copiis.*
Versu 182. Delr. male, *et blanda fera feræ.*
Versu 183. Delr., *prædæ.*
Versu 184. Al. *Fortiori validus.*
Versu 191. Al. *secutus.*
Versu 200. Al. *hoc facile.*
Versu 202. Totum hunc versum invertit editio Delrii.
Versu 212. Ita ms., nec corrigendum est *ut satiere*, cum optimi etiam auctores indicativum in hujusmodi pro subjunctivo frequenter usurpent.
Versu 213. Al. *cura.*
Versu 217. Al. *offer.*
Versu 219. Delr., *falso de*, minus bene.
Versu 220. Delr., *instimulasse time* ; sed timendum ne quis corrector ad elegantiorem versum condendum *time* pro *noli* proprio motu reposuerit. Itaque ms. nostri lectionem retinemus, donec ad alios mss. emendari possit.
Versu 223. Al. *mutare paratum.*
Versu 224. Delr., *commissam.*
Versu 227. Al. *cum poscis.*
Versu 231. Delr., *tibi.*

Quarum ne vitam fama gravis maculet,
Perpetui curam cauta pietate pudoris
Filius, aut frater, sive maritus agis:
Hæc veneranda tibi si nomine tentat adulter,
Ferrum in vindictam non satis esse putas.
Nonne eadem pœna reus es, si tu quoque furtim
Aggrederis castos sollicitare toros?
Hinc fuit, ut Dominus prima sub lege juberet
Pensari paribus crimina suppliciis;
Pro damno damnum, vulnus pro vulnere, dentem
Dente lui raptum, lumina luminibus:
Nec minus ut propriam sub judice redderet audax,
Alterius cuperet qui rapuisse, animam:
Judiciumque reus, non posset dicere pravum:
Pravis decreta est ultio criminibus.
Et licet hæc melius mutarit gratia Christi,
Mitia quæ potius quam violenta docet:
Ast tamen est rectum, quidquid jubet ista vel illa,
Seu cito restituas, seu patienter agas.
Hoc tamen est melior qui Christo vindice gaudet:
Servet se Domino, quod dedit ille sibi.
Ergo piis votis et sanctis perfice rebus,
Vita quod hæc præsens, quodque futura probet:
Ut te, quem raptim fugiens commendat honestas,
Perpes post obitum gloria suscipiat.
Nam nostris certus monitis, mansura memento
Omnia, nunc stulti quæ peritura putant:
Atque animas, iisdem membris redeuntibus, ipsum
Crede recepturas corporis involucrum.
Ora, color, sanguis, venæ, cutis, ossa, capilli,
Ut nunc labuntur, sic iterum venient;
Non modo quæ tumulis bene condita saxa reservant,
Aut Aravum solidans pulvis odorque tegit:
Sed dicto citius, firmanda in membra redibit
Portio de tumulis, portio de fluviis:

A Quod ventus flatu minuit, quod bestia morsu,
Flamma quod exussit, quodque ruina premit;
Totum aderit, totum diversa ex parte coibit;
Pars volucri, aut pisci; pars laniata feris:
Et quod nunc ætas sensim longæva resolvit,
Id raptim Domini buccina restituet.
Ut, pro factorum meritis, in corpore eodem,
In quo gesserunt seu bona, sive mala;
Scilicet, ad motus animorum carne reversa,
Pœna reos, justos gloria suscipiat.
Cur autem dubites, cum præcedentia monstrent
Ut tibi venturi sit manifesta fides?
Respice nudatas brumali frigore silvas,
Jam desperatis luxuriare comis:
Quæ stabat mœrens decusso palmite vitis,
B Vestitur foliis, fructibus induitur.
Spiceus densis calamus flavescit aristis,
In terra granum quod modo putre fuit;
Et quæ nunc tristi squalebant arva veterno,
Læta novo rident germine, flore rubent.
Ipse etiam, variis conclusus mensibus, annus
Tempore mutato mortis habet speciem:
Cum ver autumno, frigus depellitur æstu;
Utque hominum res est, hoc venit, illud abit.
Hoc tamen æterno, donec Deus annuit, usu,
Inque vicem alterno volvitur officio:
Et dum se longi sequitur rota mobilis anni,
Nascitur et moritur, succidit atque redit.
Nam finis noster finem non accipit, et mors
Qua primo morimur, perpetuo moritur:
C Victuro semper motu sensuque manente,
Omnis perpetuo tempore vivit homo.
Vivet homo: fletus ast hic mea verba sequuntur.
Nam puto sic hominis sors melior fuerat
Cum sensu vitæ sensum deponere pœnæ,
Et natum innatis consimilem fieri;
Quam nunc, peccatis toto dominantibus ævo,
Exstingui vitæ, vivere suppliciis.
Nam rogo ne credas diræ ad compendia pœnæ,
Quod raptim fontes debita flamma voret.
Ignibus æternis immersos respice colles
Jugiter amburi, non tamen imminui:

Versu 233. Al. *custodis*.
Versu 242. Delr., *pro dente, atque lui*.
Versu 244. Al. *vitam*.
Versu 246. Delr., *Parvis*.
Versu 255. Delr., *Vitæ quem rectæ*, male omnino.
Versu 263. Al. *credita*.
Versu 264. In prioribus editionibus legebatur *aut arvum*, quæ lectio eruditorum virorum mire torsit ingenia. Delrius, qui primus hoc edidit carmen, locum istum ita restituendum conjicit, *aut arvum solidum*. Lipsius existimat legendum esse *aut carnem solidans*. Fabricius primam lectionem retinendam censet. Recens corrector anonymus legendum putat *aut artus* pro *aut arvum*, quasi auctor alludat ad conditas Ægyptiorum carnes, quas aromata solidant. Jacobus Sirmondus, cujus eruditioni quid non debet respublica litteraria? felicius hunc versum ita emendavit in notis ad Sidonii epist. 13 lib. IX: *Aut Arabum solidans pulvis odorque tenet*. Quæ emendatio recte omnino concinit cum nostro manuscripto, in quo legitur *aut Aravum*. Nam veteres litteram *v* pro
D *b* frequenter usurpabant.
Ibid. Delr., *tenet*.
Versu 265. Al. *formanda*.
Versu 268. Delr., *excussit*.
Versu 275. Al. *animarum*.
Versu 283. Delr., *Aspiceus*, existimatque legendum esse *Aspicis ut densi*. Lipsius vero *Spiceus ex densi*.
Versu 286. Delr., *virent*.
Versu 290. Delr., *hoc abit, illud venit*.
Versu 294. Al. *succedit*.
Versu 298. Al. *vivet*.
Versu 307. Eodem utitur argumento ut pœnarum æternitatem probet Pionius martyr: *Vos gentis*, inquit, *videtis et enarratis incendium, illam æstuantem rupibus flammam. Conferte quoque Lyciæ et diversarum insularum ignem ex infimis terræ visceribus effluentem: aut si hæc non potuistis agnoscere, considerate calidæ aquæ usum, non dico de illa quæ fit, sed de illa quæ nascitur. Aspicite fontes tepentes, et anhelantes*

Et gelidos fontes et cærula flumina cerne
Fundere semper aquas, semper habere tamen.
Sic miseros vindex semper populabitur ignis,
Ut semper servet pabula læta sibi.
Hæc si falsa putes, merito post vera probabis:
At falsa effugies, si modo vera times.
Quare post mortem sequitur si vita perennis,
Lætificans justos, discruciansque reos;
Viribus et totis, et totis nitere votis
Quæ rectum ducunt continuare vias;
Contere calcatum cum mundi principe mundum,
Et fuge lascivis credere deliciis.
Præcipue semper famosos despice vultus,
Judiciumque tuis eripe luminibus.
Nemo feret rutilos intactis vestibus ignes.
Nemo inter lituos non trahet aure sonum.
Nemo inter flores blandorum ambitus odorum
Naribus assiduam non metet ungue rosam.
Nemo diu sitiens, et multo sole perustus,
Incumbet gelidis, nec potietur aquis.
Nemo, vias pedibus brumali tempore carpens,
Conspersus pluvia, nec madefactus erit.
Nemo, licet mediis muris, sub tempore belli
Aut bene securus, aut bene tutus agit.
Congressus præstat visum, mox lumina visu
Concipiunt flammas, parturiuntque nefas.
Dum veluti jacto piscantis fraudibus hamo,
Primo animus capitur, post etiam moritur.
Prima mali labes, heu! femina, te dolus anguis,
Ac hominem per te reppulit a Domino.
Erepti tu causa boni, tu janua mortis,
Tu decepta cito, tu cito decipiens.
Ergo age, quæ nullo maculari pectora nævo,
Et purus puro niteris esse animo;
Ut laqueos ignis validos, et acuta venena,
Cernere laudatam sic fugies faciem.
Non ego nunc repetam per tot jam sæcula quantos
Feminei vultus perdiderint populos.
Prætereo clades Spartanas, Troica bella,
Et raptim excidium quam prope Roma tuum:
Cum gentes nulla Domini sub lege, nec ullis
Sanctorum ad vitam perdomitas monitis,
Qua furor impulerat, lascivus duceret error,
Esset et hoc licitum quod fuerat libitum.
De sacris, inquam, de sacris percipe libris,
Opprobrio quantis turpis amor fuerit.

A Te Dinæ species nimio sub amore ruentem,
Exstinxit Sichem, cum patre, cum patria.
Nam male compressam fratrum pia cura sororem
Permittit thalamo, vindicat in gladio.
Hunc quoque laudatum psalmorum carmine David
Forma placens celso deposuit solio;
Cum male lascivum comperto crimine corpus
Sacco contegeret, contereret cinere.
Thamar forma duos sub eodem tempore fratres
Incesti et ferri perpulit in facinus:
Unus corrumpit, corruptam ulciscitur alter:
Ultio quæ justa est, desinit esse pia.
Ipse etiam Salomon; cujus sapientia prisco
B Tempore, et toto nobilis orbe fuit;
Ducitur in facinus vetito laqueatus amore,
Femineo subdens turpia colla jugo:
Et Domini immemorem merito præconia laudum,
Quæ juvenem ornarant, destituere senem.
Forma placens regi letho te tradidit Aman:
Forma tuum rapuit dux Olofernе caput.
Illum mirifico famosum robore Samson
Forma decens sævis tradidit Allophylis.
Sanctus et victor per tot modo prælia miles,
Heu! male femineis subditur arte choris,
Ut jam pollutus; pariunt quia crimina pœnam:
Oscula virginibus, terga daret gladiis.
Tu quoque levitis tantum dilecta, nec uxor,
C Insano juvenum subdita nocte toro,
Vindictæ studio totas in bella dedisti,
Perdere contentas sive perire tribus,
Ut membris lacero dispersis funere Gabaat
Efficeret diris ignibus usta rogum.
Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum,
Expediam quantum forma placens noceat.
Lascivo clamat benedictus Apostolus orbi,
Dans etiam licitis jura severa toris;
Conjuge possessus, contempta conjuge liber,
Non similem causam relligionis habent.
Conjugis implicitum detentat cura maritum:
Solum vult cælebs emeruisse Deum.
Sed quia nonnunquam succumbunt lumina formæ,
D Ancipiti rectus labitur in bivio.
Si purum maculare animum parat impius hostis,

ibi unde exstingui solent flammæ: unde putatis hunc ignem, nisi quia cum inferni igne sociatur? Vide etiam, si lubet, ea quæ hac de re observavit Methodius martyr lib. de Resurrectione, apud Photium biblioth. cod. 234.

Versu 319. Al. *Contere calcatu mortis et comprime donum.*

Versu 321. Contra fidem ms. Corrector legendum dicit *formosos* pro *famosos*: nec certe melius.

Ibid. Delr., *cultus.*

Versu 324. Delr., *Ore.*

Versu 330. Al. *aspersus.*

Versu 332. Al. *erit.*

Versu 341. Leg. *qui.*

Versu 343. *Ignis* pro *ignes* usu antiquis satis familiari, qui litteram *i* pro *e* frequenter usurpabant.

Ibid. Al. *ac cuncta.*

Versu 345. Al. *referam.*

Versu 364. Al. *pepulit.*

Versu 368. *Et in toto.*

Versu 379. Delr., *vitam.*

Versu 383. Delr., *vel.*

Versu 385. Hanc vocem usurpat scriptura Josue xviii, 28, et Regum lib. II, cap. xxiii, 29, et I Paralip. xi, 31, denique Isai x, 29. Non ergo debuit corrector dicere in Scriptura legi *Gabaa* et *Gabaon*, non vero *Gabaat.*

Semper ovans castam sollicitare fidem : A
Accipe tela quibus cordis pia mœnia serves.
Crux tibi sit clypeus, crux tibi sit gladius.
Supplicibus lacrymis, gemitu, prece, pectore tunso,
Quære salutiferum nocte dieque Deum.
Ac ne paulatim facilem spes palpet amorem,
Lapsum a præcipiti perge referre pedem.
Non ignarus enim miseris succurrere quæro,
Omnia perpessus, quæ fugienda loquor.
Respicis ad formam ? Sed sævas respice pœnas;
Respice quid laudes, respice quid timeas :
Internisque oculis et vero lumine cerne,
De terra ad cœlum, deque homine ad Dominum,
Hic brevis est fine exiguo claudenda voluptas : B
Illic perpetuo sulfure flamma vorax.
Audi clamantem magna cum voce propheten ;
Seu mandata legas pristina, sive nova :
Quæ laus in vultu est ; fenum omnem credite carnem,
Quippe ut flos feni gloria carnis erit.
Nam veluti flores ictus metit, atterit æstus,
Confundunt imbres ; fortior aura rapit :
Sic vultum, quicunque placet, consumere tempus,
Et tumor et livor despoliare potest.
Atque, ipsam ut taceam, quæ conterit omnia, mortem,
Quanta licent morbis, febribus, ulceribus ?
Hi modo, qui cauent albo sordente capillo, C
Collatas olim non timuere pices :
Pendula, quæ mœrent rugis deformibus, ora,
Protulerant vanum conspicienda decus.
Qui nunc in laxa tremulus pia pelle vacillat,
Vix dederat tenui signa notata solo.
Cervix, colla, manus, et quod nunc omnibus horret,
Heu! miseris quondam causa furoris erant.
Lumina, quæ madidus deformia subluit humor,
Stellarum rutilæ ceu micuere faces.
Respice quod paucis floret, nec permanet annis,
Et tamen æternis culpa manet lacrymis.
Ergo puellares vultus formasque decentes,
Aut verso aut merso despicies capite. D
Atque ut sis penitus sic corde ut corpore purus,
Ut nullum facias suspicione reum ;
Da studium, curas, et semper providus opta,
Ut tibi sit nulla femina juncta nimis :
Amittet vires, si non sint obvia, ventus.
Pabula si desint, irritus ignis erit.
Ac ne mandatis tantum par una putetur
Ad vitæ rectas sollicitata vias :
Si qua viri discunt, credat sibi femina dici,
Et meritum et pœnas, hic quoque sexus habet.
Oderit ignotos audax attendere vultus,
Seque tamen notis addere luminibus.
Nam male permixto ludentia lumina visu,
Blande sæpe solent ore tacente loqui.
Atque amor, ut lacrymæ quas fundi injuria cogit,
Ex oculis surgit, pectoris ima petit.
Ergo ea qua juvenes præcepti lege monentur,
Hac fugiat cunctos femina casta viros.
Jam si corporeas, calcaris corpore casto
Illecebras, reliquum decute cordis onus.

DE INVIDIA.

Namque subire solet nigri de felle veneni,
Multiplicis mater criminis invidia.
Invidia infelix mortem moritura paravit :
Angelus hac celsi decidit arce poli ;
Dumque hominem properat cœlesti pellere regno,
Detrudi in tenebras ipse prior meruit.
Hinc Domini in cunctos vindex sententia venit
Omnibus hæc reliquis mortibus una rea est :
Hæc belli rabies, hæc est discordia pacis,
Plus sibi, quam cui vult sæva nocere, nocens,
Hæc Joseph nimio fratrum sub crimine causa
Primum servitii, mox fuit imperii.
Hæc justi fratris maculavit sanguine Cain.
Hæc David mortis quam prope causa fuit,
Cum, jam confecto solius robore bello,
Extolli nollet laude socer generum.
Hac primæ cogente gemens operarius horæ,
Vincere fossorem nititur undecimæ,
Hæc postrema dedit crucis in ludibria Christum,
Dum peragit livor crudelitatis opus,
Et præceps populus signa et miracula rerum
Obtutu cernit, pectore non recipit.
In tantum studiis furialibus improba cunctos
Ah ! verum in facinus verterat invidia :
Ut non nescirent, sed nollent credere, quod tunc
Esset per Dominum glorificandus homo.

DE AVARITIA.

Nec cura leviore dehinc vitare memento
Unius innumerum crimen Avaritiæ.
Omnibus in terris, quas sol videt, æquora claudunt,
Quasque dies adeunt, quasque tegunt tenebræ,

Versu 427. Delr., *perpelle sed;* legendum existimat *per pelle*, cui libens subscribo.
Versu 430. Al. *erat.*
Versu 439. Al. *curans.*
Versu 445. Delr., *si viri.*
Versu 448. Al. *tam et.*
Versu 455. Al. *Nam si torpores.*
Versu 466. Apud Delr. deest *nimio.*

Versu 468. Delr., *fratrem.*
Versu 471. Loquitur hic Orientius de bello Saulis contra Allophylos, quod, cæso Goliatho, Davidis virtute confectum est. Davidem autem Saulis generum per anticipationem vocat.
Versu 482. Delr., *leviora.*
Versu 484. Delr. male, *quos.*

Ignoto nobis quidquid diffunditur orbe,
Omnibus in regnis, omnibus in populis,
Infectis morbo multorum mentibus, hæc est
Radix, causa, caput, fons et origo mali.
Innocuos quidquid Dominus formarat in usus,
Hæc male mutatis perdidit officiis.
Quid quereris diros portus, ventosque furentes,
Tristia famosis æquora naufragiis?
Tu cæsam silvis annoso robore quercum,
Si lignis non est utilis, adde focis.
Contentusque tuo, submotum si qua per orbem
Nascuntur, patiens crede negata tibi.
Et pelagi motus, et sævas flare procellas
Securus tuto littore perspicies.
Usum naturæ vitium fecistis, avari,
Nata bona et pravis usibus esse mala.
E terra genitum terrena in munera ferrum
Falcibus incurvum vomeribus rigidum,
In cædem, et diras, bellorum crimina, mortes
Armamus contis, missilibus, gladiis.
Pelleret ut frigus violentum accepimus ignem,
Pelleret ut tenebras discoqueretque dapes:
Cœpimus insani flammas immittere tectis
Atque exurendis subdere corporibus,
Tanquam esset parvum prædandi in crimine crimen,
Ni ferret sparsas sanguine raptor opes;
Et miseros pœnis variis vis ultima cogat,
Cum quod habent perdant, dicere si qua latent.
Fratribus invisos fratres, vitamque parentum
Exosam natis fecit avaritia.
De vero falsum, de falso fingere verum
Sæva per innumeras hæc docet insidias.
Hac faciente reus dum partem subtrahit auri,
In mortem totus transiit Ananias:
Nec solus; sociam nam fœdi in crimine falsi
Conjunxit misero par quoque pœna viro.
Hæc miseros homines mortis sub tempore fecit
Non bene postremis fidere judiciis.
Subduntur tabulæ, conquiritur undique testis,
Ore ferens falsum, pectore vera premens.
Scalpuntur gemmæ similes: manus improba discit
Heu! male mentitas assimilare manus:
Ut pater alterius factus credatur, et hæres
Non possit proprii filius esse patris.
Hac duce custodes inter securus adulter
Pervenit ad castos muneribus thalamos.
Itur in omne nefas animis manibusque paratis,
Aurum si pretium constituas sceleris.
Dic, rogo, quid miserum tantus furor laxat habenas;
Ut tibi sat non sit, quod tibi jam satis est?
Immensis properas terris conjungere terras,
Claudendus parvi marmore sarcophagi?
Alterius damno fieri locupletior ambis?
Quod rapis ex aliis, mox erit alterius:
Et cursu celeri sic post amissa dolebis,
Ut doluere illi, qui tenuere prius.
Ceu non casuras immensas construis arces;
Ipse tamen raptim qui moriturus eris?
Cum itur in somnos tenuato lucida vitro,
Marmoribus variis lubrica, cella tibi:
Tanquam non adeat lignis coeuntia tecta
In bene securo pectore tuta quies.
Certe non aliter sitientia proluit ora,
Quem palmæ obtulerint, quem cava gemma liquor:
Et sic suscipient rabidi jejunia ventris
Quos cristalla dabunt, quosque patella cibos.
An non pellendo glacialis frigore brumæ
Hirta tibi melius pallia præbet ovis;
Quam quæ, lentato per lubrica fila metallo,
Alternos frangit vestis onusta gradus?
Quo tibi perlucens habitus, qui tegmine raro
Offerat ignotis membra tegenda oculis?
Argentum, et auri moles, et gemma coruscans,
E mundo, et mundi est: hinc venit, hic residet.
Venisti in mundum nudus, nudusque redibis:
Nil tecum attuleras, ferre nihil poteris.
Ferre tamen poteris contempta hic munera mundi:
Mitte secuturus, quæ duplicentur, opes.
Nam servata nimis, quæ mox bona, non tua fient,
Si tibi non serves, sic erit ut tua sint.
Munera quæ donat moriens, hæc munera non sunt,
Donat enim quod jam desinit esse suum.
Qui sanus metuensque nihil, qui mente quieta,
Qui sibi dum vivit dempserit, ille dedit:
Quodque sibi dempsit, melius reparabitur illi:
Integra mox capiet, qui peritura dabit:
Condita nam cœlo non fur, non auferet hostis,
Non tinea aut pluviæ, flammaque carpet edax:
Cœlo autem condes, quidquid pro nomine Christi,

Versu 488. Delr., *montibus*, male.
Versu 504. Al. *mentes*.
Versu 506. Al. *Vinceret*.
Versu 511. Al. *Si ferret*.
Versu 520. Forte *fœdo*.
Versu 544. Delr., *cur itur*: sed Lipsius legendum credit *Quæritur*.
Versu 546. Delr., *tectis coeuntia lignis*.
Versu 549. Hic respexisse videtur Orientius ad illa S. Hieronymi verba in Vita S. Pauli primi eremitæ: *Vos gemma bibitis; ille naturæ concavis manibus satisfecit.*
Versu 552. Delr., *frigora*.
Versu 557. Al. *Afferat*.
Versu 560. Al. *vitam*.
Versu 563. Delr., *quas*.
Versu 565. Delr., *servo*.
Versu 574. Al. *tineæ*.

Christum respiciens, pauperibus tribues. A
Qui post assumptæ carnis mysteria dicit:
Vestior in nudis, sublevor in miseris,
Visitor in clausis, curor confotus in ægris,
Adjuvor in parvis, protegor in viduis,
Et quodcunque facis miseris, vel non facis, illud
Crede mihi fieri, vel mihi non fieri.
Ac ne pauperiem pauper prætendere possis,
Ut color injustæ detur avaritiæ;
Si tibi non fuerint sumptus quos quærit egenus,
Non cibus, aut calida est qua foveatur aqua,
Cum poscit gelidus sitiens sub nomine Christi,
Oblatus poterit præmia ferre calix.
Hoc, quo quisque potes, miserum solare rogantem; B
Et si defuerint munera, vota dabis.
Ipsa etenim ante Deum non est peritura voluntas,
Si bene non poterit, qui bene vel cupiet.
Hinc fuit ut Dominus monitis felicibus omnes
Conjungi vellet pacis amore homines.
Et quæ per sanctos prædixerat ante prophetas,
Discipulis proprio traderet ore suis:
Dum nihil injustum, nil durum, nil violentum,
Nil leve, nil cupidum, nil grave, nil varium,
Vel facere in rebus, vel verbis dicere posset
Casto servatus pectore pacis amor.
Hinc cohibet totum pacis concordia mundum,
Quæ brutis etiam cum ratione datur;
Et cum flammiferis frigentia, mollia duris,
Siccis cum pugnent humida, lenta citis;
Omne per ignotas tacito moderamine causas
Uno consociat fœdere pacis opus.
Sic modo, si parvis cupias componere magna;
Corporeum frenat pacis amor populum;
Ut sub terreno sociatus principe discat
Regi cœlorum solvere vota simul.
Ergo mei similis peccator, me minor imo,
Omnes criminibus namque ego vinco meis,
Pacem placatus, pacem quoque læsus amato,
Pax in visceribus, pax sit in ore tuo.
Pelle odium, contemne minas, depone rigorem,
Offensam teneant tempora nulla tuam:
Ut te sol blandæ servantem vincula pacis
Deserat abscedens, inveniat rediens.

Versu 576. Al. *recipiens.*
Versu 583. Al. *possit.*
Versu 592. Delr., *velle cupit.*
Versu 595. Al. *laudaverat.*
Versu 608. Delr., *premit.*
Versu 615. Al. *rumorem.*

LIBER SECUNDUS.

Si monitis gradiare meis, fidissime lector, C
Cærula securus colla premis colubri.
Cumque aderit Christus judex, mox obvius ibis
Per tenerum blandis aera recte notis.
Tantum ut mandatis quovis sub tempore in istis
Prætereat curam portio nulla tuam.
An si ventosæ moveat te gloria linguæ,
Quam suadet vano Tullius eloquio:
Sin fugienda, jocus, convivia, sermo, voluptas,
Sique etiam æquævis dissociande tuis,
Quo studio nostri servabis verba libelli,
Ut vitæ meritis consociande Deo?

DE VANA LAUDE.

Præcipuus labor est blandam contemnere laudem,
Quæ trahit in præceps ambitiosa homines, D
Et semper tacito festinat ad intima motu,
Visceribusque ipsis pestis acerba sedet.
Omnia dum volumus, facimus quæcunque probari:
Utque suis nullus non faveat vitiis.
Lenito titulo parcum se dicit avarus,
Acris velatur nomine sævitia,
Ac studiis totis et tota nitimur arte,
Ut quidquid loquimur vel facimus, placeat.
At tu si Christo soli vis esse probatus,
Gloria quæratur nulla tibi ex homine.
Nam cum dejectus, mox exaltabere; erisque
Pro Domino parvus, magnus apud Dominum.
Contemptum vexet quæcunque injuria nulli,
Simile pertuleris, par quoque redde malum.
Ecce Patrem Christus pro se lacerantibus orat;
Supplicat et Stephanus, supplicat et Jacobus:
Dum miti magnoque animo licet ultima passi
Pœnarum nulli causa volunt fieri.
Nullum sæva reum faciat sententia, nullum
Austero proceres plectere judicio.
Festucam tenuem fraterno in lumine cernis,
Luminibusque tuis nescis inesse trabem.
Injuste alterius cupiet describere vitam,
Assertor vitæ qui nequit esse suæ.
Sed nos damnati vitiis insistimus, et quæ
Ipsi persequimur, mox etiam facimus.

DE CAVENDO MENDACIO.

Fallere crede nefas: durat sententia dicens:
Os quod mentitur, morte animum perimit.
Et quod verax est, semper dixisse memento
Et non quod non est, sermo tuus resonet.

DE GULA.

Dulci prætera frenos impone palato,

Versu 7. Al. *At si.*
Versu 28. Leg. *Si male.*
Versu 31. Forte *properes.*

Ne sapor antiquus sæviat illecebris,
Illos cœlorum donis regnisque potitos
Fecit mortales ambitiosa gula.
Dum magis in vetitum ruimus, cupimusque negata,
Et quod difficile est, hoc potius volumus.

DE EBRIETATE.

Præcipue largo venas perfundere vino
Respue, ne raptim vina venena fiant.
Ut nimiis quoties sitit æstibus arida tellus,
Solers in fructus quam parat agricola,
Si prius evulsas quam sol internecet herbas,
Inroret madidos nubila densa dies;
Protinus et sentes, et gramina noxia messi
Seminibus victis, heu! male læta feret.
Corpora sic multo fuerint quæ dedita vino,
Consiliis pereunt, luxuriant vitiis.
Et quid sordidius, quid erit deformius unquam,
Quam si te tibimet subtrahat ebrietas?
Cum caput huc illuc vergat, gressusque vacillet,
Mensque neget sensum, lingua tenere sonum,
Claudantur gravido vergentia lumina somno,
Quid facis ignores, tu quoque cum facias.
Quid loquar ablatum, vultu fumante, calorem,
Et male compositis verba soluta modis?
Labentes manibus calices, mensasque per ipsas
Immixtos vino sæpe redire cibos,
Teque per innumeros, cum vult mens saucia, motus,
Vel gaudere nimis, vel modo flere nimis;
Et nunc saltatu vergentia membra rotare,
Nunc dare lascivis brachia mota choris.
Exclamare libet vino dapibusque sepultum,
Forte etiam proprii nominis immemorem?
Ejus qui donet largus tibi talia, quando
Orandi subeat tunc pia cura Dei?
Pascere tam magno sumptu quot posses egenos,
Quotque dies lætos hæc daret una dies?
At te nunc saturo pauper jejunus oberrat:
Tu vinum revomis; vix habet alter aquam.
Et si forte cibum vox poscit egena, negabis
Ollis queis nihil est hoc tibi quod superest.
Sentio jam dudum tacitum te dicere, lector:
Vera quidem, sed sunt ardua quæ statuis.
Ardua præcipimur, de terra scandere cœlum.
Non est quod parvo stare labore putes.
Magnus enim labor est; sed merces magna labori:
Præmia qui sperat, desidiam fugiat.
Palmam nemo feret, nisi qui certaverit ante:
Non nisi victori blanda corona datur.
An tibi fragiles mundi quærantur honores
Munere quos speres emeruisse hominem?
Quidquid id est variis quod vexat corpora sævis,
Dum celeri vitam currimus in stadio:
Contemptum, pluvias, frigus, jejunia rixas
A Contento poteris sustinuisse animo.
Discurrens urbem totis lustrare diebus
Vix media fessus nocte redire domum.
Continuoque iterum prima consurgere luce,
Ut clausas possis primus adire fores.
Et cum te tenuis per dura sedilia somnus
Compulerit fessum deposuisse caput;
Ille prior forsan qui serior adfuit ibi
Atria pulsabit, stulta querela notus.
Aut si lictorem tanget vox clarior, opta
Ut bene submotus, nec male cæsus eas.
Sed fac quod rarum est, ut victus janitor auro
Ac precibus tandem dicat: Adire potes.
Ingrederis lingua blandus, vultuque modestus,
Corpore subjectus: nil tamen ista juvant.
B Omnis honor pretii est: ibi pro pondere nummi:
Charta seu foliis sive potens tabulis.
Nam si cessarit dives manus, irrita res est.
Et si verba dabit, tu quoque verba feres.
An honor arrisit, quem semper in ordine mos est
Sumere sero quidem, sed posuisse cito?
Nam quod tu dederas, mox conferet alter et alter:
Quod multi cupiunt, nemo diu tenuit.
Fac tamen ut longum durans honor inflet, agat te,
Nunquidnam finem non habiturus erit?
Finge, age, mansuri signent tua nomina fastus,
Atque tuo felix annus eat titulo:
Quid tandem prodest, cum desinit esse potestas!
C In quo sentitur quod fuit atque abiit?
Et quod paulatim succedens nesciet ætas;
Et quod si scierit, quid tibi merces erit?
Sed qui terreno tantum dependis honori,
Tantaque nunc homines ambitione colis,
Ut Domino placeas, cujus sunt omnia, Christo,
Insuper et regnum promereare Dei.
Anteferens verum falsis, ingentia parvis,
Vilia magnificis, perdita perpetuis.
Devotum vincet quæ tandem injuria pectus?
Et quid erit celsum? quid tibi difficile est?
Namque nihil durum est, cum spes succedit, et omnis
Pervenit ad fructum victus honore labor:
Et fructum, toto qui duret tempore, quem non
D Auferat ambitor, prodigus, impatiens?
Audis spondentem Dominum nova præmia justis,
Promissis semper qui meliora dabit.
Non conspecta oculis, non auribus insinuata,
Ipso non sensu præmeditata prius.
Non tibi distillant pretioso cortice myrrhæ,
Thuris odorato cespite terra tumet.
Adde thymum, violas, casias, melilota, crocumque,
Candida puniceis lilia junge rosis.
Cum tot in his terris peccator munera sumas,
In cœlis sanctus quæ bona percipies?

Versu 67. Leg. *oblatum*.
Versu 71. Forte *saucia*.

Versu 93. Leg. *perfragiles*.

Finge, age, quid clarum, quid pulchrum, quid pretiosum, A
Et totum magnum quidquid in orbe putas.
Hoc meritis dandum felicibus, aurea tecta,
Gemmatos postes, purpureumque solum,
Ruraque vernantis semper redolentia flore,
Lacte et melle simul flumina plena trahi.
Nec quia conscendunt animos, et mente videntur,
Inferiora illis crede futura bonis.
Nec vereare tamen longo ne tempore victus,
Impar mandatis repperiare Dei.
Nil habet hæc longum, longo licet acta rotatu,
Quo nunc perfruimur tempore vita brevis.
Lassa senescentem despectant omnia finem:
Et jam postremo volvitur hora die. B
Respice quam raptim totum mors presserit orbem,
Quantos vis belli perculerit populos.
Condensi nemoris, celsi non aspera montis,
Flumina non rapidis fortia gurgitibus,
Nec castella locis, non tutæ mœnibus urbes,
Invia non pelago, tristia non eremo,
Non cava, non etiam metuendis sub rupibus antra
Ludere barbaricas prævaluere manus.
Multis ficta fides, multis perjuria, multis
Causa fuit mortis civica proditio.
Insidiæ multum, multum vis publica fecit.
Robore quæ non sunt, sunt superata fame.
Concidit infelix cum prole et conjuge mater, C
Cum servis dominus servitium subiit.
Hi canibus jacuere cibus, flagrantia multi
Quæ rapuere animam, tecta dedere rogo.
Per vicos, villas, per rura, et compita, et omnes,
Per pagos, totis inde vel inde viis
Mors, dolor, excidium, strages, incendia, luctus
Uno fumavit Gallia tota rogo.
Cur tamen enumerem labentis funera mundi,
Quæ per consuetum semper aguntur iter?
Quid repetam quanti toto moriantur in orbe,
Ipse tuam videas cum properare diem?
Prætereo gladiis quantum, quantumque ruinis,
Igni, graminibus, fluminibus liceat;
Quantos bella, fames perimant, morbique furentes. D
Et quæ per varias mors ruit una vias.
Quantos et mediæ pacis sub tempore, ut esse
Pax possit, cruciat debita pœna reos.
Omnis paulatim letho nos applicat hora,
Hoc quoque quod loquimur tempore præmorimur:
Et per fallentes tacito molimine cursus
Urget supremos ultima vita dies:
Cum cibus et somnus, dum verba, et pocula mulcent.
Sive domo sedeas, seu peregrina petas:
Dumque geris quodcunque geris, vel non geris ultro,
Mors movet alternum nil remorata pedem.
Cereus ut cæcæ positus sub tempore noctis
Compensare diem luminis officio,
Dum non sentimus, lento consumitur igne:
Semper et ad finem flamma vorax properat.
Sic hominum res est · pereunt quæcunque geruntur.
Proficit et moritur quod sibi vita trahit.
Sed fac vivacis spatia hæc tam longa senectæ,
Orbis ut immunis funera respicias.
Sero licet veniat, veniat tamen ille necesse est
Qui non in totum finis abesse potest.
Jam quæ nascuntur, crescunt post, atque senescunt,
Et senio fessis nil nisi mors superest.
Intereunt decies qui ternos vixerit annos
Atque illum vixit quomodo millesimus.
Postquam postremus finis retinebit utrumque,
Certe supremo tempore mortis idem est.
Quid vitam traxisse juvat, si vivere cessas?
Quæve bonis merces si teneare malis?
Cum, nisi dum frueris fructu, tangere fruendi
Et vita hæc vitæ vivat in officio.
Jam quod jam fuerat nihil est, si desinit esse;
Et quod non sentis, non juvat an fuerit.
Quid tandem prodest si te jejunia vexent,
Hesternis large membra onerasse cibis;
Cumque tua hodie stringat assidua sitis,
Ante diem nimio præmaduisse cibo?
Cum mediis celeri quæ sunt decursa rotatu
Eripiat sensum non reditura dies?
Sed nos decursæ primævo flore juventæ
Jam dubii, gressu, lumine, voce, manu;
Cum quidquid fuimus, dolor est meminisse: fidemque
Omnibus eripiant proxima præteritis.
Incurvos querulos consumpto corpore nunquam
Hæc quoque quæ gravis est vita satis satiat.
Hinc est quod toto penitus velut orbe remoti
Spectamus toto quidquid in orbe perit.
Nec miseros alio tanquam sub sole manentes
Mortis non propriæ mors aliena monet.

Versu 155. Forte *vernanti*.

Versu 167. Similem Galliarum vastationem, quæ anno Domini 407 contigit eodem fere modo describit alter poeta Gallus, auctor carminis de Providentia inter opera S. Prosperi, cujus hic versus libens exscribam:

> Non castella petris, non oppida montibus altis
> Imposita, aut urbes amnibus æquoreis
> Barbarici superare dolos atque arma furoris
> Evaluere...

Versu 179. Forte *Hi*.

Versu 184. Ita etiam præfatus scriptor libri de Providentia:

> Cumque animum patriæ subiit fumantis imago,
> Et stetit ante oculos quidquid ubique perit.

Versu 215. Forte *Interdum*.

Versu 232. Leg. *dubio*.

Ante oculos longeque simul fraudamur amicis, A
Luminibusque illinc, hinc venit aure dolor.
Intereunt dulces ævo vergente parentes,
Eque ipso conjux eripitur gremio.
Et fratris fratrem mors e complexibus aufert,
Et natu forsan junior ille fuit.
Ordine nec vitæ senior subducitur ætas,
Cum videat nati funera sæva pater.
Nemo tamen cautus credit quod cernit, et illum
Quod non vult, cernit se quoque posse pati.
Hoc tamen inde venit, factis quia semper iniquis
Mortem perpetuum ducimus esse malum :
Et quas criminibus pœnas lex sancta minatur,
Serius excipere credimus esse lucrum.
Felix qui licitum finem putat esse laborum, B
Quid pœnæ timeat caverat ante timens.
Felix qui magnum magnaque indage movendum,
Urbibus et populis nobile judicium
Constanti sperare animo vultuque sereno
Securus vitæ de probitate potest.
Quem faciat certis bene mens sibi conscia causis
Sub tanta intrepidum mole tenere caput.
Illic imperio quondam regnoque potentes,
Illic conspicui fascibus et trabeis,
Queis aurum lectis dapibus; cristalla Falerno,
Subtratoque ostro mos onerare toros :
Robore famosi, laudati munere formæ,
Ac male fidentes corporeis opibus :
Quorum venter erat dominus, lascivia votum, C
Spes in præsenti, gloria divitiæ.
Qui neglexerunt miseri vel morte sub ipsa
Claudendis Dominum quærere luminibus,
Pœnam exspectabunt clausi. Nunc quære doceri
Quam pœnam : factis congrua pœna manet.
Hos tenebræ juges cæca sub nocte manebunt :
His lumen tunc flamma severa dabit.
Isti sulphureo flagrantes igne caminos
Cogentur laceris scandere corporibus.
Illos constringet violento infusa rigore
Flatibus hibernis dura gelu glacies.
Et cum tam discors pugnet natura gehennæ,
Nominis unius vis tamen est varia.
Nec tam diversa possis dignoscere pœna
Igne sit, an gravius frigore supplicium. D
Non quot nos istic terrena morte peremptis,
Excipient unam crimina multa necem;
Cum quamvis sævus pro rerum pondere judex
Non aliud possit quam rapuisse animam,
Et quodam scelerum lucro si plurima restent
Vindictam reliquis ultio prima neget.
Ast istic omnis persolvet in ordine noxas,
Succedens factis congrua pœna suis.

Atque unum corpus per singula membra patebit
Quot potuit vitiis, tot quoque suppliciis.
Altera crudeles, lex altera plectet avaros :
Facta aliter solvent, et meditata aliter.
Est sua perjuris, est et sua pœna superbis,
Atque alia effusi causa cruoris erit.
Invidus, impatiens, mollis, falsator, adulter,
Et vini totus, totus et illecebræ.
Dextram cæde nocens, linguam in convicia promptam,
Pervasor, jactans, impius, indocilis,
Judicii ante diem pœnas dabit, ut neque parvum
Supplicii spatium det mora judicii.
Ambibunt alios sinuosis flexibus angues :
Ast alios candens igne catena teret.
Omnia plena illic lacrymis, terrore, dolore,
Et vox nulla, nisi quam dederit gemitus.
Et quidnam ulterius per singula crimina curram
Vexabunt diris quæ miseros crucibus;
Quando etiam incauto si quid nunc ore loquaris,
Sermonis ratio est discutienda tibi ?
Hos inter rerum Dominum quicunque negarit
Submittens saxis stipitibusque caput.
Ille miser vere, nec erit miserabilis ulli,
Excipiet solus quidquid ubique nocet.
Innumeri vermes morituro in corpore vivent,
Nec finis fumo quem dabit ignis, erit.
At parte ex alia blandorum verba piorum
Sed nec vexati restituere malum,
Auxilium miseris, victum tribuere petenti,
Affectum notis, servitium patribus,
Instar flammantis fulgebunt lumina solis,
Velati niveis splendida membra togis :
Præcipueque illi, quos Christi in lege paratos
Excipiunt noctes inveniuntque dies,
Queisque fuit votum niveam baptismatæ vestem
Nunquam femineis commaculare toris;
Corpore nec solo, sed toto et pectore cauti,
Et qualem lector te meus esse velim.
Vel jam felices quæ primæ gloria vittis
Lucis et infidi corporis illecebris,
Veram quærentes vitam, pro nomine Christi
Fundere devotas non timuere animas.
Atque sacerdotes hoc sanctum agmen habebit,
Secretosque hominum turbinibus monachos;
Qui nunc spernentes blandæ oblectamina famæ,
Venturi sperant præmia judicii :
Mollia securis ducentes otia rebus
Pro merito vivunt nunc bene, post melius,
Namque ipsi denso stipabunt agmine regem,
Cum terris judex institerit Dominus,
Atque omnes Agnus quoquo se verterit ibunt,

Versu 249. Pro *illud :* quo scriptoribus mediæ ætatis non erat infrequens.

Versu 265. Eleganter *aurum* hic sumitur aureo pro disco, more poetarum, qui materiam pro vase ipso quandoque usurpant : ita Virgilius Æneidos lib. I.

Ille impiger hausit
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro.

Versu 276. Forte *tenue*.

Versu 301. Hic versus ita videtur restituendus : *Dextera cæde nocens, lingua in convicia prompta.*

Versu 320. Forte *Qui*.

Versu 331. Forte *quæ prima est gloria, victis.*

Perfusi vero lumine, luce Dei. A
Et tantum ipsorum capient vegetata decoris
Cernentum ut non sint ora videnda oculis.
Ergo ubi terribilem dederit cava buccina cantum,
Adventum tandem testificanda Dei;
Mox longis tellus rimis divulsa patebit,
Ac passim flammæ, fulgura, grando ruent,
Imis concusso penitus de sedibus orbe
Dum totæ servent inde vel inde viæ.
Hinc tristes gemitus, illinc pia gaudia vitæ,
Una in diversis vox erit agminibus.
Atque omnibus raptim celeratis gressibus ibit
Deducens sobolem prosapiamque pater.
Cunctaque contento ducetur linea tractu,
Cum fuerit medius progenitor genitis. B
Nec tibi famosas urbes, gentesque remotas,
Regnaque quæ nunc sunt, quæve fuere loquar.
Frigore non segnes populos, non sole perustos,
Quosque habuit nascens, occiduusque dies:
Sed fuit a primi genitum quod tempore mundi
Usque diem mundo qui modo finis erit.
Omnibus e terris animas justasque reasque
Uno constituet jussio prima loco.
Nec tamen ulla illinc tanta inter millia perget,
Quæ non sit Domino dinumerata suo.
Mox rutilum scandens eadem cum carne tribunal,
Quam cœlo intulerat, glorificans hominem;
Omnia quæ reliquis labantur in ordine sæclis, C
Quæ tunc, quæve dehinc lege manente fiant
Ore sacer, celsus solio, terrore videndus,
Conspicuus, sed vix conspiciendus aget:
Atque inter flammæ tractus, sonitusque tubarum,
Angelicosque choros, militiamque sacram,
Inter et infantum, matrum, juvenumque, senumque,
Pallores, fletus, gaudia, vota, metus,
Ultima suspensæ dabitur sententia turbæ,
Quæ sacro sancti judicis ore sonet.
In requiem et laudem justorum perge caterva,
A regno nunquam dissocianda meo,
Quæ vobis gnarus meriti vitæque futuræ
Dat modo, sed dudum dona parata Pater. D
At tu mandatis semper contraria nostris,
Impia tartareis claudere turba locis.
Illic stridorem, dentes, et lumina fletum,
Ignibus immodicis discrucianda dabunt,
Et tamen, ut vere maneant quæcunque jubentur,
Hæc erit æterni formula judicii,
Gloria quæ justum, submota morte, tenebit:
Atque reus pœnæ non moriturus erit.
Hæc ego debueram factis tibi tradere, lector,
Ut pondus verbis vita probata daret.
Sed quia negligimus miseri quæcunque monemur,
Et satis est levius discere, quam facere:
Tu si commendes animo demissa per aurem
Omnia quæ scriptis sunt numerata meis:
Constanter dicam, cœli statione receptus,
Discuties sævæ vincula dura necis;
Atque etiam fueras qui filius ante gehennæ,
Incipies summi filius esse Dei.
His illud superest sine quo nihil omnia prosunt,
Ut Christum credas de Patre, cumque Patre
Spiritus et sanctus nullo discrimine junctus.
Unum consumment nomina trina Deum.
At tu cum legis nostrum quicunque libellum,
Nostri, seu malus est, seu bonus, esto memor.
Et quoties Dominum perlecto carmine Christum
Orabis; simus semper in ore tuo.
Quod ne me primis credas injungere labris,
Neque istud tuto dissimulare putes.
Sic te nulla dies curis compungat amaris:
Sic Christo totum quidquid agis placeat:
Sic sumas sanctam dono tradente coronam.
Nominis abscedat ne tibi cura mei.
Ut peccatores vincens Orientius omnes
Sanctorum veniam promerear precibus.

EXPLICIT SANCTI ORIENTII LIBER SECUNDUS.

INCIPIT DE NATIVITATE DOMINI.

Splendidior lux luce micat, majorque diebus
Fulget clara dies, toto festivior anno:
Natalis quæ lecta Deo, qua nascitur ille
Cum Patre qui semper cœli in consortia regnat.
Virtus magna Patris carnis primordia nostræ
Mox hominem in cœlum revehens, sic morte peracta
Sumere qui carnem voluit, nec carne senescit.

DE EPITHETIS SALVATORIS NOSTRI.

Janua, Virgo, Leo, Virtus, Sapientia, Verbum
Rex, Baculus, Princeps, Dux, Petra, Pastor, Homo,
Retia, Sol, Sponsus, Semen, Mons, Stella, Magister,
Margarita, Dies, Agnus, Ovis, Vitulus.
Thesaurus, Fons, Vita, Manus, Caput, Ignis, Aratrum,
Flos, Lapis angularis, Dextra, Columna, Puer.
Mitis Adam, Digitus, Speculum, Via, Botruo, Panis,
Hostia, Lex, Ratio, Virga, Piscis, Aquila,
Justus, Progenies regis, regisque Sacerdos,
Nomina magna Deo: major at ipse Deus.

ITEM PLUS DE TRINITATE.

Quod fuit a sæclis, quodque est in sæcla sæclorum,
Semper erit, quia semper erat, sine fine manendus:
Et super omne quod est, sine quo nihil, omnia cui,

Versu 355. Forte *omnis.*

Versu 415. Forte *Domino.*

Omniparens Verbum, Verbum Deus omnipotens.
Cum Patre qui solus, cum quo Pater et Deus solus
Hoc erat, et nondum natum acceperat ortum.
Semen enim Christus, Christus primordia rerum,
Christus honor terræ, tremor orbis, gloria cœli.
Ex dominante Deo Rex et Dominator in altis,
Unicus ante omnes genitus, genitore sed illo,
Quem genuit nullus, per quem gignentia cuncta :
Quæsumus, optamus, tremimus, veneramur, amamus.
Totus ex toto, totum diffusus in orbem.
Non idem, sed prorsus idem, similisque, simulque
Tantumdem, et pariter, sic Filius et Pater unum.
Nomine divisum nomen, substantia mixta est,
Consummans sacri mysterii sancta profundi.
Plenitudo potens, dedita sibi, nexa vicissim
Trina potestatum conclusio parificatur.
Spiritus et volitans perfectio tota superne.
Ergo honor in Christo est, laus est Patris, in Patre Christi est.
Ipse Patris mens est, et sermo, et testis, et hæres :
Ipse recognoscit quantum Pater audet in ipso :
Ipse caput nostrum, sapientia, gratia vita :
Ipse hominum custos, speculator, et arbiter ipse :
Ipse salutis iter, luxque immutabilis : ipse
De vero verus splendor, de lumine lumen,
De bonitate bonus, de pleno et divite plenus,
Providus, indulgens, clemens, miserator, abundans,
Perfectus, patiens, justus, immaculatus.
Æternum Æterni donum, tutela priorum.
Firmamentum animæ, fuga dæmonis, arma fidei,
Perpetuum regnans, censor judexque futuri,
Tempore non clausus, clausurus tempora jussu,
Principium ac finis, vegetator et intus et extra,
Velle tenens, et posse potens, et mite severus,
Pax mundi et gaudium, pravique bonique director.
Dum mortale quod est, Deus immortale probavit.
O felix Domini dominatio, nobile lethum!
O miseræ gentis cor durum, et perfidus error !
Impie damnator, tua mors hoc stipite pendet;
Credule confessor, tua vita hoc sanguine vivat.
Flecteris judicante Deo qui plectere visus,
Salvavit populos, populus quem odit iniquus.
Hic est ille suis reprobus prius, et maledictum,
Sputamenta hominum, perituri opprobria vulgi.
Hic cui sæva manus fel mixtum fudit aceto,
A Palmea quem cæco violarunt verbera pulsu.
Aspice, percussor demens, venerabile lignum,
Cerne profanati victricia signa cruoris.
Estne Deus vivus, Deus insuperabilis hosti,
Ultro, profugium, requies, lux, vita, fides, spes?
A Patre noscendus quod sit sator atque animator :
A cruce quod vindex, propulsatorque gehennæ,
Errorum ablutor, pax fida, remissio larga.
Natus amore hominis, passus ratione salutis,
Functus lege obitus, redivivus in æthera celsus,
Sede sedens patria, super omne salutifer ævo,
Unde humilem dignatus humum, remeabilis illo.
Peccati pretium, peccandi nescius ipse,
Participans famulos, conformans glorificatos.
B En tibi quam pulchrum per limina nostra tropæum,
Christe, micat; quam clara Patri vexilla reportans,
Sanguinolentus adhuc, etiam quod et antea, semper
In virtute potens, in majestate perennis.
Cur tamen hanc speciem teneat crucis edita forma
Monstrat adorandum tota ratione character.
Quod divisa nota est in partes quatuor exstans,
Dat mundi Dominum cognosci, et archangelos omnes.
Tot Regis ipse plagas, cœli quot crux videt oras.
Crux imitata pias orantis imagine palmas,
C Crux testata Dei pacem pingit, et est pax
Quæ data per lignum est, pax ligno scripta tenetur.
Vis gratias miratur item spectare figuras?
Aspice perfectum signi locupletis enigma
P. Græcum videas, caput est, vel brachia fixi.
Iota quod erectum est suspensio corporis hic est.
Littera prosequitur pœnam, fert pœna salutem :
Alpha dehinc juxta est, atque altera comminus est Ω
Prima quod hic primus, postrema novissimus hic est.
Hæc elementa apicum Deus hic super omne elementum :
Omnia conveniunt cœlesti insignia signo.
D Cum subit in ligno, lignum Deus indicat esse
Materiem fructus; cum ramum extendere in altum
Altior excelsis Dominus supereminet omnes.
Fixorum est medius : numerus dat trinus honorem.
Percutitur, cruor exit, aqua de vulnere facto
Exit, et ex ipso mox sanguis vulnere. Nempe :
Martyrium sanguis, sibi vindicat unda lavacrum.
Sic ope divina mors arbore vitaque venit.

Versu 21. Adde *est*.
Versu 22. Forte unus.
Versu 30. Leg. *Ex toto totus*.
Versu 34. Forte *mysteria*.
Versu 35. Leg. *sibi dedita*.
Versu 58. Forte *piorum*.
Versu 59. Forte *vivit*.
Versu 60. Forte *Plecteris*.
Versu 89. Leg. *depingit*.
Versu 91. Forte *gratas mirator*.
Versu 101. Supple *videtur*, aut quid simile.

Per pomum, protoplaste, cadis : cruce Christus medens : A
Illic mortiferam draco pestifer detulit escam.
Nec mirum, vix digna Deo si nomina mille
Laus numerosa trahat, laus tot virtutibus impar,
Quot titulos peperere pii miracula Christi.

EXPLANATIO NOMINUM DOMINI.

Janua, quod residet cœlo secretaque pandat,
Virgo incorruptæ matris cui partus origo est.
Et Leo Rex hic est regum : rex ille ferarum
Dicitur et virtus : nihil hoc quoque fortior uno.
Unde autem dictus est Sapientia? regula vitæ est.
Quomodo sit Verbum? Patrio quia fluxit ab ore.
Cur modo Rex idem, modo Regis Filius idem?
Cum Patre quod solium cœli commune retentet. B
Cur Baculus? lapsos quod sublevet, erigat ægros.
Cur Princeps? subjecta throno quia cuncta gubernet.
Cur Dux militiæ cœlestis? ab agmine sancto.
Cur Petra? Quod valido statuat fundamine firmum.
Unde bonus Pastor? maculam quod ovilibus obstet.
Nunc Homo : natus enim est et carnem a Virgine sumpsit.
Retia cur? sparsas quod colligat undique gentes.
Cur Sol justitiæ? quia justum illuminat omnem.
Cur Sponsus? desponsa Deo quod Ecclesia virgo est.
Cur Sanctum? quod regna serat felicia verbo. C
Mons : quod in ascensum non omnibus ardua cedat.
Stella : quod incertos duce lumine dirigat itus.
Unde Magister? amat famulantia corda docere.
Margarita : quid hoc pretiosius inveniatur?
Unde Dies? quod luce magis resplendeat (unus).
Tunc quia sit sanctus, innoxius Agnus habetur,
Qui potuit solus peccatum tollere mundi.
Et modo fertur Ovis, quod se jugulantibus aptet.
Dicitur et Vitulus : contenta hoc passio monstrat.
Fons, quia purificat vitium baptismate largo.
Vita, quod æternum dat vivere vivificatis.
Est Manus : occurrit virtutum operatio dives.
Est caput : in promptu est quo nostro auctore creemur. D
Ignis : in hoc quod adhuc probatio nostra supersit.
Unde Aratrum? subigat quod pectora fructificetque.
Flos, quia confessor est, martyres ipse coronat.
Cur Lapis angularis? populum quia nectit utrumque.
Dextera, qua patrium latus assidet, ornat, honorat.
Sæpe Columba : dolum quia nescit, ac sine felle est.
Unde Puer? quod purus eat genitoris ad arcem.
Vitis : adoptivo quod se hærede propaget.
Unde secundus Adam? quia sit caput ipse renatis.
Est Digitus, Stylus iste : Dei est lex scripta per ipsum
Nunc Speculum : quod imago Patris perlucet in illo.
Nunc Via : quod sanctis sit prævius in paradiso.
Botrio : quod succis cœlestibus irriget orbem.
Panis : in hoc nostræ quod sint alimenta fidei.
Hostia viva Deo, Summus cur ipse Sacerdos?
Se quia sanctificans patriis altaribus offert.
Nunc Ratio : hæc Ratio est, per quam stat fabrica mundi.
Virga : quod errantes ut verbere corrigat actus.
Piscis natus aquis : auctor baptismatis ipse est.
Sæpe Aquila : e terris quoniam revolavit ut ales.

LAUDATIO.

Denique, ne multis tam multa et magna moremur.
Est Oculus : cognosco Deum, videt omne Deus cor.
Unde Propheta? brevi quoniam futura revelat.
Angelus unde? sui quia nuntius exstitit ipse.
Brachium, ab amplexu quo continet omnia, dictus.
Quidquid id est, agnosce, tuum est quod sancte vocaris.
Magnitudo operum tot rerum nomina celat :
Sed propriis meritis tanti censentur honores.
Causa facit titulos, dat scire vocabula virtus.
Tu sublime sedens; Agios, benedictio nostra.
Te Deus Emmanuel : nobiscum habitabile nomen.
Tu Dominus Sabaoth pugno teges omne quod usquam est.
Te domus Israel, confessoresque beati,
Te patriarchæ omnes, teque angeli omnes adorant.
Tu super ignotum cherubim, super astra coruscas;
Qui promissus Abræ fueras, de semine David,
Glorificum in cœlo osanna laudabilis audis.
Respice nos tantum, Crucifixe, Paraclite, Christe,
Nazarene; Deus, quem credimus, et Galilæe
Et Deus Abraham sancti patris, et Deus Isaac
Et Deus alme Jacob, spes unde est nostra fidesque.
Respice, Christe, tuos, longumque tuere redemptos.
Supplico ego indignus, et tu dignare rogantem.
Omnipotens miserere mei, miserere meorum :
Da dolor absistat, cura et formido facesset,

Versu 109. Leg. *obtulit*.
Versu 125. Forte *aufert*.
Versu 135. Adde *ipse*, aut quid simile.
Versu 146. Forte *confessores*, etc.
Versu 174. Leg. *Tu*.
Versu 175. Pro *tegis*, usu antiquis familiari, qui litteram *e* pro *i* frequenter usurpabant, et vicissim.
Versu 177. Leg. *angelus omnis adorat*.
Versu 178. Leg. *ignitum*.
Versu 188. Forte *facessat*.

Et socier sanctis famulis tuis, et timeam te,
Et placeam dum vivo tibi, nec sim reus illo
Tempore, cum stetero meriti memor ante tri- [bunal.
Christe, tuum : vereque colam quod prædico [nomen.
Crux tua fronte, manu, labiis, crux intima sidat.
Crux clypeata domus, crux sit lorica salutis,
Hoc melius signo fulgebit lucida turris,
Quam cum sacrilego polluto cruore maderet.

EXPLICIT.

INCIPIUNT ORATIONES ORIENTII

NUMERO XXIV.

Tibique, Domine, celsum Cherubim dicatum est,
Et illa molis quadriformis machinæ
Te sempiterno confitentur carmine,
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus.
Te septem primi deprecantur angeli,
Seu civitatis septem principes viri,
Solio propinqui, janitores proximi :
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus.
Te solis astrum cum sorore menstrua,
Vergiliæ, Jugula, Vesperugo, Lucifer,
Omnesque guttæ præmicantes invocant :
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus.
Aer aquosus sive sudus invicem,
Simulque venti, pluviæ, grando, flumina,
Ritu suomet conditorem concinunt :
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus.
Solum stativum cum fertura mobili
Quæ paret homini, quæque capta de una,
Tibi cantat uni, conticescit cæteris :
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus.
Oceane, qui cinctam coerces aream,
Et intestini fossa media gurgites,
Deum sonantes cum marinis belluis:
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus.
Infernæ sedis flamma, fulva tartara,
Trucesque præsidentes pariter angeli,
Amen minaci decantantes carmine :
Et nos imago consonantis cantici
Amen sonamus, alleluia dicimus.

INCIPIT XXIV.

Postremo dico deprecandi canticum,
Id facio quantum per XX cantica,
Sed ne quis audax interpellet quippiam :
Anguem magistrum falsitatis increpo,
Ut non adjiciat sive demat litteram.
Quod si quemquam lædit spiritalis lectio,
Ei licebit lectionem spernere,
Non commutare lectionis formulam :
Anguem magistrum falsitatis increpo,
Ut non adjiciat, neve demat litteram.
Si scriptor errat in mutanda littera,
Ignarus errat ; venia Christo, si præsto est :
Nam non voluntas, verum dextra labitur.
Anguem magistrum falsitatis increpo,
Ut non adjiciat, neve demat litteram.
Ad illos homines interdictum pertinet,
Qui voce vera nominantur physici :
Si non probatis, præterire liberum est.
Anguem magistrum falsitatis increpo,
Ut non adjiciat, neve demat litteram.
Et nos a fæce ethnicorum emersimus,
Eamque tandem rupimus caliginem,
Dum spiritales exaudimus angelos.
Anguem malignum. . . . .
De signo sextum præcavendam spiritu
Mortis Dei prophetas instrumenta dæmonum
Numâ et mortis semper in sæculum.
Deus sancte, te rogamus Patrem Unigeniti,
Christe Deus, te precamur vivum Dei Filium,
Sancte Christe, te obsecramus judicem verum [Deum.

EXPLICIT ORATIO XXIV *.

Versu 2. Pro *moles* juxta observationem supra adnotatam.
Versu 31. Forte *furva.*
Versu 41. Forte *quem lædit.*

* Orationes viginti quatuor composuerat Orientius ex titulis. At primam tantum et ultimam exhibet noster codex manuscriptus.

ANNO DOMINI CCCCLXX.

SANCTUS AUSPICIUS

EPISCOPUS TULLENSIS.

EPISTOLA

AUSPICII EPISCOPI ECCLESIÆ TULLENSIS AD ARBOGASTEM COMITEM TREVIRORUM.

Præcelso exspectabili his Arbogasto comiti,
Auspicius qui diligo, salutem plurimam.
Magnas cœlesti Domino rependo corde gratias,
Quod te Tullensi proxime magnum in urbe vidimus.
Multis me tuis actibus lætificabas antea,
Sed nunc fecisti maximo me exsultare gaudio.
Major etenim solus apparuisti omnibus,

Ut potestatis ordinem illustri mente vinceres,
Cui honor debitus majore nobis gaudio
Nondum delatus nomine, jam est collatus meritis.
Plus est enim laudabilem virum fulgere actibus,
Quam prætentare lampada sine scintillæ lumine.
Sed tu qui totis gradibus plus es quam esse diceris,
Erit credo velocius ut reddant merita.
Clarus etenim genere, clarus et vitæ moribus,
Justus, pudicus, sobrius, totus illustris redderis.
Pater in cunctis nobilis fuit tibi Arigius :
Cujus tu famam nobilem aut renovas, aut superas.
Sed tuus honor ejus est, ejusque tibi permanet,
Et geminato lumine sic tu præcluis [a] omnibus.
Cujusque nemo dubitet felicitati præstitum,
Ut superesset genitrix tibi, laudanda omnibus,
Quæ te sic cunctis copiis replet et ornat pariter,
Ut sis abundans usibus, et sis decorus actibus.
Congratulandum tibi est, o Trevirorum civitas,
Quæ tali viro regeris, antiquis comparabili.
De magno origo semine descendit tui nominis :
Certe virtutis ejus est, ut Arbogastis legitur.
Scribantur in annalibus hujus triumphi pariter,
Sicut et ejus scripti sunt, quem supra memoravimus.
Sed hoc addamus meritum huic, qui vere major est,
Quod Christi nomen invocat religioni deditus.
Fuit in armis alacer ille antiquus, verum est :
Sed infidelis moritur, et morte cuncta perdidit.
Hic autem noster strenuus, belligerosus, inclytus,
Et quod his cunctis majus est, cultor divini nominis.
Nunc autem, fili sapiens, quæso, dignanter accipe
Tui cultoris paginam quam ex amore porrigo.
Primum deposco, cupias collatas tantas gratias
In te conserves integras, et bonis multis affiues.
Unum repelle vitium, ne corda pura inquinet,
Quod esse sacris scribitur radix malorum omnium :
Cupiditatem scilicet, quæ in alumnos dessævit,
Nec sæva parcit rabiem quorum amore pascitur,
Hoc (inquam) semper devorat famem edendam [b] perferens,
Et velut ignis addito succensa crescit pabulo.
A Sed hæc non ita dixerim, quod te hoc damnem crimine.
Tamen deposco diligens, ut nec scintilla vulneret.
Quam si forte improvidus quandoque inescaveris,
Cito flagrabit nimium augendum incendium.
Tende per mundum oculos, cerne primates sæculi,
Aut interire cupidos, aut in periclis vivere.
Corradunt, quærunt, inhiant, velut canes avidi :
Et hæc nec ipsi possident, sed nec relinquunt posteris.
Tamen non generaliter ista de cunctis dixerim :
Sed ut paucorum dedecus sit multis emanatio [c].
Tu autem, vir eximie, judex multorum providus,
Tui repente pectoris secreta judex perspice.
Hujus si ullam senseris parvam veneni guttulam,
B Dulci perfunde oleo, ne serpat in visceribus.
Nec hoc ignoras oleum, pro tua sapientia,
Quod est cunctorum pauperum mercatum eleemosynis.
His te exerce studiis, hæc cuncta bona perage,
Ut mea tibi maneant, et perseverent gaudia :
Nam parum esse noveris, si quisquam nulla rapiat,
Et obdurato pectore sua præcludat miseris.
Non multum sibi consulit, qui sic evitat rabiem
Cupiditatis, ut simul incurrat avaritiæ.
Nam istà duo crimina, velut cognata genere,
Et geminata specie, nimis conjuncta permanent;
Hæc qui sectantur miseri, hoc unum distat vitium,
Quod unus horum malus est, et ille alter pessimus,
Unde, mi cara dignitas, tu, quæso, fili unice,
C Sic ab alienis abstine, ut tua cunctis tribuas,
Illudque super omnia memor in corde retine,
Quod te jam sacerdotio præfiguratum teneo,
Hanc, quæso, serva gratiam, et illis cresce meritis,
Ut prælocuta populi vox cœlo sacra veniat.
Sanctum, et primum omnibus, nostrumque Papam Jamlychum.
Honora corde, dilige ut diligaris postmodum.
Cui quidquid tribueris, tibi in Christo reparas,
Hæc recepturus postmodum, quæ ipse seminaveris.

[a] Præluces.
[b] Edendi.
[c] *Forte* emendatio.

ANNO CCCCXC.

PAULINUS PETRICORDIENSIS.

PROLEGOMENA

Paulinus, gente Gallus, domo Pericorius sive Petricordius, id est Vesunnicus, si Sirmondi conjecturæ fides. Claruit an. 461. Opus enim suum de Vita S. Martini nuncupavit Perpetuo episcopo Turonensi, qui concilio Turonensi primo præsedit an. 461, non 480, uti male habet Labbeus, et exscriptor ejus Oudinus. Scripsit Paulinus carmine heroico de Vita S. Martini lib. VI, quibus haud aliud egit quam D ut quæ Sulpicius Severus venusta et eleganti prosa expressit : ipse, pauculis omissis, rudi atque impolito versu redderet. Opus istud Paulino Nolano episcopo tribuerunt non solum sequioris ævi scriptores fere cuncti, sed et e veteribus Gregorius Turonensis (*Lib.* I *de Mirac. S. Martini*) disertim, et Venantius Fortunatus (*De Mirac. S. Mart. lib.* I), haud obscure. Hinc factum est, ut sub Paulini Nolani nomine

sæpius prodiret, a Jureto primum editum Paris., 1585, dein in Bibliothecis Patr. Parisiensibus ac Coloniensi, in appendice Bigneana, p. 852, aliisque veterum poetarum Christianorum collectionibus. Paulino demum Petricordiensi restitutum prodiit in Bibliotheca Patr. novissima tom. VI, pag. 297, et seorsim a Christiano Daumio una cum Fr. Jureti Commentariis, Casp. Barthii animadversionibus, Jo. Fr. Gronovii notis, suoque notarum Spicilegio editum Lipsiæ, 1686, in-8°. Porro exstat Paulini nostri *Carmen breviusculum*, *de Visitatione nepotuli sui*, *Vitæ sancti Martini subjungi solitum*, et alia quædam opusculorum deperditorum fragmenta, quæ ibidem reperiuntur. Cæterum Paulinum quemdam Petricoriensi nostro æqualem memorat Gennadius (*De Script. Eccl.* c. 68); qui composuit tractatus aliquot de Initio Quadragesimæ, de Die dominico Paschæ, de Obedientia, de Pœnitentia, et de Neophytis. Ex opusculis istis, cujuscumque demum Paulini fuerint, nil hodie superest.

ANNOTATIO IN SEQUENTES LIBROS.

Sex isti libri de Vita S. Martini non sunt Paulini Nolani, sed Paulini Petricordii, qui 30 circiter annis vixit ab obitu Nolani, opusque illud suum dicavit Perpetuo Turonensi archiepiscopo qui præfuit concilio Turonensi anno 480. Vide notas Sirmondi ad epistolam 11 libri VIII Sidonii Apollinaris.

BELLARMINUS

DE SCRIPTORIBUS ECCLESIASTICIS IN EDITIONE ANNI 1617.

Libri sex de Vita S. Martini non possunt esse S. Paulini Nolani; auctor enim eorum librorum meminit Paulini Nolani, et se ejusdem nominis esse testatur, et sextum librum scribit ad Perpetuum Turonensem episcopum, qui sedit sub annum 470.

FRANCISCUS JURETUS

PETRO PITHOEO I. C. PRÆSTANTISSIMO S.

Paulini libros de Vita et Gestis divi Martini quos ad me nunc nuper misisti, Pithœe præstantissime, legi cum voluptate cumque stomacho. Voluptati fuit sanctissimi doctissimique poetæ memoria, et ingenii tabulæ tanquam e naufragio superstites : stomachum movit innumerus mendorum et errorum numerus, quibus adeo indigne membranæ corruptæ, ut inter legendum sæpiuscule librarii manibus pœnam imprecarer quæ falsi crimen admiserant. Quid enim? vix unus hic versus exstitit quin eversus : orationis plus erat quam rationis : nutabant syllabæ, nutabant verba ; cum pedibus claudis nihil prorsus stabat. Denique vix sensus ullus quin nullus, ut quot litteræ, tot lituræ potius viderentur. Credo, voluit descriptor poetam sibi in omnibus fieri similem. Ut enim Paulinus dum vixit, maximis fortunæ opibus abjectis, sua ipsemet profudit, factus inopibus dives, inops sibi diviti : sic librarius in Paulini scriptis novas opes vidit et simul invidit. Itaque prodidit et perdidit, qui timebat ne Dominum proderent, ne perderent. Sed hac æqualitate quid inæqualius ? Abjecerit olim Paulinus bona fortunæ, volens et consulto consilio. Bonis quidem ingenii, libellis dico suis, non nisi invitus carere potest. Illa enim pro stolidis duxit, ista pro solidis. Ego vero ferre nec debui, nec volui nudum toties denudari. Quare usus judicio veteris tui codicis, vestigia rerum amissarum persecutus sum, et multa detracta Paulino tandem reddidi, omnia redditurus ornamenta si alterum exemplar affuisset auxilio. Spero tamen, Pithœe, futurum aliquando singulari tua diligentia, ut secundum exemplar habeam, quo possit plane restitui in integrum. Nam cur hoc non sperem, qui hoc fato natus es, ut veterum libros sagaciter quæras, quæsitos feliciter reperias, repertos benigne studiosis communices? Perge igitur, oro te, perge alacriter, et Paulini cæteras reliquias e tenebris erue. Sic enim sacrum vatem habebimus, qui lyram argutam manibus, qui fronti pallentes hederas et lauros revirescentes palmasque lemniscatas recipiet. Ad me quod attinet, præstabo quam licebit operam istiusmodi scriptoribus, in quibus etsi hactenus alii laborarunt, non pauca tamen castiganda supersunt : ut non videatur actum agere qui quod egerunt iterum aget sedulo. De singulis alias. Nunc de Paulino, quem tuis consecro virtutibus, quando placuit unum vel alterum e numero seligi, qui subeat judiciorum aleam. Tuum erit, Pithœe, manum redeunti porrigere, et molliter amplexari hospitem, qui nudus et hispidus a te missus, a me remissus cum cultu et nitore, prodibit audentius, si habitum et faciem novam in illo probaveris. Vale, vir præstantissime : et cum studiosos ames quia merentur, ama me ut merear. Dat. cal. Jul. 1585.

B. PAULINI
DE VITA SANCTI MARTINI
LIBRI SEX.

LIBER PRIMUS.

Sparserat in toto lumen venerabile mundo
Christus Evangelici reserans mysteria regni.
Sed quia non omnes virtutum operatio gentes
Moverat, et fragili dubitarent credere sensu
Quidquid ab æternis vulgasset nuntius oris,
(Nam verbis comperta movent præsentia rebus.
Suadentur non visa quidem, sed visa probantur.)
Ille ergo in totum cui par miseratio mundum,

Sævit et in nostris miracula plurima terris
Donans extremis Martini insignia Gallis.
Quem procul in nostram misit fecunda salutem
Pannonia, haud humili generatum stirpe: tribunus
Nam genitor, clarus meritorum laude; sed iste
Nobilior patribus tam clarus qui patre Christo
Sprevit sacrilegos, bene degener, in patre ritus.
Vix etenim decimo senior jam moribus anno
Transiit ad sacram constanti pectore legem,
Signavitque crucis sanctam munimine frontem.
Non illi in tenero mens lubrica pectore: tota
Præceptum servare Dei, vel nosse voluntas:
Conventus vitare hominum, secreta beati
Scire eremi, spretoque Deum cognoscere mundo,
Linquere terrenas sublimi pectore curas.
Hæc vix bissenis cum molliretur in annis,
Præclusa est tanti sublimis gloria facti,
Sed meritum munerante Deo qui velle probavit.
Præcipit Augustus delecta ad bella parando
Accingi cunctam veterano germine prolem.
Quid non livor agat? Prodit pater, armaque nato
Ingerit, heu! tanti pietas oblita pericli.
Quin potius si quem recipit mens saxea sensum
Cresce tuis titulis, mage laus est nam tua vinci.
Cerne pio tantum quæ gesserit omnia voto.
Si bona sunt, imitare libens. Sin ardua, gaude.
Vincitur Christi miles pro milite sæcli,
Sed mens non trahitur, nec cor cum carne ligatur.
Vana tyrocinii sunt nomina, militat olim
Qui captus proprii per plurima prælia regis
Vicit avaritiam, debellavitque superbam
Luxuriam, prostrata jacet jam viribus hujus
Ambitio, et firmam fugit furor, iraque mentem,
Excedensque omnes funesta superbia culpas.
Unum progressus socium sibi vix sinit ire
Non opere astrictum, sed solo nomine servum.
O felix, cui tale jugum tam grata paravit
Conditio, ut de sorte tua contendere tecum
Nobilium possint certantia vota virorum;
Si liceat servire tamen: sed tu quoque duram
Cogeris ad legem nascendi lege solutus;
Nam tibi subjecti servit devotio sancti,
Idem habitus, paræ communis copia mensæ:
Hic prior obsequiis, ne saltim [a] noscere possit
Prælatum domino quævis solertia servum.
Hic jam cum paribus quæ gratia, quamque modeste
Ipsos subdiderat dilectio vera priores,
Tum sumendorum districtio quanta ciborum
Ne distenta citum vitiarent viscera sensum,
Nec premeret vigilem membrorum sarcina mentem
Ut divisa inopi præberet copia partem,
Quæque unum obrueret, melius refoveret utrumque:
Nam sic supplicibus diviserat omnia egenis
Ut sola exesis superessent tegmina membris;
Cum subito horrentis glaciali frigore brumæ
Nudus in occursum properat, vix verba frementi
Dimidians præfracta sono, sed causa loquelam
A Expedit et linguæ partes proclamat ærumna.
Prætereunt cuncti fastiditamque querelam
Despexit misero locupletum insania risu.
Substitit incertus confuso pectore sanctus
Quid faceret, nam votum aderat, substantia deerat,
Suspendit saltim cunctantis vel mora factum.
Sola superfuerat corpus tectura beatum
Ut semper duplicata chlamys, quæ frigus et imbrem,
Ventorum et rabiem geminato arceret amictu.
Nam sic truncatam compensat pendula partem
Si quod defuerit capiti crevisse calore
Sentiat, adjecto tepefactum vellere corpus.
Verum hæc districti felix sententia voti
Amovet, et tanquam cordis dispendia damnet,
Quod sic maluerit trepidæ cautela fidei
B Adjectam membris duplicato tegmine partem
Concessisse uni quam divisisse duobus,
Nec mora tardat opus, sed transit dextera votum,
Expedit et factum quidquid mens vidit agendum,
Stringitur invictus sine crimine vulneris ensis,
Et mediam resecat miseratio prodiga partem,
Pejorem sibi credo legens; tum membra trementis
Obtegit, et tradens aliquem de veste teporem,
Jam levior habitu recipit de frigore partem.
O felix virtute tua miracula vincens
Omnia, et excedens Domini præcepta jubentis!
Ille etenim modico contentos nos jubet esse,
Nec servare duas vestes, tu dividis unam.
Aspiciunt omnes: alii deformia rident
Tegmina, nec cernunt mage verum in corde decorem;
C Ast alii secum compuncto corde queruntur
Justitiam potuisse inopis decernere egenti,
Divite quod censu substantia larga negasset.
Nec mora quin tanto reddatur palma triumpho.
Nam vix defessus stratos rejecerat artus
Admittens tenuem vigili sed corde soporem,
Nec sopor illud erat, quia mens attenta vigebat.
Cum subito ante oculos larga mercede benignus
Astitit, inque suo vestitus paupere Christus
Aptavit propriis felicia tegmina membris.
O vere pretiosa chlamys! quid tale vel ostro
Vel ducto in filum pensis rutilantibus auro
Insignes meruere habitus? quid serica tactu
Lævia, vel docte expressis viventia signis.
Ille hominum terræque Deus, pontique, polique
D Omnia qui tribuit, sine quo nihil, ipsaque cujus
Quæ dedimus, vel qui dedimus, donumque datorque
Hac ope ditatur, numeret si lucra salutis.
Nec tamen hinc saltim stabilem jactantia mentem
Concutit, aut vanum persensit corde tumorem.
O virtus vicina Deo nil ducere laudi
Cum laudanda geras, nec nostro ascribere facto
Quæ facimus sanctoque minus laudarier actu!
Jam certe securus erat de judice tanto;
Sed non erigitur, vel per consortia Christi
Augent visa fidem, sancto renovata lavacro
Membra nitent, summumque parem cum corde decorem
Atque novum pariunt fontis mysteria corpus.

[a] *Saltim*, non *saltem* habet semper v. c.

Et tamen hoc senio morum carnisque refulgens
Quattuor alustris geminos minus egerat annos.
Credo equidem quod tota prius præcordia sanctus
Spiritus irrigui ditarit flumine doni,
Ut quondam sanctus felicia munera Petrus
Præmissa a Domino jam tali in milite vidit.
Quisnam, quæso, bonus sic consummare valebit
Ut cœpit teneris felix Martinus in annis?
Et tamen ista gerens se nec cœpisse putabat
Quod vixdum geminis paulum tardaverat annis,
Jam meritis monachus, sed solo nomine miles,
Rumpere calcati jam vana vocabula mundi:
Spondentes spectant consortia sancta tribuni
Ut parvam justamque moram mox Judice Christo
Pensaret geminata salus per vota duorum.
Interea fractis irrupto limite claustris
Gallica rura ferus populari cœperat hostis.
Obvius ire parat princeps, cunctosque maniplos
Imperio, hortatu, prece, largitione vocatos
In bellum cogit, nam quos formido retentat
Munera sollicitant et vincunt dona timorem.
Sed mens plena Deo metuit nihil, omnia temnit,
Terrorem irridet, terrena et munera calcat.
Ergo ubi prægressi donum sumpsere, priore
Ordine transcurso, sanctus de more citatur.
Respuit instantis præsentia munera regis,
Talibus et dictis it contra dicta tyranni:
Trade alii, princeps, terrena hæc munera nummos,
Me majora manent majoris præmia regis.
Hæc merces belli est, sumant pugnare volentes.
His igitur dictis sævas flammatur in iras
Princeps, ignavum causatur tempore belli,
Immemorem laudis causas finxisse timoris.
Ille autem; Nulla instantis formido pericli est
Nec metuunt facilem constantia pectora mortem.
Denique quod verba expediunt, et facta probabunt.
Primus ego abjectis præcedens agmina telis,
Non arma arripiens hominis, sed signa salutis,
Tegmine nec fidens clypei, sed nomine Christi,
Atque crucem fronti auxilium pro casside ponens,
Intrepido cunctis occurram corde periclis.
Adnuit, utque fidem dicti documenta probarent
Asservare pium custodia dira jubetur.
Et jam prima nova spargebat lampade terras
Orta dies, venit ad regem legatio supplex
Subdita submittens ditioni colla jubentis.
Quidnam hic, quæso, viris, quid gestum cernimus armis?
Quid ferrata acies valuit, quid terror et ensis?
Quis pilis cecidit cuneus, quæ turma sagittis?
Unus homo, et sola æterni fiducia regis
Innumeras vicit sine cædis vulnere gentes.
Hic, Martine, tuus Christo vincente triumphus,
Ne saltim sancti violaret sanguine vultum,
Neve piam afficerent morientum funera mentem.
Ergo alacer merito successuque acrior ipse
Hostibus oppressis festinat vincere mundum:
Doctorem fidei per tot documenta probatum,
Expetit Hilarium ne quod jactantia vulnus
Inferat, aut proprii extollat sententia cordis.

A Discipulum jam doctor agit, majorque probatur,
Dum cupit esse minor, nam laudem temnere laus est.
Sic et præcipuæ jam dignus honore cathedræ,
Abnuit ut saltim diaconi clarescat honore:
Velle locum, sancto quem dudum excesserat actu,
Inferiora sibi deposcens munia sumpsit,
Exorcista gradu, sed jam virtute sacerdos.
Exin ne pietas saltim terrena notaret
Quem tam præcipue pietas divina regebat,
Auctores generis festino visere voto
Optat, et aversas melius convertere mentes.
Namque patrem et matrem præceps ac devius error
Sacrilegos ritus, et saxa vel æra colentes
Prævalida nimium viventes morte premebat.
B Ergo iter aggresso pietas comes ibat, et omnes
A Domino missus præstaverat angelus oras
Mollis ut ascensus demerso colle facessat,
Nec traherent pronos, prærupta et concava lapsus.
Ac dum nubiferas propere transcenderet Alpes,
Sævorum insidiis exceptus forte latronum,
Instantes gladios manibus post terga revinctis
Risit, et immoto tempsit discrimina vultu.
Quin etiam, ut tanti recolam mysteria facti,
Custodem fertur monitis servasse salutis,
Verior hic custos animi, quam corporis ille.
Alter enim nec membra suæ ditionis habebat,
Alter et adversus vinxit penetralia mentis.
Sed tamen ambo viam scite docuere sequendam.
Aggeris hic monstravit iter didicitque salutis.
C Ergo iter inceptum peragit, patriæque propinquat
Hesperia ingressus transcursis Alpibus arva.
Hic rursum jugis sanctis conatibus hostis
Humanam speciem mentito corpore fingens
Obvius adverso sese obtulit, ausus ab ipso
Quærere quo tendat, quidve hæc properatio poscat.
Ille sub hæc, Mihi sola via est dux Christus, in illo
Effectus voti est a quo donata voluntas.
Ast ille infrendens cunctis conatibus ibat
Obvius, offensus tali molimine dæmon.
Cui sanctus, Dominus defendit, non nocet hostis.
Adjutore Deo virtus adversa timeri
Nulla potest, metuens Dominum contemno periclum:
Ne timeam timor ille facit. Qui talia postquam
Effatus, pulsa ex oculis evanuit umbra.
D Ast ille ut Domino duce contigit ora parentum,
Cumque patrem durata usu suadente teneret
Perditio ingestæ renuentem verba salutis,
Dum saltim matrem Christo donante recepit.
O tanto partu felix, enixaque natum
Per quem nata Deo est, unaque et mater et infans
Facta, puerperio genitrix generanda beato.
Ante utero peperit per quem nunc orta lavacro est.
Attamen exemplo plures cessere salubri
Mirantes recte tantorum insignia morum.
Ac tum forte malus funesti dogmatis error
Sparserat in populos incauto corde sequaces
Virus ab insano quod fuderat Arrius ore.
Præcipue tamen infectum lues ista tenebat
Illyricum, toto penitus grassata veneno.

Hic stabili virtute potens tum tendere contra
Audet, et opposito fluctus dum pectore frangit,
Sæpe sacerdotes, populum dum sæpe coercet:
Cunctorum insidiis oppressus, verbera passus,
Pulsus ad extremum terrena habitacula liquit:
Attamen ore fidem tenuit, vel corde salutem.
Ergo ut cedendum ratus est ne forte morantem
Obrueret sanctum subversi insania mundi,
Gallica rura petit, rursum et vestigia retro
Observata legit non immemor ille fidei.
Sed cum funestus toto sæviret in orbe
Error, et extremos premerent hæc crimina Gallos,
Cumque ipsum murum fidei, validamque columnam
Hilarium insani trusisset factio mundi,
Paulum constructa statuit requiescere cella,
Hic ubi gaudentem nemoris, vel palmitis umbris
Italiam pingit pulcherrima Mediolanus.
Hinc quoque pulsus abit, terras et mœnia linquit
Et pelagum fluctusque petens, quia fœdior unda
Hospitio magis et populi, vulgique procella,
Quam ponti metuenda fuit: comitatur eumdem
Presbyter ejusdem meriti similisque pericli.
Insula in hospitium legitur procul hospite ab omni;
Herba cibo satis est: cujus radicibus usi
Tam sterili victu duplicant jejunia sancti.
Dumque indiscrete tenuem rimantur in escam
Quidquid inexpertæ promebant viscera terræ,
Ellèbori gramen subito sensere venenum
Mortiferum totis virus diffundere membris.
Pergitur ad Dominum tota virtute precandi.
Sed prægressa preces pietas, nil artibus actum,
Sed præsens medicina fuit spes sola salutis.
Cernamus toto qui vitam quærere censu
Effusa in medicos prece mercede solemus,
Ut crescant nostris vivendi tempora nummis,
Quidnam hic electis egerunt pocula succis
Lectaque in antiquis quondam medicamina libris;
Hic certe celerem sine sumptu aut arte salutem
Cor meruit, verbumque dedit, miremur ovantes.
Vox silet, et causa astruitur clamore tacentum,
Sentitur medicus, nec cernitur, omnia causis
Membra puris totam admittunt ad viscera curam.
Interea injusto tandem remeare refertur
Sanctus ab exsilio per regis jussa sacerdos,
Cum quo præclaræ fuerant consortia vitæ
Dum Pictavorum doctor floreret in oris,
Indomitis tradens populis præcepta salutis.
Et quamquam propere sanctum rapuisset ovantem
Velox affectu pietas, tamen ille morarum
Impatiens celsæ jam liquerat ardua Romæ
Mœnia, Pictonicas citius revehendus ad oras.
Ergo legens prægressa pio vestigia cursu
Promeruit votum cordis finemque laboris.
Construit hic cellam fessis solatia membris.
Nam mens plena Deo cœlesti in sede manebat.
Hic modo si veterum recolamus carmina vatum
Cum subito attonitos quaterent miracula sensus,
Clamaret miserum vecors insania Phœbum
Nec sineret falsas saltim requiescere Musas.

A Delfica mentito quaterentur Apolline templa
Cunctaque surdarum raperetur turba sororum,
Excita vi totum complerent monstra furorem.
Nos quibus a Christo sensus vel verba petuntur,
Christicola inspires paulum, Martine, precamur.
Tu qui defunctis potuisti reddere vitam,
Auxilio Domini vultus mihi redde salutem.
Primus ego indultæ referam miracula vitæ,
Primus fetentis disrumpam claustra sepulcri:
Justa precor toto defunctus corde patronum,
Ut tantæ laudis titulos mens viva loquatur.
Ergo licet fandi vires sublimia vincant
Gesta, nec orandi moduli se laudibus æquent,
Aggrediar. Tu quisque legens tam vilia temnis
Carmina, dum verba irrides, mirabere facta.
B Quidam tam claræ cernens miracula vitæ
Elegit tanto semet sociare magistro
Mystica quem nondum fontis renovaverat unda.
Huic febris totas penitus depasta medullas
Extorsit tenuem consumpto corpore vitam.
Ac tum forte absens doctor, sed sedula fratrum
Relligio exanimum plangebat mœsta cadaver,
Mœrens supplicio fratris, non funere carnis.
Adveniens sanctus fletu rigat ubere vultum,
Defuncti tristem casum miseratus, et omnem
Implevit clamore locum, mox teste remoto
Irrupit mœstam tam tristi funere cellam.
Tum super exanimum sese projecit amicum;
Cunctis frigentes membris complectitur artus,
Aspirans tenuem super ora rigentia flatum.
C Attamen ad Dominum penitus spes tota refertur,
Assueta oratur pietas, miseratio nota
Poscitur, et meritum fidei credendo meretur.
Vidit adesse Deum puri fiducia cordis,
Effectumque piis senserunt viscera fibris,
Nec mora, vix geminis votum suspenditur horis,
Paulatim incussis motantur lintea membris,
Arentesque artus venarum humore rigantur
Afflatuque animæ pectus glaciale tepescit.
Obducti infuso reserantes lumine visus
Felices quibus inducti sub luminis ortu
Contigit in primo Martinum cernere morbo.
Erigitur totum subito molimine corpus,
Et cutis exæsis dudum jam lurida membris,
Purpureum recipit succo meliore ruborem.
D Vox facilis, ingressus stabilis, manus apta, vigens cor,
Totus homo ex variis conflato corpore causis
Unam suscepit diverso in munere vitam.
Eliciunt magnam mox gaudia maxima vocem.
Laudes lingua sonat gratantis nuntia mentis.
Affectum cordis clamor pronuntiat oris.
Irrupit mox turba fores, cellamque replevit
Et sanctas cecinit concors symphonia laudes.
Ille autem ut penitus vitam post facta novaret,
Confestim æterna nituit renovatus ab unda
Et multos felix senium protraxit in annos
Tam clari testis non parvo tempore facti.
Sæpe etenim multis idem narrare solebat,
Judicis æterni semet tremuisse tribunal
Vilibus addictum turbis, mersumque tenebris,

Angelicis donec prolata oratio verbis
Offerret votum Domino, vitamque referret.
Hic primus nostris Martinum prodidit oris,
Hoc aditu ad reliquas pervenit gloria laudes.
Nec multum sane post hæc miracula tempus
Fluxerat, ac tulerat clarum nova gloria factum.
Nam dum contiguum Lupicini præterit agrum
Non humilis parvique hominis, sed pene per orbem
Insignis virtute viri, quo clarior inde
Gloria per tantum testem firmata pateret,
Indoctam illiciens tot per miracula plebem,
Audito clamore procul, miserabile, flentum,
Substitit; inquirit causam discitque vicissim,
A Excivitque pium miseratio justa dolorem.
Unus enim laqueo fauces stringente minister
Ruperat, extortæ demens confinia vitæ.
Accurrit propere complexus triste cadaver,
Elisos oculos et siccas sanguine fauces,
Lumina torva nimis vultumque in morte minacem:
Ad Dominum rursus fletus, suspiria sursum,
Et gemitus clamor, cordis, vox magna tacentis,
Una fides meriti nec dispar gratia doni
Excipitur gratante choro, stipante caterva,
Ostentans cunctis Domini miracula Christi
Atque hostis spolium credentis gloria plebis.

LIBER SECUNDUS.

Panditur ecce novum pelagus, flatusque benigni
Rimosam in medios fluctus traxere carinam
Ac dum placati rapiunt me gaudia ponti
Irrumpit vastum temeraria cymba profundum,
Vix vel vicinis bene radens littora terris.
Numquid ago, et dubiam trepidus quid dirigo pro- [ram?
Flamina sollicitant cursum, formido regressum.
Pergamus, quia terra procul, quo traxerit unda.
Tantum placatam Martinus episcopus auram
Diffundat, fluctumque levem sic præstet eunti
Ut putre sustineat felicia flamina velum.
Hactenus ut mores monachi vel gesta referrem
Ripa fuit, nunc pontus erit doctrina cathedræ·
Clara sacerdotis magni nunc gesta retexam.
Gallorum quondam valde florebat in oris
Urbs Turonum distenta agris populisque referta:
Sed pollere magis cupiens antistite tali,
Ardebat totis Martinum adsciscere votis.
Sed penitus sancto depellens corde tumorem
Mens humilis, precibus crebris immota manebat,
Donec compositis verbis lacrymisque coactis
Vicerunt nimium mendacia justa rigorem.
Nam quidam tanto pietatis conscius, orat,
Conjugis, infimæ tristem miseretur erumnam.
Dignetur sancto poscentem visere vota:
Se fore vel causam propere veniendo salutis
Vel mortis si dura preces sententia tardet.
Junguntur factis simul et suspiria verbis.
Insequitur cogente Deo, namque ipse dolosum
Proderet ingenium mage ni facienda probaret.
Excipit egressum populorum turba, benignam
Vim faciens, stipatque viam numerosa precantum
Seditio, motus placidi, sine felle tumultus,
Disponitque etiam vigilis custodia pernox
Excubias, servatque suum servanda magistrum.
Exsultant paribus concordia pectora votis,
Itur in occursum, portis ruit obvia totis
Ambitio, et certans populi favor, una voluntas
Omnibus, et nulla in studiis divortia mentis.
Quosdam livor edax nigrantes felle veneni
Inicit, et stimulis miserorum corda perurens
B Carnea in adversam retrahit sententia partem.
Quosdam etiam perhibent (nefas est quod credere) docta
Mente sacerdotes similem traxisse furorem,
Ridentes gaudenda sibi, quod nulla verendam
Gratia compsisset faciem, quod crine reciso
Proferret totum Domini frons libera signum,
Lumina nec premeret tremularum nube comarum,
Sordida quod vestis cordis testata nitorem
Proderet orantis studium, quia scope volutis
Ad terram membris prostrato corpore pressus,
Hæserat horridulus sordenti in vellere pulvis.
Recte igitur cessit populo tam prona voluntas,
Sanior et proceres vicit sententia vulgi.
C Nam vere nulli licuit nescire vocantis
Judicium Christi per tot documenta probatum.
Nam reliquis quos sæva sibi sociarat inique
Factio diversum cupiens, violentior unus
Antistes defensor erat, quo nomine falsi
Defendenda sui molimina forte putabant
Consilii renuente Deo, qui justa probabat.
Nam solitum sancto cœtu celebrabat honorem
Plebs pia, conventu celebri mysteria visens,
Dum mage condensæ stipant altaria turbæ,
Ac sua fautoris pendent in vota frequentes,
Nec prætenta potest transire obstacula lector.
Sed diaconus qui forte aderat, vix codice rapto
Quem primum propere reserati pagina psalmi
Obtulerat subito festinus tempore versum
D Arripit, hæc prisci decantans verba prophetæ:
Ex ore infantum parvoque ex murmure laudem
Lactantum teneras fecisti evolvere linguas.
Exosos propter perversum ut destruat ista
Prolata a parvis laudatio defensorem.
Tollitur in cœlum clamor præsensque probatur
Judicium clamante Deo sententia Christi.
Obruit adversam verborum fulmine partem
Namque idem versus laudantum verba probavit,
Atque obsistentum liventia corda repressit.
Nec minor inde labor monachi quia gloria crevit
Jure sacerdotis factis facienda docentur.
Exemplum mage suadet opus quam gratia verbi.

Sic illi attrito vilissima vestis amictu,
Sic humilis sancto pretiosa modestia cordis.
Sic manet assidue felix sententia vitæ.
Primum igitur conjuncta sacris altaribus illi
Cella fuit, mox ut populos vitare frequentes
Posset ab assiduis secreta oratio turbis,
Millibus egressus discessit ab urbe duobus,
Nec nocuit cellæ vicinia tanta remotæ
Secretum hospitium monacho, via parva magistro,
Doctori vicina domus, longinqua vaganti.
Hinc naturalis præcisi margine saxi
Ambierat modico rupes curvata recessu.
Hinc Liger inflexis parvo sinuamine ripis
Sepserat ingressam prætenta gurgite terram
Unus et angustam patuit rupem inter et amnem
Ingressus paulum arctato qua limine distans
Fluminis allapsus tangit confinia montis.
Hic strue lignorum parvam contexere cellam
Malluit, agnoscens sancti mysteria ligni
Succedens humili tecto celsissimus hospes,
Ut collectorum sic docta modestia fratrum
Disceret exiguo pompam contemnere sumptu
Progressum exemplis certatim imitata magistrum.
Ast aliis nec ligna placent, sed monte cavato
Præbet defossos rupes vicina recessus.
Octoginta illuc justa admiratio fratres
Traxerat ad tantæ speculum virtutis, ut inde
Sumeret inspectos felix imitatio mores.
Nil cuiquam speciale fuit, communia cunctis
Omnia, de medio sumpsit dilectio censu,
Nulli vendendi quidquam concessa facultas.
Ne degustati famis improba cresceret auri,
Exercere artem prohibet; conceditur unum
Scribendi studium, quod mentem, oculosque, ma-
[numque
Occupet, atque uno teneat simul omnia puncto,
Aspectum visu, cor sensibus, ordine dextram.
Attamen his rebus minor ætas sola tenetur
Nam jam maturæ satis est oratio puncto,
Ut cujus sensum senior sententia firmat,
Munditias cordis studeat, vigiletque remotum
Interius purgare oculum, ne nebula tentis
Peccati obductus privetur lumine Christi.
Nulli progressus facilis, sua quemque tenebat
Cellula; tum solum sociandi causa dabatur
Agminis, adscisset cunctos cum sueta precandi
Ore et corde Deo ferens symphonia laudem.
Vel cum solventes fessis jejunia membris
Communes certo repetebant tempore mensas,
Et finem exacti domita jam carne diei,
Et succedentem vigilanda in nocte laborem
Dividerent modicæ parcissima tempora cœnæ.
Infirmis tantum laxato jure licebat
Degustare merum quo tabem corporis ægri
Sustentaret odor respersi in pocula vini.
Multis vestis erat setis contexta cameli
Quæ levibus stimulis vigiles contingeret artus
Excludens tenuem compuncta carne soporem.
Mollia ne fluxum nutrirent vellera corpus,
A Lasciviæ et tenui vestis fluitaret amictu.
Qualia præteritæ consuerat copia vitæ,
Nam multos illuc prisco de sanguine claros
Traxerat ad talem prudens sententia vitam,
Quo mage mirandum est post serica fulcra, toros-
[que
Hanc vestem et talem ingressis placuisse rigorem.
Denique mirati tantorum insignia morum,
Confines populi, vicinaque mœnia sanctos
Hinc sibi rectores studio certante petebant,
Ut doctrina Dei tali de fonte fluentes
Spargeret irriguos sitientum in viscera rivos.
Sed jam tempus adest tanta de mole potentum
Virtutum exiguam saltim contingere partem.
Et quanquam rectæ titulos virtutis adornent
B Discipulis, et factis id præmonstrare gerendam:
Attamen et propriis tangam paucissima gestis
Ostendens brevibus præconia maxima signis.
Forte fuit juxta tumulus quem sæpe colentum
Vana superstitio falso decepta sacrarat
Martyrio celebrem dependens semper honorem,
Quin et prægressi venerandum altare dicarant
Ante sacerdotes magis ut fundata maneret
Relligio, adjecto cultu firmata sacrorum.
Sed postquam impositas Martinus sumpsit habe-
[nas,
Commissæ et plebis moderamina sancta recepit,
Protinus inquirit nomen titulosque colendi
Martyris, et quonam tam claræ stemmata palmæ
Tempore, vel quali sub judice promeruisset.
C Verum ubi nulla patet quæ possit prodere verum
Historia, atque omnis tenuit hoc scire vetustas,
Detrectat dubiis tam grandia credere verbis.
Nec satis est fidei mendacis fabula vulgi,
Ergo placet dubiis sine testis pondere rebus
A Domino consulta peti cui subdita semper
Tempora transcursi adstant præsentia sæcli.
Ad tumulum properat paucis comitatus, ut illis
Attestata fidem faciant miracula multis.
Ergo ut contigui moles contacta sepulcri est
Propter frigentes resoluta carne favillas,
Ad cœlum rediere preces, vestigia carnis
Junguntur tumulo, sed mens ad sidera transit.
Tum Domino tota fidei virtute precatus,
Proderet ut meritum ignaris nomenque sepulti.
D Cum subito ad lævam sordentem respicit umbram
Nigrantem mœsto speciem quæ proderet ore,
Et punitorum tristissima fata reorum
Præferret, trepido confusa et conscia vultu;
Vox quoque flebilibus mœrentis reddita verbis
Talibus expressit suspiria crebra querelis:
Desinat antiquus plangendis Manibus error
Addere supplicium, titulum reddendo alienum,
Ne cui pœnarum satis est de crimine solo,
Huic onus adjecto duplicatum crescat honore.
Atque utinam sancti quibus hoc pro jure refertur
Obsequium, nostras tenues respergere guttas
Dignentur juges miserorum incendia flammas.
Illi perpetua gaudentes luce fruuntur,
Nos chaos æterna horrendum caligine sepsit.

Longe est a meritis lucis confusio noctis.
Hæc vox multorum late pervenit ad aures;
Sed species soli Martino est prodita; cujus
Mens levior fragilis transibat pondera carnis,
Corpoream molem transmittens lumine cordis.
Protinus amoto altari depellitur omnis
Vana superstitio ritus mentita sacrorum :
Translata ad veros migrant mysteria cultus.
Quid simile his titulis tandem conferre valebit
Ars magicis infecta dolis, vel tincta venenis,
Carmina compositis texens mendacia verbis,
Extaque perspectis rimans pendentia venis,
Ut per tartareæ quæsita silentia noctis
Mugiat insanus fallaci murmure dæmon,
Assumens fictum tenui sub imagine vultum;
Hic certe simplex animus et sola precantis
Religio infernæ dissolvit vincula legis.
Et quamvis artus premerentur mole sepulcri,
Attamen ad præsens tempus confessio vixit.
Nec vero hic finis titulis, nec tempore saltim
Intercisa brevi virtutum stemmata cessant.
Nam semper sancto comes indiscreta cohæret
Gratia, nec certo cohibetur fine locorum :
Progressum sequitur, manet indivulsa manenti,
Si sit causa viæ gaudens comitatur euntem.
Nam cum distenti propere legit avia ruris
Qua diffusa patet latis fera Gallia campis,
Dum sequitur miserum gentilis turba cadaver,
Et tremefacta levi motantur lintea vento,
Porrecto in longum per plana patentia visu
Funeris obsequium cultum putat esse nefandi
Dæmonis, et ritus miserorum ferre sacrorum
Submissa idolicis bacchantum colla figuris.
Protinus ante tulit sanctum et venerabile signum,
Et crucis objectu propere venientibus obstat,
Gressus instabiles vexilli pondere sistit.
Tum vero imposito miseros torpore teneri
Cernere erat nervisque artus riguisse ligatis,
Frustrata innexis conamina plurima membris,
Tardata immoto vestigia sidere gressu,
Concludi septas mandato limite turbas,
Nec transcedendi prætenta obstacula muri
Partibus e cunctis immensum opponere claustrum,
Donec paulatim visu propiore pateret
Exsequiis delatus honor; tum rursus eodem
Vexillo, atque ipso libertas reddita signo.
Sic crucis imperio simul et virtute fidei
Jus habuit vincire vagos, dissolvere vinctos.
Hæc raptim contacta legens quia copia suadet
Virtutum brevibus laudanda attingere signis,
Ne festinantes tanta ad miracula mentes
Tardet prolixis vilissima pagina verbis,
Excipior rursus majorum pondere rerum.
Sacrilegum quondam dejecto culmine templum
Straverat ad terram, perfractis idola lignis
Comminuens, totisque premens simulacra ruinis.
Huic pinus vicina loco distenta virentes
Pandebat ramos annosa et brachia late
Nexuerant viridem frondenti in vertice sylvam.
A Arcebatque omnem foliorum crate calorem
Arboris unius densum nemus umbra perennis
Jugem temperiem mentito vere tegebat.
Hanc etiam pinum templi sociare ruinis
Aggreditur parili cupiens convolvere busto
Quidquid in errorem miserorum corda trahebat.
Tum vero accensi vecors insania vulgi
Et prohibere pio totum molimine votum.
Nil ratio insanis, nil prosunt sancta profantis
Verba animis, non vox surdis, non lumina cæcis.
Clamatur non quire homini conferre salutem
Quæ sibi non valeant, lignis non posse juvari.
Lignorum dominos, servire hæc nutibus ejus :
Qui servire velit subjectis subditus idem,
De silvis urenda legens, veneranda relinquens.
B Hæc contra exclamant longe diversa volentes,
Idolico et multum perfusi corda veneno :
Desine prolixis renuentes cogere verbis,
Si rebus suadenda probas hæc jura, placebit
Conditio allatura fidem; nos protinus ipsi,
Aggredimur nostram propere succidere pinum.
Tu si vera adhibes fidei documenta, cadentem
Excipe, et optatæ gaudens occurre ruinæ.
Nil grave confisus Domino tam dura probatur
Causa, nec injusto renuit justissimus ori
Confidens virtute Dei, cui prona facultas
Quanquam præsentem verbo prohibere ruinam.
Nec mora et adstrictis nectuntur vincula membris
Atque elidendus jam parte locatur in illa
Qua pronus toto pendebat stipite truncus,
C Jamque inclinatis nutantis pondere ramis
Subjecta haud dubie terrebat mole ruinæ.
Insistunt totis certantia gaudia votis,
Ictibus assiduis crebrisque bipennibus instant.
Vindicta affectum excludit, fugat ira dolorem.
Exanimes pallent monachi, majusque periclum est
Confusæ nimium tanto terrore fidei.
Vulneribus donec paulatim evicta fragorem
Prona dedit, totoque in sanctum concita saltu
Præcessit celeres properantia vota furores.
Jam prope contiguo perfractis turbine membris,
Ille metum prohibente fide, formidine pulsa,
Vicinam opperiens constanti corde ruinam,
Ne cito conversam cernens perfidia pinum,
Ad casum revocaret opus, meritumque negaret
D Dum putat eventum. Sed jam propiore periclo
Erigit armatam signi munimine dextram,
Opponitque crucem qua protinus impetus omnis
Frangitur, et celeri propere motata rotatu
Diversam in partem pernici turbine pinus
Fertur in auctores sceleris : nam propter ovantes
In se conversam trepide timuere ruinam.
Qui tutum semet tanta ad spectacula caute
Credebant legisse locum, vix mente recepta
Perfractis cernunt confossa sedilia ramis.
Tollitur in cœlum clamor, partesque resultant
Attonitæ, et voces cœtu referuntur ab omni.
Gaudia testantur monachi, miracula victi,
Christum lingua sonat, Christum simul ore benigno
Ignari gnarique canunt, pars ista favorem

Agnoscit, petit illa fidem. Sic consona raptim
Inter discordes Christo sociante voluntas,
Cum fidei donum meruit, tum credere sancit.
Nam certe nullus penitus fuit agmine in illo
Qui non rettulerit speratæ dona salutis
Adjectus gregibus Domini munimine signi.
Et loca quæ tetris fetebant obsita fanis,
Obtexit veris mox inops Ecclesia templis.
Sic vincis, Martine, tuos sic obruis hostes,
Sic gravis oppressos sententia proterit, illos
Immites fecit clemens victoria fratres.

Ergo acuit mentem eventus, studiumque rebelles
Vincendi assidue felix victoria nutrit.
Nam vix collapsis fumabant idola flammis,
Vicino et tenues volitabant igne favillæ,
Cum renovat similis repetita incendia templi
Exsultans crebris justissima dextera flammis.
Sed dum flagrantis longe lateque vapores
Turbo ferit, crebrisque ferox exæstuat undis
Eructans rapidam flammarum insania nubem
Augens collectum vicina strage furorem :
Haud procul amotum toto petit agmine tectum,
Vicina allambens funestis culmina flammis.
Quod postquam sanctus trepidans instare periclum
Vidit inafflatis jam mixta incendia tignis
Sepsisse implicitum flammarum gurgite tectum,
Pernici properans conscendit culmina saltu
Qua globus igne domum nimio densissimus urget,
Artusque oppositos flammis venientibus offert.
Tum vero adverso sinuata incendia flatu
Ad ventum redeunt, et quanquam urgente procella
Præcipiti vis major agit, cogitque reversis
Ignibus insanum confestim cedere ventum.
Sic paret meritis natura oppressa jubentis:
Non flammæ urgentur flabris, sed flamina flammis
Atque ignis præcepta sequens sic gessit utrumque,
Arripiens decreta sibi, defensa relinquens.
Sic debellato per justa incendia templo
Itur in excidium alterius quod forte leprosus
Quondam opulens vicus perversa mente colebat.
Sed postquam crebri demens insania vulgi
Tentatum revocavit opus, totumque furorem
Opposuit violenti turbo tumultus,
Avia solorum repetit secreta locorum,
Atque ibidem sanctus precibus violentius instat,
Trinas continuans orandi intentio luces,
Et totidem jungens vigilatis noctibus horas.
Quin et contexto setis coopertus amictu
Exesa assiduo compunxit acumine membra,
Ut tereret tenuem vestis nimis aspera pellem,
Et cutis extentis stimulis attacta paveret,
Saxea collidens mage duris ossibus arva,
Producens tardos sera in jejunia soles,
Perfundens totum lacrymarum flumine vultum
Ut Domini jugis semper clementia Christi
Insontis famuli nimium miserata laborem
Traderet effectum voto, et tentata patraret
Adversæ penitus removens molimina partis.

Interea armatos propter consistere cernit
Angelico fulgore viros, nec tarda patescit
A Agnitio, assueti prompta est fiducia vultus,
Insuper et verbis veniendi causa docetur,
Ne trepidet, ne vim timeat, neve arma pavescat
Præsentem agnoscent per talia signa favorem:
Quælibet opposito consurgat turba tumultu,
Auxilium satis esse Dei, qui protinus omnes
Debellare queat verbi virtute catervas;
Sufficere ad bellum credens hæc arma duorum
Se simul auxilium ferre, et mandata referre.
Acrior ergo animus penitus virtute recepta
Ad cœptum revalescit opus, mediasque catervas
Irrupit trepido constantia reddita cordi.
Funditus eversis sternuntur templa ruinis,
Excipiunt totas simulacra jacentia moles
Fractaque dejectis succumbunt idola tectis.
B Involvit mixtus pariter simul omnia pulvis
Tigna, aras, statuas, cæmentum, saxa, metallum.
Nec sane tanto progressus ab agmine quisquam
Obvius ire parat, manet imperterritus ille
Debellata videns trepidantum corda virorum.
Immoti exspectant populi, riguere minantum
Pectora, et attonitis stupuerunt viscera fibris;
Non membra expediunt motum non verba tumultum,
Diriguere artus miseris vox faucibus hæsit.
Tentantum cecidere manus, et clamor hiantum.
Ut mare quod fundo convulsum moverit imo
Fluctibus insistens vehementis turbo procellæ
Elidit tota spumanti aspergine cautes,
Et rauco oppositas transcendit murmure ripas :
C Pulsant perfractæ dum concava littora moles
Et vada permiscent totum vicina profundum.
Mox ubi deposito siluerunt flamina motu,
Sternitur immensus placidarum campus aquarum.
Lævia deposito considunt marmora vento,
Et jacet immoti species mutata elementi
Sollicitans tenues constrato gurgite cymbas.
Haud aliter siluit furiosi insania vulgi
Et tempestatem posuit, flatusque remisit.
Hoc tantum et veris clamavit subdita verbis
Martini Dominum toto simul orbe colendum,
Hunc solum se nosse Deum, nam surda salutem,
Idola quæ possint nunquam conferre petenti,
Haud latura sibi nec quemquam tradere donum
Quo careat, magis esse inopem qui poscat egentem.
D Sic vere penitus lucis fulgore recepto
Hæc quoque turba diis accrevit dedita castris.

Talibus assidue vegetato corde triumphis,
Rursum bella cupit, removet fides aucta pavorem,
Spes animat, meriti cedit formido pericli,
Nam similem movit similis mox causa tumultum.
Dum subvertendo properat succurrere templo
Rusticitas vesana nimis, solitumque rigorem
Augens præcipitat immensa mole furores.
Denique sic totum obruerat dementia sensum
Ut stricto quidam minitans accurreret ense
Ausus sacrilegum vibrare in vulnera ferrum.
Et cum rejecto nudatam tegmine gaudens
Cervicem offerret sanctus, nihil ille retractans
Alte sublatum surgit furiosus in ensem.
Celsius insanus dextram suspendit in altum

Attollens totum celeri conanime corpus,
Concita præcipiti tendens vestigia in altum
Altius ut veniens caderet vehementior ictus :
Cum subito adstrictis riguerunt viscera nervis,
Atque hæsit tenuis consumptus in aera motus,
Porrecta et jussum suspendit dextera ferrum,
Et periit totus membris torpentibus ictus,
Et manus irrito conamine fixa remansit,
Sic artus tota collapsi mole retrorsum
Præcipiti ad terram proni cecidere ruina,
Ossaque collisis sonuerunt obruta membris,
Prona et saxosæ jacuerunt aggere terræ :
Tum demum extorti gemitus, lacrymæque coactæ;
Depositisque armis nimium miseranda precantis
Ambitio, ad veniam rediit conversa salubrem.
Quidnam, quæso, avidam revocasti a sanguine dex- [tram?
Cur parcis quem nemo rogat, quid detinet ictum
Si manet ira tuum? tu certe ignoscere non vis.
Cur ferrum retines, patet ecce innoxia cervix
Vulneribus nudata tuis, quid vota moraris?
Qui mentem ferientis habes, cur crimine salvo
Ultio differtur? facis, etsi dextera salvet,
Quod fecisse cupis si non mutata voluntas,
Culpa manet, satis est meritis sententia cordis.
Nec sane hinc solum servatæ dona salutis
Videre attonitæ trepidantia pectora plebis.
Nam mox cum similem similis vesania mortem
Districto inferret telo, discussa repente
Ferri acies casso ferientem deserit ictu
Extortum et demens quæsivit dextera telum,
Totaque collecti evanescere vota furoris
Decepta amisso viderunt lumina ferro.
Et tamen interdum alloquio suadere salubri
Sueverat, et verbis mentes mutare feroces,
Et corda affatu mollire rigentia sancto,
Illustrans veterem doctrinæ lumine noctem.
Præterea proclive fuit adhibere salutem
Infirmis, gressum claudis, et lumina cæcis.
Nam certe nullum tanti violentia morbi
Obruerat, quin votivæ fomenta salutis
Rettulerit visu gaudens revalescere sancto,
Quod vel præsenti poterit clarescere facto.
Quondam Treviricis in mœnibus innuba virgo
Tabuerat consumpta gravi paralytica morbo,
Atque omni motu torpentia membra carebant,
Officiis privata suis, jam carne relicta
Spirabat tenuis frigenti in pectore flatus,
Pallebant pavidi vicina morte propinqui,
Arentesque artus lacrymarum fonte rigabant,
Tristis et obsequii mœstum contraxerat agmen
Exsequiis præbendus honor : cum murmure flentum
Concitus irrumpit reserato nuntius ore
Martinum venisse ferens, cui prona facultas,
Optatum. Sanctis precibusque advolvitur, orans
Auxilium, et largo spargit vestigia fletu
Ac singultantes rumpunt suspiria voces,
Et plus de precibus lacrymæ quam verba loquuntur.
At contra sanctus pollens pietate modesta
A Affectum sociat, meritum negat, abnuit esse
Virtutem qua præstat opem, sed corde dolorem
Participat, refugit pompam, sed deflet ærumnam.
Et meritum vitando probat, sic celsior exstat
Corde humili, confert laudi quod demit honori.
Hæc cernens genitor tanto vehementior instat,
Donec permota assiduo justoque rogatu
Sancta sacerdotum precibus conjuncta paternis
Ambitio, blando renuentem jure coegit
Visere lugentis penetralia mœsta parentis.
Adstant pro foribus populi, miracula Christi
Attonitæ exspectant pendentia pectora plebis.
Ille ubi seminecis miseratus tabida vidit
Membra, et consumptis languentis lumina malis,
Ossibus hærentem siccato corpore pellem,
B Et cutis infuso vitiatum felle colorem,
Subtracto et penitus constrictæ murmura linguæ
Suspiria, exiguum glaciali a pectore flatum,
Filaque venarum rupto pereuntia pulsu
Ordine præciso quærentem linquere dextram,
Ad terram toto confestim corpore pronus
Sternitur, a Domino verbis medicamina poscens,
Cui jussisse sat est, atque artem vincere nutu.
Sensit adesse Deum : promi deposcit olivum.
Oblato accedit benedictio sancta liquori.
Exin mutati congaudens unguine succi,
Singula contingit medicato chrismate membra.
Admota expellit veterem pia dextra dolorem,
Atque impetratæ felicia dona salutis
Ad tactum medici paulatim infusa recurrunt.
C Sic morbis cuncta membrorum a parte fugatis
Reddita succedit vegetato corpore virtus.
Mox valida exsurgit populo mirante puella,
Et stabiles gressus divino munere sistens,
Dat laudem Domino per sancta altaria Christo.
Quod postquam virtutis opus celeberrima cœtu
Mœnia complevit, certatim accurrere cuncti
Quorum vel mentes dæmon, vel corpora morbus
Obruerat, corde orantes memorique medelam :
Hi gressu stabiles, hi sensu abiere valentes.
Præcipueque tamen cunctis quæ gratia Christi
Per famulum dignata suum miracula fecit :
Unus eminuit, præsens curatio servi
Quem dæmon toto captivum jure tenebat.
Denique cum sanctus grandi ambitione rogantum
D Permotus, miserum deduci ad sancta juberet
Limina, non potuit quisquam vincire furentem,
Sic cunctos rabido debacchans ore fugarat,
Dentibus infrendens, lacerum cruor undique corpus
Texerat, et nudis horrebant vulnera membris.
Tum dominus claro nimium sublimis honore,
Fascibus ornatus proconsulis, immemor hujus
Ambitionis adest, genibusque advolvitur almis,
Ac pronus pedibus blandas circumligat ulnas,
Orans ut quoniam nec vis, nec vincla valerent
Attrahere insano bacchantem corde ministrum,
Ipse adeat tectum, sub quo jam tempore multo
Servabat clausum jugis custodia servum.
Sed renuit sanctus limen calcare profani,

Nec vult idolicis justus succedere tignis,
Discernens templi fetorem a chrismate Christi.
Ille autem sanctis genibus violenter inhærens
Spondet, tam sancto se credere velle ministro,
Quidquid tradiderit tanti doctrina magistri.
Tum demum motus tam justa voce rogantis
Intulit optatos salvanda ad limina gressus,
Atque eadem domino auxilium tam justa petenti
Quæ servo medicina tulit: gratantur uterque
Ille fide accepta, gaudens, hic mente recepta.
Confestimque novum post hæc miracula factum
Attonitam erexit tanta ad præconia plebem.

Nam forte ingrediens vicini limina tecti,
Horribilem exclamat furiosi dæmonis umbram.
Nec mora continuo cœpit tam proditus hostis
Arrepto sævire coco, miscere tumultu
Interiora domus penetralia, frendere malis,
Captivique oris dentes nudare minaces
Ingenitam exercens alienis moribus iram
Dum quatit obsessum permixta insania corpus
Dæmonis, ut rabies humano sæviat ore
Armata ad proprios alieno dente furores,
Diffugiunt trepidi, nec quisquam obsistere contra
Audet, et extremos acuunt exempla timores.
Sed fidens Domino sanctus fallacia ridet
Agmina, et occursu rapido sese obvius offert.
Qui ne, cum quateret tremulos dementia rictus
Collidens miseros ferali murmure dentes
Et repetens crebros nutanti vertice morsus,
Constanter digitis fauces penetravit hiantis
Sistens adversi sævissima jura latronis.
Hæserunt avidæ dilato vulnere malæ,
Suspensus riguit patuli furor improbus oris,
Subdita contactu gavisa est lingua salubri,
Molliaque insertam presserunt oscula dextram:
Tum quia præstructo fuga nulla pateret ab ore,
Egestus fluxu ventris vacuata reliquit
Viscera, fetorem solum de corpore traxit.

Interea subito turbantur cuncta tumultu
Mœnia, barbaricos affert fama improba motus,
Spargens incredulos per credula corda pavores.
Nec tamen exstabat rumoris nuntius hujus
Ut prolata fides manifesto auctore pateret.
Ergo ubi tam dubiis nutare ingenia rebus
Vidit, et incerto populos terrore teneri,
Imperat ut clausus captivo in corpore dæmon
Proderet, unde novam sparsisset fabula famam.
Protinus impulsus verbo tortore fateri,
Se causam clamat, crimenque, caputque malorum,
Semet cum sociis isthæc mendacia larvis
Sævisse, ut trepidam premerent formidine plebem.
Ergo hæc fallacis confessio vera latronis
Absolvit mœstas cruciato dæmone mentes.

Jam vero ut tantæ pietatis gesta retexam,
Nec mens sufficiet sterilis nec pagina vilis.
O vere confine bonum miseratio prompta,
Mens humilis, nullum spernit qui diligit omnes.
Nam quemdam horrendo lepra traxerat improba [morbo
A Inficiens cunctam macularum tegmine carnem,
Et spargens densas vitiato in corpore guttas.
Quem cum sanorum fastidia crebra notarent,
Ignara et proprii mens injustissima casus,
Despiceret tristes alieno in corpore morbos,
Ingrediens portam sanctus præeunte caterva,
Qualis in obsequium tanti collecta patroni
Stipabant densis murorum limina turbis,
Oscula dat misero vultu connexus, et ore.
Nec metuens tali faciem sordescere tactu
Impressit junctis pacis signacula labris.
Obstupuere animis alii; gavisus at ille
Sensit in attactu divini munera doni,
Et remeare citam raptim per membra salutem,
Disperti et celerem renovata in carne nitorem.
B O vere pretiosa tuæ dignatio pacis,
Et medicina pio quæ permanabat ab ore;
Seu membra attingas labiis, seu corda loquelis,
Oscula sanabant ægros, et verba docendos.
Atque utinam nostros similis clementia morbos
Tangeret, et miseri maculas depellere cordis
Orans tam sancto Martinus vellet ab ore:
Tum credo ad veræ revocarer gaudia pacis
Sanatum attollens sancta ad mysteria vultum.
Et post eversum dederat quem portio censum
Spes mea clementis Domini penderet ab ore,
Porcorumque escas linquens, vel gaudia carnis
Acciperem veræ signacula certa fidei,
Quin et contactus tantum vel fimbria vestis,
Raptaque certarum disrupto vellere fila,
C Omnibus in causis celeres habuere medelas.

Namque ut prætoream quæ non obscurius acta
Erga humiles latuere homines, num, quæso, latebit
Arborius mundi eximio perfunctus honore,
Clarus præcelsæ qui culmine præfecturæ
Romana indultis moderamina rexit habenis,
Nec minus excellens morum probitate piorum?
Hujus, consumptis penitus jam tabida membris,
Unica languidulos stratis rejecerat artus
Filia, quam febris jugi cum lege recursus
Ad quartum reditura diem sic carnis amictu
Exuerat, crebras semper repetendo ruinas,
Ut nihil afflictum corpus sentire medelæ
Posset, vel mediis vicina febre diebus,
Dum transcursa sibi jactatio vindicat unum,
D Alter venturam patitur trepidando ruinam.
Talem igitur tristi genitor pietate puellam
Dum fovet, et flatu gracilia membra tepenti
Percurrit patrii dum creber anhelitus oris,
Oblata ad trepidam pervenit epistola dextram,
Quam pius antistes mœsto mittebat amico.
Ille ubi perlectæ gavisus munere chartæ,
Pressit in absentem congaudens oscula dextram,
Conclusit celeri veneranda volumina motu
Et stomacho raptim properans admovit anhelo.
O vere pretiosa fides, depulsa fugatur
Febris, et igniti removetur flamma caloris.
Arentes penetrat præsens benedictio venas,
Et rigat exhaustas verborum rore medullas,

Restituens celerem Domini pietate salutem,
Ad cujus laudem recte referemus ovantes
Quæ nunc miramur servos potuisse fideles.
Nec solum hæc membris tribuit medicina medelam,
Sed corde adjecit veram fides aucta salutem.
Confestim devota Deo sacra virgo per illum
Offertur Domino, per quem valet eruta morbo.
Sic tribus indulta est simul hujus gratia doni,
Consecrat antistes, pater offert, virgo sacratur.
Quin et Paulino similis medicina salutem
Reddidit, insignis fidei quem gloria late
Extulit, obducta cujus cum nube latebat
Visus, et infusis caligo extenta tenebris
Arcebat cunctam macularum tegmine lucem,
Quam levis et tenui tactu suspensa fugavit
Spongia, vicino benedictæ munere dextræ.
Vix admota oculo didicit jam reddita lucem
Ferre acies, lumenque novum mirata recepit.
Atque utinam nostri tenebras contingere cordis
Tali luce velit sancti medicina patroni,
Reddat ut antiqui rursum mysteria facti
Nomen idem, medicus idem, par causa medelæ.
Miramur cito tam multa et magna videntes
A Archiatri fomenta pii, miremur et illam
Quam meruit medicus Christo medicante medelam,
Per quem munificus simul et de munere gratus
Expensis gaudet donis bonus atque retentis.
Namque ad sublimem nitens conscendere partem
Qua domus excelsis pendebat fulta columnis,
Lubrica dum scalis fixit vestigia, pronus
Corruit, et crebram gradibus renovando ruinam
Colliso terram collapsus pondere pressit.
Ecce autem præfracta trucem dum membra dolorem
Fessa gemunt, subita afflicto solatia portans
Angelus assistit sancto venerabilis ore,
Abluere infusis festinans vulnera lymphis,
Paulatim oblati contingens unguine succi
B Perducens tenuem tactu leviore liquorem,
Unde rigat, tacitam propere sensere medelam
Membra simul madidis mollito corpore venis,
Confestimque artus stabiles viguere, fugati
Undique mandato Domini cessere dolores.
Pernices gressus, mens vivida, cordis et oris
Gaudia, gratifico concors cum pectore vultus.
Dum Dominum laudat sibimet nihil arrogat inde,
Prodidit et meritum quia se meruisse negavit.

LIBER TERTIUS.

Quo rursus steriles calamos et sibila rupti
Vox stipulis emissa vocas? hæc gloria certe
Majorum voces digna est augere tubarum;
Nec poterit parvis vox tanta erumpere culmis
Quanta et sublimes laudes implere valeret.
Sed si vel tenui flatu tam angusta juvetur
Tibia, quam sancti benedictio miserit oris,
Grandia si nequit effari, vel suavia dicet.
Primam igitur libri partem devicta tenebit
Ambitio, hæc reliquas reserabit janua laudes
Qua post degeneres per sæcula multa pavores
Corrupto emicuit libertas perdita mundo.
Elatus quondam bellis feliciter actis
Maximus, et domini unius de morte superbus,
Exsilio alterius, crimen male moribus hærens
Auxerat eventu, naturæ et vulnera pravæ
Resciderat sæpe infelix mage corde superbo
Prosperitas, rebus gravius ruitura secundis.
Hunc igitur regem diversa ex parte frequentes
Pastores adiere Dei, queis cura perennis
Vel servare pium Domini, vel pascere plebem:
Certantes laxare reos, dissolvere vinctos,
Reddere defessis requiem, solatia mœstis,
Orare exsulibus patriam veniamque precari,
Proscriptis censum, miseris vitamque mereri.
Dumque hæc nituntur studio celerare benigno,
Paulatim assensu trepido subjecta tumenti
Sancta Patrum gravitas, nimium vilescere cœpit
Dedita blanditiis, non quas dependere suerat
Prisca sacerdotum gravitas, sed fœda clientum
Ambitio ad nutum tumidi dejecta patroni.
Inter quos solus constanti corde vel ore
Martinus nullo infecit pia viscera fuco,
C Nec trepida oppressit deformi ignavia nævo
Mentem Christo humilem celsam ad fastigia mundi;
Quin et constanter precibus connisus in ipsis,
Si qua fuit regem tumidum tum causa rogandi,
Optantis votum expediit quasi jure jubentis.
Sæpe etiam sanctum crebro movere precatu
Ambitio est aggressa virum, ut vel sero veniret
Oratus toties spreta ad convivia regis.
Ille etenim fastus temnens et facta revolvens
Ejus se penitus renuebat jungere mensæ,
Cujus criminibus sanctam connectere mentem
Assensu saltim tenui nefas esse putabat,
Objectans cædem dominorum, et sanguine Patrum
Imperium, mortem regis, regnumque tyranni.
Sed cum continuis precibus pia corda fatigans
D Dilueret culpas, objecta et crimina purgans,
Diceret impositum sibimet terrore jubentum
Imperii regimen, nefas esse ut mole prematur
Invidiæ, ferro atque armis extorta potestas,
Ambitione vacans: nec sane parva favoris
Signa sui tanto Dominum misisse triumpho.
Nec quemquam, quamvis tepidæ parvæque fidei,
Ignorare hominem belli momenta gerendi
In nutu pendere Dei, manifestius autem
Si mage confisum numero, virtute, virisque
Inferior vincat, vicisse hunc judice Christo.
Nec sane quidquam se vel post bella cruentum
Immiti gessisse animo, ferrique furorem
Post aciem valuisse nihil, post arma tubasque

Insontes gladios cessasse a crimine cædis
Et nullo penitus respersam sanguine pacem.
Talia sæpe iterans precibusque instantius orans
Mollivit sanctum crebra ratione rigorem,
Ut culpæ ignoscens studioque evictus adiret
Fastidita prius regalis fercula mensæ :
Exsultat spes jam propior de munere tanto,
Festa dies læto gaudet clarescere cœtu,
Adduntur lecti proceres quos regia juxta
Culmina vicini splendor connectit honoris,
Insignes trabeis, legum armorumque tenentes
Arbitrium, vel jura fori, vel classica belli,
Misceturque ostro mollitum in fila metallum.
Hos inter medius qua simæ flectitur orbis
Presbyter accubuit, dextra lævaque potentum
Ordo ducum, membris super aurea fulcra locatis
Pressit subjectum pretiosi velleris ostrum.
Ad dextram regis sancto venerabilis ore
Consedit senior, qualis pia jura reportans
Descendit sacro montis de vertice Moyses
Mutati vultus nimio fulgore coruscans,
Cum faciem cordis splendor depromeret oris
Nec cohibere novam possent velamina lucem.
Mirantur taciti gaudentes turba ministri,
Atque aula obsequiis certat devota modestis
Tam sancto servire viro, cura omnibus una est
Optati officii, minor et reverentia regis.
Ipse etiam præsens Martinum excellere mavult.
Stipant subjectas regalia fercula mensas,
Dives in excelsis splendescit purpura fulcris,
Mollia puniceo motantur serica fuco,
Et rutilant docte ductis sine vellere pensis.
Liminibus distenta tremunt aulæa superbis,
Nutat et in foribus velorum mobile claustrum,
Cuncta nitent vario cultu sursum atque deorsum
Edita pigmentis, sola marmore, tecta metallis :
Sustentant vitreas crystalla capacia lymphas,
Cumque ipsa et conchæ species videatur et undæ
Nec cohibere putes susceptum claustra liquorem.
Pocula funduntur gemmis, gemmisque bibuntur,
Electri moles fulvum discriminat aurum,
Ars erat in pretio, pretium pretiosius arte est.
Hæc radiant gemmis, hæc exstant vascula signis,
Aspera sunt quædam visu, sed levia tactu,
Lancibus et rutilis discisque patentibus adsunt
Aeris, et nemoris fructus terræque, marisque.
Postquam exempta fames epulis, tum sola volun- [tas
Arentem revelare sitim, rapuere ministri
Inclusas auro glacies lymphasque nivales,
Rorantes alii pateras offerre petentum,
Anticipat votum famulorum cura vigorque.
Tum rex Martino dubitantem offerre ministrum
Imperat, officio cedens simul ordine verso,
Tam sanctæ ardenter cupiens succedere dextræ,
Ut patera attactu tanti pretiosior oris
Infusum inficeret cœlesti rore liquorem.
Verum ubi respersit tenui sua guttura lympha,
A Vix humectati tactu defecit in oris :
Cum rex protenta captaret pocula dextra;
Tradidit ille suo fidei metitus honorem
Presbytero, meritum cordis non purpura regis
Vicit; prælatæ cessit diadema fidei.
Attonitis stupuere animis defixa videntum
Corda virum spretoque etiam constantia regi
Plus placuit quam mira fuit, nec livor adussit
Invidiæ tanti trutinantem pondera facti.
Quisnam vel magnus quamvis sub judice parvo
Auderet tantum pro sancto jure sacerdos?
Non terror vicit firmum, non gratia justum,
Non convivantis studium, non ira potentis.
O virtus vicina Deo! sic corde remoto
Sis velut ipse procul, præsentem vincere mundum.
B Nec timuit quæcumque illi patefecerat almus
Spiritus, infuso complens pia viscera dono,
Haud dubitanda ipsi constanter prodere regi
Eventus belli varios, felicia primum
Prælia, mox alio tristem in certamine cladem.
Quæ cuncta ut puro vidit mens ignea sensu,
Sic ducta eventu celeri quasi visa probavit.
Nam primo oppressum regem certamine fudit,
Mox captiva duci submisit colla reverso.
Nec mirum est tantum mentem vidisse sagacem
Linquentem cunctas sublimi pectore curas,
Et sensu æthereo penitus super astra volantem.
Nam sæpe angelicis miscentem verba loquelis
Pro foribus stantes monachi stupuere fideles.
Sic nil corporeum corpus, vel membra caducum
C Senserat, atque animo jam libertate fruendi
Nequaquam edomitæ nocuerunt pondera carnis.
Ipse etiam quovis tentasset fallere vultu
Perspicuus casso patuit molimine dæmon,
Nec permutatis permissus ludere formis.
Denique cum trepido penitus fuga nulla pateret,
Efflabat sævum, per verba furentia virus,
Illæsum insidiis cupiens accendere dictis,
Dentibus elapsum linguæ lacerare veneno,
Effundens cassas jam fractis motibus iras,
Quin et rorantem miserando sanguine dextram
Concutiens, cornuque ostentans crimine cædis
Sanguineum, lætusque malis, et tristia ridens,
Irrumpit sanctam funesto murmure cellam,
Tartaream effundens per verba procacia vocem,
D Cernat ut impleti tandem documenta furoris.
Hæc fors arma dedit, telum hoc volentis adegit
Obsequium pecudis, vincens sed crimine nostro.
Quo major fructus sceleris, tuus ille, tuique
Agminis, in nostræ solatia concidit iræ,
Affectas renovans optato sanguine vires.
Protinus accitos proceres jubet ocius omnes
Affectu celeri monachorum visere cellas,
Ne fors fallacis mendacia verba latronis
De proprio saltim dixissent crimine verum :
Qualis mœstorum soleat vox esse reorum,
Cum plectenda truci clam sub tortore fatentur.
Tum referunt nullum penitus de fratribus illo

Signari indicio, coram se protinus omnem
Sanctorum numerasse gregem, qui clausus ovili
Temnebat rabidam frendentum ad claustra luporum
Quem vigil æterno Regi Martinus alebat.
Attamen accepta quemdam mercede profectum
Ut plaustro advectis prohiberet frigora lignis.
Huic propere accurrit Martinus, præcipit illum
Tum socium monachis vel per commercia factum
Confessi insidiis credens patuisse latronis.
Nec mora quin præsens jam conjectura probetur,
Seminecem egressi non longe a limine cernunt
Extremæ efflantem miserum spiramina vitæ.
Ille tamen letho languentia lumina solvens
Vix singultantis præciso murmure linguæ
Attraxit tenuem glaciali a pectore vocem,
Vulneris exponens causas: nam forte juvencum
Dum resoluta arctis stringuntur vincula loris
Liberior cervice vaga dominoque rebellis
Mollia tartareo transfoderat inguina cornu;
Quæ postquam exposuit, pressoque obmutuit ore,
Tum fessum letho posuit caput, oraque et artus
Perfudit croceus glaciali corpore pallor.
Hoc fine interiit; nobis tamen hic quoque finis
Martini ostendit meritum, cui nosse futura
Sic licuit, nihil ut penitus velamina carnis
Tardarent celerem terreno pondere mentem.
Et quanquam nimium mendax et callidus hostis
Vel tegere insidiis fraudes, vel fallere formis
Tentaret, frustra hæc toties molimina perdens,
Ausus fictorum formas simulare deorum,
Fingere et effigiem quorum fingebat honorem.
Nunc Jovis incestam faciem, Martisque furorem,
Mercurium falsis nexum vestigia pennis,
Forcipe Vulcanum, chordis vel pectine Phœbum,
Effigians clypeo insanam cristisque Minervam,
Lascivam Venerem, quatientem lustra Dianam,
Incestam illicita thalamorum lege sororem,
Germanæ et nomen perdentem crimine fratris.
Talibus ostentans formis, se, digna suorum
Facta, et mentito vultu sua crimina prodens;
Nequaquam elabi potuit, sed fraude retecta
Perdidit irrisus molimina callida dæmon,
Efflans extremum per verba procacia virus,
Illæsumque virum vitiis vel voce lacessens.
Quæ cuncta immoto tolerans patientia vultu,
Blanditias temnens, probra et convicia ridens,
Atque hostem agnoscens figmento in utroque dolosum
Crimine nec lædi potuit, nec laude moveri,
Verborum jaculis opponens signa salutis,
Et crucis objectu confringens tela latronis,
Qui sæpe aggressus duris pia corda querelis
Impius objectare pio pietatis amorem,
Proh dolor! audebat coram sic voce resultans,
Testibus ut multis feralia dicta paterent.
Quare, ait, exosos Domino (si crimina damnas)
Suscipis et vitium culpans, consortia quæris
Peccantum; forsan lateant te facta tuorum,
Hortatu tum facta meo, quæ plurima suasi
Et quorum pars magna fui, qui, quæso, probabit
A Infensum factis hominem facientibus æquum?
Ille ait, Antiquo serpens distente veneno
Non hæc de miseris homini sententia Christi est:
Qui si finiri culpam videt, abjicit iram,
Tempora non statuens culpæ, nisi tempora noxæ,
Ne maneant peccata monens, finita remittens,
Mitis præteritis si sit correptio præsens,
Errantes revocans, revocatis crimina donans,
Perversis patiens, clemens, placidusque reversis,
Vita hominum, mors culparum, miserator utroque
Exitium sceleris causas jubet esse salutis.
Nec desperarem fidens bonitate probata,
Quod quamvis vincant cunctas tua crimina noxas
Si commissa diu saltim vel sero doleres
Quod te de mediis raperet clementia flammis.
B O felix pietas, tantum confidere quemquam
De Domini bonitate Dei, ut spondere benigne
Audeat illa etiam quæ non promissa fatetur.
Dum revocare ipsum consueto a crimine tentat
Criminis auctorem, peccatum a fomite tollens
Et stirpem exosam prima ab radice recidens.
Sed quoniam crebros cantare enisa triumphos
Murmura tartareum tetigerunt nostra tyrannum,
Atque inter laudes titulos replicare volentes
Bellorum seriem nomen resonavimus hostis,
Hoc quoque quem dederit Christus sermone loquemur
Tempore quod gestum valde miramur in illo.
Sanctorum quondam sociis Christique ministris
Adjectus juvenis factoque et nomine Clarus,
C Haud procul a sancto cellam doctore locarat.
Adsciscens plures ista ad consortia fratres,
Ut modulata piis symphonia psalleret hymnis,
Concors connexis resonaret gloria linguis.
Subdolus hunc quondam juvenis simulataque gestans
Compositis figmenta dolis, mentitus et omnem
Insontis speciem monachi sub nomine fallens,
Expetiit sub veste ovium sed mente luporum,
Spirans antiquum vitiato pectore virus.
Ac primum sanctis vel solo corpore mixtus
Communis vitæ speciem simulator agebat.
Post sese angelicis solitus jactare loquelis,
Fallacem extulerat vana ad fastigia mentem,
Celsius elati casurus culmine cordis.
Quin et prodigiis suadens incauta coegit
D Corda, velut meritis jam per documenta probatis
Pro levibus signis tumidis plus credere verbis.
Ipsius interdum sese jactare solebat
Alloquio Domini, tanquam si creber ad illum
Nuntius assidue cœlesti a sede referret,
Ostendens magnum socio sermone favorem.
Nec timuit sanctis semet conferre prophetis
Spirans fallacis mendacia verba latronis.
Jamque adeo plures confictis credere verbis
Impulerat, solus constanti pectore Clarus
Reppulit a sancto fallacia murmura sensu.
Et quamvis Domini furiosus fingeret iram,
Nec terrere gravem potuit, nec fallere cautum.
Spondens virtutem per plurima signa probandam.
Namque ut deceptas caperent miracula mentes,

Talibus attonitos voluit confundere dictis.
Hac, inquam, me nocte Deus (ne vana putetur
Gratia, quam meritis voluit decernere nostris)
Indutum niveæ donabit vellere vestis.
Hæc vestris cum dona oculis manifesta patebunt,
Saltim, si dictis dubitatis credere, visis
Credite, et aspectum facili laudate favore.
Cum vero ad tantum vigil exspectatio monstrum
Cursum prædictæ novitatis pergeret ordo,
Ecce autem mediæ jam ferme tempore noctis
Quo divisa diem non longe aspectat utrumque,
Proxima venturo, nec multum amota relicto,
Concussa intremuit tellus, fragor undique vastus
Horrendum intonuit tenebris et tetrior ignis
Lampade terribili mentita et luce micavit.
Terrentur visu subito trepidantia corda.
Protinus ergo alacer successuque acrior ipso
Quo sic prædictæ fraudis processerat ordo,
Tangendum cuidam vellus dedit atque videndum.
Qui citus accivit reliquos ne falleret unum
Compositi nova forma doli : stupuere vocati
Comminus insignem candore et murice vestem,
Extaque sollicitis blande cedentia dextris,
Mollia dum tenuis percurrunt stamina telæ,
Nec tamen agnosci poterat quo vellere ductus
Quamvis admotus propter, fulgeret amictus,
Sed vestis visa aspectu, vel credita tactu
Susceptam tenuit mendax in utroque figuram.
Tum Clarus cunctos hortatu urgere sodales,
Ut tam confusis per monstra ingentia rebus
Ad Dominum precibus redeant, quia prodere solus
Obtectos queat ille dolos, fraudemque latronis
E tenebris proferre suis. Vigil ocius omnes
Turba ad consuetos modulamina dulcia psalmos
Advolat, et sanctis solatia quærit in hymnis,
Quæ pellant segnes vegetato corpore somnos,
Cantibus et sacris nocturna silentia vincant.
Succedunt psalmis lacrymæ, suspiria voci,
Cor clamat si lingua tacet, connectitur omne
In laudem Domini tempus vice mentis et oris.
Interea ut primum tenebras rarescere noctis
Vicina jam luce vident, cum prævia solem
Nuntiat acceptum spargens aurora ruborem,
Et croceo obnubens pallentia sidera fuco :
Comprensum ad sancti certant perducere cellam
Martini, ut tandem disjecta nube fugatus
Perderet ingenii dæmon figmenta dolosi,
Prodens detectam tanto sub judice fraudem.
Ast ille obnitens jamjam propiore periclo
Abnuere, et sanctas præsentum evadere dextras
Certabat gressu sistens, et voce resistens,
Clamans ad sancti vetitam se accedere cellam
Martini, atque illam proferre a limine vestem.
Tum vero insistunt, prodit trepidatio fraudem,
Compositosque dolos pallens ignavia pandit.
Vanuit in manibus prensantum vestis imago,
Attentosque oculos species dilapsa reliquit.
Qualiter aereis nebularum vellera filis
Quæ texere cavas mentito gurgite valles
Cum purum nitidus sol altius erigit orbem,
A Æquora dispersis produnt nudata tenebris.
Hoc quoque sancte cruci Martine affige tropæum
Quo spolias sævum simulata veste tyrannum
Scindens aeriæ mendacia tegmina telæ,
Disjiciensque cavæ fluitantia vellera nubis.
O nunquam cessure furor, rursumne resurgis
Elisus toties, toties conamina perdens
Irruis, atque ruens, nec finem audacia ponit,
Nec votum successus agit? Tune, impie, vultum
Mentiri Domini, tenebris et fallere lucem
Conaris, tali ut specie deludere sanctum
Compositis possit vecors insania formis,
Spirans extremum quanquam sine vulnere virus,
Effetam et rabiem cassis jam rictibus efflans,
Non penetrans purum tetra caligine sensum,
B Ne claudant verum nebularum umbracula solem.
Et quamvis ostro radians, gemmisque coruscans
Subdideris rutilum plantis mendacibus aurum,
Insimilans verum falso diademate regem,
Proh dolor! æternum clamans te, perfide, Christum
Ut velata pio sub nomine forte lateret
Impietas mentita Deum suasura beatum
Credere mendaci specie sub nomine Christi,
Et curvare pios in honorem dæmonis artus,
Sacrilegum ut faceret, nefas heu, credita sanctum
Relligio, ac fidei meritis credendo careret,
Et male tradendi fallacia pocla veneni
Occulere ut in dolium mellis dulcedine succum,
Ignaris hæc tende animis, tyronibus istas
Insidias molire viris, qui classica nondum
C Bellica inexpertis tentant præcludere telis.
At qui non rudibus suetus sudare sub armis.
Signaque prætento felicia claudere vallo,
Emeritos celat veneranda casside canos,
Omnia quæ multo doctus præcaverit usu,
Sollicite explorat quæ sint loca fida parandis
Insidiis, vel quæ rursum suspecta cavendis,
Quo clypeum regat ingenio, quo turbine telum,
Qui regem capiant tituli, quæ crimina lædant :
Ille ita constanti cuncta gravitate resistet
Insidiis, tantaque dolos ratione cavebit,
Ne fraude efficiat fractus conflictibus hostis,
Quod virtute nequit; tali tum robore florens
Martinus bellator erat cum classica Christi
Subruerent penitus vitiati crimina mundi.
D Noverat ille sui signum dignoscere Regis,
Et calcare istas crucifixi nomine pompas.
Tu modo purpureo Christum mentiris amictu
Atque auro et gemmis peregrino stamine serum
Hanc speciem exornas, miser heu, nec fallere nosti.
Sic frustrata tuis toties molimina perdens
Consiliis, rursus tenues delapsus in auras,
Solveris, atque fugam turpi fetore fateris.
Tu vero immota stabilis virtute triumpha,
Sancte Dei, cui perpetua virtute cohæres.
Firmasti invictus contra omnia crimina mores,
Mansuetus, patiens, justus, pius, integer, æquus,
Mitis, confidens, humilis, sine fine benignus,
Instructus, comis, facilis, placabilis, acer,
Antistes sanctus, doctor bonus, hospes amandus,

Mirandus signis, imitande in moribus idem;
Corde humilis, mente excellens, venerandus utroque
Dum laudem fugiendo capis, vitando mereris.
Ducens contiguos sera in jejunia soles,
Et vix exiguis semper parcissimus escis
Defessum relevans stomachum sine pondere carnis.
Sic expulsa cibi, sic somni abjecta voluptas,
Ne vigilem premeret terrena hæc sarcina mentem,
Sed levius animi posset consuescere corpus,
Orandi studio invigilans studioque legendi.
Continuata istis hæc serunt tempora curis,
Hæc sola et requies placuit mutare laborem
Succedentem alio jugem sine fine precandi.
Ipsam etiam cuncti tanto miremur ovantes
Naturam cessisse viro, licet ultimus illum
Clericus oblitus tanti læsisset honoris:
Nec læsus felle intumuit, nec judicis unquam
Jure in subjectos vindictæ exarsit amore,
Non odium furor excivit, non gaudia risum
Tristitiamve dolor sanctus gravitate verenda,
Angelicus fulsit venerando in corpore vultus
A Qui possit sancti faciem depromere cordis,
Proferre et clausam sacro de pectore lucem.
Semper in ore Deus, semper miseratio. Pacem
Consilio et voto tenuit. Nam sæpe solebat
Invidia infectas fauces livore veneni
Armare opprobriis, ipsosque accendere diro
Felle sacerdotes, ut linguis carpere mallent
Quam factis æquare pium: nec sic quoque sanctum
Ira animum saltim reddendi ad vota coegit.
Quin et fraternos pro tanto crimine fletus
Fundebat madido clemens miseratio vultu,
Exorans Dominum lacrymarum flumine Christum
Parceret ut verbis veniam tribuendo dolosis.
Sic stabili semper contra omnia vulnera corde,
Non odium furor excivit, sed causa dolorem:
B Qualis sectatus Domini vestigia martyr
Excipiens sævam saxorum nube ruinam,
Cum tenuem efflaret benedicto pectore vitam,
Dimitti insano poscebat crimina vulgo,
Plus peccata dolens plebis quam vulnera carnis.

LIBER QUARTUS.

Finierat sumptum translatio cœpta volumen
Percurrens sancti pura exemplaria libri,
Cum subito oblata est obstrusæ gloria nobis
Historiæ, nostri stimulans molimina voti,
Non ut de misero melius claresceret ore
Quod tam perspicui signasset pagina cordis
(Cum vis verborum viva virtute coruscans
Perderet ingenitum metro mollita vigorem),
Sed quia non omnes liquidi penetralia fontis
Interius scrutanda petunt, pars magna petentis
Sæpe bibit proprios neglecto frigore rivos.
Nos quoque qui dignum nil possumus edere doctis,
Turbida non longe purgemus pocula libris.
Sæpe et clangentum voces æquare tubarum
Emissa implicito conantur sibila libro.
Et quæ sub celsa suevit requiescere pinu,
Interdum vilis penetrat virgulta salicti.
Tu quoque qui gratis malles succedere lucis,
Si longe amoti nemoris via forte fatigat,
Comminus oblatum properans irrumpe frutectum.
Pergebat sanctus benedicti ad limina templi
Ut solita æterno ferret mysteria Christo.
Ecce autem tremulus glaciali frigore pauper,
Collidens miseros nudanti vertice dentes
Admotasque manus malis pallentibus aptans
Captabat tenuem flatu aspirante teporem.
Durabat crebros concrescens stiria flatus,
Vox quoque non toties resonans lacrymabile verbis
Flebilibus præcisa sonis gemituque locuta
Signabat totam causa clamante querelam.
Hæc quamvis durum mollissent forte rigorem,
Ne dum Martini pietas jam mota valeret
Dissimulare istam miseri plangentis erumnam.
Protinus astanti diacono quem more priorum
Antistes sanctæ custodem legerat arcæ,
Imperat ut Domini sumptu nummisque coemptam
Aptaret properans algenti in corpore vestem.
Ergo hæc quæ fieri voluit quasi facta reliquit.
Exin secretæ penetrans habitacula cellæ
C Quæ progressurum sacra ad mysteria sanctum
Hic quoque vicinis suerat sejungere turbis,
Excipiens monachum mox emissura ministrum.
Sed quid non penetrent miseri quos cogit erumna
Attritæ expositum frontis vulgare pudorem?
Quod nec presbyteris patuit, perrumpit egestas
Allegans querulam dilato munere causam.
Tum vero invasit totum miseratio sensum,
Nec placuit rursum mandati afferre periclum.
Amphibalo caput occulit tum teste remoto,
Subtraxit lætus paulatim ad membra lacertos,
Collectam excutiens adclini pectore vestem,
Nec patuit nudum vestito paupere corpus,
Tam propere exterior spoliatum texit amictus,
Ut votum anticipans festini pauperis, ipsum
D Ignarum facti faceret, quem munere lætum
Fecerat occulto, testi manifestus egenti.
Dicite qui spreti calcantes gaudia mundi
Abjecto vitam voluistis quærere censu,
Quis nudum proprio texit nudatus amictu?
Quis quod ferre alium doluit non ipse refugit?
Quis miser esse volens miserum miserando refecit?
Vicisti veterum, Martine, exempla virorum,
Tuque ipsum mirandus eras tum paupere tecto,
Vel cum divisæ remaneret portio vestis,
Cede tibi antiquam geminasti hoc munere palmam.
Interea, quod moris erat, solemnibus horam
Esse monet diaconus conventu in plebis agendis.
Ille ait, Implenda est sancti doctrina prophetæ:

Præcedat missam miseratio, gratior hæc est
Hostia, mandatum faciens prius obtege nudum.
Egressus paulum quæsito paupere rursum
Suggerit absentem, nec largitione repertum.
Prome age, sanctus ait, munus : non deerit egenus.
Tum vestem octava solidi vix parte coemptam
Nodosis textam setoso vellere filis
Ante pedes sancti stomachatus projicit ille,
Amoto paulum diacono pretiosa coarctat
Congaudens propere tam vili tegmine membra.
Sic altare petens et multo comptior heros
Hoc habitu, qualis regi post bella reverso
Occurrit madidus sudore et pulvere miles,
Pulchrior hoc titulis, quo membris turpior horret.
Nam speciem virtutis opus præcedit, ut altæ
Radicis robur foliorum tempora transit.
Nec dubia hoc votum mox conjectura probavit.
Nam dum solemni cumulat pia dona rogatu
Prosequiturque sacris vota immortalia verbis,
Effulsit rutilans claro de vertice flamma
Splendorem capiti infundens innoxia crini,
Perspicuo sursum porrecta atque edita tractu,
Ignifluo liquidum perrumpens aera sulco.
Perge age continuo titulorum impulsa rotatu
Gloria, sic facili virtutum concita cursu,
Ut penitus laxis currens in gladia frenis
Incipienda prius subeas quam clausa relinquas.
Quidam vir locuples Evanitus in licet istis
Astrictus mundi per vincla tenacia curis,
Attamen illæsæ fidei cordisque benigni,
Conservans purum terreno a crimine sensum,
Exesis penitus vehementi febre medullis,
Concutiens crebro trepidantia viscera flatu
Et singultanti rumpens suspiria pulsu,
Supplex arentis confuso murmure linguæ
Et plectrum vocis siccati glute palati
Impendens, fractis enisus sæpe loquelis
Affectum signare suum rogat ocius ad se
Adventum sancti obtineat miseranda precantum
Ambitio, si quæ stimulet vel cura doloris,
Vel pietatis amor quærens fomenta salutis,
Hunc adeat solum renovandæ ad tempora vitæ,
Martini aspectum cunctas superare medelas.
Nec tarda injustum saltim dilatio votum
Credidit, oblatis divino munere signis,
Hanc satis esse fidem mox et res ipsa probavit.
Vix dum vel medii transcursa parte laboris
Restabat pars magna viæ, prævenit euntem
Gratia, præmisit speratæ dona salutis
Præcedens tardos virtus pernicior artus.
Occurrit validus medico : gratantur uterque
Corpore sanato transfusam in corde salutem,
Dum fidei meritis crescit curatio carnis.
Ergo ut sublata est cunctarum causa morarum,
Confestim remeare volens cuncta prece victus
Præstitit unius spatia exorata diei.
Sed breve quod fuerat spatio, virtutibus amplum est,
Arctum compensat non arcta operatio tempus.
Nam puerum quem forte malus lethaliter ictum
Perculerat serpens infectum felle veneni,
A Cum jam liventes virus distenderet artus
Atque ipsis etiam penitus vitalibus haustum
Serpentis ferale malum quasi morte peracta
Solveret inferno marcentia lumina somno :
Ipse herus inflectens justo pia corda labori
Pertulit ad veri vestigia sancta patroni,
Non dubitans meritis per tot documenta probatis
Quod præsens possit tactu depellere virus,
Qui veniens morbos solo terrore fugasset.
Nec mora, contactum dextra medicabile vulnus
Purgavit tetro figentia membra veneno,
Et quacunque manus per corpus sancta cucurrit
Mors fugit, sed vita redit ; remeavit ad unum
Mox pestis collecta locum. Tum vulnere solo
Stipatum jussit confestim erumpere virus,
B Et puer intrepido firmans vestigia nisu
Gressibus impavidis domino gaudente cucurrit.
Hac dives mercede redis, hæc munera sumis
Adjectæ munerans felicia dona salutis.
Quod tempus vacuum virtutibus egit in ipso ?
Quæ via non cœlum petiit licet hospita terris ?
Lustrabat caulas commissi pastor ovilis
Queis pia rurestrem claudebat Eclesia plebem,
Ne furum fortasse doli rabiesve luporum
Incautas pecudes raperent custode remoto.
Interea sociis paulum fortasse relictis
Carpebat prægressus iter qua publicus agger
Porrigit erectam per plana jacentia molem,
Ut via constratis solidata atque edita saxis
Vergeret effusos in concava subdita nimbos,
C Et gravis in duro non sideret orbita colle,
Mersaque ne luteum sorberent plaustra profundum
Sed summæ vix dorsa viæ vertigo rotarum
Raderet, haud ullo signans vestigia sulco,
Sed procul impacti tinnitu prodere ferri.
Hoc Martinus iter paulum prægressus agebat,
Cum subito ingenti properantem turbine rhedam
Obvius aspexit, tumidos quæ forte vehebat
Militiæ terrore viros : non ordo furorem,
Non ratio insanam poterat componere mentem.
Ambitio, ebrietas, clamor, furor, ira, tumultus,
Miscebant variis incondita pectora monstris,
Exanimesque inter mulas trepidosque magistros,
Verbera cædentum resonabant verba clamantum,
Nec standi lex ulla inerat, nec cura pericli
D Tardabat celerem per plana, per ardua cursum.
Talibus ergo viris habitu diversus et ore,
Obvius occurrit sanctus, timuere verendam
Jumenta adversi faciem, cessere trementes
Aggere de medio mage sano pectore mulæ
Innexæ implicitis trepidantia corpora loris ;
Ut quondam sanctæ vetitum maledicere plebi
Lectio fert asinam dominum tempsisse profanum
Elisam adclini pressantem corpore plantam.
Tum vero insano suffusi corda veneno
Desiliunt, spes est voti data causa furendi,
Ausi et sacrilegas in sanctum extendere dextras,
Verberibusque pium certatim elidere corpus.
Insontem solum, mitem, placidum, patientem,
Irati, instabiles, multi, tumidi, furiosi,

Obvia verberibus prorsus nec verba ferentem
Impellunt, retinent, elidunt : ora madescunt
Sanguine, confusum rumpunt spiramina pectus,
Liventer fracto nigrescunt gutture fauces.
Languentesque oculi solo de lumine Christi
Præsentes pensant tenebras caligine noctis,
Deficit aspectus, sed spes in pectore lucet.
Talem igitur socii postquam aspexere magistrum
Exanimes, viso pallescit turba patrono,
Extendens humiles ad sustentacula dextras,
Blandaque sanguineis affigens oscula membris.
Tum properant diræ loca tristia linquere cædis.
Subditus excepit venerabile pondus asellus
Assuetum vecturus onus. Sed corpore flexo
Nutat semianimis acclinis sarcina membris,
Et dubios casus jamjam lapsura minatur.
Interea expleto satiati corda furore
Ad rhedam rediere viri, pernicius inde
Præcipiti cogunt jumenta erumpere saltu.
Ut quidquid fuerat funesta in cæde morarum,
Confestim celeris pensarent turbine cursus.
Verum hæc frustra adhibent molimina, fixa rebellant
Imperio jumenta truci : riguere ligatæ
Arbitrio domini statuarum in imagine mulæ.
Tum vero insano propius calet ira tumultu.
Nil voces, nil flagra valent : contusa resultant
Ilia, vicinas rapiunt ad verbera silvas,
Saxa, sudes, fustes, stimulos, quod cuique repertum
Rimanti telum ira facit, consumit in ictus.
Nec tamen hæc possunt nervos laxare rigentes
Aut fixos mutare artus, frigentia credas
Æra, vel expressas saxis riguisse figuras.
Tandem consumpto penitus fractoque furore
Admisit sanum vecors dementia sensum,
Ut scirent nexas inter tot verbera mulas
Judicio torpere Dei, causamque morarum
Non sine divino miseris contingere nutu.
Cum demum admoniti monstris, positoque furore
Peccati memores quærunt, quisnam ille verendo
Corpore sacrilegos pulsantum exceperit ictus.
Ecce autem audito Martini nomine proni
Accurrunt laceros turpati pulvere crines,
Rorantesque genas lacrymarum fonte rigantes
Innectunt humiles plantis felicibus ulnas,
Poscentes veniam pariter, pariterque fatentes.
Nec sane dilata diu est miseranda precantum
Ambitio, exclusit longos clementia fletus,
Et veniæ donum prævenit vota rogantum.
Nec mora libertas abeundi reddita, verbo
Laxavit celeri jussarum frena morarum.
Dicite quid vestri velox evectio regis
Efficiat tardante Deo, conferte coruscas
Gemmarum radiis frontes, et tegmina setis
Hispida, virtutum titulos, pompasque jubentum ;
Tum saltim edocti meritorum pondere sancti
Imperium vestro melius præponite regi.
Perge, age, continuo virtutum stemmata tractu
Historiam pangendo refer, via versa sacerdos
A Ingeniumque meum, tu cordis plectra vel oris
Auxilio continge tuo, vesana loquentes,
Dementes rapiant furiosa ad pectora Musas.
Nos Martinus agat, talis mutatio sensus,
Grata mihi est, talem sitiunt mea viscera fontem,
Castalias poscant lymphatica pectora lymphas,
Altera pocla decent homines Jordane renatos.
Rursus iter gressus venerabile sanctus agebat
Carnotina jacent patulis qua mœnia campis.
Ergo hic fecundi dum præterit avia ruris,
Vicinum implevit justa admiratio vicum.
Innumeri passim coeunt et sexus et ætas,
Omnes denudat vacuos cultoribus agros
Gloria tanta viri; minor est jam cura domorum,
Martinum vidisse sat est, hoc nomen et ipsi
B Pro laudis titulo recte stupuere profani.
Et quanquam nec dum fidei virtute recepta
Ad famam tanti raptim affluxere magistri.
Stipabat densum populis rurestribus agmen.
Texerat expositos justa admiratio campos,
Quem fructum tantæ segetis satione salutis
Commissis cupidos gauderes condere claustris,
Respiciens vacuos granorum pondere culmos.
Cum subito exanimum nati complexa cadaver
Mater adest, pulsans cassos ad viscera rictus,
Et querulum immergens labris glacialibus uber,
Allegans tremulas inter suspiria voces,
Pallentesque rigans lacrymarum flumina malas.
Persensit mens plena Deo vicina faventis
Dona Dei : purum vegetavit gratia sensum
C Fideret ut tantum divina ad præmia plebem
Perspecta saltim Domini virtute vocandam.
Ergo ut defuncti funus miserabile nati
Supplex imposuit matris felicibus ulnis,
Attacti nutare artus, reserata patere
Lumina, et infusam paulatim assuescere lucem,
Et plectrum humentis collidens lingua palati
Faucibus expressam verbis distinguere vocem,
Brachiaque innexo gaudens suspendere collo
Martini amplexus neglecta matre poposcit.
Pande sinus patulos populis ditata receptis,
Adjectamque tibi gaudens amplectere plebem,
Sponsa Dei, totum rapiens ad viscera mundum.
Vos vero in miseris dudum fetentia bustis
Idola, gaudendos tandem lugete triumphos.
D Quæ non corda tibi cedebant, sancte, docenti?
Quæ feritas non mitis erat ? cum semper in ipsis
Regibus oppositum contra tua vota rigorem
Prævia molliret Domini clementia Christi ?
Sed mage trux reliquis vitioque tumoris, et iræ
Terribilis solium Valentinianus agebat.
Quem cum sæpe ducem supplex Martinus adiret
Difficilem allegans duro sub principe causam,
Tam jugi offensus rex ambitione precantis
Ne sæpe obstructas pulsaret questibus aures,
Arceri foribus sanctum jubet. Ille repulsus
Deserit infensi penetralia turbida regis
Mallens æterni pulsare ad limina Christi,
Atque illam penetrare aulam quæ regibus ipsis
Jus tribuit, certis concludens tempora metis,

Astringens validis licet ora rigentia frenis.
Ergo ad consuetum remeat mens tota vigorem
Affligens tenuem defesso in corpore carnem.
Exesam stimulans setoso tegmine pellem,
Jejunando diem ducens, vigilando tenebras,
Continuo et fletu connectens tempus utrumque.
Ac si quando brevi cessissent lumina somno,
Nuda humus ad tenuem sat erat subjecta soporem,
Donec mœstitiam sancti miserantis alumni
Christus ad afflictum solatia misit amicum
Alloquio delata pio : nam lapsus ab alto
Angelus hæc Domini mandati verba profatur :
Perge, age, ut obstructam penetres securus ad aulam.
Nil septum est, miserante Deo, cui regia cœli
Oranti patuit, terrena hæc claustra patebunt.
Nec mora : divini tanto sponsore favoris
Certa fides; petit intrepidus penetranda tyranni
Limina, concessit tumidi custodia regis,
Armaque ad excubias dirarum objecta minarum.
Quem postquam solio subito rex vidit ab alto,
Obstupuit visu attonitus, torvumque trementes
Aspexit minitans regali a sede ministros.
Interea ut spreto caperet solatia sancto,
Comminus astantem nullo dignatus honore,
Immotis pressit subjecta sedilia membris.
Ecce autem rapido crepitantis turbine flammæ
Ignis atrox vindex divino munere missus
Involvit solium regis partemque sedentis.
Tum demum celeri linquens incendia saltu
Excussis fixit trepidus vestigia membris
Extortum redhibere pio gratatur honorem,
Et blando affectu causam removere precandi
Subdens præceptis immitia pectora sanctis,
Et flectens dociles ad verba jubentia mores.
Quin et larga satis regali dona paratu
Ingessit. Sed nil de mundi sumere censu
Mens opulenta Deo voluit, terrena relinquens
Præmia, at æterni recondens munera Christi.
Nunc quia plebeiis vilissima carmina verbis
Irrupere humili præcelsa palatia versu,
Contiguo, ut Christus dederit, sermone loquemur
Subdita sanctarum meritis fastigia rerum.
Postquam, ut transcursi signavit pagina libri,
Maximus impositi purgavit crimina regni,
Jugibus officiis cœptum servare favorem
Prudenter studuit : nam sic arcessere sanctum
Gaudebat cupiens divini flumine verbi
Irriguam potare fidem, de fonte beati
Oris nectareum doctrinæ haurire liquorem,
Discere sanctorum titulos et gesta piorum,
Quæ decertantes sudarent prælia, quæve
Præmia victores caperent, quæ gloria justos
Excipiat, quæ pœna reos, clementia Patris
Ut foveat, quantum afficiat sententia regis.
Talia quærenti congaudens singula sanctus
Pandere, et ejectis lumen revocare tenebris.
Ac non inferior tanto regina marito
Devota obsequiis vincebat sedula regem,
Pendens sanctifico semper narrantis ab ore,
Et largo propter spargens vestigia fletu,
A Illius æquabat meritum quæ crine beato,
Lota prius lacrymis Domini vestigia tersit.
Verum hæc parva putat speciali accincta seorsum
Affectu servire parans, ut sola remotis
Instrueret mensas felix regina ministris.
Nec prius adjuncto contendens sæpe marito
Destitit a precibus, quam sanctum cedere crebros
Continuans fletus jugi ambitione coegit.
Apponit mensam, sellam locat, ingerit ultro
Lintea siccandis manibus lymphasque lavandis.
Et quas obsequio congaudens coxerat escas
Ipsa in perspicuis properat deferre canistris.
Et quanquam officiis nunquam defessa vacasset,
Supplebat jugem standi virtute laborem,
Pro tanti mercede operis venerabile munus
B Micarum fragmenta legens, quibus esca fidei
Esuriem sanctam tactu pretiosa repleret.
O felix virtute tua regalibus istas
Anteferens gazas opibus, servire beato
Mallens, quam toto penitus præcellere mundo!
Ad famulæ nomen referent regnantis honorem.
Non tibi sidereis radiantia tempora gemmis
Mutavere animum, rutilisque rigentia filis
Serica, contextoque aurum pretiosius austro.
Æquasti merito tantæ, regina, fidei
Illam quæ similis solii sublimis honore
Venit ab extremis Salomonem agnoscere terris,
Auditu captans docili quod mente retentans
In se quod tenuit longe progressa petivit :
Talia subjecti calcati obstacula mundi
Femina priscorum titulis æquata virorum.
C Nam sæpe invictos multo in certamine reges
Sola jugum renuens funesta superbia vicit.
Recte igitur sancti donum speciale tulisti
Ut tibi mollito paulum positoque rigore
Mitia siderei cordis secreta paterent.
Quam multos licet exiguo laxata sereno
Frons pia clementer jussit considere fluctus,
Quantas sedavit moderatior aura procellas,
Et breviter rutilans licet inter nubila sudum!
Quam tristes hæc mensa reos, quæ vincula solvit
Libertas permissa parum, quantasque catenas
Discussit laxans proprium brevis hora rigorem!
Nam tempus, persona, locus sapientibus astant
Consiliis, subitaque animum ratione gubernant;
D Nec mihi feminei prætendas nomina sexus,
Invide, non artis meritum sed corda parebunt.
Nec minor est natura humani [*F* homini] cum gratia par sit,
Nec distet merito fidei gens, sexus, et ætas,
Vir, mulier, servus, liber, peregrinus, et hæres.
Credentis meritum præstat, non gloria carnis.
Denique quid sexum hunc studio meruisse fideli
Compererim brevibus cupiens perstringere signis,
Hoc quemcunque dabit Christus sermone retexam.
Dum progressus iter carpit venerabile sanctus
In noctem vergente die, vicina petivit
Tecta, et gaudentis susceptus culmine vici
Expetiit properans sancti penetralia templi.
Atque hic ut semper benedicti liminis hospes

Permisit fessum paulum requiescere corpus,
Laxans exiguo marcentia lumina somno,
Ut renovata brevi saltim modicoque sopore
Sufficerent jugi tenuissima membra labori,
Et ferrent vigilem per sustentacula mentem.
Verum ubi transegit tenebras et nocte refulgens
Lux operum cunctis propere solemniter actis,
Rursus iter festinus agit; tum vero fidelis
Turba puellarum Domino quas sancta sacrarat
Virginitas carne intactas, et corde pudicas,
Ne festinantem cœli ad sublimia mentem
Ad terram premeret fragilis corruptio carnis,
Irrumpit sanctæ gaudens penetralia cellæ
Hospitio benedicta pio, flatusque recentes
Haurit, et infectas absorbet anhelitus auras,
Tunc humili obsequio solium doctoris adorat;
Officio docto raptim loca singula signant
Quæ tetigere pedes stantis, quæ membra jacentis,
Quæ sancto benedicta cibo, quæ pressa sedili,
Vel quæ prostratis oranti subdita membris.
Ut vero aspectu benedicti stramine lecti
Tentavere pio tepefactum corpore fenum,
Certat ad inventam violenta modestia prædam;
Dum partem sibi quæque rapit, sinibusque repletis
Lævia densati compungunt pectora culmi,
Atque arcent tenues stimulato pectore vestes;
Quid non vera fides faciat? forte una cohortis
Virgineæ, nec corde minus quam corpore casta,
Cum quemdam miserum violento jure retentans
Cogeret in furias dæmon prorumpere jussas,
Excutiens sanum captivo a pectore sensum,
Auxilio confisa Dei meritoque patroni,
Particulam aptæ sapienter prodiga prædæ
Faucibus innectit miseri colloque furentis
Suspendit pressum benedicto corpore fenum.
Nec mora, et attactu confestim territus hostis
Arentes stipulas [a] sæva ut incendia fugit,
Impar contactis Martini corpore culmis.
Et tamen elisus toties totiesque fugatus
Audes mutatis demens occurrere formis,
Expertum tentare virum, coramque verendos
Ferre oculos, speciemque tegens monstrare furorem?
Nam pecudis dorso insidens furiisque petulcum
Concutiens animal seseque in viscera mergens,
Naturam pecudis funesta excusserat ira.
Vel cum captivæ præsistit terga juvencæ
Ferret ut impositum non solum corpore monstrum,
Explens infusum per membra obsessa furorem,
Atque ministerium bacchantis motibus aptans
Sanguineum spargens concusso vertice rorem,
Lævia dum rubræ percurrunt cornua guttæ,
Igneaque iratam præcedunt cornua frontem,
Efflat, et alternas vix creber anhelitus auras,
Pulvereamque ciet curvato poplite nubem,
Et tenues sursum tremulus pes spargit arenas.
Nempe inter profugas passim bacchata catervas
Mitis ad aspectum sancti, cessore fugato,
Astitit, atque onere abjecto sed mente recepta
A Agminibus sociis gaudens se bucula junxit,
Desine nunc saltim gregibus te mergere Christi
Postquam nec pecudum sanctus tibi jura reliquit.
Cedimus, exsuperat trepidantia verba loquentis
Gloria virtutum, claris magis edita factis
Quam linguæ prodenda sonis obscura poetæ
In lucem fando expediant; nos lumine laudis
Vincimur, et tanto oppressi splendore latemus.
Atque utinam nostram paulum rarescere noctem
Gloria tam clari faciat contacta patroni,
Ne lucem historiæ tenebroso corde tegamus,
Et titulum laudis minuant peccata loquentis.
Quod cor non placidum sancto, quæve ira rebellis,
Quæ feritas non mitis erat? Sensere molossi
Imperium cum venatu transcursa patentum
B Æquora camporum quateret lasciva juventus,
Corripiens celeri vel prona vel ardua saltu,
Cornipedes propere multo sudore madebant,
Et patulis tenues efflabant naribus auras.
Ungula terrifico resonabat concita pulsu,
Linquens pulveream cita post vestigia nubem.
Nec sat erat volucrum tam velox cursus equorum:
Pendula sic pronas æquabant pectora frontes
Ut mora cornipedum tardaret vota sedentum,
Vectorum et cursum transiret motus agentum.
Certabant alacres ventos æquare molossi,
Vincendi et studio spectantum explere furorem,
Pendentesque procul reserato gutture linguas
Flatibus alternis tremulus quatiebat hiatus.
Hic tantus labor, hic sumptus quo, proh dolor! exit?
Quis fructus, quæve utilitas prensare fugaces
Bestiolas, leporumque fuga gaudere paventum?
C Tempsisti talem, prudens Martine, furorem,
Insontis tristem casum miseratus, hiantum
Ora canum, et trepidos faciens torpescere gressus.
Jam si continuum laxasset fronte rigorem,
Quo sale verborum sociorum absolvere curas,
Attentasque aures paulum refovere solebat,
Cum gravitate catus, cum relligione facetus,
Virtutem cordis respergens flore leporis.
Pellicea cernens obtectum veste bubulcum,
En, ait, alter Adam tales velavit amictus
Nudati obvolvens algentia membra parentis,
Atque novo præstans solatia parva pudori,
Cum post tartarei virus lethale veneni
Lubrica deceptum persensit sibila corpus.
At nos exutos penitus penitusque sepultos
D Peccato veteri rursum nova gratia velet.
Idem detractis detonso vellere lanis
Arridens respexit ovem, tum protinus inde
Ordine de facti sumens exempla docendi,
Cernite mandatum vilem complesse bidentem,
Vestibus e geminis poscenti tradidit unam
Succrescente alia nolens retinere priorem.
Ast homines brutæ pecudi cessisse pudendum est
Si mage munifico vincat nos prodiga censu.
At parte ex alia pratorum dorsa patebant
Dissimili distenta situ, pars una voraces
Pertulerat suffossa sues, viridemque colorem

[a] Ita recte habet v. c., non autem *ut sæva*, quia veteres voculam *ut* sæpe produxerunt etiam sequente vocali.

Perdiderant glebis nigrantia dorsa supinis.
Ast aliam adroso detonsam cespite tristi
Nudarant armenta fame, proneque secantum
Ora boum abstulerant late telluris amictum.
Roscida dum patulo carpuntur gramina morsu
Curvatæ ad fauces attracta aspredine linguæ
Prævia quæ teneras adlambens colligit herbas,
Ut densata avidi succidant pabula dentes.
Nec minus impresso protriverat ungula cornu
Elidens crebro viridantia germina pulsu :
Partem aliam illæsi vernantem cespite campi
Ornabat vario comens natura decore.
Undabat tenui viridantia gramina flatu,
Impulsasque levis motabat spiritus herbas.
Insuper innumeri per plana jacentia flores
Distincta insertis pingebant æquora gemmis.
Hos roseo inficiens tingebat purpura fuco,
Ast alii niveo insignes candore nitebant,
Inter quos croceis distinguens gramina signis
Aurea flavorum rutilabat gratia florum.
Curvant purpureæ gemmantia germina guttæ,
Flectebantque herbas humentis succida roris;
Blandus odor gratum certans æquare colorem,
Permiscens paribus concordia gaudia formis,
Pascebat specie visum, spiramine nares;
Præbebant raræ pergrata umbracula frondes,
Cærulaque implexis nutabant brachia ramis;
Certabant tectæ foliis vernare volucres
Musica dulcisonis moderantes sibila linguis.
Purus vicinas pascebat rivulus herbas
Graminaque allapso stringens humore fovebat.
Perspicui subter visu penetrante lapilli
Crispabant vitreas per blanda obstacula lymphas.
Nec poterat mersum ex oculis auferre decorem
Pervia luminibus species et gurgite tecta.
Quid rudibus conor formas signare loquelis ?
Expromi hæc verbis nequeunt, quæ munere Christi
Effigians melius naturæ gratia pinxit.
Hanc igitur speciem distinctam dispare forma
Aspiciens Martinus ait, Conferre parumper
Depasti, effossi, illæsi loca singula prati
Scortorum sceleri, vel justo fœdere nuptis
Conjugibus, vel virginibus quæ corpora Christo
Sancta vovent rosei gemmis ornata pudoris.
Ut suffossa illic species non permanet agri,
Oblita sic vitiis Christi non fulget imago.
Ut radix hic salva manet, sed gramine secto,
Sic nuptis est tuta fides sine flore pudoris.
Ut color atque nitor florenti reddet in agro,
Gloria sic puræ fulgebit lucida carnis,
Talia perspicui dantis documenta vigoris
Attenti et semper divina ad præmia cordis.
Quidam adiit monachus neglecto hoc nomine ademptus
Militia, qui post lituos et classica belli
Malluerat veri signis se dedere regis,
Magna crucis sanctæ melius vexilla secutus.
Quin et consortem thalami ad collegia vitæ
Alliciens, sociam sanctis præceperat esse
A Virginibus, thalami vel carnis jura remittens.
Verum ubi lascivum rursum rediviva voluptas
Occœpit stimulare animum, penitusque medullis
Indere contempti mortalia sæcula mundi,
Vix prælibatum cupiens laxare rigorem,
Rursus in amplexus nuptorum et vota recurrens
Post monachi titulos nomen revocare mariti.
Quin et doctorem crebro pulsare tumultu
Aggreditur tales precibus miscendo querelas:
Si mihi conjugii Christus solatia præstat,
Dignatus thalamis diversum adnectere sensum,
Quis rapiet mihi dona Dei ? quis jure novello
Audebit priscam Domini convellere legem ?
Talia præcipiti frangentem murmure sensum
Mitius aggreditur sancti medicina patroni.
B Dic, age, præteritæ recolis si tempora vitæ ,
An collata acie sævo conflixeris hosti ?
Quod quia percrebro factum reminisceris idem
Respice num lituos inter vel classica belli,
Pilaque terrificis pugnantum intenta lacertis,
Districtosque enses, accepto et turgida flatu
Serica, serpentum spiras imitata vel iras,
Bellica femineus turpaverit agmina sexus ?
Quis scutis ad pensa locus, quis ad arma puellis ?
Lævia nam decuit respersio pulveris ora ?
Quod si terrenis non sunt hæc congrua castris,
Quidquam ut femineum deceat vexilla virorum :
Num tibi continuo bellum sudore gerenti
Non mage turpis erit spreti permixtio sexus
Tempore desidiæ, talem lasciva voluptas
C Inveniat ridenda chorum. Cum vero viriles
In campos properant acies, ferrataque lucent
Agmina, femineas defendant mœnia turbas,
Divisæque armis studeant se claudere portis.
Qui vero ad bellum properat, solatia temnat.
Talibus effrenæ sanavit gaudia mentis
Compositoque dedit rursum nova gaudia cordis,
Pugnacemque virum cum pace ad bella remisit.
Jam vero hoc quisnam digne percurrere possit
Tam docilem ornarit patientia quanta leporem ?
Forte inter sanctas et corde et carne puellas
Perpetui semper pretiosas flore pudoris,
Innuba quas Domino sociarat dedita Christo
Virginitas, nexu mentis, non fœdere carnis,
Virtutum quædam studio præcesserat omnes,
D Hoc speciale decus titulis addendo pudoris,
Quod semel ex oculis cunctorum amota virorum
Servabat cœptum constanti corde rigorem,
Nec levis instabili nutabat femina sensu
Vincens ingenitum virtutis pondere sexum,
Et prægressorum via rara exempla virorum.
Hujus propositi justa admiratio sanctum
Perpulit, ut talem recte veneratus adiret,
Illectus tanto virtutum flore puellæ :
Verum ita constanti defixa in pectore mansit
Jam Domino devota fides : ut claustra pudoris
Septa viris claræ titulos servantia palmæ
Nec tanti posset meritum reserare patroni.
Nec tamen erubuit votivam ferre repulsam

Proposito gavisa fides: sed cuncta benignus
Quæ spem contulerant proprium numeravit hono-
[rem,
Plus lucra attendens animæ quam gaudia carnis.
Quam tibi quam sancto rabies de pectore partem,
Ambitio insani ventis afflata tumoris,
Jam penitus prostrata jacet, nil Christus habere
A Cum vitiis commune potest: qui laude tumescunt
Extolli semet cupiunt. Satis approbat ille
Qui latuisse cupit, mundi et fastigia temnit,
Quam soli Domino tribuat quem vitat honorem.
Sed qui laudato malles vilescere Christo
Hoc quoque judicium titulis addendo beatis,
Quam vitando fugis laudem, vitando mereris.

LIBER QUINTUS.

Jam semel in laudem tanti prolata patroni
Quidnam lingua siles? incondita murmura vocis
Indocilesque sonos per longa silentia claudens.
Si rubor est tam magna loqui prius ista pudori
Lex statuenda fuit, nimis hæc velamina tarde
Attritæ nimium tentas prætendere fronti.
At si desidiæ vili torpore teneris,
Ut tetræ mortis tristis discedat imago,
Excute marcentem, depressa morte resurgas.
Si merito depressa jaces, confide patrono.
Quid rea supplicii pavitas cum sis rea voti?
Ergo age, et exstinctam Domino committe favillam,
Ut rigor ingenii Christo aspirante tepescat,
Et glaciem cordis Martini oratio solvat,
Ac faciat brutam quamprimum erumpere vocem
Ut quondam similis meruit miracula facti.

Carnotena jacent patulis qua mœnia campis
Gallia, et immensis late distenditur agris,
Hic jam bissenis quæ muta silebat in annis
Obstructa et nullis reseraverat ora loquelis
Filia, mœstorum tristissima cura parentum
Angebat jugem miseris vivendo dolorem,
Annorum et spatio crescebant vulnera lectus.
Heu! quoties doluere aliis indulta potentis
Dona Dei periisse sibi, cum sæpe viderent
Vix dum reptantes in verba erumpere parvos,
Nominaque e tenebris præfracta exire labellis?
Cum murmur dubium pietas prægressa notaret
Incertam agnoscens affectu interprete vocem
Excipiens quasi dicta sonos, rapiensque loquenda?
Hæc quæ post primas alii sunt præstita cunas
Æmula bis senis pietas defleverat annis,
Cum lustris geminis mœrens, annisque duobus,
Optaret primam nubendi ad tempora vocem.
Donec Martini genibus connexus et hærens
Exanimis genitor lacrymoso flebilis ore
Astrueret cunctam gemitu pandente querelam,
Attracta ex imo suspiria pectore ducens.
Singultu incidens crebro lacrymabile murmur,
Ac madidum pectus perfundens imbre genarum.
Etiam Martini mentem concusserat almam
Assuetæ pietatis amor, sed causa morarum
De probitate fuit pretiosi cura pudoris,
Et semper claris socianda modestia factis,
Ne quod contuleris meritum jactantia perdat
Et virtutis opus vitiet præsumptio cordis.
Ergo, ait, indignum tanti ad miracula facti
Me reor, et trepida pondus cervice pavesco.
Quod ferre infirmus nequeo, ne sarcina major
Deprimat, et nimio invalidus sub fasce laborem.
Sed non difficilis quævis curatio Christo est,
Qui recte hæc aliis committit signa ministris,
Sanctorum ut meritum Domini miracula prodant.
Ecce duo assistunt clari probitate fideque
B Et virtute viri, quos recte evexit ad istum
Talis vita locum, nunquid non promptius illis
Hæc Domini medicina dabit quæ grandia nostrum
Excedunt meritum, sed non sunt ardua sanctis.

Talia sæpe iterans cordis documenta modesti
Et meritum renuendo probans, hoc dignior exstat
Quod comit reliquos pretiosa modestia mores,
Invidiamque fugit qui se conferre pavescit.
Hæc cernens genitor sancto vehementius instat,
Hos quoque conjungens precibus, quorum ille tegen-
[dam
Dixerat esse fidem, ne vel differre liceret
Quod germana pie Christo aspirante voluntas
Suaserat atque paris concordis gratia juris.
Submotis igitur populis ne forte receptum
C Oranti obstreperet confuso murmure vulgus,
Aut ostentaret proprias jactantia vires,
Hos tantum adjunxit socios quos culmen honoris
Fecerat esse pares, et queis par cura precandi,
Par studium, connexa fides, conjuncta voluntas.
Additur et genitor trepidans quem munera Christi
Acrius optantem faciebant vota fidelem.
Tum sublimi animo erectus, sed corpore pronus,
Sursum cor sanctum statuens, sed membra deorsum,
Carne jacet, sed mente viget, conscendit in altum
Mens conjuncta Deo, premitur jactantia carnis.
Sic via dissimilis concordia adjungitur actu.
Sic humilis properat quo præcessere fideles.
Nec mora, et assueti persensit signa favoris
Assidue sanctus congaudens hospite Christo
D Cordis sæpe fores ad talia munera pandens
Tum benedicendo promi præcepit olivum
Oblatum inficiens verborum nectare succum,
Per quem mutato venit medicina liquori.
Qui postquam infusis gratantis in ore puellæ est
Confestim innexæ solvuntur vincula linguæ,
Et madidas implens subito spiramine fauces
Murmur blandiloquæ vox exspectata revixit.
Ac primum trepidam proprie signare loquelam
Incertosque sonos genitoris nomine sumpsit.
Hæc vox prima fuit, primoque loquentis ab ore
Eripuit pater, atque auditam in viscera mersit.
Exin prostratis supplex complectitur ulnis,
Quique preces solus tulerat reticente puella,

Jam Domino gratis non una voce rependit.
Nec sane alterius minor admiratio facti est,
Cujus me memorem medicati infusio succi,
Et decantati benedictio fecit olivi.
Et quotiens pietatis opem medicina poposcit,
Disparibus causis par gratia sanctificavit :
Namque, ut sæpe solent præcauto corde fideles,
Vas oleo oppletum servando ea ducta salutis
Vel justis offerre viris, vel condere sanctis
Religione locis, quibus aut operatio præsens
Martyrii emeritos prodit virtute patronos,
Aut quibus in cunas verbum venisse beatas
Vel recolit manifesta fides, vel lectio prodit,
Aut ubi contiguæ præcedens tempora lucis
Horrescens diræ scelus exitiabile gentis
Inseruit subitas nos interfusa tenebras,
Aut ubi disrupti felicia concava saxi
Attactu gavisa Dei, sine lege sepulcri
Mox surrecturis patuerunt subdita membris.
Aut hinc jam reducis gavisa ad sidera Christi
Postrema excepit felix vestigia tellus :
Quæ tam sanctifici conservant munera tactus,
Quidquid adornatum commentum dextra paravit,
Dedignata suis longe discussit arenis,
Disrumpens fragilem transfuso pulvere cratem,
[a] Extenti dissolvens septa metalli.
Ilis persæpe locis quibus hoc vicinia præstat
Pacificum exponunt per vascula pura liquorem,
Desuper infusi mutandum nectare roris,
Quo fluit in sanctum cœlestis gratia succum,
Aut quos longarum spatia interfusa viarum
Diversa amotos penitus regione retentant,
Credentes Dominum non claudi fine locorum,
Et miserantis opem cunctas excedere metas,
Incunctante fide præsentia munera poscunt
Præsentis Domini, qui pro virtute favoris
Non longe ad sese venientum vota fatigat,
Propter et admotus contingit ubique rogantes
Nec tardos vitat : properis vicinior astat,
Fitque viæ finis solus conatus euntis.
Hæc qui corde gerunt quacunque in parte vocati
Munus habent Domini, seu sacris credita mandent
Vota viris, seu sacratis quæcunque recondant
Sanctificanda locis. Christus quod corpore sancto
Non adiit, virtute tegit, licet ille reversus
Ad sublime poli jamdudum et corpore regnet.
Hæc secum stimulante fide, persæpe revolvens
Excedens fragilem sexum virtute fidei,
Et non feminei sublimis femina cordis,
Credidit, emissum tum sancto offerret olivum
Quod precibus tanti pietas vicina ministri
Non aliter votis Martino orante faveret,
Quam si pernici propere translata volatu
Intra ipsum Domini ferret sua vota sepulcrum,
Vexillum complexa crucis, lignumque salutis.
Tali plena fide canenti sedula vitro
Sollicitis manibus viridans infudit olivum.
Permutat niveum descendens unda colorem,

A Et tacito manans in concava subdita lapsu
Crescit per nitidi paulatim augmenta liquoris,
Ac sonitu reticente silens pinguedo tumescit.
Attamen ut vacuæ fauces ad claustra paterent,
Nec nimis oppleto nutaret dextra fluento,
Qua de subjecto consurgunt colla rotundo,
Oris adhuc vacui patulus residebat hiatus,
Tum puer accepto properans perrexit olivo,
Ad sanctum referens et vota et verba precantis.
Nec tardat pietatis opus, cita gratia justum
Commendat studium, ne vel cunctando fidelem
Differat, aut dubium faciat mora parva favorem.
Confestimque Deus per signa indulta probavit
Quantum conferret præsens benedictio donum,
Ne fortasse fides sensu trepidante labaret.
B Præsentes stupuere viri, quod Christus adesse
Jusserat electos tanta ad miracula testes.
Sic crevisse illum Martino orante liquorem,
Ut sursum elati consurgens unda tumoris
Oppleret vacuam suspenso gurgite partem,
Sic jugi ad summum properans ne linqueret imum;
Ferveret exundans, considens plena maneret,
Cresceret infusis, sed non vacuanda receptis
Ad dominam donec felicia dona reportans
Pergeret exsultans famulus, meritumque beati
Offerret tantis congaudens dextera signis.
Talis præclari benedictio sancta prophetæ
Cum vidua exiguum finisset prodiga sumptum
Vascula mansuris supplevit inania donis.
Ut quæ munificæ dederat documenta fidei
C Ditior expensis fieret secura petitis.
Nec sane ut reliquas paveam contingere laudes
Virtutesque viri, saltim hæc narrare valebo,
In quibus ejusdem similis benedictio succi
Multiplicis digne poscit præconia vocis.
Una fides medicina frequens non dissonat actu,
Sed distat numero par signis altera donis.
Testis adest docto mirabilis ore Severus
Et tota Christum cordis virtute secutus
Insignis mundi titulis, sed clarior illa
Qua mundum tempsit sanctæ virtute fidei
Nobilitate potens, sed multo extentius idem
Nobilior Christi cultu quam sanguinis ortu,
Hic sacrum canonem, distentæ et scripta coarctans
Historiæ, geminis conclusit cuncta libellis
D Quæcunque a primis percurrerat edita sæclis.
Idem Martini titulos, vel gesta retexens
Scrutator cautus veri fidusque relator
Protulit in medium tam claræ insignia vitæ.
Sic justam retinens æquato examine libram
Ne dubia astrueret dicens, nec certa taceret.
Hic sancto persæpe pie sociatus adhæsit,
Ut solet in speculo cordis perspectio mentis
Cognatæ similis morum sociare figuras.
Quo mage credendum est testem magis esse pro-
[batum
Qui coram comperta docet cum visa loquatur.
Ergo inter reliqua affectus documenta poposcit,

[a] *Protinus extenti dissolvens*, etc., ut versus constet qui claudicat in v. c.

Sumeret ut sancti munus speciale liquoris
Cui postquam fido tribuit benedictus amico
Congaudens virtutis opem, monumenta favoris,
Invexit Domini cum relligione fidei
Credens indultam sese deferre salutem,
Et statuit celsæ sublimi in parte fenestræ
Qua prætenta diem claudunt specularia purum
Obvia ventorum flabris, et pervia luci.
Hic niveæ ampullam texit velamina pallæ
Ut distenta vagos prohiberent lintea visus
Occursura oculis, sed non arcentia mentes.
Tum puer ignarus properantis turbine dextræ
Dum rapit incauto festinus tegmina nisu,
Vas vitreum illidens in marmora subdita jecit.
Exsanguis stupuit domino pallente minister,
Exsonitus rapido redit ad fastigia pulsu,
Tinnituque vago simul omnia murmure complens,
Inlisit semet, sumit, surrexit ab imis,
Non sensit tantos ampulla impacta fragores
Illæsa, et vitreæ manserunt tegmina crustæ.
Sic liquor interior fragili conclusus amictu
Exteriora cavæ duravit tympana cratis,
Marmora ut in plumas penitus mutata putares
Excepisse illam per mollia fulcra ruinam.
Sic, Martine, tuum sic jugis gratia donum
Sanctificata pie recipit, benedicta tuetur.
Quidam cum diri violentia sæva molossi
Irrueret quatiens furiosos gutture rictus,
Rugatas retrahens oris de tegmine nares,
Nudatos crebro collidens murmure dentes :
Tam subito terrore pavens, non fuste, nec ictu,
Sed solo os rabidum Martini nomine clausit,
Quod simul insonuit compressi hæsere latratus,
Erectæ cecidere jubæ, torvumque minaces
Exstantesque oculi suffusas sanguine flammas
Depositis clausere minis, tum blandius aures
Mulcere, et terram contorta verrere cauda,
Et caput inflexo pronum demittere collo.
Quæ merito, Martine, tuis non mitia cedant
Cum tantam rabiem vel solo nomine vincas?
Quid nunc miretur sævorum corda virorum
Cedere, et humanos tibimet mitescere motus?
Ut quondam stupuere homines quod dira potestas
Et vis crudelis tibi cesserit Avitiani,
Cui feritas connexa minis et sola voluptas
Ungula, carnifices, tortores, flagra, catenæ,
Mors hominum, vox plangentum, pallorque reorum
Carcer edax, fassi interitus, tormenta negantis
Tartarei nimium sævissima bestia cordis
Spirans innumeras furioso pectore cædes,
Immiti feritate fremens intraverat urbem
Quam sancto antistes Martinus honore regebat.
Mœstorum pallens infelix ordo reorum
Hærebat, nexis per squallida colla catenis
Incutiens fratris stridentia vincula membris,
Et motans tardos incurvo pectore gressus
Talia Martino Phalaris spectacula præbens
Proxima diversas parat ad subsellia cædes.
Festinant rapidi furialis turba ministri,
Instrumenta feris certatim exquirere pœnis.

A Illi ad tartareas depromunt vascula flammas,
In quibus incluso diri fervore vaporis
Pix resoluta trucis crepitacula posceret ignis,
Qui procul exundans funestæ gurgite flammæ
Sulphureo exceptum torreret corpus in antro.
Ast alii sursum porrecti robora ligni
Triste ministerium furioso corde parabant,
Ut caro distentis propere male pendula membris
Tortori laceros crucianda exponeret artus.
Tartaream misero perfundens sanguine dextram,
Et spargens tristem per vulnera crebra cruorem.
Utque eadem geminum satiaret pœna furorem,
Incussor laceri quatiebat corporis artus,
Disjiciens ruptis membrorum vincula nodis.
Ast alii deferre faces, atque unguine multo
B Inficere in longum contextæ vincla papyri,
Non ut discussas lux vinceret illa tenebras
Obscuram ignifluo distinguens lumine noctem,
Verum ut funereos miseris succenderet ignes
Infigens laceris admota incendia membris.
Hæccine Martino debuisset in urbe videri,
Et placidam tanto configi vulnere mentem,
Ut sanctas saltim fama hæc contingeret aures,
Aut pia concuteret vel solus viscera rumor.
Ergo ut funereo mens est perculsa paratu,
Nuntius et diri sæva hæc commenta tyranni
Prævia vicini dispersit signa furoris :
Percurrit totas miseratio justa medullas,
Ac sparsit celerem pietatis flamma calorem.
Et quamvis mortes miserorum flere reorum
C Cogeret humano recolens clementia casus,
Non minor illa aderat præsentis causa doloris
Idem quod fautor sceleris qui criminis ultor
Se faceret prius ipse reum plectendo reatum.
Crassior obtectum caligo obvolverat orbem,
Grata quies placidam per cuncta elementa soporem
Sparserat, et madido marcebant omnia somno,
Pressaque mutarum reticebant murmura vocum.
Horrebant mediæ nimis alta silentia noctis
Obscura et proprium caligo fusa colorem
Texerat, abripiens cunctis sua signa figuris.
At non Martino capiendæ cura quietis,
Sed sancta assistunt humanæ vota salutis
Affectu stimulante animum, petit ergo cruenti
Judicis instanti feralia limina gressu,
D Solus et intrepidus per opaca silentia vastæ
Noctis, et horrentum secreta obscura viarum.
Credo quidem umbrarum cunctas cessisse catervas
Quas malus instigat nocturna ad crimina dæmon,
Atque alias diros blando siluisse molossos
Terrificique oris strictum siluisse latratum.
Ergo ubi perventum est obstructa ad limina diri
Judicis, et sævi claustrum ferale furoris,
Ante domum media prostratus in aggere septis
Arcetur foribus, sed fletu ad sidera pulsat.
Sæva gravem tumido perflabat pectore somnum
Bestia, distentis et mortis imagine membris
Torpentes penitus stratis rejecerat artus,
Cum subito angelicus concussit viscera terror,
Vox etiam attonitas stupefacti irrupit ad aures.

Tene gravi infelix oppressit inertia somno
Bestia, corrupti ructantem pocula vini,
Ac pigrum crudi distendit sarcina ventris,
Et famulus domini nudæ super arida terræ
Dorsa pium multo perfundens pulvere corpus,
Pro foribus jacet ecce tuis, ut claustra quietis
Objicis ad turpis nocturna silentia somni
Diriguit visu subito, propereque vocatos
Præcipit ad claustrum rapide properare ministros,
Ut seriem veri per nuntia verba referrent.
Verum ut sæpe solet membris torpore ligatis
Grata quies pressum vincire et vincere sensum,
Progressi paulum vix prima ad limina servi
Marcentes visu nimium, gressuque labentes
Murmura perplexis reddunt fallacia verbis,
Nullum pro foribus solerti indage repertum.
Rursum vicini longe amota voluptas,
Marcida confestim conclusit lumina somno.
Tum vero tremefacta novus præcordia terror
Concutit angelicæque minax sententia vocis
Surgere præcipitem præceptum iterando coegit,
Nec placuit rursum mandati afferre periclum.
Ipse ad claustra cito contendit limina gressu,
Obstructæque fores domino reserante patescunt.
Obfulsit claro venerabilis ore sacerdos
Ostentans sancto virtutum stemmata vultu,
Florebat multis elucens gratia signis
Relligione, fide, affectu, pietate, pudore,
Mens læta in gravibus, constans et seria lætis,
Nec feritate rigens, nec risu austera resolvens;
Prorsus sic media semper probitate refulgens
Ut non ira trucem faceret, non gratia segnem.
Talis pallenti species veneranda tyranno
Occurrit tetræ disrumpens nubila noctis.
Et jam prodiderat sine verbis conscia tanti
Mens sceleris, quæ causa pii foret illa laboris.
Nec precibus pandenda fuit, prior ipse paventem
Protulit et tremulo confusus pectore vocem,
Cur mea, sancte, metu dudum torpore fatigans,
Excusso penitus turbas præcordia somno?
Tu foribus procul arceris, penetralia sancto
Irrumpis merito, subsistis corpore, jure
Ingrederis, terrore quatis qui carne moraris.
Nec sane abnuerim meritis hæc debita nostris
Cum duro innumeras spirarem pectore cædes
Sævus in urbe tua, precor ergo, ignosce fatenti,
Utere jure tuo, parci cupis, esto remissus,
Suppliciis emitte reos, me solve reatu.
Nec mora: laxatæ raptim cecidere catenæ
Quæ modo pallentum stringebant colla reorum,
Servantes diræ morientia corpora morti.
Exsultat subito miseris spes reddita voto;
Lætitia mixtoque metu tam magna repente
Credere diffidunt trepidi, sed credere malunt.
Certant gratantes genibus se advolvere sanctis,
Cingere supplicibus vestigia blandius ulnis.
Ille Deo grates suadet magis esse ferendas,
Auctoremque hujus Christum monet esse salutis,
Qui sic criminibus parcat, si vera dolorem

A Commissi sceleris saltim conversio prodat,
Nam pœnas superesse reis durante reatu.
Talibus alloquiis simul et pietate laborans
Supplicio absolvit vinctos, culpisque solutos.
Jam vero hoc donum quæ digne lingua loquetur,
Quod pavet attonito saltim contingere sensu
Mens ad tam clari titulos angusta patroni?
Sic meritum sancti cunctas trepidasse catervas
Dæmonis, et tanti sic prodita signa pavoris,
Ut quoties propriæ progressus limina cellæ
Eminus amotam gressus movisset ad urbem,
Commissam invisens sancto moderamine plebem,
Vel cupiens offerre sacri mysteria ritus,
Gratia sic rapido propere progressa volatu
Torqueret trepidas captivo in corpore larvas;
B Ut vixdum egressum sanctæ penetralia sedis
Per tormenta prius longe prægressa viderent
Adfore confestim, stridenti et murmure vocis
Judicis adventum clamaret pœna reorum.
Ut vero in foribus vestigia prima locasset
Cernere erat raptis propere ad sublimia membris
Constricta aeriis attolli corpora vinclis.
Et per inane gravis nutantia pondera carnis
Linquere contiguas pernici turbine terras
Supplicio suspensa suo, sed libera nexu,
Vincta precum meritis, propriis pendentia pœnis,
Clamare admissas tacito sub judice culpas;
Nec percontantis confessio reddita verbis
Eruta per trepidam prodebat crimina vocem.
Namque solo acclinis transibat sidere voto,
C Spe Dominum tangens sanctus, sed corpore pronus,
Corde humilis, celsus merito, sine murmure clamans,
Occultus visu judex, virtute probatus,
Ad cujus meritum miracula tanta paterent
Inter inane reus pendens, et in aere tortor
Porrectis sursum pedibus, constricta rigentis
Vellera vestitus, tectis hærentia membris;
Ne flexu curvata suo vel lapsa retrorsum
Nudarent turpes appensi corporis artus.
Sic meritum, Martine, tuum, sic sancta potestas
Et prodenda Dei per servos gloria Christi
Excedens terras titulis et in aere regnat.
Siccatas etiam certum est te supplice nubes,
Grandinis et diræ suspensam hæsisse ruinam
Constricto penitus densati gurgite nimbi,
D Qui gravis et rigidi connexus frigore venti
In lapides duratus aquis, sic turbine crebro
In terras solidi jaciebat saxa liquoris,
Ut fruges, arbusta, hortos, pomaria, vites
Protererent crebris nimborum tela ruinis,
Confossa et valido quateretur verbere tellus.
Hæc pestis Senonum late grassata per agros,
Supplicii et leges consueta explere quotannis
Elisa assiduis nudaverat arva ruinis.
Amissam segetem pallens referebat arator
Perfracti penitus plangens vestigia culmi,
Et fossor vacuum sine fructu et palmite vitem,
Sæpe gemens jugis post annua vota laboris
De jam turgidulis numerabat damna racemis.

Monstrabat fructus mater mœstissima ramos
Repere consuetis per mitia pomula natis,
Propter et arentis pallentia germina campi
Mugitu pecudum reboantia saxa sonabant.
Tabida lustrabant vacuos sarmenta recessus
Quo poterant gemitu querulam testantia causam.
Hoc igitur compuncta malo plebs cuncta vel acta,
Tam clarum sibimet cupiens adhibere patronum
Martinum exorat legato interprete supplex,
Ut placare Deum studeat, veniamque precari
Pro miseris, tandemque gravem depellere pestem.
Suppliciis satis esse datum, clementia Christi
Auferret nimiam saltim post verbera cladem :
Nec sane miseros spes exspectata fefellit.
Nam simul a Domino semper connexus et hærens
Martinus solitæ pietatis dona poposcit.
Suffragium sensere pium, depulsa quievit
Tempestas, puroque dies nituere sereno,
Ac exoptatis maduerunt germina nimbis.
Nec spatio constricta brevi, sed tempore longo
Gratior extentis commendans munera metis
Quattuor et plenis permansit gratia lustris :
Nec prius insanæ senserunt damna procellæ
Quam Dominus clauso præsentis tempore vitæ
Ad requiem veram benedictum assumpsit amicum.
Sic utriusque piæ transegit tempora vitæ,
Ante salus terris, at nunc sublimis in astris.

Jam longa nimis languentis pagina libri
Enervat clari titulos et gesta patroni,
Grandia dum parvus loquor, et sublimia signis
Splendorem laudis trepidus corrumpo relator.
Sed quid agam? versu historiam percurrere novi;
Judicium narrata timent, suppressa reatum.
Rectius hæc lector fors fastidita relinquet,
Quam pius auditor penitus subtracta requiret.
Et prius immitem jam contigit Avitianum
Sermo prior, nunc ordo operis revocatur ad ipsum.
Hic sævos vincens dira feritate tyrannos,
Tristia mœstorum sitiens tormenta reorum,
Parcebat paulum Turonum mitior urbi.
Hic tantum humani sensus vestigia prodens,
Subdebat sanctis licet ora rebellia frenis
Ingenitum reprimens Martini ad jussa furorem.
Et sane manifesta hujus documenta medellæ
Sic quadam patuere die : venerandus adibat
Martinus diram tali sub judice sedem
Lenior ut tantis feritas mitescere posset
Officiis, sancti obsequiis obstricta patroni.
Ille in præcelso residebat forte sedili
Conspicuus solio excellens nimiumque superba
Ambitione tumens, subito cum sanctus ad ipsum
Aspiciens videt horrentis tetrique cruentam
Dæmonis insani speciem cervice reclinem,
Innexam toto pronam decumbere nisu.
Quam procul ut flatu benedicti contigit oris
Sanctus et admoto verbi terrore fugavit,
Ignarus socii se credidit Avitianus
Excepisse gravem maledicti in imagine pœnam.
Ille refert : Ne crede meo te forte notatum

A Judicio, aut subiti signum hoc existere motus,
Hæc pietas, non ira fuit quæ sævit in hostem,
Pro misero miserata dolet, prorumpit in illum
Hic noster toto penitus de pectore flatus
Quem premere horrendo celsa hæc subsellia nisu,
Quemque tuæ pronum cervici incumbere vidi.
Desine jam talis collegia ferre latronis,
Consiliis plus crede piis, deprensa fugetur
Calliditas, experta dolos cautela repellat.
Jam pudeat parere reo, servire fugato.
Talibus ejecto præclusa est janua cordis
Dæmonio, sedisque suæ prærupta potestas :
Mitior hinc proprio tandem sine judice judex
Et gravis excusso rejecta est sarcina collo.
Sic cuncta extrusos hostes de sede fugabat,
B Corda hominum absolvens, profugis nec templa relinquens,

Jam quidquid vanus fanorum exstruxerat error
Ardebat pronis late vastare ruinis.
Haud longo spatio præfata amotus ab urbe
Vicus erat, veteris quondam vestigia castri
Tunc famulis habitata Dei Christique ministris.
Ambaciæ nomen priscum prior incola dixit.
Hic immensi operis præcelsam exstruxerat ædem
Sacrilegi quondam vecors dementia cœtus;
In conum surgens turritæ molis in altum
Mirificum tendebat opus, sic prorsus ad unguem
Connexis semper crebro licet ordine saxis
Ne celsum nutaret onus, ne rima pateret,
Sed pulchra admotos lapides compago ligaret.
C Quo magis artificis studium rationis egentes
Attonitis stupuere animis : sic stulta pudende
Relligio invaluit venerans pro numine solum
Ingenium geniumque Dei de nomine fabri.
Hanc igitur sanctus subverti jusserat ædem
Martinus : neglecta diu mandata fideli
Presbytero exprobrat, tamen ille hæc jussa modeste
Expleri potuisse negat : satis ardua fessis
Hæc monachis, paucisque Dei docet esse ministris,
Quæ vix collectæ vacuato rure catervæ
Aut desudantes possent explere cohortes.
Iis patuit penitus justa excusatio verbis.
Nec spes est infracta tamen, non ille vocandis,
Vota parat populis, nec toto ex orbe coactas
Ambaciæ ad vicum properat deducere turmas.
Auxilium cœleste vocat, spes omnis in illo est
D Qui cœlum terramque regit, cui militat aer
Et permansurum servant elementa pavorem.
Rursum igitur setosi habitus stimulisque reclinem
Consueti penetrare cutem, connexa rebelli
Vellere duritiæ rigidis in vulnera filis,
Pervigiles iterum gemitus, jejunia rursum
Dilatis renovata cibis, noctisque laborem
Mox successuro rursum jungentia soli.
Nec longa hoc votum mora distulit : ecce reverso
Tempestas violenta die circumstrepit ædem
Turbine ventorum ruptis in flumina nimbis,
Dividuæ excusso scinduntur lumine nubes,
Et collectarum super ardua moles aquarum
Raucisono impactam collidit turbine cratem,

Reddit et expressum nimborum pugna fragorem.
Intremuit tellus imoque excussa profundo
Respuit impositæ fundamina pendula molis.
Disjiciens sparsam procul a compage ruinam
Et per prona rotans disruptæ fragmina molis,
O nimium dilecte Deo, te supplice Christus
Jam pronos celso siccavit in aere nimbos.
Ad tua vota iterum celeres rediere procellæ,
Accincta et gravibus nigrantia nubila ventis
Parcere jussa satis, validas rumpentia moles
Mollia graminibus, durisque immitia saxis.
Nec minus hoc meritum fuerit, nec dispare causa
Gloria consimilis pariles imitata triumphos,
Idolicæ effigiem celsissima fulcra columnæ
Tollebant junctis procul ad sublimia saxis
Altior ut species solioque elatior isto
Despiceret miseram conficto numine plebem.
Hanc quoque Martino cupienti evertere molem
Cuncti defuerant ad talia vota parato,
Sed spes ad Dominum semper festina manebat.
Ergo ut pernici revolavit ad æthera sensu
Auxiliumque citum cœlorum a Rege poposcit;
Ignea consimilis specie, sed lumine dispar,
Comminuit fragilem delapsa columna ruinam
Sulphurea advolvens crepitantes flamma favillas,
Fumantem attollens ambusto e pulvere nubem,
Atque exundantem consumpta mole vaporem.
Sic rutilo, Martine, polo, sic turbine venti
Connectis geminos vel nube, vel igne triumphos.
Nec mirum ut dominus servo promissa fideli
Tam sancto impleret famulo, qui dixerat olim
Attonitis nimium tanta ad miracula servis,
Hæc veræ fidei sese documenta daturum,
Ut majora horum credentes signa probarent.
Quid mirum est eadem Dominum complesse fatentem
Per servos qui plura piis spondere ministris,
Dignatus sursum sublimia corda paravit?
Nam sicuti prodit cœlestis pagina libri
Femineam testata fidem post flumina multi
Sanguinis, et tristem consumpto corpore tabem
Attactu vestis celerem remeasse salutem:
Sic data Martino est ejusdem gloria facti,
Sed sanante Deo, qui nunc quoque celsus in arce
Stellantis solii tangi per membra probatur,
Quæ capiti æterno sancta compage cohærent.
Quid non mite pio, quæ non subjecta fideli
Monstra viro? jussi parebant sæpius angues,
Nec suberat victis feritas cognata venenis.
Tranabat virus propter vada proxima serpens
Et vitreas sulcabat aquas, exstabat ab undis
Cum cervice caput, findebat pectore summum
Festinus fluvium, reliquos per cærula tractus
Flectebat vario sinuamina lubrica motu,
Intorquens lævis curvata volumina caudæ,
Et vibrans tremulam meditata in vulnera linguam.
Hunc ubi vix medio Martinus in æquore vidit
Contiguæ properum jamjamque accedere terræ,
Compulit his dictis: Raptim remeare retrorsum
Obstrictum virtute Dei, vel nomine Christi.

A Nequaquam ad vetitam ulterius contendere ripam
Te jubeo: stetit in medio mala bestia fluctu,
Et fractos rigidus torpor connexuit artus,
Membraque captivo paulatim hæsere natatu,
Donec præcluso præstricti gurgitis æstu
Languida promisso fluitarent colla profundo,
Et retro seminecem ferret piger alveus anguem.
Atque utinam nostrum simili virtute venenum,
Quod male transcursæ vitiavit lubrica vitæ
Immergens rapido semper mea crimina sæclo,
Convertat sancti miseratio fida patroni,
Cogat et oblitæ rursus meminisse salutis,
Ne prona in luteo mergantur membra profundo,
Infectum et madeat vitiorum gurgite corpus,
Sed stabiles sursum virtutum in margine gressus,
B Insistant fidei, terrena et gaudia calcent,
Quæque fluunt celeri cupiant evadere nisu.
Hoc tantum et paulum subsistam ad flumina voto
Dum clari titulos recolens percurro patroni,
Ad cujus meritum gaudens se subdere sancti
Paruit imperiis jussarum gurges aquarum.
Continuum semper jejunia ducta per annum
Laxabant paulum sanctæ solemnia Paschæ:
Mitius his tantum cruciabat membra diebus.
Tum solum exiguam piscem sumebat in escam.
Sed dum venturis servantur tempora signis
Consueta officii votum captura fefellit.
Ille ubi piscantum vanum fluxisse laborem,
Linaque per vacuum fluitasse extenta profundum
Agnovit querulis mœrentum murmure verbis,
C Nam reliquis præsens diebus diaconus satis ore fideli
Astipulator erat, quem cura instantior hujus [sic]
Obsequii vigilem prægressæ tempora noctis
Et fessum exacta præsentis parte diei
Testem communis faciebat adesse laboris.
Cujus ut anxietas sancti pia viscera movit
Permotus mœrore pio, perge, inquit, et amnem
Transcursis propere solers scrutare fluentis;
Jam tibi captivam concludent retia prædam.
Nec mora: confusus tanti sermone magistri
Festinat diaconus, trepido spes reddita voto est,
Nec dilata licet properum captura fefellit.
Nam simul ac modico sepsit vada proxima lino
Incussus tremuit motato cortice funis
Implicitam prodens super invia cærula prædam.
D Innexum propere vicina ad littora traxit
Congaudens esocem, tum toto pectore pronus
Brachia labenti circumdabat humida pisci.
Lubrica nudatis vix hæret præda lacertis
Concussa et madidis jam pene elabitur ulnis.
Donec paulatim cognata elementa relinquens
Efflaret tenuem moribundus in aere vitam,
Oraque languidulo tremulus reseraret hiatu
Rejectæ applaudens signi motamine caudæ.
Obstupuere suum monachorum gaudia votum,
Qui de vicinis tanta ad spectacula cellis
Egressi, implendum tali sponsore faventes
Crediderant sancto prolatum pectore verbum:
O vere æternæ speculum virtutis, ab ipso

Hæc tibi dona fluunt, qui quondam retia jussit
Ducere nocturno incassum molimine fessos
Discipulos mittens numerosam in retia prædam,
Concludens lectos sancta ad convivia pisces
Quos medii abreptos penitus de turbine mundi
Ad Dominum traheret sanctæ doctrina fidei.
Sæpe Deus voluit meritum sublime beati
Illustres proferre viros, quo clarius, illis
Testibus extulerat penitus quos gloria mundi,
Prolata in populos virtutum signa micarent.
Nam gestæ clarus tum culmine præfecturæ
Arborius, vidit fulgentum luce micantem
Gemmarum, dum sancta Deo solemnia defert
Martini rutilasse manum, lumenque coruscum
Vestire ignitam pretioso murice dextram,
Et collisorum lapidum crepitare fragorem.
Non tales vexilla ducum pinxere lapilli,
Talia nec frontes regum diademata cingunt,
Sed quales claris sanctorum in fine coronis
Inserit emeritas Domini sententia gemmas.
Nec dubium quin præcipuæ probitate fidei
Ultra hominem vario virtutum flore coruscet,
Quem coram angelici meritum solatia verbi
Historici felix testatur pagina libri.
Nam cum Treverica permœstus ab urbe rediret,
In qua dum miseris irato rege pavescit,
Interitum, quorum vitam poscebat ab ipso
Compulsus proprium paulum laxare rigorem:
Mitior ad culpam respexerat Ithacianam
Damnatæ impulsus clementer parcere causæ,
Et reparare piæ rursum nova fœdera pacis.
Hunc igitur nimis afflictum mœrore revisens
Angelus, alloquio coram manifestus et ore
Detulit ad mœstum solatia blandus amicum,
Anxia collatis permulcens viscera verbis,
Consilio mutanda docens, commissa resolvens.
Talia præcipui signans præconia vatis
Zachariam sancto cœlestis nuntius ore
Exorsum sancti fecit prædicere nati,
Spondens venturam post jussa silentia vocem.
Denique non impar meritum par prodidit ordo.
Utque illi soboles, sic gratia contigit isti
Clarius adjecta virtutum luce coruscans.
Nam sæpe expulsas captivo a pectore larvas
Necdum præsentis verbis vel voce coactas
Terrebat sanctæ felix vicinia cellæ,
Excedensque procul benedicta habitacula virtus.
Sic distenta nimis longe lateque micabant
Præsentem Domini testantia signa favorem.
Nec solo contenta solo, sed crebrius ipsos
Martini titulis procul irrumpentia fluctus
Videre immenso jactari turbine nautæ,
Dum furit insanæ violentior unda procellæ,
Quantum vel solo prodesset nomine sanctus.
Sulcabat medium Tyrrheno marmore pontum
Extentis properans puppis per cærula velis.
Concita subjectum scindebat prora profundum
Adverso albentes disrumpens pectore fluctus
Linquens spumantum vestigia longa viarum.
Cum subito obtectum prætendunt nubila cœlum,
A Humida nigrantem prætendunt vellera cratem
Et perit in piceo penitus lux condita nimbo.
Insistunt validi pontum subvertere venti,
Fluctibus et madidæ rubris miscentur arenæ,
Franguntur celsæ violento turbine moles,
Altius elato suspensa volumina fluctu
Instabiles sursum nimium tollentia colles,
Dum redeunt crebris solvuntur fracta ruinis,
Innumerosque procul reddunt conlaxa fragores.
Vela cadunt, resonant tremulo stridore rudentes.
Nunc latet abscisso vicina ad nubila monte,
Nutat in excelso rursum male pendula dorso
Ancipitem casum metuens in utroque profundo.
Ast alii quatiunt latera obsistentia fluctus
Et fracti èlisa tabularum crate resultant
B Implentes laceram tam crebra aspergine puppem.
Excutit avulsum ponti violentia clavum
Rejecto rectore procul formido paventum
Corda quatit tremulo convellens viscera motu,
Pallentesque rigant non sola aspergine malas,
Confusi gemitus, lacrymosæ et murmura vocis,
Ruptaque singultu assiduo suspiria flentum
Plangunt consimilem vicina morte querelam.
Interea extremo quidam terrore coactus,
Sed necdum instructus veræ ratione fidei,
Cœleste auxilium tali clamore poposcit:
Ignorate mihi, merito sed cognite sancti
Quem veneror famuli, per quem tua gloria fulget
Martini, miserere Deus, depelle periclum,
Eripe nos, nam cuncta tibi proclivia sanctus,
C Ut memini, antistes crebra virtute probavit.
Nec mora: constrato ceciderunt æquora fluctu,
Et jacuit planus placidarum campus aquarum;
Leniter exlaceram moderato flamine puppem
Optata impellens zephyrus statione locavit.
Sic meritum famuli per cuncta elementa probavit,
Et sancti titulos Christus distendit amici
Glorificans clarum super invia cærula nomen.
Nec mirum est tam multa Deo fautore probandam
Martini potuisse fidem, si quando beatis
Pervigil excubiis tota virtute precandi
Ad Dominum præsens felicia vota tulisset,
Si tantum ignari penitus longeque remoti
Gratia per solum meruit clarescere nomen.
Quanquam ad præcipuam contendens pagina laudem
D Obstupefacta pedem retrahat, verbisque pavescat
Vilibus ad tantam virtutum ascendere molem.
Queis non unum hominem sanctus, sed protinus omnem
Suffragio medicante domum sanasse probatur.
Testis adest claræ celsus vice præfecturæ
Gratifico assignans hæc dona Lycontius ore,
Cujus multiplici latæ grassata ruina
Obruerat lues una domum: tabentia passim
Corpora seminecum partes rejecta per omnes
Stipabant fessis horrentia limina membris,
Tristis ubique dolor, crebra et suspiria, fletus
Assidui, et toto penitus de pectoris antro
Extorti gemitus, convellens ilia flatus,
Et jugis motus, cutis arida, flamma medullis

Insita succendens stomachum, gravis unda pavoris,
Illa ad vicinum pallebant mœsta cadaver
Corpora seminecum cognata, at funere tali
Mœstior exemplo morientum turba pavebat.
Ast alii exanimes saltim contingere caros
Officio miseri nimium trepidante timebant
Ne dispersa graves sererent contagia morbos.
Hos metus obsequio subtraxerat, at dolor illis
Viscera multiplici præstraxerat anxia luctu;
At qui postremis tumulassent membra sepulcris
Dilati ad similem non longo tempore mortem
Portabant pariles ad limina tristia morbos.
Nil medicæ valuere manus, nil gramina succis,
Sæpe suis magnas languentum operata medellas.
Tali igitur dominus confusus clade suorum,
Diffisusque suis precibus, placare laborat
Suffragio sancti Dominum, meritoque patroni
Allegans querulam Martino interprete cladem.
Qui quanquam curæ jam læso judice causæ
Per nimium sentiret onus, tamen anxia clemens
Sollicito affectu poscentis vota recepit :
Nec prius absistit jugi cruciata labore
Proterere exhaustis arentia membra medullis,
Et prono duram tellurem elidere nisu,
Assueta adjectis duplicans jejunia pœnis,
Nec tenui saltim concludens lumina somno
Exesam stimulans setoso vellere carnem;
Quam Dominus tanti studio permotus amici,
Finita tandem penitus mitesceret ira,
Reddens optatæ felicia dona salutis;
Gratantem et Dominum complectens turba suorum
Exciperet totis contestans gaudia votis
Narrantem clari titulos et gesta patroni.
Qui, post depulsam Martino orante ruinam,
A Munera sic merito festinans reddere sancto,
Argenti centum prædicta ad limina libras
Detulit oblatis compensans præmia donis,
Ut medici meritum merces vel parva probaret,
Munifica et studiis gratantis vota paterent.
Quæ sanctus cari officio gavisus amici
Præmia devoti affectum testantia sordis
Nec renuit, dum tradentis dispendia cautus
Cogitat, ut fructum fidei præmissa referrent
Munera; nec rursum proprios suscepit in usus,
Ne mentem sancti votum macularet habendi,
Sed commissa Deo cœlo conclusit in alto,
Ut modo captivos duris laxantia pœnis,
Liminibus exclusa piis donata redemptis,
Servarent admissa fidem, contempta rigorem.
B Perge igitur præmissa sequens, promissa repo- [scens
Antistes claram cœli sublimis ad arcem
Astrigeram sortite domum, rutilamque coronam
Qui cunctam rabiem diri totumque furorem
Dæmonis in parvam potuisti astringere muscam.
At nos præsentes semper venerabimur artus
Donec ad æternam redeas cum corpore vitam,
Sanctorum adnexus tumulis, jungende coronis.
Vix solum a nobis potuisti abscondere vultum
Nobiscum pietate manens; te sæpe frequentes
Invisunt oculi, coram curatio vivit.
Adsunt optatæ confestim dona salutis.
Verba silent, sed signa nitent; sic corpore paulum
C A visu abstraheris, præsens virtute videris,
Quam precor ut misero manifesto corde petitam
Semper adesse velis, ut cum meditatio carmen
Finierit, teneat transcripta oratio laudem.

LIBER SEXTUS.

Invitas nostram revocanda ad murmura curam
Dum vitam virtute paras, non clause sacerdos
Lege obitus, carnique tuæ sine carne superstes
Cerneris, expeteris, contingeris, atque teneris.
Dum largiris opem præsentem, ostendis honorem,
Quærenti assistens, et nunquam absconse precanti,
Quam bene vicinus propter complectitur artus
Spiritus, et sanctum perfundit gratia saxum.
Nil longe est pulsante fide : clamantia corda
Allegant proprias sine voce et murmure causas.
Mentis verba legit qui sensum introspicit, et cor
Visit, et arcanum percenset pectoris antrum.
Quinque prius recolens signavi gesta libellis,
De multis vel pauca legens, quota portio nobis
Comperta est tantis titulis quos contigit unus ?
Exiguum quanta pensat mercede laborem ?
Indigno rursum tanta ad præconia sensu
Quanta sinit, fert vota rei bonitate patroni.
Præcedit meritum pia gratia, palma tenetur,
Nec sentitur onus : nondum libata laboris
Cura mihi est, quod velle jubet jam muneris arrha [est.
O quantas potuit major facundia linguas
Hoc operis decorare bono, consueta repelli
Carmina non patitur, credit bona quæ sua novit.
Nam certum jussisse ipsum quæ missus ab illo
Interpres tentanda putat sociatus et hærens,
Et semper tanti revehens præcepta magistri
Perpetuus felix docto victurus in ævo.
Non famæ incertum narrat, nec credulus auræ
D Rumorem attentas properat vulgare per aures.
Coram visa probat, testis fidissimus astat,
Inspectæ assertor fidei miracula prodit
Luminibus oblata suis, et tradita votis.
Huc ex diversis certatim partibus orbis
Agmina conveniunt, numerosas millia causas
Multiplicant, iterantque preces : dat gratia velox
Optatæ pietatis opem, lætantur ovantes
Emensi fructum celerem se ferre laboris.
Jam vero obsessos furioso dæmone sensus
Huc vocat auxilium, rapit huc curatio velox.
Sistuntur, trepidantque rei, confessio clamat
Extorta imperio : sub judice pœna salubris
Cernitur, et proprias alieno in corpore voces

Edere pervasor captivo ex ore jubetur.
Sentitur judex nec cernitur impius hostis :
Exsul ab erepta properat discedere præda,
Inter et instantes fugiens vanescere pœnas.
Aeria in nexum constringunt vincula corpus,
Quos rebare vagos nexos miraberis artus.
Firmabunt inspecta fidem : quem pœna ligavit,
Tormenta implicitis produnt constrictius ulnis,
Pulsat et affixis [a] obstacula membris (*sic*).
Quid cum sidentes cancelli in tramite gressu
Aerium sustentat iter? nutantia currunt
Corpora et impositum cava subvehit aura volatum.
Quin etiam in puteum qui templo clausus in ipso
Fonte salutiferas eructat concavus undas,
Corpora præcipiti jaciuntur concita saltu
In pronum cogente reo, qui vertice presso,
Prægressum sua membra caput detrudit in altum
Gurgitis, et cerebrum membrorum mole perurget.
Sed quis non videat cum corpora mersa resurgant
Extentos patuisse sinus et fulcra favoris
Molliter exceptis ulnas reserasse ruinis?
Artus prædo gravat, vitam clementia servat;
Plus opis apparet studium quam pœna latronis.
Quisque fide nutante labas attende, resurgunt
Corpora, et ad vitam Martino orante trahuntur.
Absorbes tantum miserorum membra profundum,
Nec puteus patulo conclusos ore perurget.
Sed quid ego e puteis? fluvius testatur alumnus
Mirandæ virtutis opus, qui mœnibus urbis
Junctus contiguis allambit saxa fluentis.
Hic medius cellam discriminat atque sepulcrum,
Divisisque locis diffusum interserit æquor,
Naviger inque freti speciem se gurgite vasto
Disjiciens, longeque suis divortia ripis
Instituens, oculos visu ulteriore fatigat.
Et quanquam validos lassat tranando lacertos,
Hunc fluvium a templo quod sanctos continet artus
Et laudi æternæ felicia membra reservat,
Insanas petiit misero cum corpore dæmon,
Mersurus raptam vicino in gurgite prædam.
Verum nil patitur miseratio tanta cruentum,
Atque adimit diro sævissima jura tyranno.
Duratum calcatur iter, solidata rebellat
Gressibus, et passus properos non alluit unda.
Trans fluvium siccas stupuerunt agmina vestes,
Et gaudens hominem purgandum cella recepit
Quæ dudum angelicæ felix fuit hospita vitæ.
Nec quidquam gestum turbatæ tempore mentis
In semet reduces sensu tenuere recepto.
Chunnorum plerumque sonos et fracta minantum
Murmura, et incisas fera per compendia voces.
Auxilium sub teste patens nescivit ademptus,
Muneris ignarus, tantoque e munere salvus
Plerumque inflexas aliena ad murmura linguas
Possessor miseri rapiebat spiritus oris,
Ut Græcis fluerent Gallorum verba loquelis,
Et fando exprimerent gentem, nec nomine notam.
A Quisquamne hunc sensu proprio putet esse locutum?
Qui fatur non nota sibi, de pectoris antro
Mugit, et edomitam flectit possessio linguam,
Ut chordæ id resonant motus quod plectra pererrant,
Imperioque magis nervorum fila loquantur.
O quoties urgente Deo ventura fatentur!
Et quorum oblectant semper mendacia fraudem
Extortum a Domino coguntur dicere verum,
Quæ pœna est manifesta loqui, præceptio vocem
Elicit, et cedit mandato oppressa voluntas.
Illustrem virtute virum sed moribus almis
Plus clarum magnumque fide qua celsior exstat
Ægidium, hostilis vallaverat agmine multo
Obsidio, objectis quæ mœnia sepserat armis
Auxilia excludens, et clausos viribus urgens
B Ut minus obsessis faceret divisio robur,
Nec jungi ad bellum socialia castra liceret.
Verum præsidio Domini dejecta fugantur
Millia, et egressum portis bipatentibus agmen
Restaurat solidas securo principe vires.
Interea trepido vicinia mœsta pavore
Pallebant tanti proceris discrimine, et omnis
Anxia pendebat populorum cura paventum,
Dum se quisque putat similem perferre procellam,
Inque uno nutat quidquid consistit in uno.
Ergo aliquis forte ex illis quos tetrior ira
Traxerat ad votum sorbendi in cæde cruoris,
Præcipiti ad nutum Domini quasi turbine raptus,
Præcedensque citos trans flabra et nubila ventos
Gestorum seriem captivo e corpore prompsit,
C Obsidione urbem Martino orante solutam,
Atque ipsum donasse Deum populumque ducemque
Mox patuit manifesta fides, seriemque probavit
Ipse dies, eadem hora fuit, nihil ordine verso,
Invitumque hostem fallere pœna coegit (*sic*).
Ut Balaam cupiens Domini maledicere plebem
Extorquente Deo cœtum benedixit ovantem.
Haud alio penitusque ipso rerum ordine venit
Nuntius, illam urbem tanta obsidione solutam,
Præcipitem Rhodanum molli quem ponte subegit,
Et junxit geminas connexo tramite ripas,
Ut siccum præberet iter, quod puppibus instat,
Desuper et presso nutans via pendet in amne.
Hanc quoque præsenti sociatus sancte patrono
Eripis, et cogis trepidum tua vota fateri
D Quæ nollet donata tibi, reus astat, et Euro
Ocior admissa optatæ specularia cædis
Hæc quoque discussis patefecit calculus horis,
Ipso ut res docuit, completa et prodita puncto.
Jam vero erga omnes curatio quanta medelas
Non medicante manu, non succo allata salubri,
Nec ferri perpessa aciem, nec graminis haustum,
Ulcere nec raptum resoluti sulphuris ignem,
Sed verbo medicante fluens, recteque probata
Præcipiti virtute fides quæ cominus astans
Omnibus, invitat, trepidat dum sanat adeptus.
Hic cæci ignotæ stupuerunt munera lucis,

[a] Energumeni per cancellos basilicæ vehuntur et in puteum jactantur impulsu dæmonis, mox illæsi abstrahuntur. Vide Gregorium Turonensem, *l.* I *de Miraculis Martini*, *c.* 2, ubi hæc et sequentia omnia gesta narrat, sumpta ex libro Paulini sexto, ut ipsemet testatur.

Hic alacrem cursum vegetato corpore claudi,
Illic nova collatæ vocis discrimina surdi:
Quod causæ attulerint cladem, tot dona salutem
Restituunt, semper pœnis numerosius astat
Præsidium, præsensque fugat tutela periclum.
Experta est tantam paralytica virgo medelam
Afficiens miseros longo mœrore parentes.
Namque omnem membrorum usum violentia morbi
Abstulerat, cunctisque simul præmortua nervis
Exanimos penitus stratis rejecerat artus,
Et solo vivens gemitu spiramine fesso
Et flatu exiguo stomachum quatiebat anhelum,
Hæc sancti ad meritum manibus delata parentum
Propter vicinum jacuit miseranda sepulcrum;
Alterno nunc ora rigant rorantia fletu,
Inque vicem effuso lacrymarum flumine certant.
Permovit sanctum clementia, vix levis artus
Attigerat miseros benedicti tactus olivi,
Exsiluere pedes, nervi sumpsere vigorem,
Et valida optatos senserunt brachia motus,
Erectæque manus digitis lusere solutis.
Gaudia confestim miseri votiva capessunt,
Et vix tam trepidi credunt quæ credere malunt.
Mutatur rursus facies meliore sereno
Et nova perspicui rapiunt miracula vultus.
Attamen haud longa hoc meritum servavit ho-[nestas.
Qui nunc assiduis onerabant limina votis,
Spondentes celerem post præmia tanta recursum,
Atque inopum sumptum mox largitione levandum
Munifice quos sanctus alit, vestitque sacerdos
Consuetam devotus opem dum præstat egenis,
Expensisque suis ditescit prompta voluntas.
Anguis ut antiqui dirum rapuere venenum,
Atque idem serpens qui quondam suaserat Evam
Hos quoque consiliis simili livore coegit.
Neglectam calcare fidem, dum prava voluntas
Consiliis addicta malis diversa volentum
Paruit infelix fœda ad mendacia verbis,
Immemor inspecti penitusque oblita favoris,
Idolicos repetit vesano pectore ritus,
Dispositum mutavit iter, vegetamque puellam
Auctori vitæ abripuit, diroque latroni
Dedidit, ingratus fidei, sed subditus hosti.
Verum ubi tartarei feralia busta tyranni
Eminus aspexit deceptæ virginis error,
Concidit, et dono tanti spoliata patroni
Addicta est propriis eliso corpore morbis,
Donec sanatam dominante priore puellam
Mors raperet duplicata malis, et debita pœnis,
Quam melius tantæ recolentem dona medelæ
Ad vitam æternam vel præsens vita vocasset,
Jure ut evangelici meminisset credula verbi
Quo jussum Domini sanatum munere servum
Peccatum vitare suum, ne rursus in ipsum
Pergeret, et culpam pœna graviore piaret.
Interdum injustos justo terrore coegit
Virtutem sentire Dei; nam sæpe rebelles
Si nondum præcepta regunt, vel verbera cogunt.
Cum subito pavefacta metu graviore (*sic*)
A Auxiliatores pateretur Gallia Chunos,
Nam socium vix ferre queas qui durior hoste
Exstet, et annexum fœdus feritate repellat.
Horum unus stimulis furiosi dæmonis actus
Irrupit sacram Domini prædo improbus ædem,
Inde altare Dei gressu temerare profano
Ausus, et intuitu furialia vota secutus,
Abripuit sanctam tumulo vellente coronam
Quæ meritum sancti propter conjuncta docebat,
Effigians illam quam Christo judice sumpsit
Fulgentem astrigera cœli sublimis in arce,
Sed sensere oculi culpam, quod nuntia cordis
Lumina perspectam voluerunt condere prædam.
Intuitu peccavit ovans, nec cernere quivit
Quæ rapuit, liquitque oculos, subtracta voluptas,
B Obsessos gemuit visus quasi nocte diurna,
Et circumfusæ quærens solatia lucis
Vicinum doluit tenebris densiscere solem.
Quid stupet aspectum subita caligine clausum?
Jam tunc cæcus erat male cum rapienda videbat.
Verum ubi quærenti crimen detexit amico,
Et percontanti nudavit gesta sodali,
Prægressum seu nocte ducem cogente secutus
Dissimili petiit benedicta altaria voto,
Edomitus jam clade sua, propiorque saluti
Confessus commissa reus, seque ipse salubri
Judicio damnare volens, meruisse videtur
Hinc veniam, quod se pœnam meruisse fatetur.
Compensat plectenda dolor, perversa reformat.
Amissa ut capiat, sumit sua, quæ tulit, offert.
C Mens perversa habuit pœnam, conversa medelam.
Ast alius cædem sitiens violentior ira
Dæmone fervidior qui capto in corpore clausus
Tartareo miserum furiosus jure premebat,
Percolit obsessum funesto a dæmone corpus,
Hospite tam diro tanto crudelior hostis
Sanguineumque ensem perfosso in pectore mersit.
Verum persistens insania vel furor idem
Spumantem gladium rorantem et sanguine dextram
Vertit in actorem sceleris vix cæde peracta,
Et latebras tanti sceleris mucrone resolvit
Ac facinus male conceptum per viscera quærit,
Quam cito judicium velox vindicta probavit,
Et se cum tali admisso propera ultio junxit.
Nec quisquam dura ista putet, cum pauca timorem
Signa acuunt, pœna exterret, formido medela est.
D Ornatum sanctis altaribus addere gaudens
Certatim populus studio properabat ovantum.
Verum cum pulchras molitio tanta columnas
Tentaret sancti transferre ad limina templi:
Quidam tam properis cæcato corde rebellans
Obvius ire parat vel talia cœpta morari
Instinctu impulsus furiosi dæmonis audet:
Insuper uxori minitans quod fletibus ejus
Expletum pensaret opus, cum forte propinquo
Rure habitans quæsita operi instrumenta dedisset.
Nec mora, et in parvi vada per lucentia rivi
Præcipiti dejectus equo, non repperit ullas
Quæ possent pronum corpus demergere lymphas.
Mergendus quæsivit aquas tenuique fluento

Incubuit moriens, quas presserat hausit arenas;
Naufragium sine puppe rapit, sine flumine gurges:
Agnoscunt elementa Deum, nil casibus inde
Mentiri licuit quod jussio sola peregit.
Non illas certe lacrymas tua funera flenti
Præmissæ movere minæ, sed plangit, ut ante
Ominis exosi vates ventura canebas.
Præcedis nostras jam non prohibendo columnas,
Nec rapis ornatum templo, rapiende sepulcro.
Sed populus majore fide devotus et instans
Præcipuum celeravit opus, virtute probata
Judicium emicuit, præsens devotio crevit.
Jam posito terrore legens correcta periclis,
Munera præcipui numerabis blanda patroni,
Et post percussum victo serpente venenum
Nectarei primum succo gaudebis olivi;
Quod quoties sancti vicinia juncta sepulcri
Cominus excepit, mutavit vera liquorem
Gratia, et advexit properas festina medelas.
Perlatum obtulerat felix antistes olivum
Incunctante fide quod spiritus ille rigaret,
Et nova contigui perfunderet aura favoris,
Perpetuus Domini non solum nomine cultor,
Et prægressa pii sectans exempla magistri.
Hunc cum vellet opem veneratus ferre saluti
Expertumque bonum cunctis adhibere medelis,
Abrasus propere benedicto e marmore pulvis
Admixtus sancto vires duplicavit olivo
Ut sic resperso virtus geminata liquori
Augeret contacta fidem, sociata salutem.
Verum ubi vel modicam sensit vicinia micam,
Gratia contactum velox suspendit olivum,
Et tumor exundans efferbuit, auxit abundans
Copia quod coram prolato munere crevit.
Celsior ore suo diffusio claustra rigavit.
Et tamen exundans non fecit gratia damnum
Et subjecta fluens, et semper plena repletis,
Non maculat unquam madidas hæc gloria vestes.
Majorem hæc retinent inspecta Siloa nitorem,
Quæ totum testantur opus, non abluat ullus
Quæ virtus tanto indicio perscripta notavit,
Nec clausa est laus ista loco, sectata fideles
Gratia sublimes titulos et in aera misit.
Ipsæ etiam sancti meritum sensere procellæ,
Grandinis et terror densatis nubibus hæsit
Vastandisque locis clementior ira pepercit.

Quidam confidens veram se ferre salutem,
Si quidquam e sancti licuisset limine templi
Ad propriam deferre domum, benedicta salubris
Congaudens famulus suscepit præmia ceræ.
Experta est gavisa fides quod pectore toto
Senserit auxilium: spes exspectata revixit,
Evasit protectus ager jacula illa liquoris
Saxea, et astrictæ glacialia verbera lymphæ,
Ac fructus satione tegens quæ condita terræ
Extendit patulos votiva ad tegmina ramos.
Indultum stupuit vicinia cuncta favorem
Et patuit veris virtus jam cognita signis.

Non ego centenis possem hæc præconia linguis
Cuncta loqui, aut tantas virtutum evolvere palmas:
A Nec mihi mendacis pulsanda oracula Phœbi,
Nec conflictarum plectra exspectanda sororum.
Nos alter repleat tantæ ad præconia laudis
Spiritus, et nostro det verba et gaudia cordi.
Ut verum cantare queam, mea Musa, patronus,
Me foveat, vegetetque meum sua gratia sensum,
Ne vincar splendore operis, neu lumine tanto
Obrutus instabiles oculos a luce reflectam,
Perspicuoque canam celsa et cœlestia sensu.
Crede Deo, lecture, pio quæ credere nobis
Ambigis, et Christo cuncta hæc proclivia nosces
Quæ dedit, et sancti titulis accrescere jussit.

Obsequium solemne pio deferre quotannis
Assuevit populus, reducis cum circulus anni
Instaurat renovans sanctæ mysteria Paschæ;
B Invitat propriæ veneratio plurima cellæ
Quæ tam præcipuo patuit fida hospita sancto,
Angelico possessa viro, prona ora madescunt
Fletibus, et lacrymis sancti vestigia quærunt,
Quæ loca contigerit psallens, quæ presserit orans.
Hinc meminisse volunt in quo libaverit escas
Immensa exiguo laxans jejunia gustu,
Cœlesti auxilio excubiis quæ cella quietem
Foverit, atque brevem membris largita soporem
Sublimem vigili recrearit imagine mentem.
Huc populum congaudet ovans perducere pastor.
Transfretat exceptum numerosis puppibus agmen
Et fructus sub classe latent: huc sexus et ætas
Omnis adest, vacuæ resident custodibus ædes
Et cunctis alterna fides penetralibus astat.

C Interea infuso mortis vel criminis auctor
Invidiæ livore suæ, conatibus istis
Obvius ire parat, navemque aggressus onustam
Fluctibus in mediis vastoque in gurgite mersit,
Involvens alto simul omnia rapta profundo,
Implicitumque trahens decursu fluminis agmen.
Quam cladem exspectabat ovans, quantoque triumpho
Optatæ numerabat funera mortis (*sic*),
Divulsos rapiens nutricum a pectore parvos,
Dispergensque vagas super invia cærula clades?
Ast alio cernens nexu cervice gravata
Mergere depressum quod strinxerat ulna cadaver,
Hos madida jam veste trahi, sed quærere cœlum
Lumine et infusas vel murmure pellere lymphas.

Interea consors Martini in nomine clamor
D Auxilium cœleste ciet, prosternitur omne
Vulgus, et humentes fletu perfundit arenas.
Debebat tam læta dies specialia mœstis
Gaudia, et eximium solemni in tempore munus.
Adfuit in mediis confestim mitior undis
Spiritus, et diræ rapuit jura improba morti.
Supendit vaga membra liquor solidata saluti,
Lymphæ artus subvexit aquis, non icta natatu,
Nec permutatis sulcata et saucia palmis,
Immotum gestavit onus ripisque revexit,
Gaudia et advectam numerarunt læta salutem.
Agnovit natum genitrix, infantia matri
Hæsit, et amplexu genitor sua pignora fovit.
Frater, mater, herus, famulus, matrona, propinquus
Collato coiere gradu, gratesque resultans

Vox cecinit, sanctisque Deum laudavit in hymnis.
Vix audet quisquam confestim credere visis.
Consulit et dubio trepidantia lumina voto,
Nec fracta est terrore fides, properatur ad amnem;
Ocius instaurat vegetas nova gratia vires,
Non habitum mutare placet, cum vestibus hisdem
Exsultant, madidoque fides non alget amictu.
Sic ripa ulterior tanto gavisa triumpho,
Cantemus Domino læta et credula, dixit (*sic*),
Præda illæsa canit, submersus prædo remansit.
Ecce iterum Dominus scissi Jordanis hiatu
Divisum patefecit iter, populumque per amnem
Prægressæ jussit se jungere cominus arcæ,
Ad fontem remeans vertit sua flumina gurges,
Et sistens cursum refluus properavit ad ortum,
Hæc loca calcatis populus protrivit arenis
Navita quæ trepidus, remo veloque cucurrit.
Quas terræ, pontique vias non nominis hujus
Gloria pernici penetravit concita saltu,
Æquoreas egressa vias, et pervia nautis,
Vasti dorsa maris validis abrepta procellis?
Puppis in ignotum longe delata profundum
Extra hominum classisque vias torpore ligatum
Turbinis impulsu præceps irruperat æquor.
Egressum spes nulla dabat. Nam glute liquoris
Immota absistens pontus tabulata tenebat
Obsidione maris cupientes vota procellæ.
Verum nulla datur miseris exire potestas
Naufragium tam segne tenet sine motibus ullis
Quæ natat in pelago non enatat, hæret in undis
Detestanda quies pontus quod sustinet obstat,
Nec vehit impulsu puppem, nec sorbet hiatu.
Effugii via nulla patet, nam servat in undis
Fluctibus astrictam torpens custodia prædam.
Spes est una Deus, solus quæcunque creavit,
Et regit, imperium servant elementa creantis,
Ad nutum Domini raptim commota quiescunt,
Insuetos motus propere torpentia discunt,
Dispositisque prius rebus dat jussio legem.
Quidam rumorem sensu meliore secutus
Martini titulos fama vulgante per orbem
Compererat, plenaque piis miracula gestis,
Hic cogente malo solam ratus esse salutem
Ad verum clamare Deum, sic forte precatus,
Ad cœlum visus lacrymarum fonte rigatos
Erigit, atque oculis cordis penetralia jungens
Aspice, ait, miseros spes una et vera salutis,
Martini miserere Deus, qui tanta per illum
Sparsisti in populis divini signa favoris,
Et meritum virtute probans extendere terras
Jussisti titulos etiam trans æquora claros.
Ille suis solvat vel laxet vincula puppis
Suffragiis, cogat divisas cedere lymphas,
A Et tantum fluctum rarescere gurgite ponti.
Nec mora, et allapsi propere vis maxima venti
Expulit arreptam discisso gurgite navem,
Et vexit facili super invia cærula flatu,
Moxque exoptata portus statione refovit,
Nomine Martini vectus simul atque revectus.
Assiduaque fide dona exorata canentes,
Quis tandem hæc sensu capiat; quis carmine pingat
Quis numerare queat, quis promere? vincitur omne
Ingenium, cohibent pressas præconia linguas.
Attamen inferior titulis quos gloria comit,
Quæ comperta mihi toties vel scripta relegi
Cum fari ut dignum est, nequeam, vel tangere nitar.
Quidam de sancto repetens sua limina templo
Præsidium domui credens afferre salutis
B Detulerat secum sanctam ad penetralia ceram,
Fidens quod tanti benedictio juncta patroni
Tam justæ fidei meritis virtutis adesset.
Et jam tempus erat prodi documenta favoris.
Forte per elapsum serpens incautius ignem
Flamma vorax vires augens per pabula ligni
Urgebat jam clade domum. Vapor undique in auras
Plurimus undantem glomerabat turbine molem,
Arida sorbebat rapiens atque obvia lambens,
Et solas linquens de tanta clade favillas.
Nec spes effugit propius flagrante periclo.
Sepserat incumbens propter penetralia terror,
Et tam contiguam vicina pericula prædam.
Ad sanctum rediere preces, clamore fideli
Poscitur, atque iterant crebræ nomina voces (*sic*),
C Ipse herus accensæ rutilantia lumina ceræ
Unguine felici blandam fundentia lucem
Prætrepida velox rapit ad penetralia dextra,
Atque inter medias statuens flagrantia flammas
Ignis præsidiis ingentem reppulit ignem.
Hæsit turbo furens, vastator protinus hostis
Terga dedit, rabiemque ignis scintilla fugavit.
Non ita si totos jecissent nubila nimbos
Desuper infusæ possent prodesse procellæ.
Aut si certanter rapuissent flumina cœtus,
Quilibet hæc quirent exhausto flumine fontes
Tam celeri præstare bono quam vera potestas
Ignis prætrepidans refugit sua pabula ceras
Alterosque favos consors natura pavescit.
Virtute interimit flammam quam lumine nutrit
Nectare perspicuo redolens pinguedo liquores.
D Hæc paucis ausus propere percurrere verbis
Signavi indoctus populo relegenda fideli,
Firmavere humilem tam grandia gaudia vocem,
Quæ quæris descripta parum mirabere gesta,
Sufficit ut carmen temnens præconia laudis
Nil morti licuisse, palam cum vita probetur.
Perpetuum urbs Turonum Martino antistite gaudet.

EPISTOLA
B. PAULINI AD PERPETUUM EPISCOPUM.

Domino sancto ac beatissimo patrono Perpetuo episcopo Paulinus.

Iterato asinæ ora reserastis qui mihi loquendi fiduciam præstitistis, cum objecta ore in eo loco verecundius silentio conticescerem quam imperita verbositate garrirem. Sed quærit de suffragii assidui

suggestione: votum loquendo prodidere, domine sancte aç beatissime, specialis apud Dominum patrono conversationis angelicæ et apostolicæ dignitatis. Ego conscientia perurgente credideram etiam hoc fuisse nimium quod potueras notare temerarium, ut ad illam virtutum tam perspicuam claritatem quasi illuminandus accederem, lucemque tam claram tenebrarum mearum nube restringerem. Sed benigne de his quæ scripseram sentiendo duplicatis audaciam jussione, ut etiamnum illi parietes consecrati versuum meorum ferant lituras, qui ad remedium imbecillitatis imbuimur. Versus per dominissimum meum diaconum sicut præcepistis, emisi, quos pagina in pariete reserata susciperet, etiam illis de visitatione Nepotuli mei memor tanti favoris adjectis, quem charta inscripta virtutibus, et manu beatitudinis vestræ subscripta sanaverat. Vestra præstabit oratio ut credulitas crescat auxiliis, et quæ adipisci cupimus, scribere quia permittimur, adeamus.

INCIPIT VERSUS PAULINI
DE VISITATIONE NEPOTULI SUI.

[a] Quam modicam stillam quanto torrente rependis,
Sancte Deus, licet ipsa hujus vel guttula roris
A te tam sterili data sit vel præstita cordi.
Non his obsequiis tam largum flumen egebat,
Et tenuis levibus foliis qui decidit humor
Tam profluo augmento faceret dum labitur amni
Cum magis ad ramos de rupi surgeret humor,
Dum virens fundit nebularum stamina gurges,
Contiguumque rapit sitiens vicinia frigus
Inque hæc gutta meas tetigit tam prodiga fauces,
Tangeris ut marmor solidi crystalla fluenti.
Quantum hæc sola mihi ferret patientia donum
Ut nullam incideret felix audacia culpam.
Nunc vero his etiam duplicaret gratia signis
Ut nullo te fine canam, venerande sacerdos,
Non finitur opus quo susciter, addita crescunt,
Quæ meminisse jubet virtus, dum proditur astat,
Tune meas visus lacrymas, tu fletibus illis
Fers miseratus opem, te vitæ altissimus auctor
Exorante gravis cohibet lamenta senectæ.
Ipsa salus vitam revehit: dejecerat ægrum
Et pene exanimem morbi vis tanta nepotem,
Conjunctamque eidem nubendi lege puellam,
Ut vix jam tenui spirarent corpora flatu,
Nec posset solers tactus deprendere venas
Subtracti pulsus filo languente latentes.
Me quoque submotum pietas arcebat ab omni
Officio: exosam vitabant lumina lucem,
Dum pœna est quodcunque vident. Spes una paventis
Cor tetigit juvenis, causam mandare patrono,
Indulti et toties proprii meminisse favoris.
Nuper contigerat perlectam evolvere chartam
Quæ tanti ad nosmet meriti pervenerat, index
Innumera ut miris fulgeret gratia signis,
Queis Dominus veri meritum testatus amici,
Ornabat sanctum per dona immensa sepulcrum.
Hæc signa antistes dextra signaverat alma
Perpetuus, tanti gavisus laude magistri.
Hanc igitur chartam vix linguæ murmure parvo,
Incunctante fide spes non incerta poposcit.
Exanimi juveni vires fiducia fandi
Præstitit, et fessam laxavit gratia linguam.
Ergo inter medios quos febris moverat ignes
Virtutum palmas stomacho conjunxit anhelo,
Et rapuit recolendo fidem quæ scripsit in ipsis
Condita visceribus quidquid conclusa tegebat
Pagina, et ad votum velox medicina cucurrit.
Exiluit jussus tanta ad miracula sudor,
Crevit et ad numerum tanti quoque muneris ordo
Ut scribendo fidem faciam quam scripta retentant:
Non tam pernici suspendunt succina saltu
Festucam feni vicini glute vaporis,
Quam citus ad chartam madefacti corporis humor
Mandato celebrante redit, sæpe vita revertens
Affectu quæsivit avum, quasi nuntia tanti
Muneris, et reliquis jussit me jungere signis
Quam præsentit opem, tali mandanda patrono est
Causa rei, assistit propior clementia sanctis
Et culpæ offensam relevat tutela favoris.
Nec mora commoditas numerum prægressa dierum
Qua sæpe ignaros spes dinumerata fefellit
Auxiliis orantis adest, nec clauditur ullis
Gratia vera locis, nec vires terminus arctat,
Quas Deus accumulat, propter curatio tangit
Qua Salvator adest: tam longe abjuncta sepulcro
Cellula suscepit quod mens attenta poposcit,
Atque ipsa est ingressa locum, quo credita puncto.
Ille æger, lethumque pavens uxoris amatæ,
Fit medicus, suadetque fidem mittendo salutem,
Poscit et illa toris quidquid persenserat iste.
Est certamen opem retinere, et quærere partam,
Hic possessa timet dimittere, illa probatis
Se quoque salvari festinat credula signis,
Sique dure inque vices ambo orant, ambo retentant(*sic*),
Atque hærens uni pietas succurrit utrique.
Grates, sancte, tibi dum spiritus hos reget artus,
Mens et lingua canet, nunc respice cætera clemens
Membra domus, celeris revehens fomenta salutis,
Et tibi commissam propior solare senectam,
Optata indulgens propere, vel præstita servans.

DE ORANTIBUS.

Quisque solo acclinis mersisti in pulvere vultum:
Humidaquæ illæsæ pressisti lumina terræ.
Attollens oculos, trepido miracula visu
Concipe, et eximio causam committe patrono,

[a] Hi versus valde corrupti erant in vetere codice.

Nulla potest tantas complecti pagina laudes
Quanquam ipsa his titulis cæmenta et saxa notentur.
Terrenum non claudit opus quod regia cœli
Suscipit, et rutilis inscribunt sidera gemmis,
Martini si quæris opem trans astra resurgens
Tange polum, angelicum scrutatus in æthere cœtum,
Illuc conjunctum Domino perquire patronum
Sectantem æterni semper vestigia Regis.
Si dubitas, ingesta oculis miracula cerne
Queis famuli meritum verus Salvator honorat.
Accedes reliquis inter tot millia testis,
A Dum narranda vides, solers et visa retexis.
In sanctis quidquid signavit pagina libris
Instaurat renovante Deo, quo munere gaudent
Cæcus, claudus, inops, furiosus, anxius, æger,
Debilis, oppressus, captivus, mœstus, egenus.
Omnis apostolicis gaudet curatio signis.
Qui flens adfuerit, lætus redit, omnia cedunt
Nubila, quod meritum turbat medicina serenat.
Expete præsidium, non frustra hæc limina pulsas.
In cunctum perget pietas tam prodiga mundum.

EXEUNTE SÆCULO QUINTO.

AMŒNUS.

ENCHIRIDION VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

DE VETERE TESTAMENTO.

ADAM ET EVA.

Eva columba fuit tum candida, nigra deinde
Facta, per anguinum male suada fraude venenum
Tinxit et innocuum maculis sordentibus Adam.
Dat nudis ficulna draco mox tegmina victor.

ABEL ET CAIN.

Fratrum sacra Deus nutu distante duorum
Æstimat accipiens viva, et terrena refutans:
Rusticus invidia pastorem sternit; in Abel
Forma animæ exprimitur, caro nostra in munere [Cain.

ARCA NOE.

Nuntia diluvii jam decrescentis ad arcam
Ore columba refert ramum viridantis olivæ:
Corvus enim ingluvie per fœda cadavera captus
Hæserat, illa datæ revehit nova gaudia pacis.

ILEX MAMBRÆ.

Hospitium hoc Domini est, ilex ubi frondea Mam- [bræ
Armentale senis protexit culmen, in ista
Risit Sarra casa, sobolis sibi gaudia sera
Ferri, et decrepitum sic credere posse maritum.

MONUMENTUM SARÆ.

Abraham mercatur agrum, quo conderet ossa
Conjugis, in terris quoniam peregrina moratur
Justitia atque fides: hoc illud millibus emptum
Spelæum, sanctæ requies ubi parta favillæ est.

SOMNIUM PHARAONIS.

Bis septem spicæ, vaccæ totidem, Pharaoni
Per somnum visæ; portendunt dispare forma
Uberis, atque famis duo per septennia tempus
Instare, hoc solvit patriarcha, interprete Christo.

JOSEPH A FRATRIBUS AGNITUS.

Venditus insidiis fratrum puer ipse vicissim
Cratera in fratris sacco clam præcipit abdi
Utque reos furti Joseph tenet, auctio fallax
Proditur, agnoscunt fratrem, vanique pudescunt.

IGNIS IN RUBO.

Sentibus involitans Deus igneus ore corusco
B Compellat juvenem, pecoris tunc forte magistrum
Ille capit jussus virgam, fit vipera virga,
Solvit vincla pedum, properat Pharaonis ad arcem.

ITER PER MARE.

Tutus agit vir justus iter, vel per mare magnum,
Ecce Dei famulis scissim, freta Rubra dehiscunt,
Cum peccatores rabidos eadem freta mergant,
Obruitur Pharao, patuit via libera Mosi.

MOSES ACCIPIT LEGEM.

Fumat montis apex divinis ignibus, in quo
Scripta decem verbis saxorum pagina Mosi
Traditur, ille suos suscepta lege revisit,
Forma sed his vituli solus Deus, et Deus aurum.

MANNA ET COTURNICES.

Panibus angelicis albent tentoria patrum,
C Certa fides facti, tenet urceus aureus exin
Servatum manna: ingratis venit altera nubes,
Atque avidos carnis saturat congesta coturnis.

SERPENS ÆNEUS IN EREMO.

Fervebat via sicca eremi serpentibus atris,
Jamque venenati per livida vulnera morsus
Carpebant populum, sed prudens ære politum
Dux cruce suspendit, qui virus temperet anguem.

LACUS DESERTI AMARUS.

Aspera gustata populo sitiente lacuna
Tristificos latices stagnanti felle tenebat;
Moses sanctus ait: Lignum date, gurgitem in istum
Conjicite, in dulces vertentur amara sapores.

FONTES DUODECIM ET PALMÆ SEPTUAGINTA.

Devenere viri, Mosi duce, sex ubi fontes,
D Et sex forte alii, vitreo de rore rigabant,
Septenas decies palmas, quæ mysticus Helym
Lucus, apostolicum numerum libris quoque pinxit.

LAPIDES DUODECIM IN JORDANE.

In fontem refluo Jordanis gurgite fertur,
Dum calcanda Dei populis vada sicca relinquit,
Testes bisseni lapides, quos flumine in ipso
Constituere patres, ad formam discipulorum.

DOMUS RAAB.

Procubuit Hierico, sola astant atria Raab,

Hospita sanctorum meretrix, tanta est fidei vis;
Incolumi secura domo spectabile soccum
Ignibus adversis in signum sanguinis offert.

SAMSONIS LEO.

Invictum virtute comæ leo frangere Samson
Aggreditur, necat ille feram, sed ab ore leonis
Mella fluunt, maxilla asinæ fontem vomit ultro:
Stultitia exundat lymphis, dulcedine virtus.

SAMSONIS VULPES.

Ter centum vulpes Samson capit, ignibus armat,
Pone faces caudis circumligat, in sata mittit
Allophylum segetesque cremat; quæ callida vulpes
Nunc heresis flammas vitiorum spargit in agros.

DAVID PASTOR.

David parvus erat, fratrum ultimus, et modo Jesse
Cura gregis, citharam formans ad ovile paternum,
Inde ad delicias regis; mox horrida bella
Conserit, et funda sternit stridente Goliam.

DAVID REX.

Regia mirifici fulgent insignia David,
Sceptrum, oleum, cornu, diadema, et purpura, et ara.
Omnia conveniunt Christo, chlamys, atque corona,
Virga potestatis, cornu crucis, altar, olivum.

ÆDIFICATIO TEMPLI.

Ædificat templum sapientia per Salomonis
Obsequium, regina Austri grave congerit aurum.
Tempus adest, quo templum hominis sub pectore Christus
Ædificet, quod Gaza colentum barbara ditet.

FILII PROPHETARUM.

Forte prophetarum nati dum ligna recidunt
Fluminis in ripa, cecidit discussa bipennis,
Gurgite submersum est ferrum, sed mox leve lignum
Injectum stagnis ferrum revocabile fecit.

CAPTIVITAS ISRAEL.

Gens Hebræorum peccamine capta frequenti,
Fleverat exsilium diræ Babylonis ad amnes:
Tum patrios cantare modos præcepta recusat,
Organaque in ramis salicis suspendit amaræ.

DOMUS EZECHIÆ REGIS.

Hic bonus Ezechias meruit ter quinque per annos
Præscriptum proferre diem, legemque obeundi
Tendere, tot gradibus quot vespera texerat unda
Lumine perfusis, docuit sol versus in ortum.

DE NOVO TESTAMENTO.

GABRIEL ET MARIA.

Adventante Deo descendit nuntius alto
Gabriel Patris ex solio, sedemque repente
Intrat virgineam: Sanctus te Spiritus, inquit,
Implebit, Maria; Christum paries, sacra virgo.

CIVITAS BETHLEEM.

Sancta Bethlem caput est orbis, quæ protulit Iesum
Orbis principium, caput ipsum principiorum;
Urbs hominem Christum genuit, qui Christus agebat
Ante Deus, quam sol fieret, quam lucifer esset.

MAGORUM MUNERA.

Hic pretiosa magi sub virginis ubere Christo
A Dona ferunt puero, myrrhæque, et thuris, et auri.
Miratur genitrix, tot casti ventris honores,
Seque Deum genuisse, hominem, regemque supremum.

ANGELI AD PASTORES.

Pervigiles pastorum oculos vis luminis implet
Angelici, natum celebrans e virgine Christum
Inveniunt tectum pannis, præsepe jacenti
Cuna erat; exsultant alacres, et numen adorant.

INFANTUM IN BETHLEEM CÆDES.

Impius innumeris infantum cædibus hostis
Perfurit Herodes, dum Christum quærit in illis.
Fumant lacteolo parvorum sanguine cunæ,
Vulneribusque madent calidis pia pectora matrum.

CHRISTUS IN JORDANE BAPTIZATUR.

B Perfundit fluvio, pastus Baptista locustis
Silvarumque fucis, et amictus veste cameli:
Tinxerat et Christum, sed Spiritus æthere missus
Testatur tinctum qui tinctis crimina donet.

PINNA TEMPLI.

Excidio templi veteris stat prima superstes,
Structura enim lapide ex illo manet angelus usque
In sæclum sæcli, quem spreverunt ædificantes;
Nunc caput est templi, et lapidum compago novorum.

VINUM EX AQUA FACTUM.

Fœdera conjugii celebrabant auspice cœtu,
Forte Galilæis deerant jam vina ministris,
Christus vasa jubet properanter aquaria lymphis
Impleri, inde meri veteris perfunditur unda.

C

PISCINA SILOA.

Morborum medicina latex, quem spiritus oris
Eructat variis, fusam ratione latentis,
Siloam vocant, sputis ubi collita cæci
Lumina Salvator jussit de fonte lavari.

CÆDES JOANNIS.

Præmia saltatrix poscit funebria virgo
Joannis caput, abscissum quod lance reportat
Incestæ in gremium matris; fert regia donum
Psaltria, respersis manibus de sanguine justo.

CHRISTUS PER MARE AMBULAT.

It mare per medium Dominus, fluctusque liquentes,
Calce terens, jubet instabili descendere cymba
Discipulum; sed mortalis trepidatio plantas
Mergit, at ille manum regit, et vestigia firmat.

DÆMON MISSUS IN PORCOS.

D Vincla sepulcrali sub carcere ferrea dæmon
Fregerat: erumpit, pedibusque advolvitur Iesu;
Ast hominem Dominus sibi vindicat, et jubet hostem
Porcorum furiare greges ac per freta mergi.

QUINQUE PANES ET DUO PISCES.

Quinque Deus panes fregit piscesque gemellos,
His hominum large saturavit millia quinque;
Implentur minimo micarum fragmine corbes
Bisseni, æternæ tanta est opulentia mensæ.

LAZARUS SUSCITATUS.

Conscius insignis facti locus in Bethania,
Vidit ab inferna te, Lazare, sede reversum.
Apparet fractis scissum foribus monumentum,
Unde putrescentis redierunt membra sepulti.

AGER SANGUINIS.

Campus Acheldemacæ sceleris mercede nefandi
Venditus, exsequias recipit tumulatus humandas.
Sanguinis hoc pretium est Christi, Juda eminus arctat
Infelix collum laqueo, pro crimine tanto.

DOMUS CAIPHÆ.

Impia blasphemiæ cecidit domus alta Caiphæ
In qua pulsata est alapis facies sacra Christi.
Hic peccatores manet exitus, obruta quorum
Vita ruinosis tumulis sine fine jacebit.

COLUMNA AD QUAM CHRISTUS EST FLAGELLATUS.

Vinctus in his Dominus stetit ædibus atque columnis
Annexus, tergum daret ut servire flagellis.
Perstat adhuc, templum gerit veneranda columna,
Nosque docet cunctis immunes vivere flagris.

PASSIO SALVATORIS.

Trajectus per utrumque latus, laticem atque cruorem
Christus agit; sanguis, victoria, lympha, lavacrum est.
Tunc duo discordant crucibus hinc inde latrones
Contiguis: negat ille Deum, fert iste coronam.

SEPULCRUM CHRISTI.

Christum non tenuit saxum, non claustra sepulcri,
Mors illi devicta jacet, calcavit abyssum.
A Sanctorum populus superas simul ivit ad oras,
Seque dedit multis tactuque oculisque probandum.

MONS OLIVETI.

Montis oliviferi Christus de vertice sursum
Ad Patrem rediit, signans vestigia pacis.
Frondibus æternis præpinguis liquitur humor,
Qui probat infusum terris de chrismate donum.

PASSIO STEPHANI.

Primus init Stephanus mercedem sanguinis, imbri
Afflictus lapidum, Christum tamen ille cruentus
Inter utrumque nefas mercatus acerba doloris;
Nunc age constanter, repara virtutis honorem,
Et tibi te revoca, trepidum ne noxia frangant,
Gloria ne pereat, neu prospera lubrica perdant;
B Utere more tuo, te deinde redisce magister,
Fortis athletæ animo, sanctos non obruit error.
Acrius insequitur hostem manus ista dolore,
Plagaque fixa solet mentes armare viriles,
Atque pudore recens crescit de vulnere virtus,
Ac datur armigero victoria vulnere crebro.
Fraterno alloquio sic angelus explicat ore,
Tanta est cura Dei Martinum avellere lapsu.
Ulterius synodo neque se permiscuit insons
Virtutisque suæ damnis nova lucra paravit.

ÆGYPTIUS DEUM MARTINI INVOCANS,
TEMPESTATIS PERICULUM EFFUGIT.

Navita cum quidam Tyrrhenum curreret æquor,
Fert iter ad Romam, qui velificante volatu
Turbinis impatiens oritur violentia venti,
Exiliunt fluctus, feriunt cava vela rudentes.
Nutat pinus iners, rapitantur signa chiruscis,
Lenis et antennæ coeuntia cornua frendent,
Artis inops, stupidus resilit de puppe magister.
Stant, unde armatura cadit, fragor æquoris urget.
Prora bibit; dum nauta vomit, perit ars, jacet usus,
Spes fugit, ira premit, rapitur lux, morsque minatur
Casibus in dubiis, certi vergente salute.
C Dum trepidant omnes, Ægyptius hæc ait unus,
Quin et dum Christi charismata senserat exsors:
Martini Deus, eripe nos! Mox dira procella
Corruit, et pelagi tumor altus ad ima resedit.
Sternitur unda rati, liquidi stetit area campi,
Atque immota loci jacuerunt murmura ponti.
Gurgitis optati trabe curritur æquor amicum,
Littoris ora legunt flabris data vela secundis,
Atque petens portum, vada complet nauta celeusma
Sic bene pro meritis famulo dat Christus honores,
Cujus eunte fide terras, mare, sidera supplet.

IN LEONTIUM EPISCOPUM
REDDITUM BURDEGALENSI ECCLESIÆ
ACROSTICHIS.

Agnoscat omne sæculum
Antistitem Leontium,
Burdegalense præmium,
Dono superno redditum.

Bilinguis ore callido,
Crimen fovebat invidum,
Ferens acerbum nuntium,
Hunc jam sepulcro conditum.

Celare se non pertulit,
Qui triste funus edidit,
Et si nocere desiit,
Insana vita prodiit.

D Deceptus arte noxia
Cassata deflet crimina,
Dum quæ putabat tristia,
Conversa sunt in gaudia.

Exempla sæva protulit,
Calcanda cuncto tempore,
Ut jam sibi conscriberet
Decreta vivo antistite.

Fucata res hæc contigit
Vitanda casto pectore,
Superstite ut præsumeret,
Post fata quod vix defuit.

Gravat sacerdos ordinem
Qui episcopatum sic petit,
Præcepta qui complectitur
Fugit honoris ambitum.

Hoc si cui sit debitum
Coactus ascendat gradum,
Non se petente callide,
Sed dante Christi munere.

Ineptus est quis ipse se
Præferre vult Ecclesiæ :
Nam rem sacratam sumere
Electio divina sit.

Carus sacerdos ordinem
Hilarius non ambiit,
Martinus illud effugit,
Gregorius vix sustulit.

Leges refutant ambitum,
Invasor omnis pellitur,
Quod respuunt prætoria,
Vitet nefas Ecclesia.

Maligna erant certamina,
De sede non tamen sua,
Quæ nec pati desiderat,
Non inferat mens improba.

Nec longiore tempore
Versatur in hoc murmure,
Dum cogitant succedere,
Redit sacerdos qui fuit.

Orante plebe protinus,
Dum nemo credit, redditur,
Quæ confluunt post tristia
Majora sunt hæc gaudia.

Plausu favebat civitas,
Cui reddita est felicitas
Orbata quem defleverat,
Partem recepit anxia.

Quem vix putabat redditum
Præventa voto prospero,
Res mira quando cernitur
Solet stupere visio.

Recolligit rector gregem,
Errore captum semitæ,
Pastoris arce cognita
Gavisa sunt ovilia.

Sumpsit gradum quo tempore
Regressus est : eo die,
Quis non superno munere
Hoc contigisse prædicet?

Tantum nec ante præmium
Plebi fuit, cum factus est,
Lætata quantum tunc fuit
Quando recepit præsulem.

Venite, cives, plaudite,
Et vota votis addite ;
Quo facta sunt miracula,
Servent eum cœlestia.

Christus sereno lumine
Circumvolet, quem reddidit,
Ut trina crescat gratia,
Mercede, vita, gloria.

Imum canendo concrepet,
Quisquis Deo non invidet;
Laus ejus est, qui præsulem
De mortis ore retrahit.

Zelante fido pectore,
Jam vera dici non pudet,
Hæc parva nobilissimo
Papæ damus Leontio.

EODEM TEMPORE.

SECUNDINUS

HIBERNUS EPISCOPUS.

HYMNUS

IN LAUDEM S. PATRICII ADHUC VIVENTIS.

(Hunc hymnum videsis Patrologiæ nostræ tomo LIII, col. 837.)

EXEUNTE SÆCULO* QUARTO.

DREPANIUS FLORUS.

NOTITIA.

(Ex Biblioth. Patrum Lugd.)

Drepanius, natione Gallus fuit, ut ex ejus epistolis colligimus : Florus nominatus, ut ex epistola ad Moduinum, 37 Heduorum episcopum, qui, cum undecimus fuerit a S. Siagrio martyre, fratre reginæ Gallia-

* Juxta Baronium, in notis ad Martyrologium Romanum 8 Maii, et Possevinum, in Apparatu sacro, qui existimant hunc Drepaninm esse illum cujus meminit Sidonius Apollinaris lib. viii, epist. 11. Edit.

rum Brunechildis, quæ vixit ætate Gregorii Magni PP. ad annum Christi 590; Magnus vero sive Senior Theodosius cui Panegyricum Romæ dixit Latinus Pacatus Drepanius, ad annum Christi 390 et quod excurrit, imperaverit, videtur plane hic noster Drepanius Florus poeta, Latino Pacato Drepanio, ducentis quinquaginta paulo plus minus annis posterior, ac proinde vixisse ad annum Christi 650. Scripsisse hymnos ipse testatur ad Wulphinum grammaticum :

Conticuit citharæ quondam vox optima nostræ,
Et lyra dulcimodos pressit amica sonos.

Quid præterea scripserit, non possum affirmare.

DREPANII FLORI

PSALMI ET HYMNI.

PSALMUS XXII.

Me pater omnipotens clementi jure gubernat,
Non mihi dira fames, non ulla nocebit egestas.
Adsunt graminei colles et pascua læta,
Adsunt et liquidi fontes et flumina larga.
His ego nutritus, his semper abunde refectus,
Justitiæ rectos contendam carpere calles,
Quos mihi dux mentis secreto lumine pandit,
Ipsius ut nomen celebretur laude perenni.
Illum ego corde sequens, lethi mortisque tenebras,
Intrepido calcabo pede, mala nulla timebo :
Meme quippe tuæ pie rex correptio virgæ,
Me baculus, pater alme, tuus firmatque regitque.
Tu mihi delicias, tu mensam epulasque parasti,
Qui satur invictas adipiscar pectore vires,
Adversasque acies pulchro certamine vincam,
Ut mihi post validos pugnæ victricis agones.
Lætitiæ largo caput aspergatur olivo,
Lucifluusque calix pleno me proluat haustu,
Servatusque tua cunctis pietate diebus,
Sidereum Christi merear conscendere templum,
Sub quo perpetuis vivam feliciter annis.

PSALMUS XXVI.

Lux mihi pura Deus, Deus est mihi vivida virtus :
Nec tenebras igitur, nec mortis jura verebor.
Hoc tutore mea et munitur denique vita,
Ne me dira loco possit formido movere ;
Sed spernam cunctos robustis viribus hostes,
Qui properant nostras malis absumere carnes.
Ecce meum tanto pulsant qui turbine pectus,
Robore contrito tristi periere ruina :
Sive ergo castris sedeant, seu prælia tentent,
Ponam corde metum, spem tota mente resumam.
Unum est quod cœli Dominum intenseque poposci,
Quodque ardens nimio voti fervore requiram,
Ut maneam cunctis Christi sub mœnibus annis,
Ipsius et sancto semper succensus amore,
Sæpius æterni visam sacra limina templi.
Hic me namque feris cum cingerer undique bellis,
Sub proprio abscondit thalamo, velisque sacratis
Obtectum, grata nimium confovit in umbra.
Hic me prævalida saxi sublimis in arce
Constituit, sævosque super pius extulit hostes,
Quo subjecta meus temnat certamina vertex.
Ibo igitur sacri veneranda per atria templi,
Ac munus laudum Christi devotus ad aram
Persolvam, gaudensque melos et carmina dicam :
B O Deus, ætherei censor mitissime regni,
Pande salutiferas mœstis clamoribus aures,
Quosque gemens fundo miseratus respice flexus.
Te mea vult facies, te mens, te corda precantur,
Conspectum faciemque tuam, Pater alme, requiro.
Neve pios oculos, sanctum neu subtrahe vultum,
Neu famulum Dominus bello incumbente relinque :
Esto mihi clemens potius, fidusque patronus,
Nec me contemptum truculentis desere monstris.
Ne me quippe feri quondam liquere parentes :
At bonus hic Dominus dulci pietate refovit.
Pande mihi rectum perplexa per avia callem,
Legis et eximiam tribuas fulgere lucernam,
Ne ferro accinctos incurram nescius hostes :
Sed duce te gradiar inimica per agmina tutus;
C Nam me falsiloqui cinxerunt undique testes :
Nil tamen insontem mendacia vana nocebunt,
Sed mendax proprium portabit lingua reatum.
Ast ego confido Domini quod gaudia larga
Vitali in patria lætus sine fine videbo.
Exspecta Dominum constanti corde benignum ;
Semper et adversis confilge viriliter armis,
Nam bona perpetui patiens feret inclyta regni.

PSALMUS XXVII.

Ad te polorum conditor
Clamore supplex intimo,
Votum precemque dirigo :
Aurem benignus commoda.
Nam si tuis oraculis
Indigna gesto pectora,
D His exsto jam simillimus.
Imo vorantur qui lacu.
Audi precantis anxia,
Pater supreme, murmura,
Dum templa cœli ad ardua
Elata tollo brachia.
Ne me scelestis obsecro
Et criminosis cœtibus
Mixtum trahas ad infima
Pœnæ voracis tartara.
Qui lingua et ore subdolo
Pacem loquuntur proximo :
Dirum sed altis contegunt
Bellum feri præcordiis.
His ergo, judex optime,

Parem repende gratiam;
Tormenta versutis vafra,
Infer malignis callida.
Manus iniquis actibus,
Vitamque fraudi deditam
Condigna plectat ultio,
Fraus fraude, vita concidat.
Domus dolosis illita
Fucis perenne corruat:
Quæ facta mens nescit Dei,
Densis tenebris horreat.
Grates polorum principi,
Qui vota servi supplicis
Vocemque clemens flebilem
Tanto beavit munere.
Hic dimicantem protegit,
Juvat, tuetur, erigit:
Hujus favente numine,
Claros triumphos consequor.
Tunc dura post discrimina,
Caro dolore libera
Florebit, et decus novum
Pulchræ salutis induet.
Huic ergo prompto spiritu
Mei decoris principi
Laudes sacrabo debitas
Dulces et hymnos concinam.
Hic namque virtus inclyta
Plebis beatæ præmia;
Hic ipse Christo proflua
Servat salutis gaudia.
Salva, Creator optime,
Plebem redemptam sanguine,
Tuæque dita præmiis
Hæreditatis gloriæ.
Hanc cum potenti dextera
Semper guberna et protege,
Extolle summis hanc bonis,
Ævi perennis sæculis.

HYMNUS ANANIÆ, AZARIÆ ET MISAEL,
SANCTORUM TRIUM PUERORUM.

Omne quod æternus per verbum condidit auctor,
Auctoris nomen celebret, laudesque resultet,
Exsultetque suum per sæcula cuncta parentem.
Angelicæ vestro turmæ benedicite regi,
Ingenitumque simul resonet vox celsa polorum:
Hunc modulentur aquæ, quas sustinet arduus æther,
Hunc omnis sancto virtus decantet amore,
Hunc sol argenti psallat splendore coruscus,
Hunc gelido fulgens collaudet lumine luna,
Hunc pariter totus stellarum concinat ignis.
Te pluvia exundans, te ros lenissimus edat,
Discordesque auræ concordi voce resultent:
Artificem proprium pulcherrima flamma loquatur,
Et rapidus Domini nomen simul æstus anhelet.
Hoc glacialis hiems, hoc torrida personet æstas.
Roscida temperies, et tempora cana pruinis,
Horrendumque gelu, et magni vis frigoris ingens,
Et glacies crustis, vertens immanibus undas,
A Atque nives denso vallantes vellere terras,
Auctori per sæcla Deo sua carmina dicant.
Hunc nox somniferis involvens cuncta tenebris,
Atque dies varios distinguens luce colores,
Mortalesque animos torrentia fulgura laudent,
Et nubes largo ditantes ubere terras.
Te sator immensas tellus fundata per undas,
Te quoque sublimi gaudentes vertice montes,
Et colles humili spectantes sidera collo,
Aeriæque sonent jucundo murmure silvæ,
Atque omnis celebret fetus telluris opimæ
Tum fontes gelido moderantes caumata potu,
Et maria horrendo quatientia littora fluctu,
Flumineusque canat lapsus clamore sonoro.
Te ceti immanes, et quidquid reptat in undis;
B Te volucrum dulcis laudet concentus in agris.
Te pecorum mitis grex inclyte personet, et te.
Vis etiam resonet rabidarum torva ferarum.
Hunc hominum omne genus pollens ratione potenti
Innumeris rècinat linguis, hunc ipsa resultet
Israelitarum nimium plebs cara Tonanti.
Vosque sacerdotes, quos nobile germen Aaron
Edidit, et sacro Levitæ sanguine creti,
Quos proprii templi voluit Deus esse ministros,
Perpetuas supero laudes persolvite Regi.
Spiritus hunc animæque ciant per sæcla piorum,
Et sancti atque humiles pura pietate frequentent.
Hunc Anania sacer summo sustollat honore,
Azariasque simul reverendo prædicet ore,
Et Misael pulchro sanctus collaudet amore,
C Qui se de medio fornacis turbine tutos
Eruit, et venti rorantis flamine fovit,
Cum rapidis cincti canerent hæc carmina flammis,
Vimque suam oblitus sanctos non læderet ignis.
Res mira, et nullis abolenda in sæcula sæclis,
Non caro, non vestis, non verticis ipse capillus
Ardorem sensit piceum flammæve vaporem:
Quin læti atque alacres, ipso poscente tyranno,
Egressi in laudes veri domuere profana
Ora Dei, quo psallenti mirantia vultu,
Horrore ingenti tremuerunt barbara corda.
Hunc et nos igitur summum sanctumque parentem,
Cum nato immensi statuit qui culmina cœli:
Cumque sacro flatu, virtutum auctore potentum,
D Laudibus assiduis digno exsultemus honore.
Te, Domine, æternus cœlorum prædicat axis,
Te laudat cœli sacrosancto exercitus ore,
Glorificatque ingens cunctarum machina rerum,
Extollit, metuit, clamat, benedicit, adorat.

HYMNUS AD MICHAELEM ARCHANGELUM.

Clarent angelici sublimia festa diei,
Allatura piæ dona beata animæ,
Hunc etenim Michael, aulæ cœlestis alumnus,
Conspicuo nobis consecrat ore diem,
Dignatus Petri Paulique invisere sedem,
Imperiumque fovens inclyta Roma tuum,
Qui proceres inter pia mœnia luce coruscos,
Egregio vultu splenduit orbe novo:
Cum Deus expulsis lucem depromeret umbris,

Conderet et stabilem nocte ruente diem.
Hic vati eximio, placidi Jordanis ad undam
Se castris Domini prodidit esse ducem,
Cum sacro in campo stricto consisteret ense,
Subrueretque piis impia septa tubis,
Dejiciens septem victrici fulmine gentes,
Sacratisque Deo mystica regna ferens :
Hunc Gabriel solum auxilium sibi ferre fatetur,
Ad pia cœlestis castra tuenda Dei,
Admissas referens Danielis in atria cœli,
Quas sancto impastus fuderat ore preces.
Hunc oculis mentis, inter myrteta, beatus,
Zacharias roseo sidere vidit equo,
Tendentem niveas templa ad cœlestia plantas,
Proque Dei affectu plebe rogare pio.
Quatuor ex gemino ruerent cum monte quadrigæ,
Disparibus raptæ præcipitanter equis,
Dum rufi, atque nigri, nivei, variique jugales
Perlustrant cuncti jugera vasta soli ;
Atque Dei summo referunt exacta ministro,
Principis et pendent ad pia jussa sui :
Qui spem dejectis spondens, solatia mœstis
Spiritui vatis sic reboare jubet.
Hierusalem Dominus larga pietate reviset,
Atque ille æterno jam sit ut aula Deo.
Quam tantus numerus hominumque gregumque [replevit
Nullius ut muri cingier orbe queat :
Sed Deus hanc ignis jugi munimine cinget,
Consumens hostes, lumen et intus agens ;
Hic sub fine etiam cum serpens ille vetustus
Intulerit Christo prælia cassa Deo,
Cœlestem cupiens telis exscindere sedem,
Et populum sacrum carpere dente fero,
Consurget toto cœlestis turbine pugnæ,
Flammarumque globis castra nefanda premet :
Tum populus Christi perfecta pace fruetur,
Semper et angelico concinet ore melos.

DE CEREO PASCHALI.

Alme Deus rerum, cœli custodia cujus
Legibus æternis vertigine concita jugi
Volvitur, immensi socialis machina mundi :
Te cœlum, et quidquid cœli tegit aureus umbo,
Te chorus astrorum, te sol et menstrua luna,
Te nimbi et nebulæ, verrentesque æquora venti,
Te lucis noctisque vices, te quatuor anni
Tempora, transcursis in se redeuntia rivis ;
Te terra, et quidquid terras ambitque tegitque,
Te freta, te curvis errantia flumina ripis,
Te properi fontes, te jussæ stare paludes,
Te pronæ pecudes, sortitæque alta volucres,
Te muti pisces, te virosi serpentes,
Pro se quisque tremunt : age rerum maxime rector
Sidereas acies oculorum blanda tuentum
Ad famulos demitte tuos, vultuque serenus
Aspice constructam tanta in mysteria plebem,
Unum quæ trino celebrant sub nomine numen.
Non sic Idæis simulantur Dindyma Gallis,
Attica nec Graiis nuribus vigilatur Eleusis,
A Orgia Thebanus vel agit nocturna Cithæron,
Nil habet insanum strepitu, nil thure vaporum,
Sanguine nil madidum, nil cursibus immoderatum.
Nox sacris operanda tuis tantum prece pura,
Simplicibus votis manibusque celsa supinis,
Te colimus natumque tuum, quem cuncta tuentem,
Et tibi consortem verbo genitore creasti,
Ignea quem celsi linquentem mœnia cœli,
Visurumque suas hominis sub imagine terras,
Intacto prægnans utro dedit innuba mater,
Hunc ut per totam possimus dicere noctem,
Inferimus claros sanctis altaribus ignes.
Vestibus innumeris tereti circumflua gyro,
Æquoream cohibet formatrix cera papyrum,
Cera domus mellis : jam cætera turba colentum
B Nigrantes tenuat vario splendore tenebras,
Ubertat stupas, fervet discordia concors,
Ut dum sacra pio peraguntur mystica ritu,
Æmula sidereis vigilent funalia flammis.
Hæc tibi nempe tui patris indiscreta propago,
Multa luce micans, terra nox splendet in omni,
Nox claro mage clara die : gens nulla nivali
Usque adeo subjecta polo est, quam frigore pigram
Sidus et æternæ premit inclementia brumæ,
Quæ te Christe neget rutilum : qua flammeus orbem
Sol agit, occidui quæ meta secunda diei est,
Et qua prima patet rediture janua lucis ;
Tu coleris, dum finis erit, dum terra manebit,
Vertetur cœlum, vertentur mensibus anni,
Semper honos nomenque tuum laudesque canentur.

C

DREPANIUS MODUINO
AUGUSTODINENSI EPISCOPO.
Exhortatio ad legenda sacra volumina.

Solvo pater profluas hilari de pectore grates,
Quod reseras Floro labra benigna tuo.
Ex queis prædulcis distillat gratia mellis,
Ambrosiusque liquor pectora nostra fovet
Audieras crebro Domini pia dicta jubentis,
Os ego, si pandas, exsatiabo tuum.
Cœlestem sitiens traxisti in viscera flatum,
Unde modo suavis efflat et almus odor.
Hausisti placidas Jesu de fontibus undas,
Unde meam recreas doctor abunde sitim.
Sic rogo divinis flagrent tua pectora flammis,
Quas patribus Christus misit ab arce poli.
D Cum vehemens subito sonuisset ab æthere flatus,
Fulsissetque omni vertice lingua rubens :
Queisque duo valide fervebant corda virorum,
Quos voluit media Christus adire via,
Mystica sacrorum reserans oracula vatum,
Ore uno et cunctos se cecinisse docens.
Crede, pater, multo gaudent mea viscera motu,
Et lætante anima vix mea lingua silet :
Quod me non meritum tanto dignaris amore,
Tamque pio affaris carmine, tamque sacro ;
Quod non Assyrii violatur fluminis undis,
Nec sordescit aquis, turbide Nile, tuis ;
Sed liquido potius Jordanis manat ab amne,
Quo pulcher Christi lætificatur ager.
Jam nunc Castalii siccetur fontis arena,

Aoniumque nemus fistula nulla sonet :
Laurus Apollineæ marcescat denique silvæ,
Cumque suis baccis alba ligustra cadant;
Victrices Christi vigeant per sæcula palmæ,
Quas olli exsultans turba canora dedit,
Paciferos scindens oleæ de vertice ramos,
Atque sacram sternens veste nitente viam,
Quæ Dominum portans mansuetæ pullus asellæ;
Poneret innocuos molliter ille pedes.
Si placidi fontis vitalem quærimus undam,
En Siloæ nobis vena salubris adest,
Quæ naturales potis est abolere tenebras,
Atque diem cæcis reddere luminibus.
Si montes collesque juvant, sanctique poetæ,
Ecce Sionis apex mœnia sacra feret.
In laudes Christi Thabor exsultat, et Hermon,
Libanus aeriis plaudit et ipse cedris,
Carmelus sacer est Eliæ fulmine pollens,
Vertice sublimi fert holocausta Dei,
Nomine qui duplici Sina vocitatur et Horeb,
Legiferum nobis monstrat et ipse senem,
Flammea cornuto vibrantem lumina vultu,
Gestantemque sacris jura superna tablis.
Job prius heroo sua carmine bella retexit,
Divina David personat ipse lyra.
Qui loquar insigni tumidum Solomona cothurno,
Qui thalamos Christi psallit et Ecclesiæ?
Hos, reverende pater, pleno sectentur amore,
Hinc sensus nostri verbaque cuncta fluant.
Auctorem pia lingua suum canat atque resultet,
Auctorem proprium mens pia concelebret;
Christicolæ sermo Christum ciat ore fideli :
Hoc dignum, hoc justum est; suave, salubre, [pium.

DREPANIUS AMICO.

Pro suscepta sui defensione gratiarum actio.

O quam suavis odor vestri de pectoris aula,
Exilit, o Christi frater amore potens.
Mulcentur sensus, mulcentur viscera tota,
Oblectatque omnem cœlica vis animum,
Non ita vernali vitis sub sidere flagrat,
Palmite cum læto gemmeus exit honor;
Nec sic camporum redolet nova gratia fundens
Candida puniceis lilia mixta rosis :
Hoc et floriferæ vincuntur munera silvæ.
Pomorumque omnis exuperatur odor.
Diligis et pariter præsens, et diligis absens,
Nec variat castum callida fraus animum,
Sive hostes, seu sint cari sine labe sodales :
Nos tua corda fovent, nos tua lingua canit.
Istis grata refers, illos ratione refellis,
Diversisque armis dimicat unus amor,
Et superat quoniam verax dilectio victrix,
Semper in æternum clara trophæa feret.
Solis atra odiis, votisque actisque malignis,
Turbine præcipiti jure ruina venit.
At sincerus amor, ceu lux æterna coruscat :
Nec cedit tenebris, sed tenebrosa fugat.

A Quid? quod crebro etiam mittis pia verba salutis,
Pluribus et donis hicque domique oneras?
Hic est verus amor, hæc est affectio munda,
Hoc patris et Christi munus ubique pium.
Talia diffundit per mentes dona pudicas,
Sedibus ætheriis spiritus ille fluens.
Antiqui nunc orsa senis juvat ore referre,
Lumine qui captus, mente serenus, ait,
Sic mea nunc redolet proles velut inclyta rura,
Munera divino quæ benedicta cluunt;
Det tibi cunctipotens cœli de rore salubri,
Pinguibus eque arvis munera larga satis :
Scilicet egregios æterni fratris acervos,
Exundans oleum, vinaque pulchra nimis,
His verbis persolvo libens tibi, care patrone,
B Perpetuas grates, vota benigna simul.
Nam decet, et pulchra prorsus ratione recurrit,
Divinis dictis munera diva cani.
Sis felix cœptum servans per sæcula amorem,
Acceptus celso semper amice Deo.

DREPANIUS VULFINO,

GRAMMATICO AURELIANENSI.

Hortatio ad rescribendum.

Annuus excurrit revolutis mensibus orbis,
Quod tua vox nostris auribus insonuit,
Tam nitidis chartis, tam claris culta figuris,
Ut specimen cordis pagina pulchra daret :
Sic liquidas puteus profundit largifer undas,
Et rapidus rapido fervor ab igne salit.
C Sic rutilus rutilum vomit et carbunculus ignem,
Puraque fert durus vina venusta calix.
Ex oleæ pulchro pulcher quoque vertice fructus
Carpitur, atque liquor pulchrior inde fluit;
Sed mihi mellifluum rapuit sors invida carmen,
Et dulcem pateram fregit iniqua manus.
Frigida ceu si quis sitienti pocula demat,
Vel famido gratas vertat ab ore dapes :
Proque dolore venit misero quod sæpe verebar,
Et metus ille meus re manifestus adest.
Conticuit citharæ quondam vox optima nostræ,
Et lyra dulcimodos pressit amica sonos.
Quid rogo frater agis tam longa silentia servans?
Quove tibi nostri tam cito pulsus amor?
Certe tanta tuæ tum florida carmina musæ
Haud parva ut pateant indiguere mora.
D Vix tamen excursos excussit vis tua versus,
Dum volucres apices sic revolare jubes.
Justa igitur cœptis, et scribe, et scripta reposce :
Sic etenim dulcis crescere suevit amor.
Sermo ligat mentes, permulcet pectora sermo,
Absentes sociat, scissaque conciliat :
Sic animæ David Jonathæ mens pulchra cohæsit,
Nec patris horrendis dejicienda minis.
Vox etenim prudens, ceu fervida succina flagrat,
Et rapit attactu corda modesta suo.
Prome precor solitos mellito gutture cantus,
Et releva nostram dulcis amice sitim.

AUCTOR INCERTUS.

CARMEN DE LAUDIBUS DOMINI.

Quis queritur sera virtutis dote juvari?
Quis promissa Dei lento procedere passu?
Quis fine humano metitur judicis urnam
Perpetui, tardumque putat quod sæcula debent
Accelerare diem meritis qui præmia reddat?
Nobilis ingenti testatur gloria facto.
Nam qua stagnanti prælabitur agmine ripas
Tardus Arar, pigrumque Diuvix explicat amnem
Qua fratrum Rheno progignitur Hedua pubes.
Conjugium memini summa pietate fideque
Lex divina tamen meritum cumulabat amoris.
Et votum ambobus, socium præcedere morte,
Mœrorique pio curam mandare sepulcri,
Sed prior uxorem decreti pagina legit.
Tunc vir sollicitus largo jubet ore cavari,
Post mortem fiunt quæ membris hospita saxa:
Suscipere veniens, æternaque fœdera jungis (*sic*),
Ut quos viventes tenuisset lectulus idem,
Post præcepta Dei, bustum commune levaret.
Sensit vota sui conjunx præsaga mariti,
Magnaque temporibus tribuit miracula castis.
Nam cum defunctis jungantur brachia membris,
Et repetita manus constringat vincula trunco,
Ne quibus humanæ complentur munera vitæ,
Accidat informis fluitatio dissociatis.
Immensum dictu, quo tempore vita peracta est,
Jungendus sociæ prospecta sede maritus.
Postquam morte viri reserata est janua læti,
Horrendumque larem jam lux ingrata retexit:
Deprensa est lævam protendens femina palmam,
Invitans socium gestu viventis amoris.
Quis dedit affectum tumulo? quis vincula solvit?
Unde sepulta videt venturæ conjugis umbram?
Tu facis hæc, tu Christe Deus, tua signa moventur,
Paulatimque doces sopita resurgere membra:
Tu quem venturum sancti cecinere prophetæ.
Incorrupta Dei soboles, rectorque regentis,
Quo sine nil magnum, genitor deliberat ingens.
Cujus ad imperium certis mare constitit oris,
Nec licet immenso terris excurrere ponto,
Planaque montanos includunt littora fluctus,
Qui vario stabilem dotasti munere terram,
In nostros usus, largus pietate paterna:
Te vale mortales committunt semina sulcis (*sic*),
Et novus arenti procedit cespite partus;
Tu manare jubes fecundo nectare vites,
Tu gratos epulis hominum, medicosque saluti
Arboribus succos, tu trudis dulcia mella.
Tu servire jubes homini genus omne animantum,
Insuper et gravibus lucos curvescere pomis,
Atque novos reditus nullo de semine nasci;
A Tu varios amnes nostro prodesse labori,
Et renovare sacris benedictum fontibus ævum.
Te duce velivolis patuerunt æquora rostris,
Divisosque fretis lustravit navita portus.
Tu postquam certis sunt acta elementa figuris,
Ne torpere rudi cœlestis machina vultu
Inciperet, vario signasti munere mundum:
Et quidquid cœlo radiat, tua dextera finxit.
His aulam Domini placuit contexere signis.
Jam freta ne nullis agerentur inhospita terris,
Assiduumque alacer muneraret navita portum:
Crebra satis tumido defigitur insula ponto,
Nec tamen insano metuit circumdata fluctu,
Exiguoque fretis innitens orbe resistit,
Te duce confidens, cujus venerabile pactum
B Nexum lege pari summumque imumque peræquat,
Nec sinit impositos quoquam transcendere fines.
Ac ne plana nimis tellus vel nuda jaceret,
Vitibus aptandos jussisti assurgere colles
Grandibus, et largos umbracula texere lucos.
Tum ne vastus agat silvis torpentibus horror,
Innumeros fœtus proceris tu saltibus addis:
Incola ne nemori, neu desit præda petenti,
Tum volucres multas, tum mille examina vocum
Mortali harmonia lucis resonare canoris:
Sic annum placuit variis intexere formis,
Et vice jucunda mortalibus addere fructum:
Neu semper prolixa dies nimis ureret orbem,
Neu brevis inustum raperet nascentibus ignem,
Ac ne perpetuo quateret labor omnia nisu,
C Dat requiem fessis hominum nox roscida curis:
Utque humana salus securum duceret ævum,
Sponte salutares de cespite surgitis herbæ,
Has Pater ipse serit nutu, non vomere dives.
Non ego ferrato tegerer si viscera muro
Ferrea vox linguæque forent mihi mille canenti,
Munera cuncta queam vestræ pietatis obire.
Sed pater ille tuus secreta in sede locatus,
Nec cuiquam visu facilis, cunctisque tremendus,
Te misit dominum terris vitæque magistrum.
Et quisquis natum justo veneratur honore,
Ambobus sua vota dicat vitamque perennem
Tu casti rectique tenax, et flectere leges
Post crimen facilis, si quem vecordia præceps
Depulit a vobis præscripto limite vitæ.
D Te genitor nostra, paterentur ut ora tueri,
Induit humana facie membrisque caducis.
Quis tentaret enim fragiles attollere visus,
Si talem trepidis voluisset sistere terris,
Qualis es ingenti cum torques fulmina dextra,
Præsertimque jubes directa pavescere pœnam:

Vel cum placatus, campis sitientibus imbres
Dividis, et dubias sulcis producis aristas.
Ne tamen insignem res nulla ostenderet ortum,
Virgine conciperis, non sufficit esse pudicam.
Nec quæ nupta queat Domino conjungere fratrem
Ne procul ex utero contagio turpis abesset.
Mox ubi processu felix maturuit ætas,
Indociles animos monitis servare paternis
Aggrederis, rectamque viam labentibus offers,
Atque ut missa Deo penitus præcepta paterent,
Imperium tu morti adimis, morboque soluto
Desperata jubes apprendere munia vitæ,
Restituisque diem cæcis, et ne quid inausum
Restaret penitus, quo perfidus error obiret,
Indicis sensum tumulis, et condita pridem
Membra jubes iterum superas consurgere in auras,
Agnoscuntque suum dilecta cadavera nomen.
At postquam legem sectator idoneus hausit,
Ut se mortali cœlestis spiritus aula
Exueret, legi intentum quo cuncta doceres
Pro summo toleranda Deo, recteque perennem
Contemptu mortis sibi quemque assumere vitam:
Sic completa ferens genitoris jussa, redisti
A Ad summi secreta poli, qua lucidus æther
Pigra vetat proprio succendere nubila cœlo;
Atque ut certa foret pereuntis copia turbæ,
Quæ præcepta Dei miserantis auribus arcet,
Nec nova defunctos jampridem jura tenerent:
Carceris inferni feralia, libera nobis,
Innumeramque jubes tenebris emergere plebem,
His tantum clausis, quos impia vita notarit:
Et loca pœnarum venturis dividis umbris,
Quæ tibi non credant vel quæ se credere fingant.
Sancte Deus summique Dei venerabile pignus,
Ad cujus nomen violenta morte fugatæ,
Pectoribus propriis alienaque pectora nactæ,
Exclamant pallentque animæ, jussæque recedunt,
Sicut multa prius de te miracula produnt,
B Cum terram cœlumque inter suspensa tenentur,
Obstricto per te quia nil permittitur hosti.
At nunc tu Dominum meritis, pietate parentem,
Imperio facilem, vivendi lege magistrum,
Edictisque parem, quæ lex tibi condita sancit:
Victorem lætumque pares mihi Constantinum,
Hoc melius fœtu, terris nihil ante dedisti,
Nec dabis: exæquent utinam sua pignora patrem.

S. PAULINI EPISTOLARUM

ORDO NOVUS CUM ANTEA VULGATO COMPARATUS.

Ordo novus.	*Ordo antea vulgatus.*	
I.	6.	Ad Severum, 1.
II.	23.	Ad Amandum, 8.
III.	45.	Ad Alypium, 10.
IV.	41	Ad Augustinum, 13.
* *Huc primum adscita.*		*Ad Paulinum Augustini*, XXVII, 16.
V.	1.	Ad Severum, 20.
VI.	42.	Ad Augustinum, 30.
* *Huc primum adscita.*		*Ad Paulinum et Theras. Augustini*, XXXI, 32.
VII.	46. Pars 1.	Ad Romanianum, 36.
VIII.	46. Pars 2.	Ad Licentium, 37.
IX.	22.	Ad Amandum, 43.
X.	15.	Ad Delphinum, 46.
XI.	5.	Ad Severum, 48.
XII.	21.	Ad Amandum, 58.
XIII.	37.	Ad Pammachium, 65.
XIV	18.	Ad Delphinum, 82.
XV.	25.	Ad Amandum, 84.
XVI.	38.	Ad Jo ium, 87.
XVII.	13.	Ad Severum, 94.
XVIII.	28.	Ad Victricium, 97.
XIX.	17	Ad Delphinum, 104.
XX.	16.	Ad Delphinum, 107.
XXI.	24.	Ad Amandum, 111.
XXII.	7.	Ad Severum, 115.
* *Huc primum adscita.*		*Ad Paulinum Sulp. Severi*, 116.
XXIII.	3.	Ad Severum, 117.
	4.	Ad Severum, 117.
XXIV.	2.	Ad Severum, 148.
XXV.	39.	Ad Militem quemdam, 162.
XXVI.	40.	Ad Sebastianum eremitam, 166.
XXVII.	14.	Ad Severum, 168.
XXVIII.	9.	Ad Severum, 171.
XXIX.	10.	Ad Severum, 175.
XXX.	8.	Ad Severum, 185.
XXXI.	11.	Ad Severum, 189.
XXXII.	12.	Ad Severum, 194.
XXXIII.	33.	Ad Alethium, 212.
XXXIV.	34.	Sermo de Gazophylacio, 213.
XXXV.	19.	Ad Delphinum, 219.
XXXVI.	20.	Ad Amandum, 220.
XXXVII.	27.	Ad Victricium, 222.
XXXVIII.	29.	Ad Aprum, 227.
XXXIX.	30.	Ad Aprum et Amandam, 234.
XL.	26. Pars 1.	Ad Sanctum et Amandum, 238.
XLI.	26. Pars 2.	Ad Sanctum et Amandum, 248
XLII.	32.	Ad Florentium, 250.
XLIII.	35.	Ad Desiderium, 253.
XLIV.	31.	Ad Aprum et Amandam, 257.
XLV.	44.	Ad Augustinum, 264.
* *Huc primum adscita.*		*Ad Paulinum et Theras. Augustini* XCV, 269.
XLVI.	47.	Ad Ruffinum, 271.
XLVII.	48.	Ad Ruffinum, 275.
XLVIII. Fragm.		*Huc primum accedit*, 276.
XLIX.	36.	Ad Macarium, 277.
L.	43.	Ad Augustinum, 287.
* *Huc primum adscita.*		*Ad Paulinum Augustini*, CXLIX, 297.
LI. *Huc primum accedit.*		Ad Eucherium et Gallam, 313.
LII.	51.	Passio S. Genesii Arelat., 314.

IN APPENDICE.

I. *Append.*	49.	*Ad Marcellam*, 721.
II. *Append.*	50.	*Ad Celanciam*, 727.

S. PAULINI EPISTOLARUM

ORDO ANTEA VULGATUS AD NOVUM REDUCTUS.

Ordo antea vulgatus.	*Ordo novus*	
	V.	Ad Severum, 20.
	XXIV.	Ad Severum, 148.
3.	XXIII.	Ad Severum, 115.
4.		Ad Severum, 117.
5.	XI.	Ad Severum, 48.
6.	I.	Ad Severum, 1.

INDEX ALPHABETICUS

EORUM AD QUOS DATÆ SUNT S. PAULINI EPISTOLÆ.

Numerus primus epistolam designat, alter columnam.

S. PAULINI EPISTOLARUM

INDEX JUXTA ORDINEM LITTERARUM DIGESTUS.

S. PAULINI POEMATUM

ORDO NOVUS CUM ANTEA VULGATO COMPARATUS.

Typothetarum oscitantia factum est ut tres Natales XI, XII, XIII, *qui nunc primum huic editioni accedunt, non suo loco ponerentur; quem errorem hæc tabula emendat, suo quemque ordine ac serie repræsentans.*

Ordo novus.	*Ordo antea vulgatus.*	
I.	1.	Ad Gestidium, 327.
II.	2.	Ad Gestidium, 328.
III.	32.	De Regibus ex Suetonio collectis carm. fragm., 329.
IV.	3.	Ad Deum matutina Precatio, 330.
V.	4.	Ad Deum alia Precatio, 331.
VI.	5.	De S. Johanne Baptista, 334.
VII.	6.	Psalmus I versibus explicatus, 346.
VIII.	7.	Psalmus II, 348.
IX.	8.	Psalmus CXXXVI, 349.
	Huc adscitum.	*Ad Paulinum Ausonii*, XXIII, 352.
	Huc adscitum.	*Ad Paulinum Ausonii*, XXIV, 357.
	* *Huc adscitum.*	*Ad Paulinum Ausonii*, XXV, 359.
X.	9, 10, 12.	Ad Ausonium, 362
XI.	11.	Ad Ausonium, 376
XII.	16.	S. Felicis Natal. I, 378
XIII.	17.	S. Felicis Natal. II, 380
XIV.	18.	S. Felicis Natal. III, 382.
XV.	19.	S. Felicis Natal. IV, 387
XVI.	20.	S. Felicis Natal. V, 401.
XVII.	30.	Ad Nicetam redeuntem in Daciam, 413.
XVIII.	21.	S. Felicis Natal. VI, 426.
XIX.	* *Huc adscitum.*	Ad Jovium, 551.
XX.	22.	S. Felicis Natal. VII, 558.
XXI.	13.	Ad Cytherium de Naufragio Martiniani, 569.
XXII.	14.	Ad Julianum et Iam Epithalamium, 602.
XXIII.	23.	S. Felicis Natal. VIII, 608.
XXIV.	24.	S. Felicis Natal. IX, 623.
XXV.	25.	S. Felicis Natal. X, 646.
XXVI.	* *Huc adscitum.*	De Nolana basilica S. Felicis a se aucta, 638.
XXVII.	*Nunc primum accedunt ex integro.*	S. Felicis Natal. XI, 447.
XXVIII.		S. Felicis Natal. XII, 490.
XXIX.		S. Felicis Natal. XIII, 515.
XXX.	15.	Ad Pneumatium et Fidelem de Obitu Celsi, 658.
XXXI.	* *Nunc prim. accedit.*	Ad Antonium, 693.
	IN APPENDICE.	
1. Append.	31.	Ad conjugem Exhortatio, 713.
Append.	* *Huc adscitum.*	De Nomine Jesu, 751

S. PAULINI POEMATUM

ORDO ANTEA VULGATUS AD NOVUM REDUCTUS.

Ordo antea vulgatus	*Ordo novus*	
1.	I.	Ad Gestidium, 327.
2.	II.	Ad Gestidium, 328.
3.	IV.	Ad Deum matutina Precatio, 330.
4.	V.	Ad Deum alia Precatio, 331.
5.	VI.	De S. Johanne Baptista, 334.
6.	VII.	Psalmus I, 346.
7.	VIII.	Psalmus II, 348.
8.	IX.	Psalmus CXXXVI, 349.
9.	X.	Ad Ausonium, 362.
10.		Ad Ausonium, 362.
11.	XI.	Ad Ausonium, 376.
12.	X.	Ad Ausonium, 376.
13.	XXI.	Ad Cytherium, de naufragio Martiniani, 569.
14.	XXII.	Ad Julianum et Iam Epithalamium, 602.
15.	XXXII.	Ad Pneumatium et Fidelem de Obitu Celsi pueri, 658.
16.	XII.	S. Felicis Natal. I, 378.
17.	XIII.	S. Felicis Natal. II, 380.
18.	XIV.	S. Felicis Natal. III, 382.
19.	XV.	S. Felicis Natal. IV, 387.
20.	XVI.	S. Felicis Natal. V, 401.
21.	XVIII.	S. Felicis Natal. VI, 426.
22.	XX.	S. Felicis Natal. VII, 558.
23.	XXIII.	S. Felicis Natal. VIII 608.
24.	XXIV.	Ad Nicetam, S. Felicis Natal. IX, 623.
25.	XXV.	S. Felicis Natal. X, 646.
26.	XXVII.	S. Felicis Natal. XI, 447.
27.	XXVIII.	S. Felicis Natal. XII, 490.
28.	XXIX.	S. Felicis Natal. XIII, 515.
30.	XVII.	Ad Nicetam redeuntem in Daciam, 413.
31.	I *App.*	*Ad Conjugem Exhortatio, in Append.*, 715.
32.	III.	De Regibus ex Suetonio, poematis fragmentum, 329.

ORDO ALPHABETICUS

EORUM AD QUOS DATA SUNT S. PAULINI POEMATA.

Numerus primus poema designat, alter columnam.

S. PAULINI POEMATUM

INDEX JUXTA ORDINEM LITTERARUM DIGESTUS.

SYLLABUS CODICUM

AD QUOS RECOGNITA SUNT S. PAULINI OPERA.

MANUSCRIPTI CODICES.

BARTH. — Belgicus codex a Barthio collatus, in quo exstant S. Paulini poemata 18 et 20.

BELG. — Belgicus alter a Cauchio collatus codex epistolarum et carminum S. Paulini.

BIG. — Bigotianæ bibliothecæ codices duo 600 annorum, in quibus exstant epistolæ novem S. Paulini ad S. Augustinum, et S. Augustini ad S. Paulinum. Bigotianus alter, in quo habetur epistola 4 S. Paulini ad Augustinum, et responsum S. Augustini ad Paulinum; estque 700 annorum.

CLUN. — Cluniacensis, in quo exstant epistolæ 40, 41 et 51.

C. ROT. — Cathedralis Ecclesiæ Rotomagensis Lectionarius codex, in quo habetur epistolæ 18 ad Victricium Rotomagensem episcopum pars media.

GERM. — S. Germani a Pratis Paris. duo 900 annorum pervetusti codices, litteris Saxonicis exarati, qui decem de S. Felice Natalitia carmina continent, et Oden ad Nicetam, ex quibus multa depravata et mutila emendantur et restituuntur. Alter ejusdem abbatiæ codex 800 annorum, in quo habetur poema exhortatorium ad Conjugem.

JOL. — Domini Claudii *Joly* præcentoris Ecclesiæ Parisiensis codex 500 annorum, in quo poema exhortatorium ad Conjugem. Alter 300 annorum, in quo sunt epistolæ ad Marcellam et ad Celanciam.

LUGD. — Lugdunensis codex a Vineto collatus, in quo exstant Ausonii ad S. Paulinum, et S. Paulini ad Ausonium carmina.

MARIANG. — Mariangeli Accursii, in quo carmen 25 Ausonii ad S. Paulinum.

M. ROTUND. — Collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ de Rotunda Rotomag. Lectionarius codex in quo habetur epistolæ 18 ad Victricium Rotomagensem episcopum pars media.

NOL. — Nolanus, in quo sunt epistolæ 40 et 41.

POELM. — Poelmanni, in quo exstant ad S. Paulinum Ausonii carmina.

REG. — Regiæ bibliothecæ 800 annorum codex epistolarum et poematum S. Paulini, et carminum Ausonii ad S. Paulinum.

VAT. — Vaticanus codex epistolarum S. Paulini. Alii duo, in quibus exstant epistolæ 25 et 26. Alii item quatuor, in quibus epistolæ 3, 4, 6, 7, 8 et 50.

VICT. — S. Victoris Parisiensis codices duo 300 annorum, in quibus sunt epistolæ 25 et 26, et duæ ad Marcellam et ad Celanciam. Ejusdem abbatiæ duo alii 300 annorum, in quibus habetur ad Conjugem poema exhortatorium.

VIEN. — Viennensis codex epistolarum S. Paulini optimæ notæ.

VOSS. — Vossianus in Anglia, in quo exstant carmen 24 Ausonii ad S. Paulinum, et S. Paulini poema 10 ad Ausonium.

EDITI CODICES.

BAD. — Badii Ascensii, typis Parisiis anno 1516, operum S. Paulini Nolani editio prima.

BARTH. — Barthii Emendationes et illustrationes ex libris LX Adversariorum Commentariorum. Francofurti, anno 1648.

BENED. — RR. PP. Benedictinorum cura, liber Epistolarum S. Augustini, in quo exstant S. Paulini ad S. Augustinum epistolæ 3, 4, 6, 7, 8, 45, 50, et S. Augustini ad S. Paulinum 27, 31, 95 et 149. Parisiis, anno 1679.

B. ROT. — Breviarium Rotomagense in fol., an. 1491, in quo habetur epistolæ 18 ad Victricium pars media.

CHIFFL. — Chiffletii cura, Paulinus illustratus, Divione, anno 1662, in quo epistolæ 13, 33, 34, 40, 42 et 51.

ERASM. — Erasmi cura recensitus liber Epistolarum S. Hieronymi, in quo sunt epistolæ S. Paulini 25 et 26, et duæ ad Marcellam et ad Celanciam, Lugduni, apud Gryphium, anno 1530.

GRAV. — Gravii cura, operum S. Paulini Nolani, Coloniæ, apud Maternum Cholinum, anno 1560.

GRIN. — Grinæi, operum S. Paulini Nolani, Tomo I Orthodoxographorum, Basileæ, anno 1569.

LATIN. — Latinii Viterbiensis in S. Paulini Nolani episcopi opera observationes et Correctiones, Romæ.

LUGD. — Lugdunensis editio carminum S. Paulini ad Ausonium, et Ausonii ad S. Paulinum, apud heredes Hugonis a Porta anno 1603.

M. VICT. — Mariani Victoris cura, Liber Epistolarum S. Hieronymi, in quo est epistola ad Celanciam, Parisiis, anno 1609.

MOG. — Moguntina editio epistolarum S. Hieronymi, ubi epistolæ 25 et ad Marcellam, anno 1470.

POELM. — Poelmanni cura, codices duo, alter poematum S. Paulini Nolani, Antuerpiæ, apud Christophorum Plantinum, anno 1560. Alter carminum Ausonii ad S. Paulinum, anno 1568.

PONC. — Ponceti *le Preux* typis, Liber Epistolarum S. Hieronymi, in quo exstant S. Paulini epistolæ 25 et 26, et duæ ad Marcellam et ad Celanciam, Parisiis, anno 1512.

ROM. — Liber epistolarum S. Hieronymi, in quo continentur S. Paulini epistolæ 25 et 26, et duæ ad Marcellam et ad Celanciam, Romæ, anno 1468.

ROSV. — Rosveydi cura, D. Paulini Nolani operum, cum notis, Antuerpiæ, anno 1622.

SACCH. — Sacchini S. J. notæ et correctiones in S. Paulini Nolani opera, in fine editionis Rosveydi, Antuerpiæ, anno 1622.

Schot. — Schotti cura, operum S. Paulini Nolani, tom. V Bibliothecæ Patrum, vol. I, Coloniæ, anno 1618.

Toll. — Tollii cura, operum Ausonii, unde illius ad Paulinum carmina; Amstelodami, anno 1671.

Vinet. — Vineti cura, Ausonii ad S. Paulinum, et S. Paulini ad Ausonium Epistolarum liber, cum annotationibus, Burdigalæ, apud Simonem Millangium, anno 1575

INDEX

EPISTOLARUM PROUT COLLATÆ SUNT AD MSS. ET EDITOS CODICES.

IN APPENDICE.

EPISTOLA I. AD MARCELLAM.

Correcta est ad mss. codices Jol. 1, Vict. 2, et ad edit. Er., Mog., Ponc., Rom. et Rosv.

II. AD CELANTIAM.

Mendis quamplurimis purgata est ad fidem mss. codicum Jol. 1, Vict. 2, et edit. Er., Mog., Vict., Ponc., Rom. et Rosv.

INDEX

POEMATUM PROUT RECOGNITA SUNT AD MSS. ET EDITOS CODICES

POEMA I. AD GESTIDIUM.

Collatum est cum ms. Lugd. et edit. Rosv., Schot. et Vinet.

II. AD GESTIDIUM.

Recensitum est ad eosdem mss. et editos codices.

III. DE REGIBUS, EX SUETONIO.

Collatum est ad ms. Mariang. et ad edit. Bad., Grav., Lugd., Poelm., Rosv., Schot., Toll. et Vinet.

IV. AD DEUM PRECATIO.

Recognitum est ad ms. Lugd. et edit. Rosv., Schot. et Vinet.

V. AD DEUM ALIA PRECATIO.

Correctum est juxta editiones Bad., Grav. Grin., Poelm., Rosv. et Schot.

VI. DE S. JOHANNE BAPTISTA.

Collatum est cum edit. Lugd. et Rosv.

VII. PSALMUS I.

Recognitum est ad ms. Reg. et edit. Bad., Grav., Grin., Poelm., Rosv. et Schot.

VIII. PSALMUS II.

Collatum est ad eosdem ms. et editos codices.

IX. PSALMUS CXXXVI.

Recensitum est ad codices supra notatos.

* AUSONII AD PAULINUM, XXIII.

Collatum est cum mss. Lugd. Poelm., Reg., et cum edit. Bad., Grav., Lugd., Poelm., Schot., Toll. et Vinet.

* AUSONII AD PAULINUM, XXIV.

Castigatum est ad eosdem mss. et editos codices, et præterea ad ms. Voss.

* AUSONII AD PAULINUM, XXV.

Emendatum est ad mss. codices Lugd., Mariang., Reg., et ad edit. Bad., Grav., Lugd., Poelm., Schot., Toll. et Vinet.

X. AD AUSONIUM.

Mendis quamplurimis purgatum est ad fidem mss. codicum Lugd., Reg., Voss., et edit. Bad., Grav., Lugd., Poelm., Rosv., Schot. et Vinet.

XI. AD AUSONIUM.

Castigatum est ad mss. Lugd., Reg., et ad editos Bad., Grav. Lugd., Poelm., Rosv., Schot. et Vinet.

XII. NATAL. I S. FELICIS.

Recensitum est ad ms. Germ. notatum, 540, et ad edit. Bad., Grav., Grin., Poelm., Rosv. et Schot.

XIII. NATAL. II S. FELICIS.

Emendatum est ad eosdem codices, et auctum ope ms. Germ.

XIV. NATAL. III S. FELICIS.

Ad eosdem codices castigatum, et auctum ope ejusdem ms. Germ.

XV. NATAL. IV S. FELICIS.

Mendis purgatum est ad fidem 2 mss. codicum Germ. et ad edit. Bad., Grav., Grin., Poelm., Rosv. et Schot.

XVI. NATAL. V S. FELICIS.

Correctum est ad eosdem mss. et editos codices.

XVII. AD NICETAM REDEUNTEM IN DACIAM.

Multis mendis purgatum est ad fidem mss. codicum Germ. n. 481 et Reg., ac edit. Bad., Grav. Grin., Poelm., Rosv. et Schot. Auctum ope ms. codicis Germ.

XVIII. NATAL. VI S. FELICIS.

Castigatum est ad mss. 2 Germ., Barth. 1, et ad edit Bad., Grav., Grin., Poelm., Rosv. et Schot.

XIX. AD JOVIUM.

Emendatum est ad mss. codices Belg., Reg., Vat., Vien., et ad edit. Bad., Grav., Grin., Rosv. et Schot.

XX. NATAL. VII. S. FELICIS.

Correctum est ad mss. Belg., Germ., n. 540, et 1 Barth., et ad edit. Bad., Grav. Grin., Poelm., Rosv. et Schot. Auctum ope codicis ms. Germ.

XXI. AD CYTHERIUM.

Collatum ad ms. Reg. et edit. Bad., Grav., Grin., Poelm., Rosv. et Schot.

XXII. AD JULIANUM ET IAM.

Editum olim ex veteri ms. codice Belgic. in edit Schot.

XXIII. NATAL. VIII S. FELICIS.

Recognitum est ad ms. Germ. n. 540, et ad edit. Bad., Grav., Grin., Poelm., Rosv. et Schot.

XXIV. NATAL. IX S. FELICIS, AD NICETAM.

Castigatum est ad ms. Germ. n. 481, et ad eosdem codices editos.

XXV. NATAL. X S. FELICIS.

Ad eosdem ms. et editos codices collatum.

XXVI. DE NOLANA BASILICA S. FELICIS AUCTA.

Exscriptum ex eadem basilica, et editum a Sirmondo ad Sidonium lib. IV, epist. 18. Huc primum adscitum.

XXVII, XXVIII, XXIX, XXX ET XXXI NATAL. S. FELICIS.

Ex Dungalo in Auctario Bibliothecæ Patrum ed. Paris. 1610, tom. II, et edit. Rosv.

XXXII. DE OBITU CELSI, AD PNEUMATIUM ET FIDELEM.

Correctum est juxta mss. Belg., Reg., et edit. Bad., Grav., Grin., Poelm., Rosv. et Schot.

IN APPENDICE.

POEMA I. AD CONJUGEM EXHORTATIO.

Castigatum est ad mss. codices Germ. 1, Jol. 1, Vict. 2.

II. DE NOMINE JESU.

Ex ms. codice Cartusiæ prope Argentoratum in Germania editum est a Barthio Adversar. Commentar. lib. XXXIV, cap. 1. Huc primum adscitum.

INDEX

VOCUM QUARUM INSOLITA SIGNIFICATIO.

INDEX

PERSONARUM ET RERUM MEMORABILIUM.

E. *Epistolas designat*, P. *Poemata*, A. *Appendicem*, V. *Vitam et seqq.*

O

P

ORDO RERUM
QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

FINIS TOMI SEXAGESIMI PRIMI.

Parisiis. — Ex typis L. MIGNE.